

EX BIBLIOTECA
D. A. de VLLOA

CODEX LEGVM ANTIQVARVM,

IN QVO CONTINENTVR

LEGES WISIGOTHORVM.
EDICTVM THEODORICI REGIS.
LEX BVRGVNDIONVM.
LEX SALICA.
LEX ALAMANNORVM.
LEX BAIVVARIORVM.
DECRETVM TASSILONIS DVCIS.
LEX RIPVARIORVM.
LEX SAXONVM.
ANGLIORVM ET WERINORVM.
FRISIONVM.
LONGOBARDORVM.
CONSTITVTIONES SICVLÆ SIVE NEAPOLITANÆ.
CAPITVLARE KAROLI M. ET HLVDOWICI IMPP. &c.

Quibus accedunt Formulæ solennes priscæ publicorum privatorumque negotiorum,

Nunc primum editæ:

Et GLOSSARIVM sive INTERPRETATIO rerum vocumque difficilium & obscuriorum.

Ex Bibliotheca FRID. LINDENBROGI. J.C.



FRANCOFVRTI
Apud Iohannem & Andream Marnios & consortes;
ANNO CIↃ IↃ CXIII.
Cum privilegiis S. Cæs. Maiestatis & Regis Galliæ in decennium.

MAXIMO ATQVE INVICTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DN. MATTHIAE,

A DEO ELECTO ET CORONATO

IMPERATORI ROMANO, REGI VNGARIÆ,
BOHEMIÆ, DALMATIÆ, &c.

PARENTI PVBLICO,
PIO, FELICI, PERPETVO AVGVSTO.

MAXIME INVICTISSIMEQ. CÆSAR,

OPVS quod DIVO RVDOLPHO II. Imp. Aug. voveram, ad Maiestatis vestræ altaria obfero, eo quo par est, cultu atque veneratione. Illo enim ad cœlos vocato, quē in terris regnorum successorem habet, eundem & devotionis meæ heredem ut habeat, ius fasque iubent. Optassem equidem optimo & clementissimo Principi annos de meis annis longiores: sed aliter illi visum, qui cuncta videt, quiq; supra humana negotium gerit. Fateor Domine, accepto tam gravi vulnere, collapsa funditus studia mea videbantur; & quis non consternaretur in tam acer-

bo casu? donec omnium precibus & votis petitus dies refulsit, quo Maiestatem vestram ad lugentis patriæ gubernacula admotum, orbi nuntiatur. Tunc hercle vero animus confestim erigere se, ac penitus gaudere cœpit, quod cum necessum esset ut fieret, quod fatalis ordo præscripserat, atque ille è mundo digrederetur, à cuius salute salus publica dependebat, nunc is in locum substitutus sit, quem cum cernimus, illum excessisse nescimus. Qui etiam antequam Imperator eligeretur, dignus imperio videbatur; ad ipsum autem evectus, in purpura hac non superbire, sed moribus placidissimis magnitudinem Fortunæ ita temperare novit, ut omnes testentur, non tam Domini se, quam Parentis affectum sentire. Temporum hæc nostrorum felicitas est; & felix ego, cui tali tempore nasci, sub tali Principe vivere contigit, qui nihil sibi amplius licere putat, quam privatis; qui amari se à suis, non metui cupit; qui denique totis viribus id meditatur ac cogitat, quo pacto dissidentes inter se animorum motus conciliet, conservetque

ORBI QVIETEM, SECVLO PACEM SVO.

Virtutes hæ sunt, quæ omnino Cæsarem decent. Vnde & Magni illius Matthiæ sapientissimi Regis nomen non tantum Maiest. V.

imita-

imitabitur, ſed etiam ſuperabit; & quod ille erat Pannoniis, id vos & Pannoniis, & multis aliis eritis, primore autem loco dicendis Germanis, fortibus ſemper & fidis.

Quapropter ſpes me quoq; indubitata fovet, donum hoc, quod ad Cęſaream aram cõſecravi, Maieſtati veſtræ tanto gratius fore, quanto non privati hominis opus eſt, aut ad privatos tantummodo paucos pertinens; ſed in quo maiorum veſtrorum imperium, eorundemq; in rebus divinis & humanis religioſa quædam adminiſtratio ſpectatur: in quo tot Imperatorum, Regum, Principum, conſtituta atq; edicta elimato conſilio compoſita continentur; tot ſalutares leges, & ad omnem vitæ honeſtatem utibiles perſcribuntur, ut neq; ex rhetris Lycurgi, vel axonibus Solonis, aut deniq; Romanis tabulis, ſimile quid proferri queat. Iacuerunt iam per annos plurimos cuncta hæc a multis ignorata: ſed ego pro ſingulari mea (quod modeſte dixerim) in patriam pietate, impenſe anniſus ſum, non ſolum emendate iterum ut prodirent, quę iam olim rite promulgata fuerunt, ſed etiam M. V. ut dedicarentur.

Quia autem Legum quantumvis optimarum ſupervacanea ſunt ſcita, ſi in litteris

dumtaxat consistant, non etiam reapse utilitatem subditis præbeant, & iugi observantia frequententur: idcirco Maiestas vestra, quæ tota velut ΕΜΨΥΧΟΣ ΝΟΜΟΣ, quidquid loquitur, non est sententia, Lex est, his quoque gloriosa renovatione, quantum tempora patiuntur, sacro oraculo robur & authoritatem denuo dabit. Sic nimirum splendor nominis Germanici magis ac magis augebitur, si quēadmodum nostro Principe regimur, sic nostris etiam, non extraneis legibus vivamus.

Vtrumque Magnus & æternus Deus nobis benigniter diu concedat: sacratissimamque Maiest. V. præcipuum Augustæ domus columen, ad hunc statum, hanc pacem, salubri gubernationis moderamine defendendam, Nestoreos in annos salvam atq; incolumem servet, tueatur, protegat. Feliciter.

Hamburgi, prid. Kal. Iulii. An. ∞ IↃCXIII.

N. M. Q. CÆS.

DEVOTISSIMVS

FRIDERICVS LINDENBROGIVS.

PRIVILEGIUM
S. CÆS. MAIESTATIS.

RUDOLPHUS SECUNDUS DIVINA FAVENTE clementia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wiertembergæ, &c. Comes Tirolis, &c. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, Quod nobis humilime exponi curaverit Noster & Imperij Sacri fidelis dilectus, FRIDERICUS LINDENBROGIUS, se ad magis magisq; illustrandam Germanici nominis & Imperij Majestatem ac gloriam, veteres Germanorum, & qui ab eisdem oriundi sunt populorum mores, leges, consuetudines atq; statuta in unum opus redegisse, suisq; cum notis tum interpretationibus illustrasse: Quod quidem opus nobis dedicatum cum ipse author in vulgus quoq; typis prodire cupiat, perdemisse ob id rogando, ut sibi ac typographo suo: ne quisquam alius intra decennium eandem editionem quovis modo imitari audeat, privilegio nostro Cæsareo in talibus consueto clementer adesse dignaremur: Et nos precib. ejus æquis & honestis benigne annuendum duxerimus. Iccirco per præsentes litteras nostras ex certa scientia animoq; deliberato & authoritate nostra Cæsarea seriò ac firmiter inhibemus & vetamus universis ac singulis Typographis, Bibliopolis, alijsq; omnibus qui in sacro Romano Imperio & Regnis ac Dominijs nostris hæreditarijs, vel edendis imprimendisve libris, aut alia quacunq; ratione negotiationē librariam exercent: ne quis eorum memoratum opus ipsius FRID. LINDENBROGII, sine consensu ejusdem per totum decennium, ab editionis absolutæ die numerandum, intra Sacri Romani Imperij & omnium Regnorum ac Provinciarum nostrarum fines recudere, aut ubicunq; recudendum dare, seu alibi impressum importare, vendere vel distrahere, palam vel occulte ausit: Quod si quis secus fecerit, pœnam amißionis omnium librorum, & insuper mulctam decem Marcharum auri puri, nostro Imperiali Fisco vel Cameræ nostræ, ipsiq; FRIDERICO ex æquo pendendam, toties quoties contrafactum fuerit, se noverit ipso facto incurrisse: Dum tamen opus hoc aliàs nihil quod orthodoxæ Religioni nostræ Catholicæ, nostrisq; & Imperij sancionibus adversum sit, in se contineat: ac tria ad minus ipsius operis impreßi exemplaria ad Cancellariam nostram Imperialem Latinam propriis ipsius authoris vel ejus typographi sumptibus quamprimū transmittantur. Quæ nisi ritè facta sint, hoc nostro privilegio planè exutus esse censeatur. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum & sigilli nostri impreßione munitarum. Datum in Arce nostra Regia Pragæ, die XIII. mensis Martij, Anno Domini, CIↃ IↃ CV. Regnorum nostrorum, Romani XXX. Hungarici XXXIII. & Bohemici itidem XXX.

RUDOLPHUS.

Rud. Coraducius.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majest. proprium.

Io: Barvitius.

PRIVILEGIVM
GALLIÆ ET NAVARRÆ
REGIS.

HENRY PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE *France & de Navarre, a touts nos Ballifs, Seneschaulx, Prevosts, Juges, leur Lieutenans, & autres nos Justiciers & officiers, qu'il appertiendra salut.*

Nostre cher & bien amè FRIDERIC LINDENBROG *Nous a faict remonstrer, qu'il a avec grand estude, peyne, labeur & frais recueilly de divers autheurs de loix antiques, desquelles il a faict ung livre intitulè* CODEX LEGVM ANTIQVARVM; in quo continentur leges Wisigothorum, Edictum Theodorici Reg. Lex Salica, Burgundionum, Alemannorum, Baiuariorum, Ripuariorum, Angliorum, Saxonum, Frisonum, Longobardorum, &c. *Lequel livre il desireroit pour l'utilitè publique faire imprimer & mettre en lumiere. Mais il crainct qu'autres que ceulx ausquels il en aura donne charge, se veullent ingerer de l'imprimer, soit soubs mesme tiltre & son nom, ou d'autre, le frustrant par ce moyen du fruict de ses peynes & labeurs, s'il n'avoit surce nos lettres necessaires, qu'il nous a treshumblement suppliè luy accorder. Nous a ces causes avons audict* FRIDERIC LINDENBROG *permis, accordè & octroyè, permettons, accordons & octroyons par ces presentes de faire imprimer par tels imprimeurs que bon luy semblera ledict livre, iceluy vendre & distribuer par tout nostre Royaume, sans qu'aultres que ceulx qui auront pouvoir de luy, puissent l'imprimer ou faire imprimer, en tout ne en partie soubs aultre nom, tiltre, ne en quelque façon que ce soit, durant le temps & terme de dix ans consecutifs a compter du jour de l'impression du dict livre; & ce sur peyne de confiscation des livres ainsy imprimes sans sa permission, de mil livres d'amande, & aultre arbitraire; applicable moytie a nous, & l'aultre moytie au dict exposant. Si vous mandons & a chacun de vous endroict soy tres expressement enjoignons, que du contenu cy dessus vous faicts, souffres, & laisses jouir & user ledict* FRIDERIC LINDENBROG, *& ses ayans surce pouvoir & charge, plainement & paisiblemēt, & a ce faire souffrir & y obeyr contreignes, & faictes contraindre tous autres qu'il appertiendra, & pource seront a contraindre. Non obstant oppositions ou appellations quelconques, sans preiudice d'icelles, voulons, qu'en inserant un abrege de ces presentes audict livre, il soit tenu comme nous le tenons pour bien & deuvement publiè & signifiè. Car tel & nostre plaisir, non obstant quelconques Edicts, Ordonnences, Mandemens, defences & lettres a ce contraires.*

Donnè a Paris le XXV. jour de Iuillet, l'an de grace Mil sixcens quatre, & de nostre regne le quinsiesme.

Par le Roy en son Conseil.

DE HVMERY.

ΕΙΣ ΤΟ ΔΙΑΦΟΡΩΝ

ΓΕΡΜΑΝΙΚΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΝΟΜΙ-
ΚΟΝ, ΚΑΙ ΤΟΝ ΑΥΤΟΥ ΠΟΛΥΜΑΘΕΣΤΑΤΟΝ
ΕΞΗΓΗΤΗΝ
ΦΡΙΔΕΡΙΚΟΝ ΤΟΝ ΛΙΝΔΕΝΒΡΟΓΙΟΝ.

ΗΝΟΡΕΗΣ, ΑΛΚΗΣ Τ', ΙΔ' ΕΝ ΕΝΤΕΣΙΝ ΕΝΘΕΟΥ ΟΡΜΗΣ
ΤΗΣ ΣΕΘΕΝ, Ω ΚΕΛΤΩΝ ΕΘΝΟΣ ΑΡΕΙΜΑΝΙΩΝ,
ΜΑΡΤΥΡΕΣ ΑΝΘΡΩΠΩΝ ΟΣΣΟΙ ΓΗΣ ΝΑΙΕΤΑΟΥΣΙΝ,
ΠΡΟΣ ΔΥΣΙΝ, ΑΝΤΟΛΙΗΝΤ', Η ΝΟΤΟΝ, Η ΒΟΡΕΗΝ.
ΘΕΣΠΕΣΙΗΣ ΔΕ ΤΕΗΣ' ΜΕΓΑ ΔΗ ΤΟΔΕ ΘΑΥΜΑ ΒΡΟΤΟΙΣΙΝ'
ΕΝΤΕ ΝΟΜΟΙΣ ΣΟΦΙΗΣ, ΕΝΤΕ ΔΙΚΑΣΠΟΛΙΗΣ,
ΜΑΡΤΥΡΑ ΒΙΒΛΟΝ ΙΔΟΥ' ΗΝ ΠΡΟΣΘ' ΙΣΑ ΝΥΚΤΙ ΣΚΟΤΕΙΝΗΝ,
ΛΕΥΚΟΤΕΡΑΝ ΦΑΕΟΣ ΝΥΝ ΘΕΤΟ ΦΡΙΔΕΡΙΚΟΣ.

ISAACVS CASAVBONVS.

FRIDERICI LINDENBROGI, I.C.
PROLEGOMENA
IN CODICEM LEGUM ANTIQUARUM.

SACRATARUM Legum auctoritas, Principatus Divini singulare donum, quanta religione suspicienda sit, ab illis discere possumus, qui populum antea rudem, & moribus barbarum, exuto feritatis scemate, ad humanitatis quandam speciem earum præscriptione temperarunt. Quin illud arduum negotium fuerit, & supra humanas vireis, qui negabit? legibus subiecisse, quibus ius omne in armis; ad æquitatis normam perduxisse, quibus haud satis cognitum, quid esset iniquum? Arduum, inquam, hoc & difficile admodum fuit: neque enim facile quis usitatum vivendi modum deserit, aut regi si patitur, quum freni quadam adtemperie adhibitâ alterius arbitrio sibi vivendum intelligit. Quocirca prisci sapientes, quo rectius impetrarent, quod expetebant, scitorum suorum Deos autores finxerunt. Hinc est cur Numa Pompilius, quas proponebat leges Quiritibus, Egeriæ Nymphæ monitu se promulgare diceret: vel cur Minos Iovis, quas Cretensibus. Quinimo nulla Lycurgum causa movit, voluntariam insaniam furere, præter hanc ipsam, ut Spartani accrederent, Apollinis Delphici inspiratu leges eius esse dictatas. Taceo quid Draco, quid alii fecerint. Quis populo Israëlitico legem scripserat, quis obtinuerat, antequam rupices tabulæ, digito Dei æterni exaratæ, proferrentur? Tanti ergo si constiterit, etiam in excultis iam, & in cognitionem veritatis oculatis; quid putabimus, quantus labor fuerit, ferocioribus istis & ferrocinctis legem persuasisse? atque id propter eo curatius providendum, ne vicissim intercidat, cuius virtute truces maiorum mores tranquillati atque placabiles redditi fuerunt. Quanquam nullam gentem adeo beluilis ingenii, vel ferocem autumem, quæ non vel solo naturæ instinctu, aliquam cognitionem honestatis habeat: Paulo Apostolo adtestante Epistolâ ad Rom. 2. vers. 14. & Tertulliano advers. Iudæos cap. 2. Ante legem Moysi scriptam in tabulis lapideis, legem fuisse contendo non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & à patribus custodiebatur. *Certe Germanos, & ab ipsis oriundos populos, civiliores semper putavi, quam ut omnia manu egerint: quippe cum Corn. Tacitus in libro de moribus Germ. notet,* plus apud eos valuisse bonos mores, quam alibi bonas leges. *Tum quoque quam decens eorum fuerit ordo iudiciorum, idem Tacitus dicto libro ostendit.*

dit. Eliguntur, *inquit*, in iisdem conciliis & Principes, qui iura per pagos reddunt: centeni singulis ex plebe Comites, consilium simul & authoritas adsunt. *Sed quod scriptas leges non habuerunt, id vel inde factum, quod putarunt, (ut Isocrates in Areopag. dicit)* δεῖν τοὺς ὀρθῶς πολιτευομένους, οὐ τὰς στοὰς ἐμπιπλάναι γραμμάτων, ἀλλ' ἐν ταῖς ψυχαῖς ἔχειν τὸ δίκαιον: *vel certe, quod litterarum secreta viri pariter atque fœminæ ignorarent. Litteræ enim cum otium requirant & sedentariam vitam, enervare homines videntur: at arma fortes decent. Hactenus itaque* ἀγράφοις νόμοις *utebantur; donec paulatim humanioribus sese studiis dedentes, quas memoria & usu retinebant leges, scripto quoque comprehendere cœperunt. Quorum diligentiam Karolus Magnus Imp. postea gnaviter adiuvit, omniumque (ut Eginbartus ait) nationum, quæ sub eius ditione erant, iura describi ac litteris mandari fecit. Quæ licet rigida multis in locis, & a verbis aspera sint, dandum hoc est Virtutis amori, & ruditati temporum: nemo enim apud illos vitia ridebat: maiusque studium erat, recte facere, quam splendide loqui, Et quæso quantum ab his discreparunt Auruncorum, Sicanorumque, imo ipsius Rumuli, Tatii, Numæ, aliorumque Romanorum leges & mores? cum, ut Ovidius inquit Fastor. Lib. I.*

Iura daret populo posito modo prætor aratro.

Nimirum nondum tot strophis civilis sapientia involuta erat; multoque paucioribus horis, quam nunc vix annis lites gravissimæ terminabantur. Quæcunque ergo in his legibus duriora sunt, ea tam candide accipienda, quam simpliciter dicta sunt: & bene loqui ab aliis, hinc sapere aliquis discat.

VVISIGOTHORUM Leges ab Eurico Rege, (qui etiam Euridicus, vel Theodoricus à nonnullis vocatur) Era DIIII. *compositas, Isidorus Hispalens. in Chronico suo notat.* Sub hoc Rege (*Eurico*) Gothi Legum instituta scriptis habere cœperunt, nam antea tantum moribus & consuetudine tenebantur. *Euricum excepit Levvigildus, de quo idem Era* DCVIII. In legibus quoque ea quæ ab Eurico incondite constituta videbantur, correxit; plurimas leges prætermissas adiiciens, plerasque superfluas auferens. *Hunc deinde Chindasvvindus & Recesvvindus secuti sunt, plenissimumque robur huic Codici dederunt, abolitis aliis omnibus aliarum gentium legibus.* Wis. 2. Tit. 1. L. 1. 5. 7. 9. *Novissima omnium recensio à Fl. Egica Rege facta fuisse videtur: quam etiam in Concilio Toletano* XVI. *à sanctissimis patribus publice confirmari postulavit, ut hæc eius verba ostendunt, pag. 696.* Cuncta quæ in Canonibus vel Legum Edictis depravata consistunt, aut ex superfluo vel indebito coniecta fore patescunt, accommodante serenitatis nostræ consensu in meridiem lucidæ veritatis reducite; illis proculdubio legum sententiis reservatis, quæ ex tempore divæ memoriæ prædecessoris nostri Domini Cindasvinthi Regis, usque in tempus Domini Wambanis Principis, ex ratione deromptæ, ad sinceram iustitiam vel negotiorum sufficientiam pertinere noscuntur. *Hinc ergo usus eius in Hispania & Gothia, id est Narbonensi Gallia, frequens: & quidem tantæ authoritatis, ut ex illo in Capitulare Caroli Imp. Mag. quædã inserta videmus.* Lib. VI. Tit. 269. Lib. VII. Add. IIII. Tit. 1. LIBER LEGIS GOTHICÆ *vocatur à Iohanne PP. VIII.* in Decreto Ivonis, Part. 3. cap. 98. *qui eidem ex Capitulari Caroli legem de compositione sacrilegii adiecit. Quin*

iecit, Qui etiam κατ' ἐξοχὴν Forum iudicum *appellatur: & Liber iudicis in exemplari Curialium usuum, quos Raymundus Berengarius, vetus Comes & Marchio Barcinonens. Hispaniæ subiugator, & Almoides coniux, de Feudis alisque negotiis observari iusserunt, cum Gothicæ leges omnibus causis non viderentur sufficere. Hæc postea Ildefonsus, Petrus, Iacobus, alii atque alii Arragonum Reges, variis constitutionibus suppleverunt, antequam Alfonsus tandem circa annum Christi* MCCXLI. *ius Romanum in Partitas suas digeri curasset: ut erudite P. Pithœus J. C. primus huius Cod. editor, annotavit. Latine primum promulgatus fuit, postea nescio cuius iussu in linguam, quam Romanam vocant, translatus: ita tamen ut in omnibus Latinæ editioni non respondeat. nam & ex Conciliis Hispanicis quædam non tantum præmittuntur, quædam etiam passim intermiscentur, sed & ipsæ leges alio interdum ordine collocantur. Ea versio haut ita olim ab Alfonso Villadiego in Hispania in lucem fuit prolata, commentariisque uberrimis illustrata.*

THEODORICVS qui Edictum composuit, Rex fuit Jtaliæ, Alarici socer.

BVRGVNDIONVM LEGES Gundebaldus composuit: quamvis in MS. Cod. Sigismundo eius filio adtribuantur, ut in Notis ad hanc legem dixi. De Gundebaldo autem Gregor. Turon. Histor. lib. 2. c. 33. sic habet. Franci qui apud Godegisilum erant, in unam se turrim congregant. Gundebaldus autem iussit, ne uni quidem ex ipsis aliquid noceretur: sed adprehensos eos Tolosæ in exilium ad Alaricum Regem transmisit, interfectis senatoribus Burgundionibusq; qui Godegisilo consenserant. Ipse vero regionem omnem, quæ nunc Burgundia dicitur, in suo dominio restauravit, Burgundionibus leges mitiores instituit, ne Romanos opprimirent. *Cum hac lege planissime convenit Papiani Liber Responsorum, ex iure Romano, ut verosimile est, huius quoque Gundobaldi mandato, collectus: cui bono, infra dicemus.*

SALICAE LEGIS Authores qui fuerint, præfatio illi Legi præfixa satis declarat: & Sigebertus Gemblacens. Chronol. Ann. CCCCXXII. Franci uti cœperunt legibus, & legem Salicam dictitaverunt per quatuor gentis suæ proceres, electos de pluribus, his appellatos nominibus, Wisogast, Bosogast, Salogast, Widogast; in villis Germaniæ, Salechaim, Bodochaim, Wingehaim. Hi quatuor proceres per tres mallos convenientes, causarum origines sollicite tractantes, de singulis discutiendo, sicut lex Salica declarat, iudicare decreverunt. *Eius authoritas laudatur ab Hincmar. Episcop. in lib. de vita & actibus B. Remigii; & Feudor. Lib. 2. Tit. 29.*

LEGES Alamannorum, Baioariorum, Ripuariorum, à Theodorico Francorum Rege compositas, ex prologo earum scimus: & quidquid Theodoricus Rex propter vetustissimam paganorum consuetudinem emendare non potuit, post hæc Childebertus Rex inchoavit, sed Chlotarius perfecit. Hæc omnia Dagobertus renovavit, & in melius tanstulit, & *reliqua.*

TASSILO, cuius Edictum Baioariorum Legi additur, is est, qui totiens contra Karolum Imp. rebellis, tandem eidem victas manus dedit. Aimoinus, & alii Historiæ Francicæ scriptores.

SAXO-

SAXONVM, ANGLIORVM, VVERINORVM, FRISONVM, Leges quo tempore latæ, haut adeo liquido constat: nisi quod in Additionibus Frisonum legis, VVulemari & Saxmundi mentionem fieri videmus. Saxonibus autem & Frisiis, reliquisque Transalbianis populis, Haraldum Danorum Regem leges dedisse, Historici narrant. Adamus Brem. Lib. 2. cap. 19. Albertus Abbas Stadens. ANNO DCCCCLXXXIIII. Certissimum est eum (*Haraldum*) tam nostro populo, quam Transalbianis & Fresonum genti leges & iura constituisse, quæ adhuc pro tanti autoritate viri servare contendunt. *Helmoldus Histor. Slavor. Lib. 1. cap. 15.* Huius viri (*Haraldi*) industria in divinis quidem rebus fuit eximia, nihilominus tamen etiam in mundana sapientia, in his videlicet quæ ad regni gubernationem pertinere videntur, adeo claruit, ut leges & iura statuerit, quæ pro autoritate viri, non solum Dani, sed & Saxones adhuc hodie servare contendunt. *Sed Haraldi leges recentiores iis esse, quas in hoc codice edidimus, certum est: harum enim & membranæ & manus vetustas Caroli illius Mag. ætatem antecedere videntur. tum quoq; Leges ipsas plane consimiles reliquis eius ævi legibus apparet. Quibus accedit, quod VVitikindus monachus, quem ante Haroldum vixisse constat, gentem Saxonicam triformi genere ac lege dividi, ipsamque legem diligenter descriptam inveniri, testetur,* Historiar. lib. 1. pag. 7. *Quæ tamen tota ad nos non pervenit; nam & Adamus Brem. Histor. Eccl. Lib. 1. cap. 5. scribit.* Quatuor differentiis gens illa (*Saxonum*) consistit; nobilium scil. & liberorum, libertorumque, atque servorum. Et id legibus firmatum, ut nulla pars in copulandis coniugiis propriæ sortis terminos transferat: sed nobilis nobilem ducat uxorem, & liber liberam, libertus coniungatur libertæ, & servus ancillæ. Si vero quispiam horum sibi non congruentem & genere præstantiorem duxerit uxorem, cum vitæ suæ damno componat &c. *In L. Saxonica nunc quidem tale nil legitur: sed Rotharis Regis constitutio ea de re extat,* Long. Lib. 2. Tit. 9. *Tum quoque frater Ducis Saxonici Hermannus de hostibus, qui fines alienos contra leges invasissent, iuxta leges gentis suæ capitale se supplicium sumpturum minatur.* Lambert. Scafnab. Histor. Germ. pag. 120. *Saxonicæ porro Legis mentio in Notitia Liemari Archiepiscopi Bremens. de* VII. *mansis, quos dedit Gerhardus de Stumpenhusen, Ano.* MXXI. Matrem suam verissimam eius heredem nobis præsentavit (*Gerhardus*) quæ ex lege Saxonum donationem eius ore laudavit & digito confirmavit. *Et Gregor. Decret. Lib. 4. cap. 1.* De Francia quidam nobilem mulierem de Saxonia lege Saxonum duxit in uxorem: verum quia non eiisdem utuntur legibus Saxones & Francigenæ, causatus est, quod eam non sua, id est Francorum lege desponsaverat, *&c. Hac autem Lege non tantum Saxones uti, sed tres quoque Nordalbingorum populos, Sturmarios, Holsatos, Thietmarsos, Helmoldus asserit,* Histor. Slavor. lib. 1. *Cuius quo maior esset observantia, Rex Chunradus cognomento Salicus de Ribuariis veniens, eam secundum voluntatem Saxonum constanti autoritate roboravit.* Wippo in vita Chunradi, pag. 430. *Quod sane de Speculo Saxonico, quod Eccardus à Repka compilavit, non puto intelligendum. Sed non huic tantum Legi, verum etiam Salicæ, Aleman. Boior. Ripuarior & c. autoritatem perpetuò valituram concesserat Carolus M. cuius ea de re Constitutio ab Jmpp. Friderico I. & II.*

confirmata extat: in ea hæc verba leguntur. Prout cunctis placuit prudentioribus Regni nostri, legem Saxonum, Noricorum, Suevorum, Francorum, Ribuariorum, Salicorum, sicut mos & potestas Imperatorum est, & omnium antecessorum meorum semper fuit, distinxi, distinctam sub auctoritate Regia & Imperatoria stabilivi, non ex mea adinventione vel corde prolatam, sed communi consilio à me renovatam & auctam in melius, sicut patres & prædecessores mei fecisse perhibentur, *&c.*

LONGOBARDORVM Leges Rotharis Rex primus in ordinem digessit. Paul. VVarnefr. Histor. Long. Lib. 4. cap. 44. Rotharis Rex Longobardorum leges, quas sola memoria & usu retinebant, scriptorum serie composuit, codicemque ipsum Edictum appellari fecit. Erat autem iam ex quo Longobardi in Italiam venerant, annus septuagesimus. *Hermanus Contract. Anno DCXXXVII.* Per hæc tempora Rotharius Rex Longobardorum, quamvis Arrianus, iustitiæ tamen amator, Leges Longobardorum scripsit. *Rotharim sequutus est Grimoaldus Rex, & VI. regni sui anno, mense Iulio, indictione XII. quæ in priore Edicto emendanda visa fuerunt, per suggestionem iudicum correxit & revocavit. Hunc Liutprandus; qui & ipse statim ab anno regni sui primo, usq; ad ann. XXIII. die Kal. Mart. indict. 3. in Edicti pagina multo plura, quam priores duo, adiunxit; quæ in MSS. Codd. suis epigraphis distincta leguntur. Postea Ratchis & Aistulphus: dein Carolus M. & Ludovicus, Lotharius, Pipinus, Guido, Otto, Henricus, Conradus Impp. pauca quædam adiecere. Sed cuius iussu vel authoritate Leges, quæ primum ita ut ab unoquoq; Regum vel Imperatorum latæ erant, legebantur, postea tribus libris, diversisque Titulis dispartitæ fuerint, haud equidem scio: quamvis non adeo recens factum esse constet. Nam & Feudor. Lib. 1. Tit. 10. Lib. 2. Tit. 1. 22. 58. iuxta hanc distinctionem leges Longobardorum citantur: & qui Capitulare hoc (sic enim vocant) Commentariis suis explicavit Carolus Cottus Siculus, ante quadringentos annos vixit: eodem nempe quo Placentinus (quem in præfatione Lib. 1. præceptorem suum vocat) ius Romanum interpretabatur. Quanti hunc librum maiores nostri semper fecerint, satis abundeque viri docti, Carolus Cottus, Andreas de Barulo, Nicolaus Boërius, Ioh-Bapt. Nenna, indicio sunt, quos non pœnituit, tot in illum scholia & glossas scripsisse.*

CAPITVLARE KAROLI M. ET LVDOVICI IMPP. &c. in Concil. Ravennat. sub Lamberto Imp. & Johan. IX. PP. confirmatum fuit: sic enim ibi Can. 1. legitur. Si quis SS. Patrum regulas contemserit, & gloriosissimorum Impp. Caroli videlicet Mag. Imp. & Ludovici, atque Lotharii, nec non & filii eius Ludovici quæ de Ecclesiasticis decimis in eorum Capitularibus statuta atque sancita sunt, non observaverit, & qui dat & qui recipit, auctoritate sanctæ sedis Apostolicæ, & sanctione synodi, excommunicationi subiaceat. *Quæ porro de eo dici possunt, ea accurato studio à Fr. Pithœo J. C. doctissimo notata sunt, atque id propter hic simul edita.*

MARCVLPHVS Monachus, qui Formularum librum composuit, quis fuerit, non facile dixerim. In veteribus Bibliothecis Marculphi cuiusdam Abbatis vitam extare scio, sed cuius tanti non interest hic prolixius meminisse. Suf-

se. Sufficit, quod librum hunc nobis reliquit, quem profectò summi nostræ ætatis Iurisconsulti, Cuiacius, Brissonius, Pithœus, & c. tanti fecerunt, ut non fastidierint ex eo Formulas quasdam eruditißimis suis scriptis interserere. Qua etiam de causa, quia ad illustrationem huius nostri operis plurimum facere videtur, primi hic eum iunctim edi curavimus.

LEGES SICVLAE SIVE NEAPOLITANAE etsi Guillelmi, Rogeriiq. constitutiones quasdam admixtas habeant, maiori tamen ex parte Friderico Imp. debentur, iussu eius à Petro de Vineis Capuano (quo Cancellario utebatur, cuius etiam aliæ Epistolæ extant.) conscriptæ. Friderico Imp. elogium tale tribuit Suffridus Presbyt. Chron. Lib. 2. FRIDERICVS II. imperium adeptus regnavit ann. XXX. Hic erat ingeniosus, studiosus, & litterarum scientia magnus. Leges optimas pro libertate Ecclesiæ, & contra hæreticos edidit. *Editæ autem hæ leges fuerunt anno vel biennio (ut vult Molinæus in Consuet. Parisi. Tit. 1. n. 95.) post suam coronationem Romæ, anno MCCXXI. Quarum tanta apud Siculos & Neapolitanos auctoritas, ut non insuperhabuerint viri Clarißimi præstantißimiq., Bartholomæus de Capua, Marcellus Bonus, Iacobus de Ayello, Lallus à Tuscia, Sebast. Neopodanus, Marinus de Caramanico, Lucas de Penna, Nicolaus Superantius, Matthæus de Afflictis, copiosißimis eas Commentariis illustrare.*

ATQVE hæ sunt Leges & Constitutiones, iuris publici privatique causas (quo nomine etiam Feudales intelligo, quarum hic ratio frequens & velut origo apparet) affatim diligenterque pertractantes, quæ ab antiquitate commendatæ, nec privatorum hominum industria, sed Imperatorum, Regum, Principumque auctoritate promulgatæ fuere. Quin autem huius generis plures interciderint, non pol dubito. Svevos enim aliis quam Saxones legibus usos, VVidekindus ait, Histor. Lib. 1. pag. 7. *Leges item & Consuetudines Sclavicæ gentis in annalibus Fuldensibus laudantur, pag. 21. Legum quoque Palatinarum, id est Regiarum, mentio apud Lambert. Scafnab. Histor.* pag. 225. 246. *Legum denique militarium specimen Friderici Imp. apud Guntherum Ligurinum extat. Sed eas quidem invidit Fortuna nobis. Et hercle Legum plus satis esset, saltim morum malorum si minus: illi quasi herba irrigua semper succrescunt uberrime. Ceterum excusso iugo quo aliquando maiores nostri premebantur, cum non tantum in pristinam libertatem sese vindicassent, sed Romanas quoque provincias suæ potestati subiecissent, viderentque devictos molestius leges, quam dominationem victoris ferre, hanc erga illos humanitatem exercebant, ut liberum cuique relinquerent profiteri, qua lege vivere vellet.* Burg. Tit. 60. §. 1. & c. Sal. Tit. 43. §. 1. Tit. 49. Lon. 2. Tit. 57. *In hunc ergo finem Corpus quoddam iuris, ex Theodosiano Cod. & diversis aliis veterum Iurisconsultorum Rom. libris per Anianum Aduris, (quæ hodie* Aire *vocatur, in Novempopulonia.) collectum fuit, iussu Alarici Gothorum Regis, non Tholosani, ut perperam Cuiacius putavit; sed Tholosæ ab eodem roboratum, & à Karolo Mag. iterum confirmatum. Quod tamen valde addubito, an apud Burgundiones quoque receptum fuerit. Illis enim Gundebaldum opera Papiani proprium quid, sed compendiosius, ex eodem iure Romano excerptum præscripsisse quo uterentur, qui Romana lege vivere vellent, arbitror:*

idq; liber Responsorum, eius quem dixi Papiani, aperte arguere videtur. Adeo magnum ius Romanum ab illo tempore naufragium fecit: quippe quod saltem Germanis, & ab iis oriundis, propter rationem æquitatis discere, non autem propter robur sanctionum in foro laudare permissum fuit. Wis. 2. Tit. 1. l. 9. Forum Iud. lib. 1. Tit. 8. Capitulare Kar. Mag. lib. 6. Tit. 269. *Vnde etiamnunc in Galliæ Hispaniæque scholis, ob solam æquitatis rationisq; præstantiam studiosæ iuventuti prælegitur; non autē in iudiciis, quasi necessario evincens, allegatur.* Alphons. Rex L. 1. Tauri. P. Pithœus in præfat. ad Fragmenta vet. Iurisconsult. Guil. Fornerius Comment. de Feud. Tit. 1. Alphons. de Villadiego in Comment. ad Forum iud. Lib. 2. Tit. 1. l. 8. *Et hercle quis veritatis serio amans dixerit, aliud VVernerio sive Irnerio concessum, cum eosdem libros diu neglectos in lucem revocaret? Hæc enim Abbatis Vrspergens. verba sunt in Lothario Imp.* Eisdem quoque temporibus dominus Wernerius libros legum, qui dudum neglecti fuerant, nec quisquam in eis studuerat, ad petitionem Mathildæ Comitissæ renovavit, *&c. Ex hoc fonte Sigonius Lib. XI. de regno Italiæ, & si qui alii, hauserunt, quæ ea de re narrant: nisi quod nonnulli commentum novum addant, Irnerium quidem è situ ac pulvere ius Rom. reproduxisse, usum autem eius in foro, abrogatis aliis omnibus legibus, Lotharium iterum edicto publico confirmasse. Hoc quidem illi dicunt: sed rectius faciunt, qui illis fidem non habent. In re enim seria æque perniciosum est, ficta stolide credere, quam falsa confingere. Et vellem sane Edictum hoc Lotharianum aliquis nobis ostendisset. Quod cum hactenus factum non sit, viderint Romani iuris Antecessores, dum sola Principum conniventia Germanicarum Legum rite confirmatarum usus aliquantum cessat, an earum authoritas adeo sit imminuta, ut plane nulla amplius putetur: cum lex non dicatur sublata per non usum, sed per contrarium ei legi usum, iuxta Baldum &* DD. in L. De quibus. ff. De Legibus. *Quemadmodū ergo Legis receptæ virtus frangitur, in desuetudinem si forsan per contrarium usum abit: sic etiam cuius contrarius usus non ostenditur, ea utique perpetim manere putatur, ut quandocunque casus evenerit, recte ea quis uti possit, etiam post mille annos; ut notat* Domin. in C. Vt animarū. §. Statuto. De constit. lib. 6. *Idcirco verissime concludo, Leges hasce, quatenus id ratio suadeat, & tempora permittant, non tantum apud Germanos in foro utiliter proferri, sed iuri quoque Romano, pro statu Provinciarum, recte præferri posse.*

QVA de causa sedulam operam dedi, ut quam emendatissime Codex hic prodiret: & quotquot MSS. exemplaria vel prece vel pretio, sumptu nullo parcens, indipisci potui, ea cum vulgatis editionibus Heroldi, Sichardi, Boërii, Tilii, accurate contuli, varias Lectiones notavi, quæ corrupta erant restitui, omissa supplevi, nihil temerario ausu mutans, aut ingenio nimium fidens, sed veteri scripturæ semper bona fide insistens. Inprimis autem magnam Salicæ legis differentiam deprehendi. Et quamvis vetustissima quoq; eius exemplaria vidi, quæ cum Heroldina editione planissime conveniebant; alia tamen sequi malui, quia recentiora apparebant, & secundæ ut autumo prælectionis; quibus & Capitula Clotharii, Caroli M. & Hludovici Imp. adnexa erant.

PROLEGOMENA.

FORMVLAS veteres ex Bibliotheca Christianißimi Galliarum Regis habui: quod exemplar etiamsi à meo MS. cod. parum discrepabat, profuit tamen, quod alterum ex altero locis aliquam multis emendari potuit.

HOC meum studium præstantibus virtute & litterarum laude viris adeo placuit, ut non solum ad id continuandum incentores strenui extiterint, verum etiam ut iuvarent, prompta in me voluntate libros ultro obtulerint. Potißimum autem Francisci Pithœi Tricaßini, nobilis & undecunque doctißimi I.C. bibliotheca ad hanc rem plura adiumenta suppeditavit, quam ulla reliquorum omnium. Cuius etiam GLOSSARIVM *in L. Salicam & Capitulare Caroli M. ideo meo intertexui, quod cuncta fere, quæ in illis duobus libris difficilia sunt, ab illo interpretata reperi. In reliquis meo remigio rem geßi. Et hactenus quidem ad quod semper contendi, adimplevisse arbitror, (ut verbis Gregorii Episcopi Nazianz. dicam)* ΤΗ ΠΑΤΡΙΔΙ ΤΟ ΧΡΕΟΣ, ΤΟΙΣ ΓΟΝΕΥΣΙ ΤΗΝ ΕΥΧΗΝ, ΚΑΙ ΕΜΑΥΤΩ ΤΟΝ ΠΟΘΟΝ. *Patriæ enim quod debui decus inerti somno non deserui, parentum vota non neglexi, desiderio denique meo satisfeci, dum operi huic, quem concupivi finem imposui. Quam enim diligentiam olim Q. Antistius Labeo Legibus Decemviralibus, alii deinceps aliis iuris Rom. & Feudalis libris explicandis impenderunt, eandem & nos hisce Legibus adhibere voluimus, non absque vigiliis & sudore multo:*

> Qui laborem provocando, perdomando tædium,
> Forsitan nec lecta multis è latebris sculpsimus,
> Ardui laudem expetentes, non favorem ex obviis.

Id autem præcipue operam dantes, culta & perfecta ut redderemus, quæ vetusta erant, & instaurationem requirebant: quæque ab aliis initiata, ob dictionis insolentiam imperfecta resederant, & parum intellecta, nunc minori cum fastidio ut legi possent. Quamvis hæc ipsa, quæ diximus, quia protrita non sunt, vel argutiis contortiplicata, futilis aliquis Thematicus, vel impudens forensis Cerberus, obscura nimis atque inutilia clamabit. Adeo verum est, quod Terentianus Maurus inquit,

PRO CAPTV LECTORIS HABENT SVA FATA LIBELLI.

IACOBVS CVIACIVS LIB. II. TIT. XI. DE FEVDIS.

GOTTHORVM sive VVisigotthorum Reges, qui Hispaniam & Galliciam Toleto sede Regia tenuerunt, ediderunt XII. Constitutionum libros, æmulatione codicis Iustiniani, quorum auctoritate utimur sæpe libenter, quod sint in eis omnia fere petita ex iure civili, & sermone Latino conscripta, non illo insulso ceterarum gentium, quem nonnunquam legimus ingratis, ut gens illa maxime, quæ consedit in Hispania, plane cultior ceteris hoc argumento fuisse videatur. Vid. Antonii Augustini Episcopi Tarroconens. Lib. 2. Dial. 10, De emendat Gratiani.

Johan. Basilius Heroldus Præfat. Originum ac Germanicarum antiquitatum.

CVM sanctissimi senis VVolfgangi Principis Fuldensis pietate in manus mihi devenerint, LEGES SALICAE, quibus dignitas Germanici nominis, ac veræ Francicæ libertatis maiestas asseritur. Eas cum longe ante Iustinianeas illas sancitas constet à maioribus nostris tam augustas, tam sacrosanctas habitas fuisse, gravissimorum authorum testimonio exploratum habeo, ut cetera potius iura omnia & divina & humana, dissimulari abrogarique, quam ipsas violare perferrent tolerabilius. Optima sane ratione. Ex iis etenim non solum coniunctarum Legum omnium fontes & capita defluxerunt, verum etiam, quanta priscis illis erga Deum immortalem pietas, quanta erga homines æquitas insita fuit, elucescit. Quanta adversus gentes exteras omnes æterna illa nostrorum fuerit authoritas, imperiique amplitudo, quod maximum fuisse argumento est, cum Romanos ipsos, rerum scilicet dominos, gentemque togatam, Legibus severioribus nostris coërcitam, Franco, conditione, statu, seu iure in omnibus inferiorem habitam tunc, declarant.

Beatus Rhenanus Lib. 2. cap. 115. Rer. German.

EXtant leges Longobardorum, quæ manifeste declarant eam gentem usam sermone Germanico. Fuere vero nobilissimi Germanorum Longobardi. In legibus quia vocabula nostræ linguæ sunt passim inserta, videas Iuris interpretes Italos se misere torquentes, & tandem omnibus tentatis, neque cœlum attingere, neque terram, iuxta proverbium. In Græcis & Hebraicis consulendi sunt earum linguarum periti; in Longobardis erant adhibendi Germani.

Carolus Molinæus in Consuetud. Parisiens. Tit. 1. Num. 37.

IN ea (Italia) regnaverunt reges Longobardi longe diutius quam Gothi, sed longe humanius & civilius (*) editis etiam quibusdam legibus, quæ habentur in Longobarda, quam non legem, sed fecem appellandam esse tanquam barbaram & irrationabilem vult Luc. Penna in L. unic. col. 1. de gladiator. lib. XI. C. Quamvis Andreas Isernia passim super Feud. eam ab æquitate commendet, & in regno Siciliæ ex statuto servari dicat.

FRANCISCVS PITHOEVS, IC.
LECTORI.

HÆC ipsa, quæ nunc tandem publico damus, Capitula, ante annos XL. *magna parte edere instituerat Io. Tilius, vir magno iudicio præditus, ac rerum nostrarum scientissimus: sed aut eius morte, cuius præcipuè opera in eam rem utebatur, aut exemplaris defectu, aut operis ipsius non adeo grati & laboriosioris tædio, seu quo alio impedimento, à cœpto ita destitit, ut demum post eius obitum folia aliquot in aliorum manus devenerint: quibus etiam prudentissimos & diligentissimos viros, qui Romæ Gratiani collectioni recognoscendæ recensendæque præfuerunt, lubenter usos video, simul & Bellovacensis Ecclesiæ exemplaris reliquiis, quæ tum illi quidem doctissimi Episcopi beneficio, indicio vero nostro nacti sunt. Nos iam ex pluribus nostris alienisque codicibus plura & integriora edi curavimus, bona saltem fide Tilii exemplum iudiciumque sequuti; qui non ex Benedicti modo, sed & ex Ansegisi ipsius collectione eadem non semel posita sustulerat, similibus tantum quibusdam relictis, numeris etiam Capitulorum consequenter mutatis. Quod eò monere visum est, ne quis eadem post hac ex iisdem aut aliis etiam exemplaribus augere aut supplere conetur frustra. Nam emendare quidem omnibus per nos licet, præsertim in tanta operarum, cuius relegentes puduit, negligentia socordiaque. Illud etiam verendum est, ne nos quoque in hac rutuba non pauca fefellerint. quanquam nec fortassis fuerint illa tanti, præsertim quæ post Ansegisum pro cuiusque collectoris ingenio & proposito, confuse nulloque ordine aut delectu, non certa etiam plerumque auctoritate & fide, ex Gallicanis canonibus, ac pœnitentialibus libellis, SS. quoque patrum sententiis, quædam etiam ex Iuliani antecessoris CP. Novellis, & Alarici breviario, Anianique ad illud interpretationibus, quin & ex VVisigothorum Longobardorumque legibus nonnulla addita facile recognoscent, quibus hæc curæ erunt; quæ nec ipsa tamen omissa voluimus, ne quis desideraret ac requireret. Titulum etiam quem Tilius idem ex non adeo vetusto codice editioni suæ præfixerat, quamvis in antiquioribus nullus sit, haud inviti reliquimus. Sanè quod in Ansegisi præfationibus Lotharii nomen adiectum est, datum id scias exemplarium quorundam antiquitati, quæ sub eius ditione, ut verisimile est, primum descripta, non hoc solum ipsius honori tribuerant, sed & ex versibus qui Benedicti collectionem præcedunt, in Lotharii sui gratiã illos de Ludouici filiis ita permutatos habuerunt.*

Ex quo prosequitur soboles veneranda per orbem
Ipsius insigni nomine digna patris.
Lotharius primum regnum sortitus avitum
Ardunnæ nemoris incola factus ovat.

Hinc Hludovicus heros Rheni cis littora genti
Imperat, & populis effera colla terit.
Tum Karolus cari species genitoris amata
Gallorum cœtus ordinat atque domat.
Illis nos qui fata tenent loca partibus æquis
Hæc ferimus.

Et tamen Lotharii eius inter hæc nihil proprium esse putamus, cuius tantum nomine extant quædam ex his ipsis decerpta Capitula ad Italiæ regnum, quæ iam olim Longobardicarum legum libris inserta, & Karoli cuiusdam Cotti Siculi, sive is Toccus fuit, commentario ante annos CCCLXXX. exposita leguntur. Sed neque Karoli fratris (quem nostrum, id est Francorum Gallorumve Regem verè propriéque dixeris) quicquam hic adiectum reperias, præter ea Capitula, quæ circa initia regni sui in Sparnaco probaverat, observarique præceperat. Reliqua utriusque omnia, simul & Synodos ipsas, Conciliaque, ex quibus & hæc magna ex parte decerpta sunt, quorum non pauca nos à Pipini ad Hugonis ætatem præter iam edita, Domino faciente, repræstare potuimus, sed & rerum iisdem seculis gestarum coævos scriptores plures tum à nobis, Lector, accipies, cum idem ille volet, qui solus

Et vastas aperit Syrtes, & temperat æquor,
Ac mulcere potest fluctus, aut tollere vento.

TESTIMONIA ALIQUOT SCRIPTORUM VETERUM DE CAPITULIS REGUM FRANCORUM.

Ex Capitulis quæ Karolus Ludovici Pii F. consultu fidelium suorum in Silvatico edidit, & missis per regnum suum ordinatis annuncianda observandaque præcepit, anno incarnationis Dommini DCCLIII. mense Novemb.

CAPITULA avi & patris nostri, quæ in præscriptis commemoravimus, qui ex missis nostris non habuerint, et eis indiguerint, ut commissa per illa corrigere possint, sicut in eisdem Capitulis habetur, de scrinio nostro vel à Cancellario nostro accipiant, ut rationabiliter & legaliter cuncta corrigant & disponant.

Imp. Karolus Lib. II. Leg. Longobard. Tit. LVI.

Romani successiones iuxta suam legem habeant, similiter & scriptiones secundum legem suam faciant: & quando iurant, secundum legem suam iurent, & alia similiter. Et quando componuntur, iuxta legem ipsius, cui malum fecerint, componantur. Et Langobardos illos convenit similiter componere. De cæteris vero causis communi legi vivamus, quam domnus Karolus excellentissimus Francorum atque Longobardorum Rex in edictum adiunxit.

Lotharius Imp. Lib. III. Leg. Longobard. Tit. XXXVII.

Placuit nobis ut Capitula quæ excerpsimus de Capitulari gloriosissimi avi nostri Karoli, ac genitoris nostri Ludovici, ab omnibus fidelibus nostris & sanctæ Dei Ecclesiæ in regno Italiæ consistentibus, pro lege teneantur & serventur: & quicunque horum Capitulorum contemptor extiterit, LX. sol componat.

Leo PP. IIII. Lothario Augusto, apud Gratianum dist. XCX.

De Capitulis vel præceptis imperialibus vestris, vestrorum etiam prædecessorum irrefragabiliter custodiendis & conservandis, quantum valuimus & valemus, Christo propitio & nunc & in ævum nos conservaturos modis omnibus profitemur: Et si fortasse quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo mendacem.

Ex

Ex Concilio Parisiensi, apud eundem Gratianum. 23. q. 8. c. 24.

Secundum canonicam auctoritatem, & constitutionem domni Imperatoris Ludovici, de Ecclesiastico agro & manso, de mancipiis, quæ ipse suis Capitulis constituit, &c.

Ex Concilio Meldensi ann. DCCCXLV. cap. LXXVIII.

Vt Capitula Ecclesiastica à domno Karolo Magno Imperatore, necnon à domno Ludovico Pio Augusto, promulgata obnixe servari præcipiantur, sicut & legalia observanda esse noscuntur.

Ex Synodo Moguntina, sub Rhabano Archiepiscopo cap. XVI.

Monemus regiam pietatem de oppressione pauperum liberorum, ut non à potentioribus per aliquod malum ingenium contra iustitiam opprimantur, vel cogantur, ut res suas vendant sive tradant, ne forte parentes eorum contra iustitiam fiant exheredati, & regale obsequium minuatur, & ipsi propter indigentiam mendici vel latrones seu malefactores efficiantur: & ut sæpius non fiant manniti ad placita, nisi sicut in dominico Capitulari olim facto præcipitur.

Ex Concilio Ticinensi. II.

De restauratione Ecclesiarum illud Capitulum sufficit, quod genitor vester constituit: sed ut servetur, vestra indiget admonitione. Similiter etiam de xenodochiis, sicut in eodem Capitulari continetur, observandum est.

Ex Synodo Suessionensi, Ann. DCCCLIII. cap. 44.

Item in libro primo Capitulorum Synodalium domni Karoli Imperatoris scriptum est, ut probati à Metropolitano iudices nostram rationem audiant, & consultu ac sententia Synodali definiant. Vnde relegit & porrexit libellum idem Hincmarus Archiepiscopus, &c.

Ex Concilio Valentinensi cap. X.

Sed & de fiscis & villis, quas constat dominio Ecclesiæ à fidelibus olim contraditas, & nunc potestati secularium subditas, placuit, ut edictis principum iussum est, nonas & decimas ipsi Ecclesiæ, unde subtractæ sunt, fideliter persolvi.

Ioannes PP. VIII. in Concilio Tricassino, apud Iuonem Carnoten.
Decret. part. 3. c. 98.

Ioannes Episcopus servus servorum Dei omnibus Episcopis, Comitibus, Vicecomitibus, Centenariis, Iudicibus catholicis in Hispania & Gothia & provinciis degentibus, omniq; populo Occidentali Catholico, salutem & Apostolicam benedictionem. Noveritis, dilectissimi filii, quia nos pro statu sanctæ Dei Ecclesiæ iussimus congregari Synodale concilium apud urbem Trecas, ubi sedentibus nobis in corona, venit ante præsentiam nostram filius noster Sisebolaus, sanctæ primæ sedis Narbonensis Episcopus, cum suis suffraganeis Episcopis, & detulit nobis librum Gothicæ legis, ubi nihil habeatur de sacrilegiis*: & in eisdem legibus scriptum erat, ut causæ quas illæ leges non habent, non audirentur à iudicibus illius patriæ: atque ita ius sanctæ Ecclesiæ suffocabatur ab incolis Galliæ & Hispaniæ provinciis. Vnde nostra serenitas cum præscriptis Episcopis, inspectis legibus Romanis ubi habeatur de sacrilegiis, invenimus ibi à Iustiniano Imperatore legem† compositionis sacrilegii constitutam in quinque libras auri optimi. Sed nos leniorem legẽ præcepimus †† esse tenendam, quæ à Karolo est constituta pio principe de compositione sacrilegii, ** videlicet in triginta libras argenti examinati, id est, sexcentorum solidorum summam argenti purissimi.

Ideoque quisquis iuventus fuerit reus sacrilegii, istam leniorem compositionem emendet ipsis Episcopis, vel abbatibus sive personis ad quos querimonia sacrilegii iustè pertinuerit: & si ipse reus sacrilegii facere noluerit, tamdiu excommunicationi subiaceat, usquequo prædictam compositionem sexcentorum solidorum persolvat. Et si in hac obstinatione mortuus fuerit, corpus eius cum psalmis & hymnis non deferatur ad sepulturam. Et præcipimus, ut in fine Codicis legis mundanæ scribatur hæc lex.

* *Lib. 11.* Tit. *1. cap. 2.*
† *l. si Ecclesia C. de Episc. & cler.*
†† *Lib. 6. cap. 114.*
** *17. q. 4. cap. 21.*

Bonifacius PP. Episcopis Galliæ, apud Grat. 6. q. 4. c. 3.

Si inter Episcopos eiusdem Concilii dubitatio emerserit de Ecclesiastico iure, vel de aliis negotiis, primum metropolitanus eorum cum aliis in Concilio considerans rem diiudicet: & si non adquiescat utraque pars iudicatis, tunc Primas regionis inter ipsos audiat, & quod Ecclesiasticis canonibus & legibus vestris consentaneum sit, hoc definiat.

Innocentius III. Archiepiscopis, Episcopis, & prælatis Franciæ, Lib. II. Decretal. Tit. I. C. XIII.

Nec hic illud humillimum omittamus, quod Theodosius statuit & Karolus innovavit, de cuius genere rex ipse noscitur descendisse: Quicumque litem habens, &c. *Lib. 6. cap. 286.*

TESTIMONIA.

Hincmarus Sanctæ metropolis Ecclesiæ Remorum Archiepiscopus, in Epistola ad Karolum Calvum, de causa Hincmari Lauduni Clavati Episcopi, ob acceptum à filio Ludonis xenium, ut patris sui beneficium ei conferret.

Cum avo vestro magno Imperatori Karolo adulatorum linguis suggestum fuisset, ut rebus Ecclesiarum præiudicium aliquod inferret, obsistentibus Episcopis, & specialiter Paulino patriarcha, sicut vobis bene notum cognosco, adeo se bene recognovit, ut confessionis & correctionis suæ scriptum manu sua firmaverit, de quo partem in libro vestro, qui appellatur Capitulorum imperialium, scriptum habemus.

Idem Hincmarus in libro contra eundem Hincmarum Laudunensem, de sententiis eis Græcis & Latinis canonibus atque synodis decretisque Pontificum & ducum Romanorum collectis, & Engelramno Metensium Episcopo datis, quando pro sui negotii causa agebatur.

De illis, inquit, sententiis plena est terra ista, sicut & de libro collectarum Epistolarum ab Isidoro* quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus Episcopus in huiusmodi, sicut in Capitulis Regiis curiosus, obtinuit, & istas regiones de illo repleri fecit.

* *Hic est & ille cuius & Benedictus Levita in præfatione collectionis suæ meminit.*

Idem Hincmarus in libro de vita & actibus B. Remigii.

Exemplar Testamenti à B. Remigio conditi, in quo lector attendat, quia solidorum quantitas numero quadraginta denariorum computatur, sicut tunc solidi habebantur, & in Francorum lege Salica continetur, & generaliter in solutione usque ad tempora Karoli perduravit, velut in eius Capitulis invenitur.

Idem Hincmarus Epist. ad Episcopos quosdam Franciæ.

Habent Capitula Christianorum Regum ac progenitorum suorum, quæ generali consensu fidelium suorum tenere, legaliter promulgaverunt.

Idem Hincmarus Hludovico Regi.

Vt communi consilio de communi necessitate & utilitate tractetis, qualiter illa Capitula, quæ pater vester proxime in Carisiaco adnuntiavit, ad effectum pervenire possint.

Rhegino Abbas Prumiensis in Chronico sub Ann. DCCCIII. de Karolo Magno Imp.

Concilia iussu eius super statu Ecclesiarum per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt, quorum unum Maguntiæ, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabillone, quintum Arelate congregatum est, & constitutiones quæ in singulis factæ sunt, ab Imperatore confirmatæ sunt: quas qui nosse voluerit, in supra dictis civitatibus invenire poterit: quamquam & earum exemplaria in archivo palatii habeantur.

Vide Fulbert. Cartonens. Episcop. Epistol. XIII. XIIII. XVI. XLXIII. LXVII.

Ivo Episcopus Carnotensis Epist. CXXIII. ad Sanctionem fratrem & coepiscopum.

De Gervasio non debet vestra fraternitas mirari vel indignari, quod eum ad communionem in Paschali curia suscepi. Pro regia enim honorificentia hoc feci, fretus auctoritate legis, in qua legitur: Si quos culpatorum Regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit, aut mensæ suæ participes effecerit, hos etiam sacerdotum & populorum conventus suscipere in Ecclesiasticam communionem debebit, ut quod principalis pietas recipit, nec à sacerdotibus Dei alienum habeatur.

Idem Epist. CXCV. Daimberto Senonum Archiepiscopo.

Et quia dispensationes rerum temporalium regibus attributæ sunt, & Basilei, id est fundamentum populi & caput existunt, si aliquando potestate sibi concessa abutuntur, non sunt à nobis graviter exasperandi, sed ubi sacerdotum admonitionibus non adquieverint, divino iudicio sunt reservandi, ubi tanto districtius sunt puniendi, quanto minus fuerint divinis admonitionibus obnoxii. Vnde habetur in libro Capitulorum Regalium, auctoritate Episcoporum constitutorum: Si quos culpatorum regia potestas &c.

Idem Ivo Epist. XLVII. ad Manassem Remorum Archiepiscopum.

Francorum etiam Reges Karolus & Ludovicus electiones Episcoporum Ecclesiis concesserunt, quod & in suis Capitularibus † scriptum reliquerunt, & in Conciliis Episcoporum provincialibus sanciri permiserunt. Habeat ergo Deus in Ecclesia sua principaliter quod suum est: habeat Rex posteriori ordine post Deum, quod sibi à Deo concessum est.

† *Lib. 1. Cap. 83.*

Sigebertus Gemblacensis Abbas in Chronic. ad annum Christi. DCCCII.

Karolus Imperator per omne imperium legatos ad faciendum iudicium & iustitiam cunctis dirigit, & legis Capitula XXIIII. constituit.

TESTIMO-

TESTIMONIA ALIQVOT VETERVM DE ANSEGISO.

Oderannus monachus Senonensis Chronic.

ANNO ab incarnatione Christi DCCCLXXXII. obiit Ansegisus venerabilis Senonum Archiepiscopus, totius Galliæ & Germaniæ Papa secundus feliciter, VII. Kal. Decembr. & sepultus est in monasterio S. Petri. Hic Karolum Calvum unxit in Regem, & postquam primatum totius Galliæ obtinuit, & superna moderatione secundus Papa appellari meruit, in synodo habita in loco, qui dicitur Pontigonis. XVI. Kal. Aug. ann. DCCCLXXVI. Indict. IX. Iudæos certi causa & moniales ab urbe Senonica expulit, & ne ulterius in ea habitaculum manendi haberent, sub anathematis iugulo interdixit, Mortuo Epithaphium hoc scriptum est.

ANTISTES SENONVM, REVERENTIA MAGNA POTENTVM,
ANSEGISVS IN HOC CONDITVS EST TVMVLO.
VT PRIMAS FIERET GALLORVM, PAPA IOHANNES
INSTITVIT, MERITIS HOC TRIBVENDO SVIS.
KARLI ROMANA CINXIT CAPVT ISTE CORONA,
ET DEDIT IN CVNCTOS IMPERIVM POPVLOS,
GREGORII PAPÆ SECVM CAPVT ABSTVLIT INDE.
HIC LOCVS OSSA FOVET, SPIRITVS ASTRA TENET.

Auctor Appendicis ad Aimoinum Lib. 5. c. 32

Anno DCCCLXXVI. Karolus Imp. Roma egressus ad monasterium S. Dionysii pervenit: quo accersens legatos Apostolici, Ioannem Tuscanensem, & Ioannem Aretinum, atque Ansegisum Senonensem, illorum consilio medio futuro mense Iulio generalem synodum auctoritate Apostolica & sanctione sua apud Pontigonem indixit, quo per Remos & Catelaunos pervenit.

Sigibertus Gemblacensis monachus in Chronico sub Ann. DCCCXXVII.

Ansegisus Abbas Lobiensis Edicta Imperatorum Karoli Magni & Ludovici filii eius ad Ecclesiasticam legem pertinentia in duobus libellis digessit. Idem eorundem Edicta ad mundanam legem pertinentia in duobus æque libellis digessit.

DE BENEDICTO LEVITA INCERTVS SCRIPTOR.

BENEDICTVS Moguntiacensis Ecclesiæ Levita, Capitula quædam regalia, synodalia, & alia collegit ex iis, quæ in scriniis eiusdem Metropolis reponi fecerunt Richolfus Archiepiscopus, qui monasterium sancti Albani renovavit, & Moguntinæ synodo sub D. Karolo præfuit, & Orgarius eius consanguineus & secundus post Haistulfum successor, quorum uterque huiusmodi Capitulorum percuriosus fuit, & erga S. sedem Rom. valde devotus; adeo ut Otgario etiam Apostolicus Gregorius suas vices in Germania aliquando commiserit. Hic Hludovici Imp. filiis contra patrem favit, sed postea reconciliatus est, & decedens anno DCCCXLVII. Lotharii Imp. VII. successorem habuit in Archiepiscopatu D. Rhabanum Abbatem Fuldensem.

Ex legibus Romanis à Domno Lamberto Imperatore promulgatis Capitul. XI. hæc retulit Deusdedit Cardinalis in collectione sua.

Si quis sanctorum patrum regulas contemserit, & gloriosissimorum Imperatorum Karoli & Ludovici, atq; Lotharii, & Ludovici filii eius de decimis in eorum Capitularibus statuta & sancita non observaverit, easque alibi nisi in baptismalibus Ecclesiis absque consensu Episcopi dare temptaverit, vel retinere præsumpserit, & qui dat eis & qui recipit, eisdem constitutis percellatur.

De hoc Capitulari vid. præterea Ant. Augustin. Episcop. Tarraconens Lib. 2. Dialog. XXI. De emend. Gratian.

INDEX QVORVNDAM LOCORVM QVI EX HIS CAPITVLIS APVD GRATIANVM REFERVNTVR

Quod refertur ex libro Capitulorum. 2. q. 3. c. si quem, est ex Aniani interpretatione ad L. 1. C. TH. de abolitionibus.

Can. 3. dist. 3. est ex Concilio Triburiensi, quod & Concilium Karoli Imp. appellatur, ex quo ex etiam concilio est quòd ex Capitulis refertur c. 4. dist. 19.

INDEX ALIVS QVORVNDAM LOCORVM QVI APVD GRATIANVM ALIVNDE REFERVNTVR, ET INTER HAEC CAPITVLA EXTANT.

CORRIGENDA IN PROLEGOMENIS.

Col. 2. vers. 43. videmus] *leg.* videamus. *Col. 4. vers. 1.* latæ] latæ sint. *Col. 7. vers. 11.* concessum] concessum fuisse. *vers. 28.* ostenditur] docetur. *vers. 30.* recte ea quis uti] confidenter quis ea uti *&c.*

CODICIS LEGIS VVISIGOTHORVM LIBRI XII.

INCIPIUNT

TITULI LIBRORUM XII. LEGIS WISIGOTHORUM.

DE INSTRUMENTIS LEGALIBUS. LIB. I.

I. Titulus: de Legislatore.
II. Titulus: de Lege.

DE NEGOTIIS CAUSARUM. LIB. II.

I. Titulus: de Iudiciis et Iudicatis.
II. Titulus: de Causarum Exordiis.
III. Titulus: de Mandatoribus et Mandatis.
IV. Titulus: de Testibus et Testimoniis.
V. Titulus: de Scripturis Valituris et Infirmandis, ac Defunctorum Voluntatibus Conscribendis.

DE ORIGINE CONIUGALI. LIB. III.

I. Titulus: de Dispositionibus Nuptiarum.
II. Titulus: de Nuptiis Illicitis.
III. Titulus: de Raptu Virginum vel Viduarum.
IV. Titulus: de Adulteriis.
V. Titulus: de Incestis et Apostatis, atque Masculorum Concubitoribus.
VI. Titulus: de Divortiis Nuptiarum, et Discidio Sponsorum.

DE ORIGINE NATURALI. LIB. IV.

I. Titulus: de Gradibus.
II. Titulus: de Successionibus.
III. Titulus: de Pupillis et Eorum Tutoribus.
IV. Titulus: de Expositis Infantibus.
V. Titulus: de Naturalibus Liberis.

DE TRANSACTIONIBUS. LIB. V.

I. Titulus: de Ecclesiasticis Rebus.
II. Titulus: de Donationibus Generalibus.
III. Titulus: de Patronorum Donationibus.

DE SCELERIBUS ET TORMENTIS. LIB. VI.

DE FURTIS ET FALLACIIS. LIB. VII.

DE INLATIS VIOLENTIIS ET DAMNIS. LIB. VIII.

DE FUGITIVIS ET REFUGIENTIBUS. LIB. IX.

DE DIVISIONIBUS ET TEMPORIBUS ATQUE LIMITIBUS. LIBER X.

II. Ti-

DE AEGROTIS, MEDICIS, ET MORTVIS, ET Transmarinis Negotiatoribvs. Liber XI.

DE REMOVENDIS PRESSVRIS, ET OMNIVM Hæreticorvm Sectis Extinctis. Liber XII.

LEGIS VVISIGOTHORVM LIBER PRIMVS,

QVI EST DE INSTRVMENTIS LEGALIBVS.

CAPITVLA TITVLI PRIMI DE LEGISLATORE.

I. *Quod sit artificium condendarum legum.*

SALVTARE daturi in legum constitutionem præconium, ad novam operationis formam antiquorum studiis novos artus aptamus; reserantes virtutem tam formandæ legis, quàm peritiam formantis artificis. Cuius artis insigne ex hoc decentius probabitur enitere, si non ex coniectura trahat formam similitudinis, sed ex veritate formet speciem sanctionis: neque syllogismorum acumine figuras imprimat disputationis, sed puris honestisque præceptis modestè statuat articulos legis. Etenim vt ars operis huius se in hac dispensatione componat, ordo magnæ ratiocinationis exoptat. Namque cùm experimenta rerum manus tenet artificis, ad dispositionem formæ frustra quæritur investigatio rationis. In inprovisis certè acuta se expetit ratio indagatione cognosci: in non ignotis autem, experimento faciendi se properat reserari. Latentis ergo rei quia species ignoratur, non immeritò considerationis ordo requiritur. Cùm verò expertos usus in speculo visionis fides veritatis adducit, non iam materia formæ ratiocinationem dicti, sed operationem facti deposcit. Vnde nos melius mores, quàm eloquia ordinantes, non personam oratoris inducimus, sed rectoris iura disponimus.

II. *Quo modo vti debeat artifex legum.*

FOrmandarum ergo artifex legum non disceptatione debet vti, sed iure: nec videri congruum sibi contentione legem condidisse, sed ordine. Ab illo

illo enim negotia rerum non expetunt in theatrali fauore clamorem, sed in exoptata salvatione populi legem manifestam.

III. *Quid requirendum est in artifice legum.*

TVnc primum requirendum est, vt id quod inducitur, possibile credatur. Nouissimè ostendendum, si non pro familiari compendio, sed pro vtilitate populi suadetur: ut appareat eum, qui legis lator existit, nullo privato commodo, sed omnium civium utilitati communimentum præsidiumque opportunæ legis inducere.

IV. *Qualis erit in vivendo artifex legum.*

ERit consequenter idem lator iuris ac legis mores eloquiis anteponens: vt constitutio illius plus virtute personet, quàm sermone: sicque quid dixerit, amplius factis, quàm dictis exornet: priusque promenda compleat, quàm implenda depromat.

V. *Qualis erit in consiliando artifex legum.*

ERit in adinventione Deo sibique tantummodo conscius, consilio probis & paucis admixtus, assensu civibus populisque communis: ut alienæ provisor salutis, commodius ex universali consensu exerceat gubernaculum, quam ingerat ex singulari potestate iudicium.

VI. *Qualis erit in eloquendo artifex legum.*

ERit contionans eloquio clarus, sententia non dubius, evidentia plenus: vt quicquid ex legali fonte prodierit, in rivulis audientium sine retardatione recurrat: totumq; qui audierit, ita cognoscat, ut nulla hunc difficultas dubium reddat.

VII. *Qualis erit in iudicando artifex legum.*

ERit iudicans in indagando vivax, in præveniendo fixus, in decernendo non anxius, in percutiendo parcus, in parcendo assiduus, in innocente vindex, in noxio temperatus, in advena sollicitus, in indigena mansuetus. Personam tanto nesciat accipere, quanto & contemnat eligere.

VIII. *Qualis in publicis, qualis erit in privatis artifex legum.*

ERit, quæcunque sunt publica, patrio recturus amore: quæcunque privata, herili dispensaturus ex potestate: ut hunc universitas patrem, parvitas habeat dominum. Sicque diligatur in toto, vt timeatur in parvo: quatenus & nullus huic servire paveat, & omnes eius amorem morte compensandum exoptent.

IX. *Quod dare debeat legibus disciplinam artifex legum.*

TVm deinde sciat, in hoc maximè stare gravitatis publicæ gloriam, si det & ipsis legibus disciplinam. Nam cum salus tota plebium in consecrando iure consistat, leges ipsas corrigere debet, antequam mores. Veniunt etiam

iam ut cuique libet in contentione, & leges pro arbitrio suo ferunt. Induunt sibi fictam de gravitate ac pudore personam: adeo ut illis sit lex publica, inhonestas privata. Sicq; obtentu legum, contraria legibus adoperiunt, qui, vigore legis, obvia legibus evellere debuerunt.

TITVLVS II. DE LEGE.

I. *Quid observabit legis lator in legibus suadendis.*

ITem in suadendis legibus erit plena causa dicendi, non ut partem orationis meditandi videatur gratia obtinere, sed desideratum perfectionis obtinuisse laborem. In earum namque formationibus non sophismata disputationis, sed virtutem iuris mavult causa discriminis. Quæritur etiam illic, non quid contentio dicat, sed quid actio promat. Quia & excessus morum non coërcendi sunt cothurno loquutionum, sed temperamento virtutum.

II. *Quid sit lex.*

LEx est æmula divinitatis, antistes religionis, fons disciplinarum, artifex iuris boni, mores inveniens atque componens, gubernaculum civitatis, iustitiæ nunciatrix, magistra vitæ, anima totius corporis popularis.

III. *Quid agit lex.*

LEx agit omnem civitatis ordinem, omnemq; hominis ætatem: quæ sic fœminis datur, ut maribus: iuventutem complectitur & senectutem: tam prudentibus, quàm indoctis; tam urbanis, quàm rusticis fertur. Quæ summum salutis principium ac populorum culmen obtinet, & cum manifesto præclaroque præconio in modum lucidissimi solis effulget.

IIII. *Qualis erit lex.*

LEx erit manifesta, nec quemquam in captionem civium devocabit. Erit etiam secundum naturam, secundum consuetudinem civitatis, loco temporique conveniens, iusta & æquabilia præscribens, congruens, honesta & digna, utilis, necessaria. In qua prævidendum est ex utilitate quæ prætenditur, an plus commodi, an plus iniquitatis oriatur: ut dinosci possit, si plus veritati prospiciat publicæ, quàm religioni videatur obesse: ac sic honestatem tueatur, ut non cum salutis periculo arguat.

V. *Quare sit lex.*

FIeri autem leges hæc ratio cogit, vt earum metu, humana coërceatur improbitas; sitq; tuta inter noxios innocentium vita, atque in ipsis improbis formidato supplicio frenetur nocendi præsumptio.

VI. *Quid*

VI. *Quod triumphet de hostibus lex.*

HIs in domestica pace ita perfectis, totaque primo à Principibus, secundo à civibus, exhinc à populis & à domo iurgiorum peste seclusa, eundum est in adversis, & obviandum hostibus potentialiter & fidenter, tanto in externis spe fida victoriæ, quanto nihil erit quod in externis formidari valeat aut timeri. Pacis enim oleo, & legum vino, tota plebium massa in statu saluтari concreta exseret hostibus inde invictos, unde illæsos artus producere videntur, iustis adiuta legibus tela. Eruntque viri melius æquitate, quàm telo muniti, ut contra hostem antè iustitiam dirigat Princeps, quàm vibret spiculа miles. Felicior iam tunc illa Principis congressio erit, quam domestica æquitas anteibit: quia & sæviores erunt in hostium populatione mucrones, quos de domibus modestè produxerint leges. Experimentum enim naturalis est rei, ut iustitia illa confodiat hostem, quæ tutaverit civem, & externam inde perimat litem, unde suorum internam possederit pacem. Sicut ergo modestia Principum temperantia est legum, ita concordia civium victoria est hostium. Ex mansuetudine etenim Principum, oboritur dispositio legum. Ex dispositione legum, institutio morum. Ex institutione morum, concordia civium. Ex concordia civium, triumphus hostium. Sicque bonus Princeps interna regens, & externa conquirens, dum suam pacem possidet, & alienam litem abrumpit, celebratur & in civibus rector, & in hostibus victor: habiturus post labentia tempora requiem sempiternã: post luteum aurum, cœleste regnum: post diadema & purpuram, gloriæ coronam. Quin potius nec deficiet esse Rex. Quoniam dum regnum terrenum relinquit, & cœleste conquirit, non erit amisisse regni gloriam, sed auxisse.

LEGIS VVISIGOTHORVM LIBER SECVNDVS,

QVI EST DE NEGOTIIS CAVSARVM.

CAPITVLA TITVLI PRIMI DE IVDICIIS ET IVDICATIS.

XX. *Si*

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

De tempore quo debeant leges emendatæ valere.

PRAGMA suum emendatis legibus assignantes, illud primum in ordine præfationis & loco præmittimus, quia sicut legum evidentia populorum est excessibus utilis, ita sanctionum obscuritas turbat ordines æquitatis. Nam plerumque dum quædam bene ordinata nebuloso verborum tractu consistunt, ipsa sibi repugnantiam nutriunt, dum litigantium controversias lucidè non excludunt. Sicque ubi debuerunt finem ferre calumniis, ibi novos contra se pariunt laqueos captionis. Hinc ergo diversitas causarum exoritur, hinc controversiæ litigantium generantur. Hinc etiam hæsitatio iudicum nascitur, ita ut in finiendis vel compescendis calumniis habere terminum nesciant, quæ utique nutantia semper approbantur & dubia. Et ideo, quia perstringi tota, quæ in controversiam veniunt, brevi complicatione non possunt, saltim vel quæ in contentione pertractanda sese gloriosis nostræ celsitudinis sensibus ingesserunt, ea in hoc libro specialiter corrigi, & elimata probitatis sententia decrevimus ordinari. Evidentia videlicet dubiis, præstantia noxiis, clementiora mortiferis, adapertionem clausis, perfectionem cœptis imprimens institutis, quo nostri regni populos, quos una & evidens pax nostri regiminis continet, hæc deinceps institutio correctarum legum ordinandos

nandos astringat atque retentet. Et ideo harum legum correctio, vel novellarum nostrarum sanctionum ordinata constructio, sicuti in hoc libro & ordinatis titulis posita, & subsequenti est serie annotata; ita ab anno secundo regni nostri, à duodecimo Kalendarum Novembrium, in cunctis personis ac gentibus nostræ amplitudinis imperio subiugatis innexum sibi à nostra gloria obtineat valorem, & inconvulso celebritatis oraculo valitura consistat: ut sicut sublime in throno serenitatis nostræ celsitudine residente, videntibus cunctis sacerdotibus Dei, Senioribusque palatii atque Gardingis, earum manifestatio claruit; ita earundem celebritas vel reverentia in cunctis regni nostri provinciis debeat observari. Leges sanè quas in Iudæorum excessibus nostra gloria promulgavit, ab eo tempore valituras esse decernimus, ex quo his confirmationem gloriosa serenitatis nostræ renovatione impressimus.

II. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quòd tam regia potestas, quàm populorum universitas, legum reverentiæ sit subiecta.

OMnipotens rerum dominus & conditor unus, providens commoda humanæ saluti, discere iustitiã habitatores terræ, sacræ legis sacris decenter imperavit oraculis. Sed quia solius tam immensæ divinitatis imperiis hæc cordibus imprimuntur humanis, convenit omnium terrenorum quamvis excellentissimas potestates illi colla submittere mentis, cui etiam militiæ cœlestis famulatur dignitas servitute. Quapropter si obediendum est Deo, diligenda est iustitia: quæ si fuerit dilecta, erit instanter operandum in illa: quam quisque tunc verius & ardentius diligit, cum unius æquitatis sententia cum proximo semetipsum astringit. Gratanter ergo iussa cœlestia amplectentes damus modestas simul nobis & subditis leges: quibus ita & nostri culminis clementia, & succedentium regum novitas adfutura una cum regiminis nostri generali multitudine universa obedire decernitur, ac parere iubetur: ut nullis factionibus à custodia legum, quæ iniicitur subditis, sese alienam reddat cuiuslibet persona vel potentia dignitatis, quatenus subiectos ad reverentiam legis impellat necessitas, Principisq; voluntas.

III. NOVITR. EMDTA. FLS. RCDS. REX.

Quod nulli leges nescire liceat.

OMnis scientia sana ordinabiliter vitat ignorantiam execrandam. Nam cum scriptum sit, *Noluit intelligere, ut bene ageret*, certum est quòd qui intelligere noluit, bene agere contempnit. Nullus ergo idcirco sibi existimet inlicitum faciendi licere, quod libet; quia se novit legum decreta sanctionesque nescire. Nam non insontem faciet ignorantiæ causa, quem noxiorum dampnis implicaverit culpa.

IV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quod antea ordinare oportuit negotia Principum & postea populorum.

BEne Deus conditor rerum disponens humani corporis formam, in sublime caput erexit, atque ex illo cunctas membrorum fibras exoriri decrevit:

vit: unde hoc etiam à capiendis initiis Caput vocari percensuit; formans in illo & fulgorem luminum, ex quo perspici possent, quæcunque noxia concurrissent, constituens in eo & intelligendi vigorem, per quem connexa & subdita membra vel dispositio regeret, vel providentia ordinaret. Hinc est & peritorum medicorum præcipua cura, ut ante capiti, quàm membris incipiant adhibere medelam. Quæ ideo non immeritò ordinabiliter exerceri ceteris censetur, cùm ab artificis peritia hæc dispensari patescunt. Quia si salutare caput extiterit, rationem colligit, qualiter curare membra cetera possit. Nam si arcem molestia occupaverit capitis, non poterit in artus dare derivationes salutis, quas in se consumpserit iugis causa langoris. Ordinanda igitur sunt primò negotia Principum, tutanda salus, defendenda vita. Sicque in statu & negotiis plebium ordinatio dirigenda, ut dum salus competens prospicitur Regum, fida valentibus teneatur salvatio populorum.

V. FLS. RCDS. REX.

Item de tempore, quo debeant leges emendatæ valere.

QVoniam novitatem legum vetustas malorum exigit, & innovare leges veternosas peccaminum antiquitas impetravit; ideo leges in hoc libro conscriptas ab anno secundo bonæ memoriæ domini & genitoris mei Chindasuindi Regis, in cunctis personis ac gentibus nostræ amplitudinis imperio subiugatis, omni robore decernimus ac iugi mansuras observantia consecramus: ita ut relictis illis, quas non æquitas iudicantis, sed libitus impresserat potestatis, evacuatisque iudiciis & omnibus scripturis earum ordinatione confectis, hæ solæ valeant leges, quas aut ex antiquitate iustè novimus, aut tenemus, aut idem genitor noster, vel pro æquitate iudiciorum, vel pro austeritate culparum visus est non immeritò condidisse, prolatis seu connexis aliis legibus, quas nostri culminis fastigium iudiciali præsidens throno coram universis Dei sanctis sacerdotibus, cunctisq; officiis palatinis, iubente Domino atque favente, audientium universali consensu edidit & formavit, ac suæ gloriæ titulis annotavit: ita ut tam hæ quæ iam prolatæ consistunt, quàm illæ, quas adhuc exoriri novorum negotiorum eventus impulerit, valido ac iustissimo vigore perdurent, & æternæ soliditatis iura retineant.

VI. FLS. RCDS. REX.

De Principum cupiditate dampnata, eorumq; initiis ordinandis, & quo modo conficiendæ sunt scripturæ in nomine Principum factæ.

EMinentiæ celsitudo terrenæ tunc salubriùs sublimia probatur appetere, cùm saluti proximorum pia cernitur compassione prodesse. Vnde solet contingere, ut plus commodi de aliena salute conquirat, quàm de propria utilitate quisq; percipiat. In multis enim quia multorum salus attenditur, maioris lucri summa percipitur: in se autem, quia privati commodi fructus appetitur, non satis est si unius beneficii præmia conquirâtur. Hinc & illa regendarum tantundem salus est plebium, quæ non suos fines privata voluntate concludit; sed quæ universitatis limites communi prosperitatis lege defen-

dit. Quapropter ne salutaris ordo imperialibus videatur verbis potius obtineri quàm factis, de sublimitatis obtentu reclinamus ad vota supplicum tranquillæ visionis aspectum: ut inde salutaris compassio habeat commodum, unde turmæ plebium adeptæ fuerint supplicationis effectum. Cùm igitur præcedentium serie temporum, immoderatior aviditas Principum sese prona diffunderet in spoliis populorum, ut augeret rei propriæ censum ærumna flebilis subiectorum, tandem supernæ respirationis afflatu nobis est divinitus inspiratum: ut quia subiectis legis reverentiam dederamus, Principum quoque excessibus retinaculum temperantiæ poneremus. Proinde sincera mansuetudinis nostræ deliberatione, tam nobis quàm cunctis gloriæ nostræ successoribus adfuturis Deo mediante legem ponimus, decretumq; divalis observantiæ promulgamus: ut nullus regum impulsionis suæ quibuscunque motibus aut factionibus scripturas de quibuslibet rebus alteri debitis ita extorqueat, vel extorquendas instituat, quatenus iniustè ac nolenter debitarum sibi quisque privari possit dominio rerum. Quòd si alicuius gratissima voluntate quippiam de rebus à quocunq; perceperit, vel pro evidenti præstatione lucratus aliquid fuerit, in eadem scriptura patens voluntatis ac præstiti conditio annotetur, per quam aut impressio Principis, aut conferentis fraus evidentissimè detegatur. Et si patuerit à nolente fuisse scripturam exactam, aut resipiscat improbitas Principis, & evacuet quod malè contraxit, aut certè post eius mortem ad eum cui exacta est scriptura, vel ad heredes eius res ipsæ sine cunctatione debeant revocari. Illæ autem res, quæ seclusa omni compressionis argumētatione directo modo transierint in Principis potestatem, in eius perenniter iure perdurent; & quidquid ex rebus ipsis idem Princeps ordinare voluerit, suæ potestatis arbitrio subiacebit. Verùm, ut omne huius negotiū actionis roboret sinceritas veritatis, cum quarumcunq; rerum scripturæ in Principis nomine extiterint factæ, mox testes, qui in eadem scriptura subscriptores accesserint, ab his quos elegerit Princeps diligentissimè perquirantur, si non aliquod indicium aut de impressione Principis, aut de fraude scripturam facientis modo quocunq; cognoverint: ac si: aut ritè facta series scripturæ permaneat, aut irritè confecta evanescat. Similis quoque ordo de terris, vineis, atque familiis observetur: si sine scripturæ textu tantummodo coram testibus quælibet facta fuerit definitio. De rebus autem omnibus à tempore Chintilani regis hucusq; à Principibus acquisitis, aut deinceps si provenerit acquirendis, quæcunque forsitan Princeps inordinata reliquit, sive reliquerit, quoniam pro regni apice probantur acquisita fuisse, ad successorem tantundem regni decernimus pertinere, ita habita potestate, ut quidquid ex his elegerit facere, liberum habeat velle. In illis autem rebus, quæ ipsi aut de bonis parentum, aut de quorumcunq; provenerint successionibus proximorum, ita eidem Principi eiusque filiis, aut, si filii defuerint, heredibus quoque legitimis hereditatis iura patebunt, sicut etiam ceteris lege vel successione patere noscuntur. Quòd si aliquid ex rebus de quorumcūq; parentum aut proximorum non solum successione, sed etiam qualibet collatione, aut quolibet contractu ad ius ipsius pervenisse patuerit, si contingat hæc inordinata relinqui, non ad successorem regni, sed ad filios vel heredes eius qui conquisivit, specialiter omnis eadem conquisitio

stio pertinebit. Nam & de illis rebus, quas idem Princeps ante regnum aut ex proprio, aut ex iustissimo conquisitu dinoscitur habuisse, irrevocabili ordine aut faciendi exinde quod voluerit potestatem habebit, aut certè filiis eius successio plena patebit. Quòd si filii defuerint, legitimis heredibus, ex his quæ inordinata reliquerit, hereditatem adire licebit. Huius sanè legis sententia in solis Principum erit negotiis observanda, atq; ita perpetim valitura: ut non antea quispiam solium regale conscendat, quàm iuramenti fœdere hanc legem se in omnibus implere promittat. Quemcunque verò aut per tumultuosas plebes, aut per absconsa dignitati publicæ machinamenta adeptum esse constiterit regni fastigia; mox idem cum omnibus tam nefariè sibi consentientibus, & anathema fiat; & Christianorum communionem amittat; tam diræ percussionis ultione collisus, ut omnis divini ordinis cultor, qui illi communicare præsumpserit, simili cum ipso damnatione disperеat, & pœna tabescat. Nam & si quis legis huius seriem ex officio Palatino malivolè detrahendo lacerare voluerit, aut evacuandam quandoque, vel silenter mussitans, vel apertè resultans, proloqui detectus extiterit, cunctis Palatinæ dignitatis & consortiis, & officiis mox nudatus, omnium rerum suarum dimidiam partem amittat, & in deputato sibi loco redactus, à totius Palatii maneat societate seclusus. Religiosus etiam qui se in eadem culpa devolverit, simili rerum proprietatis suæ dispendio subiacebit.

VII. NOV. EMDAT. FLS. GLS. RCDS. REX.

De his qui contra Principem, vel gentem, aut patriam refugiunt, vel insolentes existunt.

QVantis hactenus Gothorum patria concussa sit cladibus, quantisque iugiter quatiatur stimulis profugorum, ac nefanda superbia deditorum, ex eo pœnè cunctis est cognitum, quod & patriæ diminutionem agnoscunt, & per hanc occasionem potiùs, quàm expugnandorum hostium externorum arma sumere sæpe compellimur. Vt ergo tam dira temeritas tandem victa depereat, & in huiusmodi transgressoribus manifesta scelera non relinquantur ulteriùs impunita, hanc omne per ævum valituram legem sancimus, ut quicunq; ex tempore reverendæ memoriæ Chintilani Principis, usq; ad annum regni nostri Deo favente secundum, vel amodo, & ultra ad adversam gentem, vel ad extraneam partem perrexit sive perrexerit, aut etiam ire voluit, vel quandoq; voluerit, ut sceleratissimo ausu contra gentem Gothorum vel patriam ageret, aut fortasse conetur aliquatenus agere, & captus sive detectus extitit, vel extiterit, seu ab anno regni nostri primo vel deinceps quispiam intra fines patriæ Gothorum quamcunq; conturbationem aut scandalum in contrarietatem regni nostri vel gentis facere voluerit, sive ex tempore nostri regiminis tale aliquid agere vel disponere conatus est aut fuerit, atque, quod indignum dictu videtur, in necem vel abiectionem nostram, sive subsequentium regum, intendere vel intendisse proditus videtur esse vel fuerit: horum omnium scelerum vel unius ex his quisque reus inventus, irretractabili sententia mortem excipiat, nec ulla ei de cetero sit vivendi indulta libertas. Et si nulla mortis ultione plectatur, & pietatis intuitu à Principe illi

fuerit vita concessa, effossionem perferat oculorum, secundum quod in lege hac hucusque fuerat constitutum: decalvatus tamen c. flagella suscipiat, & sub artiori vel perpetuo erit religandus exilio pœnæ, & insuper nullo unquam tempore ad Palatini officii reversurus est dignitatem; sed servus Principis factus, & sub perpetua servitutis cathena in Principis potestate redactus, æterna tenebitur exilii religatione obnoxius: quatenus nec excidium videat, quo fuerat nequiter delectatus, & amarissimam vitam ducere se perenniter doleat. Res tamen omnes huius tam nefarii transgressoris, vel eius qui morte est pro tali scelere perimendus, vel illius cui vita propter suam nequitiam infelicissimè reservabitur, in regis ad integrum potestate consistant: & cui donatæ fuerint, ita perpetim securè possideat, ut nullus unquam succedentium Regum causam suam & gentis vitiaturus has ullatenus aut ulterius auferre præsumat. Verùm quia multi plerumq; reperiuntur, qui dum his & talibus pravis meditationibus occupantur, argumento quodam fallaci in ecclesiis, aut in uxoribus, vel filiis atq; amicis, seu in aliis quibuscunq; personis suas inveniuntur transduxisse vel transducere facultates, etiam & ipsa quæ fraudulenter in dominio alieno contulerant, iure precario reposcentes, sub calliditatis studio in suo denuo dominio possidenda recipiant: unde nihil de suis rebus visi sunt amisisse, nisi solum concinnatione falsissima, fictas, quasi veridicas, videantur scripturas conficere vel proferre. Ideoq; hanc nequissimam argumentationem præsentis legis decreto amputare elegimus: ut calcatis, vel evacuatis, seu rescissis scripturis hac fraude confectis, quidquid eo quisque tempore possidere reperiatur, quo fuerit in prædictis criminibus deprehensus, totum continuo fisci iuribus ad integrum applicetur: ut concedere iam dictas facultates, sicut suprà dictum est, cui Rex voluerit, vel facere exinde quidquid elegerit, in suæ potestatis consistat arbitrio. Alia verò quæcunque ab hac fraude aliena inventa extiterint ordinata, legibusque confecta, vigore legum maneant solidata: illis ab huius legis sententia personis evidenter exceptis, quibus à præcedentibus regibus culpa dinoscitur fuisse concessa. Nam si humanitatis aliquid cuicunque perfido Rex largiri voluerit, non de facultate eius, sed unde placuerit Principi, tantum ei solummodo concessurus est, quantum hereditatis eiusdem culpati vigesimam portionem fuisse constiterit.

VIII. NOVT. EMDTA. FL. GL. RCDS. R.

De non criminando Principe, nec maledicendo illi.

SIcut in persona Principis omnibus prohibemus, aut commovere nequitiam cogitationis, aut manus iniicere ultionis; ita etiam nullum patimur in eum, aut notam ponere criminis, aut verba congerere maledictionis. Sacræ namque auctoritas scripturæ, & non iubet accipere opprobrium adversus proximum suum, & hunc, qui maledixerit Principem populi sui, demonstrat existere reum. Quapropter quicunque in Principem aut crimen iniecerit, aut maledictum intulerit, ita ut hunc de vita sua non humiliter & silenter admonere procuret, sed huic superbè & contumeliosè insultare pertemptet, sive etiam in detrectationis eius ignominia, turpia & iniuriosa

præ-

præſumat: ſi ex nobilibus idoneiſque perſonis fuerit, ſive ſit religioſus, ſive etiam laicus, mox detectus fuerit & inventus, dimidiam omnium rerum ſuarum partem amittat, de qua idem Princeps faciendi, quod ſibi placuerit, poteſtatem obtineat. Nam ſi de vilioribus humilioribuſq; perſonis fuerit, aut certè quem nulla dignitas exornavit, quod de illo, vel de rebus eius Princeps voluerit, iudicandi licentiam habebit. Simili quoque præcepto, defuncto etiam Principi auſum opportunè interdicimus detrahendi. Incaſſum etenim is qui vivit detractionis in defunctum iacula mittit, cùm iam defunctus nec inſtitutionibus imbui, nec increpationibus poſſit argui. Sed quia pro certo illius inſania innoteſcit, qui fruſtra in non ſentientem detractionis verba tranſmittit, ideo idem præſumptor L. verberibus vapulabit, & præſumptioni ſuæ opportuna ſilentia dabit. Reſervata cunctis hac pleniùs libertate, vt Principe tam ſuperſtite, quàm mortuo, liceat unicuiq; pro negotiis ac rebus omnibus, & loqui quod ad cauſam pertinet, & contendere ſicut decet, & iudicium promereri quod debet. Ita enim proponere nitimur humanæ reverentiam dignitati, ut devotius ſervare probemur iuſtitiam Dei.

IX. FLS. CNDS. REX.

De remotis alienarum gentium legibus.

ALienæ gentis legibus ad exercitium utilitatis imbui & permittimus, & optamus: ad negotiorum verò diſcuſſionem & reſultamus & prohibemus. Quamvis enim eloquiis polleant, tamen difficultatibus hærent: adeo cum ſufficiat ad iuſtitiæ plenitudinem, & præſcrutatio rationum, & conpetentium ordo verborum, quæ codicis huius ſeries agnoſcitur continere, nolumus ſive Romanis legibus, ſive alienis inſtitutionibus amodo amplius convexari.

X. NOV. EMDAT. FLS. RCDS. REX.

Ne exceptò talem librum, qualis hic qui nuper eſt editus, alterum quiſque præſumat habere.

NVllus prorſus ex omnibus regni noſtri, præter hunc librum qui nuper eſt editus, atque ſecundum ſeriem huius amodo tranſlatum librum alium legum, pro quocunque negotio in iudicio offerre pertentet: quod ſi præſumpſerit, xxx. libras auri fiſco perſolvat. Iudex quoque ſi vetitum librum ſibi poſtea oblatum diſrumpere fortaſſe diſtulerit, prædictæ dampnationis diſpendio ſubiacebit. Illos tamen à dampno huius legis immunes eſſe iubemus, qui præteritas & anteriores leges non ad confutationem harum legum, ſed ad comprobationem præteritarum cauſarum proferre in iudicio fortaſſe voluerint.

XI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De diebus feſtis & feriatis, in quibus non ſunt negotia exaudienda.

DIe Dominico neminem liceat exſequutione conſtringi, quia omnes cauſas religio debet excludere. In quo nullus ad cauſam dicendam, neque

propter aliquod debitum fortasse solvendum quenquam inquietare præsumat. Diebus Paschalibus nulla patimur quemlibet exsequutione teneri, id est, per xv. dies, septem qui Paschalem solemnitatem præcedunt, & septem alios, qui sequuntur. Nativitatis quoque Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis & Pentecostes, singuli dies simili reverentia venerentur. Nec non & pro messivis feriis, à xv. Kal. Augusti, usq; ad xv. Kal. Septembris. In Carthaginensi verò provincia, propter locustarum vastationem assiduam, à xv. Kal. Iulii, usque ad xv. Kal. Augusti messivas ferias præcipimus observandas. Et propter vindemias colligendas, à xv. Kal. Octobris, usque ad xv. Kal. Novembris. Omnibus hac constitutione concedimus, ut per hæc tempora nullus ad causam dicendam venire cogatur, vel sub exsequutione aliqua deputetur; nisi fortè causa, de qua compellitur, cœpta iam apud iudicem fuisse videatur. Nam procul dubio si inchoata fuisse actio reperitur, ad peragendum negotium absque ulla feriatorum dierum obiectione cogendus est ille, qui pulsatur: ita, ut si persona est cui facile credi possit, placito districtus abscedat. Si certè sit de cuius fide dubitetur, pro se fideiussorem adhibeat, quatenus peractis temporibus supradictis, ad finiendam cum petitore causam, ubi iudex elegerit, remota dilatione occurrat; præter, qui tale crimen admiserint, quod necesse sit sententia mortis puniri. Qui etiam in talibus omnino diebus, & comprehendendi sunt, & ardua in vinculis custodia retinendi, quousq; peracto die Dominico, vel feriis supradictis, debita subsequatur eos ultio iudicantis. Messivis sanè, vel vindemialibus feriis, in criminosas & dignas morte personas, legalis nullatenus censura cessabit. Sed nec illum ista lex excusatum habebit, qui nec dum ad iudicium ante compulsus, sed tamen sciens se esse quandoquidem compellendum, reliquis se temporibus dilatans, ad hoc in prædictis feriis illi, à quo pulsandus est, se indubitanter ostendit, quia putat se ad causam dicendam nulla legis sanctione posse teneri: quem tamen aut per placitum distringi præcipimus, quando cum petitore causam finire sit præstus. Aut si fortè talis est, de quo despecta sit placiti fides, neque fideiussorem pro se adhibere potuerit apud iudicem, sub custodia maneat: ut expleto tempore feriato, causa pro qua compellitur finem accipiat. Si quis autem contra decretum legis huius agere præsumpserit, & ad iudicem ex hoc querela pervenerit, L. ictus flagellorum publicè extensus accipiat.

XII. ANTIQVA.

Vt nulla causa à iudicibus audiatur, quæ legibus non continetur.

NVllus iudex causam audire præsumat, quæ legibus non continetur; sed comes civitatis vel iudex, aut per se, aut per exsequutorem suum, conspectui Principis utrasque præsentare partes procuret: quò facilius & res finem accipiat, & potestatis regiæ discretione tractetur, quatenus exortum negotium legibus inseratur.

XIII. FLS. RCDS. REX.

Vt terminatæ causæ nullatenus revolvantur: reliquæ verò ad huius seriem libri terminentur: adiiciendi leges Principibus libertate manente.

QVæcunque causarum negotia inchoata sunt, nondum verò finita, secundum has leges terminari sancimus. Illas autem causas, quæ antequam istæ leges à nostra gloria emendarentur, legaliter determinatæ sunt, id est, secundum legum modum, qui ab anno primo regni nostri in præteritis observatus est, resuscitari nullatenus patimur. Sanè leges adiiciendi, si iusta novitas causarum exegerit, principalis electio licentiam habebit: quæ ad instar præsentium legum vigorem plenissimum obtinebunt.

XIIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quod nulli liceat dirimere causas, nisi quibus aut Princeps, aut consensio voluntatis, vel informatio iudicum potestatem dederit iudicandi.

DIrimere causas nulli licebit, nisi aut à Principibus potestate concessa, aut ex consensu partium electo iudice trium testium fuerit electionis pactio signis aut subscriptionibus roborata. Nam & hi qui potestatem iudicandi à Rege accipiunt, sive etiam hi, qui per commissoriam comitum vel iudicum iudiciali potestate utuntur, vices suas aliis, quibus fas fuerit, scriptis peraigendas iniunxerint, licitum illis per omnia erit: similemque & ipsi, qui informati à iudicibus fuerint, in iudicando, sicut & illi, à quibus determinandi acceperunt vigorem, habebunt in discernendis vel ordinandis quibuscunque negotiis potestatem.

XV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quales causas audire debeant tyuphadi, & qualibus personis causas audiendas iniungant.

CVm ceteris negotiis criminalium etiam causarum tyuphadis iudicandi concessa licentia sit, criminosos à legum sententiis ipsi iudicare non audeant, sed debitam in eis, ut competit, censuram exerceant. Qui tyuphadi tales eligant, quibus vicissitudines suas audiendas iniungant, ut ipsis absentibus illi causas, & temperatè discutiant, & iustè discernant.

XVI. FLS. RCDS. REX.

Vt iudices tam criminales, quàm communes, terminent causas.

OMnium negotiorum causas ita iudices habeant deputatas, ut & criminalia & cetera negotia terminandi sit illis concessa licentia. Pacis autem assertores, non alias dirimant causas, nisi quas illis regia deputaverit ordinandi potestas. Pacis autem assertores sunt, qui sola faciendæ pacis intentione regali sola destinantur auctoritate.

XVII. FLS. CHDS. REX.

De damnis eorum, qui non accepta potestate præsumpserint iudicare.

NUllus in territorio non sibi commisso, vel ubi ille iudicandi potestatem nullam habet omnino commissam, quemcunque præsumat per iussionem, aut saionem distringere, aut in aliquo molestius convexare, nisi ex regia iussione, vel partium electione, sive ex consensu, vel commissoriis atq; informationibus Comitum, sive etiam iudicum, sicut in lege superiori tenetur, iudex quisque fuerit institutus. Certè qui non prædictus iudex præsumptuosus inlicitè hæc, quæ prohibentur, præsumpserit agere, confestim cum causa pervenerit ad provinciæ Ducem, an per se velit, an per quem ipse præceperit, tam inlicitam præsumptionem coërcere procuret. Et illi siquidem cui præsumptuosus extitit, si solum contumeliam vel iniuriam fecerit, libram auri coactus exsolvat: si verò rem aliquam temeranter abstulerit, vel auferre præceperit, tantundem cum eadem re quam tulerat, aliud tantum de suo coactus exsolvat. Quòd si quicunque iudex servum suum, vel alienum ad discutienda negotia elegerit deputandum: pro his quæ idem servus contra iustitiam & leges adtemptaverit agere, ad omnem satisfactionem legis iudex qui hunc ordinaverit, se noverit detineri. Saio verò seu quisquis fuerit, qui huic obsequens præsumptori alium consenserit comprehendere, distringuere, vel aliquid rerum auferre, c. publicè ictus flagellorum accipiat, & præsumptionem tali emendatione coërceat.

XVIII. FLS. CHDS. REX.

De his qui ammoniti iudicis epistola vel sigillo ad iudicium venire contemnunt.

IVdex cum ab aliquo fuerit interpellatus, adversarium querelantis ammonitione unius epistolæ vel sigilli ad iudicium venire compellat: sub ea videlicet ratione, vt coram ingenuis personis, is qui à iudice missus extiterit, ei qui ad causam dicendam compellitur, offerat epistolam vel sigillum. Et si tali ammonitione conventus, aut se dilataverit, aut ad iudicium venire contempserit, pro dilatatione sola quinque auri solidos petitori, & pro contemptu quinque alios iudici coactus exsolvat. Quòd si non habuerit unde componat, L. flagellis contemptor idem vel dilatator coram iudice verberetur: ita ut non ei flagellorum ista correptio inducat notam infamiæ. Si autem solummodo contemptor extiterit, & non habuerit unde compositionem exsolvat, absque ulla testificandi iactura, xxx. flagella suscipiat. Is autem qui pulsatur, si ad accipiendam admonitionem iudicis sese dixerit nullatenus dilatasse vel contempsisse, & hoc nullo potuerit teste convinci, dum sacramentum reddiderit, quod per nullam occasionem vel contemptum hoc fecerit, à damnis vel flagellis superiùs comprehensis, habeatur indempnis. Quòd si quislibet Episcopus ammonitionem iudicis, fretus honore sacerdotali, contempserit, & pro sua persona assertorem dare distulerit, confestim à iudice negotii, seu à provinciæ suæ Duce vel Comite compulsus L. solidorum dampnum excipiat. Ex qua summa pecuniæ xx. solidi

solidi iudici pro contemptu proficiant: xxx. verò sacerdotis ipsius petitor consequatur. Si certè presbyter, diaconus, vel subdiaconus, atq; clericus, vel monachus, ad accipiendam iudicis epistolam vel sigillum se dilataverint, aut pro sui persona ad respondendum minimè direxerint prosequutorem, aut contumaciter fuerint contemptores, unusquisq; eorum iuxta legis sententiam, quæ in laicis superiùs lata est, indicta dampna suscipiat. Et si non habuerit unde componat, eius Episcopus moneatur, ut pro eo, si voluerit, satisfacere licentiam habeat. Si autem noluerit, sacramentis coram iudice se noverit obligandum: quòd supradictis personis talem districtionem exhibeat, ut per triginta dierum spatium ieiuniis continuis affligantur. Sufficiatq; illis circa Solis occasum per dies singulos panis & aquæ refectionem accipere, quæ contumacis vitam rationabili possit districtione corrigere. Illa omnino districtione servata, ut si ætatis vel ægritudinis instantia patuerit, quæ hanc disciplinam sustinere non posse demonstret, tam in clericis cuiuscunque ordinis, quàm in laïcis, non tam durissimam sententiam castigationis instantia compleat iudicis, sed adhibita consideratione in ægritudine vel ætate ita contemptorem corrigat, ne ipse contemptor, aut langorem maximum, aut debilitationem vel mortem incurrat. Ille verò qui ad implendam commonitionem iudicis contemptor extiterit, seque ita dilataverit, vt eum iudex tam facilè repperire non possit, & si post tempus indictum in diebus quatuor non occurrat, si quinta die venerit, omnem huius legis sententiam se noverit evasurum. Pari modo & qui longius c. millibus convenitur, si ad xi. diem post tempus institutum occurrerit, hunc nullatenus sanctionis huius pœna damnabit. Similiter & qui in ducentorum millium spatio constitutus, in xx. prima die postquam iussus fuerat, se ipsum iudici præsentaverit ad audiendum, eo modo à iactura legis huius habeatur indempnis. Similis quoque servabitur ordo, ubi fuerit amplior itineris longitudo. Hi denique quibus tam rationabile tempus adiectum est, si se ulteriùs dilatantes minimè ad institutum diem superadiectionis occurrerint, confestim iudex ea quæ pars petit querelantis, reservato negotio dilatatoris, tradere non differat petitori: ita ut si contemptor in postmodum ad negotium dicendum successerit, si xx. primum diem transcenderit, xx. auri solidos cogat exsolvere. Nam & is qui de c. millibus superiorem ordinem præteriens, constitutionem xi. diei fuerit supergressus, & idem x. solidorum dampnum excipiat. De quibus dampnis superius institutis medietatem sibi iudex acquirat, alteram verò medietatem pars petentis obtineat. Si tamen ammonitum, aut ægritudo ad veniendum nulla suspenderit, aut inundatio fluminum non retinuerit, vel aditum non obstruxerit, in quo montes transituri sunt, conspersio superflua nivium. Quæ necessitas, vtrum evidenter evenerit, an per excusationem videatur opponi, aut idoneis testibus, aut suo iuramento firmabitur.

XVIII. FLS. CHDS. REX.

Si iudex interpellantem audire contempnat, vel vtrum fraudulenter, an ignoranter iudicium promat.

SI quis iudici pro adversario suo querelam intulerit, & ipse eum audire noluerit, aut sigillum negaverit, aut per diversas occasiones causam eius protra-

traxerit, pro patrocinio aut amicitia nolens legibus obtemperare, & ipse qui petit hoc testibus potuerit approbare, det ille iudex ei pro fatigatione eius tantum, quantum ipse ab adversario suo secundum legale iudicium fuerat accepturus: & ipsam causam ille qui petit, usq; ad tempus legibus constitutum, ita habeat reservatam, ut cùm eam proponere voluerit, debitam sibi percipiat veritatem. Certè si fraudem aut dilationem iudicis non potuerit petitor approbare, sacramento suam conscientiam iudex expiet, quòd eum nullo malignitatis obtentu, vel quolibet favore, vel amicitia audire distulerit, & propter hoc culpabilis idem iudex nullatenus habeatur. Eidem tamen iudici liceat, ut in una hebdomada, duobus diebus, vel omnibus meridianis horis, si voluerit, absque causarum audientia, suæ vacet domui pro quiete. Reliquo verò tempore, prolata sibi negotia frequens, & absque dilatione qualibet examinet.

XX. NOVIT. EMDATA. ANTIQVA.

Si iudex per commodum aut per ignorantiam iudicet causam.

IVdex si per quodlibet commodum malè iudicaverit, & cuicunque iniustè quidquam auferri præceperit; ille qui à iudice ordinatus, ad tollendum fuerat destinatus, ea quæ tulit restituat. Nam ipse iudex contrarius æquitati, aliud tantum de suo, quantum auferri iusserat, mox reformet: idem ablata re simpla redintegratione concessa, pro satisfactione suæ temeritatis aliud tantum, quantum auferri præceperat, de sua facultate, illi quem iniustè dampnaverat, reddat. Quòd si non habuerit unde componat, tantum quantum abstulit saltem vel idipsum ex toto quod habere videtur, illi quem dampnaverat pro omni compositione restituat. Quòd si ex omnibus nihil rerum habuerit, unde compositionem exsolvat, L. flagella publicè extensus suscipiat. Si autem per ignorantiam iniustè iudicaverit, & sacramento se potuerit excusare, quòd non per amicitiam, vel cupiditatem, aut per quodlibet commodum, sed tantummodo ignoranter hoc fecerit, quod iudicavit non valeat, & ipse iudex non implicetur in culpa.

XXI. FLS. GLS. CDRS. REX.

Si iudex dolo vel calliditate aut vnam aut ambas causantium partes dispendia faciat sustinere.

TRanquillè ac sollicitè instantia magnitudinis nostræ præmonet iudices omnes, non debere dilatare causidicos, ne gravi dispendio aliquatenus onerentur. Quòd si dolo vel calliditate aliqua ad hoc videatur iudex differre negotium, ut una pars aut ambæ naufragium perferant, quidquid dispendii super octo dies, à die cœptæ actionis, causantes pertulerint, reddito sacramento totum eis iudex reddere compellatur. Si autem vel ægritudo, vel publicæ utilitatis inductio suspenderit iudicem à peragendo negotio, nullam moram exhibeat litigantibus: sed sub hac eos definitione confestim absolvat, ut ad causam expediendam, competenti tempore, indubitanter occurrant.

XXII. AN-

XXII. ANTIQVA.

Quid primum iudex servare debeat, vt causam bene cognoscat.

IVdex ut bene causam cognoscat, primùm testes interroget: deinde scripturas inquirat, ut veritas possit certius inveniri, ne ad sacramentum facilè veniatur. Hoc enim iustitiæ potius indagatio vera commendat, vt scripturæ ex omnibus intercurrant, & iurandi necessitas sese omnino suspendat. In his verò causis iuramenta præstentur, in quibus nullam scripturam vel probationem, seu certa indicia veritatis, discussio iudicantis invenerit. In quibus tamen causis, & à quo iuramentum detur, pro sola investigatione iustitiæ, in iudicis potestate consistat.

XXIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si cuiuscunque honoris aut ordinis iudex dicatur haberi suspectus, vel si iudex contra leges præsumat iudicium dare.

SI quis iudicem, vel Comitem, aut vicarium Comitis, seu tyuphadum suspectos habere se dixerit, & ad suum Ducem aditum accedendi poposcerit, vel fortasse eundem Ducem suspectum habere se dixerit: non sub hac occasione petitor, ac præsertim pauper quislibet, patiatur ultra dilationem: sed ipsi qui iudicant eius negotium, unde suspecti dicuntur haberi, cùm Episcopo civitatis, ad liquidum discutiant atque pertractent; & de quo iudicaverint, pariter conscribant subscribantque iudicium. Et qui suspectum iudicem habere se dixerat, si contra eundem deinceps fuerit querelatus, completis priùs, quæ per iudicium statuta sunt, sciat sibi apud audientiam Principis appellare iudicem esse permissum. Ita ut si iudex vel sacerdos reperti fuerint nequiter iudicasse, & res ablata querelanti restituatur ad integrum, & à quibus aliter, quàm veritas habuit, iudicatum est, aliud tantum de rebus propriis ei sit satisfactum. Si certè iniustè contra iudicem querelam intulerit, & causam de qua agitur iustè iudicatam fuisse constiterit, dampnum quod iudex sortiri debuit, petitor sortiatur: & si non habuerit unde compositionem exsolvat, c. flagellis extensus publicè in eiusdem iudicis præsentia verberetur. Nam si fortè quisquam pro utilitate regia aliquid scire se dixerit, aditus ei ad conspectum nostræ gloriæ negari non poterit.

XXIV. FLS. GLS. CNDS. REX.

Iudex qualiter faciat iudicatum.

SI de facultatibus, vel rebus maximis, aut etiam dignis, negotium agitetur, iudex præsentibus utrisque partibus, duo iudicia de re discussa conscribat, quæ simili textu & subscriptione roborata litigantium partes accipiant. Certè si de rebus modicis mota fuerit actio, solæ conditiones, ad quas iuratur, apud eum qui victor extiterit, pro ordine iudicii habeantur. De quibus tamen conditionibus, & ille qui victus est, ab eisdem testibus roboratum exemplar habebit. Quòd si pars, quæ pro negotio quocunque compellitur, professa fuerit apud iudicem, non esse necessarium à petitore dari probatio-

nem, quamlibet parvæ rei sit actio, conscribendum est à iudice, suaque manu iudicio roborandum, ne fortasse quælibet ad futurum ex hoc intentio moveatur. Si verò ordinante iudice una pars testes adduxerit, & dum oportuerit eorum testimonium debere recipi, pars altera de iudicio se absque iudicis consultu subtraxerit, liceat iudici prolatos testes accipere; & quod ipsi testimonio suo firmaverint, illi, qui eos protulit, sua instantia consignare. Nam ei, qui fraudulenter se de iudicio sustulit, producere testem aliũ omnino erit illicitum: qui scilicet hoc sibi tantum noverit esse concessum, ut antequam testes illi, qui testimonium dederunt, moriantur, si habuerit quod rationabiliter in eis accuset, patienter audiatur à iudice. Et si accusatus testis fuerit evidenter convictus, eius testimonium pro nihilo habeatur. Vnde & si duo testes non remanserint, qui digni in eodem testimonio maneant, ille qui priùs testem obtulerat, infra trium mensium spatium testes alios, qui cœptum negotium firment, inquirere non desistat. Quòd si invenire nequiverit, rem universam ille recipiat, qui eam ante visus fuerat possedisse. Iudex sanè de omnibus causis, quas iudicaverit, exemplar penes se pro compescendis controversiis reservare curabit.

XXV. NOVT. EM. FLS. GLS. CNDS. REX.

De commodis atque dampnis iudicis vel saionis.

COgnovimus multos iudices, eo quod per cupiditatis occasionem supergredientes legum ordinem, ex causis tertiam sibi præsumunt tollere partem: propterea nunc præsenti lege constituitur, ut hæc talis iudicum cupiditas auferatur, & non amplius iudex pro labore suo, & pro iudicata causa ac legitimè deliberata, quam sicut constitutum fuerat in lege priori, de xx. solidis vigesimum solidum præsumat accipere. Quòd si quacunque fraude quisquam super hunc numerum plus auferre temptaverit, omnia quæ legitimè debuerat accipere, perdat. Illud verò quod iniustè contra huius legis ordinem super vigesimum solidum tulerit, duplum illi exsolvat, cui hoc auferri præcepit. Similiter quoque quia cognovimus, quòd saiones qui pro causis alienis vadunt, maiores pro labore suo mercedes, quàm merentur, accipiunt, propterea simili modo decreto huius legis adiicitur, ut qui pro causis alienis vadunt, decimum tantundem solidum, pro suo labore conquirant. Quòd si aliquis super hunc constitutum numerum usurpare præsumpserit, & mercedes, quas legitimè debuit accipere, perdat, & quidquid super decimum solidum fraude quacunque perceperit, duplum illi, cui abstulit, reddat. Quam datam commodi summam ex lege tam iudex quàm saio de restitutæ rei compositione conquirant. Id tamen noviter adiiciendum huic legi innectimus, vt si talis causa occurrerit, unde compositio exsolvi minimè possit, tunc ab illo ratio præscripta cõmodi exigenda est iudicis vel saionis, qui aut commodatam sibi rem constituto die reddere non occurrerit, aut qui rei alienæ debitor, vel iniustus possessor extiterit. Pro celebrandis autem divisionibus, si causa extiterit, iam quoque si utraque pars rei competentia sibi iura reposcit, & debitam sibi partem portionis requirit, ab utrisque partibus prædicta commoda exigenda sunt. Similiter autem & in huiusmodi

cau-

causis, ubi nulla est culpa præsumptionis usurpata, vel debitum possessorum, hic ordo servabitur, ut commodum iudicis vel saionis, de utrisque causantium partibus exigatur. Quòd si divisionem quisque cupiens celebrare, dilationem ab herede suo pertulerit: cùm hæc causa ab eo, qui dilationem pertulit, iudici intimata extiterit, ab eo iudex commodum suum, vel saionis exigere debet, qui tardus pro ipsa divisione extitit facienda. Quòd si ea quæ iudex ordinare decrevit, saio callidus implere neglexerit, res de qua agitur, si unciam auri vel infrà valere constiterit, illi cui res debita est idem saio de suo auri solidum reddat. Si certè plus valuerit, per singulas uncias, singulos solidos pro sua tarditate persolvat. Idem verò si super duas uncias usque ad libram auri eadem res valere probatur, x. flagella suscipiat. Ac sic crescente auri numero, crescat & pœna flagelli. Iidem verò saiones, cum pro causis alienis vadunt, si minor causa est & persona, duos caballos tantum, ab eo cuius causa est, accipiat fatigandos. Si verò maior persona fuerit & causa, non amplius quàm sex caballos, & pro itinere & pro dignitate debebit accipere.

XXVI. FLS. GLS. CHDS. REX.

Quod omnis, qui potestatem accipit iudicandi, iudicis nomine censeatur ex lege.

QVoniam negotiorum remedia multimodæ diversitatis compēdio gaudent, ideo Dux, Comes, vicarius, pacis assertor, tyuphadus, millenarius, quingentenarius, centenarius, decanus, defensor, numerarius, & qui ex regia iussione, aut etiam ex consensu partium, iudices in negotiis eliguntur, sive cuiuscunque ordinis omnino persona, cui debitè iudicare conceditur, ita omnes in quantum iudicandi potestatem acceperint, iudicis nomine censeantur ex lege: ut sicut iudicii acceperint iura, ita & legum sustineant sive commoda, sive dampna.

XXVII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Vt omne vinculum, quod post datum iniustum iudicium à causidicis violenter fuerit exactum, omnino habeatur invalidum.

VIdimus interdum iustitiam ab iniquis iudicibus & suo loco seclusam, & debito vigore solutam: iniustitiam autem & loco iustitiæ introductam, & multis modis decretorum vinculis alligatam. Quidam enim postquam iudicia iniusta conscripserint, aut unam aut ambas causantium partes, placitorum inter se nexibus ligant, ne iniustè datum iudicium quandoque iusta contentione resolvant. Adeo ubi non directus, & bene placitus est convenientiæ modus, sed ubi pro comprimenda iustè causantis intentione vel voce reperiuntur quocunq; modo definitionum vincula conligata, omnibus modis habeantur invalida, nec sint adinventionis alicuius connexione firmata.

XXVIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Vt iniustum iudicium & definitio iniusta regio metu vel iussu à iudicibus ordinata non valeat.

NOnnunquam gravedo potestatis depravare solet iustitiam sanctionis: quæ dum sæpe valet, certum est, quod sæpe nocet. Quia dum frequenter vigore ponderis iustitiam premit, nunquam in statum suæ rectitudinis hanc redire permittit. Ideoque quia sæpe Principum metu vel iussu solent iudices iustitiæ interdum legibus contraria iudicare: propter hoc tranquillitatis nostræ uno medicamine concedimus, duo mala sanare decernentes, ut cum repertum fuerit, qualemcunque scripturæ contractum, seu quodcunq; iudicium non iustè, vel debitis legibus, sed iussu aut metu Principum esse confectum, & hoc, quod obvium iustitiæ, & legibus iudicatum est atque concretum, in nihilum redeat, & eos qui iudicaverint, vel hoc facere coëgerint, nullius infamiæ nota conspergat, vel rei alicuius dampnum affligat. Qui tamen iudices tunc erunt à legum dampnis immunes, si se iuramento firmaverint, non sua pravitate, sed regio vigore nequiter iudicasse.

XXIX. FLS. RCDS. REX.

De data Episcopis potestate distringendi iudices nequiter iudicantes.

QVia multimodè occurerre debet miserorum penuriis nostræ remedium pietatis: ideo quemcunque pauperem constiterit causam habere, adiunctis sibi aliis viris honestis, Episcopus inter eos negotium discutere vel terminare procuret. Ita ut si contempni se à Comite, vel nolle eum adquiescere veritati sacerdos inspexerit, potestatis eius sit eundem Comitem legis huius permissione constringere, & emisso iusto iudicio cum rei compositione rem de qua agitur petentibus partibus consignare. Quòd si Comes iudicium Episcopi fuerit contemptus implere, tantùm Episcopo pro contemptu solo dare cogatur, quantum quintam partem valere constiterit, de re illa unde actio commota esse videtur. Si verò Episcopus, fraudis communionem cum Comite tenens, repertus fuerit pauperi facere dilationem, eandem quintam partem eidem Episcopus querelanti coactus exsolvat: stante nihilominus sic quoque negotio pauperum, donec iudicium inveniatur veritatis: & Comes vel iudex qui hunc audire noluit, ultionem sustineat legis, quæ inventa fuerit iudicio æquitatis.

XXX. ITEM ALIA LEX. DE QVO SVPRA.

De data Episcopis potestate admonendi iudices nequiter iudicantes.

SAcerdotes Dei, quibus pro remediis oppressorum vel pauperum divinitus cura commissa est, Deo mediante testamur, ut iudices perversis iudiciis populos opprimentes paterna pietate cõmoneant, quo malè iudicata meliori debeant emendare sententia. Quòd si hi qui iudiciaria potestate funguntur, aut iniustè iudicaverint causam, aut perversam voluerint in quoslibet ferre sen-

ſententiam: tunc Epiſcopus in cuius hoc territorio agitur, convocato iudice ipſo qui iniuſtus aſſeritur, atque ſacerdotibus, vel idoneis aliis viris, negotium ipſum una cum iudice, communi ſententia, iuſtiſſimè terminabit. Quòd ſi perverſa contentione iudex ipſe permotus iniquum à ſe datum iudicium exhortante Epiſcopo noluerit reformare in melius, tunc Epiſcopo ipſi licitum erit iudicium de oppreſſi cauſa emittere. Ita ut quòd à iudice ipſo perverſè iudicatum, quòdve à ſe correctum extiterit, in ſpeciali formula iudicii ſui debeat adnotare. Sicque idem Epiſcopus, & eum qui opprimitur, & emiſſum à ſe de oppreſſi cauſa iudicium, noſtris procuret dirigere ſenſibus pertractandum: ut quæ pars veritatis videatur habere ſtatum, glorioſo ſerenitatis noſtræ oraculo confirmetur. Iam verò ſi iudex eum, qui malè opprimitur, Epiſcopo dare diſtulerit, quomodo noſtræ gloriæ debeat præſentari, iudex ipſe duas auri libras noſtræ gloriæ partibus perſolvet.

XXXI. FLS. GLS. RCDS. REX.

Vt iudex, ſi à quocunque fuerit pulſatus, noverit ſe petenti reddere rationem.

IVdex ſi à quacunque perſona fuerit pulſatus, ſciat ſe vel ante Comitem civitatis, vel ante eos, quos ad ſuam perſonam Comes elegerit, rationem pleniſſimam legali ordine redditurum. Sanè ſi regia in hoc negotio fuerit præſtolata præceptio, remoto Epiſcopo aliiſq; iudicibus, cauſam qui fuerint iudices inſtituti terminare curabunt. Et ſi cœpta iam apud iudicem aut finita, ſeu apud ſacerdotē, ſive apud Comitem actione, cauſidicus ille iterum cum regali iuſſione occurrerit, is qui cauſam iudicare cœpit ſeu finivit, illis rei geſtæ redditurus eſt rationem, qui per regium decretum inſtituti ſunt iudices: quatenus, ſi malè iudicaſſe convincitur, iuxta leges ſatisfaciat petitori. Certè ſi iniuſtè fuerit advexatus, legali ſe noverit petitor ſententia dampnaturum.

XXXII. FLS. RCDS. REX.

De dampnis iudicum aliena contingentium.

CVm conſtet iudices cauſa remediorum eſſe creatos, quidam ex his per contrarium quod debuerunt iudicii æquitate defendere, illatis contendunt præſumptionibus impugnare. Accepta namq; auctoritate iudicii, præſumunt non debitam in alienis rebus exercere licentiam, & prout cuiq; libet non metuunt aliorum bonis inferre diſpendia noxiæ poteſtatis. Proinde quicunque iudicum contra iuſſa & ordines legum de alienis rebus quippiam auferre, vel in eis aliquid noxium præſumpſerint agere, iuxta omnem cenſuram dampni, qua poterant alios iudicare, ſeveritas legis illos debeat condempnare.

XXXIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De his qui regiam contempſerint iuſſionem.

QVicunque ingenuorum regiam iuſſionem contempſiſſe invenitur, aut taliter ſe egiſſe probatur, quo ſub calliditatis aliqua fictione proponat

& dicat eandem iussionem se nec vidisse nec accepisse, dum calliditatis huius fraus manifestè patuerit: si nobilior persona est, tres libras auri fisco persolvat. Si autem talis sit quæ non habeat unde rei summam adimpleat, sine suæ infamia dignitatis centum ictus accipiat flagellorum. Quòd si eventus ægritudinis, commotio tempestatis, inundatio fluminis, consperſio nivium, vel si quid inevitabile noxiæ rei obviasse veris patuerit indiciis, non erit reus regiæ iussionis, aut damni indicti, cui obvia fuit causa manifestæ necessitatis.

XXXIIII. FLS. GLS. EGIGA REX.

De his qui ob novi Principis fidem servandam iurare distulerint, vel de illis qui ex Palatino officio ad eius præsentiam venire neglexerint.

CVm divinæ voluntatis imperio Principale caput regnandi sumat sceptrũ, non levi quisque culpa constringitur, si in ipso suæ electionis primordio aut iurasse, vt moris est, pro fide regia differat; aut si ex Palatino officio fuerit, ad eiusdem novi Principis visurus præsentiam venire desistat. Si quis sanè ingenuorum de sublimatione principali cognoverit, & dum discussor iuramenti in territorio illo accesserit, ubi eum habitare contigerit, quæsita occasione se fraudulenter distulerit, in eo ut pro fide regia conservanda iuramenti se vinculo alliget: aut ille, qui sicut præmisimus ex ordine Palatino fuerit, minimè Regis obtutibus se præsentandum ingesserit: quidquid de eo, vel de omnibus rebus suis principalis auctoritas facere vel iudicare voluerit, sui sit incunctanter arbitrii. Quòd si aut ægritudo illi obstiterit, aut quælibet publicæ utilitatis actio eum retinuerit, ut Regis obtutibus se nullatenus præsentet, dum regiæ electionis sublimitas quibuslibet modis ad eius cognitionem pervenerit, statim per suam iussionem idipsum clementiæ suæ auditibus intimare procuret: qualiter fidei suæ sinceritatem ostendens, huius legis sententiam evadere possit.

TITVLVS II. DE CAVSARVM EXORDIIS.

IX. *Vt*

IX. *Vt petenti servo alieno respondere ingenuus non recuset.*
X. *De his qui negotia sua iuris principalis appetunt examine finienda, & postea renuentes ad convenientiam redeunt.*

I. ANTIQVA.

Quod nullus se ideo denegare poterit respondere petenti, quare causam cum petentis auctore non dixerit.

NVLLVS quemcunque repetentem hac obiectione suspendat: ut dicat idcirco se non posse de negotio convenire, quia ille qui pulsat, causam cum eius auctore non dixerit, nec eum aliqua repetitione pulsaverit, exceptò si legum tempora obviare monstraverit.

II. FLS. RCDS. REX.

Vt nulla audientia clamore aut tumultu turbetur.

AVdientia non tumultu aut clamore turbetur, sed in parte positis qui causam non habent, illi soli iudicium ingrediantur, quos constat interesse debere. Iudex autem si elegerit auditores alios secum esse præsentes, aut fortè causam, quæ proponitur, cum eis conferre voluerit, suæ sit potestatis. Si certè noluerit, nullus se in audientiam ingerat, partem alterius quacunque superfluitate aut obiectu impugnaturus, qualiter uni parti nutriri possit impedimentum. Quòd si ammonitus quisquam à iudice fuerit, ut in causa taceat, ac præstare causando patrocinium non præsumat, & ausus ultra fuerit parti cuiuslibet patrocinari, decem auri solidos eidem iudici profuturos coactus exsolvat. Ipse verò in nullo resultans contumeliosè de iudicio proiectus abscedat.

III.

Vt de plurimis litigatoribus duo eligantur, qui suscepta valeant expedire negotia.

SI pars adversariorum litigatores una plures habeat, & alia pauciores: iudicantis inter eos erit electio, ut utræque partes impugnantes se invicem eligant, qui eorum negotia suscipiant: quia omnes ad causam dicendam consurgere non debebunt. Sed ut diximus ab utraque parte electi in iudicio ingrediantur, ut nulla pars multorum intentione aut clamore turbetur.

IIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

Vt ambæ partes causantium à iudice vel saione placito distringantur, quo possint ad prosequendum negotium pariter convenire.

SÆpe negligentia iudicum vel saionum, dum duarum partium sponsio non exigitur, una pars superfluè convexatur. Nam occurrente uno ad placitum; & alio differente, non parvum dispendium uni parti concutitur. Statui-

mus ergo, cunctosque iudices, vel quibuscunque iudicandi potestas est, commonemus: ut quotiens pro quocunque negotio per sponsionem placiti constituendum est tempus, quando, aut ubi causa dicatur, vel debitum fortasse reddatur, pars utraque, hoc est, tam petentis quàm petiti, ita placito distringatur, ut in constituto die, aut per se, aut per mandatarios suos, præsti sint in iudicio, qualiter aut propositum negotium finiatur, aut debitum reformetur. Et pars quæ distulerit, ac sese à præfinito die suspenderit, aut si infirmitas eum vel itineris necessitas impedierit, & hoc ipsum suo iudici aut causidico suo non intimaverit, neque ad peragendum negotium infra tempus alia lege constitutum occurrerit, stante negotio pœnam placiti sui illi cogatur exsolvere, quem iuxta suam promissionem in iudicio adesse constiterit. Quòd si iudex hæc aut saio implere distulerit, & unam partem placito distringens alteram prætermiserit, pœnam illam qua illum dampnare voluit, quem solùm sub placito misit, de suo illi adimpleat, cui placitum visus est exegisse. Certè si in dampno partis alterius, placitum quod ab altero exegit, alteri parti iudex vel saio reddiderit, aut fortasse ruperit, vel absconderit, pœnam quidem, quæ in placito inserta fuerat, de suo illi persolvat, pro cuius causa conscriptum placitum esse constabat: actionem tamen ille, cui competit, ad peragendam insistat. Dampnum sanè quod per placitum in nomine iudicis aut saionis institutum esse dinoscitur, non ad saionem vel ad iudicem ex omnibus pertinebit, sed salvo negotio veritatem habentis, medietatem sibi iudex & saio, & medietatem pars petentis per omnia vindicabit.

V. FLS. CHDS. REX.

Quod ab vtraque causantium parte sit probatio requirenda.

QVotiens causa auditur, probatio quidem ab utraque parte, hoc est, tam à petente, quàm ab eo qui petitur, debet inquiri, & quæ magis recipi debeat, iudicem discernere competenter oportet. Tamen si per probationem rei veritas investigari nequiverit, tunc ille qui pulsatur, sacramentis se expiet, rem vel si quid ab eo requiritur, neque habuisse, neque habere, neque aliqua de causa unde interrogatur se conscium esse, vel quidquam inde veritatis scire, nec id quod dicitur, & illi parti cui dicitur, commisisse. Et postquam ita iuraverit qui pulsatus est, quinque solidos ille qui pulsavit cogatur exsolvere.

VI. FLS. CHDS. REX.

De quantitate itineris quo alium quisque innocentem fatigare præsumpserit.

REmoveri debet iniuria ab his, quorum probatur innocentia, & à molestiis improborum existere aliena. Proinde cum quisque alium ad Principis conspectum, vel ad discussionem quorumlibet iudicum, iniustè compulerit ad prosequendum negotium, & mox probata fuerit non iusta petentis esse contentio: si supra quinquaginta millium, vel infra quinquaginta millium

lium, quamlibet parvum ſpacium compulſus iniuſtè extiterit convexatus, quinque ſolidos pro iniuſta tantundem petitione à petitore percipiat. Si per ſexaginta millia, idem iniuſtus petitor VI. ſolidos reddat. Ac ſic deinceps creſcente x. millium numero, ſingulorum ſolidorum creſcat & numerus: ut per c.millia indebitè fatigato x.ſolidi à petitore dentur iniuſto. Sicque ex hoc per quinquaginta millia ſolidos v. & per c.millia creſcentibus ſolidis x. uſque adeo perveniat ſumma compoſitionis per quinquaginta millia, uſquequo pervenerit eductus itineris.

VII. FLS. CHDS. REX.

Si quislibet ex alterius iudicis poteſtate, in alterius iudicis territorio habeat cauſam.

SI quiſquam ingenuorum atque ſervorum extra territorium, in quo commanet, in alterius territorio iudicis cauſationem habuerit: iudex ad cuius ordinationem idem petitor pertinet, epiſtolam ſua manu ſubſcriptam atque ſignatam eidem iudici dirigat, in qua præmoneat, ut negotium querelantis audire & ordinare non differat. Et ſi ad unam conventionem ipſe rationem eius implere diſtulerit, tunc ille iudex, de cuius territorio eſt ille qui petit, de rebus iudicis illius, ad quem direxit epiſtolam, in quibuſcunque locis repperire potuerit, tantum uſurpet, quantum res illa eſſe dinoſcetur, de qua petitor querelam intulerit: quod eidem petitori poſſidendum nihilominus dabit. Quam rem ita poſſideat qui acceperit, ut conſervatis aliis rebus, de ſolis frugibus uſum & expenſas obtineat. Cùm verò ille iudex, qui ad epiſtolam alterius iudicis negotium querelantis audire noluerit, iuſtitiam ex eodem negotio querelanti priori fecerit, ea quæ ille iudex qui commonuit de rebus eius abſtulerat, ipſe alteri iudici ſine retardatione reſtituat. De frugibus verò rationabiliter expenſis, ille qui expendit nihilominus reddat. Quòd ſi poſtea, iuſtiſſimè diſcuſſo negotio, inveniatur iudex ille per iniuſtam petitoris querelam rem indebitè amiſiſſe, tunc iniuſtus petitor, rem quam accepit, illi iudici cuius fuit, ex integro reddat, & aliud tantum de ſuo ei coactus exſolvat. Quòd ſi iudex ille qui dilationem fecit, rerum ſuarum poſſibilitatem in vicino non habet, unde alter iudex qui commonuit, petitori repenſet; tunc de territorio eiuſdem iudicis differentis, cuiuſcunque rei tantum auferat, quantum petenti conſignet, aut certè obſignatam petitori faciat ceſſionem, in qua pignetis quantitatem adnotet, per quam petitor præſumendi ſibi habeat poteſtatem. Dum verò ille qui pigneratus extiterit, Regi, Duci vel Comiti, pro tali fuerit pignere querelatus, eadem pigneris dampna, quæ idem ſuggerens pertulit, in quadruplum ei de ſuo iudex ipſe dilationis coactus reſtituat. Quòd ſi de rebus debitoris petitor pignus abſtulerit, ad ſuperiorem ſatisfactionem iudex teneri non poterit. Certè ſi idem iudex ammonitus abſque dilatione cauſam audierit petitoris, in qua eum proveniat habere nullatenus veritatem, iudicium per quod eius iniuſtitia patuit, evidentibus ſcripturis emittat. De cuius textu exemplar fideliter tranſlatum, ſuaq; manu ſubſcriptum atq; ſignatum iudici, à quo ammonitus fuerat, dirigere non moretur. Et ſi poſt hoc æquitatis iudicium patuerit præſum-

ptio pignerantis, ingenuus siquidem ea quæ causa pigneris abstulerit, duplam idem amissam rem, cum simili re in satisfactione restituat. Servus autem qui talia commisisse detegitur, c. ictus accipiat flagellorum, atque turpiter decalvatus in integrum mox reformet rem, quam causa pigneris occupavit. Illi verò qui ad pignerandum convenerint, si servi sint, & sua sponte concurrerint, centenis & ipsi verberentur flagellis. Si verò ingenui, aliud tantum domino restituant, quantum ei abstulisse probantur, sequestrata illius compositione, qui pignus indebitè fecisse convincitur.

VIII. ANTIQVA.

De his qui in causis alienis patrocinare præsumunt.

QVicunque habens causam ad maiorem personam se propterea contulerit, ut in iudicio per illius patrocinium adversarium suum possit opprimere, ipsam causam de qua agitur, & si iusta fuerit, quasi victus perdat: liceat iudici, mox ut viderit quemcunq; potentem in causa cuiuslibet patrocinari, de iudicio eum abiicere. Quòd si potens contempserit iudicem, & protervè resistens de iudicio egredi vel locum dare iudicanti noluerit, potestatem habeat iudex, ab ipso potente duas auri libras, unam sibi, alteram parti eius, cui potens ipse adversarius extitit, profuturas exigere, & hunc cum iniuria violenta à iudicio propulsare. Reliqui verò ingenui sive servi, qui ammoniti à iudice abscedere de iudicio non consenserint, singuli publicè extendantur, & quinquagenis flagellorum ictibus verberentur.

IX. FLS. CHDS. REX.

Vt petenti servo alieno respondere ingenuus non recuset.

SVperfluè excusantem lex ideo corripit, ut omnis præsumptio coërceri facillimè possit. Nonnulli enim ingenui servos alienos ludere prompti sunt, & ad serui petitionem iudicio adesse contempnunt, asserentes se utiq; cum eo causam dicere non debere, à quo eis componi non poterit, si victores exterint. Sed ne sub hac dilatione, dum etiam servi dominus supra quinquaginta milliaria absens est, aut utilitati domini sui fiat impedimentum, aut ipse servus indebitè perferat fortasse periculum: ita consultissimè decernendum eligimus, ut nulli penitus audientia denegetur. Sed si cuiuscunque servus cum quolibet se asseruerit seu suum, sive domini sui, vel dominæ habere negotium, statim ille contra quem habet, præstus esse ad iudicium compellatur, aut petenti proculdubio responsurus, aut compositionis summam legaliter impleturus, si à servo fuerit iustissimè superatus. Ita ut si servus quod proponit, convincere non potuerit, ingenuus idem conscientiam suam expiet sacramentis, se nihil horum unde appellatur, scire vel habere, neq; fecisse vel fieri præcepisse. Et post tale sacramentum, servus pro iniusta petitione, sicut & ingenuus, componere non moretur. Nec tamen pro eadē compositione ultrà resultet dominus eius: tantùm ut si minor est actio, quàm decem solidi possunt valere, servus compositionis medietatem, hoc est, duos semis solidos cogatur exsolvere. Quòd si infra L. milliaria servi dominum esse constiterit,

ſtiterit, non aliter ſervus ingenuum petere poterit, niſi fortè per ſe dominus eius in iudicio adeſſe non poſſit, & ad proponendum à ſervo negotium, epiſtolam manu ſua ſubſcriptam per eundem ſervum iudici deſtinaverit. Quòd ſi ſervus domini ſui proponens negotium, aut fraude aut negligentia, domini ſui vitiaverit vel perdiderit cauſam, liceat domino eius, eandem vitiatam cauſam aut per ſe, aut per legitimum mandatarium ſuum revolvere, & iuſtiſſimis iterum vocibus partis ſuæ negotium reparare.

X. FLS. GLS. EGIGA REX.

De his qui negotia ſua iuris principalis appetunt examine finienda, & poſtea renuentes inter ſe citra principale iudicium ad convenientiam redeunt, & pacificare præſumunt.

SI cœpta cauſantium negotia dirimentis non terminet diſcreta cenſura, non ſolùm difficilè ſedantur altercantium iurgia, ſed à diverſis cauſatur obiectibus iuſtitia perquiſita. Solent enim plerique, poſtquam ſuarum intentionum iurgia principali appetunt examine finienda, quandoque reſoluti licentia, legalem fugiendo cenſuram, ad convenientiæ finem deducere, quam Regis auditibus protulerant cauſam. Ne ergo ſub fraudis huius ſacramento pars cauſantium iudicialem fori æquitatem effugiat, ideo præſentis legis ſanctione decernimus, ut quicunque deinceps cauſam ſuam regio intimaverit culmini decernendam, nulla ratione ſe de iudicio ſubmoveat, nec quamlibet cum ſuo adverſario convenientiam agat; ſed tamdiu cœpti negotii propoſitionem intendat, donec regalis clementia ſpeciale partibus iudicium promat. Quòd ſi inchoatum negotium coram Principe, vel quos idem Princeps arbitrio ſuo elegerit, expedire neglexerit, & quamcunque cum ſuo cauſidico definitionem peregerit, tam petitor quàm pulſatus tantum regiæ poteſtati perſolvere ſe noverint, quantum ille cuius petitio extiterit, pro cauſa ipſa conquirere poterat: ita videlicet, ut quod regia poteſtas exinde facere vel iudicare decreverit, in arbitrio voluntatis ſuæ ſubiaceat. Simili quoque dampno & illi mulctandi ſunt, qui iurgia intentionum ſuarum iudiciali appetunt examine finienda, & poſt cauſæ initium renuentes iudicium de inchoato præſumpſerint inter ſe depactire negotio. Sic quoq; ut tam iudex quàm ſaio dampni ipſius exſolutionem inter ſe dividere debeant, ſuoque iuri habituram obtineant. Quòd ſi ipſi cauſidici non habuerint unde dampnum ipſum perſolvant, centenos ictus flagellorum utrique accipiant: & ſic denuo iudex ille cauſam ipſam terminandi licentiam habeat. Illos tantundem à legis huius iactura indempnes efficiant, quibus aut regia iuſſio licentiam deliberationis indulſerit, aut quos iudex ille qui cauſam terminat, inter ſe pacificandos abſolverit.

TITVLVS III. DE MANDATORIBVS ET MANDATIS.

I. FLS. RCDS. REX.

Quòd Principum & Episcoporum negotia non per eos, sed per suos sint agenda.

MAgnorum culminum excellentiam, quanto negotiis rerum dare iudicium decet, tanto negotiorum molestiis sese implicare non debet. Si ergo Principem vel Episcopum cum aliquibus constiterit habere negotium, ipsi pro suis personis eligant, quibus negotia sua dicenda committant: quia tantis culminibus videri poterit contumelia irrogari, si contra eos vilior persona in contradictione causæ videatur assistere. Ceterùm & si Rex voluerit de re qualibet propositionem assumere, quis erit qui ei audeat ullatenus resultare? Itaque ne magnitudo culminis eius evacuet veritatem, non per se, sed per subditos agat negotium actionis.

II. RCDS. REX.

Vt iudex primum à litigatore perquirat, utrum propria an aliena sit causa prolata.

IVdex primùm à litigatore perquirat, utrum propriam causam dicat, an alienam fortasse susceperit. Interrogetur etiam cuius mandatum habeat. Et postquam causam iudicaverit iudex, comprehendat in iudicio, quem aut ex cuius mandato audierit negotium prosequentem, ac præterea mandati exemplar accipiat illius assertoris apud se, cum iudicati exemplaribus reservandum. Liceat tamen illi qui pulsatus est, mandatum à petitore coram iudice petere: ut quam ob causam fuerit iudicio præsentatus, vel quid tenor mandati contineat, indubitanter possit agnoscere.

III. AN-

III. ANTIQVA.

Vt qui per se causam non dicit, scriptis assertorem informet.

SI quis per se causam dicere non potuerit, aut fortè noluerit, assertorem per scripturam suæ manus, vel testium signis aut subscriptionibus roboratam, dare debebit. Ita ut si isdem assertor aliquod conludium fecerit, qualiter ab adversario suo possit in iudicio superari, aliud tantum de facultate sua mandatori restituat, quantum de rebus eius perdidit aut evertit, vel etiam quæ ipse mandator obtinere seu adquirere debuit. Servo tamen non licebit per mandatum causas quorumlibet suscipere, nisi tantùm domini vel dominæ suæ, ecclesiarum quoque vel pauperum, sive etiam negotiorum fiscalium.

IIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

Vt in personis nobilibus quæstio per mandatum nullatenus agitetur; & qualiter humilior ingenuus sive servus per mandatum quæstioni subdatur.

QVæstionem in personis nobilibus nullatenus per mandatum patimur agitari. Ingenuam verò & pauperem personam, atque in crimine iam antè repertam, non aliter ex mandato, subdendam quæstioni permittimus, quàm ut mandator de eadem persona, non servo sed ingenuo, per mandatum manu sua subscriptum, vel trium testium adnotatione firmatum, specialiter committat agendum. Et si fortasse innocentem fecerit tormentis affligi, sciat se idem mandator, censura illius legis noxium retineri, quæ continetur in Lib. VI. Tit. I. era secunda, ubi præcipitur, pro quibus & qualibus rebus ingenuorum personæ subdendæ sint quæstioni. Reliquas autem criminales causas ita per mandatum liceat committendas, ut, sicut prædictum est, contra personam ingenuam, ingenuo assertori quæstionis actio committatur. Servum verò per mandatum subdere quæstioni, tam ingenuo quàm servo iure conceditur, hac videlicet constitutione servata: ut si tormenta vel dampna innocentibus fuerint irrogata, ad omnem satisfactionem mandator iudicis compellatur instantia. Nec dimittendus est tamen is qui mandatum accepit, donec aut mandator sit coram iudice præstus, aut satisfactionem adimpleat legum. Et tamen qui quæstionem ex mandato agitaturus est, ante se vel ut proprii iuris dominus, per placiti vinculum à iudice noverit obligandum.

V. ANTIQVA.

Vt si dilationem in causa patitur, qui mandatum fecit, liceat ei immutare mandatum.

QVi causam alicuius ex mandato susceperit, ut negotium peragatur insistat. Quòd si protrahit tempus, & causa quæ forsitan celeriùs poterit expediri, aut occasionibus superfluis, aut fraudulenta dilatione suspenditur, mandator recurrat ad iudicem: & qui mandatum acceperat, si maliciæ ali-

cuius, aut cupiditatis vel negligentiæ vitio, adversario præsente vel iudice, susceptum negotium ultra x. dies absque præcepto iudicis dilataverit, is qui mandaverat, aut per se proponere, aut alicui quem elegerit suam liceat committere actionem.

VI. ANTIQVA.

Ne causam suscipiat fœmina per mandatum; liceat verò ei vt propria exsequatur negotia.

FEmina per mandatum causam non suscipiat, sed suum proprium negotium in iudicio proponere non vetetur. Maritus sanè non sine mandato causam dicat uxoris, aut certè ante iudicem, seu alios quos iudex elegerit, se tali obliget vinculo cautionis, quo uxor negotium eius non revolvat: & si revolverit, dampnum quod cautio demonstrat, maritus excipiat, qui sine mandato causam dicere præsumpsit uxoris. Quòd si maritus causam quam sine mandato coniugis suæ prosequebatur, amiserit, uxor nullum præiudicium pertimescat: sed aut per se negotium prosequatur, aut cui voluerit, ea quæ ipsi competunt prosequenda commendet. Ita ut si marito per iudicium iustè superato, denuo ad causam dicendam adversarium illum, qui victor extiterat, pars mulieris crediderit convexandum, atque in iudicio secundo patuerit, eundem eius maritum non indebitè victum fuisse: noverit eadem mulier non solum se iudici, qui causam priùs examinavit, sed & illi causidico, quem iteratim ad iudicium compulit, iuxta legis sententiam esse satisfacturam.

VII. ANTIQVA.

Vt sicut lucrum, ita & dampnum revertatur ad mandatorem: de commodis etiam mandatum accipientibus.

SIcut lucrum ita & dampnum, iuxta conditionem mandati, ad eum qui causam mandaverit revertatur. Ita ut qui causam ex mandato dixerit, & fideliter ut negotium peragatur, institerit, ab eo mandator nec mandatum repetat, nec ipsam postea ad alium transferat actionem. Quia iniustum valde est, ut mercedem sui laboris amittat, qui pro suscepta causa fideliter elaborasse cognoscitur. Ita ut is qui negotium prosequuturus est, ante causæ principium cum mandatore definiat, quantum pro commodo sui laboris finito negotio ab eo sit accepturus. Quòd si receptam rem prosequutor infra tres menses reddere neglexerit mandatori, quidquid de eadem causa pro quacunque definitione consequi potuit, perdat, & mandator iudicis instantia rem sibi competentem accipiat.

VIII. ANTIQVA.

Vt si mortuus fuerit is qui mandatum accepit, commodum illi debitum heredes eius accipiant.

QVi mandatum fecit, si mortuus fuerit, antequam causa dicatur, mandatum quod fecerat, non valeat: & qui mandatum suscepit, si antequam causa

causâ dicatur fuerit morte præventus, mandatum nullam habeat firmitatem. Quòd si antequam moreretur, causam dixisse dinoscitur, atque per suam instantiam ad fines usque legitimos perduxisse, & tamen quocunque casu intercedente necdum finita res aut exacta remansit: si ad hunc fortè terminum fuerit causa deducta, quo eam ille qui per mandatum secutus est iam antea acceleraverat, omne lucrum quod ipse fuerat habiturus, heredibus eius à mandatoris partibus exsolvatur.

IX. FLS. GLS. CHDS. REX.

Qualibus personis potentes, & qualibus pauperes prosequendas actiones iniungant.

NVlli liceat potentiori, quàm ipse est qui committit, causam suam ulla ratione committere, ut non æqualis sibi eius possit potentia opprimi vel terreri. Nam etiam si potens cum paupere causam habuerit, & per se asserere noluerit, non aliter quàm æquali pauperi aut fortasse inferiori à potente poterit causa committi. Pauper verò, si voluerit, tam potenti suam causam debet committere, quàm potens ille est, cum quo negotium videtur habere.

X. FLS. CHDS. REX.

Quòd liceat his, quibus commissus est fiscus, pro re fisci quibuscunque voluerint iniungere rationes.

NVllus quidem rerum fiscalium temerator debet existere. Tamen si quandoquidem pro iure fisci contra quemlibet provenerit intentione moveri, ille cui commissa res est, apud Comitem civitatis vel iudicem habebit licentiam legaliter negotium prosequendi. Quem si absentem à loco, ubi res agenda est, esse contigerit, vel occasio eum quæcunque suspenderit, aut etiam per se proponere fortasse noluerit, eandem utilitatis publicæ actionem per mandatum iniungere prosequendam cui elegerit, sui sit indubitanter arbitrii.

TITVLVS IV. DE TESTIBVS ET TESTIMONIIS.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

De personis quibus testificari non liceat.

HOmicidæ, malefici, fures, criminosi, sive venefici, & qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos divinosque concurrerint, nullatenus erunt ad testimonium admittendi.

II. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quòd testibus sine sacramento credi non posit, & si utraque pars proferat testem, cui debeat credi, & si vera testificari neglexerit testis.

IVdex causa finita, & sacramento secundum leges, sicut ipse ordinaverit, à testibus dato, iudicium emittat, quia testes sine sacramento testimonium perhibere non possunt. Quòd si ab utraque parte testimonia æqualiter proferantur, discussa priùs veritate verborum, quibus magis debeat credi, iudicis æstimabit electio. Certè si ammonitus quisquam à iudice, de re quam novit testimonium perhibere noluerit, aut si nescire se dixerit, id ipsum etiam iurare distulerit, & per gratiam aut per venalitatem vera suppresserit: si nobilis fuerit, testimonium postea in nullo iudicio dicere permittatur, nec testimonium ipsius recipiatur ulterius. Quòd si licet ingenuæ, minoris tamen fuerint dignitatis personæ, & testimonio careant, & centena flagella infamati suscipiant: quia non minor reatus est vera supprimere, quàm falsa confingere.

III. FLS. CHDS. REX.

De investiganda iustitia, si aliud loquatur testis, aliud scriptura.

QVotiens aliud testis loquitur, quàm ea scriptura continet, in qua ipse subscripsisse dinoscitur; quamvis contra scripturæ textum diversa verborum à testibus sit impugnatio, scripturæ tamen potiùs constat esse credendum. Quòd si testes dixerint, eam quæ offertur scripturam minimè roborasse; prolator eius probare debebit, utrum ab eisdem testibus scripturam fuisse roboratam constiterit. Et si hoc ipse quibuslibet aliis documentis convincere fortasse nequiverit, experientia iudicis id requirere sollerter curabit. Ita ut pro manus cōprobatione testis ille qui negat, iudice præsente scribat

bat: qui etiam plus cogatur ſcribere, ut veritas faciliùs innoteſcat. Vbi ſcilicet hoc omnino quærendum eſt, ut ſcripturæ quærantur & præſententur, quas antea fecit ſive ſubſcripſit. Et ſi tota iſta defuerint, tunc conditionibus editis iurare non differat, quòd nequaquam illi ſubſcriptor acceſſerit. Et ſi poſtea quocunq; modo patuerit, pro extinguenda veritate mentitum eum fuiſſe, falſitatis notatus infamia, ſi honeſtior perſona fuerit, quantum ille perdere potuerat, cuius parti teſtimonium perhibere contempſit, tantum dupla ei ſatisfactione compellatur exſolvere. Si certè inferior eſt perſona, & unde duplam rem dare debeat, non habeat; & teſtimonium amittat, & c. flagellorum ictus extenſus accipiat. In duobus autem idoneis teſtibus, quos priſca legum recipiendos ſanxit auctoritas, non ſolùm conſiderandum eſt, quàm ſint idonei genere, hoc eſt, indubitanter ingenui, ſed etiam ſi ſint honeſtate mentis perſpicui, atque rerum plenitudine opulenti. Nam videtur eſſe cavendum, ne fortè quiſque compulſus inopia, dum neceſſitatem toleret, præcipitanter periurare non metuat.

IIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

Servo non credendum, & qualibus Regis ſervis debeat credi.

SErvo penitus non credatur, ſi ſuper aliquem crimen obiecerit, aut etiam ſi dominum ſuum in crimine impetierit. Nam etſi etiam in tormentis poſitus exponat quod obiicit, credi tamen illi nullo modo oportebit: exceptis ſervis noſtris, qui ad hoc regalibus ſervitiis mancipantur, ut non immeritò Palatinis officiis liberaliter honorentur: id eſt, ſtabulariorum, gillonariorum, argentariorum, coquorum quoque præpoſiti; vel ſi qui præter hos ſuperiori ordine vel gradu præcedunt: quos tamen omnes & regia poteſtas iugiter non habet incognitos, & nullis eos eſſe conſtat pravitatibus aut criminibus implicatos. Quibus utique vera dicendi vel teſtificandi licentia, ſicut & cæteris ingenuis, hac lege conceditur. De reliquis autem ad Palatinum ſervitium pertinentibus, quicunque aliquem ad teſtimonium crediderit advocandum, non aliter ei fides accommodabitur, niſi regiæ poteſtatis electio iuſta & honeſta permiſerit eſſe credendum, quod ille à ſe noverit eſſe teſtificandum.

V. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne teſtes per epiſtolam teſtimonium reddant; & qualiter iniungi teſtimonium poſſit.

TEſtes non per epiſtolam teſtimonium dicant, ſed præſentes quam noverint, non taceant veritatem. Nec de aliis negotiis teſtimonium dicant, niſi de his tantummodo, quæ ſub præſentia eorum acta eſſe noſcuntur. Certè ſi iidem teſtes, aut parentes, vel amici, ſive ætate decrepiti, vel infirmitate gravati, aut in alia & longinqua provincia conſtituti, de re quæ ipſis eſt cognita teſtimonium aliquibus iniungendum putaverint: & ſi non ſint omnes de uno territorio, qui teſtimonium dicendum committunt, in eo tamen territorio, ubi ille commanet, qui plus ex his videtur ido-

neus, congregentur: & ante eiusdem territorii iudicem, vel coram his quos iudex elegerit: & mandatum faciant idoneis ingenuis quibus voluerint, & de quo illis est cognitum per conditionis seriem iurare procurent, qualiter quibus testificandi vicissitudo committitur, id indubitanter ubi necesse fuerit suo sacramento confirment, quod iurare mandatores suos iustissimè & evidentissimè per semetipsos audierint. Aliter autem mandatum de talibus negotiis editum apud omnes iudices erit semper invalidum.

VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De his qui falsum testimonium dicunt.

SI quis contra alium falsum testimonium dixerit, & in mendacio inveniatur, aut si ipse certè dixerit, quod falsum testimonium dedit: si maior loci persona est, det illi de propria facultate sua, contra quem falsum testimonium dixit, tantum quantum per testimonium eius perdere debuit, & se testificare ultra non noverit. Quòd si minor loci persona est, & non habuerit unde componat, ipse tradatur in potestatem illius, contra quem falsum testimonium dixerat, serviturus. Nam omnino per talium testimonium, qui se primitus falsa testificasse prodiderint, causa ipsa revolvi non poterit: exceptò si aliter evidentior ordo veritatis claruerit: id est, aut per legitimum alium & melioratum testem, aut per iustos & legales ordines scripturæ. Quicunque autem vel beneficio corruperit aliquem, vel circumventione qualibet falsum testimonium dicere persuaserit, dum evidens huius rei commentum patuerit, tam auctor sceleris, qui in interitum intendit alterius, quàm is qui rerum aviditate cupidus testificandi præbuit falsitatis assensum, pari simul sententia ut falsarii teneantur, atque insuper ad aliorum terrorem centenis flagellis, & turpiter decalvati perenni infamiæ subiacebunt.

VII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

De his qui falsum probantur testimonium protulisse: & de spatio sex mensium, quo testem liceat infamare, sive ut super mortuum non liceat testimonium dicere.

FAlsorum testium obstinata nequitia, nescit habere modum falsa dicendi, sed crimini crimen nititur copulare periurii. Et ideo quia detestandos huiusmodi sceleris præsumptores divina lex mortis sententia dampnat: illos scilicet, quos contra fratrem suum falsum dixisse testimonium potestas iudiciaria comprobat: nos proinde tam nefariis personis ausum secundò testificandi subducimus, quos non humanis sed divinis vocibus iam mortuos approbamus. Et ideo si quis testimonium pro qualibet re in præsentia iudicis dederit, & causa per eius testimonium probata extiterit, si fortè in postmodum favore, terrore, vel munere pulsatus illius causidici, qui victus primùm per eius testimonium fuit, dicat se idem testis falsum dixisse testimonium quod primitus protulit, & secundò aliud testificare, unde prima quæ dixerat subvertere velit, stante superiore lege, id novella tenendum sanctione præcipimus: ut nec testificare illi secundò sit licitum, nec causa ipsa

de

de qua ipse periurus testis antè iuraverat, ulterius per eius testimonium revolvatur: exceptò si aliis melioribus & legitimis testibus, sive etiam veridicis scripturis, revolutio ordinatæ causæ possit accidere, ut secunda determinatione iudicii per alium sicut dictum est testem, vel verissimæ scripturæ ostensionem, licentia sit negotium reparandæ causæ retexere. Nam & si quis causæ suæ cupiens accelerare propositum, testem in iudicio protulerit: si ille, contra quem causam habet, præsens adfuerit, & quid in reprobatione oblati testis opponat, nescire se dixerit: res siquidem ipsa de qua agitur, per oblatorum testium testimonium, in iure illius, à cuius parte testificaverunt, iudicis instantia contradatur. Illi tamen personæ, quæ se in derogatione prolati testis, nescire se dixerit quod obiicere possit, licentiam consulta pietate porrigimus, qualiter infra sex menses, & vitia ignorati testis perquirat, & causæ suæ negotium reparare intendat. Quòd si infra sex menses non potuerit, & vitia prædictorum testium quærere, & coram iudice eorum infamiam comprobare, transactis sex mensibus, nullum iam ei ultra temporis spacium dabitur, quo aut prolatum testem infamem esse convincat, aut alium testem pro eadem causa in iudicio proferat: sed quod testimonio eorum extiterit alligatum, valebit perpetuò modis omnibus inconvulsum. Et tamen si is, cui licitum est per sex menses vitia testium accusare, legitimam fortasse infra constitutum tempus probationem invenerit, qua prolatum contra se testem infamem possit convincere, supra eos quos viventes potuerit infamare, licitum erit causidico adductum testem producere. Nam si aliquem de numero illorum testium, qui primùm iurasse noscuntur, constiterit fuisse defunctum, nullum super mortuum testimonium dabitur. Nec in talibus vel quibuslibet aliis causis testimonium vivi super mortuum ullo modo admittetur: exceptò si per legitimum & manifestum scripturæ textum, ubi ipse qui defunctus est, aut reum se criminis esse agnoscens subscripsit, aut iusto æquitatis iudicio publicè denotatus apparuit. Et hæc quidem de infamatione, qua quisquis ille obnoxius, ad dicendum testimonium non admittatur, dicta sufficiant. Cæterum si debitum defuncti vel præsumptio accusetur, iuxta legem aliam licitum erit causidico, aut per veridicum testem, aut per legitimam scripturam, debitum mortui vel præsumptionem convincere, & propositum partis suæ negotium consummare.

VIII. FLS. CHDS. REX.

De his qui ad falsum testimonium dicendum alios provocant, vel servos alienos ad libertatem impellunt.

SI quis contra hominem ingenuum & adversus libertum, aliquem provocasse convincitur falsum dicere testimonium, tantum illi componat quem per falsam testificationem conabatur addicere vel damnare, quantum, si iuste eum obtinuisset, poterat de statu vel de rebus eius adquirere. Si verò testis simpliciter ab alio ad testimonium invitatus falsa contra ingenuum atque libertum testificasse dinoscitur, qualiter per eius testimonium in servitutem quisquam humiliaretur; & tamen ille, qui testem protulit, conscius

fraudis huius non invenitur, solus testis ipse superiori sententia, id est, sicut ille qui testem ad falsum testimonium provocavit, ei, quem suo testimonio decipere voluit, obnoxius maneat. Ita ut si non habuerit unde componat, in potestate eius, cum hoc quod habere videtur, perenniter servituros tradatur. Id autem & de illis decernimus observandum, qui ut servos alienos ad libertatem perducerent, aut falsum testimonium dixisse reperiuntur, aut eam intentionem adhibere conati sunt, ut ab eis provocati per eorum instantiam ad ingenuitatis libertatem indebita possint aliquatenus insultatione venire.

IX. FLS. RCDS. REX.

In quibus causis possint testificari servi.

QVod utilitati multorum est congruum, non est nostræ legis decreto prætermittendum: ne tanta cuiquam pateat nocendi facultas, quanto nihil esse putat ex lege quod metuat. Quia ergo multotiens inter ingenuos reperitur exorta cædes, & nullus adesse ingenuus, qui cædis ipsius patefaciat evidenter scelus; ideò si nullus ingenuorũ adfuerit, credi servis omnino oportebit: ut qualiter inter eos cæsio facta constiterit, agnosci eisdem testificantibus possit. Verùm quia & interdum iustitiæ cognitio deperit, dum ingenuorum dignitas, aut longè posita, aut de proximo ignota consistit: tunc credi permittimus servis, cùm ingenui nullatenus adfuerint, qui aut vicini sint, aut de re qua agitur cogniti habeantur. Certè nec de aliis causis, nec de maioribus rebus esse sibi credendum sciant, nisi de minimis quibuscunque rebus, ac de terris, aut vineis, vel de ædificiis, quæ non grandia esse constiterint: propter quod solet inter heredes aut vicinos possessores instantia exoriri. Sed & de mancipiis credendũ est eis, quare contingit ea vel ab aliis occupari, vel indebitè retineri, aut etiam à dominorum iure inlicitè evagari: ut per eorum veram cognitionem valeant res ipsæ dominis reddi, & ipsorum indubitata notitia iustè possit intentionis causa sopiri. Non tamen illis aliter credi poterit, nisi & ab omni crimine alieni extiterint, & gravi oppressi paupertate non fuerint. Ita ut contra ingenuorum dignitatem, eorum testimonium accipi nullatenus possit, nisi, ut suprà dictum est, cædem exoriri contigerit.

X. FLS. CHDS. REX.

De his qui se placitorum scriptis obligant, ne pro aliorum causis veritatem dicant.

PLerosque cognovimus, ita se interdum per placitum obligare, ut pro sua suorumque utilitate testificari non differant: si quis autem contra eos habuerit testimonium dicere, nullatenus adquiescant. Quòd quia satis est contrarium veritati, hanc omnes iudices se noverint habere licentiam, ut talia commenta instanter inquirant, & inventa disrumpant: atque quos eadem placita nominaverint, centenis flagellis verberandos insistant. Ita tamen ut ista

ista disciplina non ad infamiæ notam eis pertineat; sed testificandi quod cognitum habuerint, sit illis ex lege concessa semper & indubitata libertas.

XI. FLS. GLS. CHDS. REX.

De quibus annis possunt testificari minores.

HÆc ætas erit constituta in minoribus annis ad testimonium admittenda: ut postquam puer aut puella quatuordecim vitæ suæ annos impleverint, sit illis in causis omnibus testificandi indubitata licentia.

XII. ANTIQVA EMENDATAQVE NOVITER.

Vt contra extraneos parentela & propinquitas testimonium minimè dicant.

FRatres, sorores, uterini, patrui, amitæ, avunculi, materteræ, sive eorum filii: item, nepos, neptis, consobrini, vel amitini, in iudicium adversus extraneos testimonium dicere non admittantur: nisi forsitan parentes eiusdem cognationis inter se litem habuerint, aut in causa de qua agitur aliam omnino ingenuitatem deesse constiterit.

TITVLVS V. DE SCRIPTVRIS VALITVRIS ET INFIRMANDIS, AC DEFVNCTORVM VOLVNTATIBVS CONSCRIBENDIS.

I. NOVIT. EMD. FLS. CHDS. REX.

Quales debeant scripturæ valere.

SCripturæ quæ diem & annum habuerint evidenter expressum, atque secundum legis ordinem conscriptæ noscuntur, seu conditoris vel testium signis fuerint aut subscriptionibus roboratæ, omni habeantur stabiles firmitate. Simili quoque & illæ scripturæ valore constabunt, quas etsi auctor subscribere ægritudine obsistente non valuit, in eis tamen qui subscriptores accederent postulavit: sicque subscriptionem vel signum ad vicem illius auctoris, ille qui est rogatus impresserit. Hoc tantùm est observandum, ut si conditor talium scripturarum de hac ipsa ægritudine qua detinebatur revaluerit, si hoc ipsum quod in huiusmodi scripturis testatus est firmum esse voluerit, manu sua illud solita subscriptione corroboret, & sic plenam, quod testari visus est, obtineat firmitatem. Si autem eundem testatorem de hac ægritudine mori contigerit, testis ipse qui ab eo rogatus accessit, iuxta aliam legem infra sex menses subscriptas à se scripturas roborare curabit.

II. ANTIQVA.

De pactis & placitis conservandis vel conscribendis.

PActa vel placita quæ per scripturam legitimè ac iustissimè facta sunt, dummodo in his dies & annus sit evidenter expressus, nullatenus immutare permittimus.

III.

Ne incognitam sibi scripturam quisquam testis subscribere audeat aut firmare.

QVarumlibet scripturarum seriem advocatus testis, si non aut per se antea legerit, aut coram se legentem audierit, subscribere penitus non audeat. Quòd si præsumpserit, testimonium eius quod illic incautè perhibuit, in nullo permittimus accipi: quia incognitus illic subscriptor accessit. Nec stabilis illa iudicabitur scriptura, quam nulla testium firmaverit cognitio vera.

IIII. ANTIQVA. FLS. GLS. EGIGA REX.

Contra priorum definitionem filio vel heredi non licere venire.

FIlio vel heredi contra priorum iustam ac legitimam definitionem venire non liceat. Quia iustè repellitur præsumptio illius, qui facta seniorum iniustè conatur irrumpere.

V. FLS. CHDS. REX.

De dampnis eorum, qui contra pacta & placita sua venire contendunt.

QVi contra pactum vel placitum iustè ac legitimè conscriptum venerit, quod non forsitan persona potentior violenter extorserit, antequam causa dicatur, pœnam quæ in pacto vel placito legitimè continetur exsolvat: deinde quæ sunt in pacto vel placito definita serventur. Pactum verò vel placitum convenienter ac iustissimè inter partes conscriptum, si etiam pœna in eis inserta non fuerit, revolvi aut immutari nulla ratione permittimus. Et ideò quæ in pactis vel placitis continentur vel monstrantur scripta, plenam habeant firmitatem, si tamen quisquis ille pactum vel placitum iustissimè & de re sibi debita conscripsisse videatur.

VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne valeant definitiones vel pacta servorum, sine iussu dominorum.

ET honestas hoc habet, & iustitia hoc adfirmat, ut quæ servi non iubentibus dominis, seu per scriptum paciscuntur, sive per testem definiunt, nullo firmo robore penitus habeantur.

VII. FLS. RCDS. REX.

De turpibus & illicitis rebus.

DE turpibus & illicitis rebus inter quascunque personas, sicut nullum pactum aut mandatum vel placitum, ita nec dampnum, nec quamcunque definitionem ex omnibus nullo tempore decernimus posse valere.

VIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

Ne sub unius nomine causæ, res aliena vel persona callidis definitionibus obligetur: de pœna etiam, quæ sit in placitis inserenda.

PRavis ac malignis moribus improborum iustitiæ semper est sententiis obviandum. Ideoque quia dira perversorum cupiditas ita sæpe plurimos novarum fraudium molitione conlaqueat, ut cum pro re qualibet adimplenda sit pactio, res eorum simul obligent & personas: hoc fieri omnimodo prohibemus. Sed quotiens undelibet placitum conscribitur, non amplius in transgressoris pœna, quàm duplatio reddendæ rei, vel triplatio nummorum, in satisfactione taxetur: res tamen omnis aut persona nullatenus obligetur. Quia iniustum penitus approbamus, ut unius causa debiti, rerum fiat omnium perditio vel personæ. Quodcunque igitur contra legis huius decretum, conscriptum placitum sive definitio facta fuerit, ubicunque sit reperta, vacua omnimodis & invalida reputetur. Sola verò potestas regia erit in omnibus libera, qualemcunque iusserit in placitis inserere pœnam.

VIII. AN-

IX. ANTIQVA.

Quod omnis scriptura vel definitio, quæ per vim & metum extorta fuerit, valere non poterit.

PActum quod per vim & metum extorserit persona potentior vel inferior, sive placita vel reliquas scripturas, id est, si ille qui paciscitur, aut in custodia mittitur, aut sub gladio mortem fortè timuerit, aut ne pœnas quascunque vel ignominiam patiatur, vel certè si aliquam iniuriam passus fuerit: huiusmodi pactio vel scriptura quælibet nullam habeat firmitatem.

X. FLS. GLS. RCDS. REX.

De superfluis scripturis confectis.

PLenæ discretionis ordo est incertis adhibere cognitionem, & dubiis coniicere fidem. Quia ergo de statu scripturarum solet dubietas in controversiis exoriri: ideo præcepto decernitur evidenti, ut quicunque virorum ac fœminarum testamenta, donationes, dotes, vel quascunque scripturas conficit, ampliùs quàm lex iubet, in quibuscunq; partibus sive personis, vel contra sanctionem legis, de quarumcunque rerum distributione decreverit, non ideo ex toto habeantur invalida, quia ordo præfixus videtur esse transgressus: sed manentibus cunctis, quæ salubriùs ex legis auctoritate subsistunt, illa sola decidant, quæ contra legem inveniuntur manere descripta, atque decreta. Huius rei evidenter iudices negotiorum hoc tenore descripta ordinabunt: ut ille qui plus conficit per scripturæ seriem, quàm oportuit, hoc solum accipiat quod auctoritas legis demonstrat, & reliqua hi quibus legitimè debentur, vigore iustitiæ consequantur.

XI. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quæ scripturæ valere poterunt, si ab his factæ fuerint, qui sunt in annis minoribus constituti.

IN minoribus annis constituti, si testari de rebus suis, vel alias quascunque definitiones facere, seu per scripturam, sive per idoneum testem, in quibuscunque personis elegerint, infra quartum decimum annum non illis aliter licentia erit, nisi gravis languor occurrerit, per quem eos fortasse mori suspicio sit. Quòd si eos necessitas huius causæ compresserit, utrisque à decimo ætatis ipsorum anno faciendi quod voluerint libertas plena manebit. Quòd si ab ægritudine convalescere potuerint, quidquid eos ordinasse constiterit, totum invalidum erit: donec aut rursus ægrotantes iterum quæ ordinaverant nova ordinatione reforment, aut venientes usque ad plenum quartumdecimum annum in omnibus iudicandi de rebus suis liberam habeant absolutamq; licentiam. Ab infantia verò vel in qualibet ætate dementes effecti, & in eo vitio absq; intermissione temporis permanētes, nec testimonium reddant; nec si quam fortè voluntatem ediderint, nullam poterit firmitatem habere. Nam si per intervalla temporum vel horarum salutem videntur recipere, & integra interdum mente persistere, de suis ferre iudicium prohiberi non poterunt.

XII. FLS.

XII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Qualiter confici vel firmari conveniat ultimas hominum voluntates.

MOrientium extrema voluntas, sive sit auctoris & testium manu subscripta, sive utrarumque partium signis extiterit roborata, seu etiam & si auctor subscribere vel signum facere non prævaleat, alium tamen cum legitimis testibus subscriptorem vel signatorem ordinationis suæ instituat: sive quoque si tantummodo verbis coram probatione ordinatio eius, qui moritur, patuerit promulgata, hæc ordinationum quatuor genera omni perenniter valore persistant. Id tantùm magnopere procurandum est, ut scripturæ illæ, quæ secundum primi & secundi ordinis confectionem sunt alligatæ: id est, sive quæ auctoris & testium manu subscriptæ, seu quæ utrarumque partium signis extiterint roboratæ, infra sex menses iuxta legem aliam sacerdoti pateant publicandæ. Et si forsitan contigerit, ut in huiusmodi scripturis auctor, qui subscribere debuit, signum impresserit, hoc ipsum testis, qui in eadem scriptura subscriptor accessit, iurare curabit, quia signum ipsum à conditore factum extiterit, & tunc stabilis erit. Illæ verò scripturæ, quæ sub tertii ordinis alligatione sunt editæ: id est, in quibus advocatus à conditore legitimus testis subscripsit, tunc omni habeantur stabiles firmitate, quando infra sex menses, & ille qui in eadem scriptura ad vicem morientis subscriptor accessit, & reliqui testes qui ab eo rogati sunt, coram iudice conditionibus factis iuraverint, quòd in eadem scriptura à se subscripta nulla sit fraus impressa, sed secundum voluntatem ipsius conditoris habeatur conscripta, & quòd ab eo, qui eam cōdere voluit rogati extitissent, ut in eadem scriptura subscriptores accederent, & ad vicem conditoris eam legitimè roborarent. Illa verò voluntas defuncti, quæ iuxta quarti ordinis modum verbis tantummodo coram probatione promulgata patuerit, quæ instante quocunque periculo conscribi nequiverit, & tamen ab eo qui moritur iussa fuerit alligari, tunc robur plenissimum obtinebit; si testes ipsi, qui hoc audierint, & rogati à conditore extiterint, infra sex mensium spatium, hoc quod iniunctum habuerint, sua coram iudice iuratione confirment, eiusdemque iuramenti conditionem tam sua quàm testium manu corroborent. Dumque hæc res plenum venerit in effectum, pro instantia sui laboris, iidem testes ex defuncti bonis trigesimæ precium portionis prosequantur in solis tantummodo nummis, chartarum instrumentis, & librorum voluminibus sequestratis, quæ pertinebunt ad heredes integritate successionis. Qui testes infra sex menses procurent illi denunciare, in cuius nomine per talem ordinationem res translata dinoscitur extitisse. Quòd si omne legis huius decretum testes illi, quibus commissum est, infrà constitutum tempus distulerint adimplere, noverint se falsorum dampno mulctari: exceptò si se aliorum fraude vel calliditate, seu etiam regia iussione, qua id infra sex menses explere nequiverint, impeditos esse probaverint.

XIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

Qualiter firmentur voluntates eorum, qui in itinere moriuntur.

IN itinere pergens, aut in expeditione publica moriens, si ingenuos secum habeat, voluntatem suam propria manu conscribat. Quòd si litteras nescie-

rit, aut per languorem scribere non potuerit, eandem voluntatem servis insinuet: quorum fidem Episcopus atq; iudex probare debebunt. Et si nullatenus antea fraudulenti fuisse patuerint, quod sub iuramenti testatione protulerint conscribatur, & sacerdotis atq; iudicis subscriptione firmetur; ac postmodum auctoritate regia roboratum, firmum quod decreverit habeatur.

XIV. FLS. GLS. CHDS. REX.

Vt defuncti voluntas ante sex meses coram sacerdote vel testib. publicetur.

SCripta voluntas defuncti, ante sex menses coram quolibet sacerdote vel testibus publicetur. Et si quis eandem qualibet fraude suppresserit, tantum illis, quibus scriptura facta esse dinoscitur, de proprio cogatur exsolvere, quantum per eiusdem scripturæ seriem conquirere poterant vel habere.

XV. FLS. GLS. CHDS. REX.

De comprobatione manuum, si scriptura vertatur in dubium.

OMnes scripturæ, quarum auctor & testis defunctus est, in quibus tamen subscriptio vel signum conditoris atque firmitas testium repperitur, dum in audientia prolatæ extiterint, ex aliis chartarum signis vel subscriptionibus comprobentur: sufficiatq; ad firmitatem, vel veritatis huius indaginem agnoscendam, trium vel quatuor scripturarum similis vel evidens prolata subscriptio. Quòd si talibus scripturis legum tempora obviaverint, pro certo decernitur, quia valere non poterunt.

XVI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De holographis scripturis.

QVia interdum necessitas ita sæpe concurrit, ut solempnitas legum liberè adimpleri non possit: ideo ubi qualitas locorum ita constiterit, ut non inveniantur testes, per quos iuxta legum ordinem unusquisque suam alliget voluntatem, manu propria scribat ea, quæ ordinare desiderat: ita ut specialiter adnotentur, quæcunque ordinare voluerit, vel quæ de rebus suis habere quemque elegerit. Dies quoque & annus habeatur in eis evidenter expressus. Deinde toto scripturæ textu conscripto, rursum auctor ipse subscribat. Et dum hæc scriptura infra xxx. annos ad eum, in cuius nomine facta est, vel ad successores eius pervenerit, eam Episcopo vel iudici infra sex menses non differat præsentare. Quam sacerdos idem vel iudex allatis sibimet tribus aliis scripturis, in quibus testatoris subscriptio reperitur, ex earum comprobatione considerent, si certa & evidens scriptura est, quam idem conditor holographa ratione conscripsit: & dum ista præviderint, eadem chartula quæ offertur, vera nihilominus habeatur. Atque etiam continuo sacerdos ipse vel iudex, sive alii testes idonei, eandem holographam scripturam sua denuo subscriptione confirment, & sic voluntas ipsius testatoris plenissimam obtineat firmitatem.

XVII. FLS. RCDS. REX.

De comprobatione scripturarum, & earum pœna solvenda.

SIcuti ubi convenit miseranter occurrere, salutaria remedia non negamus: ita ubi contentio irrationabilis exoritur, censuram ponere iustè debemus. Proin-

Proinde cum de quibuslibet ſcripturis parentum, quas tamen iuſtiſſimè ac legitimè de rebus ſibi debitis patuerit eſſe conſcriptas, fuerit exorta contentio: ſi ille, cui ſcriptura profertur, neſcire ſe dixerit ipſius ſcripturæ veritatem, mox prolator ille iurare cogatur, nil fraudis vel læſionis in ea quandoque aut à ſe factum eſſe, aut ab alio quocunque factum omnimodo cognoviſſe vel noſſe: ſed ita manere, ſicut auctor eius eam voluit ordinare vel roborare. Deinde ille qui eam renuit accipere, cogatur iurare ſe hanc ſcripturam veram eſſe neſcire, nullaque evidenti cognitione ſapere, ſeu ab auctore ſuo legitimè confectam exiſtere, neque ſubſcriptionem vel ſignum auctoris veridicè factum cognoſcere. Poſt hæc quærenda ab utriſque partibus in ſcriniis domeſticis inſtrumenta chartarum: ut comprobatis aliarum ſcripturarum ſubſcriptionibus atque ſignis poſſit agnoſci, utrum habeatur idonea, an reprobetur indigna. Iam tunc ſi in domeſticis ſcriniis ſcripturæ auctoris repertæ non fuerint, ad quarum ſimilitudinem ſcriptura prolata formetur; ita demum ille, qui ſcripturam profert, ubicunque potuerit, alias ſcripturas auctoris procuret inquirere, per quarum ſimilitudinem, ſcripturam quam profert, veram eſſe confirmet. Sicque per talem convenientiam, latenti veritate reperta, nec ille qui ſcripturam profert, in convincendo eam eſſe idoneam, ex longinquo teſtes advocans, dampna ſuſtineat; nec ille, qui hanc contempſit recipere, pœnam ſcripturæ cogatur implere. Quibus ita actis, ſi ille qui ſcripturam illam indignam eſſe contendit, non pro veritatis cognitione, ſed pro ſola commotione partis adverſæ ad convincendam dignitatem ſcripturæ, & in adducendis teſtibus, & in ſuſtinẽdis diſpendiis laborare fecerit adverſantem; tunc ipſe, qui ſcripturam profert veram, exhibitis teſtibus eſſe idoneam & illæſam ſcripturam adfirmet: ac poſtea ſic ille, qui per contentionem indebitam, in adducendis teſtibus laborem intulit adverſanti, pœnam dampni, quam ſcriptura continet, evidenter adimpleat. Certè ſi aut tanta res non eſt unde pœnam ſuppleat, quàm auctor eius inſtituit, cùm de rebus ſuis legitimum iudicium ferret: aut etiam ſponte ſua hanc ipſam pœnam voluerit implere, rem quæ illi de eiuſdem auctoris competit iure, ei quem convexavit indebitè cogatur ceſſionis ordine dare. Hanc ſanè legem in ſolis parentum ſcripturis ſervandam eſſe decernimus: propter quod filios vel nepotes iniuſta contentione ab alterutro, aut ſe, aut extraneorum partes, videmus convexare. Iſta evidenti conditione ſervata, ut ſi ex aliis oppoſitionibus legum eadem ſcriptura dicitur convellenda, vox impugnantis pro certo ſit libera.

XVIII. FLS. GLS. EGIGA REX.

Ne aliud quis per teſtem, aliud per ſcripturam allegare præſumat.

CVm ſive ſint verba, ſive ſcripturarum quædam indicia, quæ tamen vera eſſe oporteat atque ſimplicia, per quæ unus in alterius cognitionem transferat notitiam ſuam: novellis nunc peragitur argumentis, ut in donationibus & tranſactionibus ſcripturarum prompta videatur quorundam donatorum voluntas, quæ tamen teſtibus aliud alliget occultè, quàm quod patulè per ſcripturæ ſeriẽ noſcitur definiſſe. In qua bifariæ duplicitatis aſtutia, quid aliud quàm duplex comprobatur voluntas? Quia ſimplicitatis puritate ex-

cluſa, aliud foris publicat, aliud per occultum alligat teſtem. Quapropter cùm quiſquis de quibuslibet rebus, ſcripturam donationis, vel venditionis in alterius faciens nomine, aliud reperiatur cōligare per teſtem, quàm quod per manifeſtam ſcripturam cognoſcitur definiſſe: noverit ſe parti illi pœnam ſcripturæ perſolvere, cui circumventione callida noſcitur illuſiſſe, & inſuper cum infamia ſuæ perſonæ, quod ſemel eum conſtat dediſſe, nulla unquam poterit repetitione repoſcere. Nec teſtis illic ad teſtificandum aliud admittatur, qui aliquid aliud proteſtetur, quàm quod prolata donatoris ſcriptura teſtatur: ut repulſa deinceps omni argumentationis ſollicitudine, quidquid per manifeſtam & legitimam ſcripturarum ſeriem definitur, nulla unquam ſub ordinati teſtis machinatione devocetur in irritum. Et hæc quidem lex inter æquales gradu vel ordine promulgata ſervabitur. Ceterùm ſi eiuſdem poteſtatis atque conditionis ſit ille, qui ſcripturam ſe accepiſſe obiecerit, ut potius exacta ab eo, quàm oblata ei ſcriptura credatur, quidquid de huiuſmodi occaſionibus ab auctore ſcripturæ convinci poterit, tunc & ipſa ſcriptura invalida erit, & res in donatoris iura poſſeſſura tranſibit.

XIX. FLS. EGIGA REX.

Vt nemo deinceps citra fidem regiam, vel propria cauſarum negotia in deceptione regiæ poteſtatis, vel cuiuslibet alterius, ſe iuramenti vinculo alligare præſumat.

PLerumque ſolet humani generis inimicus pravis corda hominum ſuggeſtionibus irretire, & fidelium animos peſtifero veneni poculo ſauciare. Proinde quia quanto plebs regiæ celſitudinis culmen ſincera debet reverentia honorare, tanto amplius vel in eius deceptione, vel aliarum perſonarum, videtur mentes plebium excitare. Quidam enim dum ſententiam illam canonis Toletani attendunt, in qua decretum eſt neminem licere, citra manifeſtæ evidentiam culpæ, induci ab honore ſui ordinis, vel ſervitio domus regiæ deiici, & nec antea vinculorum nexibus illigari, vel quæſtionibus ſubdi, niſi priùs in publica fuerint examinatione deducti, ſubtili ſe quodammodo iuramento in necem vel abiectionem regiam perfidiæ nituntur fraudibus alligare: ne ea quæ fraudis moliuntur peragenda conſiliis, ab alterutro cernantur quandoquidem propalari. Quod & temporibus noſtris detectum facinus, manifeſtis eorum confeſſionibus retinetur, qui noſtram gloriam conati ſunt, aut gladio interimere, aut mortifera veneni potione decipere. His igitur nefariæ argumentationis cōſiliis congruit obviare cenſuris legalibus: quo ut nec principalis honor qualibet poſſit gravitate devolui, & infidelium pectora condigna debeant ultione retundi. Vnde ſpeciali edicto decernimus, ut nemo deinceps citra fidem regiam, vel propria cauſarum negotia ſecum alio præſumat vinculis nectere iuramenti, aut in deceptione poteſtatis regiæ, vel cuiuslibet alterius, tam ſceleratæ fraudis audeat actione conſtringi. Si quis verò amodo aliter, quàm præmiſſum eſt, huiuſmodi iuramento ſe alligare præſumpſerit, illius ſe noverit legis perculi ſanctione, quæ perfidis noſcitur & contra regem agentibus promulgata exiſtere.

LEGIS VVISIGOTHORVM LIBER TERTIVS,

QVI EST DE ORDINE CONIVGALI.

CAPITVLA TITVLI PRIMI DE DISPOSITIONIBVS NVPTIARVM.

I. FLS. RCDS. REX.

Vt tam Gotho Romanam, quàm Romano Gotham matrimonio liceat sociari.

SOllicita cura in Principe esse dinoscitur, cùm pro futuris utilitatibus beneficia populorum providentur. Nec parum exultare debet libertas ingenita, cùm fractas vires habuerit priscæ legis abolita sententia; quæ incongruè dividere maluit personas in coniuges, quas dignitas compares æquaverit in genere. Ob hoc meliori proposito salubriter censentes, priscæ legis remota sententia, hac in perpetuum valitura lege sancimus: ut tam Gothus Romanam, quàm etiam Gotham Romanus, si sibi coniugem habere voluerit, præmissa petitione dignissima, facultas eis nubendi subiaceat: liberumque sit libero, liberam quam voluerit, honesta coniunctione consulta perquirendo prosapiæ solemniter consensu, Comite permittente, percipere coniugem.

II. ANTIQVA.

Si puella contra voluntatem patris alii nubat, quæ sit alteri disponsata.

SI quis puellam cum voluntate patris, aut aliorum propinquorum parentum, quibus ex lege huiusmodi potestas tribuitur, sponsatam habuerit: & ipsa puella contempnens voluntatem parentum, ad alium tendens parentibus contradicat, ut illi non detur cui à parentibus fuerit pacta: hoc ita eam nullo modo facere permittimus. Quòd si ipsa puella contra voluntatem parentum, ad alium quem ipsa cupierat fortè pervenerit, & ipse eam uxorem habere fortè præsumpserit; ambo in potestate eius tradantur, qui eam cum voluntate parentum sponsam habuerit. Et si fratres, vel mater eius, aut alii parentes, malæ voluntati eius consenserint, ut eam illi traderent, quem ipsa sibi contra paternam vel parentum voluntatem cupierat, & hoc ad effectum perduxerint: illi, qui hoc machinaverunt, libram auri dent, cui Rex iusserit: sic tamen ut voluntas eorum non habeat firmitatem; sed ipsi, sicut superiùs diximus, ambo tradantur cum omni substantia sua illi, cui antea fuerat sponsata. Eandem legem præcipimus custodiri, si pater de filiæ nuptiis definierit, & de pretio convenerit: ac si ab hac vita transierit, antequam eam pater suus nuptui tradat, ut illi puella tradatur, cui à patre vel à matre pacta constiterit.

III. FLS. CHDS. REX.

De non revocandis datis arris.

DVm præteritorum facta recolimus, futuris ponere præsumptionibus terminum consultissimum arbitramur. Quia ergo sunt plerique, qui factæ sponsionis immemores, nuptialium fœderum definitionem differant adimplere; abrogare decet huius rei licentiam, ut non unusquisque pro suo velle, alteri dilationem exhibeat. Ideoque à die latæ huius legis decernimus, ut cùm inter eos qui disponsandi sunt, sive inter eorum parentes, aut fortasse propinquos, pro filiorum nuptiis coram testibus præcesserit definitio, & annulus arrarum nomine datus fuerit vel acceptus, quamvis scripturæ non intercurrant, nullatenus promissio violetur, cum qua datus est anulus, & definitio facta coram testibus. Nec liceat uni parti suam immutare aliquatenus voluntatem, si pars altera præbere consensum noluerit; sed secundum legum ordinem, altera constitutione dotis impleta, nuptiarum inter eos peragatur festi celebritas.

IIII. FLS. GLS. CHDS. REX.

Ne viris minoris ætatis maiores fœminæ disponsentur, & de biennio placiti.

IVs naturæ tunc directum in spem procreationis futuræ transmittitur, quando nuptiarum fœdus totius solempnitatis concordia ordinatur. Nam si aut ætate, aut personarum incompetenti conditione, adnectitur copula nuptialis, quid restat in procreationis origine, nisi ut quod nasciturum est, aut

aut dissimile maneat aut deforme? Nec enim poterit in pacis concordia nasci, quod per discordiam originis noscitur seminari. Videmus enim quosdam non avidos amore naturæ, sed illectos cupiditatis ardore, filiis suis tam inordinatè disponere fœdera nuptiarum, ut in eorum actis nec ætate concors sit ordo, nec moribus. Nam cùm viris res illa dederit nomen, quòd in fœminas agant, isti per repugnantia naturæ conamina maribus puellas anteponunt, dum infantibus adulescentulas disponsationis copula coniungunt: sicque per ætatis præposteræ tempus, honestatis lucrum dilabi cogunt ad impudicitiæ lapsum, dum puellarum avidior & maxima ætas seros tardosque virorum contempnit expectare proventus. Vt ergo malè ordinata propagatio generis in ordinem transductionibus reducatur illicitis, huius sanctione decernitur legis, ut fœminæ minoris semper ætatis viris maioribus in matrimonio disponsentur: aliter disponsatio facta, si una pars contradicere videatur, nullo modo manere iubetur. A die verò sponsionis usque ad nuptiarum diem non amplius quàm biennio expectetur: nisi aut parentum, aut cognationis, vel certè sponsorum ipsorum, si perfectæ sint iam ætatis, honesta & conveniens adfuerit consensio voluntatis. Si autem in hoc fœdere inita pacta vel definitiones pro elongatione nuptiarum communis voluntas immutare decreverit, aut si per necessitatem una persona defuerit, non amplius quàm duorum annorum tempus prolongatio continebit. Et si rursus vel quotiens fieri non convenerit, biennii tantùm in definitione spatium erit. Aliter quandoque aut arrarum aut scripturæ celebrata confectio non valebit. Si quis autem constitutum definitionis tempus absque necessitate vel voluntatis consentione implere distulerit, suamque voluntatem à promissione coniugali removerit, & pœnam quæ in placito continetur adimpleat, & quod definitum est immutare non liceat. Mulierem autem, quam constiterit aut unum aut plures habuisse maritos, post eorundem virorum obitum, alii viro, ab adulescentiæ eius annis, seu illi qui necdum uxorem habuit, sive ei quem unius vel plurimarum coniugum vita destituit, honestè ac legaliter nubere nullatenus inlicitum est.

IV. FLS. CHDS. REX.

De quantitate rerum conscribendæ dotis.

CVm de dotibus diversa sæpe inter nubentes oriatur intentio, plurimorum fit utilitati consultum, si evidens huius rei institutio nihil ultra relinquat ambiguum. Decernimus igitur, ac legis huius perpetim servatura sanctione censemus: ut quicunque ex palatii nostri primatibus, vel senioribus gentis Gothorum, filiam alterius vel cuiuslibet relictam, seu sibi seu filio suo poposcerit in coniugio copulandam, seu quisquis ex prædictorum ordine uxorem sibi elegerit expetendam, non amplius unusquisque in puellæ vel mulieris nomine dotis titulo conferat vel conscribat, quàm quod decimam partem rerum suarum esse constiterit. Quòd si contigerit, ut quicunque parentum pro filio suo, in nurus suæ nomine, dotem cōscribere debeat: eodem modo de eo, quod eidem filio post obitum parentum suorum in por-

tione evenire poterat, decimam exinde partem per dotis titulum conferat, quod mulier vel puella nuptiis traditura obtineat. Atq; insuper decem pueros, decemque puellas, & caballos xxx. seu in ornamentis quantum mille solidorum valere summam constiterit, sit illi conscribendi dandique concessa libertas. Ita ut de his omnibus rebus in coniugio mulier assumpta, si non reliquerit filios, facere quod voluerit liberam se noverit habere licentiam: aut si intestata discesserit, ad maritum, aut ad propinquos mariti heredes, eadem donatio redeat. Nec erit ultra licitum puellæ parentibus, seu etiam puellæ vel mulieri, ab sponso vel ab sponsi parentibus plus quidquam petere, vel in suo nomine conscribendum optare, nisi quantum nunc legis huius institutio continet. Aut si fortè, iuxta quod & legibus Romanis recolimus fuisse decretum, tantum puella vel mulier de suis rebus sponso dare elegerit, quantum sibi ipsa dari poposcerit. Quòd si forsitan præventus sponsus scripturæ alicuius vel sacramenti vinculo nuptiarum tempore alligetur, amplius se sponsæ daturum, quàm quod hac lege constat esse permissum, id postea ipse convellere, & in iuris sui potestatem reducere, libero potietur arbitrio. Si autem iuramenti reverentia pavidus, aut ut assolet negligentia deditus, quod amplius sponsæ dederat, revocare aut evacuare noluerit vel nequiverit, non oportebit unius tepiditate multis ad futurum damna nutriri. Sed dum sponsi parentes vel propinqui tale factum agnoverint, universaque, plus quàm suprà taxatum est, sponsæ conlata sunt, suo iuri absque cuiusquam præiudicio perenniter vindicabunt. Certè si iam vir uxorem habens, transacto scilicet anno, pro dilectione vel merito coniugalis obsequii, ei aliquid donare elegerit, licentiam incunctanter habebit. Nam non aliter infra anni circulum maritus in uxorem, seu mulier in maritum excepta dote, ut prædictum est, aliam donationem conscribere poterint, nisi gravati infirmitate periculum sibi mortis imminere perspexerint. De ceteris verò qui nubendi voluntatem habuerint, salubri etiam proposito providendum decernendumque curavimus: ut qui in rebus omnibus decem millium solidorum dominus esse dinoscitur, ad mille solidos rerum universarum comprobatione habita, in nomine sponsæ suæ dotem conscribat. Cui autem mille solidorum facultas est, de centum solidis tali de ratione dotem facturus est: & sic ista constitutio dotalis tituli ab ultima usque ad summam omni controversia sopita perveniat. DATA ET CONFIRMATA HÆC LEX PRIDIE IDVS IANVARII, ANNO FELICITER TERTIO REGNI NOSTRI, IN DEI NOMINE TOLETO.

VI. ANTIQVA.

Vt dotem puellæ pater exigat & conservet.

DOtem puellæ traditam pater exigendi vel conservandi ipsi puellæ habeat potestatem. Quòd si pater aut mater defuerint, tunc fratres, vel proximi parentes, dotem quam susceperint, ipsi consorori suæ ad integrum restituant.

VII. AN-

VII. ANTIQVA.

Vt patre mortuo, utriusque sexus filiorum coniunctio in matris potestate consistat.

PAtre mortuo, utriusque sexus filiorum coniunctio in matris potestate consistat. Matre verò mortua, aut si ad alias nuptias fortè transierit, fratres eligant cui digniùs puer vel puella iungatur. Quòd si fratres eius ætatis non fuerint, ut eorum iudicio debeat germanus aut germana committi, tunc patruus de coniunctione eorum habeat potestatem. Certè si germanus iam adolescentiæ habet ætatem, & proximorum renuit sollicitudinem, sit illi potestas condignam sibi coniunctionis quærere copulam. De puella verò, si ad petitionem ipsius, is qui natalibus eius videtur æqualis accesserit petitor, tunc patruus sive fratres cum proximis parentibus conloquantur, si velit suscipere petitorem: ut aut communi voluntate iungatur, aut omnium iudicio denegetur.

VIII. ANTIQVA.

Si fratres nuptias puellæ differant, aut si puella impudicè nuptias præsumat.

SI fratres nuptias puellæ sub ea conditione suspendant, ut ad maritum illa confugiens iuxta legem portionem inter fratres suos de bonis parentum non possit accipere, & bis aut tertio removerint petitorem: puella quia fratrum calliditate perspecta maritum natalibus suis æqualem crediderit expetendum, tunc integram à fratribus, quæ ei de parentum hereditate debetur, percipiat portionem. Quòd si rursum nil fratres contra sororem mediten-tur adversum, & idcirco morentur ut sorori provideant digniorem; & illa honestatis suæ oblita, personæ suæ non cogitans statum, ad inferiorem fortè maritum devenerit: portionem suam, sive divisam sive non divisam, quàm de facultate parentum fuerat consequuta vel consequutura, amittat. In fratrum verò & sororum & aliorum parentum hereditatem ingrediendi ei concedimus potestatem.

IX. FLS. RCDS. REX.

Ne sine dote coniugium fiat, & ut de quibuscunque rebus dos conscripta fuerit, firmitatem obtineat.

NVptiarum opus in hoc dinoscitur habere dignitatis nobile decus, si dotalium scripturarum hoc evidenter præcesserit manus. Nam ubi dos nec data est nec conscripta, quod testimonium esse poterit, in hoc coniugio dignitatem futuram? quando nec coniunctionem celebratam publica roborat dignitas, nec dotalium tabularum hanc comitatur honestas. Proinde cùm quisquis aut pro se, aut pro filio, aut etiam proximo suo, coniunctionis copulam appetit: aut de rebus propriis, aut de Principum dono conlatis, aut de quibuscunque iustis profligationibus conquisitis, iuxta modum legis datæ conscribendi dotem habeat potestatem. Quodcunque autem legitimè in dote conscripserit, modis omnibus plenum robur habebit.

TITVLVS II. DE NVPTIIS ILLICITIS.

I. ANTIQVA.

Si post mortem mariti infra annum mulier nubat.

SI qua mulier, post mortem mariti sui, se alii infra annum coniunxerit, vel adulterium fecerit, medietatem rerum suarum filii sui ex priori coniugio procreati recipiant: aut si filii desunt, alii propinquiores heredes defuncti viri per iudicis instantiam, ipsarum rerum consequantur medietatem. Quàm idcirco mulierem præcipuè huic volumus subiacere dispendio: ne hæc quæ à marito gravida relinquitur, dum immoderato desiderio ad secundi coniugii vota festinat, vel adulterium perpetrat, spem partus sui priusquam nascatur extinguat. Illas tantumdem à legis huius sententia iubemus manere indempnes, quas principalis auctoritas, infra tempus hac lege constitutum, cuilibet in coniugio decreverit copulandas.

II. ANTIQVA.

Si mulier ingenua servo vel liberto proprio sese coniungat vel commisceat.

SI mulier ingenua servo suo vel proprio liberto se in adulterio commiscuerit, aut forsitan eum maritum habere voluerit, & ex hoc manifesta probatione convincitur, occidatur: ita ut adulter & adultera ante iudicem publicè fustigentur, & ignibus concrementur. Cùm autem per reatum tam turpis admissi, quicunque iudex, in quacunque regni nostri provincia constitutus, agnoverit dominam servo suo, sive patronam liberto fuisse coniunctam, eos separare non differat: ita ut bona eiusdem mulieris, aut si sunt de alio viro, idonei filii evidenter obtineant, aut propinquis eius legali successione proficiant. Quòd si usque ad tertium gradum defecerint heredes, tunc omnia fiscus usurpet: ex tali enim consortio filios procreatos constitui non oportet heredes. Illa ergo, seu virgo sive vidua fuerit, pœnam excipiat superiùs comprehensam. Quòd si ad altaria sancta confugerit, donetur à Rege, cui iussum fuerit, perenniter servitura.

III. AN-

III. ANTIQVA.

Si mulier ingenua servo alieno, seu ingenuus ancillæ alienæ sese coniungat.

SI mulier ingenua servo alieno, sive Regis, se in matrimonio sociaverit, sivè etiam per adulterium iungere præsumpserit, statim ubi primùm hoc iudex agnoverit, eos ad separandum festinare non differat, ut pœnam quam merentur excipiant: hoc est, singuli eorum centena flagella suscipiant. Et si post hanc contradictionem se iterum coniunxerint, eos iudex comprehendi iubeat, & in sua præsentia exhiberi: ut unicuique eorum iteratim centena flagella imponere non desistat. Quòd si tertia vice se separare noluerint, similiter centena flagella eis imponi iubemus, & ipsa mulier parentibus suis in potestate tradatur. Quòd si postmodum eam parentes retrorsum dimiserint, sit ancilla domino eius servi. Filii tamen & quandocunque & quanticunque, qui ex ea iniquitate fuerint procreati, conditionem patris sequantur, ut in servitio permaneant: facultatem verò mulieris propinqui sui legali successione conquirant. Quòd si hi, qui de tali contubernio extiterint geniti, per triginta annos per testem legitimum se ingenuos mansisse docuerint, à servitutis cathena soluti, ingenuitatis se gaudeant titulo decorari. Si tamen parentes illorum infrà illud tricennium, quo filii ipsorum se ingenuos esse probaverint, nihil de conditione servitutis dominis suis persolverint, unde ipsi filii eorum videantur obnoxii servituti. Ipsam autem legem præcipimus custodiri & de viris ingenuis, qui regias ancillas, vel etiam cuiuscunque habuerint copulatas conditionis, ut hæc forma servetur.

IIII. ANTIQVA.

Si mulier liberta servo alieno, vel libertus ancillæ se societ.

SI mulier liberta servo alieno sese coniunxerit, aut in matrimonio sociaverit, contestetur ei tertiò dominus servi, præsentibus tribus testibus, ut ab hac coniunctione discedat. Et post trinam commonitionem vel contestationem, si se separare noluerit, sit ancilla domino eius, cuius servo se coniunxit. Si verò non contestata fuerit, antequàm filii nascantur, illa in libertate permaneat: agnatio autem servi domino deputetur. Quia liberi esse non possunt, qui ex tali conditione nascuntur. Similis & de manumissis viris, qui se cum ancillis alienis miscuerint, huius legis forma servetur. Nam si cum domini voluntate & permissione servo alieno manumissa se fortè coniunxerit, & cum ipso domino servi placitum fecerit, omnino placitum ipsius iubemus stare.

V. FLS. GLS. RCHDS. REX.

Si quicunque servo alieno ancillam suam, vel servo suo alienam coniungat ancillam.

QVicunque ancillam suam servo alieno sine conscientia domini sui uxorem dederit, & hoc certis probationibus inveniatur; dominus servi ancillã ipsam cum filiis sibi omnimodis vindicabit. Similiter & de illis ordina-

mus, qui servo suo ancillam alienam coniunxerint, ut conditionis hæc forma servetur.

VI. ANTIQVA.

Si mulier absente viro suo alium sibi maritum assumat.

NVlla mulier absente viro suo, alteri viro se præsumat coniungere, usque dum de viro suo certis cognoscat indiciis, si verè mortuus fuerit: quòd similiter & ille inquirat, qui eam sibi vult in coniugio copulare. Si verò hoc facere distulerint, & sic se inlicita præsumptione coniunxerint, & postmodum prior maritus reversus fuerit, ambo in eius potestate tradantur: ut quid de eis facere voluerit, seu vendendi, sive quid aliud faciendi, habeat potestatem.

VII. FLS. GLS. CHDS. REX.

Si domini servos suos esse mentientes ingenuos, mulieribus eos coniungant ingenuis.

REsistendum est pravorum ausibus, ne pravitatis amplius frena laxentur. Plerique enim studio cupiditatis illecti solent interdum mulieres ingenuas puellasque pravè decipere, & simulantes ad tempus servos suos esse ingenuos, hortantur eas maritos illos accipere, quos postea natis prolibus in servitutem facilè possunt redigere. Vt ergo fraudis huius aditus extirpetur, præsenti iugiter mansura lege sancimus: ut deceptores rei istius manifestè detecti crimine notentur infamiæ, & illi quos sub nomine ingenuitatis antedictis personis repperiuntur associasse, sic ingenui cum filiis suis perenniter maneant, sicut eos ipsorum domini ingenuos professi iam antea fuerant. Sed & res omnes à tempore nuptiarum acceptas seu promissas, mulier vel puella sibimet vindicabit, si per idoneam probationem convicerit, maritum de quo agitur sub ingenuitatis spe sibi sociatum fuisse. Certè si puella vel mulier, aut etiam ipsorum parentes, id quod prædictum est, ita factum approbare nequiverint, servos pariter & eorum filios unà cum rebus omnibus indubitanter petitor obtinebit. Hic & de illis ancillis ordo servandus est, quæ viris ingenuis tali noscuntur fraude esse coniunctæ. Nam & de libertis, quos ita constiterit copulatos existere cum ancillis aut servis, huius servanda erit sanctio legis.

VIII. ANTIQVA.

Si absque voluntate parentum mulier ingenua marito sese coniungat ingenuo.

SI puella ingenua ad quemlibet ingenuum venerit ea conditione, ut eum sibi maritum acquirat, priùs cum puellæ parentibus conloquatur: & si obtinuerit, ut eam uxorem habere possit, precium dotis parentibus eius, ut iustum est, impleatur. Si verò hoc non potuerit obtinere, puella in parentum voluntate consistat. Quòd si absque cognitione & consensu parentum

eadem

eadem puella ſponte fuerit viro coniuncta, & eam parentes in gratiam recipere noluerint, mulier cum fratribus ſuis in facultate parentum non ſuccedat, pro eo quòd ſine voluntate parentum tranſierit pronior ad maritum. Nam de rebus ſuis ſi aliquid ei parentes donare voluerint, habeant poteſtatem. Ipſa quoque de donatis & profligatis rebus, faciendi quod voluerit libertatem habeat.

TITVLVS III. DE RAPTV VIRGINVM VEL VIDVARVM.

I. ANTIQVA.

Si ingenuus ingenuam rapiat mulierem, licet illa virginitatem perdat, iſte tamen illi coniungi non valeat.

SI quis ingenuus rapuerit virginem vel viduam: ſi, antequam integritatem virginitatis aut caſtitatis amittat, puella vel vidua potuerit à raptu revocari, medietatem rerum ſuarum ille qui rapuit perdat, ei quam rapuerit conſignandam. Si verò ad immunditiam, quam voluerit, raptor potuerit pervenire, in coniugio puellæ vel viduæ mulieris, quam rapuerit, per nullam compoſitionem iungatur; ſed cum omnibus rebus ſuis tradatur ei cui violentus fuit, & ducentos inſuper in conſpectu omnium publicè ictus accipiat flagellorum, & careat ingenuitatis ſuæ ſtatu, parentibus eiuſdem cui violentus extiterit, aut ipſi virgini, vel viduæ quam rapuerit, in perpetuum ſerviturus: ita ut ad eius quam rapuerat coniugium nullo unquam tempore redeat. Quòd ſi factum fortaſſe conſtiterit, quidquid de raptoris rebus pro contumelia ſua perceperat, unà cum ipſo raptore amittat, illis procul dubio parentibus profutura, quorum hoc negotium fuerit exequutum inſtantia. Quòd ſi vir de alia uxore filios habens legitimos, raptum poſtea feciſſe convincitur, ipſe videlicet ſolus in eius quam rapuit ſerviturus poteſtate tradatur: res tamen raptoris filii eius legitimi obtinebunt.

II. ANTIQVA.

Si à potestate raptoris puellam parentes eripere potuerint.

SI parentes mulierem vel puellam raptam excusserint, ipse raptor parentibus eiusdem mulieris vel puellæ in potestate tradatur, & ipsi mulieri penitus non liceat ad eundem virum se coniungere. Quòd si facere præsumpserit, ambo morti tradantur. Si certè ad Episcopum vel altaria sancta confugerint, vitâ concessâ omnimodis separentur, & parentibus raptæ servituri tradantur.

III. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si consentiant raptori parentes de disponsata puella.

SI parentes raptori consenserint, pretium filiæ suæ, quod cum priore sponso definisse noscuntur, in quadruplum eidem sponso cogantur exsolvere. Idem verò raptor legibus sponso inexcusabiliter maneat abdicatus.

IIII.

Si fratres, vivo aut defuncto patre, consentiant raptori sororis.

SI vivo patre fratres raptori consenserint, aut in raptu sororis conscii comprobantur, excepta morte, dampnum quod de raptoribus est constitutum excipiant. Si verò post obitum patris fratres sororem suam raptori tradiderint, vel raptori levandam consenserint, pro eo quòd eam vel vili personæ, vel contra voluntatem suam nuptui tradiderint, cuius etiam honorem debuerant exaltare, medietatem facultatis suæ amittant, ipsi nihilominus sorori tradendam: & insuper in præsentia aliorum, à iudice quinquagena flagella suscipiant, ut hoc alii terrore commoti formident. Adiutores verò raptoris, qui cum ipso fuerint, disciplinam accipiant, sicut est in lege alia constitutum. Raptor autem inexcusabiliter superiori lege, & in rebus, & in status sui dignitate dampnetur.

V. ANTIQVA.

Si quiscunq; rapiat alienam sponsam.

SI alienam sponsam quicunque rapuerit, de raptoris ipsius facultatibus medietatem puellæ, aliam verò medietatem sponso iubemus addici. Quòd si minimam aut nullam habeat facultatem, is quem suprà memoravimus, cum omnibus quæ habuerit tradatur ad integrum: ita ut venundato raptore de eius pretio æquales habeant portiones. Ipse autem raptor, si per actum scelus est, puniatur.

VI. ANTIQVA.

Si quispiam de raptoribus occidatur.

SI quispiam de raptoribus fuerit occisus, ille qui percussit ad homicidium non teneatur, quod pro defendenda castitate commissum est.

VII. AN-

VII. ANTIQVA.

Infra quod tempus liceat accusare raptorem; & si parentibus vel puellæ cum raptore de nuptiarum definitione conveniat.

RAptorem virginis vel viduæ infra xxx. annos omnino liceat accusare: Quòd si cum puellæ parentibus, sive cum eadem puella vel vidua, de nuptiis fortasse convenerit, inter se agendi licentia negari non poterit. Transactis autem triginta annis omnis accusatio sopita manebit.

VIII. FLS. CHDS. REX.

Si servi mulierem ingenuam rapuerint.

AEquitatis opportunitas exigit legem ponere sequuturis, unde dubitationis occasio inter præsentes occurrit. Servi igitur si sciente domino vel iubente raptum facere præsumpserint, ad omnem legalem satisfactionem servorum dominus iudicis instantia compellendus est. Quòd si extra voluntatem domini, servi talia perpetraverint; iudicis iidem sententia comprehensi, ac decalvationis fœditate mulctati, trecentenis insuper singuli flagellorum ictibus verberentur. Ille tamen servus, qui ingenuæ mulieri per rapinam copulari quæsivit, pœnali sententiæ subiacebit.

IX. FLS. GLS. RGDS. REX.

Si servus mulierem libertati traditam rapuerit.

SI servus libertam rapuisse detegitur, quoniam iam non unius conditionis esse noscuntur, ideo, si idoneus servus est, qui talia commisisse detegitur, & idoneam libertam rapuisse invenitur, si voluerit dominus eius, c. solidos pro eo componat; si certè noluerit, eundem servum tradere non desistat: ita ut ipsi mulieri ultra non liceat eundem raptorem sibi in coniugio copulare. Quòd si ad eius aliquando coniugium venerit, & filii exinde fuerint procreati; dominus ille, cuius servus rapti crimen admiserat, & servum & agnationem sibi vindicet servituram. Sin autem rusticus, aut vilissimus servus esse noscatur, & similem libertam rapuisse cognoscitur; quantum ipsum servum valere constiterit, tantum pretium dominus servi prædictæ mulieri persolvere procurabit. Ipse verò servus, centenis flagellorum ictibus verberatus, ac turpiter decalvatus, in potestate domini sui erit perpetim permansurus.

X. FLS. CHDS. REX.

Si servus ancillam alterius rapuerit.

SI servus ancillam iuris alieni rapuerit, ducentorum flagellorum verberibus cæsus ac decalvatus; ab ancilla etiam, si dominus ancillæ voluerit, absque dubio separetur.

XI. FLS. CHDS. REX.

De sollicitatoribus filiarum & uxorum alienarum, vel etiam viduarum; ac de his, qui puellam aut viduam ingenuam, absque regio iussu, violenter dare marito præsumpserint.

OMne quod honestatem vitæ commaculat, legalis necesse est ut censura coërceat. Idcirco sollicitatores adulterii uxorum vel filiarum alienarum, atque viduarum vel sponsarum, si per ingenuum vel ingenuam, seu per servum aut ancillam, atque etiam libertam aut libertum, mox manifestis indiciis talium scelerum mandata deferentes patuerint, cum eis etiam à quibus missi fuerint, iudicis instantia comprehensi, in eius potestate tradantur, cuius uxorem, vel filiam, vel sponsam sollicitasse reperiuntur: ut illi quoque de his quod voluerit sit iudicandi libertas, quem coniugalis ordo, vel parentalis propinquitas, huius ultorem criminis legaliter esse demonstrat. Illi quoque qui puellam ingenuam vel viduam absque regia iussione marito violenter præsumpserint tradere, quinque libras auri ei, cui vim fecerint, cogantur exsolvere: & huiusmodi coniugium, si mulier dissentire probatur, irritum nihilominus habeatur.

XII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De ingenuis atque servis, quos in raptu interesse constiterit.

QVi in raptu interfuisse cognoscitur, si liber est, sex auri uncias reddat, & quinquaginta ictus flagellorum publicè extensus accipiat. Nam si servus fuerit, & sine domini voluntate hoc fecerit, C. publicè flagella suscipiat. Quòd si servus in raptu interfuerit cum domini voluntate, dominus ita pro eo componat, sicut & de ingenuis est constitutum.

TITVLVS IV. DE ADVLTERIIS.

XV. *Si*

I. ANTIQVA.

Si connivente, aut non connivente uxore cum alio viro adulterium fiat.

SI quis uxori alienæ adulterium intulerit violenter, si ipse adulter filios habens legitimos talia perpetraverit, ipse solus absq; rebus addicatur marito mulieris. Si autem filios legitimos non habuerit, quibus facultas sua deberi legitimè possit, cum omnibus rebus suis in potestatem mariti mulieris deveniat, ut in eius potestate vindicta consistat. Quòd si mulieris fuerit fortasse consensus, marito similis sit potestas de his faciendi quod placet.

II. ANTIQVA.

Si puella vel mulier disponsata adulterasse reperiatur.

SI inter sponsum & sponsæ parentes, aut cum ipsa forsitan muliere, quæ in suo consistit arbitrio, dato precio, & sicut consuetudo est, ante testes facto placito, de futuro coniugio, aut cum parentibus eius, quibus lex potestatem tribuit, facta fuerit definitio, & postea puella vel mulier adulterium commisisse detegatur, aut fortasse alteri viro se dispondisse, vel in coniugio sociasse probatur, unà cum adultero sive iniusto marito, vel sponso illicito, quem sibi contra priorem definitionem sociare præsumpsit, in potestate prioris tradantur sponsi, cum rebus suis omnibus servituri: si tamen filios de priori coniugio adulter ille vel transgressor, seu mulier ipsa non habuerit. Quòd si filios legitimos habere probantur, tunc omnes res ad eosdem filios pertinebunt. Ipsi tamen, id est, tam mulier ipsa scelerata, quàm etiam vir ille qui illam adulterasse, vel sponsasse, vel in coniugio sibi sociasse dinoscitur, in potestate illius, cui primùm prædicta mulier pacta fuerat, servituri tradantur: ut de his quod voluerit faciendi habeat potestatem, & pretium ad illum sponsum qui dederat, revertatur.

III. ANTIQVA.

De adulterio uxoris.

SI cuiuslibet uxor adulterium fecerit, & deprehensa non fuerit, ante iudicem competentibus signis & indiciis maritus accuset. Quòd si mulieris adulterium manifestè patuerit, adulter & adultera secundum superioris legis ordinem ipsi tradantur: ut quod de de eis facere voluerit, in eius proprio consistat arbitrio.

IIII. ANTIQVA.

Si adulter cum adultera occidatur.

SI adulterum cum adultera maritus vel ſponſus occiderit, pro homicida non teneatur.

V. ANTIQVA.

Si pater vel propinqui in domo adulteram occiderint filiam.

SI filiam in adulterio pater in domo ſua occiderit, nullam pœnam aut calumniam incurrat. Si certè eam reſervare voluerit, faciendi de ipſa & adultero quod voluerit, habeat poteſtatem. Similiter & fratres ſive patrui, poſt obitum patris, faciendi habeant poteſtatem.

VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quòd ſerui præventos adulteros occidere non iubentur.

SIcut parentibus in domo repertos adulteros necare conceditur, ita præventi à ſervis perimi non iubentur: ſed cùm eos ſervi repererint, ſub honeſta cuſtodia teneant, donec aut domino domus, aut iudici præſentandos exhibeant, & detectos certis indiciis legalis pœna percellat.

VII. ANTIQVA.

Si puella vel vidua ad domum alterius pro adulterio venerit, eamq; vir ipſe coniugem habere velit.

SI puella ingenua ſive vidua ad domum alienam adulterii cauſa venerit, & ipſam ille uxorem habere voluerit, & parentes, ut ſe habeant, acquieſcant; ille pretium det parentibus, quantum parentes puellæ velint, vel quantum ei cum ipſa muliere convenire potuerit. Puella verò de parentum rebus nullam inter fratres ſuos, niſi parentes voluerint, habeat portionem.

VIII. ANTIQVA.

Si mulier ingenua ſponte adulterio cuicunque ſe miſceat viro.

SI ingenua mulier cuicunque viro ſe adulterio volens miſcuiſſe detegitur: ſi eam ipſe uxorem habere voluerit, habeat poteſtatem: ſi autem noluerit, ſuæ imputet culpæ, quæ ſe adulterio volens miſcuiſſe cognoſcitur.

IX. ANTIQVA.

Si mulier ingenua marito alterius ſeſe iungat ſtupro.

SI qua mulier ingenua marito alicuius adulterio ſe ſociaverit, & ex hoc manifeſtis indiciis & probatione convincitur, addicatur uxori, cuius marito ſe miſcuit, ut in ipſius poteſtate vindicta conſiſtat.

X. ANTIQVA.

Pro adulterio torquendos ſervos & ancillas in capite dominorum.

PRo cauſa adulterii etiam in domini dominæve capite ſervi vel ancillæ torquendi ſunt: ut veritas & certiùs poſſit inveniri, & indubitanter agnoſci.

XI. AN-

XI. ANTIQVA.

Si pro cœlando adulterii ſcelere mancipium libertati tradatur.

SI quis pro occultanda veritate mancipium manumittat, ne poſſit pro adulterii probatione torqueri, libertas data non valeat.

XII. FLS. CHDS. REX.

De adulterorum coniugum rebus.

PRæteritæ quidem legis ſanctione conſtitutum recolimus, adulteram mulierem pariter & adulterum marito eius tradi debere. Tamen quia de rebus eorum ſæpe iudices dubitare contingit, ideo ſpecialiter decernere neceſſarium extitit: ut ſi uxoris adulterium proponente viro manifeſtè patuerit, & tam adultera quàm adulter de priori coniugio legitimos filios non habuerint, omnis eorum hereditas marito mulieris adulteræ cum perſonis pariter addicatur. Certè ſi filios legitimos de priori coniugio adulter habuerit, ipſis eius hereditas ex omnibus pertinebit, & huius tantùm perſona marito adulteræ ſubiacebit. Vxor autem adultera, ſi de priori coniugio & de poſtremo legitimos filios habere dinoſcitur, ſequeſtrata filiis de priore coniugio portione, & in eorum poteſtate relicta, ſic ſuorum filiorum, ex eadem quæ poſtmodum in adulterio convincitur coniuge creatorum, maritus eius portionem obtineat, ut poſt ſuum obitum eiſdem filiis poſſidendam relinquat: ita tamen, ut poſtquam uxor adultera in poteſtatem fuerit mariri redacta, nulla ſit illi ulteriùs vel fornicandi cum illa, vel in coniugio illam ſibi ſociandi licentia. Nam ſi fecerit, ipſe quidem de rebus eius nil habiturus eſt: omnis tamen mulieris facultas, aut filiis eius legitimis, aut, ſi filii defuerint, heredibus mulieris ex toto proficiat. Similis ratio & de ſponſatis forma ſervetur.

XIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De perſonis quibus adulterium accuſare conceditur; & qualiter perquiri vel convinci iubetur.

SI perpetratum ſcelus legalis cenſura non reprimit, ſceleratorum temeritas ab adſuetis vitiis nequaquam quieſcit. Ideoque quia quorundam interdum uxores viros ſuos abominantes, ſeſeque adulterio polluentes, ita potionibus quibuſdam, vel maleficorum factionibus, eorundem virorum mentes alienant atque præcipitant, ut nec agnitum uxoris adulterium accuſare publicè vel defendere valeant, nec ab eiuſdem adulteræ coniugis conſortio vel dilectione diſcedant: id in cauſis talibus omnino ſervandū eſt, ut ſi eiuſdem adulteræ, vel decepti mariti ætate ſunt legitimi filii, ipſis iuxta quod maritus adulteræ requirere poterat, ſit apud iudicem mulieris adulterium accuſandi vel comprobandi licentia. Certè ſi aut filii deſunt, aut non eiuſdem ætatis vel ſolertiæ, qui hoc expedire legitimè poſſint, ne fortaſſe, dum dilatio ulciſcendi adulterii intercedit, aut deceptum maritum fraudulenter adultera perimat, aut facultas eius filiis ſuis vel propinquis ex hac occaſione

depereat, propinquis mariti adulteræ ſub hac diſcretione accuſandi adulteram lex iſta conſtituit: ut ſi accuſationis huius fiduciam aſſumentes, adulterium mulieris eorum inquiſitione coram iudice manifeſtè patuerit, tunc adulter ſive etiam adultera, qui hoc ſcelus convicti fuerint commiſiſſe, cum omnibus rebus ſuis illis incunctanter tradendi ſunt ſervituri, qui hanc cauſationem ſecundum inſtitutionem legis viſi fuerint iuſtiſſimè proſequi, ſalvis tantùm animabus, quas ad lamenta pœnitentiæ pietatis indulgentia reſervamus, ea tamen quæ in detruncatione vel flagello corporis in eis impertire voluerint, licentiam per huius legis ſanctionem decernimus. Verumtamen, tam eiuſdem adulteræ filii ex ipſo iam tempore, quo convicta fuerit tale facinus perpetraſſe; quàm etiam propinqui ſui, poſt eius uiri obitum, ſi filii defuerint, adulteræ mulieris obtineant facultatem. Si autem filii poſt eius obitum ſuperſtites extiterint, & tamen aut non eiuſdem ætatis, aut non talis experientiæ, qui mulieris adulterium accuſare vel convincere competenter intẽdant; tunc ille propinquus mariti, qui manifeſtum mulieris adulterium ultus fuerit, quintam partem facultatis adulteræ pro labore ſuo percipiat: quatuor autem partes ad integrum prædictorum filii ſibi vindicent ac defendant. Nam ſi aut propinquorum in hac parte tepiditas, aut filiorum negligentia, vel fortaſſis muneris acceptio, utroſque corrumpens, minimè fuerit eadem actio à talibus perſonis quæſita; dum ad regiam cognitionem eadem cauſa pervenerit, ipſe procul dubio pro mercede ſua conſtitutus eſt, vel à quo debeat tale negotium proſequi, vel quantum perſequutor de rebus ſceleratæ mulieris pro commodo ſui laboris incunctanter conſequi poſſit. Verùm quia difficilè fieri poteſt, ut per liberas perſonas mulieris adulterium indagetur, dum frequenter hoc vitium occultè perpetrari ſit ſolitum: proinde quando ad convincendum adulterium accuſatæ mulieris ingenuitas omnino defuerit, prædictis perſonis quibus eius adulterium accuſare, præſenti lege permiſſum eſt, hoc etiam apertè licitum erit, ut per quæſtionem familiæ utriuſque domini accuſatæ mulieris adulterium coram iudice iuſtiſſimè requiratur.

XIV. ANTIQVA.

Si ingenuus ſive ſervus virginem aut viduam ingenuam violenter polluiſſe adulterio detegatur.

SI virginem quiſque vel viduam ingenuam violenter adulterandam compreſſerit, vel ſtupri forſitan commixtione polluerit: ſi ingenuus eſt, c. flagellis cæſus, illi continuo, cui violentus extitit, ſerviturus tradatur: ſervus verò comprehenſus à iudice ignibus concremetur. Ingenuus tamen pro huiuſmodi ſcelere traditus, nullo unquam tempore ad eius, quam compreſſit vel ſtupravit, pervenire coniugium admittatur. Quòd ſi hæc ipſa mulier, quæ violentiam pertulit, poſtea eum ſibi traditum ſervum acceperit, aut qualibet occaſione eum ſibi in coniugio copulare præſumpſerit; tunc ipſa mulier, turpiſſimæ factionis ſuæ ſentiens damna, cum omnibus rebus ſuis propriis heredibus ſervitura ſubiaceat.

XV. AN-

XV. ANTIQVA.

Si ingenuus sive servus, sciente aut nesciente domino, alienam consentientem adulterasse convincitur ancillam.

SI extra domum domini sui se adulterio volens ancilla miscuisse convincitur, ancillam tantummodo iudicandi dominus habeat potestatem. Si verò ingenuus aut servus cum ancilla ex consensu in domo domini ancillæ reperiantur talia commisisse: ingenuus quidem pro idonea ancilla absque infamia centum verbera ferat, pro inferiori verò quinquaginta: servus autem centum quinquaginta flagella suscipiat.

XVI. ANTIQVA.

De adulterio ancillæ, seu id cum adultero violenter aut consentienter fecisse probetur.

SI ancillam quicunque violenter compresserit alienam, eamque adulteraverit, & vel in domo domini sui fuerit comprehensus, vel in quocunque loco violentus extitisse convincitur, servus quidem ducentos ictus accipiat flagellorum: ingenuus verò quinquaginta, & insuper xx. solidos ancillæ domino coactus exsolvat. Dominus tamen, si id servo faciendum iussisse probatur, superiori ingenuorum & dampno & flagello subiaceat.

XVII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De meretricibus ingenuis vel ancillis, aut si earum scelus iudices perquirere vel corrigere noluerint.

SI aliqua puella ingenua sive mulier, in civitate publicè fornicationem exercens, meretrix agnoscatur, & frequenter deprehensa in adulterio, nullo modo erubescens, iugiter multos viros per turpem suam consuetudinem adtrahere cognoscitur, huiusmodi à Comite civitatis comprehensa trecentenis flagellis publicè verberetur, & discussa ante populum dimittatur: sub ea conditione, ut postmodum in turpibus vitiis nullatenus deprehendatur, nec unquam in civitatem ei veniendi aditus detur. Et si postmodũ ad pristina facta rediisse cognoscitur, iteratim à Comite civitatis trecentena flagella suscipiat, & donetur à nobis alicui pauperi, ubi in gravi servitio permaneat, & nunquam in civitate ambulare permittatur. Et si fortè contingat, ut cum conscientia patris sui vel matris adulterium admittat, ut quasi per turpem consuetudinem & conversationem victum sibi vel parentibus suis acquirere videatur, & ex hoc pater vel mater fuerint pro hac iniqua conscientia fortasse convicti, singuli eorum centena flagella suscipiant. Si verò ancilla cuiuscunque in civitate simili conversatione habitare dinoscitur, à iudice correpta trecentis flagellis publicè verberetur, & decalvata domino reformetur, sub ea conditione, ut eam longiùs à civitate faciat conversari; aut certè tali loco transuendat, ubi penitus ad civitatem accessum non habeat. Quòd si forsitan nec ad villam transmittere, nec vendere voluerit, & hæc iterum ad civitatem reversa fuerit, huiusmodi dominus in conventu publi-

cè quinquaginta flagella suscipiat. Ipsa verò ancilla donetur alicui pauperi, quem Rex, vel Iudex, aut Comes eligere voluerint: ita ut postmodum ad eandem civitatem illi veniendi aditus non præstetur. Quòd si contigerit, ut cum domini voluntate adulterium commisisset, adquirens per fornicationem pecuniam domino suo, & ex hoc publicè fuerit convictus, ipse dominus eundem numerum flagellorum, qui superiùs de eadem continetur ancilla, suscipiat. Similiter & de ipsis præcipimus custodiri, quæ per vicos & villas in adulterii consuetudine fuerint deprehensæ. Quòd si iudex per negligentiã, aut fortasse beneficio retentus, talia vitia requirere, aut contestari, vel distringere noluerit; à Comite civitatis c. flagella suscipiat, & xxx. solidos reddat ei, cui à nobis fuerit ordinatum.

XVIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De immunditia sacerdotum & ministrorum.

QVia quanto magis munditiam carnis sacra auctoritas imperat, tanto hanc appetere ipsius ministros eius clamor informat: ideo & nos ponere finem inlicitis ausibus ritè compellimur, quoniam & ipsi divinis nutibus devotissimè placere conamur. Igitur quemcunque etiam presbyterum, diaconum atque subdiaconum, Deo votæ, viduæ, pœnitenti, seu cuicunque virgini, vel mulierculæ seculari, aut coniugio aut adulterio commixtum esse evidentissimè patuerit, mox hoc Episcopus sive Iudex, ut repererint talem commixtionem, disrumpere non retardent. Redacto autem illo in sui Pontificis potestatem, sub pœnitentiæ lamenta iuxta sacros Canones deputetur. Quam districtionis severitatem, si Pontificum torpor implere neglexerit, idem Pontifex duas libras auri fisco persolvat, & commissum malum vindicare non differat. Quòd si corrigere hoc nequiverit, aut concilium appellet, aut Regis hoc auditibus nunciet. Mulieres verò, quæ illis fuerint prædictis immunditiis implicatæ, centenis flagellis à Iudicibus verberentur, & commiscendi se illis aditus omnino denegetur: servata ab Episcopis etiam super hoc scelere in utroque sexu patrum sententia, quæ Canonum decretis agnoscitur ordinata. In ulciscendis autem talibus sceleribus non passim damus accusandi vel puniendi licentiam, nisi aut manifestis indiciis patuerit scelus, aut legitimè fuerit idipsum malum accusatum atque convictum: quatenus nulla videamur intentione vel ordine patrum transgredi præcepta sanctorum, aut obviare sacris regulis antiquorum.

TITVLVS V. DE INCESTIS ET APOSTATIS ATQVE MASCVLORVM CONCVBITORIBVS.

VI. *De*

VI. *De violantibus paternum atque fraternum thorum.*
VII. *De Sodomitis, quæ debeant vltionis sententia percuti.*

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

De coniugiis & adulteriis incestivis.

NVllus præsumat de genere patris vel matris, avi quoque vel aviæ, seu parentum, uxoris, fratris etiam disponsatam aut viduam, vel propinquorum suorum relictam, sibi in matrimonio copulare, vel adulterio polluere: ita ut usque ad sextum generis gradum nulli liceat sanguinis propinquitatem libidinose fœdare, vel in coniugio appetere; exceptis illis personis, quas per ordinationem atque consensum Principum, ante hanc legem constat adeptas fuisse coniugium: quæ nequaquam per legis huius edictum teneri poterunt ad reatum. Similis & de mulieribus ordo servandus est. Qui verò contra hanc constitutionem præsumpserint facere, iudex eos non differat separare, vt à tam nefanda pollutione divisi, iuxta qualitatem sexus, in monasteriis delegentur illic iugiter permansuri. Quid verò de eorum facultatibus observari conveniat, subteriùs correctæ legis sententia manifestatur.

II. FLS. GLS. RCHDS. REX.

Item de coniugiis & adulteriis incestivis, seu virginibus sacris ac viduis & pœnitentibus, laicali veste vel coitu sordidatis.

VNIVERSIS PROVINCIIS DOMINO ORDINANTE AD REGNI NOSTRI DITIONEM PERTINENTIBVS. Noxia præteritorum operum pravitas fecit futuris temporibus legem ponere, & vitiosis facinoribus licentiùs inolitis termino iustitiæ obviare. Audetur denique à multis, contra divinæ legis monita, vel contra honestos vitæ communis mores, devotas Deo virgines, & continentiam viduitatis cum benedictione sacerdotis iuxta morem Canonum profitentes, seu affinitate consanguinitatis coniunctas fœminas, aut violenter, aut per consensum sibi coniuges sumere, & Deo dicatam castitatem vel reverendam generis copulationem, inconcessæ libidinis immunditia sordidare. Quæ temeritas, dum vel à viris vel à fœminis eiusdem professionis admittitur, & castis abhorret moribus, & fidem veram impugnat. Zelamus enim pro veritate zelo Dei, atque Ecclesiam sanctam catholicam his fidei nostræ commonemus decretis: ut deinceps, sicut & Canones ecclesiastici prohibent, nullus Deo devotam virginem, nullus sub religionis habitu consistentem, sive viduitatis continentiam profitentem, seu agentem pœnitentiam, vel sui proximam generis, aut eam de cuius admixtione incestivæ notam possit subire infamiæ, non licito connubio, aut vi, aut consensu accipiat coniugem. Quia nec verum poterit esse coniugium, quod à meliori proposito deducitur ad deterius; & sub falsinominis copula, incestiva pollutio & fornicationis immunditia perpetratur. Hoc verò nefas si agere amodo provinciarum nostrarum cuiuslibet gentis

homines sexus utriusque temptaverint, insistente sacerdote vel iudice, etiamsi nullus accuset, omnibus modis separati exilio perpetuo relegentur, nec aliqua in defensione sui, quo usque vixerint, longitudine temporis excusentur. Eorum verò bona qui talia gesserint, & pro talibus culpis dampna legis huius exceperint, si eis de priori coniugio filii defuerint, ipsorum filiis absque infamiæ nota omnino proficiant, quia licet sint scelerarè concepti, sunt tamen unda sacri baptismatis expiati. Quòd si filii fortasse defuerint, illi ad capiendam hereditatem succedant, quibus priscarum legum sanctio legitima successione indulget. Similis quoque de religiosis forma servabitur, quibus nubere Canonum sententia prohibetur: illis tantùm fœminis ab hac sententia segregatis, quæ violentiam coniunctionis indebitæ sine præcedenti vel sequenti consensione pertulerint. Sacerdotes verò vel iudices, si talia cognoscentes ulcisci fortasse distulerint, quinas auri libras fisco cogantur exsolvere. Quòd si fortè id redarguere voluerint, nec potuerint, regis hoc auditibus insinuare procurent: ut quod eorum non potuit vindicare sententia, principalis dampnet omnino censura.

III. FLS. GLS. CHDS. REX.

De viris ac mulieribus tonsuram & vestem religionis prævaricantibus.

APostaticæ calamitatis opprobrium ex hoc merito funditus extirpare compellimur, ex quo dominum nobis fore propitium confidimus. Si enim cum minima peccata corrigimus, pietatem eius fautricem nobis efficimus; quanto magis, si scelus in divinitate commissum severissimæ censuræ falce rescindimus? Ideoq; hac in perpetuum valitura lege sancimus: ut quicunque religionis habitum per honorabile tonsuræ signum, aut tempore pœnitentiæ susceperint, aut non fraudulenta, sed pia parentum oblatione meruerint, aut propriæ voluntatis devotione tenuerint, & ad laicalem conversationem postmodum apostatizando redierint, iuxta sententiam canonicam ad eundem religionis ordinem quolibet prosequente reducantur inviti, atque infamiæ nota respersi, & in monasteriis perenniter religati, districtiori macerentur pœnitentia corrigendi. Illis tantum supplicio severitatis huius indulto, quos aut alienæ fraudis coëgit impulsio, aut ad ordinis omissi regressum voluntatis propriæ reduxerit votum: si tamen nec vir post hæc uxorem duxerit, nec mulier maritum alterum acceperit. Illos etiam ab hac sententia immunes efficimus, qui sic invalescente langore ad pœnitentiæ vel tonsuræ pervenerint ordinem: ut id se nec accepisse tunc noverint, nec petisse meminerint. Prævaricantium verò bona, eorum filiis aut propinquis hac discretione pertineant: ut vir habens uxorem, si filios etiam ex eadem habuerit, & donatum aliquid ab ipsa perceperit: si superstes uxor est, ita possideat, ut post suum obitum communibus filiis possidendum relinquat. Certè si aut ipsa discesserit, aut communes filii desunt, proprietatem prævaricatoris viri propinqui eius heredes incunctanter obtineant. Nam quod ab uxore quolibet tempore donatum fortasse perceperat, propinquis uxoris heredibus absque dubitatione proficiat. Hæc etiam de fœminis omnino servabitur

vabitur forma: ut pœnitens virgo vel vidua, si veste religiosa deposita, secularia denuo sumpserint indumenta, aut inierint fortasse coniugia, similis eas & in amissione rerum, juxta superiorem de viris taxatum ordinem, censura redarguat, & districtionis pœna percellat: ita videlicet, ut proprietatem fœminæ eius filii aut heredes habeant: donationem autem à viro perceptam propinqui mariti, à quo conscripta donatio dinoscitur, deberi sibi cognoscant. Et quoniam apostatizandi præcipitatio fraude potiùs mulierum sæpissime perpetratur, id etiam oportuit præsenti lege censendum: ut quidquid à viro seu ante nuptias, seu post nuptias, in nomine sponsæ vel uxoris titulo fuerit dotali conscriptum, non mulieris eius heredes, sed heredes eius qui dotem conscripsit, sibimet per omnia noverint vindicandum. Personis verò talibus accusandi, vel testificandi, atque aliena negotia prosequendi licentiam penitus abnegamus. Quia non poterunt in negotiis secularibus fideles existere, qui devotionem sanctam ausu comprobantur sacrilego temerasse.

IV. IN NOMINE DOMINI. FLS. GLS. EGIGA REX.

De speciali viduarum fraudulentia compescenda.

SOlet quarumdam infelicium viduarum astutia fraudem devotioni admiscere, & permixta vestium simultate, transgressionis sibi, cùm voluerit, aditum reserare. Agunt enim tempore luctus sui, ut religiosa veste fortè se induant, & postea transgressionis meditantes insaniam, replicatos abintus clavos suis tunicis insuant, quos induisse sub tali fraudum argumentatione contendant. Sicque per hoc intuentium fallunt oculos: quia aliud in eis publicè videre non possunt, quàm quod foris patula omnibus cognitione monstratur. Quapropter ut omnis de cætero simultatis amputetur occasio, id tenendum præsenti sanctione legis decernimus, ut abinceps quæcunque vidua isto se fraudum argumento excusare voluerit, ut abintus aliud replicet, aliudque ostendat in superficie tunicæ, hoc illi religionis deputetur in signo, quòd ex transgressionis delictis admissa vel adnisa est argumento: quia non quod illa ad transgressionem sibi usurpat, sed quod intuentium fides clamat, hæc certa, hæc vera religionis approbanda sunt signa. Iam verò vidua quæ deinceps tali se voluerit obiectione defendere, vel excusatione coelare, non solum quasi præcisæ vocis huius sustinebit iacturam, sed transgressionis omnimodæ nexibus illigata, constituta Canonum & legum non effugiet dampna.

VIII. FLS. GLS. CHDS. REX

De masculorum stupris.

NOn relinquendum est scelus inultum, quod detestandum semper & execrabile morum pravitate censetur. Masculorum ergo concubitores, vel ii qui talia consentientes pertulerint, ista sunt legis huius sententia feriendi: ut ubi scilicet mox tale nefas admissum iudex evidenter investigaverit, utrosque continuo castrare procuret: & tradens eos Pontifici territorii ipsius, ubi id perpetrari contigerit, sequestratim arduæ mancipentur detrusioni, vel

inviti saltem luituri commissa, qui voluntariè perpetrasse noscuntur inlicita. Hoc interim horrendum dedecus, si inferens quisque vel patiens, non voluntarius sed invitus explere dinoscitur: tunc à reatu poterit immunis haberi, si nefandi huius sceleris ipse detector extiterit. Ille procul dubio tenendus est ad pœnam, quem in hanc sponte devolutum constat infamiam. Habentes autem uxores, qui de consensu talia gesserint, facultatem eorum filii aut heredes legitimi poterunt obtinere. Nam coniugi sua tantum dote percepta, suarumque rerum integritate retenta, nubendi cui voluerit indubitata illi manebit & absoluta licentia.

VI. FLS. RCDS. REX.

De violantibus paternum ac fraternum thorum.

SVperiori quidem lege de propinquorum incestu quid debeat observari, decretum est: tamen quia non minoris esse constat sceleris, paternum thorum sive fraternum commaculari, constituentes adiicimus, ut concubinam patris sui vel fratris, aut eam quam scierit patrem suum aut fratrem vel semel adulterasse, seu sit libera sive ancilla, nullus unquam propinquorum adulterare præsumat: neque pater adulteratam à filio stupri fœditate aliquatenus polluat. Quòd si talia quisque sciens facere fortasse præsumpserit, facultatem eius, si filios legitimos non habuerit, heredes quos successio expectat, obtineant: ipse verò sub pœnitentia relegatus, perennis exilii dampnationem excipiat.

VII.

De Sodomitis, qua debeant ultionis sententia percuti.

ORthodoxæ fidei ratione compellimur, legalem censuram inhonestis exhibere moribus, & continentiæ freno restringere carnis lapsibus implicatos. Nam tunc potiùs genti ac patriæ nostræ clementi pietate consulimus, cùm & pravorum funditus scelera extirpare curamus, & in malè actis vitiorum terminum ponimus. Illud sanè facinus detestandæ libidinis abrogare contendimus, quibus masculi masculos inlicita stupri actione, immundis sordibus maculare non metuunt, tantique se flagitii coinquinationibus polluunt, quanto ea & divinis adversa cultibus, & contraria castitati conspicimus. At verò licet, huiusmodi lapsus & sacræ scripturæ auctoritas, & mundanæ sanctionis prohibeat omnino censura; novellæ tamen legis necesse est abrogari sententia, ne dum emendatio opportuna differtur, peioribus crescere vitiis dinoscatur. Et ideo huius legis edicto decernimus, ut quicunque amodo vel deinceps, seu de religiosis sive ex laicis, cuiuslibet ætatis aut generis homo præscripto fuerit scelere quibuscunque indiciis manifestè detectus, mox iubente Principe, vel quolibet iudice insistente, non solùm castrationem virium perferat; sed insuper illam in se iacturam accipiat ultionis, quam pro his causis nuper, in anno videlicet tertio regni nostri, sacerdotalis decreti promulgata sententia evidenti descriptione deprompsit.

TITV-

TITVLVS VI. DE DIVORTIIS NVPTIARVM ET DISCIDIO SPONSORVM.

I. ANTIQVA.

Si mulier viri sui iustè vel iniustè divortium patiatur.

MVlierem ingenuam à viro suo repudiatam, nullus sibi in coniugio sociare præsumat. Quòd si facere quicunque præsumpserit, mox ut Comes civitatis, vel vicarius, aut territorii iudex, tale nefas commissum agnoverit: si nobiles fuerint fortasse personæ, quos iudex distringere aut separare non possit, nostris id auditibus confestim publicare non differat: ut severitatem legis, quam merentur, excipiant. Nam si minoris loci personæ sunt, iudex eos continuò separare nequaquam moretur. Ita ut tam mulier, quæ se adulterio extra voluntatem mariti prioris in coniugium copulavit, quàm etiam ille, qui eam sibi assumere uxorem præsumpsit, in potestate tradantur anterioris mariti; ut quid de eis facere voluerit, sui sit incunctanter arbitrii. Si tamen causam inter priorem maritum & uxorem adhuc inauditam manere constiterit, aut si idem maritus alteri se mulieri in matrimonio non coniunxerit. Certè si maritus uxorem iniustè reliquerit, & donationem dotis amittat, quam ei contulerat, eidem mulieri procul dubio profuturam, & de rebus eiusdem mulieris nihil se habiturum esse cognoscat. Sed quidquid etiam de facultate ipsi9 mulieris vel alienasse vel fraudasse dinoscitur, ad integrum distringente iudice mulieri restituat. Quòd si mulier sub metu viri sui consistens, quocunque argumento persuasa sive decepta, aliquam de suis rebus, in nomine illius viri qui eam reliquit, scripturam conscripserit, huiusmodi scriptura nullam omnino firmitatem habebit: sed universa, quæ per eandem scripturam mulier dederat, iuri suo perenniter vindicabit.

II. NOV. EMD. FLS. CHDS. REX.

Ne inter coniuges divortium fiat.

SI alienam coniugem violare, sine crimine non est; quanto magis illam contemnere, quam sponte sua unusquisque possidendam sortitus est? Quia ergo plerosque tam præcipites habet, vel rerum ambitio, vel effrenata libido: ut quadam fraude, coniugibus suis spretis, alias videantur uxores appetere, constitutionis huius est perenniter forma servanda. Vt nullus virorum, excepta manifesta fornicationis causa, uxorem suam aliquando relinquat; & neque per testem, neque per scripturam, sive sub quocunque argumento, facere divortium inter se & suam coniugem audeat. Sed si adulteram maritus dixerit fortasse redarguendam, iuxta legem aliam, eius publicè scelere comprobato, à iudice sibi faciendi de ea quod voluerit, sit illi potestas. Certè si conversionis ad dominum voluntas extiterit, communem

assensum viri scilicet & mulieris sacerdos evidenter agnoscat: ut nulla postmodum cuilibet eorum ad coniugalem aliam copulam revertendi excusatio intercedat. Quòd si aliter quisque uxorem suam spernens, quamcunque calliditatem scripturarum ab ea sibi suisque voluntatibus profuturam exegerit, non solum tale vinculum quandoque repertum fuerit, nihilominus firmitatem habebit: sed eadem mulier, tam facultatem suam, quàm dotem ab ipso viro acceptam, sibi in omnibus vindicabit: & si quid aliud facultatis eiusdem pessimi viri fuerit, cunctis eorum filiis ad integrum pertinebit. Quòd si aut communes filii, aut eiusdem viri ex coniugio praecedenti non fuerint, universam viri facultatem mulier, quae per nequitiam illius à coniugio resoluta est, incunctanter poterit obtinere. Et hanc causationem vel accusationem, si mulierem constiterit fortasse defunctam, eius filii in cuiuscunque voluerint proponendi iudicio licentiam habituri sunt: ut reperto tali crimine vir utique huius sceleris, istius legis mulctetur sententia; & omnibus filiis, seu ex eodem pari coniugio, sive ex praecedenti ipsius viri, ut diximus, procreatis, aequaliter facultas eius obtinenda patescat. Certè si nec communes filii, nec ex priori ipsius viri coniugio geniti, superstites extiterint: & ea forsitan mulier, quae relicta est, ex priori digno coniugio filios videatur habere, ipsis proculdubio licitum erit maternam vocem asserere: ut eorum instantia cum fuerit, iuxta praesentem legem, scelerati persona damnata, facultatem eius indubitanter obtineant. Iam verò, si praedictarum personarum, vel viri vel mulieris, secundum praefatum ordinem, filii deesse noscuntur; contemptae mulieris hereditatem tunc rectè propinquis eius capiendi licitum erit, si despectum propinquae vindicaturi, spernentis viri praesumptionem legaliter condemnandam institerint. Maritus autem, qui vel divortii vel securitatis à coniuge scripturam quamlibet exegerit, seu fortasse non exigens, contempta tamen uxore, aliam sibi uxorem assumpserit, ducentis publicè verberibus flagellatus, ac turpiter decalvatione foedatus, aut perpetuo condemnetur exilio, aut si donare illum cuicunque Principis potestas elegerit, in suo consistat arbitrio. Sed & mulier, quae sciens, aut occasione qualibet agnoscens, virum habere superstitem uxorem, eius vanitati consenserit, ut ipsi se in coniugio copulet, illi protinus mulieri tradenda est, quae contempta ab eodem marito, quem illa sortita esse dinoscitur: ita ut vita tantùm concessa, faciendi de ea quod elegerit, sit illi libertas. Certè si post mulieris obitum, filiorum eius assertione tale nefas fuerit comprobatum; aut si filii desunt, à propinquis heredibus extiterit huius rei negotium persequutum: ipsis similiter praevaricatrix mulier tradatur in potestatem, ut eodem iudicio, quo mulier contempta debuerat, de persona eius, absque mortis interitu, sententiam ferat. Sanè, quia per mulieres etiam huius rei interdum fieri solet scandalum, ut favore Regum vel iudicum, viros proprios spernere videantur: ideoque, si quaecunque mulier, sive Principis ope, aut quocunque ingenio, seu cuiuslibet auxilio, intenderit inter se & virum suum divortium fieri, vel ad alterius viri coniugium transire consenserit, in eiusdem legitimi viri sui cum omnibus rebus suis potestatem redacta, eadem quae superiùs maritum poena constringit, vel quae de rebus eorum est sententia constituta, sceleratae mulieris damnetur temeritas

meritas. Similis quoque & de viris forma servabitur, qui uxorem alterius vel sponsam sibi in coniugium sociare præsumpserint. Ea tantum conditione retenta, ut si mulieris maritus, masculorum concubitor approbatur, aut si eandem suam uxorem, ea nolente, adulterandam cuicunque viro dedisse, vel permisisse convincitur, quia tale nefas fieri nequaquam inter Christianos oportet, nubendi mulieri alteri viro, si voluntas eius extiterit, nullatenus inlicitum erit. Nam si in coniugio positis, uxore videlicet & marito, maritum fortè constiterit iustè cuilibet servum addictum; si noluerit mulier manere vel habere illum in coniugali secum consortio, tamdiu se noverit castæ vitæ freno manere constrictam, nec nubendi alteri viro concedi sibi licentiam, donec eius maritus, de quo dictum est, debitam extremæ vitæ mortem exsolvat.

III. FLS. CHDS. REX.

Ne inter sponsos discidium fiat.

AEquali placet transgressum damnatione mulctari, quod illæsum æquali præstabat dignitate manere. Igitur iuxta præsentem superiorem legem, de viris & mulieribus sponsatis, tam in personis quàm in rebus forma servanda est: qui post arrarum traditionem, aut factam secundum leges definitionis sponsionem, coniugale fœdus contemnentes, aliis se personis in coniugium copulaverint, seu sine pari consensu, aut ægritudinis fortasse manifesto periculo, ad religionis propositum, calliditate magis quàm devotione conversationis, aspirare præsumpserint, superiorem legem præcipimus permanere.

LEGIS VVISIGOTHORVM.
LIBER QVARTVS,
QVI EST DE ORIGINE NATVRALI.

CAPITVLA TITVLI PRIMI DE GRADIBVS.

I. ANTIQVA.

De primi gradus natura.

PRimo gradu continentur superiori linea, pater, mater: inferiori, filius, filia: quibus nullæ aliæ personæ iunguntur.

II. *De secundi gradus affinitate.*

SEcundo gradu continentur superiori linea, avus, avia: inferiori, nepos, neptis: transversa, frater & soror. Quæ personæ duplicantur. Avus enim & avia, tam ex patre quàm ex matre: nepos, neptis, tam ex filio quàm ex filia: frater & soror, tam ex patre quàm ex matre accipiuntur. Quæ personæ sequentibus quoque gradibus similiter per substantiam earum, quæ in quoquo gradu consistunt, ipso ordine duplicantur. Et istæ personæ in secundo gradu ideo duplices appellantur, quia duo avi, & paternus & maternus: item duo genera nepotum sunt, sive ex filio sive ex filia procreati. Frater & soror ex transverso veniunt, id est, frater patris, aut frater matris, qui aut patruus, aut avunculus nominantur. Qui & ipsi hoc ordine duplicantur.

III. *De tertii gradus parentela.*

TErtio gradu veniunt suprà, proavus, proavia; infrà, pronepos, proneptis: ex obliquo, fratris sororisque filius, filia: patruus & amita, id est, patris frater & soror: avunculus & matertera, id est, matris frater & soror.

De

IIII. *De quarti gradus consanguinitate.*

QVarto gradu veniunt suprà, abavus, abavia: infrà, abnepos, abneptis: ex obliquo, fratris & sororis nepos, neptis. Frater patruelis, soror patruelis, id est, patrui filius filiavè. Consobrinus & consobrina, id est, avunculi & materteræ filius, filia: amitinus, amitina, id est, amitæ filius, filia. Itemque consobrini, qui ex duabus sororibus nascuntur. Quibus adcrescit patruus magnus & amita magna, id est, avi paterni frater & soror. Avunculus magnus & matertera magna, id est, aviæ paternæ & maternæ frater & soror. Hoc plus exponi opus non est, quàm lectio ista declarat.

V. *De quinti gradus origine.*

QVinto gradu veniunt, suprà quidem, atavus, atavia: infrà, adnepos, adneptis: ex obliquo, fratris & sororis pronepos, proneptis. Fratris patruelis, sororis patruelis, amitini, amitinæ, consobrini, consobrinæ filius, filia. Proprius sobrinus, sobrina, id est, patrui magni, amitæ magnæ, avunculi magni, materteræ magnæ, filius, filia. His adcrescunt, propatruus, proamita: hi sunt proavi paterni frater & soror. Proavunculus, promatertera: hi sunt proavi materni frater & soror. Hæ species nec aliis gradibus, nec aliis vocabulis declarari possunt.

VI. *De sexti gradus extremitate.*

SExto gradu veniunt suprà, tritavus, tritavia: infrà, trinepos, trineptis: ex obliquo, fratris & sororis abnepos abneptis. Fratris patruelis, sororis patruelis, amitini, amitinæ, consobrini, consobrinæ, patrui magni, amitæ magnæ, avunculi magni, materteræ magnæ, nepos, neptis. Proprii sobrini filius, filiavè, qui consobrini appellantur. Quibus ex latere adcrescunt, propatrui, proamitæ, proavunculi, promaterteræ filius, filia. Abpatruus, abamita: hi sunt abavi paterni frater & soror. Abavunculus, abmatertera: hi sunt abavi materni frater & soror. Hæc quoque explanari ampliùs non possunt, quàm auctor ipse disseruit.

VII. *De personis septimi generis, quæ legibus non tenentur.*

SEptimo gradu qui sunt cognati, recta linea suprà infraque, propriis nominibus non appellantur; sed ex transversa linea continentur: fratris sororisvè abnepos abneptis, consobrini, consobrinæ, filii, filiæ. Successionis autem idcirco gradus septem constituti sunt: quia ulteriùs per rerum naturam, nec nomina inveniri, nec vita succedentibus propagari potest.

TITVLVS II. DE SVCCESSIONIBVS.

I. ANTIQVA.

Ut sorores cum fratribus æqualiter in parentum hereditate succedant.

SI pater vel mater intestati discesserint, tunc sorores cum fratribus in omni parentum facultate, absque alio obiectu, æquali divisione succedant.

II. ANTIQVA.

Quòd in hereditatis successione filii primi sunt.

IN hereditate illius qui moritur, si intestatus discesserit, filii primi sunt. Si filii desunt, nepotibus debetur hereditas. Si nec nepotes fuerint, pronepotes ad hereditatem vocentur. Si verò qui moritur, nec filios nec nepotes, seu patrem vel matrem relinquit, tunc avus aut avia hereditatem sibimet vindicabit.

III. NOV. EMD.

Si de superiori vel inferiori genere directi ordinis personæ defuerint, tunc à latere venientes faculatis capiant portionem.

QVando supradictæ personæ desunt, quæ aut de superiori aut inferiori genere discreto ordine veniunt, tunc illæ personæ quæ sunt à latere constitutæ requirantur, ut hereditatem accipiant defuncti, qui intestatus discesserit. Nam illæ personæ quæ sunt à longioribus constitutæ, nihil se existiment illis prioribus posse repetere.

IIII. AN-

IIII. ANTIQVA.

Qui succedere poßint in eorum facultatibus, qui nec scriptis nec testibus suam alligant voluntatem.

DE successionibus eorum qui sic moriuntur, ut nec donationem, nec ullum faciant testamentum, nec præsentibus testibus suam ordinent voluntatem; qui gradu illis proximi fuerint, eorum obtinebunt hereditatem.

V. FLS. CHDS. REX.

De succeßione fratrum & sororum, sive illorum, qui de diversis parentibus generantur.

QVi fratres tantummodo & sorores relinquit, in eius hereditate fratres & sorores æqualiter succedant: si tamen unius patris & matris filii esse videantur. Nam si de alio patre vel de alia matre, alii esse noscuntur, unusquisque fratris sui aut sororis, qui ex uno patre aut ex una matre sunt geniti, sequantur hereditatem. Filii tamen qui ex diversis patribus, & una matre sunt geniti, ad accipiendam maternam facultatem æquali successione deveniant. Similiter quoque hi, qui de diversis matribus & uno patre oriuntur, divisionis ordinem teneant.

VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si is qui moritur auos relinquat aut avias.

QVotiens qui moritur, si avum paternum & maternum relinquat, tam ad avum paternū, quàm ad avum maternum, hereditas mortui universa pertineat. Si autem qui moritur, avum paternum & aviam maternam reliquerit, æquales capiant portiones. Ita quoque erit, si avum maternum & paternam aviam, qui moritur, relinquere videatur. Et hæc quidem æquitas portionis de illis rebus erit, quas mortuus conquisisse cognoscitur. De illis verò rebus, quas ab avis vel parentibus habuit, ad avos directa linea revocabitur hereditas mortui.

VII.

Si iis qui moritur sorores relinquat patris aut matris.

QVi moritur, si tantummodo amitam, hoc est, patris sororem, & materteram, hoc est, matris sororem relinquit, & intestatum eum obisse contigerit, æquali iure succedant in hereditatem defuncti, qui intestatus discesserit.

VIII. ANTIQVA.

Si is qui moritur, filios fratris vel sororis relinquere videatur.

QVi moritur, si fratres aut sorores non reliquerit, & filios fratrum & sororum reliquerit: si ex uno fratre sit unus filius, & ex alio fratre vel sorore forsitan plures, omnem hereditatem defuncti capiant, & æqualiter per capita dividant portiones.

IX. FLS. CHDS. REX.

Quòd in omni hereditate fœmina accipi debeat.

FOeminæ ad hereditatẽ patris vel matris, avorum vel aviarum, tam paternorum quàm maternarum, ad hereditatem fratrum vel sororum, sive ad has hereditates, quæ à patruo vel à filio patrui, fratris etiam filio vel sororis relinquuntur, æqualiter cum fratribus veniant. Nam iustum omnino est, ut quos propinquitas naturæ consociat, hereditariæ successionis ordo non dividat.

X. ANTIQVA.

Item ut in omni hereditate fœmina accipi debeat; & quòd qui in gradu alterum præcedit, ille successionem vicinior capiat.

HAs hereditates, quæ à materno genere venientibus, sive avunculis, sive consobrinis, seu materteris relinquuntur, etiam fœminæ cum illis, qui in uno propinquitatis gradu æquales sunt, æqualiter partiantur. Nam omnem hereditatem, qui gradu alterum præcedit obtineat.

XI. ANTIQVA.

De successione mariti & uxoris.

MAritus & uxor tunc sibi hereditario iure succedant, quando nulla affinitas usque ad septimum gradum de propinquis eorum vel parentibus inveniri poterit.

XII. ANTIQVA.

De hereditate clericorum & monachorum.

CLerici vel monachi, sive sanctimoniales, qui usque ad septimum gradum non reliquerint heredes, & sic moriuntur, ut nihil de facultatibus suis ordinent; ecclesia sibi, cui deservierint, eorum substantiam vindicabit.

XIII. ANTIQVA.

Vt post mortem matris, filii in patris potestate consistant; & quid de rebus filiorum agere conveniat patrem.

PAtre mortuo, filii in matris potestate consistant. Quòd si marito superstite uxor forsitan moriatur, filii qui sunt de eodem coniugio procreati in patris potestate consistant, & res eorum, si novercam non superduxerit, ea conditione possideat, ut nihil exinde aut vendere, aut evertere, aut quocunque pacto alienare præsumat; sed omnia filiis suis integra & intemerata conservet. Fructus tamen omnes cum filiis suis pro suo iure percipiat, & unà cum ipsis filiis suis, communibus consumat expensis. Quòd si pater novercam superduxerit, quia valde indignum est, ut filii eius, patris potestate vel gubernatione relicta, in alterius tuitionem deveniant, filios suos pater ille

ille qui novercam induxerit, non relinquat; sed filios & res eorum, iuxta superiorem modum tuitionis, ordine regat. Ita tamen ut inventarium de rebus filiorum suorum, manu sua conscriptum coram iudice, vel heredibus defunctæ mulieris, strenuè faciat, & tali se placiti cautione in heredum illorum nomine constringat, quibus tutela ipsa pertinere, si pater defuisset, legitimè poterat: ut nihil de rebus filiorum suorum evertat, sed filiorum suorum vitam sollicito voto vel actu servare intendat, & res eorum absque aliqua perditionis diminutione tuendas accipiat, si tamen voluerit. Quòd si pater ipse qui novercam duxerit, tuitionem suscipere filiorum noluerit; tunc à iudice propinquior ex matre tutor eligendus est, qui tuitionem pupillorum accipiat. Cùm verò filius duxerit uxorem, aut filia maritum acceperit, statim à patre de rebus maternis suam accipiat portionem: ita ut usufructuario iure, patri tertia pars prædictæ portionis relinquatur. Pater autem tam filio quàm filiæ, cùm XX. annos ætatis impleverint, mediam ex eadem, quam unumquemque contigerit, de rebus maternis restituat portionem, etiamsi nullis nuptiis fuerint copulati. Medietatem verò, dum advixerit, pater sibi vindicet, filiis post obitum relinquendam. Qui autem novercam superduxerit, omnes facultates maternas filiis mox reformet; ne, dum filii cum rebus suis ad domum transeunt alienam, novercæ suæ vexentur iniuriis. Eadem quoque & de nepotibus forma servetur. Quòd si pater de his rebus aliquid everterit, aut super tempus, quod constitutum est, res filiorum tenere præsumpserit, omnia de rebus eius, filiis illis, de cuius matre res esse videbuntur, & reddenda sunt omnimodis & sarcienda.

XIV. ANTIQVA.

Si mater in viduitate permanserit, æqualem inter filios capiat portionem; & quid de rebus filiorum agere conveniat matrem.

Mater si in viduitate permanserit, æqualem inter filios suos, id est, qualem unusquisque ex filiis suis usufructuario iure de facultate mariti habeat portionem, quam usque ad tempus vitæ suæ usufructuario iure possideat. Ceterum nec donare, nec vendere, nec uni ex filiis conferre præsumat. Quòd si eam portionem filii matrem evertere, seu per negligentiam, sive per odium, fortè perspexerint; ad Comitem civitatis, vel ad iudicem referre non differant; ut matrem suam contestatione commoneant, ne res quas usufructuarias accepit, evertat. Nam usum fructum quem ipsa fuerat perceptura, dare cui voluerit filio vel filiæ non vetetur. Sed & quod de ipso usu sibi debito iustè conquirere potuerit, faciat quodcunque illi omnimodis iustissimè placuerit. Verùm si ex ea usufructuaria portione aliquid probatur eversum, filiis post mortem matris de eius facultatibus sarciatur. Post obitum verò matris, portio, quam mater acceperat, ad filios æqualiter revertatur; quia non possunt de paterna hereditate fraudari. Quòd si mater ad alias nuptias fortè transierit, ex ea die usufructuariam portionem, quam de bonis mariti fuerat consecuta, filii inter reliquas res paternas, qui ex eo nati sunt coniugio, vindicabunt.

XV. ANTIQVA.

Ne uxor sibi vindicet, quod maritum cum servis eius adquisisse constiterit.

MAritus si cum servis uxoris suæ aliquid adquisierit, vel in expeditione aliquid lucri fuerit consecutus, nihil exinde uxor à viro præsumat repetere, nec ipso vivente, nec post eius obitum: sed vir qui uxorem suam secundum sacram scripturam habet in potestate, similiter & in servis eius potestatem habebit, & omnia quæ cum servis uxoris suæ vel suis in expeditione acquisivit, in sua potestate permaneant. Pro eadem scilicet ratione: quia si ipsi servi, dum cum domino suo in expeditione conversabantur, aliquid admisissent fortè dampnosum, ille qui eos secum duxerat, & ei aliquid fecerant augmenti, ipse pro eis & responsum daturus esset, & compositionem, si culpabiles fuissent inventi. Vnde bene iubetur, ut sicut lucrum, ita & dampnum ad se dominus noverit pertinendum.

XVI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De his quæ vir & uxor in coniugio constituti conquirere potuerint.

DVm cuiuscunque dignitatis aut mediocritatis mariti persona & uxoris fuerit nobiliter atque competenter adiuncta, & pariter viventes aliquid augmentaverint, vel in quibuscunque rebus quippiam profligasse visi fuerint, atque perveniat ut unus ex his maioris rei & facultatis dominus sit: de omnibus augmentis, aut profligationibus pariter conquisitis, tantam partem unusquisque obtineat, quantam eius facultatem fuisse omnimodis sibi debita vel habita possessio manifestat. Ita ut si æquales abundantiæ domini sunt, pro parvis rebus contentionis intemperantiam non assumant. Quia difficilè est, ut in tantæ æquitate facultas eorum possit æquari, ne in quocunque videatur una pars alteri superesse. Nam si evidenter unius facultas alterius possibilitatem transgredi videatur, ut superiùs dictum est, iuxta quantitatem debitæ possessionis erit & divisio portionis. Quam sibi post uniuscuiusque mortem vindicabit persona superstes, & aut filiis suis aut propriis relinquat heredibus, aut certè de ea facere quod voluerit licentiam obtinebit. Eadem quoque ordinationis forma, tam in viris quàm in uxoribus, erit omnimodis observanda. De illis autem rebus, quibus in amborum nomine inveniuntur scripturæ confectæ, iuxta conditionem ipsius scripturæ, pertineat illis & divisio rei & possessio iuris. Quod verò maritus, aut de extraneorum lucris, aut in expeditione publica acquisivit, aut de Principis, aut patroni, atque amicorum collatione promeruit, filii vel heredes eius ad integrum vindicabunt; aut quod exinde voluerit iudicare, licenter illi erit plenam potestatem habere. Similis & in mulieribus conditio erit, si quorumcunque munere videantur aliquid percepisse.

XVII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De parvulo, qualiter hereditatem capere possit.

INterdum rem dubiam, nisi ratiocinationis disceptatio deducat in lucem, frequenter hanc ambiguitas præcipitat in errorem. Contendunt namq; plurimi

rimi, si genitus infans, non longè defunctus, hereditatis parentum possit iura sortiri: quorum litibus hos ponit ratio modos. Naturæ ratio ita condita manet, talique usu decurrit, ne is qui nascitur, priùs aliud quàm se suscipientem assumat heredem: & de tenebris genitalibus prodiens, illarum rerum sentiat tactum, quarum hunc partibus constat esse concretum. Quo ergo ordine liberè capiet hereditatem terrenæ possessionis, qui vix extremæ capit primordia lucis? Quique sortitus vix est usum elementorum, quibus concretus est, quomodo sortietur bona rerum, ad quarum dominium natus non est? Quemque non hereditavit producta lux coeli, qualiter morte contractum improvisa ditabit portio mundi? Quavè etiam ratione aggredietur viventium iura, cui vicinius fuit, mortem adisse quàm vitam? Sicque naufragiis in medio lucis angustias mox genitales exiit, mox fatales relapsus est in tenebras. Vt ergo proximis parentibus ad successionem huius aditus reseretur, & ipsa defuncti vita comprobetur, si verè clara sit vita, atque hanc ipsam licet parui temporis vitam comitetur æternæ participatio vitæ, non aliter in utroque sexu hereditatem capiat qui nascitur, nisi post nativitatis ortum, & sacri baptismatis gratiam consequatur, & decem dierum spatiis vixisse probetur: ut successoris patris vel matris persona, quæ per hunc parvulum terrenæ cupit hereditatis acquirere commoda, antè morituro æternæ mansionis præparet vitam, & ita demum assequatur vivens cum rebus labentibus terram. Sicque salutari commercio, dum hereditat ille cœlum, hereditet iste seculum: dum illi providentur cœlestia, isti permittantur adire terrena: dumque assequitur ille vitalia, conquirat iste caduca. Vt & si defunctus terrena huius non potuit possidere; terreno saltem comparato iure, cœleste lucrum valeat obtinere.

XVIII. FLS. CHDS. REX.

Qualiter hereditatem parvuli, parentes assequi possunt.

PAtre defuncto si filius filiavè decem sive ampliùs vel infrà diebus vivens baptizatus ab hac vita discesserit, quidquid ei de facultate patris competere poterat, mater sibi debeat vindicare. Itemque matre defuncta non aliter defuncti filii portionem pater obtineat, nisi natum filium filiamvè decem diebus, sive ampliùs, vel infrà vixisse, fuisseque baptizatos edoceat. Ita ut pater aut mater, quibus ista successio competit, si filios non reliquerint, integram & intemeratam eandem luctuosam hereditatem, dividendam omnibus nepotibus derelinquant; nec meliorandi quemcunq; nepotum ampliùs, quàm de tertia parte huius rei habeant potestatem. Nam si ecclesiis vel libertis, seu cuilibet largiri de eadem facultate voluerint, de quinta parte, secundum superiorem legem, potestatem habebunt. Sin autem nec filii, nec nepotes, nec pronepotes superstites extiterint; quod de eadem facultate facere vel iudicare voluerint, habeant potestatem. Quòd si intestati decesserint, tunc alii parentes defuncti patris aut matris, qui gradu proximiores fuerint, prædictam facultatem proculdubio consequantur. Ita ut mortuo filio, si pater qui filii defuncti successionem capierit, intestatus discesserit, heredibus patris ex lege propinquioribus eadem facultas pertineat. Similiter & si

mater luctuosam defuncti filii hereditatem capierit, & intestata discesserit, omnis successio eiusdem facultatis ad propinquos mulieris heredes pertinere debebit. Ea conditione servata, ut nepotes ex filio vel filia, qui patre vel matre superstite mortui fuerint, integram de rebus avi vel aviæ, quam pater vel mater eorum, si vixissent, fuerant habituri, percipiant portionem. Quòd si filius, habens uxorem & filios, patre vivente discesserit, antequam ei pater suus omnem portionem, quæ ei contingebat, implesset: & filii, quos reliquerat, vivente auo mortui fuerint, tunc illa relicta hoc tantummodo accipiat, quod in maritum pater antea sequestravit: nec plus illa vidua à socru vel cognatis requirat. Si verò filius cum patre in commune vivens, nihil ab eo portionis acceperit; tunc illa vidua tantummodo accipiat, quod ei tempore nuptiarum maritus eius donationis titulo noscitur contulisse. Si verò filius patri servans obedientiam, res quæ ei de materna successione competebant, patrem possidere permiserit: & postmodum eandem facultatem filio debitam, quam pater possidebat, idem filius uxori suæ vel cuicunque concesserit: firma talis donatio in nomine uxoris, & cuiuscunque conscripta manebit, si tamen filii de eodem coniugio non fuerint. Nam si filii superstites extiterint, ordo superioris legis incunctanter servandus est.

XIX. FLAVIUS GUNDEMARUS REX.

De posthumis.

Divini principatus quodammodo peragimus vicem, cùm necdum genitis misericordiæ porrigimus opem. Ideoque quicunque vir præventus sorte fatali fœtu gravidam cum filiis reliquit uxorem, eum qui nascetur postmodum, cum cæteris qui nati sunt, fieri censemus heredem. Quod si nusquam fortè reliquerit sobolem, & suam quibuslibet donaverit facultatem, quarta rerum portio his dividenda servetur: tres verò quæ supersunt, posthumus absque dubio sortietur. Quòd si vir & uxor in coniugio positi, antequam filios habeant, invicem sibi unus in alterius nomine, de facultate propria donationis faciant scripturam, & post huius testationis ordinem filios talibus habere contingat: talis parentum testatio, si filii superstites extiterint, omnino non valeat, sed ex toto huius tam indiscretæ ordinationis voluntate disrupta, debitam sibi omnem parentum facultatem filii accipiant & assumant: de quinta tantùm parte parentibus, si aliquid inde testasse contigerit, potestate concessa. Ceterùm si unus ex ambobus, id est, vir aut uxor, antequam unius copulæ societatem adissent, quicunque ex ambobus in alterius nomine scripturam de rebus suis probatus fuerit conscripsisse, omni vigore valitura consistat: & talis testatio per eorum vocem, qui postea ex illis nati fuerint, non erit ullo modo convellenda.

XX. FLS. RCDS. REX.

Ut qui filios non reliquerit, faciendi de rebus suis quod voluerit, habeat potestatem.

Omnis ingenuus vir atque fœmina, sive nobilis sive inferior, qui filios vel nepotes aut pronepotes non reliquerit, faciendi de rebus suis quidquid

quid voluerit, indubitanter licentiam habebit: nec ab aliis quibuslibet proximis ex superiori vel ex transverso venientibus poterit ordinatio eius in quocunque convelli: quia recta linea decurrens non habet originem, quæ successione naturæ hereditatem possit accipere. Ex intestato autem, iuxta legum ordinem, debitam sibi hereditare poterunt successionem.

TITVLVS III. DE PVPILLIS ET EORVM TVTORIBVS.

I. FLS. CHDS. REX.

Quòd utroque relictus parente, pupillus vocetur.

DIscretio pietatis est, sic consultum ferre minoribus, ut iustæ possessionis dominum sustinere damna non patiamur. Ob hoc licet hactenus, à patre tantùm relicti parvuli filii, pupilli nuncupentur: tamen quia non minorem curam erga filiorum utilitatem, matrem constat infrequenter impendere, ideo ab utroque parente, hoc est, patre vel matre infra xxv. annos, filios post mortem relictos, pupillos per hanc legem decernimus nuncupandos.

II. FLS. CHDS. REX.

Ex quo incipient computari anni in actionibus pupillorum.

QVotiens de amissione rerum intentio vertitur, illos annos in pupillorum actionibus computandos esse censemus, quibus parentes illorum, pater videlicet aut mater, re caruisse noscuntur: id est, ut ex eo tempore cùm pupillaribus annis ad quinquagenarii summã pertendant, de quo à prædictis eorum parentib9 esse rem constat amissã. Si verò parentes pupilli dum viverent, rem per xxx. annos amiserint, pupillus propter hoc ultrà loqui non poterit.

IV. ANTIQVA.

Qualiter pupillorum tutela suscipiatur, vel de rebus eorum quæ pars tutoribus detur.

SI patre mortuo, in minori ætate filii relinquantur, mater eorum tutelam, si voluerit, suscipiat: si tamen in viduitate permanserit, ita ut de rebus filiis debitis inventarium faciat, per quod postmodũ filii hereditatem sibi debitam quærant. Quòd si mater alium maritum acceperit, & aliquis de filiis iam ad perfectam, id est, usque ad xx. annorum perveniat ætatem; ipse iuniores fratres sua tuitione defendat, & res eorum nec ab ipsis, nec ab aliis permittat everti, nec aliqua negligẽtia deperire. Quòd si eas ipse fortè consumpserit, aut

vendiderit, vel donaverit, aut per negligentiam suam perire permiserit: cùm fratres adoleverint, ea, quæ per negligentiam suam deperierint, de sua illis portione restituat. Cui tamen de fructibus ad victum præsumendi partem decimam non negamus: ut non hæc, quæ debet minoribus reservare, nimiis evertat expensis. Si quis verò de suo pro communibus necessitatibus aut negotiis expensas fecerit, facta præsente iudice ratione, de ea quæ ipsis à patre communis relicta est substantia, quod expenderit, consequatur. Quòd si fratres eius ætatis vel meriti non fuerint, qui defensionem suscipiant orfanorum, tunc patruus vel patrui filius, tutelæ, qualem de fratribus constituimus, conditionem suscipiat. Quòd si nec patruus, nec patrui filius, qui dignè tutelam suscipiant orfanorum, fuerint, tunc tutor ab aliis parentibus in præsentia iudicis eligatur: & sive mater tutelam, siue quicunq; susceperit, præsentibus testibus vel propinquis, de omnibus rebus quas pater reliquit, brevis factus trium vel quinque testium subscriptione firmetur: & præsentibus ipsis qui ad brevem faciēdum testes interfuerint, Episcopo aut presbytero, quem parentes elegerint, brevis commendetur, minoribus dum adoleverint reformandus. Statuentes etiam, ut si quæ contra minorum personas adversæ accesserint actiones, his intentionibus tutor si elegerit, debet parare responsum. Certè si neglexerit, repetenti quæ postulat à iudice restituantur: salvò tamen minorum negotio, dum adoleverint, ad integrum reformando. Ille verò qui ad præsens rem ipsam petere cœperat; si in iudicio, dum ipse minor adoleverit, ab eodem fuerit victus, id quod acceperat, cum retroactorum temporũ fructibus sive servitiis, ipsi minori aut parentibus eius, seu ad quem ipsa facultas iustè transierit, vel cui collata fuerit, indubitanter restituat: & pro præsumptione sua, quia quod in iudicio petierat vindicare non valuit, insuper x. solidos coactus exsolvat. Nam & si tutor pro pupillorum lucris vel eorum rebus intendere vel causare voluerit, licentia illi indubitata manebit. Quòd si negotia pupillorum, negligentia tutoris fuerint vitiata vel deperdita, pupillis eam vicem ad futurum permittimus reparandam.

IIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne tutores ab his, quos in tuitione habent, quascunque scripturas extorquere præsumant.

DVm minorum ætas in annis pupillaribus constituta, nec se, nec bona sua regere possit; bene legibus est decretum, eos & sub tutoribus esse, & in eorum negotiis, quot statuti anni debeant computari. Quia verò quidam tutores, aut persuasione, aut indignatione circumveniunt eos, quos tueri gratissimè debuerunt, & de rebus reddendæ rationis securitates accipiunt, vel certè diversarum obligationum scripturas ab illis exigendas insistunt; quo extinctis vocibus eorum, quæ illis competunt nunquam inquirere, vel recipere permittantur: ideò, ut melioris mercedis partem nostra clementia consequatur, dum competentem curam eisdem minoribus irrogare perpenditur, hæc custodienda modis omnibus conditio ordinatur: ut sive in minori ætate, seu etiam quamvis quartumdecimum ætatis annum videantur pupilli transire: tamen si tutores adhuc, vel ipsos, vel eorum res in sua potestate

ſtate noſcuntur habere; quamcunq; ſcripturā ſecuritatis, aut alicuius obligationis atque tranſactionis, ipſis tutoribus, vel cuicunque perſonæ, factione tutorum feciſſe reperiantur, omnia invalida & exinanita penitus reputentur. Cùm verò tempus illud advenerit, quando eum qui ſub tuitione fuit rem in ſua poteſtate oporteat redigere, tunc ille tutor coram ſacerdote vel iudice, pupillo de cũctis rebus reddita ratione, ab eo quem tuitus eſt ſecuritatis ſcripturā procuret accipere. Sicq; remota omni occaſione preſſuræ, aut recipiat pupillus quod iuſtè ſibi deberi cognoverit, aut libero arbitrio de rebus ſuis, utrum ceſſionem, an qualem voluerit ordinare definitionem, plenam habeat libertatē. Si verò proveniat, ut cum in tuitione eſt, mortali langore vexetur; quid de ſibi debitis rebus iudicare elegerit, à decimo ætatis ſuæ anno, iuxta ordinem qui in alia lege eſt definitus, pleniſſimam poteſtatem habeat. De rebus verò tutoris ſeu vivens ſive moriens, idem tutor eas an filiis, an quibuſcunque perſonis reliquerit, ſi pupillis reddita ratio non fuerit, iuxta inventarium quod tempore acceptæ tuitionis eſt factum, ſive quod evidenter apud tutorem fuiſſe extiterit manifeſtum, qui res tutoris habuerint, pupillis indubitanter omnia reformabunt. Huius ſanè legis remedium cunctis pupillis dabit indubitanter conſultum: exceptò ſi aliud tempus advenerit, quando eorum vocem quinquagenario numero lex ſopiri decrevit.

TITVLVS IV. DE EXPOSITIS INFANTIBVS.

I.

Vt pro expoſito infantulo ingenuo ſerviat qui proiecit.

SI quis puerum aut puellam ubicunq; expoſitum miſericordiæ contemplatione collegerit, & nutritus infans à parentibus poſtmodum fuerit agnitus: ſi ingenuorum filius eſſe dinoſcitur, aut ſervum vicarium reddant, aut precium. Quod ſi facere fortaſſe neglexerint, à iudice territorii de proprietate parentum expoſitus redimatur, & parentes huius impietatis auctores exilio perpetuo relegentur. Si verò non habuerint unde filium redimere poſſint, pro infantulo ſerviat, qui proiecit; & in libertate maneat propria, quem ſervavit pietas aliena. Hoc verò facinus cum fuerit ubicunque commiſſum, iudicibus & accuſare liceat & dampnare.

II. ANTIQVA.

Si ſervus vel ancilla conſciis vel neſciis dominis proiicere videantur infantem.

SI ſervus vel ancilla, in fraudem fortaſſe dominorum infantem expoſuerint, & ipſis inſciis infantem proiecerint; infans cum fuerit nutritus ter-

tiam partem pretii nutritor accipiat. Ita ut iuret aut probet dominus, se quòd servi sui infantem exposuerint, ignorasse. Si verò consciis dominis infans probatur fuisse iactatus; in eius, qui nutrivit, potestate permaneat.

III. ANTIQVA.

Qui à parentibus infantulum acceperit nutriendum, quantum mercedis pro nutritione accipiat præmium.

SI quis à parentibus infantulum acceperit nutriendum, usque ad decem annos, per singulos annos, singulos solidos pretii pro nutrito infante percipiat. Si verò decimum annum ætatis excesserit, nihil postea mercedis addatur: quia ipse qui nutritus est, mercedem suam suo potest compensare servitio. Quòd si hanc summam, qui repetit, dare noluerit, mancipium in nutrientis potestate permaneat.

TITVLVS V. DE NATVRALIBVS LIBERIS.

I. FLS. CHDS. REX.

De non exheredandis filiis; & quod iudicium ferant parentes de facultatibus suis.

DVM inlicita quæque perpetrari cognoscimus, legem ponere secuturis opportunè compellimur. Plerique enim indiscretè viventes, suasque facultates interdum vel causa luxuriæ, vel cuiusdam malæ voluntatis assensu in personas extraneas transferentes, ita inoffensos filios vel nepotes, aut non ex gravi culpa forsitan obnoxios, inanes relinquunt, ut utilitatibus publicis nihil possint omnino prodesse, quos oportuerat cum virtute parentum iniunctum sibi laborem inexcusabiliter expedire. Sed ne sub hac occasione aut utilitati publicæ quandoque depereat, quod perire non debet; aut naturalis pietas suspendatur à filiis vel nepotibus, quam circa eos exerceri competenter oportet: ideo abrogata legis illius sententia, qua pater vel mater, avus sive avia, in extraneam personam, facultatem suam conferre si voluissent, potestatem haberent; aut etiam de dote sua mulier

lier facere quod elegisset, in arbitrio suo consisteret: ista magis servetur à cunctis moderata censura, qua nec parentibus nec avis adimatur iudicandi de rebus suis ex toto licentia, nec filios aut nepotes à successione avorum vel genitorum ex omnibus repellat indiscreta voluntas. Igitur pater aut mater, avus aut avia, quibus quempiam filiorum vel nepotum meliorandi voluntas est, hanc servent omnino censuram: ut super tertiam partem rerum suarum meliorandis filiis aut filiabus, vel nepotibus atq; neptibus, ex omnibus rebus suis ampliùs nihil impendant, neque facultatem suam ex omnibus in extraneam personam transducant, nisi fortasse provenerit eos legitimos filios vel nepotes non habere superstites. Hoc tamen rationis intuitu prælucente observandum adiicimus: ut pater vel mater, avus vel avia, de supradicta tertia parte rerum suarum, si in nomine filiorum suorum atque nepotum aliquid specialiter scriptis conferre decreverint, iuxta testationis eorum ordinem cuncta erunt observanda perenniter, qualiter testatio talium de eadem tertia portione, iuxta quod eam in singulos voluerit prælargiri, plenam & inconvulsibilem obtineat firmitatem. Nec liceat filiis ipsis atque nepotibus, qui de hac tertia portione aliquid meruerint à parentibus suis vel avis percipere, quodcunque aliud iudicare, excepto si à parentibus vel avis nulla adfutura videatur pro collatis rebus testationis conditio intercessisse. Sanè si filios sive nepotes habentes, ecclesiis vel libertis aut quibus elegerint, de facultate sua largiendi voluntatem habuerint extra illam tertiam portionem, quæ superiùs dicta est, quinta iterum pars separabitur: de qua quinta parte, iudicandi potestas illis indubitata manebit. Sed sive tertia rerum pars, quæ meliorandis filiis impendi præcipitur: sive quinta, quæ pro collatione ecclesiarum, vel libertorum, seu quorumlibet impensione, separari iubetur, de propriis tantundem rebus separabitur. Nam quod quisque ille per auctoritatem percipere meruerit Principum, nullo modo in annumeratione huius tertiæ vel quintæ partis quolibet titulo admiscetur: sed iuxta legem aliam, qui hoc à Rege perceperint, habebunt licitum, quale voluerint de collatis sibi rebus à Principe ferre iudicium. Exheredare autem filios aut nepotes, licet pro levi culpa, inlicitum iam dictis parentibus erit. Flagellandi tamen & corripiendi eos quamdiu sunt in familia constituti, tam avo quàm aviæ, seu patri quàm matri, potestas manebit. Nam si filius filiavè, nepos vel neptis, tam præsumptuosi extiterint, ut avum suum aut aviam, sive etiam patrem aut matrem, tam gravibus iniuriis conentur afficere, hoc est, si alapa, aut pugno, vel calce, vel lapide, aut fuste, vel flagello percutiant, sive per pedem, vel per capillos, ac manum etiam, vel quocunque inhonesto casu abstrahere contumeliosè præsumpserint, aut publicè quodcunque crimen avo vel aviæ seu genitoribus suis obiiciant, tales siquidem manifestè convicti, & verberandi sunt ante iudicem quinquagenis flagellis; & ab hereditate supradictorum, si idem avus aut avia, pater vel mater voluerint, repellendi. Tamen si resipiscentes à suo excessu, veniam à suprà scriptis, quos offenderint, imploraverint, eosq; in gratiam receperint paterna pietate, aut rerum suarum successores instituerint: neque prohiberi ab eorum hereditate, neque propter disciplinam, qua correpti sunt, infamiam poterint ullatenus sustinere.

II. NOV. EMD. FLS. CHDS. REX.

De quota parte liceat mulieribus iudicare de dotibus suis.

QVia mulieres, quibus dudum concessum fuerat de suis dotibus iudicare quod voluissent, quædam reperiuntur, spretis filiis vel nepotibus, easdem dotes illis conferre, cum quibus constiterit nequiter eas vixisse: ideo necesse est illos exinde percipere commodum, pro quibus creandis fuerat assumptum coniugium. Denique constituentes decernimus, ut de dote sua mulier habēs filios vel nepotes, seu causa mercedis ecclesiis vel libertis conferre, sive cuicunque voluerit, non ampliùs quàm de quarta parte, potestatem habeat. Nam tres partes legitimis filiis aut nepotibus, seu sit unus sive forsitan plures, absque dubio relictura est. De tota interim dote, tunc facere quid voluerit, erit mulieri potestas, quando nullum legitimum filium filiamvè, nepotem vel neptem superstitem reliquerit. Verumtamen fœminas, quas contigerit duobus viris aut ampliùs nubere, atque ex eis filios procreare, non eis licitum erit dotem ab alio marito acceptam, filiis aut nepotibus ex alio viro genitis dare: sed unusquisque filius filiavè, nepos aut neptis, ex ipsa linea procreati, dotem, quam avus aut pater illorum concesserat, post mulieris obitum per omnia consequuturi sunt.

III. FLS. CHDS. REX.

De his quæ parentes tempore nuptiarum filiis dederint.

QVidquid indiscreta parentum voluntate decernitur, legali necesse est ut censura coërceatur. Idcirco, quia plerumq; parentalis calliditas exigit, id tempore nuptiarum filiis donare, quod quandocunque voluerint, auferendi habeant potestatem: abrogata deinceps eadem, quàm prædictū est, parentum calliditate, hanc perpetim legem mansuram per omnia noverint: ut si quid seu per traditionem rei, seu per scripturam, sive donationem cuiuslibet rei, vel coram testibus traditæ, extra quod in ornamentis vel vestimentis, vel reliquis speciebus, sicut fieri assolet, pro dignitate nuptialium fœderum, ab aliis fuerit fortasse acceptum, quod utique commodantibus erit reddendum, in mancipiis, terris, vineis, ædificiis, vestimentis atq; ornamentis, fuerit à parentibus, sive nuptiarum tempore, sive post nuptias, filiis quocunque modo donatum, quodcunque inde filii iudicare voluerint, in eorum consistat arbitrio. Eodem tantùm ordine reservato, ut post parentum obitum, dum filiis patuerit adeunda successio, excepto hoc quod parentes filiis suis iuxta leges fortasse donaverint, eadem inter heredes coæquatio fiat: ut quod nuptiarum tempore filius vel filia à parentibus, iuxta prædictum ordinem, possidendum accepit, & licentia sit illi exinde quod voluerit iudicandi, & post parentum obitum, adæratione adhibita, contropactis his, quæ tempore nuptiarum promeruit, atque heredibus cæteris eadem compensata æqualitate, quidquid superesse de parentum hereditate constiterit, æqualiter teneant, ac sequantur divisione.

IV. FLS. CHDS. REX.

De filiis ex diversis parentibus natis; & qua discretione parentum assequantur hereditatem.

SI provenerit unum virum plures habere uxores, atque ex omnibus filios procreare, & aliquem filiorum aut filiarum contingat intestatum ab hac vita discedere; facultatem eius, si filios non reliquerit aut nepotes, illius fratres aut sorores apprehensuri sunt, sibique vindicaturi, quos ex uno patre vel ex una matre constat esse progenitos. Quòd si ex uno patre & diversis matribus filii nati fuerint, facultates quæ de patre venerint, illi tantùm inter se erunt æqualiter divisuri, qui ex uno patre fuerint procreati. Similiter & si de una matre & diversis patribus, filii nati fuerint, id præcipimus observari. Nam & si una mulier de pluribus maritis filios habeat, similiter fratrum sororumque hereditatem, tam à paterna quàm à materna successione sibi debitam, eorum qui ex his intestati, vel absque prole sive nepotibus discesserint, illius tantùm fratres vel sorores habituri sunt, qui unius patris vel matris filii filiævè fore noscuntur. Ita ut iuxta aliam legem qua constitutum est, trientē nepotes non perdere, licitum sit etiam nepotibus aut neptibus, qui patres aut matres amiserint, in omni facultate avorum vel aviarum, cum patruis aut avunculis æquales succedere. Illo tantùm ordine permanente, quo superiùs decretum est, parentes vel avos de rebus suis filios nepotesque meliorare, aut in extraneam personam quamlibet quodcunque conferre.

V. CHDS. REX.

De his quæ filii patre vivente vel matre videntur acquirere.

FIlius qui patre vel matre vivēte aliquid acquisierit de munificentia Regis, aut patronorum beneficiis promeruerit, & exinde aliquid cuicunq; vendere vel donare voluerit, iuxta eam conditionem, quæ in aliis nostris legibus continetur, in ipsius potestate consistat. Nec sibi aliquid, dum vivit, exinde pater vel mater vindicare præsumat. Quòd si inter leudes quicunque nec regiis beneficiis aliquid fuerit consequutus, sed in expeditionibus constitutus, de labore suo aliquid adquisierit: si communis illi victus cum patre est, tertia pars exinde ad patrem perveniat: duas autem filius, qui laboravit, obtineat.

VI. IN NOMINE DOMINI. FLS. GLS. WABA REX.

De coërcitione Pontificum, qui pro rebus, quas à suis ecclesiis auferunt, tricennium intercisse causantur.

DEus iustus iudex, qui iustitiam intemporaliter diligit, non vult servire iustitiam tempori, sed tempora potiùs æquitatis lege concludit. Ipse igitur Deus, iustitia est. Deo ergo datur, quidquid à fidelibus in Dei ecclesiis iustissima devotione offertur. Nam & fidelis quisque iustitiæ serviens, Deo mediante, qui iustus est, vota sua astringit. Semper enim iusta vota solvenda sunt, quæ à iustitia processerunt, & per iustitiam illigata noscuntur. Deo igi-

tur fraudem facit, qui iustitiæ aliquid subtrahit. Ergo & iustitiam rescindit, quisquis aliena vota corrumpit. Cùm igitur, ut dictum est, Deus iustitia sit, qua præsumptionis insania agitur, ut de manu Dei quis auferat, quod tricennali temporum præscriptione se tenuisse contendat? Multorum enim mentes Pontificum, inlicito cupiditatis ausu præcipites, quædam de his, quæ in eorum diœcesi fundatis ecclesiis pia fidelium oblatione donantur, insatiabili rapacitatis studio, aut iuri ecclesiæ principalis innectunt, aut donanda aliis, vel sub stipendio habenda distribuunt: sicque non solùm aliena disrumpunt, sed & sacrilegium operantur, in eo quòd ecclesiæ Dei fraudatores existunt. Ecclesiam quippe fraudare, sacrilegium esse à maioribus approbatur. Vnde & cum eos evidens ratio persuadeat ad reddendum, aut tricennium in re possessa opponunt, aut non se fecisse respondent, quod decessores suos egisse non nesciunt, & tamen scita emendare refugiunt. Sicque cupiditatem tricennio fovent, & rapacitatis studia temporũ proscriptionibus cumulant: & qui admissum facinus ad momentum delere debuerunt, annosa id oppositione solidare contendunt. Quantæ igitur impietatis ille credendus est, qui ad hoc laborat, ad hoc etiam propositionis suæ voces exaggerat, ut per tricennium se recognoscat, Deo iniuriam intulisse, quam tamen exacto tricennio renuat emendare? Nunc verò cum hæc & talia nequissima, iustitiæ defensione prolata sint, nos tamen non præterita ordinamus, sed futura disponimus: nec præcedentium Regum, sed nostri regni tempora definimus. Abrogata ergo deinceps totius cupiditatis licentia, nulli Pontificum ultra licebit quidquam ab ecclesiis diœcesis suæ auferre, aut ablatum quodcunq; per oppositionem tricennii vindicare. Non enim in hac causa deinceps tricennale tempus accipiendum est: sed quandocunque fuerit veritatis origo monstrata, iustitiam partis suæ recipiat. Quia & ut multiplex annorum series sine repetitione pertranseat, facit hoc præeminentis dura potestas: quæ sic subdita sibi sacerdotum comprimit colla, ut pro ablatis rebus intendere contra præeminentis personam nec audeant, nec præsumant. Proinde ne talium silentio vox perenniter spoliatæ ecclesiæ conquiescat, licitum erit, huius præsumptionis admissum & per quemcunque & quandocunque accusatum detegi, & imminentis ipsius causæ negotium expediri: sub isto videlicet ordine, ut si heredes fundatores ecclesiæ adsunt, ipsi talia prosequantur. Si autem non fuerint, aut etiam si sint, causare tamen noluerint, tunc Ducibus vel Comitibus, tyuphadis atque vicariis, siue quibuscunq; personis, quos cognitio huius rei attigerit, & aditus accusandi & licentia tribuitur exequendi. Quicunq; ergo Episcoporum hæc quæ missa sunt in præteritis fecerit, & tricennium iam in hac perversa possessione impleverit, ea ipsa quæ in præteritis per xxx. annos tenuit, Deo potiùs vindicanda relinquimus, quàm nostro rescindenda iudicio definimus. Quicunque verò usque ad tempus, quo lex conderetur, in hoc ipsum quod rapuit, tricenniũ non implevit; rem ipsam, quæ ablata est, sine aliqua satisfactione, in omni integritate ecclesiæ, cui testata est, reformare cogatur. Iam verò à die huius latæ legis vel tempore, quicunq; Pontificum de his, quæ à fidelibus in Dei ecclesiis testata vel collata esse noscũtur, aliquid exinde abstulerit, suoq; iuri vel ecclesiæ principali, seu

cuicun-

cuicunque personæ quolibet modo quodcunque tale concesserit, nulla temporum longævitate securus, iuxta præmissum ordinem quandocunque & per quemcunque talia fuerit commisisse detectus, ea ipsa quæ præsumpsit, una cum legitima satisfactione rei propriæ, illi ecclesiæ cui tulit, vel in quam deliquit, reformare cogendus est. Quòd si de rebus propriis non habuerit unde componat, in omni integritate ea quæ præsumpsit, ecclesiæ cui tulit, restituat: & ipse pro excessibus suis, iuxta Canonem Toletani concilii undecimi, excommunicationis plectendus erit sententia. Id est, ut si decem solidos rem ipsam quam tulit valere constiterit, xx. dierum pœnitentiæ satisfactione admissum facinus expurgabit. Similiter siue maioris sit precii siue minoris quam præsumpsit, geminata hoc semper dierũ satisfactione vel pœnitentia emendabit. Simili quoque & ille sententia vel dampno mulctandus est, qui à decessore suo ablata deinceps quæcunq; diœcesanis ecclesiis, apud se tenere præsumpserit. Quicunque tamen iudicum tenorem huius legis adimplere neglexerit, quò aut iudicare talia differat, aut iudicanda regiis auditibus nullo modo innotescat, omnem rei taxationem, quam Episcopus ille persolvere debuit, qui talia fecerit, totam ecclesiæ illi de sua idem iudex proprietate debebit componere, cuius accusatum sibi negotium destitit iudicare. Hæc igitur lex, non solum pro rebus, quæ in ecclesiis absolutis vel diœcesanis collatæ sunt, observabitur: sed sub generali omnium ecclesiarum, id est, tam in monasteriis virorum, quàm etiam fœminarum, omnimoda constitutione complebitur. Id tamen adiiciendum huic legi manifesta ratio persuasit, ut Episcopi omnes quoscunque per ecclesias siue diœceses sacerdotes rectoresque ordinandos elegerint, cognitiores eos efficiant de utilitatibus ecclesiæ illius, in quibus fuerint ordinati: Id est, ut quidquid unusquisque Episcoporum de scripturis ecclesiæ diœcesis suæ apud se conservationis causa habere se noverit, mox rectorem ecclesiæ cuilibet prætulerit, statim ei, quem ordinaverit, utilitates ecclesiæ vel scripturas in manifestam cognitionem deducat, nec non tantùm ignorantia ordinati, sed quod peius est obcœlatione vel vitio ordinantis voluntas in quocunq; lateat testatoris. Id tamen erit, ut & competentia sibi sacerdotes rectoresque ecclesiarum authentica videant, & aut exemplorum ipsorum exemplaria manu sui Episcopi roborata pro omni firmitate à Pontifice suo accipiant: qualiter per ea ipsa exemplaria, & negotia ecclesiæ sibi commissæ absque hæsitatione proponant, & veritatem partis suæ iustitia intercurrente recipiant. DATA ET CONFIRMATA LEX, A DIE VNDECIMO KALENDARVM IANVARIARVM, ANNO FELICITER QVARTO REGNI NOSTRI, IN DEI NOMINE TOLETO.

VII. FLS. GLS. GABA REX.

Ne hi, qui retento ecclesiæ obsequio manumittuntur, ingenuarum personarum audeant adire coniugium.

MAgna est confusio generis, ubi dissimilitudo unius parentis, statum degenerat progenitæ prolis. Hoc enim necesse est, ut inveniatur in frutice, quod tractum est ex radice. Quomodo enim absoluti decoris titulum reportabit, cuius parentes obligatio adhuc innexa constringit? Et hæc qui-

dem præmissa sunt, pro eo quod multi de familiis ecclesiarum libertate donantur, nec tamen absolutæ libertatis licentia potiuntur: in eo quòd illi ecclesiæ, de qua originem ducunt, per obsequium illigantur: qui tamen dum diverso ordine ingenuarum personarum connubium expetunt, contra naturam, quod ipsi non possunt, generare intendunt; & quod in augmentum publicæ utilitatis debuit crescere, hoc in manifestam illigationem personæ vel rerum cognoscitur devenire: dum is, qui de tam infami coniugio nascitur, inferioris parentis exequens sexum, unà cum rebus suis omnibus ecclesiasticæ servituti addicitur. Quapropter ut talis de cætero amputetur præsumptio, præsenti lege præcipimus: ut quicunque de familiis ecclesiæ retento patrocinio ecclesiæ ipsius, de cuius servitute exiuit, libertatem à sacerdote acceperit, ingenuam sibi non audeat in matrimonio sociare personam. Illi tamen qui absoluti ab obsequio ecclesiæ, per canonicam sententiam debito ordine manumittuntur, & ingenuarum mulierum innecti copulis poterunt, & in prole omnimodæ dignitatis testimonium obtinebunt. Quòd si hi qui sub ecclesiarum obsequio manumissi sunt, ingenuarum mulierum deinceps ausi fuerint se coniugio sociare: ubi hoc primum iudex agnoverit, sub trina verberum ultione vel commonitione, sicut de ingenuis & servis lege alia continetur, eos separare non differat. Quòd si ab invicem separari noluerint uniuscuiusque personæ, sicuti fuerat conditione manente, quidquid ex illis natum fuerit, in Principis potestate serviturum deveniat. Res tamen omnes sive facultates, quæ de persona ingenua in talium libertorum iure quolibet modo transfusæ sunt, cum his etiam quæ sibi ex talium sexu progenitus filius potuit profligare, conquirere vel habere, totas in integrum aut heredes illius ingenuæ personæ possidendas obtineant: aut si heredes ei defuerint, in Principis iure deveniant possessuræ, qualiter iudicare de his quid voluerit, absolutæ potestatis potiatur licentia. Hæc lex non solùm in viris, sed & in fœminis observanda est: id est, sive sit libertus ecclesiæ sive liberta, quæ sibi personam ingenuam sociare præsumat. Hoc tamen in hac lege servandum est, ut quicunque de præteritis usq; modo quo hæc lex conderetur, de talibus parentibus reperti fuerint intra tricennium generati, non obligationem sequantur illius parentis, qui ecclesiæ per obsequium illigatur; sed conditione omnimodæ ingenuitatis assumpta, cum omnibus rebus, quæ de parente nobili in ignobili parente quolibet modo transierant, in ingenuitatis forma, vel decore absoluti persistant. DATA ET CONFIRMATA LEX, A DIE DECIMO KALENDARVM IANVARIARVM, ANNO FELICITER QVARTO REGNI NOSTRI, TOLETO.

DE

LEGIS VVISIGOTHORVM LIBER QVINTVS,

QVI EST DE TRANSACTIONIBVS.

CAPITVLA TITVLI PRIMI DE ECCLESIASTICIS REBVS.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

De donationibus ecclesiis datis.

SI famulorum meritis iustè compellimur debitæ compensare lucra mercedis, quanto iam copiosius pro remediis animarum divinis cultibus, & terrena debemus impendere, & impensa legum soliditate servare? Quapropter quæcunque res sanctis Dei basilicis, aut per Principum, aut per quorumlibet fidelium cognationes collatæ reperiuntur, votivè ac potentialiter pro certo censemus, ut in earum iure, inrevocabili modo, legum æternitate firmentur.

II.

De conservatione & redintegratione ecclesiasticæ rei.

COnsultissima regni nostri credimus provenire remedia, dum pro utilitatibus ecclesiarum, quæ debeant observari nostris inseri legibus præcipimus. Ideoque præsenti sanctione censemus, ut mox Episcopus fuerit ordinatus, statim rerum inventarium de rebus ecclesiæ, præsentibus quinque ingenuis viris facere non moretur. Quod inventarium de rebus ecclesiæ, ingenui viri coram quibus factum fuerit, sua subscriptione corroborent. Post Episcopi verò ipsius obitum, dum alter fuerit Episcopus ordinatus, secundum rerum inventarium, res requirat ecclesiæ: & si aliquid diminutum de rebus ecclesiæ provenerit, proprii heredes Episcopi, vel quibus facultas eius pertinere vel relicta esse videatur, de præcedenti satisfaciant facultate. Quòd si & aliquid de rebus ecclesiæ vendere præsumpserit, succedens Episcopus, reddito precio quod à venditore susceptum est cum omni augmen-

to, rem ad eam reducat ecclesiam, & nullam calumniam pertimescat. Quam legem & de presbyteris vel diaconibus, sicut superius scriptum est, in omnibus observari & valere præcipimus.

III. ANTIQVA.

De venditionibus & donationibus ecclesiasticarum rerum.

SI quis Episcopus aut presbyter, vel quicunque ex clericis, præter consensum cæterorum clericorum, aliquid de rebus ecclesiæ vendiderit vel donaverit, hoc firmũ non esse præcipimus: nisi ita fuerit facta venditio sive donatio, quemadmodũ sanctorum canonum instituta constituunt atq; decernũt.

IV. ANTIQVA.

De rebus ecclesiæ ab his possessis, qui sunt ecclesiæ obsequiis mancipati.

HEredes Episcopi seu aliorum clericorum, qui filios suos in obsequium ecclesiæ commendaverint, & terras vel aliquid ex munificentia ecclesiæ possederint: si ipsi in laicos reversi fuerint, aut de servitio ecclesiæ, cuius terram vel aliquam substantiam possidebunt, discesserint, statim quæ possidebant amittant. Sed & in omnibus clericis, qui de rebus ecclesiæ quæcunque possederint, servetur hæc forma: ne quamvis longa possessio dominium ecclesiæ à rebus sibi debitis quandoque secludat, quia & canonum auctoritas ita commendat. Sed & viduæ sacerdotum vel aliorum clericorum, quæ filios suos in obsequium ecclesiæ commendant, pro sola miseratione, de rebus ecclesiasticis, quas pater tenuit, non efficiantur extorres.

TITVLVS II. DE DONATIONIBVS GENERALIBVS.

I. ANTIQVA.

Ne valeat violenter facta donatio.

DOnatio quæ per vim & metum fuerit extorta, nullam habeat firmitatem.

II. FLS. CHDS. REX.

De donationibus Regis.

DOnationes regiæ potestatis, quæ in quibuscunque personis conferuntur, sive collatæ sunt, in eorum iure consistant, in quorum nomine eas potestas

stas contulerit regia: ea videlicet ratione, ut ita huius regalis munificentiæ collatio adtributa, in nomine eius, qui hoc promeruit, transfusa permaneat, ut quidquid de hoc facere vel iudicare voluerit, potestatem in omnibus habeat. Quòd si etiam is qui hoc promeruerit, intestatus discesserit; debitis secundum legem heredibus res ipsa successionis ordine pertinebit, & infringi collatæ munificentiæ gratia nullo modo poterit. Quia non oportet Principum statuta convelli, quæ convellenda esse præcipientis culpa non fecerit.

III. ANTIQVA.

De rebus marito vel uxori à Rege donatis.

SPeciali iure decernitur, ut de rebus regia collatione collatis, si in nomine mariti fuerit conscripta donatio, nil sibi exinde mulier, exceptò quod in dote percepit, debeat vindicare. Ideoque & si in nomine mulieris invenitur facta donatio, nihil sibi vir exinde post eius obitum adtemptet aliquatenus usurpare, vel iuri proprio mancipare, nisi quod meruerit uxoris largitate percipere.

IV. ANTIQVA.

De rebus extra dotem uxori à marito collatis.

SI mulier à marito extra dotem, de quibuscunque rebus quacunque donatione vel profligatione conquisitis aut illi debitis, quocunque tempore, quodcunque donatum acceperit, si filii de eodem coniugio fuerint procreati, mulier usque ad diem obitus sui, & secundum voluntatem vel ordinationem testatoris secura possideat, & de quinta tantundem parte earum rerum faciendi quod voluerit potestatem obtineat. Fructus tamen sicut testator ipse, qui hoc testavit, expendendi vel utendi potestatem habere potuit: ita & illa quæ usu hoc ad possidendum percepit, omnia dum advixerit, sine cuiuslibet inquietudine, suis incunctanter utatur expensis: si tamen idẽ testator aliquam specialem testationem de ipsis frugibus non instituerit. Post obitum verò suum, reliqua integra & intemerata filiis ex ipso viro procreatis derelinquat, & nulla occasione cuiquam exinde, excepta ut dictum est quinta parte, quidquam aliud mulier alienare præsumat. Quòd si ex ipso coniugio filii non fuerint procreati, quidquid mulier de rebus sibi donatis, iuxta præscriptum testatoris ordinem facere elegerit, liberam habeat potestatem. Ceterum si intestata discesserit, ad maritum eius, si superstes extiterit, donatio revertatur. Si autem maritus non fuerit, ad heredes mariti qui donationem conscripsit, eadem donatio pertinebit. Similem rationem de viris præcipimus custodiri, de his quæ ab uxoribus tempore quocunque donata præceperint.

V. ANTIQVA.

De rebus à marito mulieri concessis; vel si mulier fuerit adulterasse detecta.

MAritus si uxori suæ aliquid donaverit, & ipsa post obitum mariti sui in nullo scelere adulterii fuerit conversata, sed in pudicitia permanserit,

aut certè si ad alium maritum honesta coniunctione pervenerit, de rebus sibi à marito donatis possidendi, & post obitum suum, si filios non habuerit, relinquendi cui voluerit, secundum voluntatem testatoris habeat potestatem. Ceterum si filios non relinquens intestata discesserit, aut ad maritum eius, si superstes extiterit, aut ad heredes mariti qui donationem conscripsit, eadem donatio pertinebit. Si autem per adulterium seu per inhonestam coniunctionem se miscuisse convincitur, quidquid de facultate mariti sui fuerit consecuta, totum incunctanter amittat, & ad heredes donatoris, vel ad filios legitimos revertatur.

VI. FLS. CHDS. REX.

De rebus traditis, vel per scripturam donatis.

RES donatæ, si in præsenti traditæ sunt, nullo modo repetantur à donatore. Quòd si etiam provenerit, ut quod donatur sit longè positum, pro eo donatio evacuari non poterit: quia tunc videtur vera esse traditio, quando iam apud illum scriptura donatoris habetur, in cuius nomine conscripta esse dinoscitur. Hoc tantum observandum est, ut si donator dixerit, nec dedisse, nec direxisse scripturam, sed sublatam sibi fuisse: tunc ille, cui res donatæ sunt, per testem convincat, ab ipso donatore eandem rem aut tráditam sibi aut directam, vel ex eius voluntate in potestate sua redactam: & dum probaverit stabilis habeatur. Quòd si probare neglexerit, tunc ille qui scripturam fecerit, iuraturus est, quia eandem scripturã, neque per se dedisset, neq; direxisset, neque per voluntatem suam factum esset, ut eadem scriptura in manus eius veniret, à quo eam videtur repetere: & sic invalida remanebit, si tamen qui donavit voluerit. Illud sanè addi placuit, ut si quisque scripturam de suis rebus in quibuslibet personis ediderit, si eam vivendo illi in cuius nomine scripta est non tradiderit, quamlibet tradita non sit, tamen dum post eius obitum repperta fuerit, ille sibi eam vindicabit cum omnibus rebus, quæ ibi conscriptæ sunt, in cuius nomine dator eam fieri voluisse agnoscitur. Quoniam iustum omnino est, ut talis scriptura robur plenitudinis habeat, quam vivens donator ita salvavit, ut nequaquam videatur aliquatenus immutata. Nam si scripturam ipsam vel rem conditor dum viveret nullo modo tradidit, sed apud se retinuit, & voluntatem suam postmodum immutavit; illud potius firmissimum erit, quod post testationem non traditæ scripturæ definisse cognoscitur. Quòd si ipsum, cui res donatæ fuerant, fatalis casus ab hac vita subduxerit, antequam rem sibi donatam caperet, ad donatorem, vel ad heredes donatoris, res ipsa pertineat. Qui verò sub hac occasione largitur, ut eandem rem ipse qui donat usufructuario iure possideat, & ita post eius mortem ad illum cui donaverit res donata pertineat: quia similitudo est testamenti, habebit licentiam immutandi voluntatem suam quando voluerit, etiamsi in nullo læsum fuisse se dixerit. Ille verò qui falsa donatione circumventus, aliquid in utilitate donatoris expenderit, aut ab ipso donatore recipiat, aut ab eius heredibus: ne iniustè dampna sustineat, qui lucrum se habere de inani promissione putabat. Certè si quisquis ille rem donatam, sive per traditionem conditæ scripturæ, sive per consignationem

nem vel traditionem rerum, in iure suo perceperit, & complacuerit ei, ut donator rem ipsam per voluntatem eius qui eam donatam percepit possideat, iam si in postmodum fortasse contigerit, ut ipse qui rem donatam perceperat, vivente donatore moriens, ab hac vita discedat, quidquid de re sibi donata iudicare voluerit licentiam habeat. Quòd si intestatus discesserit, non ad donatorem, sed ad heredes eius, qui rem donatam percepit, res eadem sine dubio pertinebit.

VII. ANTIQVA.

De rebus inter maritum & uxorem invicem datis.

MAritus si uxori suæ aliquid donaverit, de hoc quod ipsa habere voluerit scripturam manus suæ subscriptione vel signo confirmet: ita ut duo aut tres testes ingenui subscriptores vel signa facientes accedant, & sic voluntas ipsius habeat firmitatem. Similis & de uxoris voluntate, quæ in maritum conferre voluerit, donationis hæc forma servetur: si tamen violenter à viris non fuerit exacta donatio. Servata legum in omnibus sanctione, quæ in discendis facultatibus dinoscitur ordinata consistere.

TITVLVS III. DE PATRONORVM DONATIONIBVS.

I. ANTIQVA.

Si is qui in patrocinio constitutus est, vel filij eius, patronum aut filios patroni relinquat.

SI quis ei, quem in patrocinio habuerit, arma dederit, vel aliquid donaverit, apud ipsum quæ sunt donata permaneant. Si verò alium sibi patronum elegerit, habeat licentiam cui se voluerit commendare. Quoniam ingenuo homini non potest prohiberi, quia in sua potestate consistit: sed reddat omnia patrono, quem deseruit. Similis & circa filios patroni, vel filios eius qui in patrocinio fuit, forma servetur: ut si tam ipse qui in patrocinio fuit, quam filii eius, filiis patroni obsequi voluerint, donata possideant. Si verò patroni filios vel nepotes ipsis nolentibus crediderint relinquendos, reddant universa, quæ parentibus eorum à patrono donata sunt. Quicunque autem in patrocinio constitutus, sub patrono aliquid acquisierit, medietas ex omnibus in patroni vel filiorum ipsius potestate consistat. Aliam verò medietatem idem buccellarius, qui acquisivit, obtineat. Quòd si buccellarius filiam tantummodo reliquerit, & filium non reli-

querit, ipsam in potestate patroni manere iubemus: sic tamen ut ipse patronus æqualē ei provideat, qui eam sibi possit in matrimonio sociare, & quidquid patri vel matri fuerit datum ad eam pertineat. Quòd si ipsa sibi contra voluntatem patroni inferiorem fortè maritum elegerit; quidquid patri eius à patrono fuerat donatum, vel à parentibus patroni, patrono vel heredibus eius restituat.

II. ANTIQVA.

De armis quæ dantur saionibus in patrocinio constitutis, & de acquisitionibus eorum.

ARma quæ saionibus pro obsequio donantur, nulla ratione à donatore repetantur. Sed illa, quæ dum saio est acquisivit, in patroni potestate consistant.

III. ANTIQVA.

De rebus in patrocinio conquisitis, vel à patrono collatis.

SIcut superius dictum est, si quis cum aliquo patrocinii causa consistat, & aliquid dum cum eo habitat, adquisierit; si ei inveniatur infidelis, vel eum derelinquere voluerit, medietas adquisitæ rei patrono tradatur. Aliam verò medietatem qui adquisivit obtineat, & quidquid ei ipse donavit recipiat.

IV. ANTIQVA.

De rebus in patrocinio acceptis & conquisitis.

ITa, ut supra præmissum est, quicunque patronum suum reliquerit, & ad alium tendens fortè se contulerit, ille cui se commendaverit, det ei terram. Nam patronus quem reliquerit, & terram & quæ ei dedit obtineat.

TITVLVS IV. DE COMMVTATIONIBVS ET VENDITIONIBVS.

I. ANTIQVA.

Vt ita valeat commutatio, sicut & emptio.

COmmutatio si non fuerit per vim & metum extorta, talem qualem & emptio habeat firmitatem.

II. ANTIQVA.

Vt si non fuerit idoneus venditor, fideiussor detur.

SI venditor non fuerit idoneus, ingenuum fideiussorem dare debet emptori, & emptio habeat firmitatem.

III. ANTIQVA.

Ne valeat violenter facta venditio.

VEnditio per scripturam facta plenam habeat firmitatem. Ceterùm si etiam scriptura facta non fuerit, & datum precium præsentibus testibus comprobetur, plenum habeat emptio robur. Venditio verò si fuerit violenter & per metum extorta, nulla valeat ratione.

IV. ANTIQVA.

Si arris datis precium non fuerit impletum.

QVi arras pro quacunque re acceperit, id cogatur implere quod placuit. Emptor verò si per ægritudinem, aut gravem necessitatem, quæ vitari non potuerit, ad constitutum non occurrerit diem, quem voluerit pro se dirigat, qui precium tempore definito percompleat. Quòd si ad constitutum diem nec ipse successerit, nec pro se dirigere voluerit, arras tantummodo recipiat quas dedit, & res definita non valeat.

V. ANTIQVA.

Si pars precii data non fuerit.

SI pars precii data est, & pars promissa non adimpletur, non propter hoc venditio facta rumpatur. Sed si emptor ad placitum tempus non exhibue-

rit precii reliquam portionem, pro precii parte quam debet, ſolvat uſuras: niſi hoc fortè convenerit, ut res empta venditori debeat reformari.

VI. FLS. RCDS. REX.

Si fraus in precio rei venditæ fiat.

SI in contractu venditionis, minus precium datum fuerit, & per fraudem aut etiam contra voluntatem vendentis amplius datum precium nuncietur: quantum de iuſto precio fraudatum eſt, tantum duplum emptor reſtituat venditori.

VII.

Si dicat quis rem ſuam vili precio vendidiſſe.

VEnditionis hæc forma ſervetur: ut ſeu res aliquæ, vel terræ, ſive mancipia, vel quodlibet animalium genus venditur, nemo propterea firmitatem venditionis irrumpat, eo quòd dicat rem ſuam vili precio vendidiſſe.

VIII. ANTIQVA.

De his qui aliena vendere vel donare præſumpſerint.

QVotiens de vendita vel donata re contentio commovetur, id eſt, ſi alienam fortaſſe rem vendere, vel donare quemcunque conſtiterit, nullum emptori præiudicium fieri poterit: ſed ille, qui alienam fortaſſe rem vendere aut donare præſumpſerit, duplam rei domino cogatur exſolvere. Emptori tamen precium quod accepit redditurus, & pœnam quam ſcriptura continet impleturus: & quidquid in profectu comparatæ rei emptor, vel qui donatum accepit, ſtudio ſuæ utilitatis acceperat, à locorum iudicibus æſtimetur: atque ei qui laboraſſe cognoſcitur, à venditore vel donatore iuris alieni, ſatisfactio iuſta reddatur. Similis ſcilicet & de mancipiis, & de omnibus rebus, atque brutis animalibus ordo ſervetur.

IX. ANTIQVA.

Quòd rem in contentione poſitam non liceat vendere vel donare.

REm in contentione poſitam, id eſt, quam alter aut petere cœpit, aut recipere rationabiliter poterat, obtinere non liceat, nec donare, nec vendere, nec aliquo loco transferre.

X. ANTIQVA.

Si ſe permiſerit ingenuus venundari.

QVicunque ingenuus ſe vendi permiſerit, & precium cum venditore partitus eſt, ut circumveniret emptorem, proclamans poſtea nullatenus audiatur; ſed in ea ſervitute, quam voluit, permaneat. Quoniam non eſt dignus ut liber ſit, qui ſe volens ſubdidit ſervituti. Et tamen ſi ipſe, qui ſe ven-

vendiderit, vel venumdari permiſerit, precium unde ſe redimat habere poterit: aut ſi parentes eius redemptionem pro eo, qui ſe vendidit, dare elegerint; reddito ad integrum precio, quod pro venditi perſona emptor accepit, ad ingenuitatis titulum ille, qui ſe vendiderat, poterit revocari.

XI. ANTIQVA.

De viris ac mulieribus ingenuis à ſervo vel ingenuo venditis.

SI ingenuus ingenuum vendere, vel donare præſumpſerit, huiuſmodi præſumptorem iudex comprehendere non moretur: ita ut ingenuus ille in statum ſuum redactus centum auri ſolidos à præſumptore percipiat: aut ſi non habuerit unde componat, centum flagellis publicè verberatus, in poteſtate eius ſerviturus tradatur, quem vendere vel donare præſumpſerat. Servus verò in ingenuam perſonam talia facere fortaſſe præſumens, comprehenſus à iudice ducentorum flagellorum ictibus publicè verberetur, & decalvatus turpiter, eius perenniter ſervitio addicatur. Atque etiam de mulieribus ingenuis venditis vel donatis, huius ordinis forma ſervetur.

XII. ANTIQVA.

Non licere parentibus filios ſuos quocunque contractu alterius dominio ſubiugare.

PArentibus filios ſuos vendere non liceat, aut donare, vel oppignerare: Nec ex illis aliquid iuri ſuo defendat ille qui acceperit, ſed magis precium vel ſepoſitionis commodum, quod dederat, perdat, qui à parentibus filium comparavit.

XIII. FLS. CHDS. REX.

De ſervorum rebus venditis.

REs iuris alieni ſine domini voluntate ab eo, qui non habet diſtrahendi poteſtatem, alienari non patimur. Ideoque cùm promulgata iuris antiqui ſanctio non ſine dominorum diſpendio ſervorum venditiones in irritum præceperit devocari, providentiori decreto conſulimus, ſi leges patrias ad æquitatis regulam redigamus, ſicque melius earum ſtatuta corrigere, quàm cum eis pariter oberrare. Quapropter ſi quis ſervum vel ancillam alienam ſciens, ab eis deinceps domum, agrum, vineam, ſeu mancipium, ſub quacunque definitione percepit, donatio ſiquidem vel ſepoſitio de talibus perſonis contracta non valeat: ita ut nec datum commodum pro ſepoſitione reddatur. Venditio verò cum diſpendio comparantis irrupta, ſic ad ſervi vel ancillæ dominum in integrum revocetur, ut emptor precium ex omnibus perdat. Iuſtè enim quod per ambitionem dederat videtur amittere, qui ſuo dominio rem cenſus alieni nititur applicare. Prædictæ verò ſerviles perſonæ ſi animalia quælibet bruta vendiderint, ſeu res quaſcunque & ornamenta diſtraxerint, quæ tamen aut ſui ſint peculii, aut à dominis ſuis vel aliis negotiandi occaſione diſtrahenda perceperint, ita perenniter firma ſubſiſtant: ut

si dominus eiusdem servi vel ancillæ qui vendidit, rescindere venditionem ipsam voluerit, seu rem domini quæ vendita est, non servi peculium, sed sui esse proprii domini asseruerit, non aliter venditio rescindatur, nisi ille qui rescindendam venditionem proponit, aut per testes legitimos, aut per sacramentum suum, non servi peculium, sed suum proprium doceat esse quod quærit, & sine voluntate sua venditum fuisse, quod acquirere cupit. Et hoc quidem de vilibus aut parvis rebus: nam de maioribus & necessariis in domini potestate erit infringere aut stabilire negotium.

XIV. ANTIQVA.

Si servus venditus in priorem dominum crimen obiiciat.

SI quis servum suum vendiderit, & ipse servus priori domino aliquod crimen obiecerit; ille qui vendidit, recipiat, quem vendiderat, precium redditurus emptori: ut ipse in servo suo crimen quod sibi obiectum est inquirere vel vindicare studeat. Id autem & de ancillis præcipimus custodiri. Idem tamen servus vel ancilla, seu venditi, sive donati, vel commutati, in priorum dominorum capite non torqueantur: neque credatur eis, si in prioribus dominis crimen obiecerint.

XV. ANTIQVA.

Vt servi venditi facultatem dominus quærat.

SI quis servum suum vendiderit nesciens eius facultatem, habebit inquirendi liberam potestatem, ut sibi vendicet ille qui vendidit, cùm potuerit invenire rem servi venditi.

XVI. ANTIQVA.

Si servus sit de suo peculio emptus.

SI servus de peculio suo fuerit emptus, & hoc dominus eius fortè nescierit, de domini sui potestate non exeat: quia non precium, sed res servi sui dominus dum ignorat accepit.

XVII.

Vt nullus servum suum vendat invitus.

SÆpissimè leges oriuntur ex causis: & cùm aliquid insolitæ fraudis existit, necesse est contra notandæ calliditatis astutiam præceptum novæ constitutionis apponi. Comperimus multorum servos vel ancillas ad ecclesiam quorundam sollicitatione confugere, & illic de iniusto dominorum imperio sæpissimè querelari: ut ita intercedentibus clericis, religionis obtentu, domino necessitatem venditionis extorqueant. Hinc etiam plerumque domino error imponitur: ut aut clericus, aut quicunque alius se vel ut emptor interponat, precium traditurus alienum: & sub huius argumentatione colludii, interdum domino nesciente servus vendatur inimico: atque eveniat, ut in vicinia forsitan longa constitutus, eum ille possideat, qui publicæ nul-

latenus

tenus ad contractum venditionis accessit. Proinde hac lege profutura omnibus sancimus, ut nullus servum suum vendat invitus. Sed clericus aut ecclesiæ custos, sicut in aliis legibus continetur, excusatum à culpa domino servum amota dilatione restituat. Satis enim videtur indignum, ut in eo loco servi contumaciam rebellionis assumant, ubi castigationis disciplina & obtemperandi prædicantur exempla. Si quis itaque dominum suum in hunc inducit errorem, precium qui per suppositam personam comparavit amittat. Quod ille aut ipso commercii tempore, quo inducebatur, usurpet, suæ proprietati habiturus: aut si hoc postea quàm fuerat inductus agnoverit, iudicis exequutione percipiat, & servum nihilominus suæ vindicet potestati. Is autem qui se ministrum fraudulenter venditioni ingessit, alium paris meriti servum domino, cui instruxit insidias, reformare cogatur: & tam notandæ fraudis improbitas, præcepti huius coërceatur obiectu.

XVIII. FLS. CHDS. REX.

Si servus pro quocunque crimine, qualicunq; contractu ad dominium transierit alterius.

NOn prætermittendum est legali sanctione decernere, unde plerumq; impugnationis occasio videatur existere. Idcirco, si criminis reatu servus obnoxius, ad alterum fortasse dominum donationis, venditionis, aut commutationis titulo transierit serviturus; idem prior dominus aut servum pro culpa tradere, aut pro eo componere compellendus est. Nam qui talem servum comparasse dinoscitur, si respondere vel satisfacere pro crimine eius noluerit, hunc priori domino precio recepto restituat, & ipse quoque pro scelere servi redditurus est petenti responsum, sub cuius dominio servum constiterit perpetrasse reatum.

XIX. FLS. CHDS. REX.

De non alienandis privatorum & curialium rebus.

SI cura rei familiaris omitti non debet, quanto magis utilitatis publicæ, quam semper exerceri vel augeri necesse est? Curiales igitur vel privati, qui caballos ponere, vel in arca publica functionē exsolvere consueti sunt, nunquam quidem facultatem suam vendere aut donare, vel commutatione aliqua debeant alienare. Et tamen si contigerit, aut voluntate aut necessitate eos alicui, sive venditione aut donatioue, sive commutatione, omnem suam facultatem dare: ille qui accepit censum illius, à quo accepit exsolvere procurabit, & hanc ipsam summam census, eiusdem scripturæ suæ ordo per omnia continebit. Sed & qui medietatem facultatis talium personarum, vel partem aliquam in mancipiis, terris, vineis, domibusque perceperit, iuxta quantitatem acceptæ rei, functionem publicam impleturus est. Qui autem de talibus personis accipiens, aut per scripturam illius à quo accepit, non ostenderit quid exinde functionis exsolvat, aut uno forsitan anno reddere censionem ipsam distulerit: mox Regis auditibus, sive Comitis, aut iudicis

huius rei actio innotuerit, possessor amisso precio, & si quid econtra dederat, id etiam quod accepit ex omnibus perdat. Ita ut Principis potestas, seu illi qui dederat reddere voluerit, siue alii fortasse conferre, licentiam habeat. Ipsis interim curialibus vel privatis inter se, vendendi, donandi, & commutandi, cui licitum erit, ut ille qui acceperit, functionem rei acceptæ publicis utilitatibus impendere non recuset: nam plebeis glebam suam alienandi, nulla unquam potestas manebit. Amissurus procul dubio precium, vel si quid contigerit accepisse, quicunque post hanc legem, vineas, terras, domosque, seu mancipia, ab officii huius hominibus accipere quandocunq; præsumpserit.

XX. ANTIQVA.

Si res illa vendatur aut donetur, quæ prius debuerat per iudicium obtineri.

SI quis rem, quæ est per iudicium repetenda, priusquam adversarium iudicialiter superet, ita vendiderit, vel donaverit alicui, aut fortè tradiderit occupandam, ut absque audientia iudicis, privetur dominium possessoris: ipse qui possedit per exequutionem iudicis, rem quæ occupata fuerat statim recipiat, nec de eius postmodum repetitione contendat, etiamsi bona sit causa petentis. Ille verò qui hoc vendidit, aut donavit, vel occupari præcepit, quod iustè vindicare nullatenus poterit; eiusdem meriti rem aut precium ei, à quo victus fuerit, repensare cogatur: quia rem antequam vinceret, fecit invadi.

XXI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De mancipiis ab hostibus occupatis vel venditis.

QVæcunque mancipia de regionibus nostris ab adversis hostibus extiterint occupata, si ab hominibus regni nostri reperiantur excussa, ille qui ab hoste abstulit, ex quo unumquodque mancipium valere iustè constiterit, tertiam partem precii habeat, & mancipia domino nihilominus reddat. Quòd si venditum ab hostibus mancipium fuerit acceptum, cum iuramento manifestetur precium datum: ac tunc ille qui dedit integrum precium, & quantum mancipium melioravit acceptum, à domino recipiat, moxque illi suum mancipium inexcusabiliter reddat.

XXII. FLS. CHDS. REX.

Quo præsens liber debeat precio comparari.

VT omnis de cetero & improbitas distrahentis, & dispendium temperari possit emptoris, id præsenti sanctione decernitur legis: scilicet ut quotiescunque hunc codicem constiterit venumdari, non amplius quàm XII. solidorum numerum accipere venditori, vel dare licebit emptori. Si quis verò super hunc precii numerum accipere vel dare præsumpserit, C. flagellorum ictibus à iudice verberari se noverit.

TITVLVS V. DE COMMENDATIS ET COMMODATIS.

I. ANTIQVA.

De animalibus in custodiam placita mercede susceptis.

SI quis caballum, vel bovem, aut quodlibet animalium genus, placita mercede ad custodiendum susceperit: si id perierit, alium eiusdem meriti, ille qui commendata susceperit, exsolvat: si tamen mercedem fuerit pro custodia consequutus, vel pro conducto. Quòd si ille qui nullum placitum pro mercede susceperat, rem mortuam esse probaverit, nec ille mercedem recipiat, nec ab illo aliquid requiratur. Ea tamen ratione, ut præbeat sacramentum ille, qui commendata susceperat, quod non domino per suam culpam, neque per negligentiam, animal morte consumptum sit, & nihil cogatur exsolvere. Similis & de cõmodatis forma servetur.

II. ANTIQVA.

De animalibus in angariam præstitis.

SI quis alicui iumentum, aut caballum, aut aliud animal præstiterit, & per aliquam infirmitatem apud eum qui accepit moriatur, sacramentum præbere debebit, quod non per suam culpam, neque per negligentiam morte consumptum sit, & nil cogatur exsolvere. Sin autem nimium cædendo, vel fasces carricando, aut quocunque onere vel percussione mortuum fuerit, eiusdem meriti animal domino sine aliqua excusatione restituat. Si verò præstitum animal alicui aliquid debilitatis intulerit, vel dampni, ille componat qui id apud se susceptum habuisse dinoscitur.

III. ANTIQVA.

De rebus præstitis, incendio vel furto exterminatis.

SI alicui aurum, argentum aut ornamenta, vel species fuerint commendatæ, sive custodiendæ traditæ, aut forte vendendæ: id si perierit, vel in domo ipsius qui accepit cum rebus eius fuerit incendio concrematum, unà cum testibus veniat, & brevem det ille, qui commendata susceperat, & præbeat sacramentum, quòd nihil exinde suis profuisset compendiis, & nihil

cogatur exsolvere, excepto auro & argento quod ardere non potuit. Et si quis, dum domum flamma consumit, se quasi auxilium præbiturus ingesserit, & aliquid fortè rapuerit, dominus domus diligenter inquirat: & si eum invenire potuerit, ille qui rapuit in quadruplum rapta restituat: & si de commendatis rebus apud susceptorem aliquid fortè reppererit, domino restituere non moretur. Si verò quæ commendata fuerant, furto probantur ablata ei qui commendata susceperat, spatium tribuatur, ut ordo docet, donec furem sua investigatione perquirat: & si eum invenerit, commendatori res suas proprias tantummodo reformare cogatur. Compositio verò furti ad eum qui habuit commendata pertineat. Certè si fur non fuerit infra statutum tempus inventus, medietas rerum commendatarum domino à suscipiente reddatur, ut dampnum ex medio uterque sustineat. Et si postmodum dominus rerum apud eum cui commendaverat, quæ fuerant suppressa fortè reppererit, cùm hæc ille se priùs dixerit perdidisse, vel furtim fuisse sublata, sicut fur pro his quæ cœlavit, secundum legum statuta, compositionem implere cogatur.

IV. ANTIQVA.

De pecunia perdita, & usuris eius.

SI quis pecuniam sub conditione susceperit, daturus usuras, si per casum pecunia perierit, non culpa aut negligentia debitoris: ille qui pecuniam commodavit, solam pecuniæ summam recipiat, & non requirat usuras. Si verò per ipsius fraudem vel culpam factum est, & pecuniam & usuras solvat. Quòd si aliqua lucra est ex ea pecunia consequutus, & postmodum contingat ut pecunia pereat; si tanta sunt lucra, quanta pecunia fuit, & pecuniam & usuras restituat.

V. ANTIQVA.

De rebus commendatis, & casu quocunque in naufragium missis.

QVi commendata vel commodata susceperit, & de ruina aut de incendio, vel hostilitatis naufragio, seu quolibet simili casu, sua omnia liberaverit, & aliena perdiderit, quod accepit sine aliqua excusatione cogatur exsolvere. Si verò partem aliquam de rebus propriis liberasse cognoscitur, illi cuius res secum habuerat, iuxta modum perditæ rei vel liberatæ restituat, qualem iudex ratione deducta æstimaverit portionem. Si autem sua omnia perdidit, cùm liberaret aliena, & de liberatis & de perditis rebus similis ratio deducatur, ut partem arbitrio iudicantis qui liberavit accipiat. Iustum est enim in simili casu, ut ille non dampnum solus excipiat, qui se gravibus obiecit periculis; & dum aliena minora conatur liberare, sua maiora perdidisse cognoscitur.

VI. ANTIQVA.

De rebus servo, domino nesciente, commendatis.

QVod nesciente domino servo fuerit commendatum, si id perierit, nec dominus nec servus ullum dampnum incurrat. Suæ enim imputet cul-

pæ, qu

pæ, qui ſervo alieno res ſuas commendaverit, domino neſciente. Si verò alicuius animal ſit, & per fraudem paſtorum diminutum repperiatur, hoc reddere compellatur. Similis & de commodatis forma ſervetur, ſi fraude aut malitia conſumpta aut diſſipata noſcuntur.

VII. ANTIQVA.

Si ſervus mentiatur dominum petere commodanda.

SI dominus per ſervum ſuum quodcunque ſibi petierit commodandum, & ſervus cum rebus commodatis in fugam fuerit elapſus, tunc dominus obligetur ut commodata reſtituat. Si verò ſervus petiſſe dominum mentiatur, & ſic quaſi deportanda ad dominum ſuſceperit, & quæ ſuſceperit aut everterit, aut fortè perdiderit, & fugitivus non potuerit inveniri: dominus ſervi præbeat ſacramentum, ſe eundem ſervum ut ſuſciperet non miſiſſe, & cùm id peteret ignoraſſe, & nihil calumpniæ pertimeſcat. Servum tamen tam dominus, quàm ille qui commodavit, quærere ſolicitè procurabunt. Hæc eadem & de commendatis præcipimus cuſtodire.

VIII. ANTIQVA.

De reddendis uſuris.

SI quicunque pecuniam commodaverit ad uſuram, non plus per annum quàm tres ſiliquas de uno ſolido poſcat uſuras, ſi tamen fuerit unde detur. Sed de ſolidis octo, nonum ſolidum creditori, qui pecuniam ad uſuram dedit, exſolvat: & ſic ſummam pecuniæ & uſuras ille qui dederat, à debitore recipiat. Quòd ſi cautionem ultra modum ſuperiùs comprehenſum per neceſſitatem ſuſcipientis creditor extorſerit, conditio contra leges inſerta non valeat. Si quis autem contra ordinationem hanc fecerit, eam rem quam commodaverit, recipiat: & quæ cautæ fuerant, in nullo ſolvantur uſuræ.

IX. ANTIQVA.

De uſuris frugum.

QVicunque fruges aridas & humidas, id eſt vinum & oleum, vel quodcunque annonæ genus alteri commodaverit, non amplius ab eo propter uſuras, quàm tertiam partem accipiat, id eſt ut ſuper duos modios, qui accepit, tertium reddat. Quam legem, ad ſolas fruges præcipimus pertinere. Nam de pecunia commodata, ſecundum ſuperiorem legem valere & obſervare cenſemus.

X. ANTIQVA.

Cui debeant teſtamenta vel ſcripturæ commendatæ reſtitui.

TEſtamentum ab eo cui fuerit commendatum, poſtea quàm hoc ante teſtes publicaverit, ſicut eſt in legibus conſtitutũ, illi, qui maiorem partem de eodem teſtamento eſt conſequuturus, reddatur heredi. Quod ſi alii redditum fuerit, vel adverſario eius traditũ; qui tradiderit duplam compoſitionem reſtituat, quàm illi cui fraudulẽtus fuerit, inferre voluerat. Illas verò ſcriptu-

ras, quæ simul tradi partibus debent, si commendatas quicunque susceperit, id est, testamenta, iudicia, pacta, donationes, vel cetera talia, si alteri altero absente tradiderit, ille qui dederat, revocet quod dedit; & omnibus, quibus in commune debebatur, restituere non moretur.

TITVLVS V. DE PIGNERIBVS ET DEBITIS.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

De non pignerando.

PIgnerandi licentiam in omnibus submovemus: alioquin si non acceptum pignus præsumpserit ingenuus de iure alterius usurpare, duplum cogatur exsolvere. Servus autem simplum restituat, & centum flagella suscipiat.

II. ANTIQVA.

De pignere deposito & furato.

SI quis pignus alteri deposuerit pro aliquo debito, & illud, ipse qui deposuerit, furatus fuerit, pro fure teneatur.

III. ANTIQVA.

De pignere, si pro debito deponatur.

PIgnus, quod pro debito deponitur, si per cautionem fuerit obligatum, & ille qui pignus deposuerat ad tempus constitutum, debitum reformare dissimulet, post diem cautionis exactum, usque ad decem dies pignus salvum domino suo reservetur: aut eidem domino, si in propinquo est, reportetur, atque ut restituat debitum moneatur. Quòd si per negligentiam suam debitor ad diem constitutum adesse neglexerit, aut debitum implere distulerit, addantur usuræ. Cæterùm si adesse usque ad decem dies, sicut suprà dictum est, aut quod debet, reformare distulerit: tunc creditor iudici vel præposito civitatis pignus ostendat, ut quantum iudicio eius, vel trium honestorum virorum fuerit æstimatum, sit licentia distrahendi, & postmodum de precio venditi pigneris, creditor quantum ei debebatur, sibi evidentius tollat, & reliquum ille recipiat qui pignus deposuerat.

IV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si pignus repræsentato debito non reddatur.

SI quis ei qui rem pro pignere crediderit, ad constitutum tempus, repræsentato debito, pignus acceptum distulerit reddere, & hoc aut ante tempus

pus lege superiori taxatum vendere, vel in usus proprios atque in alienos conterendum præsumpserit adtemptare, vel malitiosè differens noluerit assignare, pignus quidem quod accepit, integrum reddat, & medietatē quantum pignus valere constiterit, domino pigneris coactus impendat.

V. FLS. GLS. CHDS. REX.

Si una persona reatu vel debito multis teneatur obnoxia.

SI una persona plurimis rea vel debitrix maneat, qui prior in petitione præcesserit, & aut per placitum, aut per probationem, sive per professionem eius, eum sibi reum vel debitorem esse docuerit, ipsi nihilominus aut iuxta qualitatem debiti satisfacere compellendus est, vel damnandus à iudice. Quòd si quibus reus vel debitor manet, uno eodemque tempore contra eum agere cœperint; secundum quantitatem debiti vel reatus, aut reddere omnibus, aut omnibus addicendus est serviturus. Quærere tamen à iudice ad liquidum oportebit, cui magis reus vel debitor maneat, ut ipsi maiorem partem reddi præcipiat. Et de reliquo, quod de facultate rei vel debitoris remanserit, quantum reddatur cæteris iudex ipse manifestè perpendat. Certè si non fuerit unde compositio exsolvi debeat, cum hoc saltim quod videtur habere, pro debito vel reatu perpetim serviturum iudex petentibus tradere non desistat.

VI. FLS. CHDS. REX.

Qualiter defuncti debitum aut violentia post mortem possit inquiri.

SI viventis cuiuslibet manifesta culpa non apparet, nefas esse non dubitandum est, ut eum quisquam post obitum mansisse sibi reum accuset. Ne ergo in fraude heredis defuncti quicunque post hæc talia conetur præsumere, huius legis redargui sanctione se noverit: scilicet, ut si quis quemlibet defunctum sibi violentum, aut pervasorem suæ rei, sive direptorem, seu debitorem fuisse adstruxerit, eumque quodcunq; inlicitum secundum superiorem ordinem dixerit perpetrasse; non aliter eius assertioni credatur, nisi per quamcunque scripturam aut testificationem legitimam id verum esse indubitanter edoceat. Quòd si tale aliquid quisque convicerit, & defunctus ille de quo agitur, filios non relinquens, facultatem suam suis libertis aut quibuscunque personis dinoscitur contulisse: ipsi liberti vel aliæ personæ, iuxta quod possident de rebus defuncti, quæ defunctus debuit vel commisit, insistente iudice, cogatur exsolvere. Nam si filios reliquerit, & ipsi omnem eius obtinent facultatem, ipsi proculdubio cogendi sunt illa supplere, unde auctor eorum, debitor aut præsumptor convincitur extitisse. Si certè prædictarum causarum obnoxius sic ab hac luce discesserit, ut de suis rebus nil videatur aliquatenus ordinasse; propinqui eius, vel qui facultatem ipsius adierint aut possederint, petitori de re vel causa quam repetit, cogendi sunt reddere rationem: ita ut si ille, qui debitor aut præsumptuosus dicitur extitisse, nil rerum suarū moriens dinoscitur reliquisse, ab omni calumpnia repetentis eius filii vel propinqui habeantur immunes. Sin autem quodcunque defunctꝰ reliquit, & maius est quod petitur, quàm quod reliquisse vide-

tur; si filii eius aut propinqui, aut qui eius possident bona, noluerint pro reatu eius vel debito satisfacere, de rebus à difuncto dimissis non morentur petenti facere cessionem.

TITVLVS VII. DE LIBERTATIBVS ET LIBERTIS.

I. ANTIQVA.

Si mancipia, sive per scripturam, seu per testem manumittantur.

SI quis moriens per scripturam, aut præsentibus testibus, manumiserit mancipia sua, voluntas eius habeat firmitatem, dummodo infra sex menses, trium aut quinque testium, quibus credi possit, testimonio comprobetur. Sed & libertis si quid donaverit qui eos manumittit, aut libertatis ipsius scriptura contineat, aut testes qui adhibentur agnoscant; & res apud libertos donata permaneat.

II. ANTI-

II. ANTIQVA.

Si alienus servus vel commune mancipium manumittatur.

SI quis alienum servum vel commune mancipium manumiserit in fraudem domini, libertas data non valeat. Ille verò qui manumiserit alienum mancipium, alterum præter illum domino dare cogatur. Si verò dominus adquieverit ut ille liber sit, duos vicarios servos pro manumisso servo percipiat, & libertas data habeat firmitatem. Hæc eadem & de ancillis præcipimus custodiri. Si quis sanè vult ex integro manumittere commune mancipium, presbyterum qui præsens est vel diaconum commonemus, ne huiusmodi libertatem se fieri præsentibus permittant, quia hæc manumissio stare non poterit. Si quis autem commune mancipium vult à iugo servitutis absolvere, prius cum consortibus suis dividat, & suæ vindicet potestati: aut certè cum his qui ei consortes sunt, id fieri vel precio vel precibus elaboret: & si sic voluerit præsente presbytero vel diacono manumittat, & libertas data firmetur. Quòd si aliquis coram sacerdote vel diacono commune mancipium ex integro manumiserit, proprietatis suæ partem de mancipio amittat, & mancipium ad integrum consors ille, qui non manumisit, obtineat. Nam si partem, suam quæ in eodem mancipio illi debetur, absolvere voluerit, prohiberi non poterit.

III. ANTIQVA.

De his qui se liberos esse proclamaverint.

SI mancipia se in libertate proclamaverint, spatium & tuitionem arbitrio iudicis accipiant, ut testes possint ad libertatis suæ documenta perquirere. Sed tantum temporis spatium mancipiis concedatur, ut nec servitia dominis, nec beneficia proclamantibus denegentur.

IV. ANTIQVA.

Si ad servitutem repetatur, qui in libertate est constitutus.

SI in libertate constitutus ad servitium repetatur, non liceat eum in custodiam mitti ab illo à quo repetitur, sed iudicis reservetur arbitrio, si debeat sub fideiussore consistere, dummodo nihil violentiæ à pulsante patiatur.

V. ANTIQVA.

Si ei qui ad servitutem repetendus est, aliquid auferatur.

SI quis homini ingenuo vel liberto aliquid tulerit, & postea eum sibi voluerit servum addicere, priùs reddat quod tulit, & sic de eius conditione contendat.

VI. ANTIQVA. FLS. RCDS. REX.

Si eum quem aliquis coram iudice liberum esse dixerit, postea in servitio repetere velit.

QVI sub testimonio coram iudice quemlibet liberum esse dixerit, & postmodum eum ad servitium inclinare voluerit, aliud illi mancipium econtrariò reddat: & quem opprimere nitebatur, in libertate permaneat.

VII. ANTIQVA.

Si timore compulsus quisquam servum se esse dicat.

QVi timore compulsus servum se esse extra iudicium dixerit, nullum præiudicium libertatis incurrat, donec in iudicio præsentetur: ut libertatem suam si probaverit, præsente iudice obtineat; aut si servus convincitur, statim domino reformetur.

VIII. ANTIQVA.

Si ingenuus ad servitium repetatur, vel si servus se liberum esse dicat.

SI quis ingenuum ad servitium addicere voluerit, ipse doceat quo ordine ei servus advenerit: & si servus ingenuum se esse dixerit, & ipse simili modo ingenuitatis suæ firmam ostendat probationem. Iudex verò eorum testimonium recipere debet, quos meliores atq; pluriores esse providerit. Quòd si muneris acceptione corruptus iniustè turbaverit innocentem, tam iudex quàm petitor secundum legem aliam de his qui iniustè iudicaverint, componere non morentur.

IX. ANTIQVA.

Quare data libertas debeat revocari.

QVi servo suo vel ancillæ libertatem donaverit, & præsente sacerdote vel aliis duobus aut tribus testibus hoc factum esse constiterit, id est, si ipse aliam libertatis scripturam coram legitimis testibus manifestè tradiderit, atque ita per eandem libertatis scripturam definierit, ut ex tempore conditæ scripturæ liber ipse qui est manumissus permaneat, nihil sibi in eo conditionis reservans, huiusmodi libertatem revocari non liceat: exceptò si manumissori, eum qui manumissus est, iniuriosum aut contumeliosum, vel accusatorem, aut criminatorem esse constiterit: pro quibus iniuriis data libertas poterit revocari. Si verò ipse qui manumisit, dicat quòd sub aliquo placito aut definitione eum libertaverit; si per scripturam definitio ipsa minimè claruerit, testes qui præsentes fuerint ante iudicem ipsum placitum vel definitionem dicere non graventur; & postmodum quod placitum & definitum fuerit, stare iubemus.

X. ANTIQVA.

Si libertus iniuriam faciat manumissori.

SI libertus manumissori suo iniuriosus fuerit, aut si patronū suum pugno aut quolibet ictu percusserit, vel eum falsis accusationibus impetierit, unde ipsi capitis periculum comparetur, addicendi eum ad servitutem habeat potestatem; ita tamen ut apud iudicem probet causas superiùs comprehensas.

XI.

Ne contra patronum vel filios eius testificari audeat manumissus.

FIlio vel heredi manumissi libertatem revocare non liceat, sed prioris sui vel parentum factum sine excusatione custodiat. Ita tamen ut nec contra filios

filios filiorum, libertus vel omnis posteritas eius testimonium dicere permittantur: & si dixerint non credatur à iudice, sed redeant ad pristinam servitutem. De aliis verò rebus aut causis, contra patroni filios aut nepotes tantùm pro suo iure iustè contendant.

XII. FLS. RCDS. REX.

Ne testificent manumissi.

LIbertus vel liberta in nullis negotiis contra quenquam testimonium dicere admittantur, exceptò in aliquibus causis, ubi ingenuitas deesse cognoscitur, sicut præmissum est & de servis. Quia indignum pensat nostra clementia, ut libertorum testimonio ingenuis dampna concutiantur. Qui verò de iisdem fuerint procreati, omnimodis ad testimonium admittantur.

XIII. ANTIQVA. FLS. GLS. RCDS. REX.

De rebus manumissorum, si absq; legitimis filiis moriantur.

SI manumissus sine filiis de legitimo coniugio natis transierit, & ei patronus in libertate aliquid donaverit, aut forsitan de eius servitio discesserit, & alio se contulerit; omnia ad patronum, sive ad eius heredes, sine dubio revertantur. Quòd si forsitan in terra ipsius patroni consistens, qui eum manumisit, aliquid de labore suo acquisierit, medietas acquisitæ rei exinde in patroni potestate consistat, & de alia medietate libertus faciendi quod voluerit in eius potestate permaneat. Quòd si alium patronum sibi elegerit, & sub eo aliquid adquisierit, medietas adquisitæ rei ad manumissorem concurrat. Alia verò medietas ad manumissi proximos, sive servi sint sive liberi, sine dubio revertatur, vel in quem voluerit hanc medietatem conferendi habeat potestatem. Illud verò quod ei manumissor donaverit, in patroni potestate permaneat. Similis & circa ancillas manumissas forma servetur. Hoc tantùm iustitia suadente adiicimus, ut nullus libertus sive liberta, à domino vel à domina sua libertate percepta, manumissores suos dum advixerint derelinquant. Quod si facere præsumpserint, & rem quam perceperunt amittant, & ad domini vel dominæ suæ inviti reducantur obsequia.

XIV. FLS. CHDS. REX.

De conditionibus à manumissore in scriptura manumissi conscriptis.

QVi mancipium suum per scripturam liberum faciens constituerit fortasse non licere ei de peculio suo aliquid iudicare; si quid exinde libertus libertavè vel distraxerit aut donaverit, modis omnibus invalidum erit: patronus eius scilicet, aut patroni filii, omnia sibi vindicaturi sunt. Certè si nulla talis conditio intercesserit, liberum erit illi, qui liber est redditus, de peculio suo facere quod voluerit. Aut etiamsi inordinatus moriens filios legitimos non reliquerit, vel aliam quamcunque conditionem dominus eius per eandem libertatis scripturam non instituerit, ad patronum aut ad patroni filios universa res eius ad integrum pertinebit.

XV. FLS. GLS. CHDS. REX.

De libertatibus servorum fiscalium.

SI res ambigua nequaquam occurreret, nulla futuris temporib9 legem dandi necessitas immineret. Quia ergo sub libertatis obtentu, fiscalium sæpe subreptione servorum, fisci vires attenuantur, non invidemus benè meritis, sed obviamus fraudulenter incautis: statuentes scilicet ut non aliter deinceps collata servo fisci libertas ullatenus valeat, nisi regiæ manus fuerit stilo subscripta.

XVI. ANTIQVA.

De libertis & rebus fiscalium servorum.

SErvis nostris sine permissu nostro libertatem mancipiis suis dare non sinimus: quòd si dederint, libertas data non valeat. Sed hæc tantummodo libertas habeat firmitatem, quæ ex nostra præceptione conceditur. Simili modo servis nostris mancipia sua aut terras ad liberos homines non liceat venditione transferre, nisi tantùmmodo aliis servis nostris vendendi habeant potestatem. Quòd si terras sive mancipia ecclesiis sive pauperibus donare voluerint, donatio hæc vel voluntas nulla ratione subsistat. Illud enim eis tantùm pietatis contemplatione concedimus, ut pro animabus suis ecclesiæ vel pauperibus de aliis facultatibus largiantur: & si præter terras vel mancipia nil habeant facultatis, tunc de terris atque mancipiis eis vendendi tribuimus potestatem. Ita ut, sicut suprà dictum est, à servis nostris tantummodo, quod conserui eorum vendiderint, comparetur: nec liber ullus ad contractum huius emptionis aspiret. Precium autem quod de terra vel mancipiis accesserit, erogare pro animabus suis ecclesiis vel pauperibus non vetentur.

XVII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne liberti vel progenies eorum cum posteritate patroni, aut coniugia connectant, aut eis insolentes existant.

INterdum vidimus excessum licentiamque servorum, & dolere coacti sumus ignominiam dominorum. Quidam enim à dominis suis libertate percepta, generationis progenie decurrente, attemptant aut ipsi aut posteritas eorum, cum progenie dominorum vel indecens copulare coniugium, vel molestias inferre posteritati manumittentium. Sicque in adversum parte conversa, quia ingenita libertas gratiæ dono fit nobilis, ideo generosa nobilitas inferioris tactu fit turpis. Atque inde claritas generis sordescit commixtione abiectæ conditionis, unde abdicata servitus attollit titulos libertatis. Vt ergo & naturæ splendor ortus sui dignitate non careat, & servitus sibimet reminiscens indebita & inconcessa non appetat, benè iubetur: ut si quorumlibet quicunque liberti, sive ex eorum stirpe quandoque progeniti, ex genere manumissorum, vel ex eis decurrente, quamvis longa progenie, coniugium præsumpserit attemptare: aut manumissores vel eorum posteritatem, ipsi vel eorum progenies, extra iusta negotia sua, propter suas

vel

vel propter aliorum actiones convexaverint, aut læserint, eisque molestias sive dampna concusserint, vel aliquid adversus eos factione quacunq; egisse visi fuerint, in eorum quos molestaverint evidentem servitutem mox redeant. Quia impium satis est, ut dum conditio servitutis absolvitur, dignitas libertatis impediatur: & dum servus erigitur, filius abdicetur: atque inde filii dampna sustineant, unde ad nocendum potiuntur servi licentia.

XVIII. FLS. GLS. RCDS. REX

Ne liberti religiosi ad obsequium reducantur heredis.

QVoslibet de quorumcunq; libertis aut specialiter de ecclesiasticis dignitas sublimavit honoris, aut præfixis sanctorum locis deputavit vel ordo religionis, vel ordinatio manumittentis, non erunt ad hominũ patrocinium reducendi contentione qualibet heredis. Quod enim gloriosius Deo adhærere censetur, obsequiis hominum religari honestate nulla sinitur.

XIX. FLS. GLS. EGIGA REX.

De his qui ob novi Principis fidem servandam iurare distulerint; vel de illis, qui ex palatino officio ad eius præsentiam venire neglexerint.

CVm divinæ voluntatis imperio principale caput regnandi sumat sceptrum, non levi quisque culpa constringitur, si in ipso suæ electionis primordio aut iurasse ut moris est pro fide regia differat: aut si ex palatino officio fuerit, ad eiusdem novi Principis visurus præsentiam venire desistat. Si quis sane ingenuorum de sublimatione principali cognoverit, & dum discussor iuramenti in territorio illo accesserit, ubi eum habitare contigerit, quæsita occasione se fraudulenter distulerit, in eo ut pro fide regia conservanda iuramenti se vinculo alliget: aut ille qui sicut præmisimus ex ordine palatino fuerit, minime Regis obtutibus se præsentandum iniecerit: quidquid de eo vel de omnibus rebus suis principalis auctoritas facere vel iudicare voluerit, sui sit incunctanter arbitrii. Quod si aut ægritudo illi obstiterit, aut quælibet publicæ utilitatis actio eum retinuerit, ut regis obtutibus se nullatenus præsentet, dum regiæ electionis sublimitas quibuslibet modis ad eius cognitionem pervenerit; statim per suam iussionem id ipsum clementiæ suæ auditibus intimare procuret, qualiter fidei suæ sinceritatem ostendens, huius legis sententiam evadere possit.

XX. FLS. GLS. EGIGA REX.

De libertis Regum eorumq; posteritate, qualiter exercitus tempore ad regiam potestatem concurrant, & cum quibus eos in publica utilitate proficisci oporteat.

TVnc recte nostri regiminis patriam, promulgatis legum censuris, regie procuramus, cùm & his qui contra hostes gloriæ nostræ decertant, utilitate maxima providemus, & vindicatores terræ nostræ proculdubio cernimus. Et licet favente Deo gentes nostræ affluant copia bellatorum, nil ta-

men officit, si de illis augeatur insuper nostra acies ad repulsionem hostium externorum, qui ex familiis fisci per regias auctoritates gratiam meruerunt libertatis. Vnde quia necesse est, ut illic præbeant ex ratione suffectum, unde meruisse lætantur absolutionis statum. Ob hoc speciali sanctione iubemus, ut deinceps tam ipsi, quàm omnis eorum posteritas, tempore exercitus, omnes ad regiam celsitudinem incunctanter occurrant: ut cum quib9 exercitus expeditionem peragere possit, præsentaliter eos clementia principalis instituat. Quicunque verò ex eis, ut dictum est, tempore exercitus domi residere præsumpserit, & minimè cum cæteris, sicut regalis ordinatio fuerit, in publicam expeditionem perrexerit: noverit se ad propriæ servitutis iugum reverti, ex quo ereptus libertatis meruerat personam assumere. Illi tantummodo hanc erunt sententiam evasuri, qui ordinante Principe, Duce vel Comite suo, aliquid iniunctum pro publicis utilitatibus ad peragendum acceperint, vel quos patens ægritudo, aut quorundam impedimentum, nullatenus properare permisit.

XXI. FLS. EGIGA REX.

De transgreßoribus libertorum.

SÆpe audivimus multosque cognovimus libertos, relinquentes manumissores suos, quos & dominos esse testamur, quia voluptuosa voluntate, dum relaxato freno servitutis erumpunt, æquales se dominis suis vel eorum successoribus esse affirment. Quod nos modo & debita veneratione & salubri ordinatione valituræ legis censemus atque iubemus: ut quicunque libertus aut liberta, vel filii libertorum, si manumissoribus suis, sive etiam filiis prolibusque vel nepotibus eorum, vel qui ex eis fuerint geniti, quocunque tempore superbientes ac inobedientes extiterint, aut quacunque subtilitate aut ingenio vel argumento fraudis, vel leviter de eorum patrocinio se auferre voluerint, tunc in tempore transgressionis eorum careant libertate. Filii tamen qui de iisdem fuerint geniti sic errantes, prædicta superioris legis constitutione perenniter servituri tradendi sunt.

LEGIS VVISIGOTHORVM LIBER SEXTVS,

QVI EST DE SCELERIBVS ET TORMENTIS.

CAPITVLA TITVLI PRIMI DE ACCVSATIONIBVS CRIMINOSORVM.

I. ANTIQVA. FLS. CHDS. REX.

Vt domino vel senioribus loci petatur servus in crimine accusatus.

SI servus in aliquo crimine accusatur, iudex priùs dominum, villicum vel actorem eius loci, cuius servus fuerit accusatus, admoneat ut eum in iudicio præsentet. Quòd si reum præsentare noluerit, ipse dominus vel actor aut villicus, donec servum præsentet, à Comite civitatis vel iudice distringatur. Certè si dominus, vel quibus commissa res est, difficulter ad locum approximent, à iudice tenendus & discutiendus est reus.

II. FLS. CHDS. REX. NR. EM.

Pro quibus rebus & qualiter ingenuorum personæ subdendæ sunt quæstioni.

SI in criminalibus causis discretionis modus amittatur, criminatorum malitia nequaquam frenatur. Ideoque si in causis regiæ potestatis, vel gentis, aut patriæ, seu homicidii vel adulterii, æqualem sibi nobilitate vel dignitate palatini officii, quicunque accusandum crediderit, habeat priùs fiduciam comprobandi quod obiicit, & sic alienum sanguinem temptet impetere. Quod si probare non potuerit, coram Principe, vel his quos sua Princeps au-

ctoritate præceperit, trium testium subscriptione roborata inscriptio fiat, & sic quæstionis examen incipiat. Ita ut, qui subditur quæstioni, si innoxius tormenta pertulerit, accusator ei confestim serviturus tradatur: ut salva tantùm anima, quod in eo exercere voluerit, vel de statu eius iudicare elegerit, in arbitrio suo consistat. Quòd si componi sibi ab accusatore voluerit, tantum ei pars accusatoris componat, quantum ipse qui quæstioni subiacuit, inlata sibi taxaverit suorum tormentorum supplicia. Iudex tamen hanc cautelam in iudicio servare debebit, ut accusator omnem rei ordinem scriptis exponat, & iudici occultè præsentata sic quæstionis examinatio fiat. Et si eius professio, qui quæstioni subdendus est, compar fuerit cum verbis accusatoris, criminis reus incunctanter habendus est. Certè si aliud dictio accusatoris habuerit, aliud eius professio qui subditur quæstioni, quia dubitari non potest, quod per tormenta sibi crimen imponat, oportebit accusatorem superioris legis huius sententiæ subiacere. Quòd si accusator priùs quam occultè iudici notitiam tradat, aut per se aut per quemlibet de re quam accusat, per ordinem instruxerit quem accusat; non liceat iudici accusatum subdere quæstioni, cùm iam per accusatoris indicium detectum constet ac publicatum esse negotium. Similis quoque & de ceteris personis ingenuis ordo servandus est. Nam si capitalia quæ suprà taxata sunt, accusata non fuerint, sed furtum factum dicitur, vel aliud quodcunque illicitum, nobiles ob hoc potentioresque personæ, ut sunt primates palatii nostri, eorumque filii, nulla permittimus ratione quæstionibus agitari. Sed si in hac causa, pro qua compellitur, probatio defuerit, suam qui pulsatur debeat iuramento conscientiam expiare. Inferiores verò humilioresque, ingenuæ tamen personæ, si pro furto, homicidio, vel quibuslibet aliis criminibus fuerint accusatæ, nec ipsi inscriptione præmissa subdendi sunt quæstioni, nisi maior fuerit causa, quàm quod quingentorum solidorum summam valere constiterit. Si autem actio minoris est quantitatis, quàm quingenti sunt solidi, per probationem convictus qui accusatur, secundum leges alias componere compellatur. Aut si convinci non potuerit, sacramento se expians compositionem accipiat, quæ de mala petitione legibus continetur. Speciali tamen constitutione decernimus, ut persona inferior nobiliorem se vel potentiorem inscribere non præsumat. Sed si petendum in causa putaverit, & probatio fortasse convincendi rei defuerit, nobilior ille vel potentior conscientiam suam sacramentis purgare non differat, quòd nec amiserit, nec habeat penes se vel retineat rem, pro qua fuerit petitus: & reddito iuramento, ille qui malè petit, sicut alia lex continet, ei componere non moretur. Veruntamen, seu nobilis, seu inferior, seu ingenua persona, si quæstioni subdita fuerit, ita coram iudice, vel aliis honestis viris à iudice convocatis, accusator tales pœnas inferat, ne vitam extinguat, aut quamcunq; ipse, qui quæstioni subiicendus est, membrorum debilitationem incurrat. Et quia per triduum quæstio agitari debet, si imminenti casu, qui tormentis subditur, mortuus fuerit, & ex malitia iudicis vel aliquo dolo, seu ab adversario accusati corruptus beneficio, talia tormenta fieri non prohibuit, unde mors occurreret, ipse iudex iniquitatis proximis parentibus simili vindicta puniendus tradatur. Si certè suo se sacramento innocentem reddiderit, & testes iuraverint, qui fuerint præsentes,

quòd

quòd nulla sua malitia vel dolo, aut corruptione beneficii mors ipsa provenerit, nisi solo tormentorum eventu, pro eo quòd indiscretus iudex superflua non prohibuit, quingentos solidos heredibus mortui compellatur exsolvere. Quòd si non habuerit unde componat, ipse serviturus proximis heredibus mortui contradatur. Accusator autem in potestate proximorum parentum mortui traditus, eadem mortis pœna mulctetur, qua ille mulctatus est, qui per eius accusationem morte damnatus interiit.

III. IN NOMINE DOMINI ET SALVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI, FLAVIVS GLORIOSVS EGICA REX. TOLETI NOVITER EMENDATA.

Quomodo iudex per examen aquæ ferventis causam perquirat.

MVltas cognovimus querelas, & ab ingenuis multa mala pati, credentes in ccc. solidis quæstionem agitari. Quòd nos modo per salubrem ordinationem censemus, ut quamvis parva sit actio rei facti ab aliquo criminis, eum per examinationem aquæ ferventis à iudice distringendum ordinamus: & dum facti temeritas patuerit, iudex eum quæstioni subdere non dubitet: & dum suam dederit professionem, superiori legi subiacebit. Quòd si per examen aquæ ferventis innoxius apparuerit, petitor nullam pertimescat calumniam. Hic quoque & de suspectis habitis personis, id est de vilibus scilicet & infamia notatis, qui ad testimonium venerunt dicendum, ordo servabitur.

IV. FLS. GLS. EGICA REX.

Pro quibus rebus, & qualiter servi vel ancillæ torquendi sunt, in capite dominorum.

SErvus vel ancilla in capite domini vel dominæ non propter aliud torquendi sunt, nisi tantum in crimine adulterii, aut si contra Regem, gentem vel patriam aliquid dictum vel dispositum fuerit: seu si falsam monetam quisq; confinxerit, aut etiam si causam homicidii vel maleficii quærẽdam esse constiterit. Ita ut servi vel ancillæ pro talibus criminibus torti, si conscii & occultatores sceleris dominorum repperiuntur, pariter cum dominis, secundum quod voluntas Principis extiterit, condemnentur. Certè si sua sponte iudices veritatis extiterint, sufficiat eis quòd pro veritatis indagine quæstioni subditi tormenta pertulerint, à mortis tamen periculo habeantur immunes. Servus autem vel ancilla in tormentis positi, & de se interrogati, si etiam de dominis sunt confessi, & fuerit culpa mortalis, ac declaratis signis potuerit approbari, eadem damnationis censura mulctentur, qua eorum domini fuerint condemnati.

VI. FLS. CHDS. REX.

Pro quantis rebus & qualiter servus aut libertus tormenta portabunt.

SI servus in aliquo crimine accusatur, antea non torqueatur, quàm ille qui accusat, hac se conditione constringat, ut si innocens tormenta pertule-

rit, pro eo quòd innocentem tormentis tradidit, alium eiusdem meriti servum domino reformare cogatur. Si verò innocens in tormentis mortuus aut debilitatus fuerit, duos æqualis meriti servos cum eodem domino reddere non moretur: & ille qui debilitatus est, ingenuus in patrocinio domini sui permaneat. Nam & iudex, qui temperamentum in tormentis non tenuit, & ita discretionem legis excessit, ut is qui quæstionatus est mortem violenter incurrerit, eiusdem meriti servum domino mox reformet. Verùm ut de servorum meritis omnis ambiguitas cesset contentionis, non pro artificii qualitate excusatio videatur haberi, sed pro servis quæstionandis, contropatio adhibeatur ætatis & utilitatis: ut si artifex fuerit qui debilitatus est, & huius artificii servum non habuerit, qui insontem debilitavit, alterius artificii servum iuxta prædictum ordinem domino cogatur exsolvere. Ita ut si artificem non habuerit servum, & alium servum ille, cuius servus quæstioni addicitur, pro eo accipere noluerit, tantum precii eiusdem servi artificis, qui quæstioni subditur, eiusdem domino persolvatur, quantum ipse artifex à iudice vel bonis hominibus rationabiliter valere fuerit æstimatus. Ita tamen servandum est, ut nec ingenuum quisque nec servum subdere prius quæstioni præsumat, nisi coram iudice vel eius saione, domino etiam servi vel actore præsente districtè iuraverit, quod nullo dolo vel fraude aut malitia innocentem faciat quæstionem subire. Et si subditus quæstioni mortuus fuerit, atque ille qui subdidit unde componere non habuerit, ipse subdendus est servituti, qui innocentem fecit occidi. Si autem dolosè servum alienum quispiam subdendum quæstioni intenderit, & dominus servi qui accusatur, per probationem eum potuerit de obiecto crimine reddere innocentem, accusator eius alium paris meriti servum accusati domino cogatur exsolvere, & dispendium quod dominus eius in approbationem innocentis servi pertulerit, prout rationabiliter iudex reddi perpenderit, ab iniusto accusatore exactum domino servi restituatur. De rebus verò minimis culpa servi reperta, si dominus servi voluerit, componendi licentiam habebit: ita ut omnis fur, iuxta qualitatem culpæ flagella suscipiat. Pro maiori verò noxa, si compositionem dominus noluerit solvere, servum pro crimine non moretur tradere. Ingenuus sanè, si quemlibet libertum idoneum, pro capitali crimine sive pro aliis scelerum causis, quæstioni pulsaverit addicendum, non aliter eum impetere poterit adscribendum, nisi ducentorum quinquaginta solidorum quantitatem causa ipsa valuerit, pro qua eum accusator conatus fuerit subdere quæstioni. Nam si inferior fuerit atque rusticanus, quem liberum esse constiterit, tunc in eo permittatur quæstio agitari, si causam ipsam unde agitatur centum solidos valere constiterit. Quòd si indiscretè, qui quæstioni subditur, in quacunque parte membrorum debilitationem incurrerit, tum iudex qui temperamentum in tormentis non tenuit, ducentos solidos illi qui tormenta sustinuit, persolvet: ille verò qui eum iniustè quæstionandum appetit, CCC. solidos ei dare cogendus est. Certè si in tormentis positus mortem incurrerit, prædictam summam solidorum, tam iudex quàm petitor propinquis parentibus mortui persolvent. Similiter & de inferioribus illis libertis, si debilitatione vel morte quis per intemperantiam fuerit condemnatus, medietas satisfactionis,

ctionis, quæ supra de libertis idoneis constituta est, ei qui indebitè quæstionatus est, si tamen vixerit; aut suis heredibus, si ipse inde mortuus fuerit, exsolvenda est.

VI. FLS. GLS. CHDS. REX.

Qualiter ad regem accusatio deferatur.

SI quis Principi contra quemlibet falsa suggesserit, ita ut dicat eum adversus Regem, gentem vel patriam aliquid nequiter meditatum fuisse, aut agere vel egisse: seu in auctoritate vel præceptis regiæ potestatis, aut eorum qui ordinatione iudiciaria funguntur, fraudulenter quippiam immutasse, atque etiam scripturam falsam fecisse vel recitasse, falsamque monetam ferisse: sed & si veneficium, vel maleficium, aut adulterium uxoris alienæ fortasse prodiderit: horum vel similium criminum accusator, quæ ad capitis periculum, vel rerum amissionem pertinere videntur, si vera repperiantur quæ dixerit, nullam omnino calumniam sustinebit. Si certè quod opponit falsum esse constiterit, & per solam invidiam id fecisse patuerit, ut iacturam capitis, aut detrimentum corporis, vel rerum dampna pateretur, quem accusare conatus est, in potestatem tradatur accusati. Ille hanc pœnam in se suisque rebus suscipiat, qui hoc alium innocentem pati voluerit. Ita ut ille qui aliquid scire se dicit, quod ad cognitionem Principis possit deduci, & in eo loco fuerit ubi tunc regiam potestatem esse contigerit, aut per se statim suggerat omne quod novit, aut per fidelem Regis eius auditibus denuntiandum procuret. Quod si procul à Rege eum esse provenerit, & per aliquem Principi mandandum crediderit, quod ad accusationem alterius dinoscitur pertinere, coram illo, cui hoc suggerendum committit, talem epistolam faciat, per quem evidenter quid mandet exponat. Quam etiam epistolam tres testes, quos sibi noverit esse fideles, evidentibus signis aut subscriptionibus simul cum ipso confirment, ut postea quod mandaverit, negare non possit.

VII. FLS. CHDS. REX.

De reservata Principi potestate parcendi.

QVotiescunque nobis pro his, qui in caussis nostris aliquo crimine implicati sunt supplicatur, & suggerendi tribuimus aditum, & pia miseratione delinquentibus culpas omittere nostræ potestati servamus. Pro causa autem gentis & patriæ huiusmodi licentiam denegamus. Quòd si divina miseratio tam sceleratis personis cor Principis misereri compulerit, cum adsensu sacerdotum, maiorumque palatii licentiam miserandi libenter habebit.

VIII. ANTIQVA.

Quòd ille solus culpabilis erit, qui culpanda commiserit.

OMnia crimina suos sequantur auctores. Nec pater pro filio, nec filius pro patre, nec uxor pro marito, nec maritus pro uxore, nec frater pro

fratre, nec vicinus pro vicino, nec propinquus pro propinquo ullam calumniam pertimescat. Sed ille solus iudicetur culpabilis, qui culpanda commisit, & crimen cum illo qui fecerit, moriatur: nec successores aut heredes pro factis parentum ullum periculum pertimescant.

TITVLVS II. DE MALEFICIS, AC CONSVLENTIBVS EOS, ATQVE VENEFICIS.

I. FLS. CHDS. REX.

Si ingenuus de salute vel morte hominis vaticinatores consulat.

QVi de salute vel morte Principis vel cuiuscunque hominis ariolos, aruspices, vel vaticinatores consulit, una cum his qui responderint consulentibus, ingenui siquidem flagellis cæsi, cum rebus omnibus fisco servituri associentur, aut à Rege cui erunt donati perpetuo servitio addicantur. Quòd & si filii eorum tales fuisse repperiantur, parentibus criminis socii, simili dampnatione plectantur. Si vero ab scelere parentum habeantur extranei, & dignitatem & rerum omnium possessionem, quam parentes amiserint, plenissimè obtinebunt. Servi verò diverso genere pœnarum afflicti, in transmarinis partibus transferendi vendantur, ut severitas vindictæ non habeat excusatos, quos propriæ voluntatis excessus, nefariæ prævaricationis facit obnoxios.

II. FLS. CHDS. REX.

De veneficis.

DIversorum criminum noxii, diverso sunt pœnarum genere feriendi. Ac primum ingenuos sive servos veneficos, id est, qui venena conficiunt, ista protinus vindicta sequatur: ut si venenatam potionem alicui dederint, & qui biberit mortuus exinde fuerit, illi etiam continuò suppliciis subditi morte turpissima sunt puniendi. Si certè poculo veneni potatus evaserit, in eius potestate tradendus est ille, qui dedit: ut de eo quod facere voluerit, sui sit incunctanter arbitrii.

III. FLS. GLS. CHDS. REX.

De maleficis & consulentibus eos.

MAlefici & immissores tempestatum, qui quibusdam incantationibus grandinem in vineas messesque mittere perhibentur, & hi qui per invocatio-

vocationem dæmonum mentes hominum conturbant, seu qui nocturna sacrificia dæmonibus celebrant, eosque per invocationes nefarias nequiter invocant: ubicunque à iudice vel actore, vel procuratore loci repperti fuerint vel detecti, ducentenis flagellis publicè verberentur, & decalvati deformiter decem convicinas possessiones circuire cogantur inviti, ut eorum alii corrigantur exemplis. Quos tamen iudex, ne ulterius evagantes talia facere permittantur, aut in retrusione faciat esse, ut ibi accepta veste atque substantia ita vivant, ne viventibus nocendi aditum habeant: aut regiæ præsentiæ dirigat, ut quod de illis sibi placitum fuerit, evidenter statuat. Hi autem qui tales consuluisse reperiuntur, in populi conventu ducentorum ictus accipiant flagellorum: ut impuniti non remaneant, quos culpæ similis reatus accusat.

IV. FLS. GLS. CHDS. REX.

De his qui in hominibus, aut animalibus, vel quibuscunque rebus qualiacunque ligamenta, aut quodcunque contrarium repperiuntur fecisse.

PRæsentis legis superiori sententia dampnari iubemus, seu ingenuus sit seu servus, utriusq; sexus, qui in hominibus vel brutis animalibus, omnique genere quod mobile esse potest, seu in agris vel vineis, diversisque arboribus, maleficium, aut diversa ligamenta, aut etiam scripta in contrarietatem alterius excogitaverit facere, aut expleverit, per quod alium lædere vel mortificare, aut obmutescere velit, aut dampnum tam in corporibus, quàm etiam in universis rebus fecisse repperiantur.

V.

De personis iudicum, sive etiam ceterorum, qui aut divinos consulunt, aut auguriis intendunt.

SIcut pia veritas mendacii assertione non capitur: ita non est consequens, ut latens veritas mendacio investigetur. Omnis igitur veritas ex Deo est, mendacium verò ex diabolo est: quia & ipse diabolus ab initio mendax est. Cum ergo utraque res suos Principes habeat, quid opus est, ut veritas cuiuscunque mendacio admittatur exquiri? Quidam enim ex iudicibus feruntur Dei spiritu vacui, qui acta maleficiorum dum investigare subtili perquisitionis perspicacia nequeunt, execrabiles divinorum pronuntiationes intendunt. Veritatem enim se invenire non putant, nisi divinos & aruspices consulant: & eo sibi reperiendæ veritatis aditum claudunt, quo veritatem ipsam per mendacium addiscere concupiscunt. Dum enim maleficia per divinationes comprobare pertentant, quasi tertio loco ipsi se diabolo servituros illaqueant. Quapropter si quis ex quolibet iudicum gradu vel ordine, per divinos aut eorum similes aliquid sciscitare tentaverit, vel approbare intenderit: si quis etiam hominum, cuiuslibet sit ordinis vel personæ, qui à talibus aut salutis aut ægritudinis responsa poposcerit, vel consulendos eos pro quibuscunque rebus crediderit, ad

legis illius teneatur satisfactionem obnoxius, quæ in hoc libro sexto, sub titulo secundo, era prima, eos, qui de salute vel morte Principis, aut quorumcunque hominum, vaticinatores quosque consulere prætentant, statuit serenitatis ordine resecari. Illi tantùm iudices ad huius legis non tenebuntur sententiam condemnandi, qui divinos ipsos atque eorum similes non sciscitandi, sed ulciscendi voto, coram multis perquirendo detribuerint, id est, si non ut aliquid de eo scire inquirendo intendant, sed detegi sibi hoc solum, unde feriantur, exquirant. At nunc, quia & auguriis deditos eodem modo novimus odibiles Deo: ideo speciali legis sanctione decernimus, ut quicunque sunt illi, quibus augures vel auguria observare contigerit, quinquagenis publicè subiiciantur verberibus coërcendi. Qui tamen ad solitum vitium ultra redierint, perdito etiam testimonio, simili erunt sententia flagellorum subiiciendi.

TITVLVS III. DE EXCVTIENTIBVS PARTVM HOMINVM.

I.

De his qui potionem ad avorsum dederint.

SI quis mulieri prægnanti potionem ad avorsum aut pro necando infante dederit, occidatur: & mulier, quæ potionem ad avorsum facere quæsivit, si ancilla est, cc. flagella suscipiat; si ingenua, careat dignitate personæ, & cui iusserimus servitura tradatur.

II. ANTIQVA.

Si ingenuus ingenuam avortare fecerit.

SI quis mulierem gravidam percusserit quocunque ictu, aut per aliquam occasionem mulierem ingenuam avortare fecerit, & exinde mortua fuerit, pro homicidio puniatur. Si autem tantummodo partus excutiatur, & mulier in nullo debilitata fuerit, & ingenuus ingenuæ hoc intulisse cognoscitur, si formatum infantem extinxit, ccl. solidos reddat: si verò informem, centum solidos pro facto restituat.

III. ANTIQVA.

Si ingenua mulier ingenuam avortare fecerit.

SI mulier ingenua per aliquam violentiam aut occasionem ingenuæ partum excusserit, aut ex hoc debilitasse cognoscitur, sicut & ingenui superioris dampni pœna mulctetur.

IV. ANT-

IV. ANTIQVA.

Si ingenuus ancillæ partum effuderit.

SI ingenuus ancillam avorsum fecerit pati, xx. solidos domino ancillæ cogatur inferre.

V. ANTIQVA.

Si servus ingenuæ partum excusserit.

SI servus ingenuæ partum excusserit, ducentenis flagellis publicè verberetur, & tradatur ingenuæ serviturus.

VI. ANTIQVA.

Si servus ancillæ partitudinem læserit.

SI ancillam servus avortare fecerit, decem solidos dominus servi, ancillæ domino dare cogatur; & ipse servus ducenta insuper flagella suscipiat.

VII. FLS. CHDS. REX.

De his qui filios suos, aut natos, aut in utero necant.

NIhil est eorum pravitate deterius, qui pietatis immemores, filiorum suorum necatores existunt. Quorum quia vitium per provincias regni nostri sic inolevisse narratur, ut tam viri quàm fœminæ sceleris huius auctores esse repperiantur. Ideo hanc licentiam prohibentes decernimus: ut seu libera seu ancilla natum filium filiamvè necaverit; sive adhuc in utero habens, aut potionem ad avorsum acceperit, aut aliquo quocunque modo extinguere partum suum præsumpserit, mox provinciæ iudex, aut territorii, ut tale factum reppererit, non solùm operatricem criminis huius publicà morte condemnet: aut si vitæ reservare voluerit, omnem visionem oculorum eius non moretur extinguere. Sed etiam si maritum eius talia iussisse vel permisisse patuerit, eundem etiam vindictæ simili subdere non recuset.

TITVLVS IV. DE CONTVMELIA, VVLNERE, ET DEBILITATIONE HOMINVM.

I. FLS. CHDS. REX.

De cædibus ingenui atque servi.

SI ingenuus ingenuum quolibet ictu in capite percusserit, pro livore det solidos v. pro cute rupta solidos x. pro plaga usq; ad ossum, solidos xx. pro osso fracto solidos c. Quòd si ingenuus hoc in servo alieno commiserit, medietatem superioris compositionis exsolvat. Si verò servus in servo hoc fecerit, tertiam partem eiusdem compositionis adimpleat, & L. flagella suscipiat. Si autem servus ingenuum vulneraverit, ita componat, sicut cum ingenuus servum vulneraverit alienum, & septuaginta flagella suscipiat. Si verò dominus noluerit pro servo componere, servus tradatur pro crimine.

II. ANTIQVA.

De præsumptoribus & operibus præsumptorum.

SI quis evaginato gladio, vel quolibet genere armorum munitus, præsumptivo modo in domum alienam intraverit, cupiens dominum domus occidere, si ipse fuerit occisus, mors eius nullatenus requiratur. Si autem ipse qui in domum alienam intravit, hominem occiderit, continuò & ipse moriatur. Quòd si non criminalem culpam admiserit, secundum legum ordinem componere non moretur, iuxta quod damnum in eadẽ domo fecerit. Nam si ille, qui in domum alienam violenter ingressus fuerit, aliquid exinde rapuerit, undecupli satisfactione quæ levavit cogatur exsolvere. Quòd si non habuerit unde componat, ipse sine dubio serviturus tradatur: & si aliquid in domum, quam ingressus fuerat, damni non fecerit, nec aliquid subtraxerit, pro eo quòd ingressus fuerit, x. solidos cogatur donare, & centum flagellis publicè verberetur. Quòd si non habuerit unde componat, cc. flagella suscipiat. Si verò aliqui ab ingenuis, cum eo in eadem domo, non ab illo iussi, neque in eius obsequio vel in patrocinio constituti, unanimes tamen vel consentientes præsumptori ingressi fuerint, unusquisque eorum simili damno & pœnæ subiaceant. Quòd si non habuerint unde componant, CL. flagella suscipiant: nam testimonium non amittant. Quòd si in patrocinio vel obsequio præsumptoris retenti, ab illo hoc facere iussi fuerint, vel cum eo hoc eos fecisse constiterit, solus patronus ad omnem satisfactionem, & pœnæ & damni teneatur obnoxius. Nam illi non erunt culpabiles, qui iussa patroni videntur esse complentes. Si autem servus hoc domino nesciente, commiserit, cc. flagella suscipiat, & quod abstulerit, reddat. Si verò conscio domino servus hoc fecerit, ipse dominus pro eo componat, sicut de ingenuis superiùs est comprehensum.

III. FLS. GLS. RCDS. REX.

De reddenda talione, & compositionis summa pro non reddenda talione.

QVorundam sæva temeritas sævioribus pœnis est legaliter ulciscenda: ut dum metuit quisque pati quod fecerit, saltem ab illicitis invitus abstineat. Quicunque ergo ingenuus ingenuum pertinaciter ausus decalvare aliquem

quem, aut turpibus maculis in facie vel cetero corpore, flagello, fuste, seu quocunque ictu feriendo aut trahendo malitiosè foedare vel maculare, sive quamcunque partem membrorum truncare præsumpserit, aut etiam ligaverit, vel in custodia aut in quocunque vinculo detinuerit, seu ligari ab aliquo aut custodia vel vinculo mancipari præceperit, iuxta quod alii intulerit, vel inferendum præceperit, correptus à iudice in se recipiat talionem. Ita ut is qui malè pertulerit, aut corporis contumeliam sustinuerit, si componi sibi à præsumptore voluerit, tantum compositionis accipiat, quantum ipse taxaverit, qui læsionem noscitur pertulisse. Pro alapa verò, pugno vel calce, aut percussione in capite, prohibemus reddere talionem: ne dum talio rependitur, aut læsio maior aut periculum ingeratur. Sed si quis hæc sine periculo membrorum aut aliqua læsione præsumptuosus intulerit, pro alapa x. flagella, pro pugno vel calce xx. pro percussione verò in capite, si sine sanguine fuerit, ab eo quem percusserit, xxx. flagella suscipiat. Certè qui læsit, vel lædendum dicitur instituisse, si non ex priori disposito, sed subitò exorta lite & cæde commissa, aliquo casu id convicerit se nolente perpetratum fuisse, pro evulso oculo det solidos centum. Quòd si contigerit, ut de eodem oculo ex parte videat, qui percussus est libram auri à percussore in compositione accipiat. Quòd si in naribus ita percussus est, ut nasum ex integro perdat, c. solidos percussor exsolvat. Si verò nasus ita collisus est, ut pars turpata narium pateat, iuxta quod deturpationem iudex inspexerit, damnare non morabitur percussorem. Quod etiam similiter & de labiis vel auribus præcipimus custodiri. Cui ponderositas facta fuerit, centum solidi dentur in compositione. Qui manum ex integro absciderit, vel etiam quolibet ictu ita percusserit, ut ad nullum opus ipse prodefaciat, centum solidos percussor componat. Pro pollice autem L. pro sequenti digito XL. pro tertio XXX. pro quarto XX. pro quinto X. solidos compositionis exsolvat. Quæ scilicet summa & de pedibus erit implenda. Pro singulis autem excussis dentibus duodeni solidi componantur. Qui cassos alteri fregerit, & ex hoc qui percussus est debilis apparuerit, libram auri percussor componere procurabit. Et ista quidem inter ingenuos observanda & implenda sunt. Si verò servus hoc ingenuo fecerit, vel etiam ingenuum decalvaverit, in eius potestate tradendus est, ut sui sit arbitrii de eo facere quod voluerit. Si certè ingenuus servum alterius decalvaverit, aut decalvare iusserit rusticanum, det eius domino solidos x. Si verò idoneum, c. flagella suscipiat, & supradictam summam c. solidorum servi domino coactus exsolvat. Quòd si qualibet corporis parte servum truncaverit, vel truncare iusserit alienum, ducentorum flagellorum ictibus verberetur, & alium eiusdem facultatis & meriti servum cum eodem, proprio domino reddere compellatur. Quòd si de suprà taxatis capitulis quodcunque libertus ingenuo facere præsumpserit, pro eo quòd æqualem statum non habet, & quod fecerit similiter in se factum recipiat, & centum insuper flagellorum ictus extensus accipiat. Quòd si ingenuus in liberto hoc fecerit, tertiam partem compositionis, quæ de ingenuis continetur, exsolvat. Si servus servum inscio domino decalvare sive truncare præsumpserit, & quod fecit patiatur, & centum flagellis publicè verberetur. Si verò servus domino nesciente ingenuum comprehendere vel ligare præ-

sumpserit, ducentis publicè verberetur flagellis. Quòd si cum domini voluntate servus hoc fecerit, ipse dominus tantundem, & pœnam & damna, quæ de ingenuis in hac lege tenentur, suscipiat. Ingenuus autem si servum alienum ligaverit innocentem, det domino servi solidos tres. Nam si servus servum ligaverit absque voluntate domini sui, centum flagellis publicè verberabitur. Si certè conscio domino suo servus hoc admiserit, idem servi dominus tres itidem solidos componere compellendus est. Tamen si ingenuus servum alienum innocentem die ac nocte in custodia detinuerit, vel ab alio fecerit detineri, pro uno die tres solidos, & pro una nocte similiter tres solidos domino servi componat: & si per plures dies id servus ab ingenuo innocens pertulisse convincitur, eandem trium solidorum summam per singulos dies ac noctes isdem ingenuus servi domino coactus exsolvat. Ingenuus sanè, si servum alienum fuste, aut flagello, vel quolibet ictu indignans percusserit, ut sanguis & livor appareat, per singulas percussiones singulos solidos domino servi persolvat: aut si gravis percussio fortasse patuerit, per quam aut mortem aut debilitationem qui percussus est videatur incurrere, quantum pro tali re componere debeat, iudicis æstimatio competenter inspiciat. Si verò servus in servo talia fecerit, idemque iudex constituat, quantum vel à servo vel ab eius domino, iuxta livoris vel plagarum qualitatem, media pars de ingenuis componi debeat. Servus tamen pro præsumptione sua L. flagella extensus accipiat. Omnes autem sententiæ legis huius tam in viris, quàm in fœminis observandæ sunt: ita ut capitula, quæ in hac lege vel in aliis legibus ad arbitrium iudicis reservantur, eius instantia celeriter terminentur. Quòd si iudex amicitia corruptus vel præmio, iuxta æstimationem rei liberare neglexerit, neque continuò ulciscendum institerit, iudiciaria protinus potestate privatus, ab Episcopo vel Duce districtus, illi, quem admonitus vindicare contempsit, secundum quod iidem inspexerint, iuxta contemplationem de facultate propria componere compellatur: quatenus ipse suarum rerum compulsus damna sustineat, qui voluntarius defendere recusauit interpellantis iniuriam.

IV. ANTIQVA.

Si itinerantem quis retinuerit iniuriosè atq; nolenter.

SI in itinere positum aliquis iniuriosè sine sua voluntate retinuerit, & ei in nullo debitor existat, quinque solidos pro sua iniuria consequatur ille, qui retentus est: & si non habuerit unde componat, ille qui eum retinuerit, L. flagella suscipiat. Quòd si debitor illi fuerit, & debitum reddere noluerit, sine iniuria hunc territorii iudici præsentet, & ipse illud quod iustum est ordinet. Quòd si servus hoc sine iussione domini commiserit, centum ictus accipiat flagellorum. Si autem domino iubente hoc fecerit, ad superiorem compositionem dominus teneatur obnoxius.

V. FLS. CHDS. REX.

Vt qui alteri ea intulerit quæ legibus non continentur, ea recipiat quæ fecisse convincitur.

NOn minoris est noxæ legum statuta nescire, quàm sciendo prava committere. Quapropter quicunque hactenus vel post hæc illicita perpetrans,

trans, aut leges nescire se dixerit, aut in cuispiã damno vel periculo illa præsumpserit excogitare vel agere, quæ dicat in legibus non cõtineri, atq; ideo non posse reatui subiacere: huius rei causa convictus præsumptor, ea continuò pericula, ignominiam, tormenta atque cruciatum, vel damna sustineat, quæ alii intulit, vel inferenda molitus est: atque insuper publicè c. flagellorum verberibus cæsus, ad perennem infamiam deformiter decalvetur.

VI. FLS. CHDS. REX.

Ne sit reus, qui percutere volentem antè percusserit.

NOn est putanda resistentis improbitas, ubi violenter conspicitur præsumentis audacia. Quicunque ergo incautè præsumptuosus, fuste vel gladio, seu quocunque ictu, percutere aliquem iratus voluerit, vel percusserit, & tunc idem præsumptor ab eo quem percutere voluit, ita fuerit percussus, ut moriatur, talis mors pro homicidio computari non poterit, nec calumniam patiatur qui præsumentem percusserit. Quia commodius erit irato viventem resistere, quàm se post obitum ulciscendum relinquere. Ille sanè, qui prior contra quemlibet iratus eduxerit gladium, quamlibet non percusserit, x. tamen solidos ei, quem percutere voluit, pro præsumptione sola dare cogendus est.

VII. FLS. RCDS. REX.

Si servus ingenuo fecerit contumeliam.

QVamvis idoneus servus personæ nobili & illustri nullatenus indebitè contumeliosus aut seditiosus præsumat existere. Quod si fecerit, quadraginta verberibus coram iudice subiacebit: servus autem vilior L. flagellorum ictibus addicetur. Certè si eadem persona, ut sibi fieret contumelia, servum prius excitaverit alienum, suæ negligentiæ imputet, qui oblitus honestatis & patientiæ, quod merebatur à servo excepit.

VIII. ANTIQVA.

Si ingenuus ingenuum percutiat.

SI quis ingenuus ingenuo vulnus inflixerit, ita ut continuò qui vulneratus fuerit, moriatur, percussor pro homicidio teneatur: & si qui percussus fuerat, statim non extinguatur, percussor deputetur in carcere, aut certè sub fideiussore habeatur: & si evaserit vulneratus, pro sola præsumptione det ei solidos xx. Aut si non habuerit unde componat, cc. flagella publicè extensus suscipiat, & extra hoc compositionem vulneris implere cogatur, sicut à iudicibus fuerit æstimatum.

IX. ANTIQVA.

Si ab ingenuo servus debilitetur alterius.

SI quis ingenuus servum alienum volens debilitaverit, alterum paris meriti servum eiusdem domino dare non moretur: illum verò debilem suo stu-

dio & sumptu ad curandum, donec recipiat sanitatem, retineat. Postea verò, si sanari potuerit, pro vulnere compositio detur, prout iustum visum fuerit iudicanti: ac sic postea servus domino reddatur incolumis, & suum servum recipiat. Insuper autem pro facti temeritate, ut cædem evadat, pro eo quòd servum alienum vulnerare præsumpserit, x. solidos domino servi persolvat.

X. ANTIQVA.

Si servus percutiat ingenuum.

SI servus ingenuo sine domini iussione percussionem intulerit, & ille exinde moriatur, percussor pro homicidio puniatur: & si qui percussus fuerit statim non moriatur, ipse servus continuò tradatur in carcerem. Et si evaserit vulneratus, ille qui percusserat, cc. flagella suscipiat. Dominus verò si voluerit, pro servo summam compositionis exsolvat, quantum à iudicibus fuerit æstimatum: sin autem noluerit, servum pro culpa tradere non moretur.

XI. ANTIQVA.

Si servus servum debilitet.

SI servus servo debilitationem intulerit, exceptò vulneris compositionem, c. flagella suscipiat. Et si exinde debilitatus agnoscitur, quantum deterior extiterit ipse servus, iudex poterit æstimare. Et si ipse dominus compositionem accipere noluerit, similem servum aut pretium servi ab illo, cuius servus eum debilitavit, accipiat, & illum debilitatum servum sibi usurpet. Hoc ipsum etiam & de ancillis præcipimus custodiri.

TITVLVS V. DE CÆDE ET MORTE HOMINVM.

XVI. *Vt*

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si quis nesciens occiderit hominem.

QVicunque nesciens hominem occiderit, & nullum contra eum odium habuerit, iuxta Domini vocem reus mortis non erit. Non enim est iustum, ut illum homicidæ damnum aut pœna percutiat, quem voluntas homicidii non cruentat.

II. FLS. CHDS. REX.

Si quis hominem, dum non videt, occiderit.

SI quis hominem, dum eum non videt, stantem, venientem, vel prætereuntem ignorando occiderit: si nulla occasio inimicitiæ antea cum eo fuerit, & ille nolens homicidium admiserit, atque ante iudicem hoc potuerit approbare, securus abscedat.

III. FLS. GLS. CHDS. REX.

Si quis impulsus occidat hominem.

SI quis aut casu aut re quacunq; impulsus, vel præcipitatus, in alterum corruerit, hominemq; occiderit, pro homicidio nec damnis nec pœnis damnabilis erit. Si certè homo impulerit alium, cuius impulsione illisus perimat alterum, si ille qui impulit, absque mala voluntate hoc fecerit, auri libræ damnum habebit, quare læsionem vitare neglexerit.

IV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si quis alterum percutere volens, alterum occidat hominem.

QVicunque exorta lite, dum eum cum quo contendit, percutere quærit, alterum nolens occiderit: quærendum est, à quo cædes exordium habuerit. Et si ab illo, quem percussor voluit percutere, exortam cædem esse constiterit: ille qui concitavit litem, licet evaserit percussionem, quia tamen per ipsum constat homicidium esse commissum, C. auri solidos det. Ille verò qui percussit, L. solidos reddat, defuncti nihilominus proximis profuturos. Ideò enim ambo damnum habebunt: quia ille volens aditum mortis dedit, iste autem nolens mortem iniecit.

V. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si homo exorta cæde moriatur.

SI exorta cæde ad faciendam pacem quicunq; ingenuus advenerit, & eum percussione litis mori contigerit, atque ille qui percussit aut suo sacramen-

to, aut testibus numero & dignitate idoneis approbare potuerit, quod hoc ut fieret voluntatis eius non fuit: quia percussor nec percutere nec occidere voluit, libram tantùm auri parentibus persolvat occisi. Similiter & qualecunque vulnus tali casu fieri provenerit, tertiam partem compositionis qui percussit exsolvat. Quia mors eius inulta esse non debet, qui pacis præmium ut conferret advenit.

VI. ANTIQVA.

Si dum levis iniuria infertur, homicidium committatur.

SI dum quis calce, vel pugno, aut quacunque percussione iniuriam conatur inferre, homicidii extiterit occasio, homicidio puniatur.

VII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si iocans aut indiscretus occidat hominem.

QVicunque incautus, aut indiscretus, aut iocari volens, aut in multitudine cuiuscunque rei ex improviso ictu noxium admittens percussisse atque occidisse quempiam videatur, cùm aut sacramento aut testibus convictum fuerit, quia id disposito malitiæ spiritu, aut nocendi voluntate commissum non fuit, non quidem erit percussor vel homicidio infamis, vel morte damnabilis: quia mortuum voluntariè non occidit. Quia tamen indiscretè percussit, nec vitare casum studuit, libram auri proximis occisi persolvere procurabit, & quinquaginta flagellorum ictibus vapulabit.

VIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si quis per incautam disciplinam occidat hominem.

QVemcunque discipulum, in patrocinio aut in servitio constitutum, si à magistro, patrono vel domino incompetẽti & indiscreta disciplina percussum fortasse mori de flagello contingat, cùm nihil ille qui docet aut corripit, in hunc invidiæ aut malitiæ habuerit: qui cæcidit, homicidio nec infamari poterit nec affligi. Quia dicente Dei sacra scriptura: Qui disciplinam abiicit, infelix erit.

IX. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si ingenuus servum casibus præscriptis occidat.

SI ingenuus servum non voluntate, sed suprascriptis casibus diversis occiderit, medietas compositionis quæ est de ingenuis constituta, erit à percussore domino servi reddenda.

X. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si servus ingenuum casibus præscriptis occidat.

SI servus ingenuum non voluntate, sed suprascriptis casibus diversis occiderit, eam compositionem exsolvat, quam de ingenuis casu occidentibus superior sententia taxat. Quòd si dominus pro servo componere noluerit, mox servum tradere oportebit.

XI. ANTIQVA.

Si homo voluntariè occidatur.

OMnis homo si voluntate, non casu occiderit hominem, pro homicidio puniatur.

XII. FLS. CHDS. REX.

Ne domini extra culpam servos suos occidant: & si ingenuus occidat ingenuum.

SI criminis quisque reus, vel nefandi consilii socius, nequaquam debet indemnis relinqui, quanto magis qui ex studio malitiæ temeranter homicidium dinoscitur perpetrasse? Ideoque, quia sæpe præsumptione crudelium dominorum extra discussionem publicam servorum animæ perimuntur, extirpari decet hanc omnino licentiam, & huius legis ab omnibus perenniter adimpleri censuram: scilicet ut nullus dominorum vel dominarum, servorum suorum vel ancillarum, seu quarumcunque personarum, extra publicum iudicium quandoquidem occisor existat. Sed si talis servus vel ancilla, seu quicunque, crimen admiserit, ex quo possit mortis debitam damnationem excipere, eumque dominus vel domina propter aliquod pessimum facinus occiderit, vel occidendum præceperit, dum hoc ad cuiuscunque iudicis cognitionem pervenerit, confestim ipse dominus dominavè ad iudicium ire cogendi sunt; qualiter per probationem servorum vel ancillarum sibi suo sacramento confirment, quòd tale facinus admiserint, unde digni essent mortis ultione percelli. Nam si ex disposito malitiæ, servum suum vel ancillam, seu per se, seu per alium quemlibet extra publicum examen occidere quicunque præsumpserit, pro facti huius temeritate libram auri fisco persolvat, atque insuper perenni infamia denotatus, testificari ei ultrà non liceat. Qui verò alienum servum vel ancillam ex deliberatione suæ voluntatis occiderit, vel occidendum præceperit, duos eiusdem meriti servos seu ancillas, occisorum dominus de facultate homicidæ consequuturus est: homicida tamen secundum superiorem ordinem perennis exilii pœnam indubitanter excipiat. Nam si dominus fortasse vel domina, in ancilla vel servo, tam proprio quàm extero, vel incitatione iniuriæ vel ira commotus, dum disciplinam ingerit, quocunque ictu percutiens homicidium perpetraverit, & vel testibus probari potuerit, vel certè sacramento suam conscientiam expiaverit, nolendo tale homicidium commisisse, ad huius legis sententiam teneri non poterit. Veruntamen si servi vel ancillæ, instituentibus vel consentientibus dominis, in conservis suis vel quibuscunque personis dixerint se homicidium perpetrasse, & per exactionem tormentorum eosdem dominos suos talia sibi constituisse taxaverint: servi quidem vel ancillæ talia perpetrantes, centenis flagellis publicè verberandi sunt, ac turpiter decalvandi. Eorum verò domini, si iuraverint nil tale ordinasse, ad legis huius sententiam nullatenus teneantur. Atque illi qui suos conservos occiderint, in potestate domini sui eorum causa consistat, ut faciendi de eis quod voluerint licentiam habeant. Si verò alienum quis occiderit servum, ei proculdubio traditurus est, cuius servum vel ancillam dinoscitur occidisse. Quæcun-

quæ autem persona ingenua propter furti rapacitatem in itinere vel domi positum quenquã insidians occidisse detegitur, homicida continuò pro homicidio puniatur. Et quoniam consilio quisq; vel iussu homicidium faciendum insistens, noxior iudicandus est, quàm ille qui homicidium opere perpetravit: id specialiter constituendum oportuit, ut excepta causa servorum, de quibus suprà taxatum est: si ingenuum vel ingenuam, per servum vel ancillam, dominus dominavè occidendum præceperit, & per discussionem apud iudicem talia de dominis fuerint manifestè confessi; si hoc per legitimum testem firmare nequiverint, servis super dominis suis credi non oportebit. Sed ipsi tunc domini, qui talia iussisse dicuntur, coram iudice se suo sacramento innocentes reddere non morentur. Ipsi verò qui homicidium fecisse confessi sunt, aut pro homicidio puniantur, aut occisorum parentibus vel propinquis tradantur, ut quod de eis facere voluerint habeant potestatem. Quòd si domini eorum iurare nequiverint, servus proculdubio vel ancilla tam noxia perpetrantes, ducentenis verberati flagellis, turpiter etiam decalvandi sunt. Domini verò, quibus iubentibus tale nefas admissum est, capitali se noverint supplicio perimendos. Nam si ingenui quilibet ex communi consilio homicidium perpetrare deliberaverint, illi qui fortasse percusserint, aut quocunque ictu hominem interfecerint, morte damnandi sunt. Illi verò qui cum eis consilium habuisse reperiuntur, quamvis non percusserint, propter iniquum tamen consilium, ducentorum flagellorum ictus publicè extensi, & decalvationis fœditatem passuri sint, atque insuper proximis occisi parentibus quinquagenos solidos componere compellantur: aut si non habuerint unde componant, perenniter servituri tradantur.

XII. FLS. GLS. EGIGA REX.

Ne liceat quemcunque servum suum vel ancillam quacunque corporis parte truncare.

PRæcedentiũ non vitia sed virtutes æmulando conlectas, invenimus hanc legem iustissimè editam, iniustè abrasam. Et ideo ne humanis excessibus turpandæ imaginis Dei frena laxentur, IN NOMINE DOMINI, EGO FLAVIVS EGIGA REX, ipsis verbis, ipsisque sententiis, illo dudum eam iterum ordine introduxi, quo dudum illam præviam iudicii principalis auctoritas collocavit, quæ sic incipit. Superiori quidem lege, dominorum indiscretam sævitiam à servorum occisione privavimus: nunc etiam ne imaginis Dei plasmationem adulterent, dum in subditis crudelitates suas exercent, debilitationem corporum prohibendam oportuit. Ideo decernimus, ut quicunque dominus dominavè, absque iudicis examinatione, & manifesto scelere servo suo vel ancillæ manum, nasum, labium, linguam, aurem etiam vel pedem absciderit, aut oculum evulserit, seu quamcunque partem corporis detruncaverit, aut detruncare vel extirpare præceperit, trium annorum exilio sub pœnitentia relegetur apud Episcopum, cuius in territorio aut ipse manere, aut factum scelus esse videtur. Omnes verò facultates ipsius, si filios habuerit, qui tamen non sint sceleris eius participes, tueantur atque gubernent, reddituri cum redierit rei domino ratio-

rationem. Si certè filii legitimi defuerint, aliis parentibus ita iudex facultates eius custodiendas committat, qualiter cùm redierit, de rebus suis ratio illi reddatur. Sin autē nullus de proximis fuerit, iudex ipse curam habebit, qualiter cuncta gubernet atque conservet, & de eisdem rationem postea reddat.

XIV. FLS. CHDS. REX.

Vt homicidam cunctis liceat accusare.

SI homicidam nullus accuset, iudex mox ut facti crimen agnoverit, licentiam habeat corripere criminosum, ut poenam reus excipiat, quam meretur. Nec enim propter accusatoris absentiā, aut aliquod fortasse colludium sceleris, debet vindicta differri: sed tam uxor mortem mariti, si quid noxium ab alio fortè pertulerit, quàm etiam maritus, si simile aliquid uxorem pati contigerit, licitum habebit inquirere, & iuxta qualitatem criminis legaliter ulciscendū insistere. Ita ut si manente adversus reum tali intentione, maritus & uxor vitam finierint, & imperfectam causam reliquerint, eorum filii seu propinqui, quibus ad capiendam hereditatem legitima successio competit, accusare reum vel homicidam, ac sicut parentes facere poterant, instanter persequi habeant potestatem. Nec enim dignum est, parentum aut propinquorum habere facultatem, si non reus vel homicida debitam sententiam condemnationis excipiat. Quòd si iudex admonitus huius rei vindex esse distulerit, & dilatans accusantes ad regiam cognitionem ex hoc querela pervenerit, sciat se pro mortuo, quem vindicare noluerit, medietatem homicidii, hoc est, CCL. solidos petenti esse daturum. Facultates sanè eius, qui pro suo scelere est puniendus, non antea cuiquam usurpare conceditur, nisi per iudicium ultionis ex lege sententia detur.

XV. FLS. CHDS. REX.

Quòd & proximis & extraneis homicidam conceditur accusare.

CVm ceterorum criminum reos poenas semper oporteat excipere quas merentur, nefas esse putandum est homicidas unquam indemnes relinquere, quos severiori magis condecet atrocitate puniri. Ne ergo possit evadere homicida quod fecit, aut aliquis scelus eius præsumat forsitan excusando coelare, primò proximis occisi conceditur licentia accusandi. Quòd si ijdem proximi ad quærendam defuncti mortem aut tepidi fuerint, aut fortè distulerint, tunc accusandi homicidam omnibus generaliter, tam aliis parentibus, quàm externis, aditum pandimus. Ita ut qui homicidam fraudulenter excusare conatus fuerit, vel defendere, commodum quod propterea fuerat consecutus, in duplum compellatur accusatori persolvere. Nam homicidii reus nunquam potest esse securus, cùm contra eum accusationem deferre nulli penitus licentia denegetur.

XVI. FLS. CHDS. REX.

Si homicida ad Ecclesiam confugiat.

NOn sumus immemores, de homicidis hactenus atque maleficis diversas quidem legum sententias præcessisse, & iuxta qualitatem sceleris poe-

nas esse propositas, quas unusquisque eorum merebatur excipere. Tamen quia nequitiæ huius auctores, quantum in malis ampliùs prompti sunt, tantum ad evadendum supplicium occasiones sæpe prætendunt: ac se plerumque basilicarum Dei defensioni committunt, qui contra divinum præceptũ scelera perpetrare non metuunt. Ideoque quia nunquam debet hoc scelus inultum relinqui, quod & vitam perimit, & quorundam mentes ad deterius frequenter impellit, hoc omne per ævum mansurum damus edictum: Vt quemcunque homicidam seu maleficum lex puniri præcipit, & præterea qui ex suo disposito, vel malæ voluntatis assensu, tale nefas committit, nulla hunc occasio nullaq; unquam ab hac sententia potestas excuset. Sed etiamsi contigerit eum ad altare sanctum fortasse confugere, non quidem præsumat eum absque consultu sacerdotis persequutor eius abstrahere. Consulto tamen sacerdote ac reddito sacramento, ne eundem sceleratum publicæ mortis pœna condemnet, sacerdos eum sua intentione ab altari repellat, & extra chorum proiiciat: & sic ille, qui eum persequitur, comprehendat. Cui ab ecclesia eiecto, non alias mortiferas inferat pœnas, sed in potestate parentum, & eorum cuius propinquus occisus fuerit, contradendus est: ut excepto mortis periculo, quidquid de eo facere voluerint licentiam habeant. Quatenus dum malorum pravitas conspicit constituta sibi supplicia præterire non posse, vel metu saltem territus à malis abstineat, quem malæ voluntatis intentio ad illicitum facinus sponte sæpe præcipitat.

XVII. FLS. GLS. RCDS. REX.

De parricidis, & eorum rebus.

DVm nullum homicidium voluntate commissum nostris legibus relinquatur inultum, & illum magis oporteat mortem excipere, qui consanguinitate proximum præsumpserit occidere: proinde hoc omne per ævum promulgamus edictum, ut quicunque parricidium fecerit, hoc est, patrem aut matrem, seu fratrem aut sororem, vel quemcunque sibi propinquum, proposito vel intentione pravæ voluntatis occiderit, confestim comprehensus à iudice eadem morte puniatur, qua ipse alium punire præsumpserit. Ita ut si vir sive mulier sit: qui parricidii crimen admiserit, si filios non habuerit, omnis parricidæ hereditas ad heredes & propinquos occisi pertineat. Si verò filios de alio coniugio habuerit, medietas facultatis eius filiis occisi proficiat, & medietas filiis parricidæ, si tamen in scelere patris aut matris conscii non fuerint approbati. Nam si conscios eos scelus parentum habuerit, omnis parricidæ hereditas filiis occisi proficiat. Quòd si neque parricida neque occisus filios reliquerint, tunc omnem facultatem parricidæ, parentes occisi aut propinqui sibimet in omnibus vindicabunt: vel proximi, qui eius mortem ulciscendam institerint, iuri suo applicare non dubitent.

XVIII. ANTIQVA. NOVITER. EMENDATA.

De his qui proximos sanguinis sui occiderint.

SI pater filium, aut filius patrem, seu maritus uxorem, aut uxor maritum, aut mater filiam, aut filia matrem, aut frater fratrem, aut soror sororem, aut

socerum

socerum gener, aut generum socer, vel nurus socrum, aut socrus nurum, vel quemcunq; consanguinitate sibi proximum, aut suo generi copulatum occiderit, morte dampnetur. Quòd si propter hoc homicida ad Ecclesiam vel altaria sancta concurrerit, in potestate parentum vel propinquorum occisi tradendus est: ut salva tantùm anima, quidquid de eo facere voluerint, habeant potestatem. Omnem verò substantiam suam heredibus occisi, iuxta legis superioris ordinem, iubemus addici, aut etiam fisco, si heredes proximos occisus non reliquerit, sociari. Nam homicida nec facultatibus suis liberatus utetur, etiamsi pœnam mortis evadere mereatur.

XIX. ANTIQVA.

Si à proximo sanguinis casu proximus occidatur.

SI pater filium, aut mater filiam, aut filius patrem, aut frater fratrem, aut quemlibet sibi propinquum, gravibus coactus iniuriis, aut dum repugnat, occidit; & hoc idoneis testibus, quibus meritò fides possit adhiberi, apud iudicem potuerit approbare, quòd parricidium, dum propriam vitā tuetur, admiserit, securus abscedat, nec ullum vitæ periculum, aut dispendia facultatum, vel tormenta formidet, illa discretione servata, quæ in cunctis casibus est de homicidiis constituta.

XX. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si servus servum casibus præscriptis occidat.

SI cunctis suprascriptis casibus, servus servum occidisse detegitur, omnem compositionis summam, quæ de casu tali est occisione taxata, servi dominus ex medietate domino servi persolvat. Quòd si pro ea satisfacere contemnat, servum sine dubio tradat.

LEGIS VVISIGOTHORVM LIBER SEPTIMVS,

QVI EST DE FVRTIS ET FALLACIIS.

CAPITVLA TITVLI PRIMI DE INDICIBVS FVRTI.

I.

De indice, & his quæ indicare dicuntur.

IVdex reum qui accusatur antea non torqueat, quàm ille qui accusat, si indicem præsentare noluerit, se per placitum trium testium roboratione firmatum ea conditione constringat, ut si is qui accusatus est, manifestis indiciis innocens comprobatur, ipse pœnam, quam alii intendit, excipiat: & tamen postquam innocentia patuerit accusati, accusator à iudice distringatur, ut pro agnoscenda rei veritate, indicem præsentet invitus. Quem si præsentare nequiverit, saltem quis sit ex nomine manifestet, ut districtus à iudice vera convincat esse quæ indicavit. Quòd si eum ipse index per alicuius potentis defensionem aut patrocinium, seu metu regiæ potestatis discussioni suæ præsentare non potuerit, ad regiam id cognitionem, si prope est, deferre procuret: si autem longè est, Episcopo vel iudici renuntiet, ut eorum maior auctoritas, hunc iudicio faciat præsentari. Quòd si neglexerit nuntiare, de propria iudicis facultate, omne quod periit, iussu Principis vel Episcopi atque iudicis, querelanti restituatur. Index autem si non potuerit probare quod indicavit, pro omni satisfactione teneatur obnoxius. Quòd si rei causa est: si ingenuus est, cum infamia novecuplam, servus verò sexcuplam compositionem exsolvat, & centum insuper flagella idem servus accipiat. Quòd si idem ingenuus unde componat non habuerit, & ei quem infamare tentavit, & ei cui mentitus est, pariter serviturus tradatur. Servus verò si compositionem pro se exsolvere non potuerit, aut si noluerit pro eo satisfacere dominus, servum pro reatu tradere non moretur.

II. ANT.

II. ANTIQVA.

De non credendo indicanti servo, nisi cum domini testimonio.

SI servus sine conscientia domini sui aliquid indicaverit, aliter ei non credatur, nisi dominus pro persona servi testimonio suo dixerit esse credendum, de honestate mentis eius proferens testimonium verum.

III. ANTIQVA.

Si index furti sit conscius.

SI index furti conscius comprobatur, nullam pœnam incurrat, sed dampnum absolutionis evadat: mercedem verò pro indicio non requirat, cui sufficere debet, ut securus abscedat. Qui si forsitan rem quæ furtim ablata est, cum furti ipsius consorte diviserit, quæ in portionem suscepit, & apud se retinuit, simpla tantùm restituat.

IV. ANTIQVA.

De mercede indicis.

SI quis furem prodiderit, si tamen furti ipsius conscius non est, non plus pro indicio accipiat, nisi quantum res valuerit, quæ furtim ablata est: si tamen domino rei compositio fuerit exsoluta. Sin autem talis sit fortasse conditio, ut necesse sit illum qui fur probatur occidi, & nihil de eius facultatibus inveniatur: aut si servus fuerit, & dominus servi substantiam eius suæ vindicet potestati, & in compositionem qui perdiderit res suas, nihil fuerit consecutus: tunc tertiam partem de repperta re, pro mercede indicii consequatur, & delator nil amplius iam requirat.

V. ANTIQVA.

Si innocens in quocunque crimine accusetur ab indice.

QVicunque accusatur in crimine, id est, veneficio, maleficio, furto, aut quibuscunque factis illicitis, accusator eius concurrat ad Comitem civitatis, vel iudicem, in cuius territorio est constitutus: ut ipsi secundum legem causam discutiant: & cum cognoverint crimen admissum, reum Comes & iudex comprehendant. Et si capitalia non admiserit, tunc ei cui reus est, aut componere compellatur, aut si non habuerit unde componat, serviturus tradatur: si verò innocens approbatur, de iudicio securus abscedat. Ille verò qui accusavit, & pœnam & dampna suscipiat, quæ debuit pati accusatus, si de crimine fuisset convictus. Comes tamen aut iudex nullum discutere solus præsumat, ne aliquod possit esse colludium, ut innocens fortasse tormenta sustineat. Priùs tamen pœnæ non subiaceat, quàm aut sub præsentia iudicum manifestis probationibus arguatur, aut certè sicut in aliis legibus continetur, eum accusator inscribat: & sic in præsentia iudicum superiùs nominatorum quæstionis agitetur examen.

TITVLVS II. DE FVRIBVS ET FVRTIS.

I. ANTIQVA.

Vt exponat quid quærit, qui furtivam rem se quærere dicit.

QVi rem furtivam requirit, quid quærat iudici occultè debet exponere, ut ostendat per manifesta signa, quid perdidit: ne veritas ignoretur, si non evidentia signa monstraverit.

II. ANTIQVA.

Si servus ante datam, seu post datam libertatem faciat furtum.

SI quis in servitio constitutus furtum admiserit, & postea à domino suo fuerit manumissus, illa quæ antea admiserat ad dampnum domini non pertineant; sed ipse sicut servus pœnam & dampnum legibus suscipiat constitutum, qui illicita perpetrasse dinoscitur. Quòd si post datam libertatem hoc fecerit, ita ut servus & compositionem & centum flagella sustineat. Quòd si tale factum non fuerit, propter quod servituti tradatur, in libertate accepta nihilominus permaneat.

III. ANTIQVA.

Si servus ad alium dominum transiens, quodcunque committat illicitum.

SI servus ad alium dominum transiens, aliquid de rebus prioris domini involaverit, aut abstulerit, seu quodcunque aliquid damnosum intulerit, dum pro crimine cupiditatis cupit addici, discutiatur à iudice: & si hoc crimen admisisse convincitur, posterior dominus, si voluerit, pro servo dampnum compositionis exsolvat. Certè si noluerit; servus, secundum criminis qualitatem, tradatur ad pœnam.

IV. ANTIQVA.

Si ingenuus cum servo alieno faciat furtum.

SI quis ingenuus cum servo alieno in crimine inventus fuerit, ut furtum forsitan faciant, & aliquid rapiant, aut illicitum quodcunq; committant; secundum superiorem legem medietatem eiusdem compositionis exsolvat, ita ut ambo publicè fustigentur. Et si noluerit dominus pro servo satisfacere, ipsum servum pro compositione tradere non moretur. Quòd si capitalia fortè commiserint, simul servus cum ingenuo morte dampnetur.

V. ANTIQVA.

Si dominus cum servo suo faciat furtum.

SI dominus cum servo suo ad furtum faciendum ierit, hanc compositionem non servum sed dominum implere iubemus: ita tamen ut dominus eius iuxta leges centum flagellis fustigetur. Servus autem ideo erit indempnis, quia domini iubentis obedivit imperiis.

VI. ANTIQVA.

Si servus alienus suadeatur ad illicita facienda.

SI quis servum alienum ad furtum faciendum, aut alias ad quascunque res illicitas committendas, vel etiam adversus seipsum fortè persuaserit, ut domino eius perditionem exhibeat, quo faciliùs eum per malam & iniquam persuasionem ad suum servitium fraudulenter addicat, & fraus ipsa iudicis fuerit investigatione detecta: dominus servi nec servum perdat, nec ullam calumniam pertimescat. Sed ipse cuius colludio vel suasione servus crimen admiserat, ut eum sibi per aliquam occasionem ad servitium potuisset addicere; ipsi eius servi domino, quantum ille involaverit, aut quantum culpabilem rem admiserit, septuplam compositionem implere cogatur. Ipse autem servus in conventu publicè centum flagella suscipiat, pro eo quòd dominum suum despiciens insidianti consenserat, & sic postmodum domino suo servus reddatur.

VII. ANTIQVA.

De his qui cum furibus conscii fuerint.

NOn solum ille qui furtum fecerit, sed etiam quicunque conscius fuerit, vel furtim ablata sciens susceperit, in numero furantium habeatur, & simili vindictæ subiaceat.

VIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si de fure quis nesciens comparaverit.

VNiversam rem nulli ingenuo liceat de incognito homine comparare, nisi certè fideiussorem adhibeat cui credi possit, ut excusatio ignorantiæ auferatur. Quod si aliter fecerit, qui comparaverit, à iudice districtus auctorem præsentet infrà tempus sufficienter à iudice constitutum. Et si fur ipse habuerit unde compositionem exsolvat, integram aut similem rem domino rei sarciat: possideat autem emptor, si particeps fraudis non invenitur, securè quod emit: vel si dominus voluerit, rem furtivam sibi recipiat, & furem cum omni compositione furti tradat emptori. Si autem non habuerit fur unde, sicut dictum est, compositionem domino aut emptori exsolvat, legibus institutus teneatur modus. Quem si non potuerit invenire, approbet se aut sacramento aut testibus innocentem, quòd eum furem nescierit: & quod apud eum agnoscitur, accepta precii medietate, restituat. Atque ambo datis invicem sacramentis promittant, quòd furem fideliter quærent. Quòd si omnino fur inveniri nequiverit, rem tantùm, quæ empta est, domino rei emptor ex integritate reformet. Si verò dominus rei furem noverit, & eum publicare noluerit, rem ex toto amittat, quam emptor quietè possideat. Hæc de servis forma servetur.

IX. FLS. RCDS. REX.

Si de fure quis cognitus comparaverit.

SI quis rem furtivam sciens à fure comparaverit, ille qui emit suum præsentet auctorem, & postea tanquam fur componere non moretur. Si verò furem non invenerit, duplam compositionē, quæ à furibus debetur, exsolvat: quia apparet & illum furi esse similem, qui rem furtivam sciens comparasse cognoscitur. Quòd si servus hoc fecerit, aut medietatem compositionis de ingenuis persolvat, aut hunc serviturum dominus tradat.

X. ANTIQVA.

De pecunia & rebus Regis furto sublatis.

SI quis de thesauris publicis pecuniam aut aliquid rerum involaverit, & in usu suo transtulerit, novecuplum restituat.

XI. ANTIQVA.

De tintinnabulis furatis.

SI quis tintinnabulum involaverit de iumento vel bove, solidum reddat.

De

De vacca tremisses duos. De berbicibus, vel quibuscunque pecoribus, tremisses singulos cogatur exsolvere.

XII. ANTIQVA.

De instrumentis molini furatis.

SI quis de molinis aliquid involaverit, quod furatum est restituat, & insuper componat, sicut de aliis furtis lege tenetur, & extra hoc centum flagella suscipiat.

XIII. FLS. RCDS. REX.

De dampno furis.

CViuslibet rei furtum, & quantalibet precii æstimatione taxatum, ab ingenuo novies, à servo verò sexies, ei qui perdidit sarcietur, & uterque reus c. flagellorum verberibus coerceatur. Quòd si aut ingenuo desit unde componat, aut domin9 componere pro servo suo non annuat, persona quæ se furti contagio sordidavit, servitura rei domino perenniter subiacebit.

XIV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Vt fur captus perducatur ad iudicem, & ut ingenuus cum servo faciens furtum unam compositionem exsolvat.

FVr si captus fuerit, perducatur ad iudicem: ita ut ingenuus novecuplo sublata restituat, & extensus publicè coram iudice centum flagella suscipiat. Quòd si non habuerit unde componat, careat libertate, illi serviturus cui furtum fecerit. Servus autem sexcupli compositionem cogatur exsolvere, & centum flagella ante iudicem extensus accipiat. Ipse verò in custodia à iudice teneatur, quousque dominus eius pro eo admoneatur, ut aut pro servo suo componere non moretur, aut si certè distulerit, eum pro crimine cui malum fecit, tradere non moretur. Id denique in hac lege servandum est, ut si servus & ingenuus, seu servi & ingenui, unum animal, aut quamcunque unam rem, pari consensu furaverint, unam compositionem exsolvant; id est ingenuus medietatem novecupli, & servus idem medietatem sexcupli: flagella tamen secundum superiorem ordinem accepturi. Nam & de maioris summa furti, à servo & ingenuo, vel servis & ingenuis facta, prædicta forma servabitur. Et quemadmodum superius constitutum est, ante iudicem flagellandi sunt.

XV. ANTIQVA.

Si fur se gladio vindicans occidatur.

FVr qui per diem se gladio defensare voluerit, si fuerit occisus, mors eius nullatenus requiratur.

XVI. ANTIQVA.

Si fur nocturnus, dum capitur, occidatur.

FVr nocturnus captus in furto, dum res furtivas secum portare conatur, si fuerit occisus, mors eius nullo modo vindicetur.

XVII. ANTIQVA.

De male factis & indebitè contractis rebus: & ut tantùm de illa re compositio fiat, quæ fuerit sublata.

SI quis res aut vestimenta aliena malè tractaverit, aut in itinere constitutum in aliquo contigerit, vel furtim ei quodcunque sustulerit, non pro omni sarcina solutionem implere cogatur, sed de hoc quod furtim abstulit, vel malè tractavit, secundum legem componere non moretur.

XVIII. ANTIQVA.

De his quæ adversis naufragiis rapiuntur.

QVidquid de incendio, ruina, vel naufragio raptum fuerit, & aliquis ex hoc quidquam ab alio susceperit sive cœlaverit, in quadruplum reformare cogatur.

XIX. ANTIQVA.

De hereditate & successionibus furis.

SI quis furi mortuo in hereditatem, aut ex testamento, aut ex sanguinis propinquitate successerit, quia crimen cum fure defecit, pœnam quidem non sustineat, sed damni satisfactionem exsolvat, quod fur si vixisset fuerat soluturus. Si autē maius est dampnum quàm hereditas, faciat cessionem.

XX. FLS. GLS. RCDS. REX.

De his qui fures aut reos captos excusserint.

SI quis furem captum aut reum alicui excusserit, si maioris lóci persona est, extensꝰ coram iudice pro sola præsumptione c. flagella suscipiat, & quem excussit repræsentare cogatur. Quòd si alter eum prendiderit, cuius causa non est, de ea compositione quam fur facere potuerat, pro labore suo quartam partem accipiat. Si autem fur inventus non fuerit, iam tunc & pœnam furis, qui hunc excussit, perferat, & tantum de suo ipse componat, quantum fur quem excusserat, convictus satisfacere potuerat. Si certè minor persona fuerit, & furem præsentaverit, pro præsumptione sola & ipse c. flagella suscipiat. Si autem furem invenire non potuerit, & pœnam furis & dampna ipse sustineat. Nam si præter furem alterius criminis quicunque reum excusserit, similiter c. flagella extensus accipiat: & si eum invenire vel præsentare nequiverit, eidem continuo vindictæ subiaceat, quam reum illum, qui excussus est, legalis sanctio pati demonstrat. Si verò servus domino nesciente ista commiserit, pro præsumptione sola cc. flagella suscipiat, & quem excussit præsentet. Quem si non præsentaverit, dominus eius, si voluerit, pro eo sum-

eo summam compositionis exsolvat: quod si componere noluerit, iuxta crimen admissum, servum aut pro dampno, aut pro supplicio tradat.

XXI. ANTIQVA.

Si servus domino vel conservo fecerit furtum.

SI servus domino suo vel conservo aliquid involaverit, in domini potestate consistat, quid de eo facere voluerit; nec iudex se in hac re admisceat, nisi dominus servi fortasse voluerit.

XXII. ANTIQVA.

Infra quod tempus fur captus iudici præsentari iubetur.

SI quis furem aut quemcunque reum comprehenderit, statim perducat ad iudicem: ceterùm suæ domui amplius quam una die ac nocte eum retinere non audeat. Si quis contra hoc fecerit, v. solidos pro sola præsumptione iudici cogatur exsolvere. Et si servus hoc sine domini sui conscientia fecerit, c. flagella suscipiat: si verò servus cum domini voluntate id commiserit, compositio redundet ad dominum. Ita ut si honestioris loci persona est, x. solidos iudici cogatur exsolvere: ex quibus medietatem sibi iudex usurpet, aliam verò medietatem illi det, qui dampnum noscitur pertulisse.

XXIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si furtivè alienus quadrupes occidatur.

SI quis caballum alienum, aut bovem, aut quodlibet animalium genus nocte aut occultè occidisse convincitur, novecupli compositionem dare cogatur. Quòd si convinci non potuerit, quòd talia fecerit, sacramentum evidentissimè dabit. Si verò hoc servus immittente domino commiserit, & ex hoc manifestis indiciis invenitur, dominus servi tanquam fur novecupli compositionem implere cogatur. Quòd si servus non convincitur, inscribatur: & cùm inventus fuerit talia commisisse, aut sexcuplum reddat, aut cui dampnum fecerit, ipse serviturus subiaceat. Quòd si innoxius fuerit inventus, iuxta quod aliis legibus est decretum, satisfaciat petitor domino servi.

TITVLVS III. DE VSVRPATORIBVS ET PLAGIATORIBVS MANCIPIORVM.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si quis mancipium alienum usurpet.

QVicunque ingenuus mancipium usurpaverit alienum, eiusdem meriti mancipium alterum cum eo compellatur domino reformare. Si verò servus hoc fecerit, ipsum mancipium illi domino reddat, & centum flagella suscipiat. Quòd si usurpatum mancipium præsens non fuerit, dominus servi eiusdem meriti mancipium illi domino det, qui mancipium amisit, donec qui ablatus est restituatur, & sic ille qui pro eo donatus fuerat, serviturus domino reformetur.

II. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si servum vel ancillam ingenuus plagiasse detegatur.

SI quis ingenuus servum alienum vel ancillam alienam plagiaverit, quatuor servos vel quatuor ancillas domino dominæve reformare cogatur, & centum flagellis publicè verberetur. Quòd si non habuerit unde componat, ipse subiaceat servituti.

III.

De ingenuorum filiis plagiatis.

QVi filium aut filiam alicuius ingenui vel ingenuæ plagiaverit, aut sollicitaverit, & in populos nostros, vel in alias regiones transferri fecerit, huius sceleris auctor patri aut matri fratribusque si fuerint, sive proximis parentibus in potestate tradatur, ut illi occidendi aut vendendi eum habeant potestatem. Aut si voluerint, compositionem homicidii ab ipso plagiatore consequantur, id est solidos quingentos; quia parentibus venditi aut plagiati non levius esse potest, quàm si homicidium fuisset admissum. Quòd si eum ex peregrinis ad propriam regionem potuerit revocare plagiator, CCL. solidos, hoc est medietatem homicidii exsolvat: aut si non habuerit unde componat, ipse subiaceat servituti.

IV.

Si servus plagiaverit servum alienum.

SI servus servum plagiaverit alienum domino nesciente, servus qui hoc fecerit, CL. flagella coram iudice extensus accipiat, & sic etiam postmodum qui plagiatus est domino reformetur. Ille verò cuius servus plagiatus fuerat, mercedem capturæ à plagiatoris domino non requirat. Ita tamen ut si fortasse qui plagiatus est tardè repperiatur, plagiatoris dominus aliud eiusdem meriti mancipium, aut etiam eundem plagiatorem ei, cuius servus vel ancilla plagiata est, dare compellatur, tamdiu sibi serviturum, quamdiu suus servus aut ancilla ei restituatur; & ita ille postmodum domino reformetur.

V. ANTIQVA.

Si servus ingenuum plagiaverit domino imperante.

SI servus ingenuum plagiaverit ex domini iussione, ipse dominus compositionem, quæ est de ingenuis constituta, compellatur implere: ita ut dominus centum flagella publicè suscipiat, & servum iussa domini complentem molestia non attingat.

VI. ANTIQVA.

Si servus ingenuum plagiaverit domino nesciente.

SI servus sine conscientia domini sui ingenuum plagiaverit, parentibus plagiati sine aliqua dilatione tradatur, ut quod de eo facere voluerint in eorum consistat arbitrio. Quòd si qui plagiatus est reduci potuerit, & dominus pro servo componere voluerit, libram auri pro iniuria ingenui dabit.

TITVLVS IV. DE CVSTODIA ET SENTENTIA DAMNATORVM.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si iudex pro crimine interpellatus postea contemnatur.

SI quis pro furto interpellaverit iudicem, & eum cõtemnens postea sine conscientia eius aliquid dederit, vel ab eo in compositionem acceperit, pro præsumptione sua v. solidos iudici invitus exsolvat. Quòd si hoc servus sine conscientia domini sui fecerit, centum flagella suscipiat, & dominus servi nullam calumniam pertimescat. Nam si cum domini voluntate hoc fecerit, ipse dominus compositionem superiùs comprehensam compellatur exsolvere.

II.

Vt comes iudici auxilium præbeat pro comprehendendis in crimine accusatis.

QVotiens Gothus seu quislibet in crimine, aut in furto, vel aliquo scelere accusatur, ad corripiendum eum iudex insequatur. Quòd si fortè ipse iudex solum illum comprehendere, vel distringere non potest, à Comite civitatis quærat auxilium, cùm solus sibi sufficere non possit. Ipse tamen Comes illi auxilium dare non moretur, ut criminis reus insultare non possit.

III.

Si carcerem quis frangat, aut custodi persuadeat.

SI quis carcerem fregerit, aut custodi persuaserit, vel ipse carcerarius aut custos quos compeditos habuit, sine iudicis iussione aliqua fraude laxare præsumpserit, eandem pœnam vel damnum, quod ipsi rei fuerant excepturi, sustineant.

IV.

De tollendis commodis ab his, qui in custodia retinentur.

IVdex si aliquos in custodia retinuerit, vel hi qui reos capiunt aut custodiendos accipiunt, ab his quos in custodia miserint innocentes, cathenatici nomine nil requirant, nec pro absolutione eorum aliquid beneficii consequantur. Quos verò culpabiles in custodia retinuerint, per singulos quos capiunt, singulos tremisses sibi præsumere non vetentur. Si verò talis sit fortasse conditio, ut ille qui captus fuerat, ad exsolvendam compositionem relaxetur, ipse iudex eandem compositionem cogatur implere. Quæ cum ad eum, cui debetur ad integrum, ipso insistente pervenerit, pro labore suo decimum consequatur. Si quis amplius quàm nos statuimus, accipere fortasse præsumpserit, ei cui abstulit reddat in duplum.

V. ANTIQVA.

Si iudex criminibus favens criminosum absolvat.

SI iudex quolibet beneficio corruptus aliquem innocentem occiderit, simili morte dampnetur. Si verò eum qui morte dignus est criminosum absolverit, septuplum quantum pro eius absolutione acceperat, illi cui erat culpabilis, cogatur exsolvere. Et de iudiciaria potestate repulsus infamis, à sibi successore iudice distringatur, ut eum quem relaxavit præsentet in iudicio, qualiter de crimine convictus pœnam excipiat, quam meretur.

VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De dampno iudicis, criminosum indebitè absolventis.

IVdex criminoso non parcat pro patrocinio aut amicitia alicuius. Nam si favens criminibus non iudicaverit innocentem, & absolverit criminosum, non quidem moriatur aut debilitationem corporis patiatur, sed tam pro homicidio, quàm pro omni negotio, summam compositionis exsolvat.

VII. ANTIQVA.

Vt reus non in absconso, sed publicè percipiat sententiam legis.

IVdex quotiens occisurus est reum, non in secretis aut in absconsis locis, sed in conventu publicè exerceat disciplinam.

TITVLVS V. DE FALSARIIS SCRIPTVRARVM.

I. *De his qui regias auctoritates & præceptiones falsare præsumpserint.*
II. *De his qui scripturas falsas fecerint, vel falsare tentaverint.*

III. De

I.

De his qui regias auctoritates & præceptiones falsare præsumpserint.

HI qui in auctoritatibus nostris vel præceptionibus aliquid mutaverint, demerint, subtraxerint aut interposuerint, vel tempus aut diem mutaverint sive designaverint, & qui signum adulterinum sculpserint vel impresserint: persona honestior mediam partem facultatum suarum amittat, fisco modis omnibus profuturam: minor verò persona manum perdat, per quam tantum crimen admisit. Quòd si contingat illos auditores vel iudices mori, quibus audientia vel iussio destinata fuerat: aut Episcopo loci, aut alio Episcopo, vel iudicibus vicinis territorio illius, ubi iussum fuerat, negotium terminare liceat, & datam præceptionem offerre, & eorum iudicio negocium legaliter ac iustissimè ordinare.

II. FLS. CHDS. REX.

De his qui scripturas falsas fecerint, vel falsare tentaverint.

SI quis scripturam falsam fecerit, aut recitaverit, vel supposuerit sciens, vel in iudicium protulerit, & qui veram suppresserit, subtraxerit, disruperit, & designaverit, aut diluerit, & quisquis signum adulterinum sculpserit, fecerit vel impresserit, talium scelerum rei, eorumque conscii, dum fuerint publicati: si potentiores sunt, quartam partem facultatum suarum amittant. Si verò alieno iuri debitam scripturam subtraxerint aut vitiaverint, eandem scripturam subtraxisse vel vitiasse coram iudice sua professione depromant: quæ professio à testibus roborata prædictæ vel vitiatæ scripturæ robur obtineat. Quòd si evidentissimè quid scriptura continuerit, recordari non potuerit, tunc ille cuius scriptura fuit, habeat licentiam comprobare per sacramentum suum aut testem, quid ipsa scriptura continuit evidenter; & ita datum veridicè testimonium, scripturæ reparet veritatem. Si verò minor extiterit facultas eorum, quàm quod alii facere conati sunt damnum: ipsi proculdubio, cum his quæ habere videntur, eius servituti subiiciantur, cui fraudem fecisse noscuntur. De quarta verò parte, quam dari præcipimus, Principe ordinante vel iudice tres portiones ille accipiat, qui damnum pertulit, aut pati potuerit: quarta verò regiæ potestati servetur, ut quid exinde fieri debeat, in arbitrio eius consistat. Humiliores sanè vilioresque personæ, qui talia detecti fuerint commisisse, & iuxta superiorem ordinem conscribere debebunt professionem, & perpetuò cui fraudem fecerint, addicantur ad servitutem. Insuper autem tam humiles, quàm potentes personæ, centenis flagellorum erunt verberibus coërcendæ. Quòd si servi hoc fecerint, & eos alieni

iuris esse patuerit, illis consignentur perenniter servituri, quibus scripturam subtraxisse, aut cœlasse, vel læsisse, fuerint approbati. Quòd si iubentibus dominis suis talia fecerint, omne damnum redundet ad dominum. Ita etiam & de his præcipimus observari, qui lucro suo studentes, aliena testamenta vel alias scripturas suppresserint aut vitiaverint, ut his quibus competunt, impedire aliquid possint: & hi similiter tanquam falsarii teneantur, & iuxta qualitatem personæ superiori damno mulctentur. Quòd si de suprà taxatis capitulis nil videatur accidere, id est, qui scripturam alterius repperiatur vitiasse, disrupisse, falsasse, cœlasse, vel si quid in hac lege constitutum est, admisisse: sed sola negligentia, casu atque incuria, suam quisque perdiderit scripturam, vel sibi dixerit fuisse ablatam; si testis qui in eadem scriptura subscripsit, adhuc superstes existit, per ipsum poterit coram iudice omnis ordo scripturæ perditæ reparari. Quòd si testem ipsum, qui in ea scriptura subscriptor accessit, mortuum esse contigerit; tunc si legitimi & cognitiores reperti fuerint alii testes, qui eandem scripturam se dicant vidisse, & omnem textum vel firmitatem eiusdem scripturæ plenissimè nosse, similiter publica iudicum investigatione, per eorum testimonium ille qui scripturam perdidit, poterit suum reparare, & percipere veritatem.

III.

De his qui sub nomine Regis aut iudicis commonitoria falsa sive finxerint siue detulerint.

QVi falsa commonitoria sub nomine Regis sive iudicis nesciens protulerit, non incurrat falsitatis invidiam, sed eum qui commonitorium dedecrit, non moretur ostendere. Quòd si eum noluerit nominare, aut quod ab eo commonitorium acceperit, noluerit approbare, pro qualitate personæ, ipse reatum falsitatis incurrat, sicut superiùs continetur de his, qui falsas scripturas confecerint. Quòd si ambo falsitatis conscii habeantur, ambo falsarii teneantur.

IV.

De his qui testamentum contra viventis voluntatem aperuerint.

QVi viventis testamentum, aut ordinationis eius quamcunq; scripturam, contra ipsius falsaverit vel aperuerit voluntatem, ut falsarius iudicetur.

V.

De his qui voluntatem defuncti cœlare vel falsare tentaverint.

QVi defuncti cœlaverit voluntatem, aut in eadem aliquid falsitatis intulerit, lucrum quod forsitan iudicio testatoris per ipsam scripturam fuerat habiturus amittat, illis quibus fraudem facere conatus est profuturum, & insuper pro falsitate ferat infamiam. Nam si parvam aut nullam rem exinde consequi potuisset, ut falsarius condemnetur.

VI. Si

VI.

Si quisque sibi nomen falsum imponat, aut parentes vel genus mutet.

QVi sibi nomen falsum imponit, vel genus mutat, aut parentes finxerit, aut aliquam imposturam fecerit, reus falsitatis habeatur.

VII. FLS. CHDS. REX.

De callidè & fraudulenter anterioribus scripturis confectis.

QVorundam sæpe calliditas exigit, ut novæ sanctionis constituamus edictum, dum eorum nova & abhorrenda fraudis molimina in aliorum deceptionem concinnata cognoscimus. Proinde, quia sunt plerique tanto alios circumveniendi studio dediti, ut sub unius causæ nomine in multis capitulis per scripturæ seriem interdum aliquos obligent, huius perpetim valituræ legis constitutione decernimus: ut quicunque cum alio de negotio speciali definiens, generalem scriptis constitutionem subintroduxerit, atq; ita circumvenerit aliquem: ut dum de una causa fit convenientia, callidè per scripturam intexat, unde omnem de aliis negotiis alterius vocem extinguat: vel etiam fortasse proveniat, ut non quidem per scripturam, sed sub aliis verbis aliud simulans, quicunq; aliquem dolosè ac fraudulenter in quocunque decipiat: huius rei præsumptor, & publicè notetur infamia, & ei quem circumvenerit manens obnoxius, eandem quæ de falsariis lata est, censuram legis incurrat. Simili quoque dampno vel pœna multandi sunt, qui propter evacuandam fraudulenter posteriorem scripturam, per anteriorem scripturæ seriem res easdem, quas posterior scriptura continet, in alterius nomine callidè obligasse repperiuntur. Ita ut tam ille, qui sub hac fraude talem scripturam fecisse detegitur, quàm ille in cuius nomine factam fuisse constiterit, si conscius fraudis huius invenitur, eadem, qua suprà taxatum est, & in rebus & in corpore iactura dampnetur; & evacuata priori scriptura, firma nihilominus posterior habeatur.

VIII. FLS. CHDS. REX.

De callidè & fraudulenter posterioribus scripturis confectis.

NOn immeritò cogitur debitum heredis exsolvere, qui successor hereditatis noscitur extitisse. Quia ergo nullius fraudis necesse est occasionibus excusari, huius perpetim valituræ legis sanctione censemus: ut quicunque cuilibet per cuiuscunque scripturæ contractum res quascunque dederit, quæ tamen repperiantur quandoquidem, aut non eius iuris fuisse qui dedit, aut id quod dedisse videtur, per priorem scripturam, aut quamcunque definitionem, in cuiuscunque priùs nomine obligasse, & sub quodam argumento id postmodum alteri dedisse, aut quod suum non erat, aut iam priùs alteri dederat, dum fraudis huius commentum manifestè patuerit: ipse quidem qui fecit, si superstes est, & promissionem & pœnam, quam ab eo edita scriptura testatur, supplere cogendus est. Si verò post eius obitum eadem, quæ prædicta est, fraus inveniri potuerit, id quod auctor spopondit de re eius, aut heredes cum pœna etiam scripturæ compellendi sunt petenti per-

solvere. Aut si fortasse maior est auctoris sponsio vel pœna per scripturam taxata, quàm esse constat eius hereditas, si noluerint heredes satisfacere pro auctore, de eo saltim quod ex rebus eius possident, cogendi sunt causidico facere cessionem. Quòd si heredes non sint, ab iis quibus res ipsa vel facultas, quæ relicta est, possessa fuerit, universa reddi iuxta præsentē sententiam oportebit. Eadem etiam in causis talibus ratione servata, ut si repertum fuerit, conscio illo eandem fraudem intercessisse, in cuius nomine prior scriptura conscripta dinoscitur, tam ille qui fecit, quàm ille qui conscius extitit, ad satisfactionem promissionis vel pœnæ, quam posterior scriptura continet, secundum superiorem ordinem æqualiter teneantur: atque etiam iuxta tenorem superioris legis, de his qui falsas scripturas confecerint, in corporibus & in rebus dampna pariter sortiantur.

TITVLVS VI. DE FALSARIIS METALLORVM.

I. ANTIQVA.

De torquendis servis in capite dominorum pro corruptione monetæ: & eorum mercede, qui visi extiterint revelasse.

SEruos torqueri pro falsa moneta in capite domini dominæve non vetamus, ut eorum tormentis veritas faciliùs possit inveniri. Ita ut si servus alienus hoc prodiderit, & quod prodiderit verum extiterit, si dominus eius voluerit, manumittatur, & domino eius à fisco precium detur: si autem noluerit, eidem servo à fisco tres auri unciæ dentur. Si verò ingenuus fuerit, sex uncias auri pro revelata veritate merebitur.

II. FLS. GLS. RCDS. REX.

De his qui solidos aut monetam adulteraverint.

QVi solidos adulteraverit, circumciderit sive raserit, ubi primùm hoc iudex agnoverit, statim eum comprehendat: & si servus fuerit, eidem dextram manum abscindat. Qui si postea in talibus causis fuerit inventus, Regis præsentiæ destinetur, ut eius arbitrio super eum sententia depromatur. Quòd si hoc iudex facere distulerit, ipse de rerum suarum bonis quartam partem amittat, quæ omnimodis fisco proficiat. Quòd si ingenuus sit qui hæc faciat, bona eius ex medietate fiscus acquirat: humilior verò statum ingenuitatis suæ perdat, cui Rex iusserit, servitio deputandus. Qui autem falsam monetam sculpserit sive formaverit, quæcunque persona sit, simili sententiæ & pœnæ subiacebit.

III. ANT.

III. ANTIQVA.

De his qui acceptum aurum alterius metalli permixtione corruperint.

QVi aurum ad facienda ornamenta susceperit, & adulteraverit, sive æris aut argenti, vel cuiuscunque vilioris metalli permixtione corruperit, pro fure teneatur.

VI. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si quorumcunque metallorum fabri de rebus creditis repperiantur aliquid subtraxisse.

AVrifices, argentarii, vel quicunque artifices, si de rebus sibi commissis aut traditis aliquid subtraxerint, pro fure teneantur.

V. ANTIQVA.

Vt aureum solidum integri ponderis nemo recuset.

SOlidum aureum integri ponderis, cuiuscunque monetæ sit, si adulterinus non fuerit, nullus ausus sit recusare, nec pro eius commutatione aliquid monetæ requirere, propter hoc quòd minus fortè pensaverit. Qui contra hoc fecerit, & solidum aureum sine ulla fraude pensantem accipere noluerit, aut petierit pro eius commutatione mercedem, districtus à iudice, ei cui solidum recusaverit, tres solidos cogatur exsolvere. Ita quoque & de tremisse servandum.

LEGIS VVISIGOTHORVM LIBER OCTAVVS,

QVI EST DE INLATIS VIOLENTIIS ET DAMPNIS.

CAPITVLA TITVLI PRIMI DE INVASIONIBVS ET DIREPTIONIBVS.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

Vt solus patronus vel dominus culpabiles habeantur, si eisdem iubentibus ingenuus vel servus inlicita operentur.

HOc principaliter generali sanctione censetur, ut omnis ingenuus, atque etiam libertus aut servus, si quodcunque inlicitum iubente patrono vel domino suo fecisse cognoscitur, ad omnem satisfactionem & compositionem patronus vel dominus obnoxii teneantur. Nam qui eius iussionibus obedientiam detulerunt, culpabiles haberi non poterunt, quia non suo excessu, sed maioris imperio id commisisse probantur.

II. ANT.

II. ANTIQVA.

Si possessor per violentiam expellatur.

QVicunque violenter expulerit possidentem, priusquam pro ipso iudicis sententia procedat, si causam meliorem habuerit, ipsam causam de qua agitur perdat. Ille verò qui violentiam pertulit, universa in statu quo fuerant recipiat quæ possedit, & securus teneat. Si verò illud invasit, quod per iudicium obtinere non potuit, & causam amittat, & aliud tantum, quantum invasit, reddat expulso.

III. ANTIQVA.

Si ad faciendam cædem turba coadunetur.

QVi ad faciendam cædem turbas congregaverit, aut qui seditionem alteri, unde contumeliam corporis sentiat, fecerit vel faciendam incitaverit, aut præceperit; mox ut iudex crimen agnoverit, eum comprehendere non moretur. Ita ut captus huius sceleris infamia notatus, extensus publicè coram iudice sexaginta flagella suscipiat, & omnes qui cum eo venerint, vel qui id fecerint, nominare cogatur. Vt si in eius patrocinio non sunt, unusquisque ingenuorum L. flagella suscipiant: servi autem huius criminis socii, si alterius domini sunt, singuli in conventu publico, ad aliorum terrorem extensi, coram iudice CC. ictus accipiant flagellorum.

IV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si intra domum vel ianuam suam violenter aliquis includatur.

QVicunque dominum vel dominam intra domum, vel cortis suæ ianuam violenter incluserit, eisque aditum egressionis negaverit, sive ut id fieret aliis præceperit, pro ausi temeritate auctor sceleris det domino vel dominæ auri solidos numero XXX. & insuper centum flagella suscipiat. Hi verò qui malis voluntatibus eius consenserint, auxiliúmve ut hoc fieret præstiterint, si in eius patrocinio non sunt, singuli ingenuorum quindenos solidos illis, quibus violentiam intulerunt, cogantur inferre, & pro admissi præsumptione centena flagella suscipiant. Servi autem si id domino vel domina non iubente commiserint, ducentos ictus accipiant flagellorum. Si verò ita dominus vel domina à violento vel præsumptore extra suam domum vel ianuam excludatur, ut continuò, quod est gravius, potestas eius ab ea domo, vel familia, cæterisque rebus auferatur, commissor sceleris damnum invasionis incurrat, atque etiam centum ictus accipiat flagellorum. Ingenui autem huius criminis socii si in eius patrocinio non sunt, centum flagella suscipiant, & singuli XXX. solidos cogantur exsolvere, illis proculdubio profuturos, quibus hanc iniuriam intulisse noscuntur. Quòd si hoc servi ignorantibus dominis sua sponte commiserint, servi pœnam sustineant superiùs comprehensam, domini verò nihil iniuriæ vel detrimenti perferant. Idipsum etiam patiantur, qui domum alienam sua auctoritate, sine Regis vel iudicis iussione, apprehendere, describere, aut obsignare præsumpserint.

V. FLS. GLS. RCDS. REX.

Vt nulla res ab alio possessa absque iudicio usurpetur.

NVllus Comes, vicarius, villicus, præpositus, actor aut procurator, seu quilibet ingenuus, atque etiam libertus, aut servus, rem quæ ab alio possidetur, post nomen regiæ potestatis, vel dominorum suorum, ausu usurpare præsumat ante iudicium. Quòd si non expectata discussione id quod ab alio possidetur, aut iuris alterius esse dignoscitur, invaserit, omne quod abstulit & præsumptuosus invasit, tam in mancipiis quàm in ceteris rebus, in duplum ei restituat, de cuius iure visus est abstulisse; ac singulorum annorum fruges, quas inde fideliter collegisse iuraverit, petitori compellatur exsolvere. Et tamen si servus absque domini voluntate hoc fecerit, CC. insuper extensus flagella suscipiat. Ita ut si dominus pro rei duplatione noluerit satisfacere, rem quæ ablata est in eo statu cum frugibus restituat, & eundem servum pro facti temeritate insistente iudice ei, cuius res invasit vel abstulit, serviturum tradere non desistat. Omnimodis tamen erit sollicitè perquirendum, ne qualibet suasione, vel fraudis alicuius commento, idem servus cum illius domini voluntate hoc fecerit, cuius rem ablatam esse constiterit: & si ita reppertum fuerit, iuxta legem aliam dominus qui suasit, vel malum fieri fraudulenter permisit, quantum servus tulerat, septuplum dominus rei domino servi persolvat, & servum suum dominus eius securus possideat.

VI. ANTIQVA.

Si ad diripiendum quisque alios invitasse repperiatur.

SI quis ad diripiendum alios invitaverit, ut cuiuscunque rem evertant, aut pecora vel animalia quæcunque diripiant, illi cuius res direpta est, in decuplum quæ sublata sunt restituantur. Hi verò qui cum ipso fuerint, si ingenui sunt, quinos solidos componere compellantur. Aut si non habuerint unde componant, L. flagella suscipiant. Si verò servi hoc sine domini voluntate commiserint, CL. flagellis verberentur, & ab eis res omnis in statu suo reddatur.

VII. ANTIQVA.

Ne absente domino, vel in expeditione publica constituto, cuiuscunquam domus inquietetur.

NVllus domum inquietet absentis, nec in expeditione publica constituti: & si quod per iudicium recipere potuisset, absente eo quem fuerat conventurus, invaserit, reddat in duplum: si verò invaserit, quod per nullum iudicium ei debebatur, reddat in triplum. Si quis autem antequam in expeditionem proficiscatur, ad negotium dicendum iudicis fuerit ammonitione conventus, aut per se causam dicere non moretur, aut per mandati scripturam personam eligat, quæ adversario suo iudice præsente respondeat. Quòd si nec mandatum dederit, nec respondere voluerit, & sic in expeditionem profectus causam non dixerit, postquàm fuerit conventus à iudice, iudex adversario suo, quæ repetebat, iubeat reformari. Illi tamen dum reversus fuerit, actio reservetur.

VIII FLAVIVS

VIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si aliquid inlicitum faciant servi eius, qui in expeditione est publica constitutus.

SI illius servi, qui in publica expeditione est constitutus, in aliquo crimine aut inlicito facto præventi extiterint vel detecti, à iudice corripiantur, & secundum legem iuxta qualitatem culpæ dampnentur. Quòd si res ad componendum, & ad eosdem servos tradendos fuerit, in custodia teneantur à iudice, donec dominus veniens, aut compositionem, si voluerit, adimpleat: aut si noluerit, eos evidentiùs tradat. Si verò servus iniustè occisus fuerit, aut subditus quæstioni, contra iudicem dominus servi, cum reversus fuerit, causam dicere non vetetur.

IX. ANTIQVA.

De his qui in expeditionem euntes, aliquid auferre & deprædari præsumunt.

QVi in expeditionem vadunt, quæ abstulerint quadrupli satisfactione restituant. Quòd si non habuerint unde componant, rem sumptam reddant, & CL. flagella suscipiant. Quòd si non iubentibus dominis servi hoc fecerint, rem ablatam in statu reforment, & CC. flagella extensi sustineant. Cuius rei exactionem, provinciarum Comites, vel iudices, aut villici studio suo non morentur impendere: quia provincias nostras non volumus hostili prædatione vastari.

X. ANTIQVA.

Vt socios nominet, apud quem pars rapinæ inventa agnoscitur.

APud quem scelus aut pars rapinæ fuerit inventa, statim socios suos cogatur nominare: quòd si nominare noluerit, teneatur ad vindictam. Quòd si honestioris loci persona est, aut pro scelere rationem reddat, aut quæ ablata vel eversa fuerint, undecupli compositione restituat, & C. publicè flagella suscipiat. Si certè apud servum rapinæ pars repperitur, CC. flagella publicè extensus suscipiat, & socios suos nominare non differat.

XI. ANTIQVA.

De his qui diripienda indicare repperiuntur.

QVicunque ingenuus vel servus aliqua diripienda indicaverit, ut cuiuscunque res evertatur, aut pecora vel iumenta diripiantur, & ex hoc certis probationibus publicè convictus invenitur, pro eo quod indicaverit, centum flagella publicè extensus accipiat.

XII. ANTIQVA.

De his qui itineranti, vel in opere rustico constituto, aliquid abstulerint, vel molestiam inferre præsumpserint.

QVi in itinere vel in opere rustico constituto, aliquid violenter intulerit vel abstulerit, ubi ex hoc à iudice fuerit interpellatum, ille qui abstule-

rit, quadruplum restituat. Quòd si aliud aliquid cædis vel dampni fecerit, legaliter satisfaciat. Quòd si hoc servus domino nesciente commiserit, & centum flagella suscipiat, & dominus pro servo compositionem exsolvat. Nam si dominus componere noluerit, servum tradere non moretur.

XIII. ANTIQVA.

Si ille qui diripit, in ipsa direptione morte necetur.

QVi aliena diripit, si in ipsa direptione percussus aut occisus fuerit, ille qui percussit, nullam calumpniam patiatur.

TITVLVS II. DE INCENDIIS ET INCENSORIBVS.

I.

De his qui sive in civitate, sive extra civitatem, domibus immiserint ignem.

QVi alienæ domui in civitate ignem supposuerit, correptus à iudice ignibus deputetur, & de bonis eius domino domus, si tamen aliquid dampni pertulerit, componatur, ac precium domus reddatur incensæ. Sed ille cuius domus incensa est, coram testibus, quantos statuerit sententia iudicantis, præbeat sacramentum, se fideliter quod in domo sua habuit profiteri, nec plùs quàm illic conditum fuerat postulare, nec domus suæ precium ampliùs taxare, quàm valuit. Et si post datum sacramentum aliquid fefellisse convincitur, in duplum, quæ sunt supra modum debitæ compositionis exacta, illi cogatur inferre, qui compositionem exsolverat. Quòd si in domũ, sicut superiùs diximus, ignis immissus ad proximas domos fortè transierit, iuxta modum dampni inter eos etiam, qui domos vel res suas incendio perdiderunt, eius substantia dividatur: si tamen post compositionem illius, in cuius domum ignem misit, impletam, aliquid de facultatibus eius cognoscitur residuum esse, ita ut simili modo coram testibus sacramento defendant, se non amplius repetere, quàm incendio perdiderunt. Et si post datum sacramentum periurasse noscuntur, hæc quæ amplius exegerint, in duplum ei, quem fraudulenta ambitione dampnare voluerant, cogantur exsolvere. Qui verò extra civitatem in domum mittit incendium, omnia quæ sunt in domo incensa restituat, & precium domino domus reddere non moretur: sed is cuius domus incensa est, coram testibus iurisiurandi interpositione confirmet, se non amplius postulare, quàm perdiderat: & si post datum sacramentum amplius quàm perdiderat exegisse dinoscitur, in duplum ei, qui damnum sustinuit, coactus exsolvat. Quòd si etiam vicinæ domus ex eo, quod immissum est incendium, fortè consumptæ sunt, si de bonis eius superfuerit, unde eis etiam componatur, hi quoque amissa recipiant. Priùs tamen cum sacramento coram testibus profiteantur, se non amplius quàm

perdi-

perdiderant postulare: & si periurasse nôscantur, aut amplius exegisse, in duplum ei, quem tali fraude dampnaverint, malè exacta restituant. Ita ut pro correptione, qui domum incenderat, c. flagella suscipiat: & quicunque tale dampnum admittens non habuerit unde componat, servituti subiaceat. Si certè cuiuscunque servus, sive in civitatem, seu extra civitatem incendium intulisse cognoscitur, dominus, si servum tam nocentis admissi voluerit liberare à supplicio, pro eius crimine non moretur componere. Ita ut ipse servus publicè cc. ictus accipiat flagellorum: sed ille, cuius domus incensa est, iurare cogatur, se amplius non repetere, quam in domo eius flamma consumpsit. Et si componere dominus pro servo noluerit, tradatur servus ad poenam, ut supplicio capitali admissa persolvat.

II. ANTIQVA.

Si ignis immittatur in sylvam.

SI quis qualemcunque sylvam incenderit alienam, sive piceas arbores, vel caricas, hoc est ficus, aut cuiuslibet generis arbores cremaverit, correptus à iudice centum flagella suscipiat, & pro damno satisfaciat, sicut ab his qui inspexerint fuerit æstimatum. Quòd si servus hoc domino nesciente commiserit, CL. flagellorum verberibus addicetur. Et si pro eo dominus componere noluerit, cùm duplum aut triplum dampni fecerit, quàm quod eundem servum valere constiterit, ipsum servum pro facto tradere non moretur.

III. ANTIQVA.

Si dum iter agitur, ignis longiùs dilabatur.

QVi in itinere constitutus cuiuscunque forsitan campo applicaverit, & ad coquendum cibum, aut frigoris necessitate compulsus ignem fecerit, cautus sit ne ignis longiùs dilabatur. Aut si in spinis, sive in pabulis siccis, in quibus plerumque flamma nutritur, incendium convalescat, ignem cum crescit, extinguat. Quòd si se longiùs flamma extenderit, & messis, aut area, vel vinea, aut domus, sive pomarium incendio concremetur, tantum quantum flamma consumpsit, reddere vel componere compellatur: quia ignem quem fecerat, neglexit extinguere.

TITVLVS III. DE DAMNIS ARBORVM, HORTORVM ET FRVGVM QVARVMCVNQVE.

I. ANTIQVA.
De compositione arborum incisarum.

SI quis inscio domino alienam arborem inciderit: si pomifera est, det solidos III. si oliva, det solidos V. si glandifera maior est, det solidos II. si minor est, det solidum unum. Si verò alterius sunt generis & maiores atque prolixiores, binos solidos reddat, quia licet non habeant fructum, ad multa tamen commoda utilitatis præparant usum. Et hæc quidem compositio erit, si tantundem abscisæ fuerint. Nam si præsumptivè incisæ alicubi ferantur: aut similes arbores cum illis incisis dabuntur, aut prædictum precium duplo solvetur.

II. ANTIQVA.
Si hortum quis vastauerit alienum.

SI quis alienum hortum vastaverit, statim iuxta damni æstimationem à iudice coactus domino horti cogatur exsolvere. Ita ut si servus hoc fecerit, super compositionem ipsius damni, L. flagella extensus accipiat.

III. ANTIQVA.
Si de incisæ arboris ruina debilitatio vel homicidium perpetretur.

SI quis arborem inciderit, vel aliquid dampni fecerit, aut si dum cadit arbor aliquem occiderit, dampnum qui incidit, persolvat. Quòd si in circuitu arboris homines fuerint, priusquam cadat arbor, admoneat. Et si de ramis arboris corruentis, postea quàm commonuerit, aliquis debilitatus aut mortuus fuerit, nullam ille qui arborem incidit, calumniam pertimescat. Certè si aut debilem, aut dormientem, aut senem, aut qui sibi cavere non potuit, aut pecudem fortasse ruina huius arboris debilitaverit vel occiderit, pro quadrupede uno, domino alium eiusdem meriti mox reformet, & pro occiso homine tanquam homicida teneatur: pro debilitato verò iuxta formam legum satisfacere compellatur. Et si aliquis alienam arborem inciderit per violentiam, componere non moretur. Quòd si dominus arboris incisorem fuerit contestatus, & postea incisor fuerit, dum incidit, occisus, mors eius nullatenus requiratur.

IV. ANTIQVA.

Si arbor ex parte incisa, sive combusta, dampna concutiat.

SI arbor ex parte incisa sit, aut ex aliqua parte igne combusta, & illo qui inciderat, vel incendere cœperat, absente arbor ceciderit, nulla ei pro dampno, quod per ruinam arboris factum est, calumnia moveatur.

V. ANTIQVA. NOVITERQVE EMENDATA.

De vinea incisa vel evulsa sive concremata, atque de frugibus usurpatis.

QVi vineam inciderit, eradicaverit, vel incenderit alienam, aut in desertum produxerit, duas æqualis meriti vineas, domino eius vineæ reformare cogatur, & præterea dominus vineæ illius desertæ hanc ad usum suum revocare non dubitet. Si verò per violentiam fruges collegerit, & frugem in duplo restituat, & quidquid evertit, redintegrare procuret; ita tamen, ut cum sacramento colligentium per tempus vindemiarum duplam ipsius frugis compositionem restituat. Servi verò sine dominorum iussu talia facientes per singulas vites decena flagella extensi accipiant, & fruges domino restituant: aut si dominus componere noluerit, per sex vites solidum reddant. Quòd si maius dampnum creverit, & dominus componere noluerit, servum tradere festinabit.

VI. ANTIQVA.

Si sepes incidatur vel incendatur.

SI quis per aliquod spatium sepes incenderit, vel inciderit alienas, si maioris loci persona est, sepes reparet, & pro damno satisfaciat. Si quid tamen dampni domino de fructibus accidisse cognoscitur, & dampnum solvat sicut inspectio habuerit æstimantium, & præterea decem solidos reddat. Sed & de eodem campo, qui fructus habet vel habuit, & de prato sive de concluso v. solidos compellatur exsolvere. De eo verò campo, in quo nulli fructus sepibus claudebantur, sepem tantummodo reformare cogatur. Si vera hoc persona inferior fecerit, solvat dampnum de æstimatis fructibus, ac sepem reparet, & L. flagella publicè suscipiat. Quòd si servus hoc domino nesciente fecerit, & dampnum solvat, & sepem reparet, & centum flagella suscipiat. Quòd si de casu factum fuerit, sepem tantummodo reformet, quæ collisa est. Quia crimen videri non potest, quod non est ex voluntate commissum.

VII. ANTIQVA.

Si pali de sepibus incidantur.

QVi de sepibus palos inciderit vel incenderit alienis, cùm campus ille fructus ullos eo tempore non habuerit, in quadruplum reformare cogatur. Si autem fructus aliqui de his sepibus claudebantur, per singulos palos singulos tremisses compellatur exsolvere: ita ut ex fructibus si aliquid perierit, ex integro reformetur. Eadem & de hortis sepe conclusis præcipimus custodiri.

VIII. ANTIQVA.

Si in aliena sylva quis cum vehiculo capiatur.

SI quis aliquem comprehenderit, dum de sylva sua cum vehiculo vadit, & circulos ad cupas, aut quæcunque ligna, sine domini iussione aut permissione asportare præsumpserit, & boves & vehiculum alienæ sylvæ præsumptor amittat, & quæ dominus sylvæ cum fure aut violento comprehenderit, indubitanter obtineat.

IX. ANTIQVA.

Si loca fructifera vel pascuosa nimia angustia coartentur.

SI quis cum frugibus vineam, pratum vel pascua habere cognoscitur, & fossas per circuitum pro solo terrore constituat, ut non nisi per vineam aut messem transitus esse possit, dampnum quod viator intulerit, ad viatoris culpam redundare non convenit. Campos autem vacantes si quis fossis cinxerit, iter agentes non hæc signa deterreant, nec aliquis eos de his pascuis præsumat expellere.

X. ANTIQVA.

De animalibus voluntariè in messem vel in vineam missis.

QVi iumenta, vel boves, aut quæcunque pecora voluntariè in vineam vel messem immiserit alienam, dampnum quod fuerit æstimatum, cogatur exsolvere. Et si maior persona est, pro caballis aut bubus per singula capita singulos sólidos reddat: per minora verò capita singulos tremisses ei, cui dampnum factum est, compellatur exsolvere. Certè si inferior est fortè persona, & dampnum ex integro reddat, & compositionem ex medietate restituat, atque quadraginta flagella publicè extensus accipiat. Si verò servus hoc sine iussu domini fecerit, omne dampnum aut ipse aut eius dominus reddat, & ipse servus sexaginta flagella suscipiat.

XI. ANTIQVA.

Si cuiuslibet animalia in frugibus dampna concutiant.

SI cuiuslibet qualiacunque animalia vineam vel messem everterint alienam, ille cuius animalia dampnum intulerint, tantum vineæ vel agri cum frugibus eius meriti domino de suo restituere non moretur, quantum exterminatum esse cognoscitur: ita ut collectis frugibus ille recipiat, qui dedisse videtur. Quod si non habuerit agrum aut vineam unde componat, tantum de frugibus reddat, quantum in æquali parte agri vel vineæ fuerit æstimatum.

XII. ANTIQVA.

Si pratum defensum à pecoribus naufragetur.

QVi in pratum eo tempore quo defenditur, pecora miserit, ut postmodum ad secandum non possit herba succrescere: si servus est, qui hoc fecerit,

fecerit, XL. ictus flagellorum accipiat, & fœnum reddatur domino eius, quãtum fuerit æstimatum. Si liber & inferioris loci persona est, pro duobus capitibus tremissem unum reddat, fœnum nihilominus iuxta æstimationem ei qui dampnum pertulit redditurus. Si verò maior persona est, pro duobus capitibus solidum unum reddat, & fœnum habita æstimatione restituat.

XIII. ANTIQVA.

Si fructifera loca ab animalibus fuerint dissipata.

SI quis caballum aut pecus alienum, in vinea, messe, prato, vel horto invenerit, non expellat iratus, ne dum de dampno expellit, evertat: sed ad domum suam inclusurus adducat, & dominum caballorum vel pecorum faciat certiorem, ut præsentibus his aut vicinis eorum dampnum, quod illatum fuerit, æstimetur, & ad campum utræque partes conveniant; ut postquam dampnum inspexerint, pars campi, vel vineæ, sive prati, vel messis quæ defracta fuerat, mensuretur, & donec fructus colligantur, expectetur ut tantundem de impasto loco ei, cui dampnum intulerit, facta spatii exæquatione tradatur præsentibus testibus: & de eo loco qui eversus est, & de eo qui est integer, fructus colligantur: & quidquid minus in his locis, quæ à pecoribus eversa fuerint, reperitur, ille cuius pecora fuerint, reformare cogatur. Pecora verò, postquam ipsorum locorum spatia mensuraverint, sicut est in legibus constitutum, domino reformentur. Et si pecora, dum per iracundiam immoderationis expellit, everterit, domino pecorum dampnum simpla tantummodo satisfactione restituat, & sibi quæ debilitavit aut occidit usurpet: si tamen ut, quæ evertit, antè persolvat. Quòd si pecora per casum, non culpa, dum expelluntur, debilitentur, aut pereant, aut in sudes sive in palos, dum expelluntur, inciderint, dampnum solvatur ex medio, & quæ superioribus legibus sunt statuta permaneant.

XIV. ANTIQVA.

Si expellenti de frugibus pecora quisquam excutiat, vel de clusura furto aut violentia tollat.

SI quis expellenti de frugibus pecora excusserit: si honestior est fortè persona, det solidos V. & duplum dampnum, quod fuerit æstimatum, cogatur exsolvere. Si certè humilioris loci persona fuerit, & non habuerit unde componat, L. flagella suscipiat, & duplum dampnum exsolvere compellatur. Si verò servus hoc fecerit, ante iudicem centum ictus accipiat flagellorum, & domino eius nulla calumpnia moveatur. Quòd si de domo eius aut clusura involaverit, aut per violentiam tulerit, octo solidos qui iniuriam pertulit consequatur, & præterea duplum dampnum ille qui abstulit reddere compellatur. Si verò servus hoc fecerit, centum flagella suscipiat, & dominus eius nil dampni sustineat.

XV. ANTIQVA.

De animalibus in vinea, messe vel prato præventis.

SI quis in vinea sua, messe, prato vel horto, iumenta vel pecora invenerit aut prendiderit, statim domino pecudum ipsa aut altera die nunciaturus

includat. Quòd si dominus pecorum mittere vel venire noluerit, dampnum à vicinis, quod factum est, æstimetur, & ad satisfactionem ille, cuius pecora fuerint, iudicis exsequutione venire cogatur, & dampnum exsolvat. Si tamen probaverit aut certè iuraverit ille qui prendidit, dampnum ipsum ab ipsis animalibus factum fuisse, ille verò cuius pecora sunt, si ad æstimationem dampni aut pecora recipienda non venerit, adaquentur tantummodo, ac triduo teneantur inclusa. Et pro retentis triduo pecoribus nullam calumpniam inferre poterit, qui ad æstimationem venire neglexit. Post triduum autem animalia dimittantur, & dimissis animalibus si dominus eorum venire contempserit, pro contemptu ipso, quia inspicere noluit, iuxta æstimationem testium in duplum cogatur exsolvere. Quòd si ille cuius pecora sunt, ad eum cui dampnum factum est venerit, rogans eum ut ad æstimationem dampni accedat, ut pecora relaxentur, & ille non adquiescat, volens pecora interficere: si hoc ita fecisse convincitur, per singula capita maiora singulos solidos reddat; per minora singulos tremisses. Similiter hæc lex continet & de illis, qui ante triduum pecora clausa non publicaverint. Si autem servus hoc fecerit sine domini voluntate, centum flagella suscipiat, & dominus eius nihil dampni sustineat.

XVI.

Si priusquam expellantur animalia, de frugibus exierint.

SI iumenta vel pecora de frugibus, priusquam expellantur, exierint, ea non licet comprehendere, quia utrùm ipsa dampnum fecerint, nescitur. Nam si ea ipse cuius sunt, aut quicunque vicinus expulerit, dominus iumentorum vel pecorum æstimationem dampni implere cogatur.

XVII. ANTIQVA.

Si in frugibus suis animalia præventa quacunque aliquis detruncatione turpaverit.

SI labia pecoribus aut cæteris animalibus, vel aures, quæ in frugibus suis comprehenderit, inciderit; illa quæ deformavit obtineat, & domino pecorum alia sana & similia restituere non moretur.

TITVLVS IV. DE DAMPNIS ANIMALIVM VEL DIVERSARVM RERVM.

VIII. Si

I. ANTIQVA.

Si caballus vel animal alienum, aut de ligamine tollatur, aut extra voluntatem domini in aliquo fatigetur.

SI quis caballum alienum vel aliud animal de pedica ſiue de ligamine tulerit ſine conſcientia domini ſui, unum ſolidum ei det: & ſi per hanc occaſionem perierit, eiuſdem meriti caballum vel animal reſtituat. Quòd ſi cum aliquo ambulare coëgerit, vel laborare fecerit domino neſciente, alium æqualis meriti cum eo dare cogatur; ſi tamen ipſa aut altera die eum dominus ſuus invenerit. Quòd ſi tertia die animal inventum non fuerit, ille qui animal alienum præſumpſerit, pro fure teneatur.

II. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si præstitum animal contra definitionem & voluntatem domini fatigetur.

QVicunque citra voluntatem eius qui præstitit animal supra definitionem cursu, oneribus, vel itinere fatigaverit, per decem millia det solidum unum. Quòd si minùs quàm decem millia fuerint, æstimato itinere pro labore æstimetur & compositio dampni. Nam si debilitatus & mortuus fuerit, debilem sibi habeat, & similem reddat: pro mortuo verò vivum talem sine excusatione restituat.

III. ANTIQVA.

Si caballi aut cuiuscunque animalis coma vel cauda turpetur.

SI quis alieni caballi comam turpaverit, aut caudam curtaverit, eiusdem meriti alium cum eo sine dilatione domino restituat. Si verò alterum qualecunque animal curtaverit, per singula capita singulos trientes reddere compellatur.

IV. ANTIQVA.

Si alienum animal testiculis desecetur.

QVi alienum animal, aut quemcunque quadrupedem, qui ad stadium fortasse servatur, invito domino vel nesciente castraverit: vel bovem, vel quæ non secantur castraverit, domino in duplum cogatur exsolvere: quia propter invidiam hoc videtur intulisse dispendium.

V. ANTIQVA.

Si iumenti partus excutiatur.

SI quis quocunque pacto partum equæ prægnantis excusserit, pulletrum anniculum illi, cuius fuerit, mox reformet.

VI. ANTIQVA.

Si cuiuscunque animalis partus excutiatur.

SI quis vaccam prægnantem avortare fecerit alienam, talem aliam cum vitulo domino reformare cogatur, & illam cui partum excusserit, ipse accipiat: hæc de aliis quadrupedibus forma servetur.

VII. ANTIQVA.

Si qualiacunque animalia abinvicem evertantur.

SI cuiuslibet iumenta, vel armenta, aut alia pecora se invicem forte collìserint vel occiderint, dominus iumenti vel aliorum animalium eiusdem meriti domino reddat, & illud debilitatum sive occisum sibi obtineat.

VIII. ANT.

VIII. ANTIQVA.

Si dampno vel iniuria impellente, aut sine dampno, alienum animal occidatur.

SI quis alienum animal occidisse aut vulnerasse convincitur, non dampno qualicunque compulsus, alium eiusdem meriti reformare cogatur. Et si servus est, L. flagella suscipiat: ingenuus verò quinque solidos det. Nam si eundẽ dampni commovit iniuria, ut eum occideret aut debilitaret, pretium pecudis aut animalis reddatur occisi vel debilitati, & nihil patiatur iniuriæ.

IX. ANTIQVA.

Si bos alienus sine domini voluntate operibus subiugetur.

SI quis bovem alienum iunxerit sine conscientia domini sui ad aliquid caricandum, sive pro voluntate sua retinendum, eiusdem meriti cum eo alium domino reddat.

X. ANTIQVA

Si qualiacunque animalia aliena trituris areæ fatigentur.

SI quis caballum aut aliud quodcunque animal alienum in aream miserit, per singula capita singulos solidos reddat: & si per hanc occasionem animal mortuum fuerit, solidum reddat, & eiusdem meriti animal domino cogatur exsolvere.

XI. ANTIQVA

Si pecus absque dampno in clusuram mittatur.

QVi absque aliquo dampno inclusum pecus detinuerit alienum, si servus hoc nesciente domino fecerit, tantummodo quadraginta ictus accipiat flagellorum. Si ingenuus fuerit, per duo capita tremissem unum, ei cuius pecus inclusum est, cogatur exsolvere. Quòd si ex ipsis pecoribus aliquid debilitatum aut mortuum fuerit, iuxta superiorem legem compositio fiat.

XII. ANTIQVA.

Si animal cuicunque faciat quodcunque dampnosum.

SI cuiuscunque quadrupes aliquid fecerit fortasse dampnosum, in domini potestate consistat, utrum quadrupedem noxium tradat, an ei qui dampnum pertulit, & aliquid excepit adversi, iuxta iudicis æstimationem componat.

XIII. ANTIQVA.

Si quodcunque animal quacunque percussione debilitetur aut occidatur.

SI quis alienum iumentum percusserit, ita ut debile efficiatur, aut de ipsa fortasse percussione mortuum fuerit, ille qui percussit, alium eiusdem meriti domino reformare cogatur, & illud debile suæ vindicet potestati. Quòd si iumentum non habuerit, pretium iuxta æstimationem domino iumenti

restituat. Et similis ordo, tàm de caballo, quàm de bove, & reliquis animalibus àb omnibus observetur.

XIV. ANTIQVA.

Si pecus alienum sciente aut ignorante domino gregi alterius misceatur.

SI cuiuslibet pecora cum alicuius se miscuerint, & hoc ipse perspexerit, & sic de ipsius grege abierint, ut nullam ex hoc conscientiam habeat: dominus pecorum sacramenta ab eodem accipiat, quòd non ipsius fraude vel culpa exinde abscesserint, & nec sibi ea præsumpsit, nec alicui tradidit; & nihil cogatur exsolvere. Quòd si ad domum suam adduxerit, & iudicem non monuerit, vel in conventu publicè infra octavum diem non contestaverit, in duplum satisfaciat.

XV.

Si animali quodcunque pavidum inligetur, per quod ruptum aut debilitetur, aut moriatur.

SI quis caput mortui pecoris, aut ossa, vel aliquid unde animal terreatur, ad caudam caballi crediderit alligandum, & per hoc currendo ruptus probetur aut mortuus, alium sanum caballum domino reformare non moretur, quia legum statuta transcendit. Quòd si caballus nihil debilitatis incurrerit, quinquaginta ictus accipiat flagellorum. Si servus hoc fecerit, centum verberibus addicatur.

XVI. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si vitiosum animal, cùm apud dominum est, cuiuscunque hominem videatur ætatis occidisse.

SI quis bovem, aut taurum, vel quemcunque quadrupedem noxium habuerit aut vitiosum, eum, antequam noceat alicui, non moretur occidere. Quòd si de vitio quadrupedis ex vicinorum contestatione cognoverit, & postea eum reservaverit, aut paverit, vel distulerit occidere, ac postea alicui mortem, aut debilitationem, sive vulnus intulerit, iuxta hanc legẽ componere non moretur, sicut est de homicidiis, id est, de viris ac mulieribus, infantibus, servis vel ancillis, compositio constituta. Ita ut si iugulaverit aliquẽ ipse quadrupes in annis viginti, ccc. solidi componantur: & ab hoc usque ad eum, qui annos L. habuerit, unam compositionem iubemus stare. A quinquaginta autem annis, usque ad illum qui habet sexaginta quinque, cc. sol. componantur. Qui verò super hoc habuerit, c. sol. componantur. Qui quindecim annos habuerit, CL. sol. componantur. Si in quatuordecim annis fuerit, CLX. sol. componantur. Si in tredecim, cxxx. sol. dentur. Si in duodecim, cxx. solid. componantur. Si undecim, cx. solidos det. Si in decem, c. Si verò novem, aut octo annorum fuerit, vel septem, xc. sol. componantur. Si sex, aut quinque, aut quatuor annorum fuerit, LXXX. sol. componantur. Si certè trium aut duorum annorum, LXX. sol. det. Nam si unius anni fuerit, LX. solidi componantur. Et si filiam alicuius, aut uxorem iugulaverit, à decimoquinto anno, usque ad quadragesimum, CCL. sol. componantur; & à quadragesimo usq; ad sexagesimum, cc. sol. componantur. Quòd si superior annorum numerus

merus fuerit, c. solidi componantur. A quinto decimo verò anno aut inferiùs, sicut & de pueris est constitutum, medietatem compositionis eius, secundum ætatis vel sexus ordinem, reddere compellatur. Pro libertis autem medietas huius compositionis, sicut superiùs est comprehensum, pro eo qui occisus est, in satisfactione dabitur. Si autem servum alicuis occiderit, duos eiusdem meriti servos dominus eius qui occisus est, in satisfactione recipiat.

XVII. ANTIQVA.

Si animal vitiosum quis à se abiiciat, vel non abiectum retineat.

SI quis bovem aut aliud animal nocuum vel vitiosum habuerit, eum occidere non moretur, vel à se proiicere: ita ut vicinis omnibus notum faciat, quia eum à se proiecit. Quòd si eum non occiderit, sed reservaverit, quidquid dampni postea admiserit, ille componat, qui eum apud se reservasse cognoscitur.

XVIII. ANTIQVA.

Suæ habendum culpæ, si irritatum animal noceat irritantem.

SI quis vitiosum bovem, aut canem, vel aliud animal contra se irritatum concitaverit, quidquid passus fuerit, culpæ eius qui hoc pertulerit, oportet adscribi.

XIX. ANTIQVA.

Si iustè aut iniustè concitatus canis quempiam debilitasse vel occidisse probetur.

SI aliquem canis momorderit alicuius, & de morsu illius aliquis debilitatus probetur, aut mortuus, domino canis nil calumpniæ moveatur: si tamen eum canem ut morderet, non irritasse cognoscitur. Quòd si canem suum ut furem, aut quemcunque criminosum comprehenderet irritavit, & ita momorderit fugientē, si de morsu illius fuerit debilitatus aut mortuus, nihil ex eo causationis existat: nam si eum ad innocentē forsitan iniuriandum incitaverit, tanquam si ipse vulnus intulerit, iuxta leges componere non moretur.

XX. ANTIQVA.

De cane dampnoso.

SI cuiuslibet canis dampnosus fuerit, & devastet berbices, & alia pecora fortè evertere cœperit, & deprehensus fuerit: ipse dominus canis, ubi ex hoc fuerit commonitus, eum illi tradat, cui dampnum primitus constat fuisse inlatum, ut eum occidat. Quòd si eum occidere noluerit, vel illi tradere cui dampnum primitus fecit: quidquid postmodum canis dampni admiserit, dominus canis duplam compositionem reddere non moretur.

XXI. FLS. RCDS. REX.

De læsione vestis.

SI quis qualibet occasione vestem absciderit, vel ruperit alienam, atq; sordibus maculaverit, & talis macula in veste patuerit, ut extra fœditatē minimè tolli possit; pro facti crimine obnoxius teneatur, ita ut similem vestem

integram restituat. Quòd si talem vestem non habuerit, huius vestis pretium, quantum integra illa, quæ rupta vel scissa atque maculata est, valere potuit, tradere compellatur: vestem verò ruptam, vel quæ maculata est, ille accipiat, qui hanc compositionem exsolverit. Si verò servus hoc fecerit, & dominus pro eo componere noluerit, servum pro qualitate criminis tradere non moretur.

XXII. ANTIQVA.

Si fraudulenter quis ambulans, in laqueos feris præparatos incidat.

SI quis sudes in vinea posuerit, siue in campo propter feras, & ibi aliquis dum furtum facere temtat, inciderit, culpæ eius oportet adscribi, qui vulnus excepit, quòd in rem alienam fraudulenter ingressus est.

XXIII. ANTIQVA.

Vt qui laqueos feris ponit, & loca discernat in quibus ponat, & vicinos ammoneat.

SI quis in terris suis foveas fecerit, ut feras in eisdem foveis comprehendat, aut laqueos vel arcus prætenderit, seu balistas in locis secretis vel desertis, ubi nulla via est, quæ consueverit frequentari, nec ubi pecudum possit esse accessus: si alicuius animal, per hanc occasionem quæ ad feras paratur, extinguatur aut occidatur, pecus quod periit incautus venator exsolvat, quia quadrupes sibi ea cavere non potuit. Omnes verò proximos & vicinos venator antè commoneat: & si post commonitionem quisquam in hæc incautus irruerit, nihil ex hoc calumpniæ venatori oportet opponi: quia se ille periculo, qui commonitionem audire neglexit, obiecit. Si quis verò de locis longinquioribus veniens, qui non fuerat ante commonitus, ignorans inciderit, & fuerit debilitatus aut mortuus; hic qui feris insidias vel laqueos præparavit, tertiam partem compositionis exsolvat, quæ fuerat hactenus debilitatis hominibus vel occisis, in legibus comprehensa: quia in itinere hominibus hoc periculum nescientibus apparare non debuit.

XXIV. ANTIQVA.

De dampnis iter publicum concludentium.

SI iter publicum clausum aut constrictum sit, rumpenti sepem aut vallum nulla calamnia moveatur. Ille verò qui viam clauserat vel constrinxerat, quæ consueverat frequentari, si servus est à iudice perducatur ad sepem, & centum flagella suscipiat, & per districtionem iudicis priorem viam aperire cogatur, etiam si messis ibidem esse videatur. Si verò id fuerit à potentiore commissum, exigantur ei solidi xx. Reliquæ autem personæ talia committentes, decenos solidos exsolvere compellantur, ita ut omnis huius rei compositio fisci iuribus inferatur.

XXV. ANTIQVA.

De servando spatio iuxta vias publicas.

VIam per quam ad civitatem aut ad provincias nostras ire consuevimus, nullus præcepti nostri temerator existat, ut eam excludat vel adstringat: sed

ſed utrimque medietas aripennis libera reſervetur, ut itinerantibus applicandi ſpatium non vetetur. Si quis autem huiuſmodi legis præcepta tranſcenderit, ſi maior perſona eſt, det ſolidos quindecim: inferiores verò perſonæ octonos ſolidos ſolvant fiſco profuturos. Qui certè iuxta huiuſmodi viam meſſem, aut vineam, vel pratum, ſive concluſum habere cognoſcitur, ſepe utrumque concludat. Quòd ſi propter paupertatis anguſtiam campum ſepibus non poſſit ambire, foſſatum protendere non moretur.

XXVI. ANTIQVA.

Si de campis vacantibus iter agentium animalia expellantur.

SI aliquis de apertorum & vacantium camporum paſcuis, licet eos quiſque foſſis præcinxerit, caballos, aut boves, vel cetera animalia generis cuiuſcunque iter agentium ad domum ſuam incluſurus adduxerit, per duo capita tremiſſem cogatur exſolvere: ſi verò ut non paſcantur expulerit, per quatuor capita tremiſſem accipiat, qui excepit iniuriam. Quòd ſi hæc & quæ ſuperiùs dicta ſunt, ſervus neſciente domino commiſerit, à Comite civitatis vel à iudice centum flagellorum ictibus verberetur, & dominus ſervi nullam calumpniam aut detrimentum ſuſtineat.

XXVII. ANTIQVA.

Ne iter agentibus paſcua non concluſa vetentur.

ITer agentes in paſcuis quæ concluſa non ſunt deponere ſarcinam, & iumenta vel boves paſcere non vetentur: ita ut non in uno loco plus quam biduo, niſi hoc ab eo cuius paſcua ſunt obtinuerint, commorentur. Nec arbores maiores vel glandiferas, niſi præſtiterit ſylvæ dominus, à radice ſuccidant. Ramos autem ad paſcendos boves non prohibeantur competenter incidere.

XXVIII. ANTIQVA.

Vt qui in tranſitu fluminis culturam facit, laborem ſepe circumdet.

QVi in eo loco ubi tranſitus fluminis eſt culturam fecerit, vel præruptum ripæ, aut ubi pecora tranſeunt potuerit excludere, & fecerit fortaſſe culturas, ſepem etiam facere non moretur. Quod ſi non fecerit, & aliquid dampni fuerit per hanc negligentiæ ſuæ inutilitatem perpeſſus, nihil compoſitionis ab aliquo accipiat: quia negligentiam illius ad dampnum alterius redundare non convenit.

XXIX.

De diſcretione concludendorum fluminum.

FLumina maiora, id eſt per quæ meſoces aut alii piſces maritimi ſubriguntur, vel forſitan retia aut quæcunque commercia veniunt navium, nullus ad integrum, contra multorum commune commodum, ſuæ tantummodo utilitati conſulturus excludat, ſed uſque ad medium alveum, ubi maximus ipſius fluminis concurſus eſt, ſepem ducere non vetetur, ut alia medietas diverſorum uſibus libera relinquatur. Si quis contra hoc fecerit, excluſa ipſius à Comite civitatis aut iudice ſine aliqua excuſatione rumpatur: & ſi

honestioris loci persona est, x. solidos det illis quos impedire conatus est; si verò inferior persona fuerit, quinq; solidos det, & L. flagella suscipiat. Quòd si ab utraque parte huius fluminis duo manserint, non liceat integrum flumen excludere, ut dicat unusquisque eorum, quod medietatem suæ partis excluserit: sed alter superiùs, alter inferiùs, clusuram facere ex medietate fluminis non prohibeatur. Si verò locus non fuerit nisi tantummodo in uno transitu, sic excludatur, ut & naves & retia per medium discurrere possint. Quòd si Comes civitatis, aut aliquis cuiuscunque clusuram contra hanc ordinationem nostram evertere præsumpserit, v. solidos domino clusuræ dare debeat. Certè si minor persona hoc fecerit, quinque solidos clusuræ domino cogatur exsolvere, & L. flagella à iudice eius loci accipiat: si servus hoc fecerit, centum verberibus subiacebit.

XXX.

De confringentibus molina, & conclusiones aquarum.

SI quis molina violenter effregerit, quod fregit infra xxx. dies reparare cogatur, & insuper triginta solidos cogatur exsolvere. Quòd si infra statutum tempus non reparaverit, alios xxx. solidos implere cogatur, & centum insuper flagella suscipiat. Eadem & de stagnis quæ sunt circa molina conclusiones aquarum, præcepimus custodiri. Quòd si servus talia præsumpserit, & disrupta reparet, & centum verberibus subiaceat.

XXXI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De furantibus aquas ex discursibus alienis.

MVltarum terrarum situs si aquis indiget pluviis, foveri aquis studetur irriguis: cuius rei iam experimentum tenetur, ut si defecerit aquarum solitus usus, desperetur confisus ex fruge proventus. Proinde ubi maiores aquæ sunt, si qui furtivè aut malitiosè aquam ex decursibus subtraxerit alienis, per quatuor horarum spatium det solidum unum: ubi autem minorum sunt derivationes aquarum, per quatuor horas exsolvat tremissem unum. Aqua verò quantis horis alibi dilapsa convincetur, tantis ad irrigandum competenti tempore domino reformetur. Servus si sua sponte ista præsumpserit, pro maioribus aquis centum flagella suscipiat, pro minoribus verò L. verberum cæsionibus succumbat.

TITVLVS V. DE PASCENDIS PORCIS, ET ANIMALIBVS ERRANTIBVS DENVNTIANDIS.

VII. *Vt*

VII. *Vt errantia animalia occupata qui invenerit, diligenter habeat & conservet.*

VIII. *Ne animalia errantia occupata, aut tondeantur, aut charactere notentur, vel in alienum ius deducantur.*

I.

De porcis in glandem præsumptivè aut placitò missis.

QVi porcos in sylva sua tempore glandis invenerit, primum custodiæ aliquid velut pigneris tollat indicium, & domino pastoris vel parentibus mandet, ut si convenerit usque ad tempus decimarum, porcos in sylva sua permittat, & pignus quod pastori tulerit reformare procuret. Quòd si noluerit porcos illius in sylva sua intromittere decumandos, & ille eos alia vice in sua sylva invenerit, etiam si porci pauci fuerint, unum exinde qui sylvam suam defendit, occidat. Si autem plures porci fuerint, duos tollat & præsumat occidere, & nullam calumpniam pertimescat. Et nihilominus tertia vice eum cuius porcos invenit admoneat, ut porcos suos in sylvam suam si voluerit introducat, & decimam iuxta consuetudinem solvat. Quòd si nec tunc voluerit de dandis decimis definire, & ille eos tertia vice in sylva sua qui introduxit invenerit, decimam ex omnibus pro suo iure præsumat. Si verò aliquis sub pactione decimarum porcos in sylvam suam intromittat alienam, & usque ad brumas porci in sylva alterius paverint, decimas sine ulla contradictione persolvat. Nam si post brumæ tempus porcos suos in sylva quam conduxerat noluerit retinere, vicesimum caput, sicut est consuetudo, domino sylvæ cogatur exsolvere.

II.

De porcis inter consortes ad glandem in communi fructu susceptis.

SI inter consortes de glandibus fuerit orta contentio, pro eo quòd unus ab alio plures porcos habeat: tunc qui minùs habuerit, liceat ei secundum quod terram dividet, porcos ad glandem in portione sua suscipere, dummodo æqualis numerus ab utraque parte ponatur. Et postmodum decimas dividant, sicut & terras diviserunt.

III.

Si porci ad pastum in glande suscepti, ante datas decimas furto leventur.

SI quis ad glandem sub placito decimarum porcos in sylvam intromittit alienam, & eos occultè priusquam decimentur amoverit, pro fure teneatur, & decimam abiecta furti compositione restituat. Si verò servus hoc domino nesciente commiserit, centum ictus accipiat flagellorum: & dominus nullum dampnum aut detrimentum sustineat, sed reddat decimas quas debet. Si autem hoc domino iubente commissum est, ipse qui iussit, furti compositionem cogatur exsolvere.

IV.

De porcis errantibus in sylva præventis.

QVi porcos errantes in sylva sua invenerit, aut contestari vicinis debet, aut claudere. Et si dominus porcorum non affuerit, unum porcum prima vice præsumat, & iudici qui fuerit in proximo nunciet, apud se porcos qui vagabantur inclusos. Deinde si dominus porcorum vel pecorum non inveniatur, custodiat tanquam suos, & pro glandibus decimam consequatur: & cùm dominus affuerit mercedem custodiæ, facta præsentibus iudicibus ratione, de temporis spatio percipiat.

V. ANTIQVA.

Si quorumcunque animalium grex in pascua intraverit aliena.

SI in pascua grex alienus intraverit, sive ovium sive vaccarum, hoc quod de porcis constitutum est, præcipimus custodiri. Consortes verò vel hospites nulli calumniæ subiaceant: quia illis usum herbarum, quæ conclusæ non fuerant, constat esse communem. Qui verò sortem suam totam fortè concluserit, & aliena pascua absente domino invadit, sine pascuario non præsumat, nisi fortè dominus pascuæ voluerit.

VI.

Vt pro inventis animalibus erroneis publicè denuntietur.

CAballos vel animalia errantia liceat occupare, ita ut qui invenerit denuntiet aut Episcopo, aut Comiti, aut iudici, aut senioribus loci, aut etiam in conventu publico vicinorum: quòd si non denuntiaverit, furis dampnum habebit. Similis & de aliis rebus ordo manebit.

VII.

Vt errantia animalia occupata qui invenerit, diligenter habeat & conservet.

QVI errantia animalia & sine custode invenerit, ita diligenter occupet, ut non evertat: sed sicut proprium diligat atque custodiat. Quòd si dominus qui perdidit caballum suum vel animal, non eversum, sed dilectum & sanum invenerit, per singula capita maiora quaternas siliquas ille, qui invenerit, accipiat, & quantum in substantia ipsius caballi expendisse iuraverit, à domino caballi recipiat. Cæterùm si evertit, duplum animal domino cogatur exsolvere.

VIII.

Ne animalia errantia occupata, aut tondeantur, aut charactere notentur, vel in alienum ius deducantur.

CAballum captum errantem nullus tondere aut vendere præsumat. Caballis etiam aut bobus, vel aliis quibuslibet pecoribus errantibus nulli liceat characteres infigere. Quòd si quis inventum animal vendere aut dare præsumpserit, secundum leges sicut fur teneatur: qui verò totonderit, tres solidos compulsus exsolvat. Ita erit etiam ei, qui characterem infixerit.

TITVLVS

TITVLVS VI. DE APIBVS ET EARVM DAMPNIS.

I.

De inventis apibus defendendis.

SI quis apes in sylva sua, aut in rupibus, vel in saxo, aut in arboribus invenerit, faciat tres decurias, quæ vocantur characteres: unde potiùs non per unum characterem fraus nascatur. Et si quis contra hoc fecerit, atque alienum signatum invenerit & irruperit, duplum restituat illi cui fraus illata est, & præterea xx. flagella suscipiat.

II.

Si dampnum faciant apes.

SI quis apiaria in civitate, aut in villa forsitan construxerit, & alii dampnum intulerit, statim moneatur, ut eas in abditis locis transferre debeat, ne fortè in eodem loco hominibus aut animalibus dampnum inferant. Et qui hæc præcepta aut testationem neglexerit, & dampnum suffocationis in quadrupedes intulerit, quod mortuum fuerit, duplum restituat: quod verò debilitatum, ille obtineat, & simile dampno reddat; & pro iudicis contestatione, quam audire neglexit, v. solidos coactus exsolvat.

III.

De furatis apibus.

SI quis ingenuus in apiario furti causa fuerit comprehensus: si nihil exinde abstulerit, propter hoc quòd ibidem comprehensus est, tres solidos solvat, & L. flagella suscipiat. Cæterùm si abstulerit, novecuplum cogatur exsolvere, & prædictum numerum flagellorum excipiat. Si servus verò nihil ingrediens abstulerit, centum verberibus addicatur: quòd si abstulerit, sexcuplum reddere compellatur. Pro quo si dominus satisfacere noluerit, eum serviturum illi, qui dampna pertulit, tradat.

LEGIS VVISIGOTHORVM LIBER NONVS,

QVI EST DE FVGITIVIS ET REFVGIENTIBVS.

CAPITVLA TITVLI PRIMI DE FVGITIVIS, OCCVLTATORIBVS, FVGAMQVE PRAEVENIENTIBVS.

I. ANTIQVA.

Si ingenuus vel servus fugitivum cœlasse repperiatur.

SI quis ingenuus fugitivum cœlatum habuerit, alium paris meriti cum eodem servo domino dare cogatur. Si verò servus sine conscientia domini sui fugitivum cœlaverit, servi ambo publicè centena flagella suscipiant, dominus verò huius servi nihil damni sustineat.

II.

Si fugitivus vinctus quocunque ligamine absolvatur.

SI quis alienum servum in fuga lapsum, ferro vinctum, aut in quocunque ligamine constitutum absolverit, pro præsumptione sua qui hoc fecerit, det domino servi solidos x. Si verò non habuerit unde componat, à iudice c. flagella suscipiat, & servum requirere, ac domino restituere non moretur. Quòd si eum non potuerit invenire, servum æqualis meriti domino reddere non moretur: aut si non habuerit unde componat, ipse subiaceat servituti, illi cuius servum laxaverit addicendus. Quod si hoc servus fecerit sine domini voluntate, coram iudice c. flagella suscipiat. Et si vinctus inveniri non potuerit, servus qui solvit, tradatur in servitio domini vinculatus. Quandocunque autem, qui vinctus fuit, inventus extiterit, domino reformetur, & datus pro eo servus ad proprium dominum revertatur. Si autem conscio domino id fecerit, ipse dominus componat, sicut est de ingenuis superiùs constitutum.

III.

Infra quod tempus mancipium latens inventum iudici debeat præsentari.

SI cuiuslibet servus ad aliquem latens advenerit, statim eum præsentari iudici non differat. Quòd si eum non præsentaverit, & usq; ad octavam noctem apud eum moratus fuerit, aut si ad longinquiora loca transierit, duos eiusdem meriti servos domino cogatur exsolvere. Nam si apud eum mancipium, quod susceperat, subcœlatum inveniatur, alterum cum eo dare domino non moretur: quia inter diem legibus constitutum noluit contestari.

IV.

Si nesciens quis fugitivum susceperit humanitate concessa.

SI quis nesciens fugitivum susceperit, & ei humanitatem dederit, & non amplius ibidem fuerit quàm una die vel nocte immoratus, domino quærenti fugitivum suum præbeat sacramentum, se nescisse quòd fugeret. Aut si certè potuerit approbare, quòd fugitivum non cœlaverit, ab omni calumnia liber abscedat. Si verò ibi biduo, aut triduo, aut quatriduo, pro reparandis sumptibus, vel cuiuscunque occasionis causa præteriens, moras afferre voluerit, conventus à domino, ubi postea manserit, vel à quo humanita-

tem fugitivus susceperit, cogatur ostendere: & infra sex menses, aut inveniat fugitivum, aut eos, apud quos postea fuerit, ostendat. Quòd si non potuerit invenire, conscientiam suam ex hoc sacramento purgare debet: & apud quem novissimè venit, aut repræsentet qui fugit, aut paris meriti servum domino reddat. Et si servus postea fuerit inventus, illum quem pro eodem dederat recipiat, & ab omni calumpnia securus abscedat.

V. ANTIQVA.

Si alienum mancipium quis persuadeat ut fugiat; vel humanitatem impendat.

SI quis alieno mancipio persuaserit ut fugiat, aut ei, cùm sciret fugitivum, humanitatem dederit, aut fortè detonderit fugientem: si fugitivum poterit invenire, duos cum eodem paris meriti domino reformare cogatur. Si autem inventus non fuerit fugitivus, tres servos eiusdē meriti domino compellatur exsolvere. Eadem quoque & de ancillis præcipimus custodiri.

VI.

Si ignotus homo susceptus multis diebus apud alium commoretur.

SI apud quemcunq; quinq; aut sex dies homo ignotus aut latens moretur, ille qui eum hospitio suscepit, vel humanitatem dedit, ante diem testetur octavum iudici vel vicario proximæ civitatis aut territorii, ut secundum legem de susceptione fugitivorum, quam nuper edidimus, idem ipse qui fugit, illius qui in loco maior est interrogatione discussus, quis sit, aut propter quid venerit, possit agnosci: sicq; omnis constitutio prædictæ legis, de susceptione scilicet fugitivorum, quæ nuper à nostra gloria condita esse dinoscitur, in omnibus impleatur. In limitibus præterea provinciarum maior sollicitudo præstetur, ita ut ipsa aut altera die eius publicetur adventus. Quòd si intra hos octo dies non contestatus fuerit qui suscepit, & omnem constitutionem præmemoratæ legis implere neglexerit, & mancipium in domo sua moram amplius fecerit, alium talem cum eo domino restituat, quia noluit contestari. Si verò in fuga cœlatus evaserit, hospes requirat fugitivū: quem si non potuerit invenire, duos æqualis meriti domino cogatur exsolvere.

VII. ANTIQVA.

Si servus fugitivum sciens viam ostenderit fugiendi.

SI servus alterius fugitivum sciens viam ostenderit, si fuerit fugitivus inventus, sive etiam non potuerit inveniri, servus qui iter monstravit, tantummodo centum flagellorum ictibus verberetur, & domino eius calumnia non moveatur.

VIII. FLS. ERVIGIVS REX.

Vt ad cuius domum fugitivus advenerit, vicinis sex loci prioribus contestetur.

AD cuius domum venerit fugitivus, prioris loci illius villicus atque præpositus, quibuscunque testetur: & si eum in domum suam retinere voluerit, habeat potestatem. Quacunque hora dominus eius supervenerit, recipiat

cipiat, & nullam calumniam qui suscepit, incurrat. Quòd si se fugitivus ad alia loca transtulerit, sacramentum præsentibus illis, quibus testis est, præbere debebit, se ut fugeret non persuasisse vel præcepisse, & se ubi lateat nescire: & post hæc nullam calumpniam patiatur.

IX. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

De susceptione fugitivorum: si dominus vel servus suscipiat alterius fugitivum.

AD cuius domum transiens advenerit fugitivus, si accepta ex incognitò eleemosyna confestim alibi pertransierit, calumpnia illi, qui quasi peregrinum ad horam hospitio suscepit, moveri omnino non poterit: cum se huiusmodi susceptor sacramentis purgaverit, quia incognitum habuerit eum, cui prætereunti eleemosynam dedit. Quòd si duobus aut tribus diebus fugitivus apud alterum quolibet modo permanserit, statim ille qui eum susceperit, secundùm quod superiori lege præcipitur, ante diem octavum prioribus loci illius, iudici, villico, atq; præposito, coram idoneo teste, eum quem suscepit præsentare procuret. Sicq; interrogetur ac strenuè perquiratur à iudice, aut cuius sit servus, aut quando à domino suo fugerit, aut quando aut ubi ille, qui eum præsentat, susceperit. Sicq; tota in unum collecta atq; conscripta, iudex aut alii qui adfuerint manu sua hæc, quæ perquisita fuerint vel inventa, subscribere debeant. Ita ut & fugitivum, & hoc ipsum quod scriptis de eodem alligatum est, ille qui eum præsentavit, in potestate sua recipiat, qualiter eum infra dies octo suis dominis reddat. Quòd si dominus fugitivi longè fortasse sit positus, viginti per dies singulos millibus computatis spatio ille qui fugitivum suscepit sibi concesso in præfinito die, ubi dominum fugitivi repperit, fugitivum ipsum domino suo, aut per se aut per quem voluerit, serviturum restituat: & commodum suum, quantum lege altera constat, per triginta millia tremissem unum à domino fugitivi accipiat. Quòd si eidem, qui fugitivum susceperit, gravosum fortasse extiterit, propter terrarum longinquitatem fugitivum domino suo præsentare, saltem vel ubi vicinas possessiones domini fugitivi agnoverit, actori vel procuratori fugitivum coram legitimo teste præsentet: & accepta superioris commodi summa, securus ipse qui fugitivum suscepit, abscedat. Iam verò si fugitivum iudici præsentaverit, & à iudice perquisitus ipse qui præsentavit, cuius servus sit nullo modo dixerit; apud iudicem ipse qui eum præsentaverat, eundem fugitivum relinquat. Iudex verò sub ardua custodia eundem qui præsentatus est, infrà tempus, & iuxta modum superiùs constitutū, regiis obtutibus præsentare non differat: ut principali potestate manente manifestè quæsitus, ubi cunctorū constat adesse conventum, cognitio fugitivi per plurimos habeatur. His igitur omnibus necessaria sanctione præmissis, quicūq; deinceps fugitivum cognitum vel incognitū, non sub isto quo præmissum est ordine, aut iudici non præsentaverit, aut suo domino non reddiderit, domino fugitivi, & ipsum qui fugerit, & alium cum eo in satisfactione restituat serviturū. Quòd si fugitivus perierit, duos similes servos à susceptore dominus fugitivi

recipiat. Hoc quoque & iudex damno multabitur, si ordinem implere distulerit superiùs constitutum. Si verò servus contra voluntatem domini sui fugitivum alterius susceperit, extensus coram iudice centum flagella suscipiat, & fugitivus petenti domino mox reformetur. Quòd si idem, qui à servo susceptus est fugitivus, minimè reppertus extiterit, alium similem servum pro eo dominus servi susceptoris reddere compellendus est. Certè si dominus pro servo componere noluerit, servum ipsum tradere non moretur.

X.

Vt bis venditus servus, per fugam rediens, in libertate permaneat.

SI quis proprium servum extra provincias nostras ad alias regiones venditione transtulerit, ac postmodum servus reversus fuerit, & dominus eum iteratim venum dederit, cogatur à iudice ut eum ab emptore recipiat, & receptũ deinceps servum nullo modo inquietet, sed liber permaneat. Ipse verò qui eum ex peregrinis locis ad patriam remeantem notanda iterum cupiditate distraxerat, alium servum paris meriti priori reddat emptori: nihilominus & illi, qui postea comparavit, pretium redditurus. Sed tamen servum ex peregrinatione reversum, nec vendere prior dominus, nec servitio suo applicare præsumat, sed perenniter idem servus in libertate persistat.

XI.

Vt discutiatur mancipium fugitivum, ne propter lucrum capiendum fuerit ad domum suscipientis immissum.

MAncipium fugitivum discutiatur, ut nomen domini sui exprimat, & diligentiùs præsente iudice requiratur: ne fortè propter lucrum capiendum ad domum fuerit suscipientis immissum. Et si ita esse constiterit, dominus tantæ fraudis inventus illi, quem in crimine occultati servi implicare conatus est, damnum quod occultatoribus impositum est, ipse persolvat. Aequum enim est, ut tam nocentium insidiarum reatus in suum recurrat auctorem.

XII.

Si ingenuum se esse mentiens servus sub mercedis conditione apud alium commoretur.

SI servus fugiens ingenuum se esse dicat, & unde sit ignoretur: sicque apud quemlibet fuerit immoratus sub certa conditione mercedis, secundum superiorem legem iudici ante præsentetur & discutiatur. Et si mercenarium eum non fugitivum investigatio iudicis perquirentis invenerit: si in postmodum, apud quemlibet fuerit, inveniatur à domino, non potest tanquam reus teneri, qui nesciens fugitivum mercenarii loco susceperit. Dominus verò fugitivi, mercedem quæ placita fuerat consequatur. Quòd si servus à domino de fuga reductus iterum fugerit, & eum iteratò fugientem receperit, qui mercenarium eum antè susceperat, continuò aut iudici tradat, aut domino remittere non moretur. Ceterùm si hoc non fecerit, damnum occultatoris accipiat.

XIII. *Si*

XIII.

Si fugitivus in domo cuiuscunque fuerit inventus.

SI fugitivus in domo potentis, aut cuiuslibet fuerit inventus, qui liberum se esse dicat, aut fortasse non dicat, repetenti sine dilatione reddatur. Ille verò qui recepit, se iudicio caveat adfuturum, nullis ante iudicium tormentis eum traditurus, donec aut iste suam vindicet libertatem, aut certè ille approbet servum, qui repetit. Quòd si petitor ista cavere noluerit, fugitivus ille sub illius, apud quem inventus est, fideiussione tamdiu consistat, quamdiu agnosci possit, quid de eodem rationabiliter iudex absque retardatione definiat.

XIV.

De mercede eius qui prendiderit fugitivum.

SI quis fugitivum comprehenderit, per xxx. millia vel infra tremissem accipiat: per centum autem millia unum solidum pro beneficio consequatur. Sicque dum creverit numerus millium, crescat & numerus solidorum: ita ut qui invenerit fugitivum, eum cum rebus omnibus, quas cum eo invenerit, præsẽtare suo domino non moretur. Quòd si fugitivus ab eo à quo fuerat captus fugerit, dominus servi ab eodem sacramentum accipiat, quòd non ipsius fraude vel studio fugitivus evaserit, & nullam postea calumniam pertimescat. Et si post datum sacramentum aliquid à fugitivo convincetur accepisse mercedis, aut eius fraude doceatur admissum, ut fugitivus ad longinquiora pertenderet: si fugitivus fuerit inventus, paris meriti alium servum domino reformare cogatur. Sin autem inventus non fuerit, duos eiusdem meriti servos domino eius compellatur exsolvere.

XV. ANTIQVA.

Si servus fugiens se esse mentiatur ingenuum.

SI servus in fuga positus ad ignotos advenerit, & sibi mulierem ingenuam in coniugio copulaverit, eo quòd dicat se ingenuum esse: & hoc mulier vel eius parentes ita factum convicerint, aut certè iudex talem probationem à parte mulieris inspexerit: dum dominus servi hanc veritatem agnoverit, nihil ipsi mulieri dampni aut calumniæ moveatur, sed sit libera, & filii qui ex eis sunt procreati, conditionem matris sequantur. A servo verò si voluerit non separetur: si tamen hoc & dominus servi voluerit.

XVI.

Si servus fugiens dicat se esse ingenuum, & ob hoc mulieris ingenuæ connubio sociatur.

QVia sæpe, dum servi dominos suos fugiunt, mentiẽtes se esse ingenuos, mulieribus ingenuis contra legum decreta in cõiugio copulantur: ideo huius legis valitura promulgatione decrevimus, ut si quis servus in fuga positus, vel quibuscunque modis de iure domini sui evagans, ad quemlibet

pervenerit, utrùm ingenuum se esse dicat, aut fortasse non dicat: & sub hac occasione ingenuæ mulieri petierit copulari. Quidquid de tam inhonesta coniunctione fuerit procreatum, conditionem patris proculdubio sequatur: ut dum eius dominus advenerit, non solùm eundem fugitivum, sed & filios exinde progenitos, omneque eorum peculium suo debeat vindicare dominio. Similis quoque & de ancillis ordo servandus est, quæ fugientes dominos suos viris ingenuis se copulare præsumpserint.

XVII. ANTIQVA. FLS. CIND. REX.

De his quæ servus fugiens adquisisse videatur.

SI servus in fuga positus, aliquid dum in ea fuga est de artificio suo vel quocunque iusto labore adquisierit, dominus eius dum eum invenerit, sibi vindicet omnia. Cæterùm si cum rebus furatis eum dominus suus reppererit, nihil exinde sibi defendere poterit, sed ei qui perdidit reddere non tardabit. Si verò damnum aut quodcunque crimen isdem fugitivus admisisse convincitur, ille componat qui latebras ei præbuisse convincitur.

XVIII.

De his qui præventos servos dominis reformare contemnunt.

DVm plerique controversiis vacare nituntur, legum quasdam sententias iniquè pervertunt, & pro eo quod antiqua lege decretum est, ut dum fugitivi dominus supervenerit, eum recipiat, differunt eius domino reddere fugitivum: ut dum sub hac fortasse occasione dilatio prætenditur, sibi eum cum prolixitate temporis vindicent servitutum: præsertim quia sit omnino superfluum, pro vilis interdum servi persona dominum ducentis aut trecentis millibus vel amplius fatigari. Et talis obiectio callidè magis quàm veraciter videtur opponi. Proinde constituentes decernimus, ut quicunque domino seu per se, sive per hominem suum requirenti fugitivum suum & agnoscenti reddere distulerit, vel comprehensum excusserit: quatuor eiusdem meriti servos, & eundem fugitivum domino eius reddere compellatur. Aut si idem fugitivus perierit, quinque proculdubio similes servos exsolvere non moretur: unum ex eis ille qui composuit postmodum recepturus, si vel ab ipso, vel à domino suo fugitivus inventus, in servitium proprii domini fuerit restitutus. Ita ut si talia nesciente domino servus admiserit, si voluerit dominus, duos eiusdem meriti servos pro eo servi domino det. Si autem voluerit, servus tradatur fugitivi domino perenniter serviturus. Et talis etiam de ancillis ordo servetur.

XIX.

Si ingenuus vel servus latrones cœlandos susceperint.

SI quis ingenuus vel servus sciens latrones cœlandos susceperit, præsentet quos cœlavit, & ducentos ictus accipiat flagellorum. Quòd si non præsentaverit absconsos, pœnam quàm illi merebantur incurrat.

XX.

Vt iudex cum omnibus rebus, cum quibus fugitivum invenerit, domino venienti restituat.

VT id quod iudex apud reum aut fugitivum invenerit, absente eo qui reum aut fugitivum persequitur, Comiti civitatis ostendat, & sic apud se retineat, ei qui perdidit cùm adfuerit redditurus.

TITVLVS II. DE HIS QVI AD BELLVM NON VADVNT, AVT DE BELLO REFVGIVNT.

I.

Si hi qui in exercitu præpositi sunt, commodis corrupti aliquem de expeditione domum redire permiserint, vel à domibus suis exire non coëgerint.

SI thyphadus ab aliquo de thyuphadia sua fuerit beneficio corruptus, ut eum ad domum suam redire permitteret, quod acceperat in novecuplum reddat Comiti civitatis, in cuius est territorio constitutus. Et si ab eo nullam mercedem acceperit, sed sic eum dum sanus est ad domum dimiserit, vel de domo in exercitum exire non compulerit, reddat solidos xx. quingentenarius verò xv. & centenarius x. Si certè decanus fuerit v. solidos reddere compellatur: & ipsi solidi dividantur in centena, ubi fuerint dinumerata.

II.

Si compulsores exercitus aliquid, dum exercitum ad hostem compellunt, de domibus eorum auferre præsumpserint.

SErvi dominici, id est, compulsores exercitus, quando Gothos in hostem compellunt exire, si eis aliquid tulerint, aut ipsis præsentibus vel absentibus, sine ipsorum voluntate, de rebus eorum auferre præsumpserint, & hoc ante iudicem potuerit approbari, ei cui abstulerint in undecuplum restituere non morentur. Ita tamen ut unusquisque eorum in conventu publicè quinquaginta flagella suscipiat.

III.

Si præpositi exercitus relicto bello, aut domum redeant, aut alios redire permittant.

SI quis centenarius dimittens centenam in hostem, ad domum suam refugerit, capitali supplicio subiacebit. Quòd si ad altaria sacra, vel ad Episcopum confugerit, trecentos solidos reddat Comiti civitatis, in cuius est territorio constitutus, & pro vita sua non pertimescat. Ipse tamen Comes civitatis notum faciat Regi, & sic cum nostra ordinatione partiantur solidi illi ad ipsam centenam, quæ ei fuerit adscripta. Ipse autem postmodum centenarius nullo modo præponatur, sed sit sicut unus ex decanis. Et si centenarius sine conscientia aut voluntate præpositi hostis, aut thyuphadi sui, de centena sua ab aliquo pro beneficio persuasus aut rogatus, quemquam ad domum suam redire permiserit, vel in hostem ut non ambularet relaxaverit, quantum ab eo acceperit in novecuplum Comiti civitatis, in cuius est territorio constitutus, satisfacere compellatur: & sicut superiùs diximus, Comes civitatis nobis in notitiam referre non differat, ut ex nostra præceptione dividatur inter eos, in cuius centena fuerat ascriptus. Quòd si centenarius ab eo nullam mercedem acceperit, & sic eum ad domum suam ambulaturum dimiserit; ille centenarius, sicut superiùs est comprehensum, det Comiti civitatis solidos decem.

IV.

Si præpositi exercitus, aut relicta expeditione domum redeant, aut alios exire minimè compellant.

SI decanus relinquens decaniam suam de hoste ad domum suam refugerit, aut de domo sua, cùm sanus est, exire & ad expeditionem proficisci noluerit, det Comiti civitatis solidos x. Quòd si alicui fortè mercedes dederit, reddet solidos v. Comiti civitatis, in cuius est territorio constitutus: & ipse Comes civitatis notum nobis faciat, ut cum nostra iussione dividantur inter eos, in quorum centena fuerat adscriptus. Quòd si aliquis, qui in thyuphadia sua fuerat numeratus, sine permissu thyuphadi sui, vel quingentenarii, aut centenarii, vel decani sui de hoste ad domum suam refugerit, aut de domo sua in hostem proficisci noluerit, in conventu merentium publicè centena flagella suscipiat, & reddat solidos decem.

V.

Si compulsores exercitus, beneficio accepto, aliquem sine ægritudine domi stare permiserint.

SErvi dominici qui in hostem exire compellunt, si ab eisdem aliquis se fortè redemerit, quantum ab eo acceperint, in novecuplum Comiti civitatis cogantur exsolvere: & eos quos rogavit dum esset sanus, ut eum in expeditionem non compellerent, etiam si ab eo nullam mercedem acceperint, illi qui eũ relaxaverint, reddant pro eo Comiti civitatis solidos v. Thyuphadus verò quærat per centenarios suos, & centenarii per decanos: & si potuerint cognoscere, quia per precem aut per redemptionem ad domum suam confugerint, aut de domo in hostem proficisci noluerint; tunc thyuphadus præposito Comitis civitatis notum faciat, & scribat Comiti civitatis in cuius est territorio constitutus: ut Comes civitatis vindictam, quæ in lege posita est, de his qui pro se rogant, aut qui se redimunt à thyuphadis, vel centenariis, aut decanis, vel servis dominicis, omnia ad integrum implere non differat. Quòd si exegerit, & cœlaverit, & in notitiam non protulerit, omnia quæ exegerit in novecuplum reddat. Et si corruptus ab aliquo vel rogatus exigere distulerit, in duplum de proprra facultate satisfaciat illis, qui inter se hanc solutionem fuerant divisuri. Quòd si post exactam rem notum regi non fuerit, ut ipse hoc iubeat in thyuphadia sua cui debeatur dividere, aut Comes civitatis reddere fortasse dissimulet, undecupli compositione eis satisfacere non moretur.

VI.

De his qui annonas distribuendas accipiunt, vel fraudare præsumunt.

HOc iustum elegimus, ut per singulas civitates vel castella quicunque erogator annonæ fuerit constitutus, Comes civitatis vel annonæ dispensator, annonam quam eis est daturus, ex integro in civitate vel castellis iubeat exhiberi, & ad integrum eis restituere non moretur. Quòd si contigerit ut ipse Comes civitatis aut annonarius, per negligentiam suam non habens, aut forsitan nolens, annonas eorum dare dissimulet, Comiti exercitus sui querelam deponant, quòd annonas eorum dispensatores tradere noluerint: & tunc ille præpositus hostis hominem suum ad nos mittere non moretur. Ita ut numerentur dies, ex quo annonæ eorum iuxta consuetudinem eis impletæ non fuerint. Et tunc ipse Comes civitatis vel annonarius in quantum temporis eis annonas consuetas subtraxerat, in quadruplum eis invitus de sua propria facultate restituat. Similiter & de his, qui in thyuphadia numerati fuerint, observari præcipimus.

VII.

Quam mercedem accipiat qui mancipia vel quaslibet res de manu hostis excusserit.

QVicunque de vitæ suæ statu desperans inimicos fuerit aggressus, ita ut mancipia, vel quodcunque genus pecuniæ, aut aliarum rerum, ab inimicis

micis possit excutere, & certus rei dominus apud eum videatur aliquid agnoscere, de eis ex toto duas partes pro intuitu misericordiæ domino certo restituat: tertiam verò partem pro laboris sui præmio consequatur. Similiter & si quis qualecunque mancipium ab inimicis sollicitaverit, & ipsi mancipio patrocinium aut consilium præstiterit, & eum ad certum dominum perduxerit: quicunque fuerit agnitus hoc fecisse, decimam partem mercedis pro tali causa aut eventu omnino excipiat habiturus.

VIII. In nomine domini Wamba Rex.

Quid debeat observari si scandalum infra fines Hispaniæ surrexerit.

COgit nostræ gloriæ saluberrima intentio, ut sicut in dirimendis negotiis populorum, legum est auctoritas promulgata, ita in rebus bellicis mutuo suffulta præsidio habilis ad expugnandum maneat, fraternitatis dilectione retenta. Prodesse enim hominibus tranquillitas nostra non ambigit, si cunctorum animos ad bonum propositum classica legis tuba evocando constringat: scilicet ut quæ in præteritis non bene ordinata discurrunt, deinceps disposita opitulante domino in melius proficiscantur. Et ideo huius malè usitatæ consuetudinis mores nostra clementia perhorrescit, & tædiosè tolerat, quòd per quorundam incuriam frequentia occurrant patriæ dampna. Nam quotienscunque aliqua infestatio inimicorum in provincias regni nostri se ingerit, dum nostris hominibus, qui in confinio externis gentibus adiunguntur, hostilis surrexit bellandi necessitas: ita quidam facillima occasione dispergunt, modò transductione loci, modò livore odii, modò etiam impossibilitatis dissimulatione subnixi, ut in eo præliandi certamine unus alteri fraterna solatia non impendat: & sub hac occasione, ut qui præsentare se pro publicis utilitatibus audacter voluerit, casu imminentis periculi ab adversariis perimatur. Ideo præsenti sanctione decernimus, ut à die legis huius prænotato vel tempore, si quælibet adversitas inimicorum contra partem nostram commota extiterit, seu sit Episcopus, sive etiam in quocunque ecclesiastico ordine constitutus, seu sit Dux aut Comes, thyuphadus aut vicarius, gardingus vel quælibet persona, cui aut ex ipso sit commissum, ubi adversitas ipsa occurrerit, aut ex altero qui in civitate adiungitur, vel quicunque in easdem provincias vel territoria superveniens infra centum millia positus, statim ubi necessitas emerserit, mox à duce seu comite, thyuphado vel vicario, aut à quolibet fuerit admonitus, vel quo modo ad suam cognitionem pervenerit, & ad defensionem gentis vel patriæ nostræ paratus, cum omni virtute sua qua valuerit, non fuerit, & quibuslibet subtilitatibus vel requisitis occasionibus alibi se transferre vel excusare voluerit: ut in adiutorio fratrum suorum promptus atque alacer pro vindicatione patriæ non existat: & superveniens adversariorum hostilitas aliquid dampni vel captivitatis in populos vel in provincias regni nostri amodo intulerit: quisquis tardus vel formidolosus, vel qualibet malitia, timore vel tepiditate succinctus extiterit, & ad præstitum vel vindicationem gentis suæ & patriæ exire vel intendere contra inimicos nostræ gentis tota virium intentione distulerit: si quisque ex sacerdotibus vel clericis fuerit, & non habuerit

unde

unde dampna rerum terræ nostræ ab inimicis illata de rebus propriis satisfaciat, iuxta electionem Principis destrictiori mancipetur exilio. Hæc sola sententia in Episcopis, presbyteris, & diaconibus observanda est. In clericis verò non habentibus honorem, iuxta subtiliorem de laicis ordinem constitutum, omnis sententia adimplenda est. Ex laicis verò, sive sit nobilis, sive mediocrior viliorq; persona, qui talia gesserint, præsenti lege constituimus, ut amisso testimonio dignitatis, redigatur protinus ad conditionem ultimæ servitutis: & de eius persona quidquid Princeps vindicare voluerit, potestas illi indubitata manebit. Nam iustum est, ut qui nobilitatem generis sui & statum patriæ, quod priscæ gentis adquisivit utilitas, constanti animo vindicare nequivit, legis huius sententia feriatur, qui ignobiliter superioribus culpis adstrictus degenerat, qui inutilis repperitur. De bonis autem transgressorum, laicorum scilicet atque etiam clericorum qui sine honore sunt, id decernimus observandum: ut qui deinceps hoc fortasse commiserint, inde cuncta dampna terræ nostræ, vel his qui mala pertulerint, sarciantur, ut rectè doleat, & dignitatem se amisisse nobilium, & prædia facultatum, cuius maligna vel timida factio, nec lædentem repulit hostem, nec se ostendit in adversariorum conversione virilem. Nam & si quilibet infra fines Hispaniæ, Galliæ, Galliciæ, vel in cunctis provinciis, quæ ad ditionem nostri regiminis pertinent, scandalum in quacunque parte contra gentem vel patriam, nostrumque regnum, vel etiam successorum nostrorum moverit, aut movere voluerit, dum hoc in vicinis locis ipsius partis, iuxta numerum milliorum suprascriptum, nuntiatum fuerit: aut etiam specialiter quisquis ille à sacerdotibus, clericis, ducibus, comitibus, thyuphadis, vicariis, vel quibuslibet personis, iuxta ordinem suprascriptum admonitus fuerit, vel ad suam cognitionem quoquo modo pervenerit: & statim ad vindicationem aut Regis, aut gentis & patriæ, vel fidelium præsentis Regis, contra quem ipsum scandalum excitatum extiterit, non citata devotione occurrerit, & præstitum se in eorum adiutorio ad destruendum exortum scandalum non exhibuerit: si Episcopus vel quilibet ex clero fuerit, aut fortasse ex officio palatino, in quocunque sit ordine constitutus, vel quælibet persona fuerit dignitatis, aut fortasse inferior, huius infidelitatis impublicatus scelere, non solum exilio relegetur, sed & de eorum facultatibus quidquid censura regalis exinde facere vel iudicare voluerit, arbitrio illius & potestati per omnia subiacebit. Illos tantum à superioribus capitulis lex ista indemnes efficiet, qui ita ab infirmitate fuerint prægravati, ut progredi vel proficisci in consortio fidelium secundum superiorem ordinem minimè possint. Qui verò & si ipsi morbis quibuslibet fuerint præpediti, omnem tamen suam virtutem in adiutorio Episcoporum, vel clericorum, atq; fratrum suorum sinceriter pro utilitate regiæ potestatis, gentis & patriæ fideliter laborantium dirigent. Quòd si hoc non fecerint, superiori sententia pariter cum transgressoribus feriantur. Persona autem illa tunc erit à superscripta dampnatione innoxia, dum per idoneum testem convicerit, ita se esse per ægritudinem impossibilem, ut nullum habuisset in tempore præstandi vel proficiscendi vigorem: ut vitium, quod ex præteritis temporibus malè usque hactenus inoleverat, & severa legis huius censura redarguat, & consors at-

que unanimis assensio quietem plebium, & patriæ defensionem adquirat. DATA ET CONFIRMATA EST LEX DIE KALENDARVM NOVEMBRIVM, ANNO FELICITER SECVNDO REGNI NOSTRI.

IX. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

De his qui in exercitum constituto loco vel tempore definito non successerint, aut refugerint; vel quæ pars servorum uniuscuiusque in eadem expeditione debeat proficisci.

SI amatores patriæ hi proculdubio approbantur, qui se periculis ultroneè pro eius liberatione obiiciunt, cur desertores potiùs non dicantur, qui vindicatores eius esse non desistunt. Nam quando hi tales voluntariè terram salvaturi credendi sunt, qui etiam animo acri pro liberatione patriæ non insurgunt, dum aut de bellica profectione se differunt, aut (quod peius est) remorari contra monita cupiunt, vel destituti contra ordinem proficiscuntur: cum quidam illorum laborandis agris studentes, servorum multitudines cœlant, & procurandæ salutis suæ gratia nec vigesimam quidem partem suæ familiæ secum ducunt. Quin potius auctiores volunt fieri fruge, quàm corporis sospitate: dum sua tegunt, & se destituunt, maiorem diligentiam rei familiaris, quàm experientiam habentes in armis, quasi laborata fruituri possideant, si victores esse desistant. Consulendum est ergo talibus per disciplinam, quos studia utilitatis propriæ non invitant. Vnde id cunctis populis regni nostri sub generali & omnimoda constitutione præcipimus, ut in constituto ac præfinito die vel tempore, quo aut Princeps in exercitum ire decreverit, aut quemlibet de Ducibus vel Comitibus profecturum in publica utilitate præceperit: quisquis ille sive admonitionem cuiuslibet suscipiat, seu etiam nec admonitus, qualibet tamen cognitione id sentiat, vel quocunq; sibi indicio innotescat, quo in loco exercitus bellaturus accedat, domi ulteriùs residere non audeat, vel qualemcunq; remorationem vel excusationem profecturus exhibeat: sed definitis locis atque temporibus, iuxta quod eum vel iussio principalis monuerit, vel admonitio Ducis vel Comitis, vicarii seu cuiuslibet curam agentis tetigerit, præstum se unusquisq; definito loco vel tempore exhibeat. Iam verò si quisquis ille admonitus, vel etiam si nec admonitus, & tamen qualibet cognitione sibimet innotescente non nescius, aut progredi statim noluerit, aut definitis locis atque temporibus præstus esse destiterit: si maioris loci persona fuerit, id est Dux, Comes, sive etiam Gardingus, à bonis pro his ex toto privatus, exilii relegatione iussu regio mancipetur: ita ut quod principalis sublimitas de rebus eius iudicare elegerit, in suæ persistat potestatis arbitrio. Inferiores sanè vilioresq; personæ, thyuphadi scilicet, omnisq; exercitus compulsores, vel hi qui compelluntur, si aut in exercitum venire distulerint, aut in loco vel tempore constituto minimè occurrerint, vel proficisci neglexerint, seu de expeditione publica quocunq; fraudis commento effugiendo se subtraxerint, non solùm ducentenis ictibus flagellorum verberati, sed & turpi decalvatione fœdati, singulas insuper libras auri cogantur exsolvere, quas principalis potestas cui largiri decreverit, sui maneat incunctanter arbitrii. Quòd si non habuerit unde hanc compositionem exsolvat, tunc regiæ potestatis sit

tis sit licitum huiusmodi transgressorem perpetuæ servituti subiicere: ut quod de eo suisq; ordinare decreverit, habeat sine dubio potestatem. Illos sanè ab huiusmodi legis sententia decrevim⁹ permanere innocuos, quos aut principalis absolverit iussio, aut minoris adhuc ætatis retinuerit tempus, aut senectutis vetustas, aut etiam ægritudinis cuiuscunque gravida represserit moles. Si tamen is qui in ægritudinis langore in exercitum proficisci nequit, omnem virtutem rei suæ ipse ægritudine prægravatus, secundum legis huius institutionem, in publicis utilitatibus cum Duce vel Comite suo dirigere non moretur. Nunc verò quia de generali omnium progressione prædiximus, restat ut de progressorum virtute vel copiis institutè ponamus. Et ideo id decreto speciali decernimus, ut quisquis ille est, sive sit Dux sive Comes atque Gardingus, seu sit Gothus sive Romanus, nec non ingenuus quisq;, vel etiam manumissus, seu etiam quislibet ex servis fiscalibus, quisquis horum est in exercitum progressurus, decimam partem servorum suorum secum in expeditionem bellicam ducturus accedat: ita ut hæc ipsa pars decima servorum non inermis existat, sed vario armorum genere instructa appareat. Sic quoque ut unusquisque de his, quos secum in exercitum duxerit, partem aliquam zavis vel loricis munitam: plerosq; verò scutis, spatis, scramis, lanceis, sagittisque instructos, quosdam etiam fundarum instrumentis, vel ceteris armis, quæ noviter forsan unusquisque à seniore vel domino suo iniuncta habuerit, Principi, Duci, vel Comiti suo præsentare studeat. Si quis autem extra hanc decimam partem servorum suorum in exercitus progressionem accesserit, omnis ipsa decima pars servorum eius studiosè quæsita atque descripta, quidquid minùs inventum fuerit de hac instituta decima parte servorum in bellicam unumquemque secum expeditionem duxisse, in potestate Principis reducendum est: ut cui hoc idem Princeps prælargiri decreverit, in eius subiaceat potestate. Quicunque verò ex palatino officio ita in exercitus expeditionem profectus extiterit, ut nec in principali servitio frequens adsistat, nec in wardia cum reliquis fratribus laborem sustineat, noverit se legis huius sententia feriendum: exceptò si eam manifesta langoris ostensio comprobaverit morbidum. Nam & si quisque exercitalium in eandem bellicam expeditionē proficiscens minimè Ducem aut Comitem suum, aut etiam patronum suum, secutus fuerit: sed per patrocinia diversorum se dilataverit: ita ut neque in wardia cum seniore suo persistat, nec aliquem utilitati publicæ profectum exhibeat: non ei talis profectio imputanda est, sed superiorum ordinem, quæ de vilioribus inferioribusque personis in hac lege decreta sunt, in semetipsum noverit sustinere. His igitur ordinatis atque compositis restat ut frenum cupiditati eorum ponamus, quos ad peragenda negotia utilitatis nostræ impingimus. Et ideo nullus dux, comes, thyuphadus, seu quislibet commissos populos regens, accepto beneficio vel qualibet occasione, seu pessimæ voluntatis, quemquam de suis subditis de bellica profectione dimittat, aut admonitiones ipsas quæ fieri debent progressione exercitus, vel indictione armorum, sub ista quasi admonitionis occasione interserat, unde quemquam illorum militare præsumat. Nam quisquis talia agens pro his, ut dictum est, causis à quolibet aut oblatum quodcunque perceperit, aut ipse cuicunque exegerit: & quidem si de primatibus palatii fuerit, & illi à quo talè accepit, in quadruplum

satisfaciat, & principi pro eo solo, quo se munificare præsumpsit, libram auri soluturum se noverit. Minores verò personæ, ab honore vel dignitate ingenuitatis privatæ, in potestatem Principis sunt redigendæ: ut quod de eis vel de rebus eorum iudicare elegerit, suæ subiaceat modis omnib. potestati.

TITVLVS III. DE HIS QVI AD ECCLESIAM CONFVGIVM FACIVNT.

I.

Ne ad Ecclesiam confugiens abstrahatur, nisi armis defensus.

NVllus de Ecclesia ausus sit aliquem violenter abstrahere, nisi ad Ecclesiam confugiens armis se fortasse defensare voluerit.

II.

Si ad Ecclesiam confugiens, dum suis armis defenditur, occidatur.

QVi ad Ecclesiæ porticus confugerit, & non deposuerit arma quæ tenuit: si fuerit occisus, percussor in loco sancto nullam fecit iniuriam, nec ullam calumpniam pertimescat.

III.

De dampno, hominem ab Ecclesia abstrahentis.

SI quis de altaribus servum suum aut debitorem, non traditum sibi à sacerdote, vel ab Ecclesiæ custodibus, violenter distraxerit: si honestioris loci persona est, ut primùm de eo iudici fuerit relatum, altario cui iniuriosus fuit, cogatur exsoluere solidos centum: inferioris verò loci persona det solidos xxx. Quòd si non habuerit unde persolvat, correptus à iudice, in conventu centum flagella suscipiat. Dominus verò servum, sive creditor debitorem, recipiat excusatum.

IV.

Vt debitor sive reus de Ecclesia non abstrahantur, sed quæ sunt debita reddant.

EOs qui ad Ecclesiam vel Ecclesiæ porticus confugerint, nullus contingere præsumat: sed presbytero vel diacono repetat, ut reformet: & seu debitor, seu reus qui confugerit, si non meretur occidi, apud repetentem Ecclesiæ cultor interveniat, ut ei veniam det, & exoratus indulgeat. Quòd si debitor aliquis ad Ecclesiam confugerit, eum Ecclesia non defendat: sed presbyter aut diaconus debitorem sine dilatione restituat: ita ut ipse qui debitum repetit, nequaquam cædere aut litigare eum præsumat, qui ad Ecclesiæ auxilium decucurrit: sed præsente presbytero vel diacono constituatur, intra quod tempus ei debitum reformetur. Quod licet Ecclesiæ interventui religionis contemplatione concedatur, aliena tamen retinere non poterunt. De homicidis autem, maleficis aut veneficis, in eorum titulis leges sunt requirendæ.

LEGIS VVISIGOTHORVM LIBER DECIMVS,

QVI EST DE DIVISIONIBVS ET TEMPORIBVS ATQVE LIMITIBVS.

CAPITVLA TITVLI PRIMI

DE DIVISIONIBVS ET TERRIS AD PLACITVM DATIS.

I. ANTIQVA.

Vt valeat semel facta divisio.

VAleat semel facta divisio iusta, ut nulla in postmodum immutandi admittatur occasio.

II.

De non revocanda divisione inter fratres, etiamsi sine scriptura sit facta, solùm si idoneo teste convincat.

DIvisionem factam inter fratres, etiamsi sine scriptura inter eos convenerit, permanere iubemus: dummodo à testibus idoneis comprobetur, & divisio ipsa plenam habeat firmitatem.

III. ANTIQVA.

Vt quod à pluribus & melioribus in divisione est constitutum, à paucis & deterioribus non liceat immutari.

SI plures fuerint in divisione consortes, quod à multis vel à melioribus iustè constitutum est, à paucis vel deterioribus non convenit aliquatenus immutari.

IV. FLS. VNS. REX.[1]

Vt liceat uni heredi respondere, si ab aliquo petitur; & petere, si causa qualicunque compellitur.

CVm priscæ legis auctoritate fuerit constitutum, ut is qui ad dicendam causam compellitur, non nisi præsente eo, qui religiosè consors est, audiatur: satis ex hoc peritorum negotia superfluè conspeximus dilatari: cùm ad dicendam causam pro sua unusquisque persona sufficiat. Igitur ne callida oppositione causantis, dum excusatio prætenditur, pro consorte tricennalis obviet annositas petitori: providentissima deliberatione sancimus, ut remota excusatione consortium, tam pro eorum, quàm pro sua persona, is qui iudicialiter pro communibus rebus fuerit appellatus respondeat, nec ullum præiudicium consortis absentia, si coheres eius iustissimè, seu etiam per commentum, aut per ignaviam fuerit superatus, incurrat: sed si separare negotium legaliter intenderit, permittatur. Abrogata denique suprafatæ legis tam inconvenienti sententia, hoc salubre decretum per universos regni nostri populos omni decernimus reverentia valiturum. Ac similis etiam ordo servabitur, si unus forsitan ex consortibus quemquam crediderit lite pulsandum.

V.

Si placitum quis divisionis irrumpat, divisam partem usurpans.

QVi placitum divisionis irruperit, & quamlibet partem alienæ portionis invaserit, tantùm de suo, quantum de alieno occupavit, amittat.

VI.

Si vineam aut domum quis in consortis terra construxerit.

SI quis domino sciente vel consentiente vineam in consortis terra plantaverit, aut domum fecerit, vel certè si ipse qui vineam plantat, vel domum facit, aut ignoravit quod portio sit consortis: dum hoc aut testibus aut iuramento firmaverit, aliud tantum paris meriti domino illi, in cuius terra vineam plantavit, restituat, & qui posuit vineam securus obtineat. Si verò domino

mino contradicente plantaverit, iuste perdat, qui rem alienam domino contraëunte plantavit. Similis etiam de ædificiis forma servetur. Hoc tamen adiicimus, ut si quicunque alteri terram vendiderit, aut donaverit, sive commutatam acceperit, quæ tamen repperiatur quandoquidem non iuris eius fuisse qui dedit, si ille qui terram ipsam acceperit, in eadem terra domum ædificaverit, aut vineam plantaverit, sive oliveta, hortos, vel pomaria fecerit, sive etiam si quid utilitatis ibi aut laboris adiecerit: & dominus terræ illius, cui terra ipsa debita fortasse manebat, callidum se servans contestari noluit, aut fortasse longè commanens idipsum, aut nescierit aut contestari neglexerit: ut in postmodum laboratum ibi auferre aliquid possit, dum hoc ipse, cuius eandem terram esse patuerit, coram iudice propulsaverit, ab auctore qui terram ipsam iniuste alteri dedit, alteram & similem terram in duplo recipiat: & ille qui in eadem terra labores suos exercuit, id quod laboravit, nullo modo perdat.

VII.

Si vineam in aliena terra quis plantaverit, in qua sortem non habet.

QVi vineam in alieni fundi territorio, in quo ipse consors non est, sine permissione domini, sive per vim, aut forsitan domino nesciente, vel absente plantaverit: etiamsi ei contradictum non fuerit, vineam, quam plantavit, amittat. Quia sufficere ei debet, quòd ad duplationem rei non addicitur, qui aliena pervasisse dinoscitur.

VIII.

De divisione terrarum facta inter Gothum & Romanum.

DIvisio inter Gothum & Romanum facta de portione terrarum sive sylvarum, nulla ratione turbetur, si tamen probatur celebrata divisio. Nec de duabus partibus Gothi aliquid sibi Romanus præsumat aut vindicet: aut de tertia Romani Gothus sibi aliquid audeat usurpare aut vindicare, nisi quod de nostra forsitan ei fuerit largitate donatum. Sed quod à parentibus, vel vicinis divisum est, posteritas immutare non tentet.

IX.

De sylvis inter Gothum & Romanum indivisis relictis.

DE sylvis quæ indivisæ forsitan resederunt, seu Gothus seu Romanus eas assumpserit, & fortasse fecerit culturas: statuimus ut si adhuc sylva superest, unde paris meriti terra eius cui debetur portioni debeat compensari, sylvam accipere non recuset. Si autem paris meriti quæ compensatur, sylva non fuerit, quod ad culturam scissum est, dividatur.

X.

Quod ea, quæ servus non iubente domino fecerit, exceptò quod lex iubet, valere non poterunt.

QVidquid servus domino non iubente diviserit vel fecerit, exceptò quod lex permittit, firmum non esse iubemus: si id dominus servi noluerit custodire.

XI.

Vt qui terras ad canonem acceperit, placitum servet.

TErras, quæ ad placitum canonis datæ sunt, quicunque susceperit, ipse possideat, & canonem domino singulis annis, qui fuerit defunctus exsolvat: quia placitum non oportet interrumpi. Quòd si canonem constitutum singulis annis implere neglexerit, terras dominus pro suo iure defendat: quia sua culpa beneficium quod fuerat consecutus, amittat, quia placitum non implesse convincitur.

XII.

De terris quæ definito annorum numero per placitum dantur.

SI per precariam epistolam certus annorum numerus fuerit comprehensus, ita ut ille qui susceperit terras, post quodcunque tempus domino reformaret: iuxta conditionem placiti terras restituere non moretur.

XIII.

Si ille, qui ad placitum accepit terras, extendat culturas.

QVi ad placitum terras suscepit, hoc tantum teneat, quod eum terrarum dominus habere permiserat, & amplius non præsumat. Quòd si culturas suas longiùs extendisse cognoscitur, & sibi alios ad excolendos agros fortasse coniunxerit: aut plures filii vel nepotes in loci ipsius habitationem successerint: aut campos, quos ei dominus terræ non præstiterat, occupaverit: aut sylvam, quæ ei data non fuerat, propter excolendos agros, aut conclusos, aut facienda forsitan prata succiderit: quidquid amplius usurpavit, quàm ei præstitum probatur, amittat: & in domini consistat arbitrio, utrùm canon addatur, an hoc quod domino præstitit, dominus ipse possideat. Quòd si tantummodo alicui ager sit datus, & data sylva vel campus non fuerit: sine domini iussu nihil de sylva vel campo, qui agrum cepit, usurpet.

XIV.

Si inter eum qui dat & accipit terram aut sylvam contentio oriatur.

SI inter eum qui accipit terras vel sylvas, & qui præstitit, de spatio unde præstiterit, fuerit orta contentio: tunc si superest ipse qui præstitit, aut si certè mortuus fuerit, eius hæredes præbeant sacramenta, quòd non amplius auctor eorum dederit, quam ipsi designanter ostendunt: & sic postea quàm iuraverint, præsentibus testibus eis, quæ observentur signa constituant: ut prò ea re nulla deinceps accedat causatio. Si verò cõsortes eius non dignentur

tur iurare aut fortè noluerint: vel aliquam dubietatem habuerint, quantum vel ipsi dederint, vel antecessores eorum: ipsos aut animas suas non condempnent, nec sacramentum præstent: sed ad tota aratra, quantum ipsi vel parentes eorum in sua sorte susceperant, per singula aratra quinquagenos aripennes dare debent. Ea tamen conditione, ut quantum occupatum habuerint, vel cultum, nisi quinquaginta aripennes concludant: nec plus quam in eisdem mensuratum fuerit aut ostensum, nisi terrarum dominus fortè præstiterit, audeant usurpare. Quòd verò amplius usurpaverint, in duplum reddant invasa.

XV.

Qui ad colendam terram accepit, sicut ille qui terram dedit, ita & censum exsolvat.

QVi accolam in terram suam susceperit, & postmodum contingat, ut ille qui susceperat, cuicunque tertiam reddat, sicut & patroni eorum, qualiter unumquemque contigerit.

XVI.

Vt si Gothi de Romanorum tertia quippiam tulerint, iudice insistente Romanis cuncta reforment.

IVdices singularum civitatum, villici, atq; præpositi, tertias Romanorum, ab illis qui occupatas tenent, auferant, & Romanis sua exactione sine aliqua dilatione restituant: ut nihil fisco debeat deperire. Si tamen eos quinquaginta annorum numerus aut tempus non excluserit.

XVII. FL. CIN. REX.

De mancipiorum agnitionibus dividendis, atq; eorum peculiis partiendis aut decernendis.

PRovidentissimi iustique iuris est, ut formam inveteratæ censuræ, quæ ab æquitatis ratione dissentit, novellis etiam sanctionibus emendemus. Nec immeritò priùs nascendi causas expedit arbitrari, & ita demum legem ponere nascituris. Si enim filius ab utroque parente gignitur & creatur, cur idem ad conditionem tantum pertineat genitricis, qui sine patre nullatenus potuit procreari? Hac rationabiliter naturæ lege compellimur, agnitionem ancillæ, quæ servo alieno iuncta pepererit, inter utrosque dominos æqualiter dividendam. Quòd si unus tantùm filius ab eisdem parentibus fuerit procreatus: quoniam ambobus dominis modo placito non poterit deservire: iste filius apud matrem usque ad ætatis annum duodecimum edoceatur, donec ætas eius in exercendis laboribus ferre servitium pubertatis incipiat. Post hæc autem dominus ancillæ domino servi, cui hæc ancilla coniuncta est, pretium ex medietate persolvat, quantum isdem filius à bonis hominibus valere fuerit æstimatus. Similis forma servetur & de cæteris filiis, qui in pari numero fuerint procreati. Peculium verò mobilis rei, quod servus & ancilla profligaverint sub contubernio constituti, ad utrosque dominos decernimus pertinendum. Sanè si in fundũ alterius domini, ad cuius ius idem servus vel ancilla non pertinent, præter ædificium agrumque, vel aliud quod esse possit immobile, à servis talib9 in re mobili fuerit cõquisitum: non aliter

quàm agnationem, rem huiusmodi æqualiter eorum domini sibi debeant vindicare. Quòd si unus ex his dominis contubernia famulorum conatus fuerit irrumpere, statim eos separare non differat: ea tamen conditione servata, ut postquam ad dominorum cognitionem contubernia servorum pervenerint, si eos in hoc dominorum voluntas perseverare noluerit, infra anni spatium ipsum contubernium resolvere non morentur. Ceterùm si hoc rationabile tempus, quod hac lege indultum est, negligentia dominorum excesserit: quidquid post expletum annum fuerit procreatum, utrique domino æqualiter sexus, numeri, vel ætatis contropatione noverit dividendum. Quòd si super annum tempus excesserit, & hoc unus dominus vel ambo nescierint: quodcunque nasci potuerit, similiter in divisionis æquali portione manebit.

XVIII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Vt peculium & peculiare ad unam intelligentiam habeatur.

SÆpe contentionis acie improbos vidimus sinceram intelligentiam deserere: quæ ut refelli possit compendio brevitatis uti convenit. Omnis ergo res, quæ mobilis immobilisque consistit, cuiuscunque fuerit generis, sive formæ, an peculii, an peculiaris nomen habuerit, unius intelligentiæ vim evidentiamque obtineat: ut ex hoc omnis de mobilibus immobilibusque intentio conquiescat.

XIX. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si pro acceptis rebus promissio non solvatur.

SI quis terram, vineam, aut aliquam rem aliam pro decimis, vel quibuslibet commodis, præstationibusque reddendis, per scripturam aut quamcunque definitionem, ita ab alio acceperit possidendam: ut ille qui, dat sic sub alicuius exsolutionis debito det, ne videatur huius rei suæ usum amittere voluisse: sed quidquid debet, qui rem accepit, etiam sine sollicitudine domini ipse sollicitè reddat. Nam quamvis consuetudo vel promissio exsoluta non fuerit, de re bus suis pars domini excludi non poterit. Quia non voluntate istius qui dedit, sed fraude illius qui rem accepit, videtur commotio rei domino commoveri. Si verò ille qui rem accepit, consuetudinem aut promissionem differat adimplere: quodcunque de promisso vel constituto debet, rei domino in duplum exsolvat. Nam si ita reddere promissum aut consuetum dissimulet debitum, ut dominum rei legum tempus excludat, usque ad quinquaginta annos rem suam cum augmento solius laboris, quod illic fecit, amittat.

TITVLVS II. DE QVINQVAGENARII ET TRICENNALIS TEMPORIS INTENTIONE.

III. *Vt*

I.

Ne post quinquaginta annos sortes Gothicæ vel Romanæ amplius repetantur.

SOrtes Gothicæ & Romanæ, quæ intra quinquaginta annos, non fuerint revocatæ, nullo modo repetantur.

II.

Ne mancipia fugitiva post quinquaginta annos ad servitium revocentur.

MAncipia fugitiva, quæ intra quinquaginta annos inventa non fuerint, non liceat ad servitium revocare.

III.

Vt omnes causæ tricennio concludantur.

OMnes causas, sive bonas sive malas, aut etiam criminales, quæ intra xxx. annos definitæ non fuerint, vel mancipia quæ in contentione posita fuerint, aut sunt, ab alio tamen possessa, si definita atque exacta non fuerint, nullo modo repetantur. Si quis autem post hunc xxx. annorum numerum causam movere tentaverit, iste numerus ei resistat, & libram auri, cui Rex iusserit, coactus exsolvat.

IV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Vt exceptis fiscalibus servis tricennale tempus valeat in omnibus causis.

SÆpe contemptis in debita re solutio iuris evanescere facit statutum tempus iustæ possessionis: & quod nulla generis nobilitas decoravit, indebita licentia libertate contradicit. Tricennalis ergo transcursio temporum cùm iam sic constanter inoleverit in negotiis actionum, ut non iam quasi ex instructione humana, sed veluti ex ipsa rerum processisse natura videatur: ideo valitura sanctionis huius æternitate decernitur, ut si per tricennii tempus, seu fiscus de quorumlibet iure quodcunque tenuerit, seu quislibet de fisci, extra mancipia fiscalia, aut cuiuspiam rebus aliquid fortasse possederit, perenni sibimet iure vindicet & retentet. Nec contra hunc numerum, in quo etiam veritas perfectæ completur ætatis, attentet commoveri vox cuiuscunque petitionis. Servi verò fisci, quorum de stirpe servili evidens origo patuerit, quamvis resoluti, atque per diversa vagantes, nihil in pensione tributi persolverint: quamvis fuga vel latebris, seu patrocinio quorumcunque defensi latuerint, servitutis conditionem non erunt penitus evasuri, sed in originem pristinam, absque temporum præiudicio, redigendi. Ab hu-

ius sententiam legis illis tantummodo segregatis, qui percipere valuerunt regia collatione remedia libertatis.

V. FL. CIN. REX.

De interruptione tricennii.

SÆpe proprium ius alterius longinqua possessio in ius transmittit alterius. Nam quod xxx. quisque annis expletis absque temporis interruptione possidet, nequaquam ulterius per repetentis calumpniam amittere potest. Vt ergo tam petenti, quàm possessori, hinc competenter possit esse consultum, id ab omnibus observandum est: ut quicunque rem, quæ ab alio per quindecim annos aut suprà, infra triginta tamen possessa est, sui iuris esse astruxerit: & possessor fortasse sive à iudice, sive à repetente commonitus, vel reddere distulerit, vel rationabiliter responsum parare contempserit, aut quamcunque dilationem videatur afferre: sive etiam eiusdem rei quæ petitur absentem possessorem, hoc est in alia provincia, aut in expeditione publica positum esse constiterit: tunc iudex id quod reposcitur, id est sive possessio sive quodcunque fuerit, pro interruptione temporis coram duobus testibus aut tribus ingenuis petenti consignare procuret: ita ut si iudex rem ipsam petenti saionis instantia præceperit consignari, per epistolam manu sua subscriptam eundem saionem iuxta modum subterius comprehensum informet. Et si fortè possessio est, ubi repositio alicuius substantiæ sit, ne per rationales excusatio fiat, anulo iudicis aut saionis qui locum consignat, eadem ostia, ubi res est reposita, per illos octo dies maneant obsignata. Et ille qui accepit, octo tantùm diebus possideat, & nihil exinde expendere, aut evertere, vel alienare præsumat, sed in eo tantùm loco quidquid voluerit aut potuerit laboris exerceat. Post octo autem dies rem intemeratam dimittat, ab eo quem possidentem invenerat indubitanter apprehendendam, & nullam ex hoc ille qui octo diebus possedit, calumpniam pertimescat: ita tamen ut si vel ipse, vel pars eius aut posteritas infra xxx. annos à die interrupti temporis, rem quam sibi consignari poposcerat, sui iuris esse convincat. Nam si convinci eadem actio taliter non potuerit, ille quidem qui superstes est, ut qui dominium alienum inquietavit, rei domino velut iniustus satisfaciat petitor: aut si aliquod expenderit aut everterit, in quadruplum reddere compellatur. Parti verò eius aut posteritati nulla ex hoc ulterius calumpnia moveatur: illa evidentissimè conditione taxata, ut si per diversas res, aut in diversis locis hæc de qua agitur fuerit dispersa facultas, & ex omnibus his, quæ ad eandem pertinent repetitionem, unumquemque fuerit secundum legis præsentis decretum à iussione iudicis consignatum, pro traditione teneatur omnium rerum.

EXEMPLAR EPISTOLÆ INFORMATIONIS.

ILLe iudex saioni illo. Informamus te, ut locum illum, quem ille repetit, & nunc in dominio illius esse videtur, iuxta legis ordinem, coram duobus aut tribus ingenuis illi consignes, octo tantùm diebus possidendum: ita ut si aliquid ibi repositionis habetur, & anulo domini sui non est signatum, propter auferendam excusationem rationalium, per illos octo dies anulo tuo maneat obsignatum. A te verò nihil exinde aliquatenus auferatur.

VI. FLS. RCDS. REX.

Ne tricennale tempus impediat relegatis.

QVantò pressuris conditio urgetur humana, tantò multis remediis clementiam principalem necessitati consulere decet humanæ. Quapropter cùm quisque nobilis atq; inferior, ingenuus sive etiam servus, regio iussu in custodiam vel exilium extiterit deputatus, & contingat eum quandoq; aut liberationem invenire, aut ad sua bona reverti: si quamcunque rem in repetitione videatur habere, non illud tempus pro tricennali vel quinquagenario annorum numero in eius actione iungatur, quod ipse in custodia vel in exilio fuisse dinoscitur: sed remoto omni illo tempore, quo evidenter eidem personæ in pressuris & in penuria constitutæ sibi debitum negotium prosequi non licuit. De cætero verò iuxta legum decreta, vel tempus, in eius obiectione legalis ordo maneat constitutus.

TITVLVS III. DE TERMINIS ET LIMITIBVS.

I.

Vt termini & limites conserventur.

ANtiquos terminos & limites sic stare iubemus, sicut antiquitus videntur esse constructi, nec aliqua patimur eos commotione divelli.

II.

De collisis & evulsis limitibus.

QVi studio pervadendi limites complanaverit, aut terminos fixos fuerit ausus evellere: si ingenuus est, per singula signa vel notas XX. solidos, cui fraudem fecit, cogatur inferre: si servus est, per singula signa L. flagella suscipiat. Si quis dum arat, aut pomaria vel vineam plantat, terminum casu non voluntate convellet, vicinis præsentibus restituat terminum: & postmodum ex hoc nullum dampnum aut periculum vereatur.

III.

Quid observetur, si de terminis contentio oriatur.

QVotienscunque de terminis fuerit orta contentio, signa quæ antiquitus constituta sunt, oportet inquiri: id est aggeres terræ sive arcas, quas propter fines fundorum antiquitus apparuerit fuisse constructas atque congestas: lapides etiam, quos propter indicia terminorum notis evidentibus

ſculptos conſtiterit eſſe defixos. Si hæc ſigna defuerint, tunc in arboribus notas, quas decurias vocant, convenit obſervari: ſed illas, quæ antiquitus probantur inciſæ.

IV. FLS. GLS. RCDS. REX.

Si alter intra terminos alienos poßidere dicatur.

SI quis intra terminos alienos, per abſentiam aut per ignorantiam domini, partem aliquam fortè poſſederit: ita ut diuturna manſio, ac ſic etiam multo tempore inolita, vel amplius quàm L. annis hominum, partis eius habitatio publicè & immobiliter conſiſtere aut permanere nullatenus comprobetur: ſtatim cùm per antiqua ſigna evidentibus inſpectoribus fines loci alterius cognoſcuntur, amittat domino reformanda. Nec contra ſigna evidentia debitum dominium ullum longæ poſſeſſionis tempus excludat: ſed hoc ſi ex his contendentibus unius poſſeſſoris ſive auctorum eius dominium reperiatur adveniſſe poſtremum. Nam ſi tanta tempora exceſſerint, ut nec ipſi nec auctores eorum noverint, cuius primum aut dominium aut poſſeſſio fuit: ſed nec per teſtem aut per ſcripturam potuerit poſtremus poſſeſſor oſtendi: quia nullum primæ poſſeſſionis patet indicium, unuſquiſq; quod poſſidet, irrevocabiliter poſſidebit. Verùm ubi unus poſſeſſor ſine alterius dominii manſionibus publicè poſſidens per evidentia ſigna locum ex integro indicare videtur: nulla ratio ſinit, ut quamvis per longa tempora eius poſſeſſionis integritas decerpatur. Vnde ſi alter illic, ſed per præſumptivam, introduxerit novitatem, nihil nocere poterit poſſeſſori. Si verò idem aliena appetens, aliquid ex hoc repetit, non præſumptivè ſed per iudicium, ſi meretur obtineat. Nam ſi inconditè & improviſè attentet aliquatenus accedere velle: liceat hunc domino verè ut violentum accuſare, aut invaſorem per iudicium legibus abdicare.

V.

Vt ſi aliqua pars de alio loco tempore Romanorum remota eſt, ita perſiſtat.

SI quodcunque ante adventum Gothorum de alicuius fundi iure remotum eſt: & aliquam poſſeſſionem, aut venditione, aut donatione, aut diviſione, aut aliqua transactione translatum eſt: id in eius fundi, ad quem à Romanis antiquitus approbatur adiunctum, iure conſiſtat. Cùm autem proprietas fundi nullis certiſſimis ſignis aut limitibus probatur, quid debeat obſervari, eligat inſpectio iudicum, quos partium conſenſus elegerit: ita ut iudex quos certiores agnoverit vel ſeniores, faciat eos ſacramenta præbere, quòd terminos ſine ulla fraude demonſtraverint. Et tamen nullus novum terminum ſine conſortis præſentia, aut ſine inſpectore conſtituat. Quòd ſi forſitan liber hoc fecerit, damnum pervaſionis excipiat, quod legibus continetur. Si verò id ſervus admiſerit domino neſciente, CC. flagella publicè extenſus accipiat, & nullum ex hoc præiudicium domino computetur.

LEGIS

LEGIS VVISIGOTHORVM LIBER VNDECIMVS,

QVI EST DE AEGROTIS, MEDICIS, MORTVIS, ATQVE TRANSMARINIS NEGOTIATORIBVS.

CAPITVLA TITVLI PRIMI DE MEDICIS ET ÆGROTIS.

I.

Ne absentibus propinquis mulierem medicus flebotomare præsumat.

NVLLVS medicus sine præsentia patris, matris, fratris, filii, aut avunculi, vel cuiuscunque propinqui, mulierem ingenuam flebotomare præsumat: exceptò si necessitas emerserit ægritudinis, ubi etiam contingat supradictas personas minimè adesse, tunc aut coram vicinis honestis, aut coram servis aut ancillis idoneis, secundum qualitatem ægritudinis, quæ novit pendat. Quòd si aliter præsumpserit, x. solidos propinquis aut marito coactus exsolvat: quia difficilimum non est, ut sub tali occasione ludibrium interdum adhærescat.

II.

Ne medicus custodia retentos visitare præsumat.

NVllus medicorum ubi comites, tribuni, aut iudices, aut villici in custodiam retruduntur, introire præsumat sine custode carceris: ne illi per metum culpæ suæ mortem sibi ab eodem explorent. Nam si aliquid mortiferum his ab ipsis medicis datum vel indultum fuerit, multum publicis rationibus deperit. Si quis hoc medicorum præsumpserit, sententiam cum ultione percipiet.

III.

Si medicus pro ægritudine ad placitum exspectetur.

SI quis medicum ad placitum pro infirmo visitando, aut vulnere curando poposcerit: ut viderit vulnus medicus, aut dolores agnoverit, statim sub certo placito cautione emissa infirmum suscipiat.

IV.

Si ad placitum susceptus moriatur infirmus.

SI quis medicus infirmum ad placitum susceperit, cautionis emisso vinculo infirmum restituat sanitati. Certè si periculum contigerit mortis, mercedem placiti penitus non requirat, nec ulla inde utrique parti calumpnia moveatur.

V.

Si de oculis medicus hypocismata tollat.

SI quis medicus hypocisma de oculis abstulerit, & ad pristinam sanitatem perduxerit infirmum, v. solidos pro suo beneficio consequatur.

VI.

Si per flebotomum ingenuus vel servus mortem incurrat.

SI quis medicus dum flebotomum exercet, & ingenuum debilitaverit, c. solidos coactus exsolvat. Si verò mortuus fuerit, continuò propinquis tradendus est, ut quod de eo facere voluerint, habeant potestatem. Si verò servum debilitaverit aut occiderit, huiusmodi servum restituat.

VII. ANTIQVA.

De mercede discipuli.

SI quis medicus famulum in doctrina susceperit, pro beneficio suo duodecim solidos consequatur.

VIII. ANTIQVA.

Ne indiscussus medicus custodiæ deputetur.

NVllus medicum inauditum, excepta homicidii causa, in custodiam retrudat. Pro debito tamen sub fideiussore debet consistere.

TITVLVS II. DE INQVIETVDINE SEPVLCHRORVM.

I. De

I.

De violatoribus ſepulchrorum.

SI quis ſepulchri violator extiterit, aut mortuum expoliaverit, & ei aut ornamenta aut veſtimenta abſtulerit: ſi liber hoc fecerit, libram auri coactus exſolvat heredibus mortui, & quæ abſtulit reddat. Quòd ſi heredes non fuerint, fiſco noſtro cogatur inferre: & præterea centum flagella ſuſcipiat. Servus verò, ſi hoc ſcelus admiſerit, ducenta flagella ſuſcipiat, & inſuper flammis ardentibus exuratur: nihilominus redditis cunctis, quæ auſus eſt abſtuliſſe.

II.

Si ſepulchrum mortui auferatur.

SI quis mortui ſarcofagum abſtulerit, dum ſibi vult habere remedium: duodecim ſolidos iudice inſiſtente heredibus mortui cogatur exſolvere. Quòd ſi domino iubente ſervus hoc admiſerit, dominus pro ſervo componere non moretur. Servus verò, ſi ex ſua voluntate hoc admiſerit, nihilominus centum flagella ſuſcipiat: & quod tulerat, & loco & corpori proprio reformetur.

TITVLVS III. DE TRANSMARINIS NEGOTIATORIBVS.

I.

Si tranſmarini negotiatores furtiva vendere detegantur.

SI quis tranſmarinus negotiator aurum, argentum, veſtimenta, vel quælibet ornamenta provincialibus noſtris vendiderit, & competenti pretio fuerint venumdata: ſi furtiva fuerint poſtmodum approbata, nullam emptor calumpniam pertimeſcat.

II. ANTIQVA.

Vt tranſmarini negotiatores ſuis & telonariis, & legibus, audiantur.

DVm tranſmarini negotiatores inter ſe cauſam habuerint, nullus de ſedibus noſtris eos audire præſumat, niſi tantummodo ſuis legibus audiantur apud telonarios ſuos.

III.

Si transmarinus negotiator mercenarium de locis nostris secum transtulerit.

NVllus transmarinus negotiator de sedibus nostris mercenarium audeat in loca sua transferre. Qui contra hoc venire tentaverit, inferat fisco nostro auri libram unam, & præterea ducenta flagella suscipiat.

IV.

Si transmarinus negotiator mercenarium pro commercio suo susceperit.

SI quis transmarinus negotiator mercenarium de sedibus nostris pro vegetando commercio suo susceperit, det pro beneficio suo solidos III. per annum unum, & nihilominus impleto placito servum domino reformare cogatur.

LEGIS VVISIGOTHORVM LIBER DVODECIMVS,

QVI EST DE REMOVENDIS PRESSVRIS, ET OMNIVM HÆRETICORVM SECTIS EXTINCTIS.

CAPITVLA TITVLI PRIMI DE TEMPERANDO IVDICIO, ET REMOVENDA PRESSVRA.

I. FLS. GLS. * REX.

De commonitione Principis, qua iubetur ut iudicium temperent iudices.

QVI necessariam culpis hominum severitatem disponimus, convenit ut Deo placita miseris remedia inpendamus. Obtestamur itaq; iudices omnes, cunctosque quibus iudicandi potestas concessa est, teste virtutum omnipotente Domino, commonemus ad investigandam quidem rei veritatem in causis omnibus solertes existere, & absque personarum acceptione negotiorum omnium contentiones examinare: circa victas tamen personas, ac præsertim paupertate depressas, severitatem legis aliquantulum temperare. Nam si in totum iudicii proprietas attendatur, misericordiæ proculdubio mansuetudo deseretur.

II. FLS. RCDS. REX.

Vt nullus ex his, qui populorum accipiunt potestatem & curam, quoscunque de populis, aut in sumptibus, aut in indictionibus inquietare pertemptet.

OMnes quos regni nostri felicitate tuemur, nihil aliud eorum utilitatibus consulentes, momentis omnibus statuimus, nisi ut nullam dispendiorum suspicionem patiantur. Quid est enim iustitiæ tam proximum vel nobis familiare, quàm piam fidelibus manũ porrigere, & iustè hos quos regimus in diversis negotiis adiuvare? Decernentes igitur, & huius legis nostræ severi-

tate constituentes iubemus, ut nullis indictionibus, exactionibus, operibus vel angariis, comes, vicarius, vel villicus pro suis utilitatibus populos aggravare præsumant: nec de civitate vel de territorio annonam accipiant: quia nostra recordatur clementia, quòd dum iudices ordinamus, nostra largitate eis compendia ministramus. Simili auctoritate iubemus rectorem provinciæ, sive comitem patrimonii, aut actores fisci nostri, ut nullam in privatis hominibus habeant potestatem, nullaque eos molestia inquietent: sed si privatus cum servis fisci nostri habuerit causam, actor vel procurator commonitus in iudicio rectoris provinciæ, vel iudicis territorii, ubi causa fuerit intromissa, suam repræsentet personam & minorem, ut discusso negotio districtione legali uniuscuiuscunque emendetur excessus. Et quia dum regali cura actores nostrarum perquireremus provinciarum, comperimus quòd numerarii vel defensores annua vice mutentur: qua detrimentum de causa nostris non ambigimus populis evenire. Ideoque iubemus, ut numerarius vel defensor, qui electus ab Episcopo vel populis fuerit, commissum peragat officium: ita tamen, ut dum numerarius, vel defensor ordinatur, nullum beneficium iudici dare debeat, nec iudex præsumat ab eis aliquid accipere, vel exigere. Quòd si quis iudicum hanc nostram transcenderit constitutionem, honore privatus x. libras auri fisco nostro coactus resolvat. Sacerdotes verò, quos divina obtestatione convenimus, si excessum iudicum aut actorum scierint, & ad nostram non retulerint agnitionem: noverint se iudicio concilii esse plectendos: & detrimenta quæ pauperes eorum silentio pertulerint, ex eorum rebus illis esse restituenda.

III. FLS. RCNS. REX.

IN NOMINE DOMINI LEX IN CONFIRMATIONE CONCILII EDITA.

EXimia synodalis auctoritas, & veneranda est pariter, & tremenda: quæ in tantùm per donum sancti Spiritus agitur, ut ex diversitate multorum animorum & cordium, unum cor unamque animam fecisse monstretur: dum numerositas aggregata Pontificum, non per sententiam discrepat, non per stylum diversa obiectat, nec per iudicium aliud unus, quàm universitas affirmat. Ideo reverendum mihi conventum synodalis concilii, in cuius medio præsentia sancti Spiritus se habitare promisit, devotè venerans, instanterq; honorans, ea quæ illorum ore, nostræq; gloriæ hortatu digesta sunt, in notitiam deducimus singulorum. Illa dicimus synodalis concilii gesta, quæ anno quarto regni nostri in Toletana urbe noscuntur esse confecta: quorum institutionum evidentia, ut sine cunctatione omnibus innotescant, hic ea specialiter prælegimus renotanda.

Est igitur primus Canon de reddito testimonio dignitatis eorum, quos profanatio infidelitatis, cùm Paulo traxit in societatem tyrannidis; quos celsitudo nostra una cum filiis, per huius nostræ legis edictum, & testimonio nobilitatis pristinæ uti, & rebus, quas per auctoritatis nostræ vigorem perceperint, decernimus revestiri.

Item

Item secundus est Canon de accusatis sacerdotibus, seu etiam optimatibus palatii atque Gardingis: sub qua eos iustitiæ cautela examinari conveniat, quos nostræ gloriæ mansuetudo, iuxta ipsius Canonis constituta, nullis tormentorum generibus ante publicam discussionem subiici censuit. Sed omnes qui deinceps fuerint accusati, iuxta sanctionem prædicti Capituli erunt proculdubio iudicandi. Vnde id specialiter observandum fore consemus: ut quidquid contra hanc regulam sententiæ nostræ, vel prædicti Canonis institutionem, aut in personam cuiusquam fuerit actum, aut de rebus accusatæ personæ extiterit iudicatum, iuxta prædicti Canonis instituta nullo vigore subsistat: quòd persona ipsa aliter quàm decernimus iudicata, aut testimonii sui dignitatem amittat, aut quæstu rei propriæ careat.

Tertius quoque Canon est, de tributorum principali relaxatione in plebe. Vbi nostræ gloriæ auctoritate simul & exhortatione sancitum est: ut omne tributum præteritorum annorum, usque in annum primum regni nostri, quod in privatis sive in fiscalibus populis nostris reiacet, absolutionis perpetuæ debeat sanctione laxari: ea tantùm præcipientes publicis thesauris exhiberi, quæ exacta, non illata fuisse constiterint.

Quartus post hæc sequitur Canon, de munitione regia, quam promptæ voluntatis effectu omnis conventus sacerdotum, atque etiam seniorum condere præelegerunt.

Quintus Canon sequitur, ne defuncto Principe, relictam eius coniugem quisquam sibi aut in coniugio, aut in adulterio audeat copulare.

Sexus deinde sequitur Canon, ut, exceptis servis vel libertis fiscalibus, nullus de servitute quorumlibet, aut libertis, deinceps ad palatinum transeat officium. Quod si fecerint, præsentis legis nostræ edicto ad propriæ servitutis iugum modis omnibus reducendi sunt; qualiter aut dominis suis, si superstites sunt, aut eorum propinquis, quibus decedentium successio ex lege debetur, servituri tradantur.

Post hunc septimus est Canon, de his qui pro accidentia iurgiorum altaria nudare præsumunt, vel luminaria Ecclesiæ subtrahunt.

Octavus quoque sequitur Canon, ne admonente Metropolitano quisquam ex confinitimis ad locum, ubi invitatur, venire contempnat.

Nonus quoque Canon subsequitur, de confirmatione concilii Toletani duodecimi, quod factum est anno primo gloriæ nostræ.

Decimus huic Canon adiungitur, ubi speciali sententia definitur, utrùm audeant ministrare hi, qui pœnitentiam in sacerdotio constituti accipiunt.

Vndecimus quoque Canon habetur, ne quis alienum clericum, vel monachum suscipiat fugientem.

Duodecimus post hæc Canon scribitur, de non excommunicandis à proprio Episcopo personis illis, quæ ad Metropolitanum suum negotia sua suggesturi accesserint.

Vltimus & tertius decimus post hunc Canon subsequitur, de relatione gratiarum, quæ post peractionem concilii, Deo & Principi persolvantur.

Quæ omnia præmissa synodalium institutionum decreta, à præsenti die vel tempore, omni cura, omnique vigilantia, per cunctas regni nostri provincias decernimus observanda: qualiter & perspicuum auctoritatis

validæ fastigium subeant, & perpetuo vigoris ordine solidata persistant. Quamobrem sacræ huius legis oraculo, omnibus generaliter religiosis, atque etiam laicis, sub regni nostri ditione manentibus, interdicimus pariter & iubemus, ut prædicta synodalia gesta nullus contempnat, nullus etiam præterire aut convellere audeat. Nemo notus harum constitutionum iura resolvat: nemo incognitus nescientiæ se obiectibus excusare coniiciat. Nam à præmemorato superiùs die vel tempore, & auctoritatis debitæ vigore pollebunt, & institutionum suarum legibus, vel regulis, cunctorum universalitas adstringetur. Si quis autem huius nostræ legis violator extiterit, ac non potiùs ea, quæ præmissa sunt custodierit, & diutinam Ecclesiasticæ disciplinæ excommunicationem excipiat, & decimam partem rei suæ fisci partibus sociandam amittat. Quòd si nihil habuerit facultatis, unde prædictam compositionem persolvere possit, absq; aliqua infamia sui quinquaginta eum oportebit ictibus verberari. Huius igitur nostræ legis decretum, quod in confirmatione huius sacri concilii noscitur promulgatum, gloriosæ manus nostræ exaratione subscripsimus, & ad perennem memoriam, valorem ei perpetuum innodamus. Edita lex in confirmatione concilii Toleto, sub die Idus Nov. ERA DCCXXI. anno quoque feliciter IIII. regni gloriæ nostræ, in Dei nomine Toleto.

TITVLVS II. DE OMNIVM HÆRETICORVM ATQVE IVDÆORVM CVNCTIS ERRORIBVS AMPVTANDIS.

I. FLS. GLS. RCDS. REX.

Quòd post datas fidelibus leges, oportuit infidelibus constitutiones ponere legis.

HActenus per arduas culparum semitas iudiciorum cautos direximus gressus, & per humanæ adinventionis præcipites & immoderatos excessus, ordinatæ gravitatis emisimus cursus. Egisse namque nostram illis intentionem conspicuum est, ut dissuaderet quod malè suasum erat, & prohiberet quod turpe, & auferret quod malè actum, & à decore honestatis abhorreret. Vt enim legalis ordo malè conscíarum sibi mentium abdita penetravit: ita legalis censura, & morum prava correxit, & scelerum commissa truncavit. Verùm hanc pudicitiam animorum non egimus alibi, quam intra ecclesiam Dei vivi: quæ diversitatem simul nationum & hominum unius tunicæ immortalitate vestivit, unius etiam sacræ religionis sibi vinculis religavit. Ibi enim licet excellentiam nostri vigoris à virtutum Deo fuerit terrenæ gloriæ sublimata culminibus, interdum tamen motu compassionis, interdum acie iudicantis, & peccandi licentiam sollicitè vetare curavit, & perventa delicta modò temperanter diminuendo subtraxit, modò vehementer stirpando collisit: non solùm sequens nobilium illustriumque gentium mores, quæ rationabilibus & modestis legibus ordinare curaverunt illicitos populorum excessus, sed sanctissimorum quoque patrum toto terrarum orbe felicium & regulas imitans, exemplaque præsumens, quo posset amplitudo nostræ mansuetudinis in illorum præceptis, velut in forma operis, imitationem exprimere actionis. Et ex hoc debere cognoscere proximis subiectisque plebibus honestatis competentia indidisse decreta, ex quo aut culparum merita sunt evidenter impressa, aut à sanctorum patrum sententiis prorsus non inveniuntur externa: duo mihi dona uno divinitatis præmio provenire confidens, ut & cum proximis salutari temporum perfruar pace, & divinis iudiciis munere regiminis peracta mercede dispositis, dehinc populorum fidelium legibus, atque in domo sanctæ fidei verè ut propriis membris confecto medicamine salutari, & ordinata charitatis decentissimæ pace, evidenter in virtute Dei aggrediar, hostes eius insequar, æmulos eius persequar, adversus eos contendens viriliter, perseverans instanter, aut comminuere illos ut pulverem excussum, aut delere ut lutum sordidum platearum. Certè aut de illis & fidei conquirere lucrum, & gloriæ Dei dare trophæum: ut dum fideles populos in religionis sacræ pace possederim, atque infideles ad concordiam religiosæ pacis adduxerim, & mihi crescat in gloria præmium: ut virtutem Dei dilatem, atque augeam regnum.

II. FLS. GLS. RCDS. REX.

De omnium hæresum erroribus abdicandis.

DIvinæ virtutis æternum consilium, & in ultimorum serie seculorum pietatis eius revelatum arcanum, per retro-actorum dierum tempora omnem, ut cernimus, à cunctis nostri regiminis finibus, & perfidiam dissipavit errantium, & dogmatum abdicavit commenta pravorum. Veruntamen

ne dum nostris consistimus in diebus, tempus illud occurrat, de quo vas electionis olim protulit, dicens: *Erit tempus, quo sanam doctrinam non sustinebunt: sed secundum sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Convenit & ea quæ in luce fidei manent, à tenebris contradictionum edicto legali defendere; & ea quæ exoriri obvia forsan error impulerit, gestis legalibus propulsare. Nullus itaque cuiuslibet gentis aut generis homo, proprius & advena, proselytus & indigena, externus & incola, contra sacram & singulariter unam Catholicæ veritatis fidem quascunque noxias disputationes, eandem fidem impugnans, palam pertinaciter aut constanter vel proferat, vel proferre silenter attemptet. Nullus Evangelii decreta convellat. Nullus Apostolica instituta decerpat. Nullus antiquorum patrum impugnationibus suis sacras definitiones irrumpat. Nullus modernorum discernentium congruentes fidei tractus spernat. Nullus contra omne sanctum dictum & factum, vel veræ fidei sacramentum, aut cogitationes ruminet cordis, aut verba patuli proferat oris. Non in contradictione controversiam perfidus excitet pervicacis, non improbitatis contentione litem statuat adversantis. Nam quæcunque persona ex his in cunctis istis vetitis extiterit deprehensa, siquidem ex quacunque religionis potestate vel ordine fuerit, amisso loci & dignitatis honore, perpetuo reatui erit obnoxius, rerum etiam cunctarum amissione multatus. Si verò ex laicis extiterit, & honore solutus & loco, omni rerum erit possessione nudatus: ita ut omnis transgressor sanctionis istius, aut æterno exilio mancipatus intereat, aut divina miseratione respectus, à prævaricatione convertatur, & vivat.

III. FLS. GLS. CHINDS. REX.

De datis & confirmatis legibus, super Iudæorum nequitiam promulgatis.

VEtitis & seclusis generaliter omnium hæreticorum præsumptionibus execrandis, nunc specialiter nobis est de præsentibus ordinandum: quoniam & in præsentibus de his cognoscimus esse præsumptum. Nam cum virtus Dei totum universaliter acie verbi sui radicitus hæresium extirpaverit fomitem vel surculum, sola Iudæorum nequitia ingemiscimus arua nostra esse polluta regiminis nostri. Vnde per spiritum Dei vindicare conabimur pacem nostram, quæ gentibus quidem stultitia est: eisdem verò Iudæis scandalum: nobis autem credentibus, idem Christus, Dei virtus, & Dei sapientia: cuius miseratione præventi concutimur intentione fideli, tam vetustis erroribus ponere finem, quàm futurorum exordiorum concidere novitatem. Quapropter æterna lege iubemus, & sacrorum scriptorum iussu decernimus, tam nostrarum legum edicta, quàm prædecessorum nostrorum Regum legali serie promulgatas sententias, quæ contra eorum perfidiam & personas data consistunt, æterna consecratione inviolata persistere, & perenni custodia observata manere. Quæ si quis eorum temerator detectus extiterit, & subteriacentium legum damnis obnoxius erit, & specialibus ultionum sententiis subiacebit.

IV. FLS.

IV. FLS. GLS. RCDS. REX.

De cunctis Iudæorum erroribus generaliter extirpandis.

NVllus Iudæorum sacræ religionis Christianam fidem, quam sancti percepit unctione baptismatis, aut profanet aliquatenus, aut relinquat. Nullus hanc factis, nullus dictis impugnet. Nullus huic absconse, nullus palàm insultet. Nullus fugere ad hanc evadendam contendat: nullus, ut hanc effugiat, quibuscunque latibulis se occultandum iniiciat. Nullus spem quandoque profanationis iterandæ contineat. Nullus confidentiam renovandi erroris adsumat. Nullus prorsus perfida mente Christianæ religioni obviam sectam corde teneat, verbis promat, factis ostendat. Nullus ex his, quæ in eorum placitis sunt conscripta, eorumque publica subscriptione notata, temerare studeat, vel revelare præsumat. Nullus omnium horum vetitorum conscium vel operatorem cœlare attemptet. Nullus inventum latentem publicare retardet. Nullus auditam latebram denuntiare recuset. Cunctorum namque eorum quisq; transgressor inventus, constitutæ legis erit supplicio afficiendus.

V. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne Iudæi more suo celebrent Pascha.

NVllus Iudæorum XIIII. luna mensis alicuius faciet Pascha, neque dierum ipsorum, ut soliti sunt, solempnia celebrabit. Non dies festos omnis solempnitatis mediocres aut summos quisque eorum venerabitur, aut intendet errorem, vel honore vetusto non ferias custodiat. Non sabbata & omnia festa ritu observantiæ suæ deinceps aut colant, aut contingere quandoque præsumant. Nam præventi mox speciali dampnationis suæ multabuntur ultione.

VI. FLS. GLS. * REX.

Ne Iudæi more suo fœdus copulent nuptiale.

NEmo ex Iudæis propinquitatem sanguinis sui coniugio copulet, aut adulterio polluat, aut incestu commaculet. Nullus usque ad sextum generis gradum coitu quamcunque personam contingat. Nullus festa nuptialia, aliter quàm Christianorum mos est, vel appetat, vel usurpet. Nam detectus dampnationis datæ ultionibus punietur.

VII. FLS. GLS. * REX.

Ne Iudæi carnis faciant circumcisiones.

NVllus Iudæorum circumcisionem operabitur carnis: nullus hanc sibi fieri patietur indempnis. Non servus, non ingenuus aut libertus, incola vel extraneus eiusdem detestandæ sectionis opprobrium quacunque occasione aut perferat, aut alteri inferre præsumat. Nam quicunque sponte talia fecisse vel sustinuisse probabitur, datæ legis severitate plectetur.

VIII. FLS. RCDS. REX.

Ne Iudæi more suo diiudicent escas.

CVm beatus Paulus Apostolus dicat, *Omnia munda mundis*: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum: merito Iudæorum detestabilis vita, & discretionis horrendæ immunditia, omnium sordium horrore immundior, & refelli oportet, & abiici debet. Ne quis ergo ex his primæ ritu traditionis, & usuati consuetudine moris, mundas ab immundis diiudicet escas: nemo sumenda inhoneste reiiciat, quæ valde bona esse sui conditio probat. Nemo ex his aliquid privet, aliud usurpet, nisi tantùm illa discretione servata, quæ ab omnibus Christianis tenetur salutaris & congrua. Alioquin in transgressione quisque detectus, constitutis erit suppliciis addicendus.

IX. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne Iudæi quæstionem Christianis inscribant.

SPecialiter hoc decreto censetur nulli Iudæo pro qualicunque negotio quandoque licere contra Christianum quamvis humilis servilisque personæ testimonium dicere, neque pro qualibet actione ad inscriptionem Christianum impetere, aut pro Iudæorum causis quacunque factione hunc tormenta subire præsumat. Profanum etenim satis est, infideles fidelibus anteponere, & membra Christi adversariorum eius molestiis subiugare. Sanè si iidem inter se causarum negotia reperiantur habere, & testificandi adversum se, & in servis suis tantundem coram Christianis iudicibus quæstionem iniicere, sit illis liberum ex lege licere.

X. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne Iudæi contra Christianos testificentur, & quando ex illis progenitis testificari sit licitum.

SI coram hominibus repertum mendacium, & infamem facit, & dampnis affligit: quantò magis in divina fallax fide præventus non erit penitus ad testimonium admittendus? Merito ergo testificari prohibiti sunt Iudæi, seu baptizati, sive non extiterint baptizati. De stirpe autem illorum progeniti, si morum probitate & fidei plenitudine habeantur idonei, permittitur illis inter Christianos veridica quidem testificandi licentia: sed non aliter, nisi sacerdote, Rege, vel iudice mores illorum & fidem omnimodis probante.

XI. FLS. GLS. RCDS. REX.

De pœna quâ dirimenda est transgressio Iudæorum.

HÆc de sinu fortissimarum legum sententia emaneat, ad puniendam perfidiam Iudæorum: ut quicunque aut superioribus vetita legibus, aut suis innexa placitis temerare voluerit, vel frustrare præsúpserit, mox iuxta sponsionem

sionem ipsorum gentis suæ manibus, aut lapide puniatur, aut igne cremetur. Quòd si denotatum crimine reum Principalis pietas reservaverit victurum, illi cui placuerit serviturus à Rege donetur, & omnia bona eius aliis possidenda tradantur. Sicque fiat, ut nec rem amissam recipiat dominus, nec libertatem reparet servus.

XII. FLS. GLS. RCDS. REX.

Ne Iudæi Christianum mancipium circumcidant.

NVlli Iudæo liceat Christianum mancipium comparare, nec donatum accipere. Quòd si comparaverit, vel donatum acceperit, & circumciderit, precium perdat, & quem acceperat liber permaneat. Ille autem qui Christianum mancipium circumciderit, omnem facultatem suam amittat, & fisco aggregetur. Servus verò vel ancilla qui contradixerint esse Iudæi, ad libertatem perducantur.

XIII. FLS. SISEBVTVS REX.

De mancipiis Christianis, quæ à Iudæis aut vendita, aut libertati tradita esse noscuntur.

SAnctissimis ac beatissimis Agapio, Cecilio, item Agapio Episcopis sive iudicibus ibidem institutis, similiter & reliquis sacerdotibus & iudicibus in territorio Arbi, Vrgi, Sturgi, Illiturgi, Biaciatui, Agatugiæ, Ebagri & Epagri consistentibus.

Dudum latæ constitutionis auctoritas à domno & præcessore nostro Recaredo Rege sufficere poterat, ut mancipia Christiana nullatenus in Hebræorum iure manerent obnoxia: sin postmodum contra iustitiæ instituta eorum pravitas subripiendos Principum animos aliqua sibi iniusta non poscant beneficia. Proinde quia Deo adiuvante legem fieri decrevimus, & fraudibus eorum per diversa capitula obstitimus: ideo pro eo quod retro tempore fuerat vitiatum, iuxta edictum antè dicti Imperatoris decernimus: ut si qua Christiana mancipia eo tempore quo auctoritas data est, in eorum iure fuisse probantur: seu sint libertati tradita, seu fortè ad libertatem non fuerint perducta: ad civium Romanorum privilegia, iuxta nostræ legis huius edictum transire debeant. Nam & si qua illicito ausu de eisdem mancipiis, quæ per constitutionem regiam fuerant absoluta, in iure cuiuslibet per quamcunque scripturam transegisse visa sunt: rescissa tali colligatione, ad statum ingenuitatis recepto iuxta leges pretio à venditoribus revertantur, & prænotati in polypticis publicis, atque secundum eorum peculium iustissima de ratione censiti, vitam in propriis laboribus in ingenuitatem transire valeant. Si qua verò mancipia post metas dierum, in qua auctoritas sæpe dicti Principis promulgata est, ab illis quoquolibet titulo iustissimè conquisita sunt, aut vendere, aut libertare, prout maluerint, usque ad Kalendas Iulias licentiam illis tribuimus. Hi verò Christiani, qui ab Hebræis quocunque tempore circumcisi sunt, vel in ritu eorum sunt, legali ordinatione multentur. Nam & de his, qui per legem absoluti esse cernuntur, quia ab ipsis Hebræis servi addicti sunt, vel huc usque detenti, sicut de in-

genuis legibus eis satisfacere non morentur. Iudæi igitur, qui ad fidem sanctam confugium visi sunt fecisse, portionem sibi debitam ex successione parentum aut mancipiis accipiant: venditionum verò quæ factæ fuerant, quas in unum tempus venditionis invenerit parentum vel filiorum, nulla sit in distrahendo divisio, sed in unum ad comparantis transeant dominium. Nam & quisquis de Iudæis sub nomine proprietatis fraudulenta suggestione aliquid à præcessoribus nostris visus est promeruisse, exacta eius auctoritate fisco nostro faciatis sociari. Mancipia verò Iudæorum, quæ ad baptismi gratiam fecerunt confugium, ubicunque reperta fuerint exigantur, & libera dominis suis reddantur: ita & qui habet suum peculium, in ea libertate illi conferatur; & qui non habuerit, à manumissore prout vires habuerit illi concedatur; & descripti, sicut & ceteri eorum liberti, census pro eo peculio illis imponatur.

XIV. FLS. SISEBVTVS REX.

Vt nullis modis Iudæis mancipia adhæreant Christiana, ne in sectam eorum modo quocunque ducantur.

VNiversis populis ad regni nostri provincias pertinentibus. Salutifera remedia nobis gentique nostræ conquirimus, cùm fidei nostræ coniunctos de infidorum manibus clementer eripimus. In hoc enim ortodoxa gloriatur fidei regula, cùm nullam in Christianis habuerit potestatem Hebræorum execranda perfidia. Abominanda sunt in Christianis funesta Iudæorum imperia, & reducenda est sub amore Catholico plebs Deo sacrata in gratiam. Ob hoc hac in perpetuũ valitura lege sancimus, atq; omni cum palatino officio futuris temporibus instituentes decernimus, ut nulli Hebræo ab anno regni nostri feliciter primo Christianum liberum, vel servum mancipium in patrocinio, vel servitio suo habere liceat. Nullum ex his mercenarium, nullumq; sub quolibet titulo sibimet adhærentem, hæc divalis sanctio fore permittit. Vendere tamen infra fines regionum nostrarum in his locis, ubi commanere videntur, cum omni peculio Christiano, cui fas fuerit, iustissimo pretio libera facultas subiaceat: nec liceat venditoribus in alias eos regiones transferre, nisi ubi eorundem mancipiorum cessio iudicatur & mansio. Quòd si ita proveniat, ut hi qui transacti fuerant, nihil in suo videantur habere peculio: tantum his mancipiis à venditoribus dari præcipimus, quantum illis sufficere ad excolendum, vel gubernandum se invenerit comparantis electio: ne sub nomine emptionis non tam transactio, quàm videatur esse exilium. Libertare verò servum Christianum Hebræus si maluerit, ad civium Romanorum dignitatem eundem manumittere debebit, nulli scilicet Hebraico vel quolibet obsequio reservato: sed vitam suam ubi voluerit manumissus, procul ab Hebræorum consortio transigendi habeat potestatem. Quod si calliditatis fraudulentia Hebræus effectus venditionem atque libertatem tali sub dolo confecerit, ut quædam deceptionis argumentatio, vel venundatio, vel manumissio futuris temporibus invido dolo præveniat, quatenus hunc captiositas ementis atque vendentis dolo malo decipiat: huius nefandi sceleris argumentum ingenuus si prodiderit, facultatem sibi profuturam in omnibus Iudæi percipiat. Christianus

stianus verò reverà, quem similis præsumptio reum fecerit, nullis si fuerit facultatibus dilatatus, in servitium cui Princeps voluerit redigatur. Si rerum illi certè ambitio fuerit, medietate fisco coniuncta, perpetua ipse infamia notetur. Servus verò huius calliditatis detector liberum se gaudeat futurum, & in eius consistat assiduus patrocinio, in cuius cernitur hactenus fuisse servitio. Vt autem eius firmissima libertas permaneat, vicarium à fisco servum dominus pro eodem accipiat: & insuper libra auri ab ipsis, quorum revelabit scelera, illi exacta proficiat. Quòd si Hebræus circumciderit Christianum, aut Christianam in suam sectam ritumvè transduxerit, cum augmento denuntiantis capitali subiaceat supplicio, eiusque sine dubio bona incunctanter sibi vindicet fiscus. Mancipia verò, quæ ex Christianorum & Hebræorum cœnobiis nata vel genita esse noscuntur, id observari censuimus, ut Christiana efficiantur. Si certè hi, qui in ritum Hebræorum traducti sunt, in ea perfidia stare voluerint, ut minimè ad sanctam fidem perveniant: & in cœtu populi verberibus cæsi, atq; turpiter decalvati, & alicui Christiano, cui à nobis iussum fuerit, perpetuò servituri tradantur. Quòd si tam illicita connubia fuerint præventa, id elegimus observandum: ut si voluntas subiacuerit, infidelis ad fidem sanctam perveniat. Si certè distulerit, noverit se coniugali consortio divisum atque divisam, in exilio perenniter permanere. Inter cetera hoc adiicientes præcipimus, ut dum quispiam ab Hebræorum certa devotione in Catholicam confugium fecerit fidem, & purificationis unda lavacrum sanctum susceperit, quidquid eodem tempore in omnibus rebus comprobatur habere, remota cunctorum molestia, ut verè fidelis, sibi perpetim vindicet. Hoc verò edictum infra diem Kalendarum proximè succedentium Iuliarum implere cunctos per nostras à Deo collatas regiones modis omnibus permonemus. Quibus evolutis Kalendis, apud quemlibet Hebræorum Christianum reppertum fuerit mancipium, medietas substantiæ huius Hebræi fisco subiaceat, & libero reddito, qui per suam proditionem fuerit apud eum reppertus, nihil sibi Hebræus de persona eius, vel peculio ultrà defendat. Hanc ergo legem, quam pietatis & religionis amore concepimus pro nostro populique nostri remedio, in perpetuum suffragante auctore Domino valituram esse censemus. Successores quoque nostros legis huius instituta servantes, victrix Christi victores faciat dextera; & eius solium in veritate corroboret, cuius in hoc fidem inspexerit divina clementia. Et licet huius legis prolatam sententiam à nemine temerari posse credamus: audacia tamen transgressoris, & non venerabiliter conversantis, sit in hoc seculo ignominiosior cunctis hominibus, & vita illius eodem in tempore concidat, quòd sinistræ partis assensum in tam nefaria cum voluntate perduxerit detestanda temeritas: tantumque obnoxius in æternum peccatorum mole detineatur, in quantum transgressus fuerit legis huius salubre decretum. Futuri etiam examinis terribile cùm patuerit tempus, & metuendus adventus Domini fuerit reseratus, discretus à Christiano grege perspicuo ad lævam cum Hebræis exuratur flammis atrocibus, comitante sibi diabolo: ut ultrix flamma in transgressoribus æternâ pœnâ deſæviat, & locuples remuneratio Christianis faventibus hinc in æternum copiosa detur.

XV. FLS. GLS. RCDS. REX.

De interdicto omnibus Christianis, ne quis Iudæum quacunque factione aut favore vindicare aut tueri pertemptet.

IN conclusione omnium præteritarum legum, quæ ad conterendam perfidiam Iudæorum tam nostra intentione, quàm præcessorum nostrorum studia decreverunt, oportuit hanc novissimè legem ad robur soliditatis adiicere, & competenti munimento promissa ex ordine roborare. Postquam enim dedimus sacræ fidei profanis hostibus competens repudium, & cunctis inventionibus perfidorum posuimus exoriri terminum, debitè compulsi sumus & ea quæ concreta sunt solidare, & quæ solidata sunt pulchritudine venustare: ut quantò artifex vivaciùs expressit ingenium cogitationis in artem, tanto vigorem simul & decus adsumat qualitas formæ. Ne ergo quibuscunq; adinventionibus calliditas Iudæorum indesinenti persequenda conatu subrepat, aperiens profano iuri licentiam, hoc evidenter in legis huius decernitur sanctione: ut nullus de religiosis cuiuscunque ordinis vel honoris, seu de palatii mediocribus atque primis, vel ex omnibus cuiuslibet qualitatis aut generis, aut principum vel quarumcunque potestatum, aut obtineat, aut subprimat agnitos Iudæos, sive non baptizatos, in suæ observationis detestanda fide & consuetudine permanere: sive eos qui baptizati sunt ad perfidiam ritùmve pristinum quandoque redire. Nullus sub patrocinii nomine eos pro suæ pravitatis licentia conetur in quippiam defensare. Nullus quocunque argumento aut factione illis hanc defensionem conetur impendere, per quam liceat eis obvia sanctæ fidei, & Christiano contraria cultui, palam aut occultè aliquatenus attentare, nequiter proferre vel tangere. Quòd si quispiam hæc præsumpserit temerare: si Episcopus fuerit, aut etiam ex ceteris clericis atque religiosis, vel certè ex cunctis laicis quisque deprehensus extiterit, à conventu Catholicorum seclusus, & excommunicatione ecclesiastica ferietur, & quartæ partis omnium suorum bonorum amissione mulctabitur, quæ fisco non dubiè quantocius connectetur. Dignum etenim est eos aliquandiu à fidelium Christi societate divelli, & rerum dampno mulctari, qui apponunt Christi amorem & veritatis speciem consensu inimicorum eius detestabiliter impugnare: in legum transgressoribus illa immobiliter sententia permanente, quam diu piæ memoriæ Sisebutus Rex visus est in huiusmodi actione superiorem legem sanxisse.

XVI.

Placitum Iudæorum in nomine Principis factum.

CLementissimo ac serenissimo domino nostro RECESVINDO Regi, omnes nos Hebræi Toletanæ civitatis atque Hispaniæ gloriæ vestræ qui infra subscripturi vel signa facturi sumus.

Benè quidem ac iustè nos meminimus compulsos fuisse, ut placitum in nomine divæ memoriæ Chintilani Regis pro conservanda fide Catholica conscribere deberemus, sicut & fecimus. Sed quia perfidia nostræ obstinationis, & vetustas parentalis erroris nos ita detinuit, ut nec veraciter in Iesum Christum Dominum crederemus, nec Catholicam fidem sincerè teneremus:

remus: idcirco nunc libenter ac placidè spopondimus gloriæ vestræ, tam pro nobis, quàm pro uxoribus, & filiis nostris, per hoc placitum nostrum; ut deinceps in nullis observationibus, in nullis incestivis usibus Iudaicis misceamur. Iudæis etiam non baptizatis nullo penitus execrando consortio consociemur. Non more nostro propinquitatem sanguinis, usque ad sextum gradum incestiva pollutione in coniunctione vel fornicatione iungamur: non coniugia ex genere nostro, aut nos, aut filii nostri, vel nostra posteritas ullatenus sortiamur: sed in utroque sexu deinceps Christianis iugali copula connectamur. Non circumcisionem carnis operemur: non Pascha & sabbata, ceterosque dies festos, iuxta ritum Iudaicæ observationis celebremus: non escarum discretionem vel consuetudinem teneamus: non ex omnibus, quæ Iudæorum usus & abominanda consuetudo vel conversatio agit, aliquatenus faciamus. Sed sincera fide, grato animo, plena devotione in Christum filium Dei vivi, secundum quod Evangelica & Apostolica traditio habet, credamus, atque hunc confiteamur ac veneremur. Omnes etiam usus sanctæ Christianæ religionis, tam in festis diebus, vel in coniugiis & escis, quàm in observationibus universis veraciter teneamus, & sinceriter amplectamur: nullo reservato apud nos aut oppositionis obiectu, aut fallaciæ argumento, per quod aut illa quæ facere denegamus, iterum faciamus; aut hæc quæ facere promittimus, minimè vel non sinceriter compleamus. De suillis verò carnibus id observare promittimus; ut si eas pro consuetudine minimè percipere poterimus, ea tamen quæ cum ipsis decocta sunt, absque fastidio & horrore sumamus & comedamus. Quòd si in his omnibus, quæ supra taxata sunt, in quocunque vel minimo transgressores inventi fuerimus, & aut contraria Christianæ fidei agere præsumpserimus, aut quæ congrua Catholicæ religioni promisimus, verbis aut factis implere distulerimus: iuramus per eundem Patrem & Filium & Spiritum sanctum, qui est unus in Trinitate & verus Deus, quia si ex nobis omnibus vel unus transgressor inventus fuerit, à nobis aut ignibus, aut lapidibus perimatur. Aut si hunc ad vitam gloriæ vestræ reservaverit pietas, mox amissa libertate, tam eum, quàm omnem rei ipsius facultatem, cui volueritis perenniter serviendum donetis: vel quidquid ex eo, vel ex rebus eius fieri iusseritis, non solùm ex regni vestri potentia, sed etiam ex huius placiti nostri sponsione potestatem liberam habeatis. FACTVM PLACITVM SVB DIE XII. KALENDAS MARTIAS, ANNO FELICITER SEXTO REGNI GLORIÆ VESTRÆ. IN DEI NOMINE TOLETO.

XVII. FLS. GLS. CIN. REX.

De Iudaizantibus Christianis.

Sicut deflendum est à Christianis eorum scelus, qui in Christo prævaricatores existunt: ita modis omnibus decernendum, ut nullus omnino veniam mereatur, qui à meliori proposito ad deterius declinasse convincetur. Quia ergo crudelis est stupenda præsumptio, crudeliori debet extirpari supplicio: ideo legis huius edicto decernimus, ut quicunque Christianus, & præsertim à Christianis parentibus ortus, sexus scilicet utriusque circumcisionem, vel quoscunque ritus Iudaicos exercuisse reppertus est, vel (quod Deus aver-

tat) potuerit ulteriùs reperire, conspiratione & zelo Catholicorum, tam novis & atrocibus pœnis afflictus turpissima morte perimatur, quàm horrendum & execrabile malum est, quod ab eo constat nequissimè perpetratum. Eorum verò bona sibi proculdubio fiscus adsumat: si heredes vel propinquos talium personarum facti huius error consentiendo commaculet.

TITVLVS III. DE NOVELLIS LEGIBVS IVDÆORVM, QVO ET VETERA CONFIRMANTVR, ET NOVA ADIECTA SVNT.

XX. *Vt*

I. IN NOMINE DOMINI FLS, GLS. ERVIGIVS REX.

De commemoratione priscarum legum, quæ in Iudæorum transgressionibus promulgatæ sunt, atq; de novella confirmatione earum.

PErfida Iudaici erroris sæpe calliditas eo vehementiùs durescit in crimine, quo institutis contra se legibus nititur frequentiùs contraire. Et ideo posituri tot tantisque eorum erroribus novitatis ordine leges, libet tamen illas primùm à dominis & præcessoribus nostris promulgatas in eorum transgressionem constitutiones intendere, & ordinatim præcedentium edicta retexere: ut ex hoc collata cum veteribus nova, & vetera in his quæ recenter sunt edita confirmentur, ut condecet, & nova sic ordinentur, ne præterita citra rationem videantur confundere: quo uniformis membri compago, ex utrisque legibus ordinata, clara hic iustitiæ manifestatione eluceat. Si quod in præteritis legibus confirmatione sit dignum, quidvè novitatis edictu inconvulsibile censeatur, eo luce clarius pateat, quò complexa hic ex utrisque veritas extiterit declarata. Et ideo in eisdem præcedentium legum statutis reperimus legem, quæ de omnium hæresum erroribus abdicandis promulgata consistit: in qua lege id adiiciendum emendandumque evidens ratio persuasit: ut si cuiuslibet hæresis permotus quisque insania, contempserit ipsius legis in aliquo instituta, cuiuscunque sit generis ordinisvè persona: si publica perversum dogma defensione vindicare voluerit, sub arduo erit pœnitentiæ exilio relegandus: eius quoque bona in Principis potestate consistant: qualiter si ipse perversi erroris sectator corrigi usquequaque destiterit, & ille ab exilii nullo modo revocetur ærumna, & res eius, cui eas Princeps conferre voluerit,

inconvulsè deserviant. Ceterùm si quis ignorantiæ præcipitio deditus, cuiuslibet erroris sectam aut corde tenuerit, aut verbis vindicare voluerit, vel factis quibuslibet ostenderit, ad Episcopum loci vel quemlibet sacerdotem se instruendum remittat, qualiter ab eo unà cum consensu Metropolitani formulam rectæ institutionis accipiat. Iam verò si ab his hæreticus quisquis ille commonitus vel instructus se distulerit corrigere, superioris sententiæ iacturam ordine superiùs adnotato sustineat. Idq; in illos est latum, qui publica defensione adversam nostræ fidei iudicaverint sectam. Denique ab hinc speciales relaturæ sunt leges, quæ in Iudæorum sunt transgressionibus positæ: id est de datis & confirmatis legibus supra Iudæorum nequitiā promulgatis, sive de cunctis Iudæorum erroribus generaliter extirpandis, & ne Iudæi more suo celebrent Pascha, neque ut more suo fœdus nuptiale copulare præsumant, & ut carnis circumcisiones non faciant, neque more suo iudicent escas, ac ne quæstionem Christianis inscribant, neque contra Christianos testificentur, & ne Iudæus Christianum mancipium circumcidat. De mancipiis quoque Christianis, quæ à Iudæis vendita, aut libertati tradita esse noscuntur, qualiter statum libertatis obtineant, & ut nullo modo Iudæis mancipia deserviant Christiana: de interdicto quoque omnibus Christianis, quo prohibetur ne quisque Iudæum quacunque factione atque favore vindicare vel tueri pertemptet, atque de Iudaizantibus Christianis. Harum igitur fortissimarum legum sententia in prædictorum Iudæorum perfidiam promulgata, exceptis duobus subter adnexis capitulis, ceterisque aliis quæ contraria inveniuntur, & his iustitiæ regulis, & his institutionibus nostris, omnia, ut dictum est, iugi temporum æternitate valitura censemus, & inrevocabili glorioso serenitatis nostræ oraculo confirmamus, atque in tantum eis consultum valetudinis robore celebriori porrigimus, in quantum nil repugnans habuerunt, cum his quæ novitatis nostræ sententia definimus. Nam in quibusdam ipsis legibus, quod nobis inconveniens videtur atque contrarium, & duo interim inter cetera repugnantia rationi vel institutioni nostræ capitula continet: quæ licet tempta usque hactenus nullo modo, nullius tamen vigoris deinceps valetudinem retinebunt. Illa siquidem in his sententiis prima est, per quam Iudæis datur execranda licentia manumitti Christiana mancipia. Secundum sanè capitulum non solùm reprehensibile nobis videtur, sed impium, ubi totius universitas culpæ, ad unius redigitur dampnationem vindictæ. Nam quædam legis sicut culparum habent diversitates, non ita discretas in se retinent ultiones, sed permixta scelera transgressorum ad unius permittuntur legis pœnale iudicium. Nec secundum modum culpæ, modus est adhibitus pœnæ, cum maior minorq; transgressio, unius non debeat multationis prædampnari supplicio: præsertim cùm dominus in lege sua præcipiat; *Pro mensura peccati erit & plagarum modus.* Vnde lex ipsa quæ inscribitur de pœna, qua perimenda sit transgressio Iudæorum: *quia Deus mortem non vult, nec lætatur in perditione vivorum:* pro eo quòd in se peremptionem continet mortis, in nullo veræ valetudinis retinebit statum. Proinde iam nunc ad operiendum malitiæ caput, ad denegandum infidelitatis commentum, ad perimendum profanationis elogium,

elogium, alacri intentione procurram, nisu validæ oppugnationis obsistam, fortia in perfidis præceptionum tela obiiciam.

II.

De blasphematoribus sanctæ Trinitatis.

SIcut veritas sacri Evangelii prædicat, prolatum in fratrem contumeliæ verbum, iudicio reum adsignat: quanto magis peccantem in Spiritum sanctum divinæ animadversionis sententia dampnat, quod irremissibile hîc & in futuro Salvator ipse denunciat. Et ideo si quis Christi filii Dei blasphemaverit nomen, eiusque sacrum corpus & sanguinem aut contempserit sumendum percipere, aut perceptum visus fuerit reiecisse, vel quamlibet iniuriarum blasphemiam in sanctam dixerit Trinitatem, id est in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: tunc instantia sacerdotis vel iudicis, in cuius civitate, castro vel territorio hoc malum exortum fuerit, blasphemator ipse centenis decalvatus flagellis subiaceat, & ardua in vinculis constitutus perpetui exilii conteretur ærumna. Res tamen eius in potestatem Principis redactæ manebunt, qualiter in iure eorum, cui eas potestas conferre elegerit, inconvulse persistant.

III.

Ne Iudæi, aut se, aut filios suos, aut famulos baptismi gratiæ subtrahant.

CVm veritas ipsa petere, quærere, & pulsare nos doceat, præmonens quòd regnum cœlorum violenti diripiant: in nullo est dubium, quòd ille indultæ gratiæ munus abhorreat, qui ad eam procedere ardenti animo non festinet. Proinde si quis Iudæorum, de his scilicet qui nondum sunt baptizati, aut se baptizare distulerit, aut filios suos vel famulos nullo modo ad sacerdotem baptizandos remiserit, vel se, suosque de baptismo subtraxerit, & vel unius anni spatium, post legem hanc editam, quispiam illorum sine gratia baptismatis transierit: horum omnium transgressor, quisquis ille repertus fuerit, & centũ flagella decalvatus suscipiat, & debita multetur exilii pœna. Res tamen eius ad Principis potestatem pertineant: qualiter si incorrigibilem durior eum ostenderit vita, perpetua in eius, cui eas Princeps largiri voluerit, potestate permaneant.

IV. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Ne Iudæi more suo celebrent Pascha, vel carnis circumcisionem exerceant, ac ne Christianum quemq; à fide Christi dimoveant.

SI obstinata Iudæorum perfidia non tam figuris, quàm veritati observantiam legis impenderet, nunquam gloriæ Dominum crucifixisset. Pascha enim nostrum immolatus est Christus. Et si cordis nobis circumcisione gauderet, adumbratam illam corporis expoliationem nullo modo in carne exprimeret, propheta dicente: *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum.* Vnde nos, non tam figuris prætereuntibus inhærentes,

ſed veritatis promiſſionibus certiores, id omnino obſervandum præcipimus: ut ſi quis Iudæorum ritu ſuo Paſcha celebraverit, centenis verberatus flagellis, & turpiter decalvatus exilio diutino mancipetur, & eius res fiſco adſociandæ ſunt. Illis verò qui carnis circumciſiones in Iudæis vel Chriſtianis exercere præſumpſerint: quiſquis hæc aut intulerit alteri, aut fieri ab altero permiſerit ſibi, veretri ex toto amputatione plectetur, & res eius fiſci iuribus ſociandæ ſunt. Mulieres tamen quæ aut circũciſiones exercere præſumpſerint, aut circumcidendos quiſque cuilibet circumciſori obtulerint: naribus abſciſſis, & rebus omnibus in Principis poteſtate redactis, lugebunt facinus ſuæ præſumptionis. Simili quoque & illi pœna plectendi ſunt, qui Chriſtianum vel Chriſtianam à fide dimoverint Chriſti, vel ad ritum Iudaicæ prævaricationis adduxerint.

V. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Ne Iudæi ſabbata ceterasq; feſtivitates ritu ſuo celebrare præſumant.

FIguris præeuntibus quempiam operum indeſinenter exhibitiones impendere, quid eſt aliud, quàm veritatis amatorem non eſſe? Vnde reprobabile id Dominus per prophetam inſinuans ait: *Neomenias, ſabbata, & ſolempnitates veſtras odivit anima mea.* Ob hoc nobis, quibus Apoſtolico præceptum eſt ore, ut potiùs in novitate ſpiritus, quàm in vetuſtate litteræ ambulemus, id infidis fideli intentione præcepimus: ut ſi quis Iudæorum neomenias, ſeu feſtivitates tabernaculorum, vel ſabbata, ferias quoque vel ceterarum feſtivitatum ſolempnitates & ritus, ſuo more peregerit, vel celebrare præſumpſerit, & centenis decalvatus flagellis ſubiaceat, & exilii debita multetur ærumna. Bona quoque eius ad Principem redeant: qualiter ea aut perfectè converſo illi aliquando reſtituat, aut eo in malis perdurante, aliis quibus fas eſt, ſervitura concedat.

VI. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Vt omnis Iudæus diebus Dominicis, & in prænotatis feſtivitatibus, ab opere ceſſet.

IN nullo eſt dubium, illum manifeſtè fidei Catholicæ adverſari, qui reverentiam diebus Dominicis non impendit. Vnde negatores vel diſturbatores fidei noſtræ iuſtiſſimè inſequentes, id religioſa ſanctione iubemus: ut ſive ſit Iudæus, ſive Iudæa, quodlibet opus ruraliter diebus Dominicis exercens, vel lanificia faciens, ſeu quaſcunq; operationes in domibus, agris, vel ceteris talibus agens, extra quàm nobilium honeſta Chriſtianorum conſuetudo permittit: præſumptor huius rei decalvatus verberibus centenis ſubiaceat. Quòd ſi forſitan ſervi eorum vel ancillæ in his, & talibus diebus reperiantur ſupradictis laboribus occupati, tunc & ipſi ſimili ſunt ſententia feriendi: domini tamen eorum, ſi ſervos ſuos permiſerint talia agere, c. ſolidos auri fiſco compellendi ſunt reddere. Dies tamen ipſi, qui ab iiſdem Iudæis ſollicitâ devotione ſunt obſervandi, hi ſunt: id eſt, Feſtum ſanctæ virginis Mariæ, quo glorioſa conceptio eiuſdem genitricis Domini celebratur. Item natalis Chriſti, vel circumciſionis, vel apparationis ſuæ dies. Paſcha quoque ſanctum, vel dies ſacratiſſimi octavarum. Inventionis quoq; ſanctæ crucis dominicæ

dominicæ festum, necnon & ascensionis dominicæ diem, vel Pentecostem, seu etiam concurrentes toto anno dies Dominicos, religiosa Christi fide venerabiles.

VII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Ne Iudæi more suo diiudicent escas.

ILlud sanè quod Iudæorum detestabilis conversatio Iudaica superstitione pollutior, mundas ab immundis diiudicans escas, aliud adsumit, aliud reiicit, in quacunque huius observantia inventus fuerit error, id est, ut aliter id faciat, quàm honesta Christiani moris est consuetudo: tunc iudicis instantia, in cuius territorio actum extiterit, turpiter decalvetur, & centenis verberibus feriatur. Huius sanè legis omnimoda præceptionis integritas, sicut de escis, ita & de poculis observanda est, scilicet ut superioris iacturæ supplicium perferat. Simili quoque ordine & illi, qui à Christianis poculis se abstinere præsumpserint, patiantur. De escis tamen, id est de porcinis tantùm carnibus, id discreta, nec remissa pietate decernimus: ut quicunque ex illis de suillis forsan carnibus vesci penitus abhorrescunt: si fortè natura fastidiente refugiunt, & non more illo perversitatis hoc ipsum diiudicantes contemnunt, præsertim si in ceteris operibus Christianis similes habeantur, & Christianitatis ab eis non defuerit votum, atque omnimodæ operationis studium: tunc hi tales, qui fideles in reliquis conversationibus approbantur, pro hac sola reiectione suillarum carnium ad iacturam legis superius comprehensam teneri non poterunt. Quia valde videtur æquitati contrarium, ut quos manifesta operum Christi nobilitat fides, pro sola reiectione unius cibi teneantur notabiles.

VIII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Ne Iudæi ex propinquitate sui sanguinis connubia ducant, & ut sine benedictione sacerdotis nubere non audeant.

NVlli Iudæorum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis, vel uxoris suæ, atque etiam virorum, iuxta legem quæ in Christianis est lata, usque ad sextum generis gradum connubia ducere, vel incestum macula operari. Huius igitur fœdæ permixtionis illecebra tali multabitur pœna, ut separati ab invicem, & centena publicè decalvati flagella suscipiant, & exilio relegati sub pœnitentia maneant: eorumque bona ad filios, quos de præcedenti coniugio habuerint, redeant. Si tamen & ipsos aut in nullo Iudaicæ prævaricationis maculaverit noxa, aut nulla incesti nationis sordidaverit macula. Quòd si aut nullos habuerit filios, aut animos, ut dictum est, vel Iudaicus involuerit error, vel incesti fœdaverit natio: tunc facultas prædictorum omnimoda in Principis potestate consistat, qualiter principali discretione res ipsa aut in Christianis eorum heredibus concessa permaneat: aut si heredes huiusmodi dignitatis defuerint, fisco nostro sociata deserviat. Illud tamen modis omnibus observandum fore præcipimus: ut si quis Iudæus, sive Iudæa noviter nuptiale festum celebrare voluerint, non aliter quàm cum præmisso dotis titulo, quod in Christianis salu-

bri institutione præceptum est, vel sacerdotali benedictione intra sinum sanctæ Ecclesiæ percepta, coniugum cuiquam ex his adire permittimus. Quòd si vel sine benedictione sacerdotis quisque Hebræorum noviter coniugium duxerit, vel solempnitatem legis pro dotali titulo in quocunque transcenderit, aut c. Principi solidos coactus exsolvat, aut c. publicè verberatus flagella suscipiat. Hæc scilicet dampna vel verbera singulatim unusquisq; percipiat: videlicet tam ille qui nupsit, quàm ea quæ nupta est, vel etiam parentes eorum, unusquisque pro se iacturam legis huius suscipiat.

XI. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Ne Iudæi religioni nostræ insultantes sectam suam defendere audeant, ac ne fidem nostram fugientes alibi se transducant, & ne quilibet eos refugientes recipiat.

IAm sanè si quis Iudæorum palàm vel occultè religioni nostræ Christianæ insultare præsumpserit, si quis etiam Christianam fidem verbis subvertere, aut sectæ suæ nisus fuerit defendere vanitatem: nec non quisquis disciplinam fidei Christianæ refugiens, aut in terram nostri regiminis se occultandum iniecerit, aut in aliis partibus se latitandum transduxerit: si quis etiam huiusmodi transgressoribus latibulum in quocunque præbuerit, aut eius fugæ conscius fuerit: cunctorum omnium capitulorum quisquis ille fuerit transgressor inventus, & centenis decalvatus multabitur plagis, & rebus eius in Principis potestatem redactis, exilii conteretur ærumnis.

X. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Ne Christianus à Iudæo quodcunq. munus contra fidem Christi accipiat.

QVam sit extraneum à Christianæ fidei regula, qui defensorem se veritatis insimulat, & veritatem ipsam munerum acceptione commaculat, audiat contra se Prophetam dicentem: *Pro eo quòd vendidistis argento iustum, & pauperem pro calceamento: ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno, & peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non salvabit animam suam, & tenens arcum non stabit, & velox pedibus suis non salvabitur, & ascensor equi non salvabit animam suam, & robustus corde inter fortes nudus effugiet.* Quis enim hic venditus argento iustus accipitur, vel pauper pro calceamento, nisi unigenitus filius Dei patris? cuius innoxius sanguis xxx. olim à Iudæis taxatus argenteis, quotidie venumdatur ab illusoribus veritatis. Et ideò sunt quidam ex fidelium numero, qui quasi zelo fidei Iudæorum culpas se detegere vel plectere valida intentione promittant, quos tamen depravat solitæ cupiditatis illecebra. Nam si talibus quodcunque forsan fuerit à perfidis in munerum collatione oblatum, illico retiscescunt, & errores talium, quos vindicare & detegere ante præmissum sibi beneficium nitebantur, percepto miserabili quæstu impunitos transire permittunt. Vnde nulli Christiano licebit cuiuscunque

cunque sit generis, aut dignitatis, ordinis, sive personæ, sive ex religiosis, sive etiam ex laicis, quodcunque beneficium contra fidem Christi, à quolibet Iudæo vel Iudæa, sive etiam per eorum internuntios, quodcunque sibi illatum accipere, neque se ob talium vindicationem contra regulas fidei Christianæ oblatis sibi præmiis implicare. Si quis autem qualibet beneficiorum exhibitione corruptus, aut agnitos errores Iudæorum cœlaverit, aut, ne pravitas talium feriatur, quolibet modo obstiterit, & antiquis patrum regulis erit obnoxius, & tantum in duplo fisci erit partibus illaturus, quantum à Iudæo quisque ille accepisse fuerit comprobatus.

XI. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Ne Iudæi libros illos legere audeant, quos Christiana fides repudiat.

ILlis commodare lectionibus sensum, quibus fas non est præbere assensum, impietatis est potius, quàm pietatis indicium. Et ideo si quis Iudæorum libros illos legerit, vel doctrinas attenderit, sive habitos in domo sua cœlaverit, in quibus malè contra fidem Christi sentitur, & publicè decalvabitur, & centenorum flagellorum verberatione plectetur. Qui tamen cautionis vinculo alligabitur, ne unquam talium libros vel doctrinas apud se aut habere præsumat, aut attendere audeat, aut studiis meditandi assumat. Iam verò si post emissum placitum quodcunque tale repetere temptaverit, & decalvatus centenis flagellis subiaceat, & amissis rebus sub perpetui exilii conteretur ærumna: ut quia iam secundò visus est erroris sui iterasse vestigium, perenniter illis res eorum deserviant, quibus principali fuerint collatione concessa. Hæc & similia illi percipient, qui quemlibet infantium talia præsumpserint docere, id est, ut doctor ipse iniquitatis in prima transgressionis fronte depræhensus, & centenis subiiciatur decalvandus verberibus, & placiti sui polliceatur cautione, se talia ulterius neminem debere docere. Quòd si primævæ huius sponsionis maculans fidem contingat illi ea quæ abiecerat repedare, omni eius facultate in Principis potestate redacta ipse decalvatus, centenisque verberibus adiudicatus perpetuo erit exilio relegandus. Infantes tamen ipsi vel pueri tunc erunt à supradictis dampnis atque verberibus alieni, si hanc perfidiæ doctrinam intra x. annos ætatis suæ positi meditasse fuerint visi. Ceterum si post exemptos decem annos quisquis illorum talia attendere vel meditari præsumpserit, superioris constitutionis dampna vel verbera ordine superiùs adnotato sustineat.

XII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Ne Iudæis mancipia serviant vel adhæreant Christiana.

IMportabile satis Christiano videri debet flagitium, ut gens Iudaica, contra dominum rebellis semper & impia, Christiana mancipia suis habeat servitiis religata: & versa vice religionis nostræ honorabile Christi membrum humilietur ante filios perditorum, & portio dicata Christo per lavacrum, perfidorum obsequiis subiugetur. Sicque corpus Christi videatur obsequi Antichristi ministris: cùm præpostero ordine ipsi, qui nostram oppugnant moribus fidem, obsequentes habent ad impietatem famulos fidei nostræ.

Proinde legem illam, quæ à glorioso præcessore nostro divæ memoriæ Sisebuto Rege est edita, in huiusmodi causis tenendam esse sancimus, & omnẽ textum legis ipsius, exceptò ubi mortis ultio ponitur, glorioso serenitatis nostræ oraculo confirmamus: qualiter iuxta prædictæ legis edictum, ubi transgressores legis ipsius, successores scilicet regni, sub perpetua maledictionis censura obstrinxit. Nullus ex Iudæis mancipium Christianum habere præsumat, nec quidquam contra eiusdem legis monita agere præsumat, exceptò hoc uno, cùm eisdem Iudæis penitus non licebit, secundum quod lex ipsa permittit, ut Christianum mancipiũ Iudæus audeat manumittere. Quia valde indignum est, ut quos cœnosa servitus perfidiæ maculat, libertatis titulum Christianis imponant. Non enim est consequens, ut tenebræ lucem obnubilent, aut servitus præroget libertatem: præsertim cùm hoc in primæva tantummodo editione legis ipsius, cùm ad fidem primitus vocarentur, illis videatur fuisse concessum. Nunc verò Christianum quemquam mancipium manumittere omnino non poterunt, quia contra legis ipsius edictum, ut verè utique transgressores Christiana habere mancipia comprobantur, quibus sufficiat, si pro præteritis transgressionibus non damnentur. Nam modò illis hæc licentia penitus denegatur: quia contra interdicta legum, & Canonum agere præsumpserint. Hoc tantùm illis more concedimus pietatis, ut à primo anno regni nostri, id est à Kal. Feb. usque ad sexagesimum diem habeat quisque ille Iudæus iuxta tenorem prædictæ legis licentiam, Christiana venumdare mancipia, non tamen sine cognitione sacerdotum vel iudicum, ad quorum territoria pertinere noscuntur: ne & hi qui venumdandi sunt, dampna mortis perferant vel salutis, & his qui venditores existunt, locum agendæ fraudis vel inferendæ reperiant ultionis. Iam verò à prædictis Kalendis transacto sexagesimo die nulli Iudæorum licebit mancipium Christianum habere, non ingenuum, non etiam servum. Sed post peractum huius temporis spatium, id est sexaginta dierum, apud quemcũq; Iudæum mancipia Christiana repperiantur, cum collato sibi à dominis suis peculio, per huius nostræ legis edictum liberi erunt modis omnibus permansuri: si tamen se violenter à dominis suis obcœlatos esse probaverint. Iudæi tamen ipsi, qui expleto temporis supradicti spatio, tenere seu habere, vel occultare sive cœlare mancipia Christiana præsumpserint, aut etiam aliis quibuslibet modis hanc sanctionem serenitatis nostræ implere distulerint; aut medietatem rerum suarum fisco sociandam amittant, aut si viliores personæ fuerint, & non habuerint unde componant, centena decalvati flagella suscipiant.

XIII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Si se Iudæus Christianum esse testetur, & ob hoc non velit à se reiicere mancipium Christianum.

SI quorundam Iudæorum fraudulenta subtilitas, cavens quæstum rei suæ amittere, Christiano more se intimet conversari, & ob hoc dicat, non se amittere debere Christiana mancipia, quia & ipse Christianam videatur ducere vitam: his ordinibus comprobandum est, quo nec astuta fraus excusationem obtendat, nec sincera conversio casum cum ceteris pereuntibus perdat.

perdat. Ac per hoc id omnimoda sanctione decernimus, ut omnes Iudæi per universas regni nostri provincias constituti, ab anno primo regni nostri, Kal. scilicet Feb. usque in supervenientibus præsentis anni Kal. April. aut vendendi Christiana mancipia, iuxta præmissæ legis ordinem, licentiam habeant, aut si ea apud se retinere voluerint, his ordinibus se Christianos ostendant. Concedimus enim eis, id est his tantùm, de quibus evidens periurii suspicio non habetur, ut habeant LX. dierum, usque in Kal. præsentis anni Aprilibus salutare spatium, in quo possint, qui ex illis salvandi vel Christianæ fidei aggregandi sunt, ad Episcopos locorum concurrere, & manus suæ signis, vel subscriptionibus roborata illis suæ professionis fœdera publicare: in quas professiones id curabit quisquis ille innectere, quia ritus omnes Iudaicos abneget, & in nullo sequatur sectam prævaricationis antiquæ. Et quia ex toto corde pristinos errores relinquens ad fidem religionis conversus fuerit Christianæ, cum symboli quoque interpositione, & quòd ultrà ad vomitus sui nullo modò revertatur errorem, vel cetera secundum conscriptum professionis ipsius ordinem, quem post hanc legem curavimus adnotare. Has sanè professiones ne nudis tantummodò verborum promissionibus proferant, & aliud verbo promant, aliud corde retineant, sicque in eorum promissis simulatio potiùs, quàm veritas locum suum inveniat: sollicita Episcoporum, iudicumque instantia, illi ipsi, qui superioris professionis suæ patefecerint votum, allatis conditionibus iurare debebunt, quia quæ eorum professio continet, sincero & non maculato corde profiteantur, se donec advixerint conservare. Sicque fiet ut hi tales, quos & professio cum operis effectu dignos esse probaverit, & iurisiurandi pollicitatio devotos fore monstraverit, possint, utpote Christiani, Christianorum mancipiorum servitiis uti. Nam non aliter poterunt Christiana mancipia illorum dominio subiugari, nisi & ipsi evidenter comprobentur verissimi Christiani, & frequenter Christianorum societate coniungi. Iam verò qui post datam professionem, reddito sacramento iuxta superiorem ordinem, Christianum se esse devoverit, & in quolibet ritu Iudaicæ sectæ cultor, ac promissionis suæ transgressor esse reperiatur, quia & nomen Domini Dei sui ausus est profanare, & Iudaici erroris cœno polluere, amissis rebus omnibus, & in Principis potestatẽ redactis, & centum flagella decalvatus suscipiat, & exilii debita pœna conteratur. Illos tamen qui obdurato corde obstinatione malitiæ interclusi, infra dierum numerum superiùs constitutnm, aut professiones suas publicare destiterint, aut extra prædictum tempus Christianum mancipium habere præsumpserint, ad damnationem præmissæ legis, quæ de Christianis mancipiis lata est, ut Iudæis non serviant, teneantur obnoxii: id est, ut aut medietatem rerum suarum fisco sociandam amittant, aut, si viliores personæ fuerint, & non habuerint unde componant, centena decalvati flagella suscipiant. Mancipia tamen Christiana, quæ retinere apud se contra legum vetita præsumpserunt, quia se ipsa prædicti temporis spatio Christiana fuisse non prodiderunt, in eorum servitio, quibus à Rege donati fuerint, servituti perpetualiter permanebunt.

XIV.

Professio Iudæorum, quomodo unusquisque eorum ad fidem veniens, indicium professionis suæ conscribere debeat.

EGo ille abrenuncio omnibus ritibus & observationibus sectæ Iudaicæ, abominans in toto solempnitates vel ceremonias sive observationes omnes, quas in præteritis observavi vel tenui. Ita ut deinceps nihil de ritu vel celebritate earundem observationum exerceam, nihil de usu præteriti erroris assumam; id est, ut nec affectu talia quæram, nec opere quodcunque tale perficiam. Proinde abrenunciatis his omnibus, quę Christianitatis doctrina abominatur & prohibet:

CRedo in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ: visibilium omnium & invisibilium conditorem.

ET in unum Dominum Iesum Christum, filium Dei unigenitum, ex patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Natum, non factum, homousion patri, hoc est eiusdem cum patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos, & propter nostram salutem descendit de cœlo. Et incarnatus est de Spiritu sancto, & Maria virgine. Homo factus. Passus sub Pontio Pilato. Sepultus. Tertia die resurrexit. Ascendit in cœlos, sedet ad dexteram patris. Iterum venturus in gloria iudicare vivos & mortuos. Cuius regni non erit finis.

CRedo & in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem. Ex patre & filio procedentem. Cum patre & filio adorandum & glorificandum. Qui locutus est per Prophetas. Vnam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Expectans resurrectionem mortuorum. Vitam futuri seculi.

Hæc quæ in huius Symboli fidem à me præmissa sunt veraciter credens, fideliter retinens, & cum toto mentis meæ affectu amplectens, promitto ut nullo unquam tempore ad vomitũ superstitionis Iudaicæ redeam. Nunquam observationes vel ceremonias, quas Iudæi soliti sunt custodire, amodò aut opere impleam, aut cordis affectu retineam, abnegans in toto Iudaicam sectam, respuens in toto Iudæorum perfidiam, abiiciens quidquid Christianam fidem impugnat, & ita me abinceps veraciter in sancta Trinitate profiteor credere: ut Christiano more deinceps vivere debeam, & Iudæorum amodò consortia fugiens, cum honestis Christianis me semper adiungam, qualiter sive cum illis, sive absq; illis, Christianos semper cibos accipiam, & ad Ecclesiam Dei, ut verè fidelissimus Christianus, devotissimè & frequentissimè concurrere debeam. Sed & in festivitatibus Dominicis (sive etiam in Martyrum festis) quas Christianæ religionis pietas observandas decrevit, ita promitto eas ipsas festivitates devotè suscipere, & cum summo amore amplecti, & in his ipsis diebus semper cum Christianis honestissimis interesse, sicut honesta & pia Christianorum consuetudo id facere

cere vel suscipere consuevit. Facta est fidei vel credulitatis meæ professio sub die vel anno Regis.

XV.

Conditiones Iudæorum ad quas iurare debeant hi, qui ex Iudæis ad fidem venientes, professiones suas dederint.

IVro primùm per Deum patrem omnipotentem, qui dixit, *per memetipsum iurabitis, & non periurabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt:* & mari posuit terminos, dicens: *Vsque huc venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Qui dixit: *cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Qui primùm Archangelum superbientem de cœlo proiecit: ante cuius conspectum adstat omnis exercitus Angelorum cum tremore: cuius aspectus arefecit abyssos: & indignatio tabescere montes facit. Qui primum hominem Adam in paradiso constituens, ei præceptum dedit, ne de vetito pomo comederet ligni; quo degustato, & de paradiso est proiectus, & cathenæ prævaricationis vinculo se unà pariter cum genere humano adstrinxit. Qui Abel sacrificium libenter accepit, & Cain indignum iustè reprobavit. Qui Enoch in huius vitæ corpore in paradiso conservans cum Helia, in extremo huius seculi fine morituros ad medium reducturus est. Qui Noë cum uxore & tribus filiis, cum uxoribus vel animalibus aut volatilibus atque reptilibus in arca tempore diluvii conservare dignatus est, per quod unumquodque genus recuperaretur. Qui de Sem filio Noë, Abraham & omnem Israëliticum populum propagare dignatus est. Qui Patriarchas & Prophetas elegit, & benedixit Patriarchis Abrahæ, Isaac, & Iacob. Per eum, qui sancto Abrahæ promisit, dicens: *in semine tuo benedicentur omnes gentes*; dans ei signum circumcisionis in fœdere sempiterno. Iuro per eum, qui Sodomam subvertit, & uxorem Loth aspicientem retrorsum in salis convertit statuam. Et per eum, qui luctatus est cum Iacob, & tangens nervum eius claudicare eum fecit, & dixit: *Non vocaberis Iacob, sed Israël.* Iuro & per eum, qui Ioseph liberavit de manu fratrum suorum, & eum gratiosum in oculis Pharaonis fecit, ut per eum à fame salvaretur omnis Israël. Iuro & per eum, qui Moysen de aquis liberavit, & ei in rubo igneo apparuit: quique per manum ipsius Moysi decem plagas Ægyptiis intulit, & populum suum de servitute Ægyptia liberavit, & per mare rubrum per siccum eos transire fecit, ubi contra naturam fluentis elementi, tanquam murus aqua se solidata exhibuit. Iuro per eum, qui Pharaonem & exercitum eius in mari rubro demersit. Iuro per eum, qui per diem in columna nubis populum Israëliticum, & per noctem in columna ignis præcessit. Iuro per eum, qui Moysi montē Sinai fumigare fecit, vidente populo Israël. Iuro per eum, qui Aaron sibi primum elegit sacerdotem, & eius filios in tabernaculo igne consumpsit, quare ignem alienū ausi fuissent offerre coram Domino. Iuro per eum, qui Dathan & Abiron suo iudicio, ut eos viventes terra absorberet, iussit. Iuro per eum, qui amaras aquas immixtione ligni in saporem dulcedinis cōmutavit. Iuro per eum, qui

sitienti populo Israëlitico in Horeb percutiente Moyse virgam in petra immensas aquarum inundationes exhibuit. Iuro per eum, qui XL. annis populum Israëliticum in eremo pauit, eorumq; vestimenta, ne usu attererentur, integra usquequaq; servavit. Iuro per eum, qui irrevocabili iussu decrevit, ne quis de filiis Israël in terram repromissionis intraret, ob hoc scilicet, quare verbis Domini non credidissent, exceptis Iesu Nave & Caleph, quos illuc intraturos prædixit. Iuro per eum qui præcepit Moysi, ut erecta manu sua contra Amalechitas victor populus Israëliticus existeret. Iuro per eum, qui patres nostros per manum Iesu Nave Iordanis fluvium transire iussit, & ut XII. lapides de eodem fluvio in testimonium tollerentur, instituit. Iuro per eum, qui omni Israëli, ut transito Iordane lapideis cultris circumciderentur, præcepit: & per eum, qui muros civitatis Hierico subvertit. Iuro per eum, qui David regni gloriam decoravit, & de manu Saul vel filii sui Absalonis eum eripuit. Iuro per eum, qui ad orationem Salomonis nebula templum replevit, & suam inibi benedictionem infudit. Iuro per eum, qui Heliam Prophetam per turbinem in currum igneum à terra sublevavit, & cœlorum sedibus intulit. Et per eum, qui ad orationem Helisei percusso pallio Heliæ aquas Iordanis divisit. Iuro per eum, qui omnes suos Prophetas suo sancto Spiritu replevit, & qui Danielem à rabidis & immanissimis leonibus liberavit. Iuro per eum, qui tres pueros in camino ignis ardentis sub oculis Regis infesti conservare dignatus est: qui tenet clavem David, & claudit quod nemo aperit, & aperit quod nemo claudit. Iuro per eum, qui omnia mirabilia, & virtutes & signa in populo Israël, vel in aliis gentibus fecit. Iuro & per sacra decem præcepta legis. Iuro & per Iesum Christum filiũ Dei patris: sanctumque Spiritum, qui est in Trinitate unus & verus Deus: & resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, eiusque ad cœlos ascensionem, & gloriosum ac terribilem eius adventum, in quo venturus est iudicare vivos & mortuos, mitis apparens iustis, terribilis autem impiis. Atque eius venerandum corpus, & pretiosum eius sanguinem; qui cæcorum oculos aperuit, surdos audire fecit, paralyticos ad sua membra reduxit. Qui linguas mutorum resolvit, dæmonio vexatos sanavit, claudos currere fecit, & mortuos suscitavit, qui super aquas pedibus ambulavit, & Lazarum morte resolutum, cùm iam putredine se caro solvisset, vitæ ac saluti restituit, & in gaudium lamentum mutavit. Qui est factor seculi, lucis principium, salutis auctor. Qui mundum ortu suo illuminavit, passione sua redemit, qui solus inter mortuos liber fuit, & à morte teneri non potuit. Qui tartarea claustra comminuit, & de inferno beatorum animas potentiæ suæ maiestate eripuit. Qui devicta morte carnem, quam de terris assumpsit, in cœlum post mundi victoriam deportavit, sedens ad dexteram Dei patris omnipotentis, accipiens ab eo æterni regni potestatem. Iuro etiam & per omnes cœlestes virtutes, & per omnium sanctorum & Apostolorum reliquias, sive & per quatuor Evangelia, quæ superpositis his conditionibus in sacrosancto altario illo, quod manibus meis contineo vel contingo: quia omnia quæcunque in professione mea renotanda curavi, vel colligere potui, quam tibi domino meo illi, illius sedis Episcopo, manu mea subscriptam dedi, sinceriter totam inibi dixi, & sub nullo argumento vel fraude ea, quæ in professione

com-

comprehensa sunt protuli: sed omni sinceritate sicut eadem professio continet, & omnes ritus vel observationes abinceps Iudæas abnegavi, & omni cordis mei intentione in sanctam Trinitatem crediturus sum, & nunquam in nullo ad pristini erroris mei vomitum rediturus sum, aut consortio Iudaici erroris sociandus: sed in his omnibus & per omnia Christiano deinceps more vivens, & Christianorum participium habiturus sum, & quidquid in eadem professione, quam de sanctæ fidei observatione conscripsi, comprehensum esse dignoscitur, omni fidei puritate custodiam, qualiter iuxta Apostolicam traditionem vel sacri Symboli regulam deinceps vivere debeam. Quòd si in aliquo aborbitans, aut sanctam fidem maculavero, aut ritus Iudaici sectam in quocunque observare intendero, seu si vos in quocunque per huius iuramenti mei promissionem illusero, vel sub specie cuiuslibet iuramenti ea quæ promisi, non ea intentione perfecero, sicut à vobis me profitente, audita vel intellecta sunt: veniant super me omnes maledictiones legis, quæ in contemptores mandatorum Dei ore Domini promulgatæ sunt. Veniant etiam super me, & super domum meam, & filios meos omnes plagæ Ægypti & percussiones eius, & ad terrorem ceterorum ita iudicium Dathan & Abiron superveniat, ut viventem me terra deglutiat. Sicque postquam hac caruero vita, æternis ignibus mancipandus sim, habitatoribus Sodomæ & Iudæ particeps in pœnali supplicio conburendus: ut dum ante tribunal metuendi iudicis & gloriosi Domini nostri Iesu Christi pervenero, in ea parte adnumerer, qui[illegible] idem terribilis & gloriosus iudex minando dicturus est: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius.* LATÆ CONDITIONES SVB DIE *

XVI. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

De Christianis mancipiis Iudæorum, quæ se non prodiderunt Christiana, sive de publicatoribus eorum.

HEbræorum mancipia religionis sanctæ titulo consecrata, si dominorum suorum qualibet persuasione illecta, abinceps nullo modo se fuisse prodiderint Christiana, qualiter sub eorum dominorum suorũ iugo persistunt, taliter indultæ libertatis religati cathena modis omnibus tenebuntur. Hi tamen per quos hoc fuerit manifestè decretum, si & ipse Iudæus fuerit, & Iudæi cuiuslibet servus extiterit, conversus ad Christi fidem in libertate persistat. Sin autem quilibet ex Christianis hoc prodiderit factum, v. solidos per unumquodque mancipium Christianum accipiet, ab eo scilicet, qui eos apud se post data hæc decreta convictus fuerit tenuisse.

XVII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Ne Iudæi à quolibet potestate accepta extra regiam ordinationem Christianum quemque imperare, plectere, vel distringere audeant.

NVllus Iudæorum à primo anno regni nostri, id est à die quinto Iduum Ianuariarum, ullam administrandi, imperandi, distringendi, coërcendi vel plectendi curam vel potestatem super Christianos exerceat: exceptò si Princeps aliqua utilitatis publicæ id fieri permiserit causa. Si quis autẽ Iudæorum

accepta à quolibet potestate, Christianum quemcunque distringere, plectere, coërcere, vel in eum desævire præsumpserit; aut quidquam ei contra legum vetita, aut excogitata, quæ in lege non sunt, inferre temptaverit: aut medietatem rerum suarum fisco sociandam amittat, aut si nullis fultus fuerit rebus, centum decalvatus flagella suscipiat. Illi tamen qui hanc eis potestatem super Christianos exercere permiserint: si nobilis qui hoc fecerit persona extiterit, decem libras auri fisco coactus exsolvat: minimæ tamen viliores que personæ, quinq; libras auri fisco persolvendas amittant. Quòd si non habuerint unde componant, centenis decalvati flagellis subiaceant.

XVIII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Vt Iudæorum servi necdum adhuc conversi, si ad Christi gratiam convolaverint, libertate donentur.

CVm vas electionis Paulus Apostolus prædicet dicens, *sive per occasionem sive per veritatem, dummodo Christus adnuntietur*; salubre satis est votum, si sicut fideles libertatis provocamus ad gratiam, ita infidelibus præbeamus occasionem veniendi ad vitam. Et ideò si quis Iudæorum servus, & servituti eorum implicatus & moribus, ad Christi gratiam convolare desiderat, nullius eum servitutis cathena retineat: nullus huic tali resistat: nullum à quolibet fidei offendiculum habeat: sed mox ut se & professione, & iusiurandi attestatione Christianum ostenderit, & dominorum suorum prævaricationes manifestè prodiderit, ac omni servitutis cathena illico solutus, cum omni etiam peculio à domino suo dimissus, libertatis erit effectibus contradendus. Sicque proveniet, ut in omnibus omnino rebus ordo ille omnis in eum impleatur, qui de Christianis mancipiis est constitutus.

XIX. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Ne Iudæi administratorio usu, sub ordine villicorum atque actorum, Christianam familiam regere audeant; & de dampnis eorum, qui his talia ordinanda iniunxerint.

SI quis Iudæorum à quolibet ex laicis commissam curam vel potestatem suprà Christianos acceperit, id est, ut Christianis familiis præsit: quidquid administrationis suæ cura visus fuerit imperare, totum fisco adplicare debebit. Ita ut ipsi qui hanc administrandi susceperint curam, & c. flagella decalvandi suscipiant, & medietatem rei suæ fisco sociandam amittant. Sanè si Episcopus, vel quislibet ex sacerdotibus vel ministris, clericis quoq; vel monachis, administrationem Ecclesiasticæ rei illis supra Christianos explendam iniunxerint: quantum id ipsum fuerit, quod imperandum eis præceperint, tantũ de bonis proprietatis suæ fisco nostro adplicandum amittant. Quòd si rebus expoliatus extiterit, exilio subiacebit: quò diutius detritus pœnitentiæ damnis, discat quàm sit impium, infidos fidelibus præponere Christianis.

XX. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Vt Iudæus ex aliis provinciis vel territoriis ad regni nostri ditionem pertinentibus veniens, Episcopo loci vel sacerdoti se præsentare non differat; vel quidquid huic in toto observare conveniat.

SI quis Iudæorum de alia civitate vel provincia nostræ gloriæ oriundus quoli-

quolibet loco ſucceſſerit, Epiſcopo vel ſacerdoti, ſive iudici loci ipſius ſe illico præſentare debebit: nec à ſacerdote illo tamdiu eſt receſſurus, quamdiu ſabbata, rituſque ceteros atque feſtivitates, quæ illi è vicino poſſunt occurrere, incõtaminatus videatur ſacerdotali teſtimonio tranſegiſſe: ne dum variis huc illucq; per loca curſibus promovetur, erroris ſui repperiat in quocunque latibulum. In ipſis tamen diebus, in quibus eos quolibet loco remorari contigerit, converſationem cum Chriſtianis probatiſſimis habituri ſunt: qualiter cum illis & cibos ſumere, & participationes communionis Chriſtianæ videantur habere. Concurſum tamen in ipſis diebus, quos ritus ſui more uti ſoliti ſunt, ad Eccleſiam, ad Epiſcopos vel ſacerdotes habebunt, qualiter eorum ſemper ſalutaribus monitis inſtruantur. Quòd ſi fortè placitorum innodatione ſe eſſe aſſerant inligatos, vel cuiuslibet inevitabilis neceſſitudinis cauſa conſtrictos, quo illos non liceat diutinè immorari: tunc coram ſacerdote loci ipſius, ad quem acceſſerant, relaxati, placiti ſui cautione promittant, ubi occurrentes per viam feſtivitates vel ſabbata ritus ſui, ſine teſtimonio ſacerdotali non tranſeant. Ipſe quoque ſacerdos loci epiſtolas manu ſua ſubſcriptas eiſdem ſacerdotibus, per quos ſe Iudæus quiſquis ille tranſiturum dixerit, deſtinabit: ut evacuata omni fraudis ſuſpicione, tam ſtantes, quàm properantes eos diſtrictio religioſa coërceat. Si quem autem eorum aliter egiſſe contigerit, tunc Epiſcopo loci ipſius vel ſacerdoti, una cum iudice poteſtas tribuatur centenis eos verberare flagellis. Nec aliter eos ad propria redire permittimus, niſi cum epiſtolis Epiſcoporum vel ſacerdotum, in quorum territorium viſi fuerint acceſſiſſe: in quibus tamen epiſtolis ſollicitè dierum ſumma notabitur: id eſt, & quo die ad Epiſcopum ipſius civitatis acceſſerint, & in quot diebus apud ipſum eos remorari contigerit, vel quo die de eo ad propria reverſuri exierint.

XXI. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Qualiter concurſus Iudæorum diebus inſtitutis ad Epiſcopum fieri debeat.

OMnis Iudæorum conventus, in quibuſcunque locis vel territoriis habitare videntur, ad Epiſcopum loci vel ſacerdotem, diebus ſabbatorum, vel ceterarum feſtivitatum, quas celebrare ſolent, concurrere & convenire debebit: nec in his & talibus diebus conceſſæ ſibi licentiæ vacatione uſuri ſunt: ſed quamdiu excurſus dierum ipſorum pertranſeat, quorum de celebritate ſuſpiciones verentur, alibi citra ſacerdotis ſui conniventiam nullo modo movebuntur. Diebus tamen ſabbatorum concurſus eorum, & lavacro nitidus, & perceptione benedictionis devotus, ad Epiſcopum vel ſacerdotem ſemper eſt perventurus. Sanè in locis illis ubi ſacerdotalis præſentia defuerit, concurſus eorum omnis vel converſatio, aut cum iudicibus, aut cum Chriſtianis honeſtiſſimis erit: qualiter ſic eorum ſocietati inhæreant, ut audenter de eorum cõverſatione bonum perquiſiti teſtimonium dicant. Mulieres ſanè Iudæorum, coniuges ſcilicet atque etiam filiæ, in præmemoratis omnibus feſtivis diebus, quibus errore proprio abutuntur, nec ullius erroris nec perverſitatis repperiant locum. Id omni modo obſervabitur, ut viris earum præſentibus provida in eis Epiſcoporum vel ſacerdotum ordinatio fiat: ut quemadmodum viri earum de præſentia ſe ſacerdotali non

differunt, ita & ipsæ per excursum omnium dierum ipsorum, electione sacerdotum atque Pontificum, cum quibus vel qualibus honestissimis fœminis commorari debeant, ordinentur. Si quis autem huic præceptioni visus fuerit evenire contrarius, publica decalvatione turpatus, centenorum flagellorum erit suppliciis feriendus. Id tantùm præcipuè observandum est, ne quorundam sacerdotũ carnalium corda, dum vis libidinis execrabili contaminatione exagitat, occasiones quaslibet inquirant, per quas libidinis suæ votum efficiant. Vnde id arctiori sanctione decernimus: ut sic omnis sacerdos hæc instituta legum nostrarum in iam dictis fœminis Hebræorum adimpleat, ut nullius peculiaritatis locum cum eisdem mulieribus habeat, per quod se ordinare intendat. Quod si quemlibet sacerdotum contigerit, ut zelum, quo pro Christi nomine uti debet, frequenter ad libidinis suæ sibimet occasiones usurpet: tunc sacerdos ipse ab hoc honore depositus, exilio erit perpetuo mancipandus.

XXII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Vt quicunque Iudæum secum obsequentem habuerit, expetente sacerdote eum apud se retinere non audeat.

SI quis laicorum quoscunque ex Iudæis, virum scilicet vel fœminam, secum obsequentes habuerit, vel in patrocinio retinuerit, & sublato ex eis Pontificum, vel sacerdotum privilegio, privata eos sibi potestate defenderit, neque eos ad Episcopum vel sacerdotem diebus debitis instruendos vel iudicandos remiserit: excommunicationis ab eodem Episcopo, cui id fecerit, sententia feriatur, & amissis illis, quos vindicare nititur, trium librarum auri multatione pro unoquoque dampnabitur, quæ partibus Principis profuturæ manebunt.

XXIII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Vt cura omnis distringendi Iudæos solis sacerdotibus debeatur.

HOrum omnium præceptorũ multiplicem curam, & exercendam in perfidis disciplinam, illos nostra gloria ut impleant exhortatur, quibus id agendum divina auctoritate committitur. Ait enim spiritus ille, cuius orbem veritas implet: *Stabunt sacerdotes in iudiciis meis, & iudicabunt leges meas, & præcepta mea.* Proinde de omni sacerdote hæc implenda decernimus, ita ut nullum Iudæorum pro ritu suo patiatur ab aliquo defendi, nullum tueri: sed exemptos ab eorum patrociniis, qui eorum favoribus tueri videntur, in potestatis suæ curam redactos, pro eorum salvatione, quid illis catholicè agendum fortè conveniat, diligenter instituant. Atque in hoc illis erit sollicitior cura, ne in quibuslibet supradictis capitulis hæc institutio serenitatis nostræ tepescat.

XXIV. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

De dampnis sacerdotum vel iudicum, qui in Iudæis constituta legum adimplere distulerint.

COnsulendum est piè sacerdotibus Ecclesiæ Dei, ne pro delinquentis populi impunitate teneamur obnoxii. Quid enim prodest si non puniatur quisq; suo, cum tamen possit alieno puniri peccato? Et ideo ad horũ talium iniuriam execrandam vim præceptionis è sanctione decernimus: ut si quislibet Pontificũ, aut cupiditate inlectus, aut malignæ volũtatis incuria tepidus,

prædicta hæc, quæ visa sunt in Iudæis decreta, contempserit adimplere, scilicet ut detecta vel nuntiata sibimet errata perfidiæ, nulla videatur æquitatis censura corrigere: & trium mensium excommunicationis sententiam perferat, & unam libram auri de suisrebus propriis fisco sociandam amittat. Quòd si non habuerit unde componat, sex mensibus sub digna excommunicationis censura persistat; & insuper ad tepiditatem illius zeli socordiæ corrigendam sit cuilibet Episcopo licitũ, in quo zelus Dei fuerit excitatus, vice illius Episcopi talium perfidorum errata corrigere, & hæc quæ neglexerat emendare. Quòd si aliena ista simulatione vel incuria Episcoporũ, alter in alterius correctione zelo excitante divinitus non fuerit excitatus: tunc Principis præceptione & eorum arguetur socordia, & perfidorum ulciscentur errata. Hic etiam ordo eodem modo & ordine, sicuti superiùs de Episcopis constitutum est, in ceteris quoque religiosis est observandus: id est in presbyteris, diaconibus vel etiam clericis, quibus horum infidelium Episcopo suo cura commissa est. Iudices tamen, qui eorundem Iudæorum crimina comperta vel nuntiata sibi, legali non dampnaverint ultione: tunc sicut de Episcopis constitutum est, unam libram auri fisco compellendi sunt solvere. Tunc tamen & sacerdotes, & iudices, vel supradicti omnes, quibus regendi hæc cura commissa est, ab his dampnis erunt penitus alieni, cum impeditos se fuisse, pro talium districtione agere, probaverint.

XXV.

Ne iudices quidquam de perfidorum excessibus extra sacerdotum conniventiam iudicare præsumant.

IVdices omnes nihil de perfidorum excessibus citra sacerdotum conniuentiam iudicabunt, ne cupiditas secularium fidem nostram maculet acceptione munerum. Et tamen si, ut adsolet, præsentia defuerit sacerdotũ, sola potestate iudicum distringendi sunt. Sanè si Episcopo etiam de sede sua contigerit, aut in vicino, aut longè forsitan progredi: talem ex sacerdotibus pro sui vice relinquat, qui una cum duce territorii hæc instituta sine muneris acceptione perficiat.

XXVI. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Vt Episcopi tunc immunes habeantur à dampnis, cum eorum presbyteri, ea quæ ipsi non correxerunt, ad eos non remiserint corrigenda.

PResbyteri, diacones, seu cetera religiositas universa, vel iudices per universa loca vel territoria constituti: prout unusquisq; conventum Iudæorum ad se pertinere cognoverit, secundum totius instructionis nostræ decreta, eos constringere & corrigere non differant. Ea verò quæ ab ipsis nequiverint corrigi, ad agnitionem Principis atque Pontificum emendanda redeant. Sicque fiet ut constituta dampna non ferat, si suis quisque Pontificibus innotescat. Episcopi quoque ipsi tunc constitutum non percipient dampnum, quando eis criminalia non fuerint per subditos nuntiata.

XXVII.

De reservata Principibus miserendi potestate in his, qui conversi ad fidem Christi veraciter fuerint.

HAnc sacræ præceptionis multiplicem diligentiam, quam ordinatis lineis superiùs in toto disseruit nostra serenitas, ubicunq; superiùs offensorum

culpas ita moderari decrevimus, ut exutos rebus sub ærumna exilii religemus: hanc nobis vel successoribus nostris miserendi licentiam reservamus, ut si quandoque à laqueis diabolicis eripi contigerit, & probabiliter in sanctam Trinitatem crediderint: hoc quod illis sacerdotes vel iudices, in quorum territoriis degunt, testimonium dixerint, atque opera eorum cum veridico eorum testimonio concordaverint, erit nobis nostrisque successoribus in his ætatibus & miserendi votum, & efficiendi propositum: id est, ut postquam eorum præcessio iurisiurandi ad testimonium regiæ agnitionis claruerit, licitum habeat principalis pietas, & rebus eos iterum revestire, & ab exiliorum ergastulis revocare. Iam verò si quis ex eis, postquam se professus fuerit Christianum, ad erroris proprii redierit vomitum, & quodcunque in eos reppertum fuerit prævaricationis iudicium, ita in eos secundum modum culpæ quam incurrerit, inrevocabilis dictabitur dampnationis sententia, ut ad veniam ulteriùs nullatenus redeat: sed sive capitalis, sive minoris culpæ sit pœna, sine ulla retractatione inremissibili lege suscipiat.

XXVIII. FLS. GLS. ERVIGIVS REX.

Vt Episcopi omnibus Iudæis ad se pertinentibus libellum hunc de suis editum erroribus tradant: & ut professiones eorum vel conditiones in scriniis Ecclesiæ condant.

SOlet interdum latebrosæ mentis perversitas ignorantiæ opponere angulum, in eo quòd se simulat ignorare præceptum: ut eo quodammodo se excusabilem à pœna pronuntiet, quò se novellæ sanctionis ordinem defendat penitus ignorasse. Et ideo ad huius excusationis depellendam malitiam, id Episcopis omnibus vel sacerdotibus tenendum fortè præcipimus: ut unusquisque conventum ad se pertinentem Iudæorum, de his in se visionibus, quæ in eorum perfidiam nuper edidimus, instruat, & libellum hunc aperiat, qui & manifestè illis in conventu relegatur Ecclesiæ, & quem semper secum pro testimonio instructionis reportent. Iam verò postquam illis publicè in Ecclesia fuerit lectus iste liber vel traditus: si quis eorum posteà aut se defuisse cùm legeretur contendat, aut ignorasse se quæ inibi præcepta sunt adstruat, in nulla se unquam is poterit excusatione defendere: sed in quocunque fuerit postea quisquis ille prævaricator inventus, in nullo erit legum istarum sententiam evasurus. Nam & illud necessarium huic legi adiicimus, ut omnium professionum atque conditionum scripturas, quas quisquis ille Iudæus sacerdoti suo amodò obtulerit, sollicita diligentia unusquisque sacerdos eas ipsas professionum scripturas in archivis suæ Ecclesiæ recondat, qualiter pro eorum perfidorum testimonio studiosiùs conservatæ persistant.

LECTÆ SVNT LEGES SVPRASCRIPTÆ OMNIBVS IVDÆIS IN ECCLESIA SANCTÆ MARIÆ TOLETO, SVB DIE VI. KALEND. FEBRVAR. ANNO FELICITER PRIMO REGNI GLORIOSISSIMI DOMINI NOSTRI ERVIGII REGIS.

EDICTVM
THEODERICI REGIS.

CAPITA EDICTI.

X

XXXIV. *De subreptione Romani aut Barbari.*
XXXV. *De delatoribus.*
XXXVI. *Si quis ad nuptias non legitimas adspiraverit.*
XXXVII. *Intra annum mortis mariti si mulier nupserit.*
XXXVIII. *De adultero & adultera.*
XXXIX. *Qui ut adulterium fieret, domum præstiterit.*
XL. *Qui falsum fecerit, aut usus fuerit.*
XLI. *Qui falsum nesciens allegaverit.*
XLII. *Qui varium vel falsum testimonium dixerit.*
XLIII. *Nullum debere ad potentem Romanum aut Barbarum suas actiones transferre.*
XLIV. *Nullum Romanum aut Barbarum tanquam defensorem aut suffragatorem in alieno stare negotio.*
XLV. *Nullum debere alienæ rei nec suæ titulos ponere.*
XLVI. *Si quis in ea re, quam possidet, conventus, ut adversario suo resistat, titulos posuerit.*
XLVII. *Si quis possessa ab aliis prædia titulis occupaverit.*
XLVIII. *Libertos originarios aut servos contra patronos suos, eorumq; liberos, non audiri.*
XLIX. *Hoc etiam & de familiaribus observandum.*
L. *De occultis secretisq; delationibus.*
LI. *De donationibus celebrandis mancipiorum.*
LII. *Si quis prædium rusticum aut urbanum donaverit.*
LIII. *De traditione facienda.*
LIV. *Matrimonia passim non debere dissipari, ut quibuslibet criminibus probatis à coniunctione recedant.*
LV. *Omnes appellationes iudicem debere suscipere.*
LVI. *De abactore animalium diversorum.*
LVII. *Abactor si usque ad unum equum, duas equas, totidemq; boves, decem capras, & quinque porcos.*
LVIII. *Qui bovem, equum, vel aliud pecus errans invenerit.*
LIX. *Qui ingenuam virginem per vim corruperit.*
LX. *Si quis viduæ violenter stuprum intulerit.*
LXI. *Si matrona vidua cuiuslibet libidine corrumpatur.*
LXII. *Si matrona vidua volens corrumpatur à servo.*
LXIII. *Si servus alienus aut originarius ingenuam virginem per vim corruperit.*
LXIV. *Si quis ancillam alienam aut originariam virginẽ corruperit.*
LXV. *Quoties se ancillæ ingenuus, originarius, aut servus miscuerit.*
LXVI. *Quoties se originariæ servus alienus aut ingenuus sociaverit.*
LXVII. *Si originarius alienus se originariæ iunxerit.*
LXVIII. *Si originaria de ingenuo solo exierit.*
LXIX. *Si quis curialem collegiatum aut servum per xxx. annos posse-(derit.*
LXX. *Si servus ad quamlibet Ecclesiam confugiat.*
LXXI. *Si quis in causa publici debiti ad Ecclesiam quamlibet convo-(laverit.*
LXXII. *De allegatione testamentorum.*

LXXIII. *De*

EDICTVM
THEODERICI REGIS.

QVERELÆ ad nos plurimæ pervenerunt, intra provincias nonnullos legum præcepta calcare. Et quamvis nullus iniustè factum possit sub legum auctoritate defendere: nos tamen cogitantes generalitatis quietem, & ante oculos habentes illa, quæ possunt sæpe contingere, pro huiusmodi casibus terminandis, præsentia iussimus edicta pendere: ut salva iuris publici reverentia, & legibus omnibus cunctorum devotione servandis, quæ Barbari Romanique sequi debeant super expressis articulis, edictis præsentibus evidenter cognoscant.

PRiore itaque loco statuimus, ut si iudex acceperit pecuniam, quatinus adversum caput innocens contra leges & iuris publici cauta iudicaret, capite puniatur.

II. Iudex si pecuniam, contra statum aut fortunas cuiuslibet ut sententiam proferret, acceperit, & ex hac re sub iusta fuerit examinatione convictus, in quadruplum quod venalitatis studio accepit, exsolvat, illi profuturum, contra quem redemptus docebitur tulisse sententiam.

III. Iudex quod immerito provincialibus rapuerit, amissa dignitate qua male usus est, in quadruplum reddat his duntaxat, quibus immerito constat ablatum: & si defunctus fuerit, ab eius heredibus hæc pœna poscatur.

IV. Officium cuiuslibet iudicii, quod quid ultra quam iussum est, exegerit, in quadruplum sub fustuaria pœna cogatur exsolvere iis, quibus inlicitè monstrabuntur ablata.

V. Sententia non præsentibus partibus dicta nullius momenti sit; nisi adversus eum prolata doceatur, qui tertiò conventus, & edictis solemniter inclamatus, adesse contempserit.

VI. Ad officium sollicitudinemque iudicis pertinet, ut ea scripto latâ definiant, quæ apud se aguntur, sententiâ: & in executionem mitti iubeant, quod fuerit iudicatum.

VII. Iudex discussis utriusque partis suggestionibus atque documentis, id solum iudicare debet, quod iuri & legibus viderit convenire.

VIII. Sine competentis iudicis præcepto nullus ingenuorum sustineat detentionis iniuriam, aut ad iudicium deducatur, vel in privata habeatur cuiuslibet præsumptione custodia.

IX. Si quis autem aliquid eorum admiserit, ad violentiæ pœnam, quæ capitalis est, se non dubitet esse rapiendum.

X. Qualemcunque cuiuslibet rei possessorem conveniri iudiciaria auctoritate decernimus, & expectari semper iustę cognitionis eventus. Quod si quis qualemcunque possessorem possessione deiecerit, amissionem, pro tanta præsumptione, vel bonæ litis incurrat; reformata scilicet possessione quam occupaverit, fructus quoque duplos pro tanta temeritate persolvat. Quod si illam possessionem occupaverit, quæ eidem minimè debebatur, hanc pœnam habeat, ut & rem cum fructibus in eo statu domino reddat invasam, & æstimationem rei pervasæ subire cogatur, fisci iuribus profuturam. Cuius decreti iusti atque legitimi omnes per provincias iudices, & urbe venerabili constitutos, vel eorum officia, iubemus esse custodes: ita ut si aliquid extiterit, quo se putent exigendæ mulctæ superius comprehensæ pares esse non posse, relationem ad scrinia nostra transmittant, ut â nobis, si ratio poposcerit, districtius vindicetur.

XI. Quod si possessor pulsatus legibus, non reddiderit rem petitam, & sub cognitionis eventu adversus eum legibus fuerit lata sententia, à die qua per auctoritatem conventus est, & dedit responsum, expensas litis vel sumptus victus exsolvat. Hoc remedio fiet, ut in mala causa nullum litigare delectet.

XII. Qui per triginta annos quamlibet rem iugiter possidere fuerit adprobatus, neque publico, neque privato nomine patiatur aliquam penitus quæstionem. Tali autem professori etiam auctorum proauctorumque suorum tempora secundum leges proficere debere censemus: illud adiicientes, ut si intra triginta annos mota lis fuerit, nec finita, superveniens conclusio triginta annorum, eandem sine aliqua dubitatione consumat: quia cuivis satis credimus abundeque sufficere, intra xxx. annos & actiones suas ritè componere, & eas publico iudicio, vel privata definitione peragere. Ita ut circa pupillarem ætatem privilegia antiquis vel novellis legibus concessa, serventur, vel circa eos, qui ex quo competere poterant post vicesimum & quintum annum intra tricesimum suas legibus proposuerint actiones. Cui casui quinquennii beneficium novella lege probamus adiectum.

XIII. Qui alterum quolibet crimine putaverit accusandum, non prius audiatur, nec de exhibitione aliquid iubeatur, nisi se præmissæ inscriptionis vinculis obligarit, & istud caverit apud competentem iudicem, se eam pœnam subiturum, si non probaverit, quod intendit, quam possit reus convictus secundum leges excipere: & usq; ad eventum iudicii, tam reus, quam accusator, æquali custodiæ sorte teneantur. Nisi forte aut minora sint crimina, in quibus fideiussor præberi debeat, aut reus adeo nobilis & splendidi honoris sit, ut suæ committi debeat dignitati.

XIV. Sub alterius nomine nullus accuset: quia improbum iudicamus, ut quis alienæ utilitatis vel voluntatis, quasi sub specie accusationis, executor existat.

XV. Qui percussorem ad se venientem ferro repulerit, non habetur homicida: quia defensor propriæ salutis videtur in nullo peccasse.

XVI. Qui ad possessionem alienam violentus advenerit cum multitudine

dine congregata, si aut ipse, aut aliquis ex eodem numero, casu, dum repellitur violentia, occisus fuerit, is qui per necessitatem hoc fecit, à metu pœnæ liber habeatur.

XVII. Raptorem ingenuæ mulieris aut virginis, cum suis complicibus vel ministris, rebus probatis iuxta leges iubemus extingui: & si consenserit rapta raptori, pariter occidatur.

XVIII. Si parentes raptæ, aut curator eius, quæ minore ætate rapta est, exequi & vindicare talis facti culpam forte neglexerit, pactum quod non licet de hoc crimine faciendo, pœnam patiantur exilii.

XIX. Servus verò si querelam de raptu dissimulari à dominis, & pactione crimen senserit definiri, atque iudiciis prodiderit, libertate donetur.

XX. Raptum intra quinquennium liceat omnibus accusare, post quinquennium vero nullus de hoc crimine faciat quæstionem, etiamsi intra suprascriptum tempus egisse aliquid de legibus doceatur: maximè cum & filii de hoc matrimonio suscepti, exacto quinquennio legitimorum & iure & privilegio muniantur.

XXI. Si quis ancillam alienam aut originariam violenter cum multitudine congregata rapuerit, si ingenuus est, raptoris pœna feriatur, quia violentiæ crimen admittit: si servus est aut colonus, & sua hoc tantùm voluntate commisit, simili ratione puniatur.

XXII. Si vero conscio conductore, aut iubente, aut connivente, vel non prohibente hoc fecerit, etiam conductor ipse, tanquam facti reus, simili pœna feriatur. Si autem domino sciente vel iubente hoc fecit, eandem possessionem, de qua raptor egressus est, fisco profuturam dominus incunctanter amittat.

XXIII. Si quis intestatus mortuus fuerit, is ad eius successionem veniat, qui inter agnatos atque cognatos gradu vel titulo proximus invenitur, salvo iure filiorum ac nepotum.

XXIV. Fiscus tunc agat, quando nec parentum, nec filiorum, nec nepotum, nec agnatorum, nec cognatorum, nec uxoris & mariti, quæ succedat, extare comperitur persona, secundum veterum constituta: ita ut fiscus, quotiens locum successionis invenerit, vel aliqua sibi competentia repetit, actionem, remota titulorum vel officii præsumtione, proponat; quia tunc fiscus unamquamque rem meritò potest & sine oppressionis alienæ iniuria vindicare, cum intercedente sententia pro ipso fuerit iudicatum. Nobis enim, sicut & Principes voluerunt, ius cum privatis volumus esse commune.

XXV. Vnumquemque possessorem fisci nomine apud competentem iudicem statuimus debere pulsari.

XXVI. Clericos religiosasque personas intestatas deficientes, quotiens defuerit qui iure succedat, locum Ecclesiæ suæ secundum leges facere debere præcipimus.

XXVII. Curialis si sine successore, quem leges vocant, intestatus defecerit, excluso fisco curiæ suæ locum faciat.

XXVIII. Faciendorum testamentorum omnibus, quos testari leges permittunt, damus latè licentiam: ita ut septem aut quinque testes inge-

nui ac puberes, in conſpectu teſtatoris, uno tempore, eodem rogante ſubſcribant.

XXIX. Quod ſi teſtator aut literas ignorando, aut per neceſſitatem vicinæ mortis, propriam ſubſcriptionem non potuerit commodare, tunc octavus teſtis pro teſtatore adhibeatur huiuſmodi, de cuius fide dubitari omnino non poſſit: ſcituris teſtibus & ſcriptore præcipue teſtamenti, quod ſi quid falſitatis extiterit, ſub cognitione decurſa ſe ſupplicium evadere non poſſe, quod circa falſarios legum dictat auctoritas.

XXX. Sciat autem ſcriptus heres, vel legatarius, aut libertus, quod ſi eis conniventibus, aut ſcientibus, tale aliquid temptatum fuerit, ſe non ſolum emolumento ipſo, vel fructu eius ſcripturæ eſſe privandos, verum etiam falſi pœnam declinare non poſſe. In hoc reatu erit, quiſquis operam aut ſtudium faciendis adhibuerit talibus teſtamentis: cum voluntates velimus eſſe liberas mortuorum, & nihil ibi ſibi aliena debeat perſuaſio vindicare.

XXXI. Ne quis voluntatem ſuam facere volentem, aut teſtes, quolibet nomine deterreat, aut contradictor exiſtat: cùm, ſi quid actionis fuerit, eam legibus adverſum heredem poſſit exercere.

XXXII. Barbaris, quos certum eſt Reipublicæ militare, quomodo voluerint & potuerint, faciendi damus licentiam teſtamenti, ſive domi, ſive in caſtris fuerint conſtituti.

XXXIII. Is qui ab inteſtato defuncti ſperat hereditatem, ſi volentem teſtatorem prohibeat facere teſtamentum, tanquam ab indigno eius hereditas auferatur.

XXXIV. Nemo aut Romanus, aut Barbarus, rem petat alienam: quam ſi per ſubreptionem impetraverit, non valebit, & eam ſe non dubitet cum fructibus redditurum. Salvo eo, quod ſuper hac parte ſuperiora noſtra edicta ius ſanciunt.

XXXV. Is qui quaſi ſub ſpecie utilitatis publicæ, ut ſic neceſſariè faciat, delator exiſtit, quem tamen nos execrari omnino profitemur, quamvis vel vera dicens legibus prohibeatur audiri: tamen ſi ea, quæ ad aures publicas detulerit, inter acta conſtitutꝰ non potuerit adprobare, flãmis debet abſumi.

XXXVI. Si quis ad nuptias non legitimas adſpiraverit, legum cenſuram penitus non evadat: qui nec iuſtum matrimonium, nec filios ſciat ſe habere legitimos.

XXXVII. Intra annum mortis mariti nulla ad ſecundas nuptias migret: ſed nec furtim ſe miſceat illi, cuius poſt annum erit uxor futura; quia leges videtur circumſcribere voluiſſe. Idcirco utramque perſonam ſtupri ream eſſe præcipimus. Quam querelam damus tantum filiis & propinquis, ut quod in talibus cauſis legibus competit, exſequantur.

XXXVIII. Adulteri vel adulteræ intra iudicia convicti, interitum non evadant: miniſtris eiuſdem criminis, aut conſciis, pariter puniendis.

XXXIX. Qui, ut adulterium fieret, domum vel caſam præbuit, quive mulieri, ut adulterio conſentiret, ſuaſit, capite puniatur.

XL. Qui falſum neſciens allegavit, ad falſi pœnam minime teneatur.

XLI. Qui falſum fecerit, vel ſciens falſo uſus fuerit, aut alterum facere ſuaſerit, aut coëgerit, capitali pœna feriatur.

XLII. Qui

XLII. Qui varium, aut falsum testimonium dixerint, aut utriusq; parti prodiderint, in exilium dirigantur.

XLIII. Nullus ad potentem Romanum aut Barbarum proprias quolibet titulo transferat actiones. Quod si fecerit, iacturam litis iurgator incurrat, & is qui susceperit, medietatem pretii rei æstimatæ fisco cogatur inferre. Quã pœna teneri præcipimus etiam eos, qui rem in lite positã in huiusmodi crederit transferendam esse personam; quoniam volumus, ut remota persona potentioris, ęqua iurgantes sorte cõfligant. Litigantibus verò post causæ terminũ, largiendi quod vicerint, cui voluerint personæ concedim⁹ potestatẽ.

XLIV. Nullus se potens Romanus aut Barbarus tanquam defensor aut suffragator negotio misceat.

XLV. Nullus alienæ rei vel suæ titulos prorsus adfigat: cum soli fisco hoc privilegium, his quæ possidet iure vel corpore, videatur esse concessum.

XLVI. Is qui in ea re quam possidet, iudicis præceptione conventus, titulum potentis nomine adfixum adversario suo crediderit opponendũ, eius possessionis aut casæ, quam sub hac fraude vindicare temptaverit, amissione puniatur: nec repetendæ actionis, etsi competere possit, habeat facultatem.

XLVII. Ille vero qui possessa ab aliis prædia titulis occupaverit, capite puniatur.

XLVIII. Libertos originarios, vel servos, dominos aut patronos suos eorumq; liberos deferentes, in quolibet negotio prohibemus audiri: quia huiusmodi personæ neq; in civilibus, neq; in criminalibus causis contra patronos aut dominos eorum que liberos, etiamsi pro his dicant, vocem possunt habere legitimam; quos in huiusmodi facto deprehensos, in ipso actionis exordio gladiis oportet extingui.

XLIX. Hoc etiam de familiaribus servari debere censemus, qui cuiuslibet familiaritati vel domui inhærentes, delatores aut accusatores emerserint: excepto tamen crimine maiestatis.

L. Occultis secretisque delationibus nihil credi debet: sed eum qui aliquid defert, ad iudicium venire convenit; ut si, quod detulit, non potuerit adprobare, capitali subiaceat ultioni.

LI. Donationes sub hac solennitate præcipimus celebrari. Quòd si cuiuslibet pretii res mobilis fortasse donetur, vel certe mancipium, sola traditione largientis sit perfecta donatio; quæ tamen scripturæ fide possit ostendi, cui testium subscriptio adiecta monstretur.

LII. Si vero prædium rusticum aut urbanum quisquam libero arbitrio cõferre voluerit, scriptura munificentiæ etiam testium subscriptionibus roborata gestis municipalibus allegetur; ita ut confectioni gestorũ præsentes adhibeantur tres curiales, aut magistratus, aut pro magistratu defensor civitatis cum tribus curialibus, aut duumviri, vel quinquennalis: qui si defuerint, in alia civitate quæ hæc habuerit, allegationis firmitas impleatur, aut apud iudicem eiusdem provinciæ, quod donatum fuerit, allegetur.

LIII. De traditione vero quam semper in locis secundum leges fieri necesse est, si magistratus, defensor, duumviri aut quinquennalis forte defuerint, ad conficienda introductionum gesta, tres sufficiant curiales: dummodo vicinis scientibus impleatur corporalis introductionis effectus;

LIV. Passim matrimonia dissipari non patimur. Ideo uxor à marito, aut maritus ab uxore, nisi probatis causis, quas leges comprehendunt, omisso repudio, à iugali vinculo non recedant. Causæ autem istæ debent esse divortii. Si maritus aut homicida, aut maleficus, aut sepulchrorum violator ab uxore in examine fuerit adprobatus. Maritus quoque his criminibus convictam merito dimittat uxorem, si adulteram, si maleficam, vel etiam quam vulgus adpellat aggagulam, in iudicio potuerit adprobare. Quibus edoctis, maritus & dotem lucretur, & sponsalitiam recipiat vel sibi habeat largitatem, & tituli utriusque proprietatem secundum leges filiis eum iubemus servare communibus. Pari etiam modo, si mulier maritum superioribus criminibus involutum in iudicatione convicerit, & dotem recipiat, & sponsalitiam lucro habeat largitatem. Cuius tamen sponsalitiæ tantum donationis proprietatem liberis communibus etiam ipsa conservet: nubendi verò, vel non nubendi licentiam pro constitutis veteribus sortiatur.

LV. Omnes appellationes suscipiant ii provinciarum iudices, à quibus provocari potest: quando optimæ conscientiæ conveniat etiam superfluam appellationem sine dubitatione suscipere, dum de appellationis merito sacer possit perpensis legibus cognitor iudicare. Quod si iudex sua absentia procuravit, ne appellatorios libellos accipiat: in locis celeberrimis, qui appellare voluerit, libellum de absentia iudicis de sua appellatione habere debere censemus. Iudex autem, qui aut suscipere appellationem contempserit, aut certè in custodiam dederit, aut verberaverit, aut aliquo dispendio læserit appellantem, decem librarum auri amissione feriatur, quas fisci compendiis cura sacri cognitoris præcipimus aggregari; officium quoque, cuius interest, mulctæ legitimæ subiacebit.

LVI. Abactor animalium vel gregum atque pecorum alienorum, sive ea de stabulis, sive de pascuis abegerit, gladio puniatur, & in quadruplum amittentis damno de eius substantia consulatur. Quod si servus aut originarius fuerit, dominus pro his conventus legibus, si maluerit, aut, ut supra diximus, satisfaciat, aut impetitos ad pœnam mortis iudici publico tradere non moretur.

LVII. Abactor si usque ad unum equum, duas equas, totidemque boves, & usque ad decem capras, & quinque porcos tulisse tam te stabulis, quam de pascuis fuerit adprobatus, sive per surreptionem, sive ea violenter abduxerit, severissime puniatur: quidquid vero intra suprascriptum numerum animalium vel porcorum à quocunque sublatum fuerit, tanquam furtum sub quadrupli pœna solvatur.

LVIII. Qui bovem, vel equum errantem, vel aliud pecus abduxerit, furti magis reus tenendus est, & in quadruplum animalia vel pecora sublata restituat: nisi ea ab eo die quo invenerit, septem diebus continuis in publicis celeberrimisque locis, aut ante prætorium iudicis proposuerit; hoc enim facto nullius pœnæ damna sustineat.

LIX. Qui ingenuam virginem per vim corruperit, si idoneo patrimonio gratulatur, & est genere nobilis, & eandem accipere cogatur uxorem; ita ut ei sponsalitiæ titulo largitatis quintam partem patrimonii sui noverit conferendam. Quod si iam habens uxorem ista commiserit, tertiam partem

tem patrimonii sui illi, quam per vim corruperit, sub idonea & sollenni scriptura dare cogatur: ut illa quæ per eum iacturam pudoris incurrit, honestum possit invenire coniugiũ. Si autem nullo patrimonio aut nobilitate fulcitur, oppressor & violator pudoris ingenui, supplicio adficiatur extremo.

LX. Si quis viduæ stuprum violenter intulerit, cuiuslibet loci corruptor sit, adulterii pœna depereat.

LXI. Si quis verò etiamsi cum volente & adquiescente vidua hoc crimen admiserit, flammis ultricibus exuratur: illa quoque adulterii pœna damnanda, quæ non erubuit servili subiacere libidini.

LXII. Si matrona vidua alicuius libidine volens corrupta sit, stuprum admittitur: nisi forte vilis vulgarisque sit mulier. Cum his enim viduis adquiescentibus si quis concubuerit, quas artis operam, aut ministerii laborem publicè exercere constiterit, hoc crimine nec ipse nec illæ teneantur obnoxii.

LXIII. Si servus alienus aut originarius ingenuam virginem per vim corruperit, aut stuprum viduæ per vim intulerit, convento domino, rebus discussis atque patefactis, capite feriatur.

LXIV. Ancillam alienam virginem vel originariam, cuiuslibet ætatis, quisquis ingenuus, nulli tamen quolibet modo obnoxius civitati, corruperit, si dominus voluerit, aut corruptor ipse rogaverit, & apud gesta professus fuerit, mansurus in domini mulieris potestate, eius quam vitiavit contubernium non relinquat, nec, eadem mortua, discedendi habeat facultatem. Quod si dominus ancillæ non consenserit, aut ille profiteri noluerit, tunc aut huius meriti duo mancipia domino tradat, eius iuri profutura, si eius substantia patiatur: aut si hoc implere non potuerit, cæsus districtissime fustibus vicinæ civitatis collegio deputetur; quod iudex eiusdem loci, periculi sui memor, implere & custodire debebit.

LXV. Quoties se ancillæ ingenuus, aut originarius, aut servus forte miscuerit, necesse est ut omnis matrem sequatur agnatio, id est, filii omnes ad dominum ancillæ pertineant.

LXVI. Quoties verò se originariæ servus alienus ingenuusvè miscuerit, nihilominus omnes filii matrem sequantur.

LXVII. Si vero originarius alienus se originariæ fortasse coniunxerit, duas filiorum partes originarii dominus, & tertiam sobolis originariæ dominus consequatur.

LXVIII. Originaria ex quo de ingenuo solo discesserit, intra vicennii spatia repetatur. Quod si originaria, exemptis viginti annis, domino sub hac præscriptione perierit, simul eius agnatio, intra viginti annos suscepta à domino mulieris, servato novellæ legis tenore non pereat.

LXIX. Quisquis curialem, aut collegiatum, aut servum, per triginta annos possederit, qui nullam patriæ suæ collationem subiisse monstratur, eos prædiorum dominis iubemus adquiri: quia in nullo tricennalis legis saluberrimum constitutum sub qualibet patimur occasione turbari: quam sive adversum privatum, sive adversum fiscum, suam, quemadmodum leges præcipiunt, obtinere convenit firmitatem. Et quia frequenter scimus tales calumnias in perniciem dominorum, conniventibus rusticis aut curialibus

excitari, quo conlationem præstitisse dicantur: hoc eatenus valebit, si sciente possessionis domino, & non reluctante, aut certe procuratore conductoreque eius, cum dominus in transmarinis fuerit regionibus constitutus, conlationem præstitam fuerit adprobatum.

LXX. Si servus cuiuslibet nationis ad quamlibet Ecclesiam confugerit, statim domino veniam promittente reddatur: nec enim ultra unum diem ibidem residere præcipimus. Qui si exire noluerit, vir religiosus archidiaconus eiusdem Ecclesiæ, vel presbyter atque clerici, eundem ad dominum suum exire compellant, & domino indulgentiam præstanti sine dilatione contradant. Quod si hoc suprascriptæ religiosæ personæ facere forte noluerint, aliud mancipium eiusdem meriti domino dare cogantur: ita ut etiam illud mancipium, quod in Ecclesiæ latebris commoratur, si extra Ecclesiam potuerit comprehendi, à domino protinus vindicetur.

LXXI. Si quis in causa publici debiti ad Ecclesiam quamlibet convolaverit, archidiaconus eum compellat egredi, ad edenda legibus ratiocinia sua: aut si hoc facere noluerit, eius substantiam, quam ad Ecclesiam detulit, sine mora contradat. Quod nisi fecerit, quanti interest utilitatis publicæ, archidiaconus cogatur exsolvere.

LXXII. Testamenta, sicut leges præcipiunt, allegentur: hoc modo fides voluntatis alienæ titubare non poterit.

LXXIII. Auctoritates quorumlibet iudicum, vel præcepta cuiuslibet sedis ac potestatis, sola publica servata civitate exequantur officia: & conventum sufficiat promittere, se ad iudicium esse venturum, nihil ultra præsumat apparitor. Et illius sedis apparitor executiones suscipiat, unde præcepta manaverint. Quod si alterius miles, alterius iudicis auctoritatem exsequi forte temptaverit, amissionem cinguli fustibus cæsus incurrat: litigator autem negotium incunctanter amittat.

LXXIV. Si petitor improbe litem cuiuscunq; rei alteri forte commoverit, & fuerit sub iusta examinatione convictus, ex die plantati solenniter iurgii, sumptus & litis expensas, quas se pulsatus immerito sustinuisse docuerit, à petitore recipiat, sub æstimatione scilicet iudicis, aut bonorum virorum ex delegatione noscentium: quorum iustitiæ & deliberationis erit, quales sumptus litis & expensas eum, qui importune alterum ad publicum deduxerit examen, redhibere conveniat.

LXXV. Qui etiam armatis hominibus, ferro, fuste, lapide, de possessione quemquam, domo, villa expulerit, expugnaverit, obsederit, clauserit, aut si forte propter hanc rem quis homines suos præstiterit, locaverit, conduxerit, turbam, seditiones, incendium fecerit, ad violentiæ pœnam, quæ est superius adscripta, teneatur. Si quis autem sepeliri mortuum, quasi debitorem suum adserens, prohibuerit, honestiores bonorum suorum partem tertiam perdant, & in quinquennale exilium dirigantur: humiliores cæsi fustibus, perpetui exilii damna sustineant.

LXXVI. Illi res occupata per violentiam intra annum momenti iure salva proprietatis causa reddetur: qui eandem rem, quam alterius præsumptione perdidit, nec violenter, nec abscondité, nec precariò possidet.

LXXVII. Si servi de irrogata violentia convicti fuerint, aut certe confessi,

fessi, & hoc domini præcepto factum sub iusta & diligenti cognitione constiterit, domino ad violentiæ pœnam retento, pervasa reddantur, servis nihilominus extremo supplicio puniendis, si violentiam eos sua temeritate commisisse claruerit.

LXXVIII. Qui ingenuum plagiando, id est sollicitãdo, in alia loca translatum aut vendiderit, aut donaverit, vel suo certe servitio vindicandum crediderit, occidatur.

LXXIX. Qui ingenuum in servitutem tenet, nec conditioni potest obnoxium comprobare, & calumniæ & iniuriarum reus teneatur adstrictus.

LXXX. Qui mancipium alienum sollicitaverit, tres alios eiusdem meriti, & ipsum domino cum peculio suo reddat. Quod si quis à quolibet bona fide suscipitur, quo se dicat ingenuum, suscipientis hæc debet esse cautela, ut eum ducat ad gesta, & se profiteatur ingenuum: quo facto, dum à domino servus aut originarius postulatus fuerit & probatus, solus sine retinentis incommoditate reddatur.

LXXXI. Si quis nesciens à plagiatore mancipia comparaverit, reatu plagii non potest obligari.

LXXXII. Si ingenuus distrahatur, nullum præiudicium sui status incurrit, nisi forte tacendo de ingenuitate sua, emptoris ignorantiam maior ætate circumvenerit. Nam de plagio adversum venditorem pro defensione vel iniuria sua agere potuit: nisi pretium, quod pro eo datum fuerit, cum suo voluerit venditore partiri. Tunc enim præiudicium conditionis incurret, quod sibi ipse dissimulando & consentiendo pepererit.

LXXXIII. Qui ingenuum cœlaverint, vendiderint, vel scientes comparaverint, humiliores fustibus cæsi in perpetuum dirigantur exilium; honestiores, confiscata tertia parte bonorum suorum, pœnam patiantur nihilominus quinquennalis exilii.

LXXXIV. Quisquis servum, sive colonum alienum, sciens fugitivum susceperit, aut occultaverit, ipsum domino cum mercedibus & peculio eius, & eiusdem meriti alterum reddat. Quòd si secundò aut tertiò eundem fugitivum idem apud quem fuerat, suscipiendum esse crediderit, præter ipsum cum mercedibus, tres alios domino eius tradat. Mancipium tamen ipsum, ne forte propter capiendum lucrum callide & dolose à domino ad domum eius, qui susceperat, immissum fuerit, oportet in examinatione torqueri: ut si per interrogationem in quæstionem positi constiterit à domino suo ad domum alterius fraudulenter immissum, fisci protenus compendiis adplicetur.

LXXXV. Servos sollicitatos ab altero, vel furto ablatos, si scientes alii susceperunt, non tantùm de his susceptis conveniri, & eos reddere debent, sed etiam ad pœnalem actionem furti detinendi sunt.

LXXXVI. Qui servum alienum invito domino apud se tenuerit, furti est actione pulsandus.

LXXXVII. In fuga positus servus nec vendi, nec donari potest.

LXXXVIII. Si abactor, sollicitator, ac fur, anteq̃ per auctoritatem iudicis

convincatur, mortuus fuerit, heredes eius pro delicto auctoris sui in nullo teneantur obnoxii, nisi ob earum tantum rerum repetitionem, quas ad eos pervenisse constiterit.

LXXXIX. Si quis sibi, ut aliquem terreat, militiam confinxerit, vel adsumpserit quam non habet potestatem, viliores fustibus cæsi perpetuæ relegationis mala sustineant, honestiores exilii patiantur incommoda.

XC. Qui testamentum, codicillum, tabulas, rationes, gesta, libellos, cautiones, epistolas in fraudem alterius, quocunque loco deleverint, mutaverint, subiecerint, subrepserint, incenderint, raserint; aut æs, argentum, vel ferrum inauratum scientes pro auro dederint, vel vendiderint, vel supposuerint; quique pro argento stannum subiecerint, vel exteriorem circulum solidi præciderint, quivè, ut id fieret, iusserint, operamvè dederint, pœnam sustineant falso crimini constitutam.

XCI. Qui testibus pecuniam dederit, ut falsum testimonium dicant, vel certe quod sciunt taceant, aut non exprimant veritatem, vel iudici præmium dederint, ut sententiam contra iustitiam dicat, vel non iudicet, humiliores capite puniantur; honestiores bonorum suorũ amissione multentur.

XCII. Si sponsa persuasa ab sponso ad eius domum non tradita venerit, sponsus raptoris crimine non teneatur.

XCIII. Invitus pater-familiam suam in matrimonium nulli dare compellatur.

XCIV. Parentes qui cogente necessitate filios suos alimentorum gratia vendiderint, ingenuitati eorum non præiudicant; homo enim liber pretio nullo æstimatur.

XCV. Nec pro pignore filii à parentibus alicui dari possunt: & si sciens creditor ingenuos pro pignore à parentibus susceperit, in exilium dirigetur. Operas enim tantum parentes filiorum, quos in potestate habuerint, locare possunt.

XCVI. Qui in libertate degens ad servitutem vocatur, rei partes sustinet: ideo petitori eius, vel illi qui se dominum dicet, incumbet servum suum docere. Si verò ex possessione servitutis in libertatem reclamet, defensori eius necesse est liberum comprobare.

XCVII. Qui casam, domum, aut villam alienam inimicitiarum causa incenderit: si servus, colonus, ancilla, originarius fuerit, incendio concremetur: si ingenuus hoc fecerit, restituat quidquid dispendii acciderit per illud, quod commovit, incendium; ædificiumq; renovet, & æstimationem insuper consumptarum rerum pro pœna talis facti cogatur exsolvere; aut si hoc sustinere pro tenuitate nequiverit, fustibus cæsus perpetui exilii relegatione plectatur.

XCVIII. Ex eo vero incendio, quod incautè servus aut colonus in domini sui agro supponit, si vicini forte arbores frugiferas, aut sylvas, vineta, vel segetem læserit, sive aliud quodlibet dispendium adtulerit, aut æstimatione habita dominus eius, per quem vicino damnum continget, sartiat atque compenset: aut ipsum qui ignem supposuit, si hoc magis elegerit, pro facti culpa tradat iudici puniendum.

XCIX. Qui

XCIX. Qui hominem sine audientia, & sine potestate vel iurisdictione iudicis competentis, immeritò iusserit vel suaserit occidi, tanquam reus homicidii occidatur.

C. Servus alienus in alterius caput torqueri non potest: nisi delator, aut accusator, cuius interest probare quod intendit, pretium eius, quantum dominus taxaverit, inferre paratus sit.

CI. Qui servum ideo comparavit, ne adversum se torqueretur, restituto pretio resoluta venditione, adversum eum qui fraudulenter emerat, debet subiici quæstioni.

CII. Si servus ad hoc fuerit manumissus ne torqueatur, quæstio de eo nihilominus haberi potest.

CIII. Vbi quod facinus commissum dicitur, ibi deferendum & vindicandum est. Hi enim qui accusantur, de provincia ad aliam provinciam transferri non debent, ne per longum iter eripiantur, aut fugiant: nec interest si ingenui, vel liberti, vel servi sint, qui aliquid criminosum commisisse dicuntur.

CIV. Qui effodiunt terminos, vel exarant limites, finem scilicet designantes, aut arbores terminales evertunt; si servi sunt aut coloni, & sine conscientia vel iussu domini fecerint, puniantur. Si verò hoc imperante domino factum esse constiterit, idem dominus tertiam partem bonorum suorum perdat, fisci iuribus profuturam: servo ipso aut colono nihilominus capite puniendo.

CV. Eos terminos observandos, quos duorum fundorum dominus inter utrumq; prædium, cùm ex his unum alienaret, servari debere constituit; non eos, qui singulos fundos antiqua institutione separabant.

CVI. Quoties aliquod negotium consensu litigantium, aut sententia iudicis, sacramentis fuerit diffinitum, retractari non poterit: nec de periurio agere cuiquam vel movere permittitur quæstionem.

CVII. Qui auctor seditionis vel in populo, vel in exercitu fuerit, incendio concremetur.

CVIII. Si quis pagano ritu sacrificare fuerit deprehensus, arioli etiam atque umbrarii, si reperti fuerint, sub iusta æstimatione convicti, capite puniantur; malarum artium conscii, id est malefici, nudati rebus omnibus, quas habere possunt, honesti perpetuo damnantur exilio, humiliores capite puniendi sunt.

CIX. Si servus aut colonus domino nesciente violenter aliqua rapiat, dominus eius intra annum in quadruplum, post annum in simplum convenietur. Aut pro noxia certè, si hoc magis elegerit, ipsum servum vel colonum noverit ad pœnam iudici contradendum: ita ut, quod ad eum ex ipsa servi violentia pervenisse constiterit, reddat. At si conventus eum fugisse dixerit, executionem eius conquerenti dedisse sufficiat.

CX. Qui sepulchrum destruxerit, occidatur.

CXI. Qui intra urbem Romam cadavera sepelierit, quartam partem

patrimonii sui fisco sociare cogatur: si nihil habuerit, cæsus fustibus civitate pellatur.

CXII. Damnatorum ex quibuslibet criminibus bona filiis primùm ac parentibus, vel propinquis, usque ad tertium gradum proficiant; quòd si eos non habuerint, fisco omnia solvantur.

CXIII. Si curialis damnatus filios reliquerit, totum quod dimisit, ipsi capiant: si non habuerit filios, ad curiam eius perveniant facultates; excepta causa maiestatis, in qua omnium damnatorum bona nec ad filios, si habeant, sed ad solum fiscum, secundum legum cauta, necesse est pervenire.

CXIV. Si addictos damnatosq; iudiciis clerici vel quilibet alii violenter eruerint, ipsi ad pœnam, vel ad dispendia teneantur, quæ sententia in convictos prolata statuisse monstrabitur: & si conniventia iudicis vel conludio hoc claruerit perpetratum, quinque auri libras idem iudex cogatur exsolvere.

CXV. Qui pecuniam fisco vel publicis rationibus competentem furandi studio tulerit, eam reddat in quadruplum.

CXVI. Qui sciens ex rapinis aliqua à raptore, id est fure, servanda susceperit, eadem qua raptor pœna teneatur.

CXVII. Servus si furtum fecerit, vel damnum cuilibet dederit, nisi eius dominus hoc pro sui qualitate reddere vel sarcire paratus sit, noxæ eum dare cogitur: quod & de animalibus faciet, si alicui damna generaverint.

CXVIII. Si propter furtum servi dominus conventus furem ipsum magis tradere, quam defendere eum in iudicio voluerit, illa etiam quæ ad eum ex ipso furto pervenisse constiterit, pariter debebit exsolvere.

CXIX. Si quid de taberna vel stabulo perierit, ab his qui locis talibus præsunt, vel qui in his negotiantur, repetendum est, ita ut præstent sacramenta de conscientia sua suorumque: & si hoc fecerint, nihil cogantur exsolvere, aut certè quantum petitor iuraverit se in eo loco perdidisse, restituant.

CXX. Si servus furtum fecerit, & manumissus à domino fuerit, vel venditus alteri, vel donatus, causam de furto tum ipse manumissus dicat, vel ille qui eum emit, aut cui donatus est. Noxa enim semper caput sequitur. Et non solum is qui furtum facit, sed etiam is cuius opera vel consilio furtum factum fuerit, furti actione tenebitur.

CXXI. Si procuratori, vel conductori, sive colono, vel servo alicuius, invito vel nesciente domino, mutuam pecuniam quis dederit, nec ipsi domino, nec rei eius aliquod præiudicium comparetur: sed ex peculio servi vel coloni, considerata vel servata prius indemnitate domini, consulatur petitionibus creditoris.

CXXII. Amittant repetitionem debiti creditores, qui cautiones debitorum suorum potentibus tradiderint, & per eos magis exactionem mutuæ pecuniæ voluerint procurare.

CXXIII. Capiendorum pro suo arbitrio pignorum unicuique licentiam denegamus: ita ut, si probabile fuerit, hoc agendi iudicis præstet auctoritas.

CXXIV. Cre-

CXXIV. Creditor si debitori suo res sibi non obligatas violenter rapiat, intra annum criminis admissi conventus, sub pœna quadrupli præsumpta restituat: post annum verò in simplum debebit exsolvere. Quod etiam de fructibus violenter ablatis servari debere legum ratio persuadet.

CXXV. Si quis de Ecclesiis, id est locis religiosis, homines traxerit, vel aliquid violenter crediderit auferendum, capite puniatur.

CXXVI. Nullus post hæc curialium, sive tabulariorum, aut susceptorum, in Ecclesia residens pictacia delegationis emittat: sed si quem fisco debitorem novit, exponat eum extra Ecclesiam constitutus, aut certe deleget facturus cum eo, qui se debitorem negaverit, publicè rationem. Quod si mutuum quis, cum sibi delegatur, & se non debere clamaverit, violenter crediderit exigendum, in quadruplum extorta restituat.

CXXVII. Delegari nemo debet invitus: sed si is qui à creditore suo delegatur, consensum delegationi præbens debere se fateatur, & redditurum spondeat, quod promisit, cogatur exsolvere.

CXXVIII. Filius in potestatem patris positus, vel servus, aut colonus, si à patre, vel domino, in qualibet culpa non defendantur de ipso delicto vel crimine, tradendi sunt iudici competenti: nisi forte filius-familias ipse defendere pro delicto, quo impetitur, in iudicio se voluerit.

CXXIX. Qui per mendacium, vel subreptionem aliquid impetraverit, nec ipsi prosit, nec alterum lædat.

CXXX. Quod promissum fuisse constiterit, ut fur comprehendatur, meritò debetur, & oportet exsolvi.

CXXXI. Qui de debito in iudicio convicti vel condemnati fuerint, intra duos menses, à die latæ sententiæ, solutionem procurare debent: quòd si non fecerint, per auctoritatem iudicis, ad eius petitionem qui vincet, capi eorum pignora debent & distrahi: ut quod sententia iuste lata constituit, possit impleri.

CXXXII. Qui possessor ad iudicium venit, non est cogendus dicere unde tenet, nec onus ei debet probationis imponi: quia hoc magis petitoris officium est, ut rem quam repetit, doceat ad se pertinere.

CXXXIII. Mulier, etiamsi per cautionem alienum debitum se redditurum spondeat, non tenetur.

CXXXIV. Amittat sortem debiti creditor, qui ultra legitimam, centesimam crediderit à debitore pascendum.

CXXXV. Fideiussor qui redimendo pignora eius debitoris, pro quo fidem dixerat, à creditore liberavit, oblata sibi debita pecunia restituere pignora debitori compellatur.

CXXXVI. Si quisquam rem suam nesciens à possessore conduxerit, nihil sibi præiudicat: sed de proprietate ipsius agere poterit.

CXXXVII. Si quis nesciens alienam aream esse, ædificium in ea construxerit, sumptus quos fecit, recipiat: sed amittat, quam in solo alieno fecerat mansionem.

CXXXVIII. Si una res à duobus temporibus comparetur, ille po-

tior erit, & dominium eius magis acquiret, cui traditam fuisse claruerit.

CXXXIX. Auctor venditionis, etiamsi privilegium habeat sui iudicis, tamen defensurus venditionem suam, forum sequatur emptoris.

CXL. Qui de re comparata pertulerit quæstionem, ipse petitori respondere compellitur, nec ad auctorem suum proponentem repellit: quem necesse est ad hoc tantum ipse commoneat, ut factum suum in iudicatione defendat.

CXLI. Quicunque fugere solitum vendiderit ignoranti, si emptorem quoque fugerit, & pretium venditor reddat, & damna sarciat, quæ per eundem contigerint fugitivum.

CXLII. Liceat unicuique domino ex prædiis, quæ corporaliter & legitimo iure possidet, rustica utriusque sexus mancipia, etiamsi originaria sint, ad iuris sui loca transferre, vel urbanis ministeriis adplicare, ita ut & illis prædiis adquirantur, ad quæ voluntate domini migrata fuisse constiterit, & inter urbanos famulos meritò censeantur: nec de eiusmodi factis atque ordinationibus, velut sub oppositione originis, quæstio ulla nascatur. Alienare etiam supradictæ conditionis homines liceat dominis, absque terræ aliqua portione, sub scripturæ adtestatione, vel cedere, vendere cui libuerit, vel donare.

CXLIII. Circa Iudæos privilegia legibus delata serventur: quos inter se iurgantes, & suis viventes legibus, eos iudices habere necesse est, quos habent observantiæ præceptores.

CXLIV. Quicunque susceptores fuerint fiscalium titulorum, in emittendis possessorum securitatibus nomine singularum possessionum, professionem earum evidenter designent: acceptam quoque pro earum functione exponant pecuniæ quantitatem. Quod si aliquis professionem locorum, nomina summamque perceptæ pecuniæ, in securitatibus à se factis comprehendere forte noluerit, & huius culpæ reus in iudicio fuerit adprobatus, quadruplum eius pecuniæ, quam possessor se dedisse probaverit, eidem cogatur exsolvere. Quod etiam circa discussorem similiter convenit custodire, si de quibus titulis reliquas summas à præsumptoribus vel reliquatoribus exegerint, in securitatibus emittendis signare noluerint.

CXLV. Si quis Barbarorum tertiò competentis iudicis auctoritate conventus, & edictis sollemniter inclamatus, ad iudicem, cuius præceptione conventus est, venire neglexerit, meritò sub discussione causæ sententiam excipiet contumaciæ, adeo ut iudicetur, de quo conventus est, perdidisse negotium: dummodo tertiò quemlibet capillatorum fuisse conventum, aut cautionis ab eodem emissæ fides ostendat, aut ingenuorum vel honestorum testium dicta confirment, quibus manifeste clareat, auctoritate pulsatum, contemsisse dare responsum, nec voluisse ad iudicium convenire.

CXLVI. De frugibus ab aliquo ex fundo cuiuslibet sublatis, tam colonus, quam dominus, quia utriusque interest, agere potest.

CXLVII. Pla-

CXLVII. Placita bona fide & definita venditio à venditore rescindi non potest: sed pretium, quod ab emptore debetur, repetendum est.

CXLVIII. Servi aut coloni ab hostibus capti & reversi, domino restituantur: si non sunt ante ab altero, vendentibus hostibus, in commercio comparati.

CXLIX. Si quis exactorum, vel susceptorum, maiorem mensuram, vel maius pondus adhibuerit, dum fiscales traduntur species, quam publicæ ordinationis moderatio antiquitus provisa constituit, ad iudicem continuò cum ipsis mensuris & ponderibus deducatur: ut si fuerit de eorum iniquitate convictus, inde quadruplum pro utilitate illius, quem gravavit, malè susceptarum specierum damna sustineat. Quod etiam circa negotiatores observari debere censemus in commerciis, si iniusta pondera vel mensuras adhibuisse fuerint adprobati.

CL. Nulli liceat invito domino, rustico alieno operas aut obsequium imperare, nec eius mancipio aut bove uti, nisi hoc forte idem rusticus aut conductor ipsius, vel dominus sua voluntate præstiterit. Qui contra fecerit, det pro unius rustici, vel unius bovis diurna opera, quam præsumsit, auri solidum unum.

CLI. Sive seges aliena, sive quælibet arbor cuiusque dolo deiecta fuerit, aut aliquid damni provenerit, in quadruplum eius nomine, qui hoc fecerit, addicatur.

CLII. Si alienus servus ab aliquo, vel rusticus occidatur, in potestate habet dominus eius aut criminaliter de obnoxii morte agere, & homicidam capitaliter accusare; aut de damno certè amissi mancipii civiliter actionem proponere, ita ut pro uno servo occiso duos tales recipiat.

CLIII. Vxor pro marito non debet conveniri: res eius aut sponsalis munificentia pro mariti obnoxietate poscatur, legum prudentia & moderatione servata.

CLIV. Die Solis, qui Dominicus nuncupatur, sed & diebus Paschalibus, nullum præcipimus conveniri: qui contra fecerit, sacrilegii reus habeatur.

HÆc quantum occupationes nostræ admittere, vel quæ nobis ad præsens occurrere potuerunt, à victis tam Barbaris, quàm Romanis, sumus profutura complexi: quæ omnium Barbarorum sive Romanorum debet servare devotio. Quæ comprehendere nos vel Edicti brevitas, vel curæ publicæ non siverunt, quoties oborta fuerint, custodito legum tramite terminentur. Nec cuiuslibet dignitatis, aut substantiæ, aut potentiæ, aut cinguli vel honoris persona, contra hæc, quæ salubriter statuta sunt, quolibet modo credat esse veniendum, quæ ex novellis legibus, ac veteris iuris sanctimonia, pro aliqua parte collegimus: scituris cognitoribus universis, ac iura dictantibus, quod si in aliquo hæc edicta fuerint violata, se proscriptionis deportationisque pœna merito esse feriendos. Quod si

forsitan persona potentior, aut eius procurator, vel vice-dominus ipsius, aut certe conductor, seu Barbari, seu Romani, in aliquo genere causæ præsentia non permiserint edicta servari, & iudex, cuius intererit, obsistere, aut vindicare, aut obviare non potuerit, in nostram illico, si sibi consulit, instructa ex omnibus relatione, dirigat, deposita totius formidinis suspicione, notitiam. Hac enim sola ratione à culpa esse poterit absolutus. Quia quod pro omnium provincialium securitate provisum est, universitatis debet servare devotio.

EXPLICIT EDICTVM

THEODERICI REGIS.

LEX
BVRGVNDIONVM.

CAPITVLA
LEGIS BVRGVNDIONVM.

CAPITVLA ADDITAMENTI PRIMI.

ADDITAMENTVM SECVNDVM.

VIR GLORIOSISSIMVS GVNDEBALDVS REX BVRGVNDIONVM.

CVM DE PARENTVM, nostrisq́ constitutionibus, pro quiete & utilitate populi nostri impensius cogitaremus, quid potissimũ de singulis causis & titulis honestati, disciplinæ, rationi & iustitiæ conveniret, coram positis optimatibus nostris universa pensavimus: & tam nostra quàm eorum sententia, mansuris in ævum legibus sumpsimus statura perscribi.

IN DEI NOMINE ANNO SECVNDO REGNI DOMNI NOSTRI GLORIOSISSIMI GVNDEBALDI REGIS.

LIBER CONSTITVTIONVM DE PRÆTERITIS ET PRÆSENTIBVS ATQVE IN PERPETVVM CONSERVANDIS LEGIBVS, EDITVS SVB DIE IV. KAL. APRIL. LVGDVNI.

AMORE IVSTITIÆ, per quam Deus placatur, & potestas terrenæ dominationis adquiritur, ea primùm habito consilio comitum, procerumq́ nostrorum studuimus ordinare, ut integritas & æquitas iudicandi à se omnia præmia, vel corruptiones excludat. Omnes itaque administrantes iudicia secundum leges nostras, quæ communi tractatu compositæ & emendatæ sunt, inter Burgundionem & Romanum præsenti tempore iudicare debebunt: ita ut nullus aliquid de causis vel iudiciis præmii, vel commodi nomine à qualibet parte speret aut præsumat accipere: sed iustitiam, cuius pars meretur, obtineat, & sola sufficiat integritas iudicantis. Cuius legis conditionem nobis quoque credidimus imponendam, ne ullus in quolibet causarum genere integritatẽ nostram suffragiis, aut præmiis adtentare præsumat; à nobis quoque primùm æquitatis studio repellentes, quod à cunctis sub regno nostro iudicantibus fieri prohibemus. Nec fiscus noster aliquid amplius præsumat, quàm quod de sola inlatione mulctæ legibus legitur constitutum. Sciant itaque optimates, comites, consiliarii, domestici, & maiores domus nostræ, cancellarii, & tam Burgundiones quàm Romani civitatum aut pagorum comites, vel iudices deputati omnes, etiam militantes, nihil se de causis his, quæ actæ aut iudicatæ fuerint, aliquid accepturos, aut à litigantibus promissionis vel præmii nomine quæsituros: nec partes ad compositionem, ut aliquid vel sic accipiant, à iudice compellantur. Quòd si quis memoratorum corruptus contra leges nostras, aut etiam iustè iudicans, de causa vel iudicio

dicio præmium convictus fuerit accepisse, ad exemplum omnium probato crimine capite puniatur: ita ut facultatem eius, in quo venalitas vindicatur, filiis aut legitimis heredibus suis, quæ in ipso punita est, culpa non auferat. Notariis sanè deputatorum iudicum, pro iudiciorum commodis in causis ultra decem solidos addictis, singulos tremisses censuimus posse sufficere: intra decem solidos minora commoda quæsituris. Inter Romanos verò interdicto simili conditione venalitatis crimine, sicut à parentibus nostris statutum est, Romanis legibus præcipimus iudicari: qui formam & expositionem legum conscriptam, qualiter iudicent, se noverint accepturos, ut per ignorantiam se nullus excuset. De malè verò anteacto tempore iudicatis prioris legis forma servabitur. Hoc etiam inserentes, ut si fortè iudex in corruptione accusatus convinci nulla ratione potuerit, accusator simili pœnæ subiaceat, quam iudicem corruptum præcipimus sustinere. Si quid verò legibus nostris non tenetur insertum, hoc tantùm ad nos referre præcipimus iudicantes. Si quis sanè iudicum, tam Barbarus quàm Romanus, per simplicitatem aut negligentiam præventus forsitan non ea, quæ leges continent, iudicavit, & à corruptione alienus est, xxx. solidos Romanos se noverit inlaturum, causa denuò discussis partibus iudicanda. Illud adiicientes, ut si iudices tertiò interpellati non iudicaverint, & causam habens interpellationem nostram crediderit expetendam, & iudices suos ter se interpellasse, & non se auditum fuisse probaverit, XII. solidorum iudex inlatione multabitur. At si quisquam de quolibet causæ genere omissis iudicibus, hoc est, tertiò, ut supra iussimus, non interpellatis, ad nos venire præsumpserit, eum illa, quam in iudicem differentem statuimus, mulcta constringat. Et ne fortè per absentiam deputatorum iudicum negotia differantur, nullam causam absente altero iudice vel Romanus comes vel Burgundio iudicare præsumat, quatenus studeant, ut sæpius expetentes se de legum ordine incerti esse non possint. Constitutionis verò nostræ seriem placuit etiam adiecta comitum subscriptione firmari, ut definitio, quæ ex tractatu nostro & communi omnium voluntate conscripta est, etiam per posteros custodita perpetuæ pactionis teneat firmitatem.

NOMINA EORVM, QVI LEGES VEL SEQVENTIA CONSTITVTA, ET ILLA, QVÆ IN PRIORI PAGINA CONTINENTVR, SIGNATVRI SVNT, VEL IN POSTERVM CVM PROLE DEO AVSPICE SERVATVRI.

Sig. Abgaris com.
Sig. Aunemundi com.
Sig. Vnnani com.
Sig. Hildeulfi com.
Sig. Hildegerni com.
Sig. Vsgildi com.
Sig. VValesti com.
Sig. Audemundi com.
Sig. Andabari com.
Sig. Amgathei com.
Sig. Auderici com.
Sig. Aunemundi com.
Sig. VVillimeris com.
Sig. Conegiseli com.
Sig. Comarici com.
Sig. VVallaerii com.
Sig. Siggonis com.
Sig. Fredemundi com.
Sig. VVanabarii com.
Sig. VVilfilæ com.
Sig. Sigiswldi com.
Sig. Soniæ com.
Sig. Godemundi com.
Sig. VVidemeris com.
Sig. VVadabameris com.
Sig. Silvani com.
Sig. Gomæ com.
Sig. Fastilæ com.
Sig. Suldi com.
Sig. Gundeulfi com.
Sig. Offini com.
Sig. VValarimi com.

INCIPIT

INCIPIT LEX BVRGVNDIONVM.

TITVLVS I. DE LIBERTATE DONANDI PATRIBVS ADTRIBVTA, ET MVNERIBVS REGIIS.

QVIA nihil de præstita patribus donandi licentia, vel munificentia, dominantium legibus fuerat constitutum, præsenti constitutione omnium uno voto & voluntate decrevimus, ut patri etiam antequam dividat, de communi facultate, & de labore suo cuilibet donare liceat, absque terra sortis titulo adquisita, de qua prioris legis ordo servabitur.

II. Aut si cum filiis diviserit, & portionem suam tulerit, & postea de alia uxore filios habuerit aut unum aut plures, illi filii, qui de secunda uxore sunt, in illam, quam pater accepit, portionem succedant: & illi, qui cum patre dividentes portiones suas fuerant consecuti, ab eis penitus nihil requirant.

III. Illud etiam huic legi adiungi placuit, ut si quis de populo nostro à parentibus nostris munificentiæ causa aliquid percepisse dignoscitur, id quod ei conlatum est, etiam ex nostra largitate, ut filiis suis relinquat, præsenti constitutione præstamus.

IV. Id etiam statuentes, ut si quid etiam de nostro munere, aut Deo præstante aliter perceperint, donationum nostrarum textus ostendant. Superest ut posteritas eorum ea devotione & fide deserviat, ut augere sibi & servare circa se parentum nostrorum munera cognoscat.

II. DE HOMICIDIIS.

SI quis hominem ingenuum ex populo nostro cuiuslibet nationis, aut servum Regis natione duntaxat barbarum, occidere damnabili ausu aut temeritate præsumpserit, non aliter admissum crimen, quàm sanguinis sui effusione componat.

II. Illud sanè huic legi rationabili censuimus provisione subiungi, ut si cui fortè à quocunque inlata vis fuerit, ut aut ictibus verberum, aut vulneribus urgueatur, & dum insequitur percutientem dolore aut indignatione compulsus occiderit, atque ita factum re ipsa, aut idoneis, quibus credi possit, testibus fuerit comprobatum, medietatem pretii secundum qualitatem personæ occisi parentibus cogatur exsolvere: hoc est, si optimatem nobilem occiderit, in medietatem pretii CL. sol. Si aliquem in populo nostro mediocrem, C. pro minore persona LXXV. solidos præcipimus numerare.

III. Si servus inconscio domino hominem ingenuum occidere fortasse præsumpserit, servus tradatur ad mortem: dominus verò reddatur indempnis.

IV. Si dominus huius facti conscius fuerit, ambo tradantur ad mortem.

V. Si servus ipse post factum defuerit, dominus eius pro pretio servi xxx. solidos parentibus occisi cogatur exsolvere. Simili de servis Regiis secundum qualitatem personarum circa interfectores conditione servata.

VI. Hoc specialiter in huiusmodi causa universitas noverit observandum, ut interfecti parentes nullum nisi homicidam persequendum esse cognoscant: quia sicut criminosum iubemus extingui, ita nihil molestiæ sustinere patimur innocentem.

III. DE LIBERTATIBVS SERVORVM NOSTRORVM.

SI quos apud Regiæ memoriæ auctores nostros, id est, Gibicam, Godomarem, Gislaharium, Gundaharium, patrem quoque nostrum & patruos, liberos fuisse constiterit, in eadem libertate permaneant: quicunque sub eisdem fuerint obnoxii servituti, in nostro dominio perseverent.

IV. DE SOLLICITATIONIBVS ET FVRTIS.

QVicunque mancipium alienum sollicitaverit, caballum quoq;, equam, bovem, aut vaccam, tam Burgundio quàm Romanus ingenuus furto auferre præsumpserit, occidatur: & de occisi facultatibus, is qui perdidit superius comprehensa mancipia atque animalia, apud sollicitatorem aut furem, si non potuerit invenire, in simplum recipiat: hoc est, pro mancipio sol. xxv. Si tamen mancipium ipsum, sicut dictum est, non potuerit invenire, pro caballo optimo, x. solidos: pro mediocri, vi. solidos: pro equa, solidos iii. pro bove, solidos ii. pro vacca, sol. i.

II. Si verò servus furtum fecerit, ipse tradatur ad mortem: & dominus servi, ea quæ furto ablata sunt de suprascriptis animalibus, eaque inveniri non possunt, secundum formam pretii constituti eum, qui perdidit, simpla solutione reddat indemnem.

III. Quicunque ingenuus, tam Burgundio quàm Romanus, porcum, ovem, apem, capram, furto abstulerit, in triplum solvat, secundum formam pretii constituti: & mulctæ nomine sol. xii. id est, pro porco, sol. i. pro ove, sol. i. pro ape, sol. i. pro capra, tremissem. Pretia verò hæc in triplum solvantur.

IV. Si servus Burgundionis sive Romani furtum de supradictis pecoribus admiserit, servus tradatur ad pœnam, ut trecentos fustium ictus accipiat. Dominus autem pro eius crimine simplum solvat: & multa à domino non requiratur.

V. Qui tintinnum caballi furto abstulerit, si ingenuus est, caballum alium talem reddat: simili de bove cõditione servata. Si servus tulerit, fustigetur.

VI. Si

VI. Si autem impedicato caballo ingenuus pedicam tulerit, eiusdem meriti caballum se redditurum esse cognoscat. Si servus hoc admiserit, centenos pro singulis quibuscunque culpis fustium ictus accipiat.

VII. Si caballum alienum ingenuus non permittente domino transcendere præsumpserit, II. solidos illi, cuius caballus est, pro unius diei itinere se daturum esse cognoscat: si verò amplius, ad legem illam teneatur, quam de caballis inventitiis iussimus observari. Si servus hoc fecerit, fustigetur.

VIII. Qui de alienis bobus domino inconscio, aut non permittente, operam facere præsumpserit, duos boves domino cogatur exsolvere.

V. DE HIS QVI FLAGELLO, FVSTE, CALCE, VEL PVGNO PERCVTIVNT.

SI quis ingenuum hominem tali præsumptione percusserit, per singulos ictus singulos solidos solvat: & mulctam domino inferat, sol. VI.

II. Qui libertum alienum percusserit, per singulos ictus singulos semisses solvat: mulctæ autem nomine solidos IIII.

III. Qui servum alienum percusserit, per singulos ictus singulos tremisses solvat: mulctæ autem nomine solidos III.

IV. Si quis ingenuum hominem per capillos arripuerit, si una manu, II. solidos inferat: si utraque, IIII. mulctæ autem nomine solidos VI. Si libertum aut servum alienum per capillos, seu una manu seu utraque, corripuerit, quemadmodū de ictibus inter ingenuum, & libertum, & servum discretionem solutionis fieri placuit, ita & in hac causa compositionis & mulctæ requiratur inlatio.

V. Si servus ingenuum hominem pugno percusserit, centum fustes accipiat.

VI. Si verò dominus servi cum alio se cædit, & servus, dum dominum adiuvare vult, illum percusserit, pro ictu servi dominus. I. sol. satisfaciat.

VI. DE FVGITIVIS.

SI quis fugitivum intra provincias ad nos pertinentes corripuerit, pro fugitivo solidum I. accipiat. Et si fugitivus ille caballum secum ducit, pro caballo semissem, pro equa tremissem accipiat: & fugitivum cum omnibus rebus reddat. Si extra sortem, duos solidos is qui fugitivum corripuerit, pro fugitivo accipiat, & pro caballo sol. I. pro equa semissem.

II. Qui fugitivum secutus fuerit, & casu repugnantem occiderit, omni calumnia careat: aut si is, qui sequitur, à fugitivo percussus fuerit, ad dominum fugitivi nulla calumnia revertatur.

III. Si fugitivus cuiuscunque, seu Burgundionis seu Romani, captus fuerit, & casu de custodia fugerit, is quem fugit iuret, nec suo nec suorum conludio aut conscientia fuisse dimissum: & præstitis, ut dictum est, sacramentis nullam calumniam patiatur.

IV. Quicunque ingenuo aut servo fugienti nesciens capillum fecerit, quinque sol. perdat: si sciens capillum fecerit, fugitivi pretium cogatur exsolvere.

V. Qui fugitivum sciens flumen transierit, pœnam sollicitatoris excipiat.

VI. Si verò fugitivus fugerit, sacramenta præbeat nec suo, ut suprà dictum est, conludio nec suorum fugitivum fuisse dimissum, & de ligamine nec se nec suis consciis evasisse.

VII. Si verò taliter sacramenta non dederit, pro fugitivo xv. solidos solvat.

VIII. Quòd si constiterit cum eius voluntate fuisse dimissum, xxx. sol. cogatur exsolvere. Si verò ille qui correptus est, res domini aut alterius secum portat, & in domo illius exhibuerit, simplam solutionem restituat.

IX. Si ingenuus fugitivo seu Burgundionis seu Romani conscius panem dederit, fugitivum revocet.

X. Si nesciens panem dederit, aut flumen transierit, vel viam ostenderit, sacramento dato nullam calumniam patiatur.

XI. Si ingenuus fugientem sciens fugitivo litteras fecerit, manus incisione damnetur: si servus hoc fecerit, acceptis ccc. fustibus & ipse manus incisione damnetur.

VII. DE SERVIS ET ORIGINARIIS, QUI VOCANTUR IN CRIMINE.

INter Burgundionem & Romanum hæc forma servabitur. Si à quocunque crimen obiicitur, quod ad præsens probare non potest, id volumus custodiri, ut sive servus Romani sive Burgundionis sit qui vocatur in culpam, non compellatur dominus sacramenta præbere, neq; pro servo neque pro originario: sed cum crimen obiectum fuerit, seu servi seu coloni, pretium iuxta personæ meritum fiat, quod dominus eius, cuius servus est aut colonus, de præsenti percipiat, aut mancipium eius meriti consequatur. Quod cum ita factum fuerit, ille qui vocatur in crimine iudici tradatur ad pœnam, ut si confessus fuerit se admisisse quod obiicitur, pretium recipiat ille qui dederat: servus de confesso crimine occidatur. Ita ut de solutione, quod superius statutum est observetur. Si autem servus sive colonus in tormentis confessus non fuerit, is qui eum inscripsit domino suo reddat: & dominus ipse aut vicarium servum, quem pro pœna servi innocentis accepit, aut pretium teneat.

VIII. DE OBIECTIONE CRIMINUM, QUÆ INGENUIS INTENDUNTUR.

SI ingenuus per suspicionem vocatur in culpam, tam barbarus quam Romanus, sacramenta præbeat, & cum uxore & filiis & propinquis sibi duodecim iuret: si verò uxorem & filios non habuerit, & patrem aut matrem habuerit, cum patre aut matre numerum impleat designatum. Quòd si nec patrem nec matrem habuerit, cum duodecim proximis impleat sacramentum.

II. Quòd

II. Quòd si ei sacramentum de manu is, cui iurandum est, tollere voluerit, antequam Ecclesiam ingrediatur, illi qui sacramentum audire iussi sunt, (quos à iudicibus ternos semper ad sacramentum audiendum præcipimus delegari) contestentur se nolle sacramenta percipere : & non permittatur is, qui iuraturus erat, post hanc vocem sacramenta præstare : sed sint per nos illi, qui deliquerunt Dei iudicio committendi. Si autem permissus iuraverit, & post sacramentum potuerit fortè convinci, in novigildo se noverit redditurum.

III. Si hi, quibus præsentibus iudex iusserit dare sacramenta, ad locum statuto die venire dissimulaverint, & non ab aliqua fuerint infirmitate aut publica ordinatione detenti, senos solidos mulctæ nomine inferant. Quòd si infirmitate aut occupatione detenti fuerint, faciant hoc ipsum iudicem scire, aut loco suo tales personas dirigant, quorum fide possint in loco sacramenta præstare.

IV. Si autem pars de his, quæ sacramenta datura erat, ad locum non venerit, usque ad horam sextam diei ipsam expectet pars altera. Quòd si usque ad sextam non venerit, causam absque dilatione absolvat.

V. Quòd si ille alius non venerit, ille qui sacramenta præbiturus erat, discedat indemnis.

IX. DE INLATIS VIOLENTIIS.

SI quis Burgundio aut Romanus per vim aliquid abstulerit usque ad pullum, in novigildo secundum pretia à nobis constituta, cuicunque abstulerit, iubemus exsolvere.

X. DE INTERFECTIONE SERVORVM.

BVrgundio & Romanus una conditione teneantur. Si quis servum natione barbarum occiderit lectum ministerialem sive expeditionalem, LV. solid. inferat: mulctæ autem nomine sol. XII.

II. Si alium servum Romanum, sive barbarum, aratorem aut porcarium occiderit, XXX. sol. solvat.

III. Qui aurificem lectum occiderit, CL. sol. solvat.

IV. Qui fabrum argentarium occiderit, C. sol. solvat.

V. Qui fabrum ferrarium occiderit, L. sol. inferat.

VI. Qui carpentarium occiderit, XL. sol. solvat.

XI. DE INFLICTIS VVLNERIBVS.

QVi homini seu ingenuo seu servo brachium ictu excusserit, sive oculum amiserit, medium pretium exsolvat : si non perexcusserit, de vulnere iudicetur.

II. Si quis cuicunque in faciem vulnus inflixerit, in triplum vulneris pretium iubemus exsolvere, quantum in simplum ea vulnera æstimantur, quæ vestibus conteguntur.

XII. DE RAPTV PVELLARVM.

SI puella, quæ rapta est, corrupta redierit ad parentes, sexies puellæ pretium raptor exsolvat: mulctæ autem nomine sol. XII.

II. Quòd si raptor solutionem suprascriptam unde solvere valeat, non habuerit, puellæ parentibus adsignetur, ut faciendi de eo, quod ipsi maluerint, habeant potestatem.

III. Si verò puella sua sponte expetierit virum, & ad domum illius venerit, & ille se cum illa miscuerit, nuptiale pretium in triplum solvat.

IV. Si autem incorrupta redierit, ad domum suam remota ab omni calumnia revertatur.

V. Romana verò puella, si sine parentum suorum voluntate aut conscientia se Burgundionis coniugio sociaverit, nihil se de parentum facultate noverit habituram.

XIII. DE EXARTIS.

SI quis tam Burgundio quàm Romanus in sylva communi exartum fecerit, aliud tantum spatii de sylva hospiti suo consignet, & exartum, quem fecit, remota hospitis communione possideat.

XIV. DE SVCCESSIONIBVS, ET SANCTIMONIALIBVS.

INter Burgundiones id volumus custodiri, ut si quis filium non reliquerit, in loco filii filia in patris matrisque hereditate succedat.

II. Si fortè defunctus nec filium nec filiam reliquerit, ad sorores vel propinquos parentes hereditas redeat.

III. Illud etiam præsenti lege placuit contineri, ut si mulier maritum habens sine filiis de hac luce transierit, maritus defunctæ uxoris pretium, quod pro illa datum fuerit, non requirat.

IV. Similiter quod mulier ad maritum veniens erogaverit, defuncto sine filiis marito mulier aut parentes mulieris non requirant.

V. De his verò puellis, quæ se Deo voverint, & in castitate permanserint, si una duos fratres habuerit, tertiam iubemus ut portionem de hereditate patris accipiat, hoc est, de ea tantùm terra, quam pater eius sortis iure possidens mortis tempore dereliquit. Similiter & si quatuor aut quinque fratres habuerit, portio ei debita reservetur.

VI. Si autem illa unum tantùm habuerit fratrem, non medietatem, sed tertiam consequatur, ea scilicet conditione, ut post obitum illius quæ foemina & sanctimonialis est, quidquid in usu fructu de paternis rebus percepit, ad proximiores parentes pertineat, nihil illa exinde alienandi potestatem habitura, nisi forsitan quod ex matris bonis, id est, in recellulis vel ornamentis, aut ex suo potuerit labore conquirere.

VII. Hoc his tantum censuimus esse præstandum, quibus patres suas iam non dederint portiones: quòd si à patre, ubi vivere possint, perceperint, ex hoc ipso quod voluerint faciendi liberam habeant potestatem.

XV. DE

XV. DE COMMOTIONE LITIVM.

QVicunq; ingenuus Burgundio in domum cuiuslibet ad rixam ingressus fuerit, VI. solidos inferat illi, cuius domus est: & mulctæ nomine solidos XII. Quod tamen inter Burgundiones & Romanos æquali conditione volumus custodiri.

II. Si verò servus vi, aut per rixam in domum alienam ingressus fuerit, pro solutione iam dicta centum fustium ictus accipiat, & nullum exinde damnum servi dominus patiatur.

XVI. DE INQVIRENDIS ANIMALIBVS.

QVisquis per vestigium quodlibet animal secutus fuerit, & ad domum alterius vestigio ducente pervenerit, si is ad cuius domum venerit, eum prohibuerit domum suam intrare ad res suas requirendas, pro hoc quod res reposcit, is qui eum de domo sua ab inquisitione repulerit, pro fure teneatur obnoxius. Ita ut inquisitionem nec mulieri liceat denegare.

II. Quòd si servus hoc fortassis aut ancilla absentibus dominis suis prohibuerit, ipse qui prohibuit, legibus pro fure teneatur obnoxius.

III. Si verò vegius extiterit, & vegiaturas acceperit, & is cui indicat invenire non potuerit, furtum quod se perdere mentiebatur dissolvat in simplum.

XVII. DE CAVSIS ALIIS ET CALVMNIATORVM REMOTIONE.

OMnes omnino causæ, quæ inter Burgundiones habitæ sunt, & non sunt finitæ, usque ad pugnam Mauriacensem habeantur abolitæ.

II. Si quis sanè servum suum aut ancillam cognoverit, recipiat.

III. Pro homine ingenuo prius occiso XX. tantum solidi inferantur, & omnis repetitio conquiescat.

IV. Illud quoque specialiter volumus custodiri, ut quicunque Burgundio de quacunque causa ab eo, qui illi litem intendit, bis admonitus fuerit, ut dato fideiussore ad iudicium veniat, & si nec fideiussorem dare, nec ad iudicium venire voluerit: atque hoc factum duobus aut tribus ingenuis testibus potuerit adprobari, inferat mulctæ nomine sol. VI. & ad iudicium nihilominus venire compellatur.

V. Qua conditione Romanus ingenuus, qui causam cum Barbaro habuerit, aut dominum admoneat aut actorem. Et si actor iterato admonitus ad causam dicendam pro originario sibi commisso non venerit, centum fustes accipiat.

XVIII. DE HIS QVÆ CASV CONTIGERINT.

SI quodcunque animal quolibet casu, aut morsus canis homini mortem intulerit, iubemus etiam inter Burgundiones antiquam exinde calumniam

removeri: quia quod casus operatur non debet ad damnum aut inquietudinem hominis pertinere. Ita ut si de animalibus subito caballus caballum occiderit, aut bos bovem percusserit, aut canis momorderit, ut debilitetur, ipsum animal aut canis, per quem damnum videtur admissum, tradatur illi, qui damnum pertulit.

II. Si lancea verò vel quodcunque genus armorum aut proiectum in terra, aut fixum simpliciter fuerit, & casu se ibidem homo aut animal impulerit, illum cuius arma fuerint, nihil iubemus exsolvere: nisi fortè sic arma sua in manu teneat, ut homini periculum possit inferre.

XIX. DE ABLATIS PIGNORIBVS ET FIDEIVSSORIBVS.

QVi ante audientiam cuiuscunque pignora abstulerit, causam perdat, & inferat mulctæ nomine sol. XII.

II. Quicunque caballum alienum quasi agnitum pro suo tulerit, & suum esse non potuerit adprobare, caballi alterius eiusdem meriti amissione damnetur.

III. Si quicunque pro eo, cum quo causam habere se putat, alium pignoraverit cum quo causam nullam habet, & caballos aut boves tulerit, aut mancipium rapuerit, inferat pro singulis mancipiis vel animalibus solidos binos.

IV. Si ingenuam personam pignoris loco tulerit, inferat pro ea præsumptione solidos IIII.

V. Si quis pro parente, aut amico, vel pro quocunque, fideiussor extiterit pro quolibet debito, & is qui sub fideiussore discesserit ter admonitus coram testibus, vel post commonitionem pignoratus, si convictus fuerit pignora sua fideiussori per vim abstulisse, & necesse fuerit fideiussorem suum constrictum atque compulsum debitum de suo solvere, in triplum ille, pro quo fideiussum est, impleat quidquid fideiussorem in hac causa solvisse constiterit.

VI. Modus verò pignorum hic erit, ut tertiam partem fideiussor amplius tollat quàm summa debiti est, & denunciet coram testibus debitori. Quòd si intra tres menses soluto debito pignora sua non perceperit, postmodum ea requirendi pontificium non habebit.

VII. Si is, qui fideiussorem dedit, non habuerit unde solvat, ipsum fideiussor ad se absolvendum tradat, & à fideiussore aliud non requiratur.

VIII. Quòd si dissimulaverit implere quod placitum est, & necesse fuerit fideiussorem constrictum atque compulsum debitum de suo solvere, in triplum ab illo, pro quo fideiussum est, impleatur quidquid fideiussorem in hac causa solvisse constiterit.

IX. Quicunque fideiussores debitores dederint, ille cuius fideiussor accessit, usque ad domum ipsius sub sua defensione perducat: si autem non sic fecerit, non sit à fideiussione penitus absolutus.

X. Quicunque noluerit satisfacere debitori, & necesse fuerit fideiussorem suum pignorare, & voluerit fideiussor illi resistere, fideiussionis suæ debitum, quantum ab illo reposcitur, de suo satisfaciat.

XI. Si

XI. Si verò fideiussorem pignoraverit, & is pro quo ille fideiussor accesserit, pignora fideiussoris sui aut sua, si fideiussor deerit, crediderit præsumenda aut diripienda, in novigildo solvat, quantum abstulisse convincitur: & inferat mulctæ nomine solidos XII.

XX. DE FVGITIVORVM FVRTIS.

SI servus cuiuscunque per fugam lapsus fuerit, atque in fuga positus equos cuiuslibet, ornamenta, vestes, vel quodque aliud furto abstulerit, & secum detulerit, à domino servi nihil horum penitus requiratur. Ita tamen si eum de fuga potuerit revocare, quidquid abstulisse convincitur, in simplum restituat.

II. Si servus in obsequio domini constitutus furtum fecerit, & furto facto vertatur in fugam, dominus eius præbeat sacramenta, neque pro furto, neque pro fuga servi conscientiam suam obnoxiam teneri: quod cum fecerit, à servi domino nihil quæratur. Hii verò qui fugitivos corripiunt, dominis mandare debent: & præter illum solidum, qui pro fugitivo intra terminos debetur, pro eo quòd mittit personam aut ipse nunciat, in centum milibus pro evectione solidum debet accipere.

III. Quòd si non mandat & fugerit, & si intra dies XXX. non mandaverit, aut sacramentis sicut supra dictum est se absolvat, aut XV. solidos pro fugitivo solvat.

XXI. DE SERVORVM CONTRACTIBVS.

SI quis inconsulto domino, tam Burgundio quam Romanus, originario aut servo solidos commodaverit, pecuniam perdat.

II. Quicunque verò servum suum aurificem, argentarium, ferrarium, fabrum ærarium, sartorem vel sutorem, in publico adtributum artificium exercere permiserit, & id quod ad facienda opera à quocunq; suscepit, fortasse everterit, dominus eius aut pro eodem satisfaciat, aut servi ipsius si maluerit faciat cessionem.

XXII. DE REMOVENDO IN NEGOTIIS ROMANORVM PATROCINIO BARBARORVM.

QVicunque Romanus causam suam, quam cum alio Romano habet, Burgundioni agendam tradiderit, causam perdat: & is qui suscepit, inferat mulctæ nomine sol. XII.

XXIII. DE DAMNIS, QVÆ AB ANIMALIBVS INFERVNTVR.

QVicunque animal de messe vel de quolibet damno incluserit, & ante æstimationem damni præsumptione & arbitrio suo is, cuius animal est,

de curte per vim tulerit, inferat illi cui vim intulerit, sol. vi. & mulctæ nomine sol. vi. damni æstimatione taxata. Si servus hoc fecerit, centum fustium ictus accipiat, damni similiter æstimatione taxata.

II. Si quodlibet animal, dum de messe, aut de prato, aut de vinea, aut de area annonaria expellitur, impalaverit, nihil ab eo qui expulit requiratur.

III. Quòd si animalia, dum de damno ad clausuram minantur, de campo aut de quocunque loco ille cuius sunt tollere præsumpserit, singulos tremisses per singula animalia solvat: & mulctæ nomine sol. iii.

IV. Si cuiuscunque porci damnum faciunt in vineis, pratis, aut in messibus cultis, & sylvis glandiferis, & admonitus porcorum dominus bis fuerit, ut porcos suos custodiat, & noluerit, is cui damnum inferunt occidendi de grege porcorum optimum, liberam habeat facultatem, & suis usibus vindicandum.

V. Quòd si contestatus non fuerit, & porcum occiderit, solidum pro porco solvat, ita ut quod porci everterint, componatur.

XXIV. DE MVLIERIBVS BVRGVNDIIS, AD SECVNDAS VEL TERTIAS NVPTIAS TRANSEVNTIBVS.

SI qua mulier duntaxat Burgundia post mariti mortem ad secundas aut tertias nuptias, ut adsolet fieri, fortasse transierit, & filios habuerit, ex omni coniugio, donationem nuptialem dum advivit usu fructu possideat: post eius mortem ad unumquemque filium, quod pater eius dederat, revertatur: ita ut mater nec donandi, nec vendendi, nec alienandi de his rebus, quas in donatione nuptiali accepit, habeat potestatem.

II. Si fortè mulier illa filios non habuerit, quidquid ad eam de donatione nuptiali pertinet, post mortem mulieris medietatem parentes eius, medietatem defuncti mariti donatoris parentes accipiant.

III. Ceterum si quis filiorum matri per testamentum aliquid, aut donationem contulerit, mater exinde faciendi quod voluerit liberam habeat potestatem.

IV. Aut si intestata defecerit, mulieris parentes hereditatem eius suo dominio vindicabunt.

V. Si quis Burgundio filios habet, tradita filiis portione, de eo, quod sibi reservavit, donare aut vendere, cui voluerit, habeat liberam potestatem.

XXV. DE FVRTIS, ET VIOLENTIIS.

SI quis cuiuslibet hortum violenter ingressus fuerit, inferat pro ipsa præsumptione illi, cuius hortus est, sol. iii. & mulctæ nomine. sol. vi.

II. Si servus hoc fecerit, centum fustium ictus accipiat.

XXVI. DE EXCVSSIS DENTIBVS.

SI quis quolibet casu dentem optimati Burgundioni vel Romano nobili excusserit, sol.xv. cogatur exsolvere.

II. De mediocribus personis ingenuis, tam Burgundionibus quàm Romanis, si dens excussus fuerit, x.solidis componatur.

III. De inferioribus personis, v.sol.

IV. Si servus homini ingenuo voluntarius dentem excusserit, manus incisione damnetur. Si sicut superius statutum est, doceatur admissum, prout persona fuerit, pretium pro dentibus solvat.

V. Si quis ingenuus liberto dentem excusserit, inferat ei solidos tres. Si servo alieno dentem excusserit, det ei cuius servus est, solidos duos.

XXVII. DE INRVPTIS SEPIBVS, ET CLAVSIS ITINERIBVS, FVRTIS ETIAM, ET VIOLENTIIS.

SI quis sepem alienam nullo impeditus obiecto, inferendi tantùm damni studio ruperit, si ingenuus aperuerit, illi cuius messis est, per singulos palos, singulos tremisses exsolvat: si servus hoc fecerit, centum fustium ictus accipiat, & sepes, quæ aperta fuerit, reparetur.

II. Hoc etiam de prato, & de vinea, præcipimus custodiri.

III. Omnes sanè volumus hoc evidenter agnoscere. Quicunque viam publicam aut vicinalem clauserit, XII. sol. se mulctæ nomine noverit inlaturum: ita ut sepes illa impunè à transeuntibus deponatur, & messis, quantum viæ spatium continere potuerat, conteratur.

IV. Si quis sepem alienam aperuerit, & caballos suos aut animalia in messem aut in pratum voluntarius miserit, si ingenuus hoc fecerit, per singula animalia inferat, pro messis vel prati damno, domino solidos decem singulos.

V. Si servus hoc fecerit, centum fustium ictus accipiat: ita tamen ut à domino servi damnum, quod admissum fuerit, componatur.

VI. Si verò cuius caballi sunt, inventus à domino messis, dum tenetur ad debitum, resistere fortasse tentaverit, & cæsus fuerit aut plagatus, nullam exinde cuius messis aut pratum est, calumniam patiatur.

VII. Si quis per diem in vineam alienam furtim aut violenter ingressus fuerit, ut damnum faciat, inferat pro ipsa præsumptione sol. III.

VIII. Si servus hoc fecerit, cædatur.

IX. Si quis vineam fructum habentem noctu ingressus fuerit, & à custode vineæ intra vineam fuerit interemptus, ab occisi domino aut parentibus non requiratur.

X. Si quis ingenuus vomerem furto abstulerit, duos boves cum iunctura & adparatu aratri tradere domino compellatur.

XI. Si servus hoc fecerit, CL. fustium ictus accipiat.

XXVIII. DE INDVLTA GENERALITER INCIDENDORVM LIGNORVM LICENTIA.

SI quis Burgundio aut Romanus sylvam non habeat, incidendi ligna ad usus suos de iacentivis & sine fructu arboribus in cuiuslibet sylva habeat liberam potestatem, neque ab illo, cuius sylva est, repellatur.

II. Si quis verò arborem fructiferam in aliena sylva, non permittente domino, fortasse inciderit, per singulas arbores, quas incidit, singulos solidos domino sylvæ inferat. Quod etiam de pinis & abietibus præcipimus custodiri. Quòd si servus hoc fecerit, fustigetur: & dominus eius nullum damnum aut calumniam patiatur.

III. Si quis verò quemquam de iacentivis & non fructiferis arboribus lignum usibus suis necessarium præsumere fortasse non permiserit, ac si ei pignora tulerit, restitutis in triplum pignoribus, inferat mulctæ nomine solidos sex.

XXIX. DE SVPERVENTORIBVS, ET EFFRACTORIBVS.

SI quis superventu aut latrocinii scelere negociatorem aut aliquem occiderit, occidatur: ita ut si ea quæ abstulit non potuerint inveniri, in simplum de suis facultatibus reformetur.

II. Quòd si superventum inferens, ab his quos latrocinio suo crediderat expetendos fuerit interfectus, nulla interfectoribus ab occisi dominis aut parentibus moveatur ex hac parte causatio.

III. Effractores omnes, qui aut domos aut scrinia expoliant, iubemus occidi.

XXX. DE CORRVPTIS MVLIERIBVS.

QVicunque ingenuus ancillæ violentiam fecerit, & vis potuerit adprobari, inferat ei, cuius ancilla est, sol. XII. Si servus hoc fecerit, centum quinquaginta fustium ictus accipiat.

XXXI. DE PLANTANDIS VINEIS.

INter Burgundiones & Romanos id censuimus observandum, ut quicunque in communi campo nullo contradicente vineam fortasse plantaverit, similem campum illi restituat, in cuius campo vineam posuit.

II. Si verò post interdictum quicunque in campo alterius vineam plantare præsumpserit, laborem suum perdat, & vineam cuius est campus accipiat.

XXXII. DE EO, QVI HOMINEM INLICITE ET SINE CAVSA LIGAVERIT.

SI quis hominem ingenuum innocentem ligaverit, & hoc ingenuus fecerit, inferat ei, quem ligaverit, solidos XII. & mulctæ nomine sol. XII.

Si

Si libertum ligaverit, inferat ei, quem ligavit, sol. VI. & mulctæ nomine solidos VI. Si servum ligaverit, inferat ei solidos tres: & mulctæ nomine sol. III. Si servus hoc fecerit, centum fustium ictus accipiat.

XXXIII. DE INIVRIIS, QVÆ MVLIERIBVS INLATÆ FVERINT.

SI qua mulier ingenua in domo sua à quocunque ingenuo aut in via innocens discapillata fuerit, aut detracta, & testibus hoc potuerit approbari, inferat ei auctor facti sol. XII. & mulctæ nomine sol. XII. Si libertæ hoc factum fuerit, inferat ei sol. VI. Si ancillæ hoc factum fuerit, inferat ei sol. III. & mulctæ nomine sol. III.

II. Si à servo hæc ingenuæ inrogatur iniuria, ducentos: si libertæ, centum: si ancillæ, septuaginta quinque fustium ictus accipiat.

III. Si verò mulier illa, cuius tali ordine iniuriam iussimus vindicari, liti se sponte miscuerit, pro inlata iniuria nihil quæratur.

XXXIV. DE DIVORTIIS.

SI qua mulier maritum suum, cui legitimè iuncta est, dimiserit, necetur in luto.

II. Si quis uxorem suam sine causa dimiserit, inferat ei alterum tantum, quantum pro pretio ipsius dederat: & mulctæ nomine sol. XII.

III. Si quis vir uxorem suam fortè dimittere voluerit, & ei potuerit vel unum de his tribus criminibus adprobare, id est, adulteram, maleficam, vel sepulchrorum violatricem, dimittendi eam habeat liberam potestatem: & iudex in eam, sicut debet in criminosam, proferat ex lege sententiam.

IV. Quòd si de his tribus facinoribus nihil admiserit, nulli virorum liceat de altero crimine uxorem suam dimittere: sed si maluerit, exeat de domo rebus omnibus dimissis, & illa cum filiis suis his, quæ maritus habuit, potiatur.

XXXV. DE SERVORVM SVPPLICIIS, QVI INGENVIS MVLIERIBVS VIM PVDORIS INTVLERINT.

SI quis servus vim mulieri ingenuæ fecerit, & quæsta fuerit, & evidenter hoc potuerit adprobare, servus pro admisso crimine occidatur.

II. Si verò ingenua puella voluntariè se servo coniunxerit, utrumque iubemus occidi.

III. Quòd si parentes puellæ parentem suam punire fortasse noluerint, puella libertate careat, & in servitutem regiam redigatur.

XXXVI. DE INCESTI ADVLTERIO.

SI quis cum parente sua, vel uxoris suæ sorore, in adulterio fuerit deprehensus, pretium suum ei, qui est proximus mulieri quam adulteraverit,

prout persona fuerit, cogatur exsolvere : & mulctæ nomine, sol. XII. Adulteram verò subdi iubemus regiæ servituti.

XXXVII. DE EDVCTO GLADIO.

QVicunque spatham, aut semispathium eduxerit ad percutiendum alterum, & non percusserit, inferat mulctæ nomine sol. XII. Si percusserit, inferat similiter sol. XII. & de inflicto vulnere iudicetur.

XXXVIII. DE HOSPITALITATE LEGATIS EXTRANEARVM GENTIVM, ET ITINERANTIBVS NON NEGANDA.

QVicunque hospiti venienti tectum aut focum negaverit, trium solidorum inlatione mulctetur.

II. Si conviva regis est, VI. solidos mulctæ nomine solvat.

III. De legatis verò extranearum gentium, ut dictum est, id volumus custodiri, ut ubicunque eos mansio contulerit, unum porcum aut unum berbicem præsumendi habeant facultatem : & qui fieri prohibuerit, VI. sol. mulctæ nomine cogatur exsolvere. Et quod datum fuerit legatis, ei qui dedit ab his qui intra terminum villæ ipsius commanent, compensetur.

IV. Hyemis autem tempore si quid legatus fœni aut hordei præsumpserit, similiter à consistentibus intra terminum villæ ipsius, tam Burgundionibus quàm Romanis, sine contradictione aliqua conferatur. Quod tantùm à maioribus personis præcipimus custodiri.

V. Ceterum si talis persona est, quæ ex munificentia nostra legatum possit excipere, ipse tantùm ex sua expensa legatis una nocte præparet mansionem. Quod si non fecerit, XII. sol. se mulctæ nomine noverit inlaturum.

VI. Si in causa privata iter agens ad Burgundionis domum venerit, & hospitium petierit, & ille domum Romani ostenderit, & hoc potuerit adprobari, inferat illi cuius domum ostenderit, solidos tres : & mulctæ nomine, solidos tres.

VII. Si quis in agro regio vel colonica voluerit adplicare, & non permissus fuerit, colonus fustigetur.

VIII. Si autem hospes ibidem aliquid insolenter everterit, in novigildo restituat.

IX. Si in villa conductor ingenuus est, & tectum aut focum non dederit, inferat mulctæ nomine sol. III. Si servus est, fustigetur.

X. Quod de Burgundionum & Romanorum omnium colonis & servis præcipimus custodiri.

XXXIX. DE RECEPTIS ADVENIS.

QVicunque hominem extraneum cuiuslibet nationis ad se venientem susceperit, discutiendum iudici præsentet, ut cuius sit, tormentis adhibitis fateatur.

II. Quod qui intra septem dies non fecerit, & à domino agnitus fuerit, is apud quem servus inventus est, ad triplam solutionem pretii ipsius teneatur,

neatur; exceptis his, qui per captivitatem abducti, ad dominos, aut ad parentes, & ad ſolum proprium redierunt.

III. Verum ſi inconſcio domino ignotus veniens ab actore aut colono cuiuſcunque receptus fuerit aut cœlatus, trecentos fuſtium ictus accipiat: & dominus ſacramenta dependat, de latebra fugitivi conſcientiam ſuam non teneri.

IV. De tertio autem mancipio ſimili conditione, ſicut & de captivo, conſervata; ita ut eum is ad quem venerit, non occultet, ſed continuò ad dominum faciat remeare. Quod niſi fecerit, mancipium quod in diſpendium domini retinuerit, cum dupla mercede dominationi reſtituat.

V. Quòd ſi ſervus inconſcio domino de mancipii ipſius retentione convincitur, ducentos fuſtium ictus accipiat.

XL. DE MANVMISSIONIBVS.

SI quis Burgundio mancipium iuris ſui libertate donaverit, & ſi eum ſub occaſione levis offenſæ in ſervitium crediderit revocandum, hanc ſibi manumiſſor licentiam præſenti lege noverit denegatam: nec prius ad priſtinam conditionem manumiſſus poterit revocari, niſi fortè talia in damnum & contumeliam abſolutoris ſui admiſiſſe in iudicio convincatur, ut meritò conlatam debeat perdere libertatem. Huius verò actionis pontificium circa manumiſſores tantùm de libertis ſuis præcipimus cuſtodiri.

II. Ceterum heres eius, à quo mancipium fuerit abſolutum, in qualibet cauſa libertum patris ſui non aliter quam ingenuum, noverit eſſe pulſandum.

XLI. DE MESSIBVS INCENDIO CONCREMATIS.

SI quis in exarto ſuo focum fecerit, & focus nullo compellente vento per terram currens ad ſepem vel meſſem pervenerit alienam, quidquid concrematum ex ea fuerit, ab eo, qui focum fecit, reformetur.

II. Si verò flammam ignis ad ſepem vel meſſem alterius vis venti tranſtulerit, damnum quod inlatum eſt ab eo, qui focum fecerit, non quæratur.

XLII. DE HEREDITATIBVS EORVM, QVI SINE FILIIS MORIVNTVR.

LIcet de hereditatibus eorum, qui ſine filiis moriuntur, complura prioribus legibus iuſſerimus, tamen nunc impenſius univerſa tractantes iuſtum eſſe proſpeximus, ut aliqua ex his, quæ ante præcepta fuerant, corrigantur. Idcirco præſenti conſtitutione decernimus, ut ſi mulier defuncto ſine filiis coniuge ſuo ad ſecunda vota non ierit, tertiam totius ſubſtantiæ mariti uſque ad diem mortis ſuæ ſecura poſſideat: ſic tamen ut poſt tranſitum eius, ad legitimos mariti heredes omnia revertantur.

II. De morgengeba verò, quod priori lege ſtatutum eſt, permaneat. Nam ſi à tempore obitus prioris mariti infra annum nubere voluerit, habeat

liberam potestatem: & tertiam substantiæ partem, quam permissa fuerat possidere, dimittat. Ceterum si emenso anno vel biennio maritum voluerit accipere, omnia sicut dictum est, quæ de priore marito habuit, derelinquat, & pretium quod de nuptiis eius inferendum est, accipiat: & parentibus defuncti mariti debetur hereditas.

DATA AMBARIACO IN COLLOQUIO SUB DIE III. NON. SEPTEMB. ABIENO VC. CONS.

XLIII. DE DONATIONIBUS.

LIcet plura de donationibus lex nostra de superioribus temporibus data præceperit, tamen quia ex ipso eodemq; titulo oriuntur aliqua, de quibus non evidenter legitur constitutum, necesse est, ut præsentis legis adiectione, quæ prius fuerant prætermissa, definiantur. Ideoque hoc ordine in populo nostro donationes factæ & testamenta valebunt, ut quinque aut septem testes donationi aut testamento, prout possunt, aut signa aut subscriptiones adiiciant. Quòd si minor testium numerus interfuisse probetur, facta donatio, aut conditum testamentum, nullam habere poterit firmitatem.

III. In aliis verò, hoc est in minoribus, tres idoneos testes iubemus admitti.

IV. Ceterum de testamentis & donationibus statuta superius forma servabitur.

XLIV. DE ADULTERIIS PUELLARUM, ET VIDUARUM.

SI qua Burgundionis ingenui filia, priusquam marito tradatur, cuicunque seu Barbaro, seu Romano, occultè adulterii se fœditate coniunxerit, & postmodum ad quærimoniam facti processerit, & sic obiecta claruerint, is qui in eius corruptione fuerit accusatus, & ut dictum est, certa probatione convictus, inlatis xv. solidis nullam calumniam patiatur. Illa verò facinoris sui dehonestata flagitio amissi pudoris sustinebit infamiam.

II. Quòd si mulier vidua cuicunque se non invita, sed libidine victa, sponte miscuerit, & in vocem accusantis eruperit, nec statutum percipiet numerum solidorum, nec eum cui se tali dedecore sociaverit coniugio ipsius, reclamante eo, iubemus addici: quia iustum est, ut actuum suorum vilitate confusa, nec matrimonio sit digna, nec præmio.

XLV. DE HIS QUI OBIECTA SIBI NEGAVERINT, ET PRÆBENDUM OBTULERINT IUSIURANDUM.

MUltos in populo nostro & pervicatione causantium & cupiditatis instinctu ita cognoscimus depravari, ut de rebus incertis sacramenta plerumque offerre non dubitent, & de cognitis iugiter periurare. Cuius sceleris consuetudinem submoventes præsenti lege decernimus, ut quotiens

tiens inter homines nostros causa surrexerit, & is qui pulsatus fuerit, non deberi à se quod requiritur, aut non factum quod obiicitur, sacramentorum obligatione negaverit. Hac ratione litigio eorum finem oportebit imponi: ut si pars eius, cui oblatum fuerit iusiurandum, noluerit sacramenta suscipere, sed adversarium suum veritatis fiducia armis dixerit posse convinci, & pars diversa non cesserit, pugnandi licentia non negetur. Ita ut unus de eisdem testibus, qui ad danda convenerant sacramenta, Deo iudicante confligat: quoniam iustum est, ut si quis veritatem rei incunctanter scire se dixerit, & obtulerit sacramentum, pugnare non dubitet. Quòd si testis partis eius, quæ obtulerit sacramentum, in eo certamine fuerit superatus, omnes testes qui se promiserant iuraturos, trecenos solidos mulctæ nomine, absque ulla induciarum præstatione, cogantur exsolvere. Verum si ille qui renuerit sacramentum, fuerit interemptus, quidquid debebat, de facultatibus eius novigildi solutione pars victoris reddatur indemnis, ut veritate potius quàm periuriis delectentur. DATA SVB DIE V. KAL. IVNIAS LVGDVNI ABIENO. VC. CONS.

XLVI. DE HIS, QVI TENSVRAS AD OCCIDENDVM LVPOS POSVERINT.

OPortet ut ea, quæ in populo nostro aut contentionem faciunt, aut hominibus periculum videntur inferre, interdicto legis rationabiliter corrigantur. Et idcirco iubemus, ut quicunque à præsenti tempore occidendorum luporum studio arcus posuerint, statim hoc ipsum vicinis suis eodem die vulgantes cognoscant, ita ut tres lineas ad prænoscenda positi arcus indicia diligenter extendant, ex quibus duæ superiores sint; quæ si aut ab homine per ignorantiam veniente, aut ab animali domestico tactæ fuerint, sine periculo sagittas arcus emittat. Quòd si hoc modo provisa res fuerit, ut tensuræ factæ circumsistentibus innotescant, quicunque ingenuus incautè veniens casum mortis aut debilitatis incurrerit, nullam ex hoc calumniam is, qui arcus posuerit, sustinebit: sed xxv. solidos tantum occisi parentibus curabit inferre. Quòd si servus ille fuerit sagittatus, sine aliqua solutione iacebit inultus. Verum si is qui arcus tetenderit, & vicinis non notum fecerit, & lineas non illa, qua iussimus, diligentia & traditione posuerit, quicunque ingenuus aut servus ibidem fuerit interfectus, integrum pretium eius, prout persona fuerit, occisi parentibus aut domino, secundum constitutionem priorum legum, à iudice compellatur exsolvere.

XLVII. DE CONDEMNATIONE LATRONVM, VXORVM QVOQVE SVARVM ET FILIORVM.

LIcet superioribus legibus fuerit constitutum quemadmodum oportet latronum crimina resecari; tamen quia sceleratorũ atrocitas nec suppliciis

hactenus, neque dispendiis ad integrum potuit submoveri, præsenti lege decernimus: ut quicunque ingenuu, stam Barbarus quàm Romanus, vel cuiuslibet nationis persona, intra regni nostri provincias constituta, caballos aut boves furto abstulerit, & uxor eius commissum crimen non statim prodiderit, ut occiso marito suo ipsa quoque libertate privetur, & in servitium eius, cui furtum factum fuerit, sine dilatione tradatur: quia dubitari non potest, & sæpe compertum est, eas maritorum suorum criminibus esse participes.

II. Circa filios quoque talium personarum hæc servabitur ex lege districtio, ut quicunque ex eis eo tempore, quo furtum admissum fuerit, quartum decimum ætatis annum excesserit, eo quo mater ipsius amissæ libertatis præiudicio condemnetur, eius quoque dominio perpetua obnoxiatione deserviat, cui furtum factum fuisse constiterit: quoniam in eo annorum numero constitutus commissum scelus absque ulla dubitatione cognoscit.

III. Hi verò sceleratorum filii, qui perpetrati criminis tempore intra decimum ætatis annum inveniuntur, ab hac amittendæ libertatis condemnatione habeantur immunes. Quia sicut in tam parva ætate intellectus eorum scientiam commissorum à patre criminum non habebit, ita nec culpari poterunt, nec ingenuitatis præiudicium sustinebunt: & sortem parentum vel facultatem filii, qui innocentes fuerint, vindicabunt.

IV. De servorum etiam furtis & sceleribus ea districtionis forma servabitur, quam ante latæ legis forma complectitur.

XLVIII. DE INFLICTIS VVLNERIBVS.

SI quicunque in re sua violenter resistit, superióribus quidem legibus tenetur insertum, quemadmodum de inflictis ferro vulneribus iudicetur: sed quod in ea constitutione pro emergentibus causis cognoscitur prætermissum, præsenti lege oportuit diffiniri. Si quis igitur fuste aut lapide brachium alterius fregerit, & usum eiusdem membri percussus sine certa debilitate perdiderit, decimam partem pretii eius secundum qualitatem personæ, sicut anterioribus legibus docetur adscriptum, auctor facti cogatur exsolvere.

II. Similem quoque conditionem, si alter alterius tibiam, ea qua dictum est temeritate, percusserit fregeritque, in compositione criminis præcipimus custodiri.

III. Ceterum si aut brachium cuiuscunque aut tibia supradicto ordine fracta, & evidenti fuerint debilitate damnata, ea compositionis forma servabitur, quæ ante latis legibus legitur fuisse decreta.

IV. Ceterum si quicunque in rem suam violenter resistens, hæc quæ dicta sunt, ex necessitate commiserit, is qui inlæsus abscesserit, medietatem statutæ solutionis, prout diversitas culpæ poposcerit, imminente iudice cogatur inferre.

XLIX. DE ANIMALIBVS DAMNVM FACIENTIBVS IN CLAVSVRA MISSIS, SEV CABALLIS PERVAGANTIBVS.

AD utilitatem & quietem constat omnium pertinere, ut de singulis quibuscunque causis generalis diffinitio proferatur, sicque fiat, ut locorum comites atque præpositi competenter instructi evidentius iudicanda cognoscant. Si quis igitur caballos, aut boves, aut quæcunque animalia vicini aut consortis sui damnum sibi facientia ad domum suam claudenda perduxerit, ac sic ea, priusquam ad dominum ipsorum directus possit nuncius pervenire, incendii casus everterit, medietatem eorum clausor exsolvat, nihilque ab eo amplius postuletur.

II. Verum si animalia in clausura redacta, die & nocte fuerint retenta, & domino eorum actorique rem, is, à quo tenebuntur, scire non fecerit, & qualibet postmodum occasione perierint, omnia ab ipso, qui ea tacens retinuerit, reformentur. Nam si ille ad quem animalia pertinebunt admonitus fuerit, ut ea sicut ordo postulat taxata prius damni inlatione recipiat, idque facere inconsulta abusione tardaverit, & dum intra clausuram retinentur, casum mortis aut debilitatis incurrerint, nullam exinde calumniam, nullumque solutionis dispendium is, à quo retenta fuerint, patiatur. Quam quidem rem inter consortes & vicinos præcipimus custodiri.

III. Ceterum de iumentis & animalibus longius, ut solet fieri, pervagantibus, quod prius statutum est, universitatem conveniet observare, id est, ut caballos alienos per regionem vagantes nemo corripiat. Sanà si eos in re sua damnum sibi facientes invenerit clauseritque, vicinis suis & consortibus contestetur: & si dominus eorum non venerit, tertiò die eos præsentibus testibus extra fines suos expellat. Quòd si quisquam aliter fecerit, & convictus fuerit, triplici redhibitione teneatur obnoxius.

IV. Eam sanè legem, per quam anteactis temporibus inventos captosque caballos contestari, & ad pueros nostros, qui mulctam per pagos exigunt, iusseramus adduci, ut eorum studio & diligentia servarentur, iampridem placuit non admitti: quoniam sæpè atque evidenter cognovimus, sub eius legis specie diversorum caballos eversos potius, quam servatos.

L. DE OCCISIS ACTORIBVS TAM REGIÆ DOMVS, QVAM PRIVATORVM.

QVotiens eiusmodi causæ consurgunt, de quibus præcedentium constitutionum ordo non evidenter observanda decrevit, necesse est ut ter-

minandæ causationis modum instructio legibus adiecta contineat: quatenus singulorum locorum iudices ignorantiæ cunctatione submota, finem litibus congruenter imponant. Idcirco iubemus, ut si quis tam Burgundio quàm Romanus ingenuus, actorem possessionis nostræ non manifesta necessitate compulsus occiderit, centum quinquaginta solidos cogatur inferre.

II. Si alterius fuerit actor occisus, centum solidi in compositione criminis numerentur.

III. Verum si à servo cuiusquam ignorante domino actor patrimonii nostri, vel cuiuslibet alterius, occidatur, sicut de reliquis statutum est, servus tradatur ad mortem.

IV. Quòd si sciente domino crimen homicidii fuerit perpetratum, servus iudici præsentatus intereat: dominus verò integrum interfecti pretium solvat: mulctæ autem nomine sol. XII. compellatur inferre.

V. Ceterum si quisquam seu nostrum seu privati hominis actorem, cæde aut vulneribus vexatum occiderit, idque evidenter fuerit adprobatum, ea satisfactionis forma servabitur, quam custodiri anteriorum legum statuta iusserunt.

LI. DE HIS, QVI DEBITAS FILIIS SVBSTANTIÆ SVÆ PORTIONES NON TRADIDERINT.

QVamlibet hæc in populo nostro antiquitus fuerint observata, ut pater cum filiis propriam substantiam æquo iure divideret; tamen emissa iampridem lege custodiri huiusmodi ordinem iussimus, & patrum utilitatibus consulentes adiecimus, ut ex eo, quod in portione patris veniebat, faciendi quod voluisset, haberet liberam potestatem. Sed quia in nostra nuper disceptatione præclaruit, Athilam quendam & antiquæ constitutionis seriem præterisse, & saluberrimæ legis præceptionibus resultasse, nec debitam tradidisse filio portionem, & ita facultatem suam per inlicitos scripturarum titulos ad alias transtulisse personas, ut nihil exinde ad filium voluerit pertinere: ne quisquam improbum huiusmodi sequeretur exemplum, quod contra legem fecerat, ex lege iussimus non valere, omnemque eius substantiam filio addiximus possidendam. Iudicium quoque nostrum ut præsumptoris inobedientiam resecavit, ita inditam legibus generalis præcepti iustitiam retinebit. Idcirco salvo eo, quod in huiusmodi negotiis promulgata dudum lege præcepimus, quisque patrum filiis competentes substantiæ non tradiderit portiones, nihil in contrarium per scripturam in præiudicium faciat filiorum: aut si fecerit, nullius poterit esse momenti.

II. Illud tamen huiuscemodi legis vigore placuit diffiniri, ut filius de portione quam acceperit, faciendi quod voluerit liberum potiatur arbitrium: ita ut si sine sobole moriatur, & patrem eius superesse fatorum decreta permiserint, & de rebus in suo dum adviveret iure compositis neque dona-

donationem fecerit, neque condiderit testamentum, pater suus ita successionem, de qua loquimur, suis partibus vindicabit, ut nihil exinde abalienandi potestatem habeat: ipsoque in fata collapso ad reliquos filios defuncti fratris substantia remanebit.

III. Ornamenta quoque & vestimenta matronalia ad filias absque ullo fratris fratrumque consortio pertinebunt.

IV. Quod quidem de his ornamentorum vestimentorumque speciebus circa filias ex lege servabitur, quarum mater intestata decesserit. Nam si quid de propriis ornamentis vestibusq; decreverit, nulla in posterum actione cassabitur.

V. Quòd si necdum nupta puella sorores habens de hac luce transierit, suamque per scripturam, aut coram testibus non vulgaverit voluntatem, portio eius post eius mortem ad sorores suas, remota ut dictum est fratrum communione, pertineat.

VI. Verum si defuncta non habuerit puella germanam, & de rebus suis non evidenter observanda decreverit, fratres sui heredes accedant.

LII. DE MVLIERIBVS DESPONSATIS QVÆ AD ALIORVM CONSORTIVM LIBIDINE INSTIGANTE TRANSIERINT.

QVotiescunque huiusmodi causæ consurgunt, de quibus nihil præcedentium legum statuta differunt, ita ambiguitatem rei oportet absolvi, ut emissum iudicium perpetuæ legis robur accipiat, & specialis causa generalem teneat æquitatem. Auditis igitur atque perpensis criminalis negotii meritis, quod inter Fredegiselum spatharium nostrum, & Balthamodum, nec non Aunegildem vertebat, sententiam diximus, quæ recens facinus resecaret, & futuris temporibus modum districtionis imponeret. Et quoniam Aunegildis post mariti prioris obitum in sua potestate consistens se antedicto Fredegiselo non solum ex parentũ consensu, verum etiam proprio arbitrio & voluntate donaverit, & maiorem nuptialis pretii partem sponso adnumerante perceperit, fidemque placiti libidinis ardore succensa disrumpens ad Balthamodi non tam vota cucurrit, quàm ad consuetum flagitium remeavit: atque ob hoc non aliter tantum crimen, tantumque dedecus libertatis, quam sanguinis sui effusione debuerat expiare. Tamen districtioni publicæ dierum reverentiam præponentes iubemus, ut Aunegildis divino humanoque dehonestata iudico, pretium, hoc est ccc. solidos Fredegiselo coacta dissolvat. Nec Balthamodum quidem ab ipsius damnationis merito segregamus, qui mulierem alterius coniugio debitam, præsumpsit accipere: cuius mortem causa poscebat. Sed sententiam nostram ab interitu eius sub hac conditione sanctorum dierum consideratio revocavit, ut nisi cum aliis undecim evidentia præbuerit sacramenta, quibus affirmet sese eo tempore, quo ipsi sæpius dicta Aunegilde quasi uxoris iure coniuncta est, ignorasse quòd Fredegiselo iam fuerat obligata, pretium suum,

hoc est, CL. solidos Fredegiselo non moretur exsolvere. Quod si iuraverit neque damnum, neque periculum patietur. Iudicium verò in hac causa prolatum ad vicem mansuræ in ævum legis præcipimus custodiri. Et ne quemquam deinceps ad exercendum tanti facinoris ausum permissæ nunc compositionis temperamenta sollicitent, iubemus ut quoscunque similis facti reatus æquaverit, non tam dispendia sustineant facultatum, quàm capitis amissione plectantur. Rectius est enim, ut paucorum condemnatione multitudo corrigatur, quàm sub specie incongruæ incivilitatis intromittatur occasio, quæ licentiam tribuat delinquendi. DATA SVB DIE IIII. KALENDAS APRILIS AGAPITO CONSVLE.

LIII. DE HEREDITATIBVS FILIORVM, QVI POST PATRIS OBITVM MATRE SVPERSTITE INTESTATI MORIVNTVR.

LIcet emissa iampridem fuerit lege constitutum, ut si defuncto patre intestatus obiisset filius, ac sic mater eius rebus superfusis humanis: substantiam filii ita cunctis vitæ suæ temporibus possederit, post transitum eius universa, de quibus loquimur, propinqui eiusdem pueri ex paterno genere venientes acciperent. Sed postmodum cum optimatibus populi nostri impensius de causa tractantes advertimus, speciem prædictæ legis non minus dispendii ac litigii succedẽtibus exhibere, quàm commodi, dum inter se diverso ambitionis iure dissentiunt: quorum alterum tarditas adeundæ hereditatis offendit, alterum proprietas amissa conturbat. Ideoque rectius visum est, ut sub eiusmodi temperamento præfatæ conditionis vinculum laxaretur, quo non servare negocium placuit, sed finire. Qua de re iubemus, sicut iam similis causa nostro est conclusa iudicio, quotiens in hunc casum contraria fatorum decreta vertuntur, continuò inter matrem defuncti pueri, si tamen puella defuerit, & propinquos quorum supra fecimus mentionem, relictæ facultatis divisio æquo iure & ordine celebretur, ita ut unusquisque de medietate percepta faciendi quod voluerit ex lege habeat potestatem. Consultius nempe utilitatibus partium causæ vestigio terminantur, quàm temporibus suspensæ proficiunt.

LIV. DE HIS, QVI TERTIAM MANCIPIORVM, ET DVAS TERRARVM PARTES CONTRA INTERDICTVM PVBLICVM PRAESVMPSERINT.

LIcet eodem tempore, quo populus noster mancipiorum tertiam, & duas terrarum partes accepit, eiusmodi à nobis fuerit emissa præceptio, ut qui-

ut quicunque agrum cum mancipiis, ſeu parentum noſtrorum, ſive largitate noſtra perceperat, nec mancipiorum tertiam, nec duas terrarum partes ex eo loco, in quo ei hoſpitalitas fuerat delegata requireret: tamen quia complures comperimus immemores periculi ſui, eo quia ea quæ præcepta fuerant exceſſiſſent, neceſſe eſt, ut præſens auctoritas adinſtar manſuræ legis emiſſa & præſumptores coërceat, & huc uſque contemptis remedium debitæ ſecuritatis attribuat. Iubemus igitur, ut quidquid hii, qui agris & mancipiis noſtra munificentia potiuntur, de hoſpitum ſuorum terris contra interdictum publicum præſumpſiſſe docentur, ſine dilatione reſtituant.

II. De exartis quoq; novam nunc & ſuperfluam faramannorum competitionem & calumniam à poſſeſſorum gravamine & inquretudine hac lege præcipimus ſubmoveri, ut ſicut de ſylvis, ita & de exartis, ſive anteacto ſive in præſenti tempore factis, habeant cum Burgundionibus rationem: quoniam ſicut iamdudum ſtatutum eſt, medietatem ſylvarum ad Romanos generaliter præcipimus pertinere.

III. Similiter de curte & pomariis circa faramannos conditione ſervata, id eſt, ut medietatem Romani æſtiment præſumendam.

IV. Quòd ſi quiſquam conſtitutum huiuſcemodi præceptionis exceſſerit, & non à vobis fuerit cum diſtrictione repulſus, non dubitetis commotionem iracundiæ noſtræ in veſtrum periculum eſſe vertendam.

LV. DE REMOVENDIS BARBARORVM PERSONIS, QVOTIENS INTER DVOS ROMANOS DE AGRORVM FINIBVS FVERIT EXORTA CONTENTIO.

QVamlibet certa ſub diſtrictione olim fuerit conſtitutum, ut Barbarus in cauſa Romani, quam contra alterum Romanum commoverit, quàmve exceperit, ſeſe non auſus eſſet adiungere: tamen penſiorem habentes de cauſarum actione tractatum iubemus, ſicut actis iam temporibus præcepimus cuſtodiri, quotiens de agrorum finibus, qui hoſpitalitatis iure à Barbaris poſſidentur, inter duos Romanos fuerit mota contentio, hoſpites eorum non ſocientur litigio, ſed Romanos in iudicio contendentes expectent, ut cuius Barbari hoſpes evicerit, cum ipſo poſtmodum de re obtenta habeat rationem. Quòd ſi quis Barbarorum ſeſe ad litigandum in eiuſmodi cauſationem miſcuerit, mox repulſus inferat mulctæ nomine, pro eo quod interdicta contempſit, ſolidos XII.

II. Quòd ſi enim Romanus, hoc eſt, hoſpes ipſius adhibere præſumpſerit, utrumque XII. ſolidos iubemus exſolvere, & cauſam Romanis legibus terminari. Sanè ſi ex eiuſdem agri finibus, quem Barbarus ex integro cum mancipiis publica largitione perceperit, fuerit contentio generata, licebit ei ſeu pulſatus fuerit, ſeu ipſe pulſaverit, Romano iure contendere.

III. Terminum verò si ingenuus evellere aut confringere præsumpserit, manus incisione damnetur. Si servus hoc fecerit, occidatur.

IV. Si verò debilitatem suam ingenuus redimere voluerit, medietatem pretii sui solvat.

LVI. DE SERVIS IN ALAMANNIA COMPARATIS.

SI quis servum alienum in Alamannia redemerit, aut pretium à domino recipiat, aut servum habeat quem redemit; quod tamen à præsenti tempore præcipimus custodiri.

II. Ceterum si ingenuus rogans redemptus fuerit, pretium suum emptori reddat.

LVII. DE LIBERTIS BVRGVNDIONVM, QVI VIAM DISCEDENDI NON HABVERINT.

BVrgundionis libertus, qui domino suo solidos XII. non dederit, ut habeat licentiam, sicut est consuetudinis, quo voluerit discedendi, nec tertiam à Romanis consecutus est, necesse est ut in domini familia censeatur.

LVIII. DE CANE OCCISO SINE CVLPA.

CAnem si aliquis nulla extante causa occiderit, solidum det ei cuius canis est.

LIX. DE NEPOTIBVS.

NEpos amisso patre cum rebus omnibus ad avi ordinationem vel solicitudinem conferatur: ea tamen ratione, si mater eius secundas nuptias crediderit eligendas. Ceterum si nubere electa castitate distulerit, filii cum omni facultate in eius solatio & potestate consistant.

LX. DE ADHIBENDIS DONATIONVM TESTIMONIIS.

QVotiens in quibuscunque negotiis consuetudo antiqua neglegitur, necesse est ut nova lege futuris temporibus consulatur. Et quia aliquos Barbarorum per duos aut tres testes conlatas sibi, vel donationis vel hereditatis nomine facultates, adversus morem veterum usurpare velle cognovimus, eorum primitus præsumptionem præsenti lege corrigimus constituentes, ne tam paucis testibus commissa res valeat. Ceterum si quis posthæc Barbarus vel testari voluerit, vel donare, aut Romanam consuetudinem,

dinem, aut Barbaricam esse servandam sciat, si vult aliquid firmitatis habere quod gesserit, id est, aut scripturis legitimis, quod largiri cuicunque voluerit, teneatur: aut certè quinque ingenuorum testimonio, quod dimittere voluerit vel donare, robur accipiat, & in eius, cui res deputata fuerit, iura commigret.

II. Libertos etiam, si competens ingenuorum numerus defuerit, patimur testimonium perhibere.

III. Nam & inter ingenuos etiam servorum nostrorum oportet testimonium admitti; dummodo compositi testes manu eius, qui dimittere aliquid voluerit vel donare.

IV. Aut si testimonii fides tracta fuisset, secundum consuetudinem Barbarorum præbeat iusiurandum.

LXI. DE MVLIERIBVS, QVÆ SPONTE AD VIRI COITVM VENERINT.

QVæcunque mulier natione Barbara ad viri coitum spontanea voluntate fortè convenerit, nuptiale pretium in simplum tantum eius parentibus dissolvatur: & is, cui adulterii dicitur societate permixta, alterius postmodum coniugio si voluerit societur.

LXII. DE FILIIS VNICIS.

FIlius unicus defuncto patre tertiam partem facultatis matri utendam relinquat; si tamen maritum alterum non acceperit.

II. Nam si ad alias nuptias transierit, omnia perdat: dote tamen sua, quam à marito suo acceperat, quamdiu vixerit, utatur, filio proprietate servata.

DATA SVB DIE III. KAL. APRIL.

LXIII. DE HIS, QVI MESSEM IN GRANARIIS FVRATI FVERINT.

QVi messem in granariis furatus fuerit, si ingenuus est, trigildum solvat: & mulctam secundum qualitatem personæ.

II. Si servus, dominus pro eo simplum solvat, & servus ccc. fustium ictus accipiat.

LXIV. DE ANIMALIBVS IN MESSE OCCISIS.

QVi in messe sua animal occiderit, solvatur illi prius damnum, quod animal fecit, & animal qui occiderit, reddat. Hoc est de maioribus animalibus observandum.

II. Ceterum de minoribus illud custodiendum, quod priori lege constitutum est.

LXV. DE MULIERIBUS VIDUIS, A QUIBUS MARITORUM DEBITA REQUIRUNTUR.

SI qua mulier vidua filios habens, si & illa & filii sui cessionem de bonis mariti, qui defunctus est, fecerint, nullam ex debito ipsius repetitionem aut calumniam patiantur.

II. Si certè præsumpserint hereditatem, debitum paternum simul solvant.

LXVI. DE PUELLIS QUÆ SINE PATRIBUS ET MATRIBUS AD MARITUM TRADUNTUR.

PUella quæ marito traditur patrem & fratres non habens, nisi patruum & sorores, de Wittemon tertiam partem patruus accipiat, & alteram tertiam sorores sibi noverint vindicandum.

II. Si verò puella sine patre maritum accepit fratres non habens, placuit ut de Wittemon tertiam partem mater accipiat, & alteram tertiam proximiores parentes.

III. Si mater non fuerit, tertiam illam sorores accipiant.

LXVII. DE SYLVIS.

DE sylvis hoc observandum. Quicunque agrum aut colonicas tenent, secundum terrarum modum vel possessionis suæ ratam, sic sylvam inter se noverint dividendam: Romano tamen de sylvis medietate ex exartis servata.

LXVIII. DE ADULTERIIS.

SI adulterantes inventi fuerint, & vir ille occidatur & fœmina.

II. Nam hoc observandum est, ut aut utrumque occidat: aut si unum occiderit, pretium ipsius solvat, sub ea traditione pretii, quæ est prioribus legibus constituta.

LXIX. DE VVITTEMON.

MUlier quæ ad secundas nuptias traditur, Wittemon eius à prioribus parentibus mariti vindicetur.

II. Si verò tertium maritum accipere deliberat, Wittemon quod maritus dederit, mulieri proficiat.

LXX. DE FURTIS.

SI ingenuus aut servus simul furtum fecerint, ingenuus triplum solvat quantum furatum est: si tamen capitale crimen non fuerit. Servus verò fustuario supplicio deputetur.

II. De his verò caussis unde hominem mori iussimus, si in Ecclesiam fugerit, redimat se secundum formam pretii constituti ab eo, cui furtum fecit: & inferat mulctæ nomine solidos XII.

III. Si verò minora furta, id est, porcum, berbicem, capram, apem involaverit, solvat mulctæ nomine solidos XII.

IV. Si violentiam fecerit, solvat mulctæ nomine solidos sex.

LXXI. DE HIS, QVI FVRTVM COMPONVNT.

SI quis inconsciis iudicibus de furto, quod ipsi factum est, crediderit componendum, pœnam quam fur subiturus erat, ipse suscipiat.

II. Si quis sanè locum iudicis tenens inter supradictos componere voluerit, inferat mulctæ nomine solidos XII.

LXXII. DE HIS QVI PEDICAM FERIS FECERIT EXTRA CVLTVRAS.

SI quis pedicam feris fecerit extra culturas, & in deserto posuerit, & in ea homo aut animal fortassis incurrerit, is cuius pedica fuerit, nihil penitus calumniæ patiatur.

LXXIII. DE CABALLIS, QVIBVS OSSA AVT SCANDALA AD CAVDAM LIGATA FVERINT.

SI in eo loco inventum in quo damnum faciat, sive extra damnum, & pavore ipso aut periclitatum animal fuerit, aut eversum, aut debilitatum, in potestate sit domini, cuius animal fuerit, utrum ipsum recipere velit, an alium. Et si suum recipere noluerit, eius meriti æstimatione habita, duos alios tales caballos ei, cuius fuerit, dari iubemus ab eo, qui contra interdictum nostrum hoc præsumpserit admittere. Qua pœna ingenuos teneri iubemus.

II. Ceterum si servus hoc facere præsumpserit, ducentos fustes accipiat: & in potestate sit illius, cuius caballus est, utrum ipsum recipere velit. Quod si animal displicuerit, præstita sicut dictum est de servo ultione, dominus servi caballum eiusdem meriti, cuius ille fuit qui debilitatus dicitur, cogatur exsolvere. Simili de equa conditione servata.

III. De caballo etiam curtato similis pœnæ servanda conditio est.

LXXIV. DE VIDVIS, ET FILIIS EARVM.

ANteactis quidem temporibus emissa generaliter lege fuerat constitutum, ut si mulier defuncto sine filiis marito suo ad secundas nuptias

non transiisset, tertiam hereditatis eius usque in diem vitæ suæ propriis utilitatibus vindicaret: sed nunc ex ipso eodemque titulo cum optimatibus populi nostri adtentius universa tractantes generalitatem prædictæ legis placuit temperare. Quapropter iubemus, ut illa tantum vidua hanc, de qua loquimur, in hereditate mariti accipiat quantitatem, quæ patris aut matris non habuerit facultatem, aut si ei maritus suus aliquam, in qua vivere possit, successionis suæ non donaverit quantitatem.

II. Quæcunque sanè mulier, coniuge suo in fata conlapso, ad secundi mariti vota non ierit, aut eius adulti iam filii secum esse noluerint, hac ratione cum eis defuncti mariti dividat facultatem. Vt si unum filium habuerit, prædictæ substantiæ tertiam consequatur: si duo, aut tres, vel quatuor, aut plures erunt filii, quartam accipiat portionem: quam tamen post obitum eius ad filios ipsius placuit remeare.

III. Si quis defuncta uxore sua, de qua filios habet, ad secundas nuptias ierit, & ex ea quoque muliere habens filios moriatur, id placuit observari, ut relicta eius non ex privignorum suorum portione quidquam sibi æstimet esse donandum, sed de filiorum suorum proprietate designatam superius accipiat portionem.

LXXV. DE HEREDITATE INTER NEPOTEM ET AMITAM DIVIDENDA.

OPortet eas causas prolatæ legis æquitate distingui, quæ prioribus non docentur constitutionibus terminatæ: ne aut heredes in præsenti negotio ordinem adeundæ successionis ignorent, aut iudicibus competens deesse videatur instructio. Idcirco si filius patre superstite habens filios in fata discesserit, sororemque reliquerit, & pater de quo loquimur debitam filio facultatis suæ dederit portionem, & ex ea quæ ipsi competebat substantiæ quantitate de hac luce discedens non aliquid speciale decreverit, inter filium filii & filiam, salva medietate quæ minoribus partibus ex paterna successione debetur, altera substantiæ eius medietas inter nepotem & filiam æqualiter dividatur.

II. Quòd si filius, de cuius potestate tractatur, omnia cum patre indivisa possederit, eodem mortuo medietas nepotis partibus sequestretur: altera medietas cum filia & nepote æquo ordine dividatur. Et ne fortè litigandi ex hoc eodemque titulo non sublata relinquatur occasio, seu una sive duæ aut plures erunt filiæ, eam quam superius statuimus formam placuit observare, id est, ut medietas filiis, medietas nepoti aut nepotibus ex filio adquiratur.

III. Verùm si defuncto, ut dictum est, patre filius non puerum heredem reliquerit, sed puellam, & sorores suæ superfuerint genitori, ita ius vindicandæ successionis obtineat, ut portionis paternæ quantitate contenta altera medietas ad suas amitas, quarum supra fecimus mentionem, ex lege perveniat, neque exinde quidquam sibi æstimet vindicandum.

LXXVI. DE

LXXVI. DE VVITTISCALCIS.

Comitum nostrorum querela processit, quòd aliqui in populo nostro eiusmodi præsumptionibus abutantur, ut pueros nostros, qui iudicia exsequuntur, quibusque mulctam iubemus exigere, & cæde conlidant, & sublata iussu comitum pignora non dubitent violenter auferre. Qua de re præsenti lege decernimus, ut quicunque posthac pueros nostros occiderit, & insolenter abstulerit, quod ex ordinatione iudicis docebitur fuisse præsumptum, tripla satisfactione teneatur obnoxius, hoc est, ut per singulos ictus, pro quibus singuli solidi ab aliis inferuntur, ternos solidos is qui percusserit, cogatur exsolvere.

II. Ea etiam, quæ fuerint violenter erepta, tripla novigildi solutione reddantur: ita ut mulctam nobis præsumptores debitam solvant.

III. Mulieres quoque si Wittiscalcos nostros contempserint, ad solutionem mulctæ similiter tenebuntur.

IV. Nam statutam districtionis formam volumus ita custodiri, ut pueri nostri periculi sui memores providere curabunt, ut non amplius in quibuscunque causis, quàm fuerint ordinati, præsumant. Nam ut iniurias eorum iussimus vindicari, ita in se distringendum esse non dubitent, nisi omni diligentia, quæ sunt præcepta, servaverint.

LXXVII. DE INSCRIPTIONIBVS.

QVotiens servus vocatur in crimine, & necesse est, ut iudicio sub inscriptione tradatur, hæc habendæ discussionis forma servabitur, ut servi domino tantùm pretium numeretur; & si servus obiectũ sibi crimen sub tormentis fuerit confessus, solidi qui inlati fuerant, accusantis partibus reformentur; servus morte debita condamnetur.

II. Verùm si in quæstionem missus nec convictus fuerit nec confessus, datam in pretium eius pecuniam servi dominus retinebit, & servum recipiet innocentem.

III. Præterea multorum relatione comperimus, in populo nostro huius consuetudinis ordinem fuisse hactenus custoditum, ut præmium, quod pro indiciis cuiuscunque furti vel sceleris aut promittitur aut infertur, utriusque partis reformaret inlatio. Ideoque rectius visum est, ut consuetudinis huius superfluitate remota, si in eiusmodi causis ingenuus convincitur, solutionis & indiciorum integram sustineat ex lege sententiam, salvo eo quod de resecandorum servorum criminibus præcedentium legum statuta iusserunt.

LXXVIII. DE HEREDITATVM SVCCESSIONE.

DE hereditatum successione adtentius pertractantes statuimus, ut si pater cum filiis sortem suam diviserit, & postea mori filium vivo pa-

tre contigerit sine filiis, pater facultatum filii integram usufructuario iure vindicet portionem: quam inter filios & nepotes ita moriens dimittat, ut quanti nepotes ex uno filio fuerint qui patrem non habent, portionem patris sui vindicent, qualem pater eorum habiturus erat. Illam verò partem, quam pater cum filiis dividendam habuisset, superstitibus filiis derelinquat, & nepotes in eam partem non succedant.

III. Præsens tamen lex ad masculos tantummodò pertinebit.

LXXIX. DE PRÆSCRIPTIONE TEMPORVM.

LIcet iampridem à nobis fuerit ordinatum, ut si quis in populo nostro Barbaræ nationis personam, ut in re sua consisteret, invitasset, ac si ei terram ad habitandum voluntarius deputasset, eamque per annos quindecim sine tertiis habuisset, in potestate ipsius permaneret: neque exinde quidquam sibi ille qui dederit, sciat esse reddendum. Tamen quod absque ulla permutatione omni tempore generaliter memorata conditio debeat custodiri, præsenti placuit lege constitui.

II. Si quis verò terram ab altero violenter dixerit & convicerit fuisse sublatam, priusquam xxx. annorum numerus compleatur, res quam constiterit occupatam, & requiri poterit, & repetentis partibus reformari.

III. Ceterum si impletis xxx. annis terra, à quocunque etiam pervasa fuisse dicatur, non fuerit restituta, nihil sibi reddendum esse cognoscat.

IV. Quapropter omnes comites, quotiens de præfatis causis contentio fuerit generata, secundum ordinem legis istius iudicare curabunt.

V. Et quia omnia ad quietem omnium pertinentia ex lege convenit providere, omnes omnino causas de quibuscunque rebus, quæ intra xxx. annos non fuerint definitæ, nullo eas postmodum licebit ordine commoveri. Quia satis unicuiq; ad requirendum & recipiendum, quod ei debitum fuerit, suprascriptus annorum numerus constat posse sufficere.

LXXX. DE TESTIBVS FALSA REFERENTIBVS ET CALVMNIATORIBVS.

NEcesse est ea quæ minus statuta sunt, præsentis legis sanctione constitui: quia in diversis causis præ facilitate plurimos referre falsa cognovimus, qui postea ad probandum quæ retulerint, dum damnis suis timent, etiam sponte se conflictui exponunt.

II. Iubemus ergo, ut de testibus, qui pro quacunque parte se tulerint, si ad conflictum causæ descenderint, & divino iudicio falsus ibidem relator pugnans occubuerit, ccc. solidos mulctæ nomine omnes testes partis ipsius, à qua parte testis superatus est, cogantur exsolvere. Nec multorum male referentium crimen credatur potuisse unius exitu expiari. Vt quos non punit necessitas, damna feriant ad vindictam: quo facilius in posterum ne quis audeat propria pravitate mentiri.

III. Etiam

III. Etiam qui calumniatori consilium dederit ad dimicandum, si victus fuerit, simili ut superius statutum est mulcta feriatur.

LXXXI. DE INTERPELLATIONIBVS APVD IVDICES FVTVRIS.

PRima constitutione à nobis decretum fuerat, ut iudices ter admoniti causas inter partes cognitas iudicarent. Et quia occupatione & absentia deputatorum iudicum frequenter potuit evenire expectatio, ideo consensu omnium tempus credidimus statuendum, ut intra tres menses interpellato iudice causam quamlibet ulterius differre non liceat, nisi ut omnia cognoscat, & dato iudicio universa ita iudicet, ut nihil inter partes dubium reservetur.

II. Quòd si ultra tres menses causam cognitam interpellati iudices distulerint iudicare, duodecim solidorum mulctam eos iubemus exsolvere, causa nihilominus legibus iudicanda.

LXXXII. DE FIDEIVSSORIBVS.

SI quis fideiussorem de audientia accepit, ipse fideiussor ad se solvendum insistat, ut causa dicatur.

II. Aut si fideiussor mortuus fuerit, heredes mortui iudicem loci interpellent, & eius ordinatione pars adversa alium fideiussorem ipsa conditione cogatur accipere, & ab heredibus fideiussoris mortui nihil quæratur.

LXXXIII. DE HIS, QVI APVD ALIOS RES SVAS AGNOSCVNT.

QVicunque res, aut mancipium, aut quodlibet suum agnoscit à possidente, aut fideiussorem idoneum accipiat, aut si fideiussorem non acceperit, res quas agnoscit præsumendi habeat potestatem.

II. Si verò falsus fuerit in agnoscendo, rem quam malè cognovit, & aliud tantum cogatur exsolvere.

III. Si servus malè agnovit, pro qualitate rei agnitæ fustigetur.

LXXXIV. DE VENDITIONE TERRARVM.

QVia cognovimus Burgundiones sortes suas nimia facilitate distrahere, hoc præsenti lege credidimus statuendum, ut nulli vendere terram suam liceat, nisi illi qui alio loco sortem aut possessiones habet.

II. Hoc etiam interdictum, ut quisque habens alibi terram, vendendi necessitatem habet, in comparando, quam Burgundio venalem habet, nullus extraneus Romano hospiti præponatur nec extraneo per quodlibet argumentum terram liceat comparare.

III. Observandum tamen, ut de illo ipse hospes suus comparet, quem alibi terram habere constiterit.

LXXXV. DE PVPILLIS.

SI mater tutelam suscipere voluerit, nulla ei parentela præponatur.

II. Quòd si verò mater non fuerit, proximus parens res minorum revocare debet ea conditione, ut qualiter sua facultas proficit, sic & res minorum eius utilitate proficiant.

III. Nec ei liceat exinde quidquam evertere, vel alienare.

IV. Si quis verò præsumpserit de rebus, ut dictum est, minorum aliquid distrahere, de sua facultate in simplum reddat.

V. Ita ut si causam pars minoris habuerit, ipsa persona respondeat, quæ tutelam suscepit.

LXXXVI. DE MALA HEREDA.

SI pater filiis dimittat malam heredam, si vivus dare voluerit, cui voluerit donet, postea ad filias suas, si ille dederit, nemo requirat.

II. De Wittemon verò si demandaverit pater ut non quæratur, demandatio eius non valeat, sed sicut lex alia expressit, proximus parens accipiat.

III. Ita ut de eo quod acceperit, tertium solidum in ornamentis puella accipiat.

LXXXVII. DE MINORVM CONTRACTIBVS.

MInorum ætati ita credidimus consulendum, ut ante xv. ætatis annos eis nec libertare, nec vendere, nec donare liceat.

II. Et si circumventi per infantiam fuerint, nihil valebit.

III. Ita ut quod ante quintum decimum annum gestum fuerit, intra alios xv. annos si voluerint, revocandi habeant potestatem.

IV. Quòd si intra expressum tempus non revocaverint, in sua firmitate permaneat.

LXXXVIII. DE LIBERTATIBVS.

LIbertatis verò causa quantum possessionis iure maior, tantum debet diligentius observari.

II. Et ideo observandum est, ut manumittere volens, aut per scripturam lege constantem, servum quem libertate donaverit, manumittat: aut si sine scriptura libertatem mancipio suo quicunque donare voluerit, non minus conlata manumissio, quàm quinque aut septem ingenuorum hominum testimonio roboretur: neque per scripturam manumittentes minorem numerum convenit adhibere.

LXXXIX. DE REIS CORRIPIENDIS.

GVNDEBALDVS Rex Burgundionum omnibus comitibus. Multorum relatione cognovimus caballorum fures, & effractores domuum, tantum se ad hanc insaniam prorupisse, ut non occultè, verum etiam publicè crimina & omnia mala committant. Ideoque præceptionem ad vos dedimus, ut si quos caballorum fures, aut effractores domuum, tam criminosos quàm suspectos invenire potueritis, statim capere & ad nos adducere non moretur. Futurum ut is qui capitur, & antè nos adductus fuerit, si se innocentem potuerit adprobare, cum omnibus rebus suis liber abscedat, neque calumniam pro eo quòd ligatus aut captus est, movere præsumat. Si verò criminosus inventus fuerit, pœnam vel tormenta suscipiat, quæ meretur: & res illius ab his qui eum cœperunt, præsumantur. Et non solum in eum tantum pagum, ubi consistit, liceat persequi criminosum: sed sicut utilitas aut fides cuiuscunque habuerit, etiam per alia loca ad nos pertinentia non dubitent huiusmodi personas capere, & iudicibus præsentare, ut præfata scelera non liceat esse diutius impunita. Hanc præceptionem nostram in omnium notitiam ponere procuretis.

LEGIS BVRGVNDIONVM ADDITAMENTVM PRIMVM.

TITVLVS I. DE CLAVSIS ITINERIBVS, VEL ALIIS.

OBSERVANDVM viam publicam, vel inter agros communiter diviſam nec poſſideri, nec intercludi, nec exartari poſſe. Quòd ſi factum fuerit, auctorem facti ad eius munitiones ſoli compelli, & ad munitionem viarum pro modo patrimonii in nullo penitus excuſari.

II. Hoc etiam de pontium reparatione ſervandum.

III. Aquæ curſum & adquiri & amitti biennio conſtat.

IV. Viam in actum, hoc eſt, ubi carpenta vel carra ducuntur, ſimiliter biennio amitti, & adquiri poſſe.

V. Agri quoque communis nullis terminis limitati exæquationem inter conſortes nullo tempore denegandam.

VI. Sylvarum, montium, & paſcuorum unicuique pro rata ſuppetit eſſe communionem.

VII. De ſervitute luminis vel aëris ſimiliter conſtitutum, ut inter privatorum fabricas, decem pedes: inter publicas, quindecim dimittantur, ſecundum legem Theodoſii.

II. DE ANIMALIBVS DAMNVM INFERENTIBVS.

PRoinde iubemus, ut quolibet tempore minora animalia, id eſt, capra, vervex, aut porci in vineam inventa fuerint, unum de ipſis quotiens inventa fuerint, iubemus occidi, à vineæ domino præſumendum.

II. Vacca verò poſt tertiam conventionem ſi in vinea inventa fuerit, occidatur à vineæ domino ſimiliter præſumenda.

III. De bobus verò, & caballis, aſinis aut equis animalibus iubemus, ut dominus aut cuſtos vineæ inventa ſupradicta animalia ſingulos tremiſſes inferat cuius ſunt, ei à quo tenentur.

III. DE IVDICIIS.

SI quis iudicum deputatorum à nobis iudicium contempſerit, VI. ſolidos iudicibus inferat: & mulctæ nomine ſolidos XII. cauſam ſpecialiter perditurus.

II. Si

II. Si verò iudices à nobis deputati iniustè iudicaverint, sciant se terduodenos sol. mulctæ nomine nobis esse inlaturos sine dubio.

IV. DE INGENVIS, QVI CVM SERVO FVRTVM FACIVNT.

SI quis ingenuus cum servo furtum fecerit, iubemus ut secundum pretium à nobis constitutum aut vervecem, aut capram, aut porcum, aut apem, quam involaverit, in triplum solvat.

II. Servus verò ccc. fustium ictus accipiat, & à domino servi ipsius nihil quæratur.

V. DE HIS, QVI MVLIERIBVS CORRVPTIS CRINES IN CVRTE SVA CAPVLAVERINT.

QVicunque ingenuus mulieri ingenuæ crines in curte sua præsumpserit capulare, iubemus ut xxx. solidos mulieri ipsi solvat: & mulctæ nomine solidos xii.

II. Certè si ad battalia mulier foras curte sua exierit, & aut vulnera acceperit, aut ei crinis incisus fuerit, imputet sibi, quia foras domum suam egressa est: & ab eo qui eam percussit, aut crinem incidit, nihil quæratur.

III. Certè si ancillæ in curte sua hoc fecerit, ex eo iii. solidos ancillæ ipse solvat: & mulctæ nomine solidos ii.

IV. Si servus verò mulieri ingenuæ hoc præsumpserit facere, tradatur ad mortem: & domino servi nihil quæratur.

V. Quòd si dominus servi voluerit eum de morte redimere, decem solidis iubemus servum ipsum redimere.

VI. Iubemus etiam, ut postquam à iudice servus ipse domino traditus fuerit, centum fustium ictus accipiat, ut postea alteri iniuriam non faciat, nec domino suo damnum inferat.

VI. DE BRACHIIS AVT TIBIIS, QVÆ AB ALTERO FRANGVNTVR.

QVicunque de lapide, aut fuste, vel secure inversa cuicunque brachium aut tibiam fregerit, iubemus ut ei xv. solidos solvat: & mulctæ nomine solidos vi.

VII. DE NAVIGIIS.

QVicunque navis caupulum involare præsumpserit, inferat ei cuius navis est, solidos xii. & mulctæ nomine solidos iiii. Pro caupulo verò solidos iiii. & mulctæ nomine solidos ii.

II. Si servus hoc fecerit, pro nave ducentos fustium ictus accipiat: pro caupulo verò, centum fustium ictus accipiat, & domino servi nihil quæratur.

VIII. DE VIATORIBVS.

QVicunque mancipium, caballum, bovem, vaccam, vervecem, porcum, apem, capram perdiderit, donet vegio pro mancipio, solidos quinque: pro equa, solidos duos: pro caballo, solidos tres: pro bove optimo, solidos duos: pro vacca, solidum unum: pro vervece, solidum unum: pro porco, solidum unum: pro capra, tremissem.

IX. DE FIDEIVSSORIBVS.

QVicunque tam Burgundio quàm Romanus fideiussorem acceperit, & pro fideiussione aut quolibet debito res uxoris pignoratæ sunt, apud fideiussorem suum se absolvat, & res uxoris quæ pignoratæ sunt, restituat.

X. DE CANIBVS VELTRAIS, AVT SEGVTIIS, AVT PETRVNCVLIS.

SI quis canem veltraum, aut segutium, vel petrunculum præsumpserit involare, iubemus ut convictus coram omni populo posteriora ipsius osculetur: aut quinque solidos illi cuius canem involavit, cogatur exsolvere: & mulctæ nomine solidos duos.

XI. DE ACCEPTORIBVS.

SI quis acceptorem alienum involare præsumpserit, aut sex uncias carnis acceptor ipse super testones comedat, aut certè si noluerit, sex solidos illi, cuius acceptor est, cogatur exsolvere: mulctæ autem nomine solidos duos.

XII. DE VENDITIONIBVS, QVÆ SINE TESTIBVS SCRIBVNTVR.

SI quis mancipium, aut agrum, aut vineam, aut aream, vel domum factam in quocunque loco comparaverit, iubemus ut si non fuerit firmata, aut subscripta, pretium perdat.

II. Certè si à loci illius consistentibus scriptura ipsa signata non fuerit, aut septem aut quinque testibus.

III. Certè si quinque testes ad præsens inventi non fuerint, tres idoneos testes loci illius consistentes, quorum fama nunquam maculata est, præcipimus subscribendos.

IV. Certè si non, invalidam scripturam ipsam iubemus esse.

XIII. DE MVLIERIBVS, QVÆ SE VOLVNTATE SVA AD MARITOS TRADVNT.

QVæcunque mulier Burgundia vel Romana voluntate sua ad maritum ambulaverit, iubemus ut maritus ipse facultate ipsius mulieris, sicut in eam habet potestatem, ita & de rebus suis habeat.

XIV. DE

XIV. DE VVITTEMON.

QVicunque Burgundio optimatis aut mediocris ſine ordinatione patris cum alicuius filia ſe copulaverit, iubemus ut tripla ſolutione optimatis ille qui fuerit, patri ipſi cuius filiam copulavit, & ei antè ſcire non fecit, nec conſilium petiit, centum quinquaginta ſolidos cogatur exſolvere: & mulctæ nomine ſolidos XXXVI.

II. Leudis verò ſi hoc præſumpſerit facere, ſimiliter in tripla ſolutione, hoc eſt, ſolidos XLV. ſolvat: & mulctæ nomine ſolidos XII.

XV. DE IVDEIS, QVI IN CHRISTIANVM MANVM PRÆSVMPSERINT MITTERE.

QVicunque Iudæus in Chriſtianum manum præſumpſerit mittere, pugno aut calce, fuſte aut flagello, aut ſaxo, aut per capillos prenderit, manus inciſione damnetur.

II. Quòd ſi voluerit manum ſuam redimere, LXXV. ſolidis iubemus redimere: & mulctæ nomine ſol. XII.

III. Præterea iubemus, ſi in ſacerdotem manum præſumpſerit mittere, tradatur ad mortem: & facultas ipſius fiſco noſtro tradatur.

XVI. DE VINEIS.

QVicunque in vineam alienam intrare præſumpſerit de die furti cauſa, inferat illi, cuius vinea eſt, ſolidos III. & mulctæ nomine ſolidos III.

II. Certè ſi de nocte hoc præſumpſerit facere, & percuſſus fuerit, ita ut moriatur, cuius vinea eſt nullam calumniam patiatur.

III. Nam ſi ſervus hoc fecerit, aut in die furtim intraverit, trecentos fuſtium ictus accipiat.

IV. Quòd ſi de nocte intraverit, ſicut ſuperius diximus, occidatur.

V. Quòd ſi dominus eius voluerit eum redimere, habeat liberam poteſtatem; ita poſtquam eum redemerit, CL. fuſtium ictus accipiat, ita ut nec ille nec aliorum ſervus hoc facere delectet.

VI. Prærerea ſi ingenuus non viſus fuerit, & poſtea aut per vim aut per ſcrutinium inventum fuerit, iubemus ut ad redimendum ſe XII. ſolidos illi, cuius vinea eſt, cogatur exſolvere, & mulctæ nomine ſolidos VI.

XVII. DE ASINIS.

QVicunque aſinum alienum extra domini voluntatem præſumpſerit aut per unum diem aut duos in ambaſcia ſua, iubemus ut ipſum & alium talem ei, cuius aſinus eſt, conſignet. *Sub titulo CV. invenimus Conſtantini.*

XVIII. SI QVIS BOVES ALICVIVS PIGNORAVERIT.

QVòd quicunque boves pignorare præſumpſerit, capitale puniatur.

II. Nobis verò cum optimatibus nostris hoc convenit, ut quicunque alia pecora habuerit, aut mancipia, aut caballos, & boves præsumpserit pignorare, inferat illi cuius boves pignorat, sol. XII. Et si duo paria pignoraverit, solidos XXIV. & mulctæ nomine solidos XII. ea tamen ratione, ut boves ipsos in loco reformet.

XIX. DE LIBERALI CAVSA, VEL DE OPERIS LIBERTORVM.

SI quis intra annos XXX. sub ingenuitatis spatio vagantem in servitutem vocare voluerit, non aliter quàm apud iudices statutum eum pulset.

II. Ille verò pulsatum debere indicia.

III. Et si voluntarius adsertor sit, aut defensorem ingenuitatis invenire non potuerit, ad iudices fide integra & moribus idoneos deportetur.

IV. His verò, qui de servitute in libertatem aut ingenuitatem reclamare tentaverint, ista beneficia denegantur: sed victi in foro statuuntur, & qui eos defendere voluerint, habeant liberam potestatem.

V. Quòd si nec defensorem invenire potuerint, in servitutem à domino retrahantur.

XX. DE VINEIS HOC OBSERVANDVM.

MVltorum Burgundionum, & Romanorum quærimonia ad nos processit, quòd vineæ eorum ab animalibus, porcis, vel reliquis vastarentur. Cum optimatibus nostris de re impensius pertractantes iustum esse perspeximus, & ita nobis visum est, à quocunque animalia in vinea inventa fuerint, de grege porcorum unum habeat occidendi liberam potestatem, & suis usibus vindicandum.

II. Quòd si facilius ad utilitatem & quietem omnium debeat pertinere, de animalibus vel reliquis pecoribus, præter boves & caballos, sicut de porcis simili conditione, teneatur.

LEGIS

LEGIS BVRGVNDIONVM
ADDITAMENTVM
SECVNDVM.

QVÆCVNQVE in regno nostro huiusmodi causæ oriuntur, unde adhuc legibus non fuerit institutum, quod observare debebit, habito nunc cum optimatibus nostris tractatu præsenti conditione decrevimus in populo nostro custodiri.

SI quis ingenuus in captivitatem ductus est, & mancipia intra regionē nostram reliquit, quicunque mancipium propinquitate ad se revocavit, aut præsumpsit, aut forsitan per nostram præceptionem petiit, si captivus ille ad propria redierit, mancipia sua absque præiudicio partis recipiat.

II. Quicunque servum suum aut ancillam de regione nostra in sortem alienam vendiderit, & mancipium venditum ad propria redierit, ut libertus sit ordinamus: ea tamen ratione, ut non alterius patrocinium, nisi domini illius, qui eum vendiderit, habiturum se esse cognoscat.

III. Quicunq; ingenuus de Gothia captivus à Francis in regionem nostram venerit, & ibidem habitare voluerit, ei licentia non negetur.

IV. De his verò, quæ tempore excidii ad fidem inimicorum amissis mancipiis, cum una tantum ingenua persona, ac loco uxoris sibi liberavit, mercedes requiri specialius ordinavimus, ut nihil penitus ad mulierem illam de tali causa quæratur.

V. Quæcunque persona de alia regione in nostram venerit, & ibi voluerit habitare, aut cum quo esse voluerit, habeat licentiam: & nullus eam ad servitium, aut per se adiicere præsumat, aut à nobis petere conetur.

VI. De monetis solidorum præcipimus custodire, ut omne aurum quodcunque pensaverit accipiatur, præter quatuor tantum monetas, Valentiniani, Genavensis, & Gothium, qui à tempore Alarici regis adærati sunt, & Ardaricanos. Quòd si quiscunque præter istas quatuor monetas aurum pensatum non acceperit, quod vendere volebat non accepto pretio perdat.

VII. Si quis fideiussorem acceperit, & ante eum pignorare præsumpserit, quàm auctorem suum, cum quo causam habet, præsentibus testibus admonuerit, pignora, quæ tollere præsumpserit, in duplo restituat.

VIII. Quicunque mancipium alienum de Francis comparaverit, testibus idoneis hæc adprobet, quantum & quale pretium dederit: & hoc testes illi iurati dicant. *Nobis præsentibus pretium dare vidimus: sed nec ille, qui mancipium comparavit, ullam fraudem aut conludium cum inimicis fecit.* Quòd si testes idonei taliter sacramenta dederint, quantum pretium dedit, tantum hic recipiat: nec pastum requirat, & mancipium, cuius fuerat, sine mora reddatur.

IX. Si de re de heredibus singulis statuta, quicunque contra hanc dis-

nitionem venire tentaverit, pro singulis causis duodenos solidos mulctæ nomine se noverit implere.

X. Illud specialiter præcipientes, ut omnes comites tam Burgundionum quàm Romanorum, in omnibus iudiciis iustitiam teneant: in hos, qui violentiam fortasse, superventum vel quodlibet crimen admiserint, ita fortiter stringant, & vindiceut, quòd nullus intra regnum nostrum præsumat admittere. Omnes omnino causas ex legibus iudicent, ut iustitiæ ordo teneatur, sicut lex parentum nostrorum continet. Nam fieri manifestè cognovimus de diversis sceleribus copositiones inter parentes nostros tacitè: & ut causæ legibus non iudicantur, ita populi violentias aut similia præsumunt admittere. Si quis compositiones ita facere præsumpserit, & lege expressa iudicare distulerit, mulctam se noverit inlaturum.

XI. De Romanis verò hoc ordinavimus, ut non amplius à Burgundionibus, qui infra venerunt, requiratur, quàm ad præsens necessitas fuerit, medietas terræ. Alia verò medietas cum integritate mancipiorum à Romanis teneatur: nec exinde ullam violentiam patiantur.

XII. Præterea ecclesiæ aut sacerdotes in nullo penitus contemnantur.

XIII. Quicunque aliquem locum munificentiæ petere voluerit, cum literis comitis sui veniat, & consiliarii aut maiores domus qui præsentes fuerint, ipsas literas comitis ipsius accipiant: & suas literas ex nostra ordinatione ad illos iudices faciant, cuius territorio res illa tenetur: & hoc eis concedant, ut diligenter requirant, si sine peccato dari potest.

LIBER
LEGIS SALICAE.

CAPITVLA LEGIS SALICÆ.

INCIPIT

INCIPIT TRACTATVS LEGIS SALICAE.

Gens Francorum inclyta, auctore Deo condita, fortis in armis, profundaq; in consilio, firma in pacis fœdere, corporea nobilis in columna, candore & forma egregia, audax, velox, & aspera, ad Catholicam fidem nuper conversa, immunis quidem ab omni hæresi, dum adhuc ritu teneretur barbarico, inspirante Deo inquirens scientiæ clavim, iuxta morum suorum qualitatem desiderans iustitiam, & custodiens pietatem, dictavit Salicam legem per proceres illius gentis, qui tunc temporis eiusdem aderant rectores. Electi de pluribus viris quatuor his nominibus; VVisogastus, Bodogastas, Salogastus, & VVidogastus, in locis cognominatis Salehaim, Bodohaim, VVidohaim: qui per tres mallos convenientes, omnes causarum origines sollicitè tranctantes discutiendo de singulis, sicut ipsa lex declarat, iudicium decreverunt hoc modo. At ubi Deo favente Rex Francorum Chlodoveus, florens, & pulcher, & inclytus, primus recepit Catholicum baptismum: & deinde Childebertus & Chlotharius in culmen regale Deo protegente pervenere, quidquid in pacto habebatur minus idoneum, per illos fuit lucidiùs emendatum, & sanctius decretum. VIVAT QVI FRANCOS DILIGIT. CHRISTVS EORVM REGNVM CVSTODIAT. RECTORES EORVNDEM LVMINE SVÆ GRATIÆ REPLEAT. EXERCITVM PROTEGAT. FIDEI MVNIMINA TRIBVAT. PACIS GAVDIA, ET FELICITATIS TEMPORA DOMINANTIVM DOMINO IESV CHRISTO PROPICIANTE CONCEDAT. Hæc est enim gens, quæ parva dum esset numero, fortis robore & valida, durissimum Romanorum iugum de suis cervicibus excussit pugnando. Atque post agnitionem baptismi sanctorum martyrum corpora, quæ Romani vel igne concremaverunt, vel ferro truncaverunt, vel bestiis laceranda proiecerunt, Franci reperta auro & lapidibus pretiosis ornaverunt.

PROLOGUS
LEGIS SALICÆ.

Placuit atque convenit inter Francos, & eorum proceres, ut propter servandum inter se pacis studium, omnia incrementa veterum rixarum resecare deberent. Et quia ceteris gentibus iuxta se positis fortitudinis brachio præminebant, ita etiam legum auctoritate præcellerent; ut iuxta qualitatem causarum, sumeret criminalis actio terminum. Extiterunt igitur inter eos electi de pluribus quatuor viri his nominibus; VVisogastus, Bodogastus, Salogastus, & VVidogastus, in villis quæ ultra Rhenum sunt, Salehaim, & Bodohaim, & VVidohaim: qui per tres mallos convenientes, omnem causarum originem sollicitè discutiendo tranctantes de singulis iudicium decreverunt hoc modo.

ANNO AB INCARNATIONE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI, DCCXCVIII. INDICTIONE SEXTA, DOMINUS KAROLUS REX FRANCORUM INCLYTUS HUNC LIBELLUM TRACTATUS LEGIS SALICÆ SCRIBERE ORDINAVIT.

INCIPIT LIBER LEGIS SALICÆ.

TITVLVS I. DE MANNIRE.

SI quis ad mallum legibus dominicis mannitus fuerit, & non venerit: si eum sunnis non detinuerit, DC. denariis, qui faciunt solidos XV. culpabilis iudicetur.

II. Ille verò qui alium mannit, si non venerit, & eum sunnis non detinuerit, ei quem mannivit, similiter DC. den. qui faciunt solidos XV. componat.

III. Ille autem qui alium mannit, cùm testibus ad domum illius ambulet, & sic eum manniat, aut uxorem illius, vel cuicunque de familia illius denunciet, ùt ei faciat notum, quomodo sit ab illo mannitus.

IV. Nam si in iussione Regis fuerit occupatus, manniri non potest.

V. Si vero infra pagum in sua ratione fuerit, potest manniri, sicut superius dictum est.

II. DE FVRTIS PORCORVM.

SI quis porcellum lactantem furaverit de hranne prima aut de mediana, & inde fuerit convictus, CXX. den. qui faciunt sol. III. culpabilis iudicetur, excepto capitali & dilatura.

II. Si verò in tertia hranne furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud. exc. cap. & dil.

III. Si quis procellum de sude furaverit, quæ clavem habet, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. iud. exc. cap. & dil.

IV. Si quis porcellum in campo inter porcos ipso porcario custodiente furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud. exc. cap. & dil.

V. Si quis porcellum furaverit, qui sine matre vivere potest, XL. den. qui faciunt sol. I. culp. iud. exc. cap. & dil.

VI Si quis scrovam subbattit in furto, hoc est porcellos à matre subtrahit, CCLXXX. den. qui faciunt sol. VII. culp. iud. exc. cap. & dil.

VII. Si quis scrovam cum porcellis furaverit, DCC. den. qui faciunt sol. XVIIS. culp. iud. exc. cap. & dil.

VIII. Si quis porcellum anniculum furaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

IX. Si quis porcum bimum furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur, excepto capitali & dilatura.

IV. Si quis tertussum porcellum furaverit usque ad anniculatum, cxx, den. qui faciunt sol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

V. Si quis verò porcum post anniculatum furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud. exc. cap. & dil.

XII. Si quis verrum furaverit, DCC. den. qui faciunt sol. XVII. S. culp. iud. exc. cap. & dil.

XIII. Si quis scrofam ducariam furaverit, DCC. den. qui faciunt sol. XVII. S. culp. iud. exc. cap. & dil.

XIV. Si quis maialem sacrivum, qui dicitur votivus, furaverit, & hoc cum testibus ille, qui eum perdidit, potuerit adprobare, quod sacrivus fuisset, DCC. den. qui faciunt sol. XVII. S. culp. iud. exc. cap. & dil.

XV. Si quis maialem non sacrivum furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud. exc. cap. & dil.

XVI. Si quis tres porcos vel amplius usq; ad sex capita furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. exc. cap. & dil.

XVII. Si quis de grege XV. porcos furaverit, & reliqui ibi remanserint, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. exc. cap. & dil.

XVIII. Si quis XXV. porcos furaverit, & de grege illo amplius non fuerit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. culp. iud. exc. cap. & dil.

XIX. Si autem aliqui ex iisdem porcis supra XXV. porcos remanserint, & non fuerint furati, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. exc. cap. & dil.

XX. Si verò L. porcos furaverit, & aliqui remanserint, IID. den. qui faciunt sol. LXII. S. culp. iud. exc. cap. & dil.

III. DE FVRTIS ANIMALIVM.

SI quis vitulum lactantem furaverit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culpabilis iudicetur, excepto cap. & dilatura.

II. Si quis anniculum animal, aut bimam vitulam furatus fuerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud. exc. cap. & dil.

III. Si quis vaccam cum vitulo furaverit, ICCCC. denar. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. exc. cap. & dil.

IV. Si quis vaccam sine vitulo furaverit ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. iud. exc. cap. & dil.

V. Si quis vaccam domitam furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. exc. cap. & dil.

VI. Si quis bovem furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. exc. cap. & dil.

VII. Si quis taurum gregem regentem furaverit, qui de tribus villis communes vaccas tenuerit, hoc est trespellius, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. iud. exc. cap. & dil.

VIII. Si quis taurum furaverit, qui unum gregem regit, & iunctus nunquam fuit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. exc. cap. & dil.

IX. Si quis bimum taurum furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. exc. cap. & dil.

X. Si quis taurum regis furaverit, IIIDC. den. qui faciunt sol. XC. culp. iud. exc. cap. & dilatura.

XI. Si quis XII. animalia furaverit, ut nec unum quidem animal ex eis remanserit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. S. culp. iud. exc. cap. & dil.

XII. Si autem XII. furaverit, & insuper aliqua remanserint, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. exc. cap. & dilatura. Et usq; ad XXV. uno iudicio terminantur.

XIII. Si quis XXV. animalia furaverit, & insuper aliqua remanserint, IID. den. qui faciunt sol. LXII. S. culp. iud. exc. cap. & dil.

IV. DE FVRTIS OVIVM.

SI quis agnum lactantem furaverit, VII. den. culpabilis iudicetur, excepto capitali & dilatura.

II. Si quis anniculum vel bimum berbicem furaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

III. Si verò II. aut III. furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. exc. cap. & dil. qui numerus usque ad XL. berbices observetur.

IV. Si verò L. berbices aut LX. vel amplius furaverit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. S. culp. iud. exc. cap. & dil.

V. DE FVRTIS CAPRARVM.

SI quis capritum sive capram, aut duas capras vel tres furatus fuerit, CXX. den. qui faciunt solidos III. culpabilis iudicetur, excepto cap. & dilatura.

II. Si verò supra tres capras furaverit, DC. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

III. Si quis buccum furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud. exc. cap. & dil.

VI. DE FVRTIS CANVM.

SI quis canem seusium furaverit, aut occiderit, qui magister sit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culpabilis iudicetur, excepto capitali & dilatura.

II. Si quis verò seusium reliquum, aut veltrem porcarium, sive veltrem leporarium, qui & argutarius dicitur, furatus fuerit vel occiderit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud. exc. cap. & dil.

III. Si quis verò canem custodem domus sive curtis, qui in die ligari solet, ne damnum faciat, post solis occasum solutum furatus fuerit vel occiderit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud. exc. cap. & dil.

IV. Si quis verò canem pastoralem furatus fuerit, vel occiderit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

VII. DE FVRTIS AVIVM.

SI quis acceptorem de arbore furaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culpabilis iudicetur, excepto capitali & dilatura.

II. Si quis acceptorem de pertica furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud. exc. cap. & dil.

III. Si quis acceptorem intra clavem repositum furaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. iud. exc. cap. & dil.

IV. Si quis ſparvarium furaverit, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

V. Si quis anſerem domeſticum aut anetam furaverit, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

VI. Si quis gallum aut gallinam furaverit, vel cignum aut gruam domeſticam, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

VII. Si quis turturem de reti alterius, aut quamlibet aviculam de quolibet laqueo vel decipula furatus fuerit, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

VIII. DE FVRTIS ARBORVM.

SI quis pomarium ſive quamlibet arborem domeſticam extra clauſuram exciderit, aut furatus fuerit, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iudicetur, excepto capit. & dil.

II. Si quis verò pomarium aut quamlibet arborem domeſticam infra clauſuram exciderit, aut furatus fuerit, DC. den. qui faciunr ſol. xv. culpabilis iud. exc. cap. & dil.

III. Hanc quoque legem & de vitibus furatis obſervari iuſſimus.

IV. Si quis in ſylva alterius materiamen furatus fuerit, aut incenderit, vel concapulaverit, aut ligna alterius furaverit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

IX. DE FVRTIS APIVM.

SI quis unum vas apium deintro clave, aut ſub tecto furaverit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. XLV. culp. iud. excepto capit. & dil.

II. Si quis unum vas cum apibus, ubi amplius non fuerit, furaverit, IDCCC. denariis, qui faciunt ſol. XLV. culp. iud. exc. cap. & dil.

III. Si quis unum vas cum apibus inter alia vaſa ſub tecto aut ſub clave furaverit, cauſam ſuperius comprehenſam convenit obſervari.

IV. Si verò unum vas cum apibus foris tecto, ubi amplius non fuerit, furaverit, cauſam ſuperius comprehenſam componat.

V. Si quis ex plurimis uſque ad ſex vaſa foris tecto furaverit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

VI. Si verò ſeptem aut amplius furaverit, & adhuc aliqua remanſerint, IDCCC. den. qui faciunt ſol. XLV. culp. iud. exc. cap. & dil.

VII. Si autem ſeptem aut amplius furaverit, ita ut nulla remaneant, IDCCC. den. qui faciunt ſol. XLV. culp. iud. exc. cap. & dil.

X. DE DAMNO IN MESSE VEL IN QVALIBET CLAVSVRA.

SI quis animal, aut caballum, vel quodlibet pecus in meſſe ſua invenerit, penitus eum lædere non debet.

II. Quòd ſi fecerit, & confeſſus fuerit, capitale in locum reſtituat, ipſum verò debile quod percuſſit, ad ſe recipiat.

III. Si verò confeſſus non fuerit, & inde fuerit convictus, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

IV. Si

IV. Si quis animal, aut caballum, aut iumentum in furto punxerit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

V. Si quis in messe suâ pecora aliena invenerit, quæ pastorem non habeant, & ea inclauserit, & nulli penitus innotescat, & aliqua ex ipsis pecoribus perierint, ICCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dil.

VI. Si quis animal, vel quodlibet pecus, per suam negligentiam nocuerit, & hoc domino eius confessus fuerit, capitale in locum restituat, & illud debile ad se recolligat.

VII. Si verò negaverit, sed tamen convictus fuerit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

VIII. Si alicuius porci, aut quælibet pecora, pastore custodiente in messem alienam cucurrerint, & ille negando fuerit convictus, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

IX. Si qua pecora propter damnum messis alienæ inclausa fuerint, aut minentur, qui ea excutere vel expellere præsumpserit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

X. Si alicuius pecora propter damnum inclausa fuerint, damnum æstimatum reddat, & insuper x. den. persolvat.

XI. Si quis propter inimicitiam, aut propter superbiam, septem alienam aperuerit, aut in messem, aut in pratum, vel in vineam, sive in quemlibet laborem quælibet pecora miserit, & testibus fuerit convictus, ei cuius labor est, æstimationem damni reddat, & insuper ICC. den. qui faciunt sol. xxx. culpabilis iudicetur.

XI. DE SERVIS VEL MANCIPIIS FVRATIS.

SI quis servum aut ancillam alterius furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. iudicetur, excepto cap. & dil.

II. Si servus aut ancilla cum ipso ingenuo de rebus domini sui aliquid portaverit, DC. den. qui faciunt sol. xv. exc. cap. & dilat. atque causam, quam superius diximus, culpabilis iudicetur.

III. Si quis servum alienum occiderit, aut vendiderit, vel ingenuum dimiserit, ICCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dil.

IV. Si quis homo ingenuus alienum servum in texaga secum duxerit, aut aliquid cum eo negociaverit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

V. Si quis servum aut ancillam valentem sol. xv. aut xxv. furaverit, aut vendiderit, seu porcarium, aut fabrum, sive vinitorem, vel molinarium, aut carpentarium, sive venatorem, aut quemcunque artificem, IIDCCC. den. qui faciunt sol. LXX. culp. iud. exc. cap. & dil.

VI. Si quis puerum aut puellam de ministerio dominorum furaverit, I. den. qui faciunt sol. xxv. in capitale restituat, & insuper ICCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. iud.

XII. DE FVRTIS INGENVORVM VEL EFFRACTVRIS.

SI quis ingenuus foris casa quod valet duos den. furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur, excepto capitali & dilatura.

II. Si vero foris casa quod valet XL. den. furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. exc. cap. & dil.

III. Si quis ingenuus casam effregerit, & quod valet duos den. furaverit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. iud. exc. cap. & dil.

IV. Si vero quinque, aut supra quinque den. furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. exc. cap. & dil.

V. Si quis ingenuus clavem effregerit, aut adulteraverit, & sic domum ingressus fuerit, & inde aliquid per furtum tulerit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. iud. exc. cap. & dil.

VI. Si vero nihil tulerit, sed fugiens evaserit, propter effracturam tantum, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. iud.

XIII. DE FVRTIS SERVORVM.

SI quis servus foris casa quod valet duos den. furaverit, & inde convictus fuerit, aut flagellis CXX. ictus accipiat, aut pro dorso suo CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. iud.

II. Si verò furaverit quod valet XL. den. aut castretur, aut CCXL. den. qui faciunt sol. VI. reddat. Dominus autem servi, qui furtum fecerit, capitale in locum restituat.

XIV DE INGENVIS HOMINIBVS, QVI INGENVAS MVLIERES RAPIVNT.

SI tres homines ingenuam puellam de casa aut de screona rapuerint, unusquisque eorum ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culpabilis iudicetur.

II. Illi verò alii qui super tres fuerint, unusquisque eorum CC. den. qui faciunt sol. V. culp. iudicetur.

III. Qui cum sagittis fuerint, unusquisque eorum CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. iudicetur.

IV. Raptor verò IID. den. qui faciunt sol. LXII. S. culp. iud.

V. Si verò puella quæ trahitur, in verbo Regis fuerit, propter fredum IID. den. qui faciunt LXII. S. cogatur persolvere.

VI. Si verò puer Regis, vel litus, ingenuam fœminam traxerit, de vita componat.

VII. Si verò ingenua fœmina quemq; de illis sua voluntate secuta fuerit, ingenuitatem suam perdat.

VIII. Si quis sponsam alienam tulerit, & sibi in coniugium copulaverit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. S. culp. iud.

IX. Sponso autem eius, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

X. Si quis puellam, quæ druchte ducitur ad maritum, in via adsalierit, & cum ipsa violenter mœchatus fuerit, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culp. iudicetur.

XI. Si

XI. Si quis ingenuus ancillam alienam in coniugium acceperit, ipſe cum ea in ſervitium implicetur.

XII. Si quis uxorem alienam vivo marito tulerit, VIII. den. qui faciunt ſol. cc. culp. iud.

XIII. Si quis cum ingenua puella per virtutem mœchatus fuerit, IID. den. qui faciunt ſol. LXII. S. culp. iud.

XIV. Si quis cum ingenua puella deſponſata ea conſentiente in occultò mœchatus fuerit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. XLV. culp. iud.

XV. Si quis lidam alienam in coniugium ſociaverit, ICC. den. qui faciunt ſol. XXX. culpabilis iudicetur.

XVI. Si quis ſororis aut fratris filiam, aut certe alterius gradus conſobrinam, aut fratris uxorem, aut avunculi, ſceleratis nuptiis ſibi iunxerit, huic pœnæ ſubiaceat, ut à tali conſortio ſeparetur. Atque etiam ſi filios habuerint, non habeantur legitimi heredes, ſed infamia ſint notati.

XV. DE EO QVI HOMINEM INGENVVM EXPOLIAVERIT.

SI quis hominem ingenuum in ſuperventu expoliaverit, IID. den. qui faciunt ſol. LXII. S. culpabilis iudicetur.

II. Si Romanus homo Francum expoliaverit, IID. den. qui faciunt ſol. LXII. S. culpabilis iudicetur.

III. Si verò Francus Romanum expoliaverit, ICC. den. qui faciunt ſol. XXX. culp. iud.

IV. Si quis hominem præceptum regis habentem contra ordinationem regis adſalire, vel viæ laciniam ei facere præſumpſerit, VIII. den. qui faciunt ſol. cc. culp. iud.

V. Si quis hominem ingenuum dormientem furtu expoliaverit, IIII. den. qui faciunt ſol. c. culp. iud. excepto capitali & dilatura.

XVI. DE EO QVI VILLAM ALIENAM ADSALIERIT.

SI quis villam alienam adſalierit, ipſe & omnes qui convicti fuerint, quod in eius conturbernio fuiſſent, IID. den. qui faciunt ſol. LXII. S. unuſquiſque ipſorum culpabilis iudicetur.

II. Si quis villam alienam adſalierit, & ibidem oſtia fregerit, canes occiderit, vel homines plagaverit, aut in carro aliquid inde abduxerit, VIII. den. qui faciunt ſol. cc. culp. iud. & quidquid inde abſtulerit, in locum reſtituat.

III. Et quanticunque in eius contubernio fuiſſe convicti fuerint, unuſquiſque illorum, IID. den. qui faciunt ſol. LXII. S. culp. iud.

XVII. DE EO QVI MORTVVM HOMINEM EXPOLIAVERIT.

SI quis hominem mortuum, antequam in terram mittatur, furtu expoliaverit, IIII. den. qui faciunt ſol. c. culpabilis iudicetur.

II. Si quis hominem mortuum effoderit, & expoliaverit, VIII. den. qui faciunt sol. cc. culp. iud. Et postea parentes defuncti iudicem rogare debent, ut inter homines non habitet auctor sceleris, & qui ei hospitium dederit antequam parentibus satisfaciat, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

III. Si quis mortuum hominem, aut in noffo, aut in petra, quæ vasa ex usu sarcophagi dicuntur, super alium miserit, IID. den. qui faciunt sol. LXIIS. culpabilis iudicetur.

IV. Si quis aristatonem super hominem mortuum capulaverit, de unoquoque DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

XVIII. DE INCENDIIS.

SI quis casam quamlibet intus hominibus dormientibus incenderit, ei cuius casa fuit, IID. den. qui faciunt solidos LXIIS. culpabilis iudicetur, excepto capitali & dilatura. Et quanticunque intus fuerint, & evaserint, mallare eum debent, & unicuique illorum, IID. den. qui faciunt sol. LXII. S. componat, & quidquid ibi perdiderint, in locum restituat. Et si aliquis intus arserit, ille qui incendium misit, parentibus defuncti VIII. den. qui faciunt sol. cc. culpabilis iudicetur.

II. Si quis spicarium aut macholum cum annona incenderit, IID. den. qui faciunt sol. LXIIS. culp. iud. excepto cap. & dil.

III. Si quis sudem cum porcis, scuriam cum animalibus, vel fenile incenderit, IID. den. qui faciunt sol. LXIIS. culp. iud. exc. cap. & dil.

IV. Si quis concisam vel sepem alterius capulaverit, vel incenderit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

XIX. DE VULNERIBUS.

SI quis voluerit alterum occidere, & colpus ei fallierit, vel cum sagitta toxicata eum percutere voluerit, & ei ictus fallierit, IID. den. qui faciunt solidos LXIIS. culpabilis iudicetur.

II. Si quis hominem in capite ita plagaverit, ut sanguis ad terram cadat, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

III. Si quis hominem in capite ita plagaverit, ut inde tria ossa exeant, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. iud.

IV. Si quis hominem in capite ita plagaverit, ut cerebrũ appareat, & tria ossa desuper cerebrum exierint, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. iud.

V. Si verò intra costas vulnus intraverit, & usque ad intrania pervenerit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. iud.

VI. Si verò plaga ipsa semper currit, & ad sanitatem non pervenerit, IID. den. qui faciunt sol. LXIIS. culp. iud. excepta medicatura, quæ est CCCLX. den. qui faciunt sol. IX.

VII. Si quis ingenuus ingenuum fuste percusserit, & tamen sanguis non exierit; usque ad tres colpos, pro unoquoque ictu CXX. den. qui faciunt sol. III. solvat.

VIII. Si verò sanguis exierit ita componat, veluti eum de ferramento vulnerasset, id est, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

IX. Si

IX. Si quis alterum clausa manu, id est, pugno percusserit, CCCLX. den. qui faciunt sol. IX. culp. iud. videlicet ut pro unoquoque ictu, III. sol. reddat.

X. Si quis alterum in via adsalierit, & expoliare tentaverit, & ille fuga evaserit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. iud.

XI. Si vero ceperit eum, & expoliaverit, IID. den. qui faciunt sol. LXIIS. culp. iud. excepto cap. & dil.

XX. DE EO QVI HOMINEM INNOCENTEM ET ABSENTEM AD REGEM ACCVSAVERIT.

SI quis hominem innocentem & absentem de culpis minoribus ad regem accusaverit, IID. den. qui faciunt sol. LXIIS. culpabilis iudicetur.

II. Si vero tale crimen imputaverit, unde mori debuisset si verum fuisset, ille qui eum accusaverit, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culp. iud.

XXI. DE MALEFICIIS.

SI quis alteri herbas dederit bibere, & mortuus fuerit, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culpabilis iudicetur.

II. Si vero biberit, & mortuus non fuerit, IID. den. qui faciunt. sol. LXIIS. ille qui dedit pro aliquo maleficio, culp. iud.

III. Si quis alteri aliquod maleficium superiactatus fuerit, sive cum ligaturis in quolibet loco miserit, IID. den qui faciunt sol. LXIIS. culp. iud.

IV. Si quis mulieri herbas dederit, ut infantes habere non possit, IID. den. qui faciunt sol. LXIIS. culpabilis iudicetur.

XXII. DE EO QVI MVLIERI INGENVÆ MANVM STRINXERIT.

SI quis homo ingenuus fœminæ ingenuæ manum aut digitum strinxerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur.

II. Si vero brachium strinxerit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. iud.

III. Si autem super cubitum manum miserit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culpabilis iudicetur.

IV. Si ergo mamillam strinxerit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culpabilis iudicetur.

XXIII. DE EO QVI NAVEM SINE PERMISSV DOMINI MOVERIT AVT FVRAVERIT.

SI quis sine permissu navem alienam movere præsumpserit, & cum ea flumen transierit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culpabilis iudicetur.

II. Si vero ipsam navem furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud. excepto capitali & dilatura.

III. Si quis navem vel ascum de intro clavem furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. excepto cap. & dil.

IV. Si quis ascum de intro clavem repositum, & in suspenso pro studio positum furaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. iud. exc. cap. & dil.

XXIV. DE FVRTIS IN MOLINO COMMISSIS.

SI quis ingenuus in molino alieno annonam furaverit, ei cuius molinus est, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur. Ei verò cuius annona est similiter, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur, exceptò capitali & dilatura.

II. Si quis ferramentum de molino alieno furaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. iud. excepto cap. & dil.

III. Si quis sclusam de farinario alieno ruperit, DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis iudicetur.

XXV. DE CABALLO SINE PERMISSV DOMINI SVI ASCENSO.

SI quis caballum sine permissu domini sui ascenderit, & eum caballicaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur. Et pro eo quia descenderit, similiter aliis DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur.

XXVI. DE HIS QVI PVEROS VEL PVELLAS OCCIDERINT, VEL TOTONDERINT.

SI quis puerum infra duodecim annos sive crinitum, sive incrinitum occiderit, XXIII. den. qui faciunt sol. DC. culpabilis iudicetur.

II. Si quis puerum crinitum sine voluntate parentum totonderit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. iud.

III. Si verò puellam totonderit, IID. den. qui faciunt sol. LXIIS. culpabilis iudicetur.

IV. Si quis fœminam gravidam occiderit, XXVIII. den. qui faciunt sol. DCC. culpabilis iudicetur.

V. Si quis infantem in ventre matris suæ, aut natum antequam nomen habeat, infra VIIII. noctes occiderit, IIII. den. qui faciunt sol. C. culp. iud.

VI. Si quis puellam ingenuam infra annos, antequam infantes possit habere, occiderit, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culp. iud.

VII. Si quis fœminam ingenuam postquam infantes cepit habere, occiderit, XXIV. den. qui faciunt. sol. DC. culp. iud.

VIII. Si quis fœminam postquam infantes habere non potuerit, occiderit, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culp. iud.

IX. Si quis puer infra duodecim annos aliquam culpam commiserit, fredus ei non requiratur.

XXVII. DE ADVLTERIIS ANCILLARVM.

SI quis ingenuus cum aliena ancilla mœchatus fuerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur.

II. Si quis verò cum regis ancilla mœchatus fuerit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. iud.

III. Si

III. Si quis Francus alienam ancillam sibi publice iunxerit, ipse cum ea in servitio permaneat.

IV. Si servus cum ancilla aliena mœchatus fuerit, & de ipso crimine mortua fuerit, servus ipse aut castretur, aut CCXL. den. qui faciunt sol. VI. culp. iud. dominus vero servi capitale in locum restituat.

V. Si autem ancilla propter hoc mortua non fuerit, servus ipse aut CXX. ictus accipiat, aut CXX. den. qui faciunt sol. III. domino ancillæ cogatur persolvere.

VI. Si quis servus ancillam alienam sine voluntate domini sui sibi in coniugium copulaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. aut CXX. ictus accipiat.

XLVIII. DE LIBERTIS DIMISSIS.

SI quis lidum alienum, qui cum domino suo in hoste fuerit, sine consilio domini sui ante regem per denarium ingenuum dimiserit, IIII. den. qui faciunt sol. C. culp. iud. res verò ipsius lidi legitimo domino restituantur.

II. Si quis servum alienum ante regem per denarium ingenuum dimiserit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. & capitale in locum restituat, & res servi ipsius proprius dominus recipiat.

XXIX. DE FVRTIS DIVERSIS.

SI quis tintinnum de porcina aliena furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur.

II. Si verò de pecoribus tintinnum furaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culpabilis iudicetur.

III. Si quis skellam de caballis furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur.

IV. Si quis pedicam de caballis furaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culpabilis iudicetur.

V. Si caballi ipsi perierint, capitale in locum restituat.

VI. Si quis messem alienam per furtum metere, aut reffare præsumpserit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

VII. Si quis hortum alienum ad furtum faciendum ingressus fuerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

VIII. Si quis impotos de melario, aut de pirario tulerit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. iud.

IX. Si vero in horto fuerint, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

X. Si quis melarium aut pirarium decorticaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. iud.

XI. Si verò in horto fuerint, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

XII. Si quis cultellum alienum furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur.

XIII. Si quis in napinam, in fabariam, in pisariam, in lenticulariam, vel in his similia ad furtum faciendum ingressus fuerit, CXX. den. qui faciunt solidos III. culp. iud.

XIV. Si quis in campo alieno linum furaverit, & hoc in caballo aut in carro duxerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

XV. Si verò tantum tulerit, quantum in dorso suo portare potuerit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud.

XVI. Si quis in agro alieno arborem insertam exciderit, ICC. den. qui faciunt sol. xxx. culp. iud.

VII. Si quis campum alienum araverit & seminaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. iud.

XVIII. Si verò tantùm araverit, & non seminaverit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culpabilis iudicetur.

XIX. Si quis aratrum in campum alienum intrare prohibuerit, vel arantem foras iactaverit, vel testaverit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

XX. Si quis pratum alienum secaverit, laborem suum perdat, & insuper DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

XXI. Et si inde fœnum ad domum suam in carro duxerit, & discargaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. iud. excepto cap. & dil.

XXII. Si verò tantum tulerit, quantum in dorso suo portare potuerit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

XXIII. Si quis vineam alienam per furtum vindemiaverit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

XXIV. Et si inde vinum in carro ad domum suam adduxerit, & discargaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XL. culp. iud. excepto cap. & dil.

XXV. De messibus autem similiter convenit observare.

XXVI. Si quis clausuram alienam ruperit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culpabilis iudicetur.

XXVII. Si quis in sylva materiamen alienum aut incenderit aut capulaverit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

XXVIII. Si quis materiamen de una parte dolatum furaverit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud.

XXIX. Si quis arborem post annum quam fuerit signata, capulare præsumpserit, nullam exinde habeat culpam.

XXX. Si infra annum quis eam capulaverit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culpabilis iudicetur.

XXXI. Si quis rete ad anguillas capiendas de flumine furaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. iud.

XXXII. Si quis statuam, aut tremaclum, vel vertuolum de flumine furaverit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

XXXIII. Si quis screonam, quæ clavem habet, effregerit, & aliquid furaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. iud.

XXXIV. Et si inde nihil tulerit, pro sola effractura, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

XXXV. Si verò screonam, quæ sine clave est, effregerit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culpabilis iudicetur.

XXXVI. Si quis cum servo alieno sine consensu domini sui aliquid negotiaverit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

XXXVII. Si quis mulieri brachile furaverit, cxx. den qui fac. sol. III. c. iud.

XXXVIII. Si quis casam alienam sine permissu possessoris traxerit, ICC. den. qui faciunt sol. xxx. culp. iud

XXX. DE

XXX. DE LOCATIONIBVS.

SI quis furtim aliquem locaverit, ut hominem interficiat, & pretium propter hoc dederit, IID.den. qui faciunt sol.LXIIS. culpabilis iudicetur.

II. Similiter & ille qui pretium accepit, ut hominem occideret, IID.den. qui faciunt sol.LXIIS.culp.iud.

III. Si verò per tertium locatio ipsa fuerit transmissa, IID.den.qui faciunt sol.LXIIS.culpabilis iudicetur. Sic dans, accipiens, portans, unusquisque illorum culpabilis iudicetur.

XXXI. DE DEBILITATIBVS.

SI quis alteri manum aut pedem truncaverit, vel oculum effoderit, aut auriculam vel nasum amputaverit, IIII. den. qui faciunt sol.c.culp.iud.

II. Si verò manus ipsa ibidem mancata pependerit, IDCCC. den. qui faciunt sol.XLV.culp.iud.

III. Si manus ipsa perexcussa fuerit, IID. den.qui faciũt sol.LXIIS.cul.iud.

IV. Si quis pollicem de manu vel pede excusserit, IDCCC.den.qui faciunt sol.XLV.culp.iud.

V. Si vero ipse pollex mancatus pependerit, ICC.den.qui faciunt solid. XXX. culpabilis iudicetur.

VI. Si secundum digitum, quo sagittatur, excusserit, ICCCC. den. qui faciunt sol.XXXV.culp.iud.

VII. Si quis tres sequentes digitos pariter uno ictu excusserit, IDCCC.den. qui faciunt sol.XLV.culp.iud.

VIII. Si quis medium digitum excusserit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur.

IX. Si quis quartum digitum excusserit, DC.den.qui faciunt sol XV. culpabilis iudicetur.

X. Si minimum excusserit, pariter DC.den. qui faciunt sol.XV. culp.iud.

XI. Si quis pedem alterius capulaverit, & ibi mancatus remanserit, IDCCC. den. qui faciunt sol.XLV.culp.iud.

XII. Si verò pes ipse perexcussus fuerit, IID. den. qui faciunt sol. LXIIS. culpabilis iudicetur.

XIII. Si quis alteri oculum evellerit, IID.den.qui faciunt sol. LXIIIS.culpabilis iudicetur.

XIV. Si nasum excusserit, IDCCC.den.qui faciunt sol.XLV.culp.iud.

XV. Si auriculam excusserit, DC.den.qui faciunt sol.XV.culp.iud.

XVI. Si quis linguam alterius amputaverit, ut loqui non possit, IIII.den. qui faciunt sol.c.culp.iud.

XVII. Si dentem excusserit, DC.den.qui faciunt sol.XV.culp.iud.

XVIII. Si quis ingenuus ingenuum castraverit, aut virilia truncaverit, ut mancus fiat, IIII.den. qui faciunt sol.c. culp.iud.

XIX. Si verò ad integrum tulerit, VIII. den. qui faciunt sol. cc. culpabilis iudicetur.

XXXII. DE CONVICIIS.

SI quis alterum cenitum clamaverit, DC. den. qui faciunt sol.xv.culp.iud.

II. Si quis alterum concagatum clamaverit, cxx. den. qui faciunt sol.III. culpabilis iudicetur.

III. Si quis alterum vulpiculam clamaverit, cxx.den. qui faciunt sol.III. culpabilis iudicetur.

IV. Si quis alterum leporem clamaverit, CCXL.den. qui faciunt sol.VI. culpabilis iudicetur.

V. Si quæ mulier ingenua aut vir mulierem meretricem clamaverit, & non poterit adprobare, sol.XLV. culp.iud.

VI. Si quis alteri imputaverit, quod scutum suum proiecisset in hoste, vel fugiendo præ timore, cxx.den. qui faciunt sol.III.culp.iud.

VII. Si quis alterum delatorem clamaverit, & non potuerit comprobare, DC.den.qui faciunt sol.XV.culp.iud.

VIII. Si quis alterum falsatorem clamaverit, & non potuerit comprobare, DC. den.qui faciunt sol.XV. culp.iud.

XXXIII. DE VIÆ LACINA.

SI quis baroni viam suam obstaverit, aut eum impinxerit, DC. den. qui faciunt sol.XV.culpabilis iudicetur.

II. Si quis mulieri ingenuæ viam suam obstaverit, vel eam impinxerit, IDCCC.den.qui faciunt sol.XLV.culp.iud.

III. Si quis viam, quæ ad farinarium ducit, clauserit, DC.den. qui faciunt sol.XV.culp.iud.

XXXIV. DE EO QVI HOMINEM INGENVVM SINE CAVSA LIGAVERIT.

SI quis hominem ingenuum sine causa ligaverit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX.culpabilis iudicetur.

II. Si verò eum ligatum in aliquam partem duxerit, IDCCC. den.qui faciunt sol. XLV. culpabilis iudicetur.

III. Si Romanus Francum ligaverit sine causa, ICC. den. qui faciunt sol. XXX.culpabilis iudicetur.

IV. Si autem Francus Romanum ligaverit sine causa, DC.denar. qui faciunt sol.XV.culp.iud.

V. Si quis hominem noxium ligatum per vim tulerit grafioni, vitam suam redimat.

XXXV. DE VENATIONIBVS.

SI quis de diversis venationibus aliquid aut furaverit, aut cœlaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol.XLV. culpabilis iudicetur. Quam legem tam de venationibus, quam & de piscationibus, convenit observare.

II. Si quis cervum domesticum signum habentem aut occiderit, aut furaverit, qui ad venationem faciendam mansuetus factus est, & cum testibus cõprobare dominus eius potuerit, quod eum in venatione habuisset, & cum ipso duas aut III. feras occidisset, IDCCC.den.qui faciunt sol.XLV.culp.iud.

III. Si

III. Si quis verò cervum domesticum, qui in venatione adhuc non fuit, aut occiderit aut furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud.

IV. Si quis cervum, quem alterius canes moverunt aut lassaverunt, occiderit & cœlaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

V. Si quis aprum lassum, quem alieni canes moverunt, occiderit vel furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

XXXVI. DE SEPIBVS.

SI quis tres virgas cum quibus sepes superligata est, vel retortas quibus sepes continetur, capulaverit, aut tres cambortas excervicaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur.

II. Si quis per alienam messem, postquam germina produxerit, herpicem traxerit, aut cum carro sine via transierit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culpabilis iudicetur.

III. Si quis per messem alienam, postquam in culmum erigitur, sine via cum carro transierit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

IV. Si quis per malum ingenium in curtem alterius, vel in casam, vel ubicunque miserit aliquid, quod furatum est, nesciente domino cuius possessio est, & ibidem inventum fuerit, ille qui per malum ingenium hoc miserit, IID. den. qui faciunt sol. LXIIS. cul. iud.

XXXVII. DE HOMICIDIIS SERVORVM VEL ANCILLARVM.

SI quis servus servum aut ancillam sibi consimilem occiderit, homicidam illum domini inter se dividant.

II. Si quis ingenuus servum alienum adsallierit, & expoliaverit, & convictus fuerit, quod ei plus quam XL. denar. valeant tulisset, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culpabilis iudicetur.

III. Si verò minus quam XL. denar. valent tulerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur.

IV. Si quis servum alienum flagellaverit, & in XL. noctibus operari non potuerit, XL. den. qui faciunt sol. I. & trianti uno, quod est tertia pars solidi, culpabilis iudicetur.

V. Si quis homo ingenuus lidum alienum expoliaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culpabilis iudicetur.

VI. Si quis servum alienum mortuum per furtum expoliaverit, & spolia ipsa plus quam XL. den. valeant, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud.

VII. Si autem spolia minus quam XL. den. valeant, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur.

VIII. Si servus ingenuum hominem occiderit, ipse homicida pro medietate compositionis hominis occisi parentibus tradatur, & aliã medietatem dominus servi se noverit soluturum, aut si legem intellexerit, potuerit se obmallare, ut leudem non solvat.

XXXVIII. DE QVADRVPEDIBVS SI HOMINEM OCCIDERINT.

SI quis homo à qualibet pecude domestica fuerit occisus, & hoc parentes illius testibus potuerint comprobare, quod dominus pecudis antea legem non adimpleverit, medietatem compositionis dominus ipsius quadrupedis cogatur exsolvere: ipsum verò quadrupedem, qui est auctor criminis, pro medietate compositionis restituat requirenti, eo videlicet modo si dominus quadrupedis non intellexerit secundum legem se defendere.

XXXIX. DE VESTIGIO MINANDO.

SI quis bovem, aut caballum, vel quodlibet animal sibi furatum perdiderit, & eum per vestigium sequendo fuerit consecutus infra tres noctes, & ille qui eum ducit, se comparasse aut cambiasse dixerit, vel proclamaverit, ille qui per vestigium sequitur res suas, debet per tertiam manum adhramire. Si verò iam tribus noctibus exactis, qui res suas quæsierit, & invenerit, ille apud quem inveniuntur, si eas emisse aut cambiasse se dixerit, liceat ei adhramire. Quod si ille qui per vestigium sequitur, quod se agnoscere dicit illo alio reclamante per tertiam manum adhramire noluerit, nec solem secundum legem culcaverit, sed ei violenter quod se agnoscere dicit, tulisse convincitur, ICC. den. qui faciunt solidos xxx. culp. iud.

XL. DE CABALLIS FVRATIS.

SI quis caballum qui carrucam trahit, furaverit, IDCCC. den. qui faciunt solidos XLV. culpabilis iudicetur, excepto cap. & dilatura.

II. Si quis Waranionem homini Franco furaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. iud. excepto cap. & dil.

III. Si quis caballum spadatum furaverit, ICCCC. den. qui faciunt solidos XXXV. culp. iud. excepto cap. & dil.

IV. Si quis Waranionem Regis furaverit, IIIDC. den. qui faciunt sol. XC. culp. iud. excepto cap. & dil.

V. Si quis admissarium cum grege, hoc est cum VII. aut XII. equabus furaverit, IID. den. qui faciunt sol. LXIIS. culp. iud. exc. cap. & dil.

VI. Si autem de grege minus fuerit usq; ad VI. capita, & pretium & causam superius intimatam convenit observare.

VII. Si quis poledrum anniculum vel bimum furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud. excepto cap. & dil.

VIII. Si verò sequentem poledrum furaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. excepto cap. & dil.

IX. Si quis iumenta aliena tribatterit, & evaserint, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur.

X. Si autem mortua inde fuerint, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culpabilis iudicetur.

XI. Si quis prægnantem equam furaverit IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. iudicetur.

XII. Si quis iumentum aut caballum furaverit, ICCCC. den. qui faciunt ſol. XLV. culp. iud. excepto cap. & dil.

XIII. Si quis admiſſarium alienum ſine conſenſu domini ſui ſpadaverit, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. iudicetur, & per unum quodque iumentum, quæ ille continere conſueverat, triaen componat, quod eſt tertia pars ſolidi, id eſt XII. denarii, & tertia pars unius denarii.

XIV. Si quis per ſuperbiam aut inimicitiam, caballos aut iumenta aliena tribatterit, vel debilitaverit, ICC. den. qui faciunt ſol. XXX. culp. iud.

XV. Si quis caballum alienum ſine conſenſu domini ſui excurtaverit, CXX. den. qui faciunt. ſol. III. culp. iud.

XVI. Si quis caballum alienum excorticaverit, CXX. den. qui faciunt ſol. III. culpabilis iudicetur.

XLI. DE HIS QVI ALIENA MANCIPIA SOLLICITAVERINT.

SI quis mancipium alienum ſollicitaverit, & convictus fuerit, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis iudicetur.

II. Si quis ſervum alienum plagiaverit, id eſt, per circumventionem de ſervitio domini ſui abſtraxerit, & trans mare ſive in quamlibet regionem ipſum duxerit, & ibidem à domino ſuo inventus fuerit, & ipſum à quo in patria plagiatus eſt, in mallo publico nominaverit, & tres ibidem teſtes dominus habere debet, & iterum cum ſervus ipſe citra mare vel de qualibet regione fuerit revocatus, in altero mallo debet nominare qui eum plagiaverit, & ibidem ſimiliter tres teſtes debent adeſſe. Ad tertium verò mallum ſimiliter fieri debet, ut novem teſtes iurent, quòd ſervum ipſum æqualiter ſemper ſuper plagiatorem dicere audiſſent. Sic poſtea qui eum plagiaverit, ICCCC. den. qui faciunt ſol. XXXV. culpabilis iudicetur, excepto capitali & dilatura: ea tamen ratione ut nomina hominum & villarum æqualiter per totos tres mallos debeat nominare.

III. Si quis hominem ingenuum plagiaverit, vel vendiderit, & poſtea in patriam reverſus fuerit, IIII. den. qui faciunt ſol. C. culp. iud.

IV. Si quis hominem ingenuum vendiderit, & poſtea in patriam ad propria reverſus non fuerit, VIII. den. qui faciunt ſol. CC. culp. iud.

XLII. DE SERVO QVI DE FVRTO FVERIT INTERPELLATVS.

SI cuius ſervus de furtu fuerit interpellatus, ſi talis cauſa eſt unde ingenuus DC. den. qui faciunt ſol. XV. componere debeat, ſervus ſuper ſcamnum tenſus CXX. ictus accipiat.

II. Si verò antequam torqueatur, fuerit confeſſus, & domino eius ita placuerit, CXX. den. qui faciunt ſol. III. pro dorſo ſuo reddat, & capitale dominus ſervi in locum reſtituat.

III. Si autem talis culpa fuerit, de qua ingenuus ICCCC. den. qui faciunt ſol. XXXV. componere debeat, ſimiliter ſervus CXX. ictus accipiat tenſus.

IV. Et ſi in ipſo ſupplicio fuerit confeſſus, aut caſtretur, aut CCXL. den.

qui faciunt sol. VI. solvat; dominus verò servi capitale in locum restituat requirenti.

V. Et si servus confessus non fuerit, & ille qui eum torquet, adhuc ipsum servum torquere voluerit, etiam nolenti domino servi pignus donare debet, & ipsum servum ad maiora supplicia retinere. Et si postea servus ad maiora supplicia traditus confessus non fuerit, qui eum torquebat, ipsum habeat; dominus verò servi de quo iam pignus acceperat, pretium pro ipso servo suo suscipiat.

VI. Si verò supra dominum servus confessus fuerit, nunquam credatur.

VII. Si verò maiori crimine servus inculpatus fuerit, de quo ingenuus IϽCCC. den. qui faciunt sol. XLV. posset culpabilis iudicari, & inter supplicia confessus fuerit, capitali sententia feriatur.

VIII. Si autem servus de quolibet crimine inculpatus fuerit, & dominus servi ipsius præsens adfuerit, ab eo qui repetit admoneatur, ut servum suum ad iusta supplicia dare non differat. Et qui repetit, virgas paratas habere debet, quæ in similitudinem minimi digiti grossitudinem habeant, & scamnum paratum habere debet, ubi servum ipsum tendere possit.

IX. Quod si dominus servi supplicia distulerit, & servus præsens fuerit, continuo ipse qui repetit, domino servi solem collocet, & ad septem noctes placitum concedat, ut servum ad supplicia tradat.

X. Si infra septem noctes servum ad supplicia distulerit tradere, solem ei iteratò, is qui repetit, collocet, & sic iterum ad alias septem noctes placitum tribuat, id est, ut XIIII. noctes à prima admonitione compleantur.

XI. Quod si impletis XIIII. noctibus servum noluerit ad supplicia dare, omnem causam & compositionem dominus in se excipiat: hoc est, ut si talis causa fuerit, de qua ingenuus DC. den. qui faciunt sol. XV. componere debeat, tantùm ipse dominus servi reddat.

XII. Si vèro maior culpa fuerit, de qua ingenuus IϽCCC. den. qui faciunt sol. XLV. componere debeat, & dominus servum non præsentaverit, ipsum numerum solidorum reddat, & capitale in locum restituat.

XIII. Quod si adhuc maior culpa fuerit quæ servo requiritur, dominus servi non ut servus, sed ut ingenuus totà legem super se soluturus accipiat.

XIV. Si autem servus absens fuerit, dominum servi is qui repetit, secretius admonere debet, ut servum suum infra septem noctes præsentem faciat; quod si non fecerit, tunc repetens solem illi cum testibus collocet. Et si infra alias septem noctes ipsum servum nón præsentaverit, iterum repetens cum testibus solem ei collocet, & tertia vice adhuc septem noctes placitum illi concedat; id est, ut totus numerus ad viginti & unam noctem perveniat. Quod si post tria placita servum noluerit ligatum ad supplicia dare, & per singula placita solem ei collocaverit, tunc dominus servi omnem repetitionem, sicut superius diximus, non ut servus, sed quasi ingenuus hoc commisisset, talem compositionem repetenti restituat.

XV. *Si vero ancilla in tali crimine inculpatur, de quo servus castrari debuerat, CCXL. den. qui faciunt sol. VI. si convenit dominus reddat, aut CCXL. ictus accipiat flagellorum.

XLIII. DE

XLIII. DE HOMICIDIIS INGENVORVM.

SI quis ingenuus Francum aut hominem barbarum occiderit, qui lege Salica vivit, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culpabilis iudicetur.

II. Si verò eum in puteum aut sub aquam miserit, XXIIII. den. qui faciunt sol. DC. culp. iud.

III. Si autem de ramis, vel de hallis, aut de qualibet re eum cooperuerit aut incenderit, XXIIII. den. qui faciunt sol. DC. culp. iud.

IV. Si quis eum occiderit, qui in truste dominica est, XXIIII. den. qui faciunt sol. DC. culp. iud.

V. Si vero in puteum aut sub aquam miserit, aut de hallis vel de ramis eum cooperuerit aut incenderit, LXII. den. qui faciunt sol. IDCCC. culp. iud.

VI. Si quis Romanum hominem convivam Regis occiderit, XII. den. qui faciunt sol. CCC. culp. iud.

VII. Si Romanus homo possessor, id est, qui res in pago ubi commanet proprias possidet, occisus fuerit, is qui eum occidisse convincitur, IIII. den. qui faciunt sol. C. culp. iud.

VIII. Si quis Romanum tributarium occiderit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. iud.

IX. Si quis hominem invenerit in quadrivio, sine manibus & sine pedibus, quem inimici sui detruncatum dimiserint, & eum vita privaverit, seu perceciderit, IIII. den. qui faciunt sol. C. culp. iud.

X. Si quis hominem ingenuum in puteum, aut in pelagus, aut in quodlibet præcipitium, ubi periculum mortis esse possit, impinxerit, & ille qui proiectus est quolibet modo ab eodem periculo vivus evaserit, ille qui eum impinxerit, IIII. den. qui faciunt sol. C. culp. iud.

XI. Si autem qui præcipitatus est mortuus fuerit, tota leude sua componatur. Atque ita unaquæque persona, quæ maiori minorive compositione componi debuerat, si de præcipitio periculum mortis evaserit, medietate leudis suæ componatur, qua componi debuerat si mortuus fuisset: nam & si mortuus fuerit, unusquisque secundum modum leudis suæ componatur.

XII. Si quis hominem ingenuum cuilibet socio suo de quolibet crimine accusaverit, & per eius commotionem sive mendacium, ille qui accusatus est, occisus fuerit, si ei adprobatum fuerit, medietate leudis eius componat; ille vero qui eum occidit, secundum legem pleniter eum componat.

XLIV. DE HOMICIDIIS A CONTVBERNIO FACTIS.

SI quis collecto contubernio hominem ingenuum in domo sua adsallierit, & ibidem eum occiderit, XXIIII. den. qui faciunt sol. DC. culpabilis iud.

II. Si vero in truste dominica ille qui occisus est fuerat, LXXII. den. qui faciunt sol. IDCCC. culp. iud.

III. Quod si corpus occisi hominis tres plagas vel amplius habuerit, tres qui inculpantur, & quod in eo contubernio fuissent convincuntur, legem

ſuperius comprehenſam ſingulatim cogantur exſolvere. Alii vero tres de eodem contubernio, IIIDC. den. qui faciunt ſol. XC. unuſquiſque illorum culpabilis iudicetur. Et tres adhuc in tertio loco de eodem contubernio, IDCCC. den. qui faciunt ſol. XLV. ſinguli eorum cogantur exolvere.

IV. Si vero Romanus vel lidus in tali contubernio occiſus fuerit, huius compoſitionis medietas ſolvatur.

XLV. DE HOMICIDIIS IN CONVIVIO FACTIS.

SI in convivio ubi quatuor aut quinque fuerint homines, unus ex ipſis interfectus fuerit, illi qui remanent, aut unum convictum reddant, aut omnes mortis illius compoſitionem coniectent, quæ lex uſque ad ſeptem, qui fuerint in convivio illo, convenit obſervari.

II. Si vero in illo convivio plus quam ſeptem fuerint, non omnes teneantur obnoxii, ſed quibus fuerit imputatum illi ſecundum legem componant.

III. Si quis foris caſa, ſive iter agens, ſeu in agro poſitus, à contubernio fuerit occiſus, & tres vel amplius habuerit plagas, tres de eodem contubernio qui convicti fuerint, ſingillatim mortis illius compoſitionem componant, & tres alii de ipſo contubernio ICC. den. qui faciunt ſol. XXX. unuſquiſque illorum, culpabilis iudicetur. Et tres adhuc alii de ipſo contubernio, DC. den. qui faciunt ſol. XV. ſinguli eorum culp. iud.

XLVI. DE REIPPVS.

SI quis homo moriens viduam dimiſerit, & eam quis in coniugium voluerit accipere, antequam eam accipiat Tunginus aut Centenarius mallum indicent, & in ipſo mallo ſcutum habere debent, & tres homines cauſas tres demandare; & tunc ille qui viduam accipere vult, cum tribus teſtibus qui adprobare debent, tres ſolidos æquè penſantes & denarium habere debet, & hoc factu ſi eis convenit, viduam accipiat.

II. Si vero iſta non fecerit, & ſic eam acceperit, illi cui reippus debetur, IID. den. qui faciunt ſol. LXIIS. culp. iud.

III. Si autem quæ ſuperius diximus omnia ſecundum legem impleverit, & tres ſolidos & denarium ille, cui reippus debetur, acceperit, tunc eam legitime accipiat.

IV. Hoc diſcernendum videtur, cui reippus debeatur.

V. Si nepus fuerit ſororis filius ſenior, ille reippum accipiat.

VI. Si vero nepus non fuerit, neptis filius ſenior ille accipiat.

VII. Quod ſi neptis filius non fuerit, conſobrinæ filius, qui ex materno genere venit, ipſe accipiat.

VIII. Si autem nec conſobrinæ filius fuerit, tunc avunculus frater matris reippum accipiat.

IX. Si vero avunculus non fuerit, tunc frater illius, qui ipſam mulierem antea

ante habuerat, si in hereditatem defuncti fratris, id est, mariti mulieris illius venturus non est, ipse reippum accipiat.

X. Quod si nec ipse fuerit, tunc qui proximior fuerit post superius nominatos, qui singillatim secundum parentillam dicti sunt usque ad sextum genuculum, si in hereditatem illius mariti defuncti non accedat, ipse reippum accipiat.

XI. Si autem nullus nisi post sextum genuculum proximus fuerit, in fiscum ipse reippus, vel causa quæ inde orta fuerit, colligatur.

XLVII. DE EO QVI VILLAM ALIENAM OCCVPAVERIT, VEL SI DVODECIM MENSIBVS EAM TENVERIT.

SI quis super alterum in villam migrare voluerit, & aliqui de his qui in villa consistunt eum suscipere voluerint, & vel unus ex ipsis extiterit, qui contradicat, migrandi licentiam ibidem non habeat.

II. Si vero contra interdictum unius vel duorum in ipsa villa consedere præsumpserit, tunc interdictor testari debet illi cum testibus, ut infra decem noctes inde exeat, & si noluerit, iterum ad ipsum cum testibus veniat, & testetur illi, ut infra alias decem noctes secedat. Quod si noluerit, iterum tertio placito, ut infra decem noctes exeat, denunciet. Si vero xxx. noctes impletæ fuerint, & nec tunc voluerit exire, statim illum manniat ad mallum, & testes suos, qui ad ipsa placita fuerunt, secum præstos habeat. Si autem ipse cui testatum est venire noluerit, & eum aliqua sunnis non detinuerit, & secundum legem supradictam testatus fuerit, tunc ipse qui ei testatus est, super fortuna sua ponat, & grafionem roget, ut accedat ad locum, & ipsum inde expellat: & si ibi aliquid elaboravit, quia legem noluit audire, amittat, & insuper ICC. den. qui faciunt sol. xxx. culp. iud.

III. Si vero quis alium in villam alienam migrare rogaverit, antequam conventum fuerit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. iud.

IV. Si autem quis migraverit in villam alienam, & ei aliquid infra XII. menses secundum legem contestatum non fuerit, securus ibidem consistat sicut & alii vicini.

XLVIII. DE AFFATOMIÆ.

HOc convenit observare, ut Tunginus vel Centenarius mallum indicent, & scutum in ipso mallo habeant: & tres homines causas tres demandare debent in ipso mallo, & requiratur postea homo qui ei non pertinet, & sic festucam in laisum iactet, & ipsi in cuius laisum festucam iactaverit, dicat verbum de fortuna sua, quantum ei voluerit dare. Postea ipse, in cuius laisum festucam iactaverit, in casa ipsius manere, & hospites tres suscipere, & de facultate sua, quantũ ei datur, in potestate sua habere debet, & postea ipse cui creditum est, ista omnia cum testibus collectis agere debet. Postea aut ante regem, aut in mallo legitimo illi, cui fortunam suam deputavit,

reddere debet; & accipiat postea festucam in mallo ipso ante duodecim menses ipse, quem heredem deputavit, in laisum suum iactet, & nec minus, nec maius, nisi quantum ei creditum est. Et si contra hoc aliquid dicere voluerit, debent tres testes iurati dicere, quod ibi fuissent in mallo, ubi Tunginus vel Centenarius indixerunt, & quod vidissent hominem illum, qui fortunam suam dedit in laisum illius, quem iam elegerat festucam iactare, & nominare illum debent, qui fortunam suam in laisum electi iactavit: necnon & illum, in cuius laisum festucam iactavit, & heredem appellavit, similiter nominent. Et alteri tres testes iurati debent dicere, quod in casa illius hominis, qui fortunam suam donavit, ille in cuius laisum festucam iactavit, ibidem mansisset, & hospites tres vel amplius collegisset, & pavisset, & ei ibidem gratias egissent, & in beudo suo pultes manducassent, & testes collegissent. Ista omnia alii tres testes iurati dicere debent, quoniam in mallo legitimo vel ante regem ille, qui accepit in laisum suum fortunam in mallo publico, hoc est ante Theada vel Tunginum fortunam illam, quem heredem appellavit, publice coram omnibus festucam in laisum ipsius iactasset, & hæc omnia novem testes debent adfirmare.

XLIX. DE FILTORTIS, HOC EST, QVALITER HOMO FVRATAS RES INTERTIARE DEBET.

SI quis qui lege Salica vivit servum aut ancillam, caballum vel bovem seu iumentum, seu quamlibet rem suam, sub alterius potestate agnoverit, mittat eam in tertiam manum, & ille apud quem agnoscitur, debet adhramire. Et si intra Ligerim aut Carbonariam ambo manent, & qui agnoscit, & apud quem agnoscitur, in noctes quadraginta placitum faciant, & in ipso placito quanticunq; fuerint, qui rem intertiatam vendiderint aut cambiaverint, aut fortasse in solutionem dederint, omnes intra placitum istum commoneantur, ut unusquisque cum negotiatoribus suis alter alterum admoneat. Si quis vero commonitus fuerit, & aliqua sunnis eum non detinuerit, & ad placitum venire distulerit, tunc ille qui cum eo negotiavit, habeat tres testes quod enuntiasset, ut ad placitum venire debuisset, & alios tres similiter habeat, quod cum eo publice negotiasset: hoc si fecerit, exivit se de latrocinio. Ille autem qui admonitus non venerit, super quem testes iuraverint, erit latro illius qui res suas agnoscit, & ei secundum legem ipsas componat, & insuper pretium illi reddat, qui cum eo negotiavit. Ista omnia ubi suus hamallus est, super quem res primitus agnita fuerit aut intertiata, fieri debent. Quod si trans Ligerim aut Carbonariam manet ille, apud quem res agnoscitur, in noctibus LXXX, lex ista custodiatur.

L. DE FALSO TESTIMONIO.

SI quis falsum testimonium præbuerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur.

II. Quod si aliquis alicui imputaverit, quod se periurasset, & non potuerit adfirmare, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

III. Si alicui fuerit imputatum quod se periurasset, & hoc qui imputaverit, adfirmare potuerit, tres de ipsis coniuratoribus periuri unusquisque illorum, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

IV. Alii verò qui super ipsos tres fuerint, quinis solidis culp. iud.

V. Ipse verò cui imputatum fuerit, exceptò causa vel capitali & dilatura, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

LI. DE TESTIBUS ADHIBENDIS.

SI quis testes necessarios habuerit, & fortasse ipsi ad placitum venire noluerint, ille qui eos necessarios habet, mannire illos debet cum testibus ad placitum, ut ea quæ sciunt, iurantes dicant.

II. Si verò noluerint venire, & eos sunnis non detinuerit, unusquisque illorum DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

III. Si vero præsentes fuerint ad testimonium vocati, & noluerint iurando dicere ea quæ sciunt, & forbanniti fuerint, DC. den. qui faciunt sol. xv. unusquisque illorum culp. iud.

LII. DE EO QUI FIDEM FACTAM ALTERI REDDERE NOLUERIT.

SI quis ingenuus aut lidus alteri fidem fecerit, tunc ille cui fides facta est, XL. noctes, aut quomodo placitum fecit, quando fidem ei fecit, ad domum illius cum testibus ambulare debet, vel cum illis qui pretium adpretiare debent, & si noluerit fidem factam solvere, DC. den. qui faciunt sol. xv. culpabilis iudicetur.

II. Si verò adhuc supradictum debitum solvere noluerit, debet eum sic admallare: *Rogo te iudex, ut hominem illum denominatum, gasachionem meum, qui mihi fidem fecit, de debito tali denominato, secundum legem Salicam, mihi inde eum adstringas.* Tunc iudex dicere debet: *Ego gasachium tuum illum in hoc mallo, quod lex Salica habet.* Tunc ille cui fides facta est, debet testificari fideiussori, ut nulli alteri nec solvat, nec pignus donet solutionis, antequam ei impleat, unde fidem fecit. Et sic festinanter ad domum illius, qui ei fidem fecit, cum testibus accedat, & roget eum solvere debitum suum. Quod si noluerit, solem ei collocet. Et si ei solem culcaverit, tres solidos super debitum addat, & sic usque ad tres vices per tres mannitas facere debet. Ista igitur omnia facta, si adhuc noluerit debita componere, usque ad novem solidos debitum ascendat; id est, ut per singulas admonitiones, vel solem culcatum, terni solidi adcrescant. Si vero nec fidem factam in placito legitimo solvere noluerit, tunc ille cui fides facta est, ambulet ad grafionem loci illius, in cuius pago manet, accipiatque festucam, & dicat verbum istud: *Tu grafio, rogo te, quia ille homo denominatus, qui mihi fidem fecit, quem legitime habeo adiactivum vel admallatum secundum legem Salicam, & ego super me, & super fortunam meam pono, quod securus mitto in fortunam illius manum:* & dicat de quanta causa ei fidem fecerat. Tunc grafio congreget secum septem rachinburgios idoneos, & cum ipsis

ad casam illius fideiussoris veniat, & roget eum si præsens est: *Per voluntatem tuam solve homini isti, de quo ei fidem fecisti, & hoc quod debes secundum pretium legitime pretiatum satisfacere stude.* Quod si tunc adimplere noluerit præsens, aut si absens fuerit, statim rachinburgii pretium adpretiatum, quantum debitum quod debet valuerit, de fortuna illius tollant, & si fredus antea de ipsa causa non fuerat datus, duas partes ille cuius causa est ad se revocet, & grafio tertiam partem obtineat.

IV. Si autem grafio ibi invitatus non venerit, & sunnis eum aliqua non detenuerit, aut certa ratio dominica, & si distulerit, ut ibi non ambulet, neque mittat ut cum iustitia exigatur debitum, aut se redimat, aut de vita componat.

LIII. DE EO QVI GRAFIONEM AD RES ALIENAS TOLLENDAS INIVSTE INVITAVERIT.

SI quis grafionem ad res alienas iniuste tollendas invitaverit, antequam gasachium suum secundùm legem habeat admallatum, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culpabilis iudicetur.

II. Si verò grafio invitatus contra legem supra debitum iustum aliquid amplius tulerit, aut se redimat, aut de vita componat.

LIV. DE RE PRÆSTATA.

SI quis alteri de rebus suis aliquid præstiterit, & ei reddere noluerit, sic eum debet mallare. Cum testibus ad domum illius cui res præstavit accedat, & sic contestetur ei. *Quia res meas noluisti reddere, quas tibi præstiti, in hoc eas tene nocte proxima, quod lex Salica continet*; & sic ei solem collocet. Si nec tunc voluerit reddere, adhuc super VII. noctes similiter contestetur, sicut antea fecit, ut nocte proxima, secundum quod lex Salica continet, res suas tenere debeat. Quod si nec tunc noluerit reddere, iterum post septem alias noctes ad eum similiter cum testibus veniat, & roget, ut debitum suum reddat. Ergo si tunc noluerit reddere, nec fidem facere reddendi, supra debitum quod ei præstitum est, & super illos novem solidos, qui per tres admonitiones accreverunt, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

LV. DE MANV DE ÆNEO REDIMENDA.

SI quis ad æneum mallatus fuerit, & forsitan convenerit, ut ille qui admallatus est, manum suam redimat, & iuratores donet; si talis causa est, de qua legitime, si convictus fuisset, DC. den. qui faciunt sol. XV. componere debeat, tunc CXX. den. qui faciunt sol. III. manum suam redimat.

II. Si verò plus ad manum suam redimendam dederit, fredus grafioni solvatur, tanquam si de ipsa causa convictus fuisset.

III. Si verò talis causa fuerit, de qua si convictus fuisset, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. debuisset solvere, & convenit ut manum suam redimat, & iuratores donet, VIIII. sol. manum suam redimat.

IV. Quod

IV. Quod si amplius dederit, fredus grafioni solvatur tanquam si de ipsa causa convictus fuisset.

V. Quod si maior culpa fuerit, de qua LXIIS. sol. solvere, si convictus fuisset, deberet, & convenit ut manum suam redimat, cum solidos XV. manum suam redimat.

VI. Et si amplius dederit, fredus grafioni solvatur, tanquam si de ipsa causa convictus fuisset. Ista redemptio usque ad leudem sic permaneat.

VIII. Si autem leudem alter alteri imputaverit, & eum ad æneum habet mallatum, & convenit ut manum suam redimat, & iuratores donet, cum sol. XXX. manum suam redimat.

VIII. Et si amplius dederit, fredum grafioni persolvat, tanquam si de ipsa causa convictus extitisset.

LVI. DE EO QVI GRAFIONEM OCCIDERIT.

SI quis grafionem occiderit, XXIIII. den. qui faciunt sol. DC. culpabilis iudicetur.

II. Si quis sagibaronem, qui puer Regis fuerat, occiderit, XII. den. qui faciunt sol. CCC. culp. iud.

III. Si quis sagibaronem qui ingenuus est, & se sagibaronem posuit, occiderit, XXIIII. den. qui faciunt sol. DC. culp. iud.

IV. Sagibarones in singulis mallobergiis, id est plebs, quæ ad unum mallum convenire solet, plus quam tres esse non debent: & si causa aliqua ante illos secundum legem fuerit definita, ante grafionem removere eam non licet.

LVII. DE CORPORIBVS EXPOLIATIS.

SI quis corpus hominis mortui, antequam in terram mittatur, per furtum expoliaverit, IID. den. qui faciunt sol. LXIIS. culpabilis iudicetur.

II. Si quis tumulum super hominem mortuum expoliaverit, vel dissipaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

III. Si quis aristatonem, hoc est, staplum super mortuum missum capulaverit, aut mandualem, quod est structura, sive selave, qui est ponticulus, sic ut more antiquorum faciendum fuit, qui hoc destruxerit, aut mortuum exinde expoliaverit, de unaquaque de istis DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur.

IV. Si quis hominem mortuum super alium in naufo, vel in petra miserit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud.

V. Si quis corpus iam sepultum effoderit, aut expoliaverit wargus sit, hoc est expulsus de eodem pago, usque dum cum parentibus defuncti convenerit, ut & ipsi parentes rogati sint pro eo, ut liceat ei infra patriam esse, & quicunque antea panem, aut hospitalitatem ei dederit, etiam si uxor eius hoc fecerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

VI. Auctor verò sceleris huius si ipse hoc fecit, & comprobatus fuerit, vel alium ad istud faciendum locaverit, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culp. iud.

VII. Si quis domum, in modum basilicæ factam, super hominem mortuum expoliaverit, icc. den. qui faciunt sol. xxx, culp. iud. exc. cap. & dil.

LVIII. DE INCENDIO VEL EXPOLIATIONE ECCLESIÆ, SIVE HOMICIDIIS CLERICORVM.

SI quis Ecclesiam sanctificatam, vel ubi reliquiæ sanctorum reconditæ sunt, incenderit, vel infra ipsa Ecclesia aliquam expoliationem de altari, aut infra Ecclesiam aliquid tulerit, VIII. den. qui faciunt sol. cc. culp. iud. excepto capitali & dilatura.

II. Si quis subdiaconum interfecerit, XII. den. qui faciunt sol. ccc. culpabilis iudicetur.

III. Si quis diaconem interfecerit XVI. den. qui faciunt sol. cccc. culp. iud.

IV. Si quis presbyterum interfecerit, XXIIII. den. qui faciunt sol. DC. culpabilis iudicetur.

V. Si quis Episcopum interfecerit DCCCC. sol. culp. iud.

LIX. DE EO QVI AD MALLVM VENIRE CONTEMPSERIT.

SI quis ad mallum venire contempserit, & quod ei à rachinburgiis iudicatum fuerit, implere distulerit, si nec de compositione, nec de ulla lege fidem facere voluerit, tunc ad Regis præsentiam ipsum mannire debet, & ibidem XII. testes esse debent, qui per singula placita iurando dicant, quod ibidem fuissent, ubi rachinburgii ei iudicassent, & ille decretum iudicium contempsisset. Iterum alii tres iurare debent, quod ibidem fuissent, post illam diem in qua ei rachinburgii iudicaverunt, ut aut per æneum, aut per compositionem se educeret; hoc est, de illa die in XL. noctes, in mallo iterum solem culcaverit, & nullatenus legem implere voluerit, tunc eum debet mannire ante Regis præsentiam in XIIII. noctes, & tria testimonia iurando dicant, quod eum mannisset. Quod si nec tunc venerit, & ista omnia novem testimonia coniurando, quæ superius diximus, vera esse dixerint, similiter ei iterum solem culcet, & illos tres testes ibidem habeat. Vbi culcaverit solem, & ista omnia compleverit, qui eum admallat, & ille qui admallatur, ad nullum placitum venire, nec per legem se educere noluerit, tunc Rex ad quem mannitus est extra sermonem suum eum esse deiudicet: & ita ille culpabilis, & omnes res suæ erunt in fisco, aut cui fiscus dare voluerit. Et quicunque ei panem dederit, aut in hospitium collegerit, etiam si uxor eius propria sit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud. donec omnia quæ ei legibus imputantur, secundum legem componat.

LX. DE RACHINBVRGIIS QVI SECVNDVM LEGEM NON IVDICANT.

SIquidem rachinburgii in mallo residentes, cum causa discussa fuerit inter duos causatores, admoniti ab eo qui causam requirit, ut legem Salicam

legem dicant, & si legem dicere noluerint, tunc ab eo qui causam requirit, sint iterum admoniti usque in tertia vice. Quod si dicere noluerint, tunc dicat ille qui causam requirit, *Ego vos tangano, usque dum vos inter me & contra causatorem meum legem iudicetis.* Et si tunc dicendi se legem distulerint, sole culcato septem de illis unusquisque cxx. den. qui faciunt sol. III. culpabilis iudicetur.

II. Et si adhuc tunc rachinburgii despexerint, nec legem dicere voluerint, neque de tribus solidis compositionem facere, tunc unusquisque illorum septem culcato sole, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

III. Similiter si comprobati fuerint legem non iudicasse, septem ex eis unusquisque DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

IV. Si autem rachinburgii legem iudicant, & cui iudicatum fuerit, hoc sustinere noluerit, & dicit contra legem iudicasse sibi, & hoc comprobare non potuerit, contra unumquemque de septem rachinburgiis, DC. den. qui faciunt sol, XV. culp. iud.

LXI. DE CHRENECHRUDA.

SI quis hominem occiderit, & in tota facultate sua non habuerit, unde totam legem implere valeat, XII. iuratores donet, quod nec super terram, nec subtus terram, amplius de facultate non habeat, nisi quod donatum habet. Postea intrare debet in casam suam, & de quatuor angulis de terra illa in pugno suo colligat, & stare in durpilo, hoc est in limitare, & intus captare, & cum sinistra manu de illa terra ultra suas scapulas iactare, super quem proximiorem parentem habet. Quod si iam pater aut mater vel frater solverint, tunc super sororem matris, aut super suos filios debet illam terram iactare, id est, super tres de generatione matris, qui proximiores sunt: & postea in camisia discinctus, & discalciatus, cum palo in manu supra sepem salire debet, ut pro medietate, quantum de compositione diger est, aut quantum lex dicat, illi tres solvant. Idem illi alii, qui de paterna generatione veniunt, facere debent. Si verò aliquis ex illis pauperior fuerit, & non habet unde ad integrum debitum solvat, quicunque de illis amplius habet, iterum super illum chrenechruda, ille qui pauperior est, iactet, & ille totam legem componat. Quod si nec ipse habuerit ut totam legem persolvat, tunc illum qui homicidium fecit, ille qui eum in fide sua habet, per quatuor mallos præsentem faciat. Et si eum nullus suorum per compositionem voluerit redimere, de vita componat.

LXII. DE ALODE.

SI quis homo mortuus fuerit, & filios non dimiserit, si pater aut mater superfuerint, ipsi in hereditatem succedant.

II. Si pater aut mater non superfuerint, & fratres vel sorores reliquerit, ipsi hereditatem obtineant.

III. Quòd si nec isti fuerint, sorores patris in hereditatem eius succedant.

IV. Si verò sorores patris non extiterint, sorores matris eius hereditatem sibi vindicent.

V. Si autem nulli horum fuerint, quicunque proximiores fuerint de paterna generatione, ipsi in hereditatem succedant.

VI. DE TERRA VERO SALICA NVLLA PORTIO HEREDITATIS MVLIERI VENIAT: SED AD VIRILEM SEXVM TOTA TERRAE HEREDITAS PERVENIAT.

LXIII. DE EO QVI SE DE PARENTILLA TOLLERE VVLT.

SI quis de parentilla tollere se voluerit, in mallo ante Tunginum aut Centenarium ambulet, & ibi quatuor fustes alninos super caput suum frangat, & illas quatuor partes, in mallo iactare debet, & ibi dicere, ut & de iuramento, & de hereditate, & de tota illorum se ratione tollat.

II. Et si postea aliquis de parentibus suis aut moritur, aut occiditur, nihil ad eum de eius hereditate, vel de compositione pertineat.

III. Si autem ille occiditur, aut moritur, compositio aut hereditas eius non ad heredes eius, sed ad fiscum pertineat, aut cui fiscus dare voluerit.

LXIV. DE CHAROENA.

SI quis alteri de manu aliquid per vim tulerit aut rapuerit, rem pro capitali restituat, & insuper icc. den. qui faciunt sol. xxx. culpabilis iudicetur.

II. Si quis homini aliquid, quod ei in tertia manu missum fuerat, per vim tulisse convincatur, icc. den. qui faciunt sol. xxx. culp. iud.

LXV. DE COMPOSITIONE HOMICIDII.

SI alicuius pater occisus fuerit, medietatem compositionis filii colligant, & aliam medietatem parentes, qui proximiores fuerint, tam de paterna, quam de materna generatione, dividant.

II. Quòd si de una parte, vel paterna vel materna, nullus proximus fuerit, portio illa ad fiscum perveniat, vel cui fiscus concesserit.

LXVI. DE HOMINE IN HOSTE OCCISO.

SI quis hominem in hoste occiderit, triplici compositione componat, sic ut in patria componere debuit, excepto si ex truste regali non fuerit ille homo.

II. Nam si ex truste regali fuerit, eadem compositione, quam infra patriam facere debuit, culpabilis iudicetur; hoc sunt denarii LXII. qui faciunt solidos IDCCC.

LXVII. DE EO QVI ALTERVM HEREBVRGIVM CLAMAVERIT.

SI quis alterum hereburgium clamaverit, hoc est, strioportium, aut qui æneum portare dicitur, ubi striæ concinnunt, & convincere non potuerit, IID. den. qui faciunt sol. LXIIS. culpabilis iudicetur.

II. Si quis mulierem ingenuam striam clamaverit aut meretricem, & convincere non potuerit, VIID. den. qui faciunt sol. CLXXXVIII. culp. iud.

III. Si stria hominem comederit, & convicta fuerit, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culpabilis iudicetur.

LXVIII. DE CABALLO EXCORTICATO.

SI quis caballum alienum sine consensu possessoris decorticaverit, & interrogatus, fuerit confessus, caballum ipsum in capite restituat.

II. Si verò negaverit & convictus fuerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. excepto capitali & dilatura culp. iud.

LXIX. DE EO QVI HOMINEM DE BARGO VEL DE FVRCA DIMISERIT.

SI quis hominem de bargo vel de furca sine voluntate iudicis demiserit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culpabilis iudicetur.

II. Si quis hominem sine consensu iudicis de ramo, ubi incrocatur, deponere præsumpserit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. iud.

II. Si quis caput hominis, quod inimicus suus in palo miserit, sine permissu iudicis, aut illius qui eum ibi posuit, tollere præsumpserit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud.

IV. Si quis vivum hominem de furca dimiserit, IIII. den. qui faciunt sol. centum, culpabilis iudicetur.

LXX. DE EO QVI FILIAM ALIENAM QVÆSIERIT ET SE RETRAXERIT.

SI quis filiam alienam ad coniugium quæsierit, præsentibus suis & puellæ parentibus, & postea se retraxerit, & eam accipere noluerit, IID. den. qui faciunt sol. LXIIS. culpabilis iudicetur.

LXXI. DE TERRA CONDEMNATA.

SI quis terram alienam condemnaverit, & ei fuerit adprobatum, IID. den. qui faciunt solidos LXIIS. culpabilis iudicetur.

RECAPITVLATIO
LEGIS SALICÆ.

SCiendum est, quod in quibusdam libellis Salicis inveniuntur capitula principalia LXV. in quibusdam verò LXX. in quibusdam etiam paulò plus, aut paulò minus. Continentur alia capitula in quibusdam codicibus XCVIIII. in quibusdam verò plus minus v.c. Habent etiam species, in quibusdam libellis XX. & VII. in quibusdam verò minus, vel paulò plus.

Inquirendum est, compositionis legis Salicæ quot varietates, & quæ numerum per minimum, quæ verò per maximum habeat. Divisionis compositionis summa, CCCLVIII. Varietates XXXI.

I. Incipit ad septem denarios; ut si quis agnum furaverit.

II. Inde ad decem; ut si quis alterius messem damnaverit.

III. Inde ad sol. ut si quis porcellum, qui sine matre vivere potest, foris domum furaverit.

IV. Inde ad sol. & tremissem, ut si quis alterius servum cedit.

V. Inde ad sol. III. vt si quis tres capras furaverit. Hæc compositio III. solidorum in XLIII. locis legis Salicæ habetur.

VI. Inde ad sol. III. & den. I. ut si quis viduam in coniugium voluerit sociare.

VII. Inde ad sol. V. hi sunt qui in raptu secundum legem componunt. Hæc compositio II. locis habetur.

VIII. Inde ad sol. VI. pro redemptione servi, ut non castretur. Hæc compositio VI. sol. in quinque locis habetur.

IX. Inde ad sol. VIIS. ut si quis scrofam alterius subbattit, ut porcellos non habeat.

X. Inde ad sol. VIIII. ut si quis alterum clauso pugno percutit. Hæc compositio VIIII. sol. in III. locis habetur.

XI. Inde ad sol. XIIS. ut si quis servum ministerialem in mortis periculum immiserit, & eum Deus liberavit.

XII. Inde ad sol. XV. ut si quis sponsam alterius tulerit. Hæc compositio XV. sol. in XX. & III. locis habetur.

XIII. Inde ad sol. XVIIS. ut si quis alterius verrem furaverit. Hæc compositio XVIIS. sol. in III. locis habetur.

XIV. Inde ad sol. XXIIS. ut si quis tributarium Romanum in pelagus impinxerit.

XV. Inde ad sol. XXV. ut si quis servum ministerialem occiderit. Hæc compositio in II. locis habetur.

XVI. Inde ad sol. XXX. ut si quis alterius ancillam furaverit. Hæc compositio XXX. sol. in XXVIII. locis habetur.

XVII. Inde ad sol. XXXV. ut si quis servum alterius furaverit. Hæc compositio XXXV. sol. in XXVIII. locis habetur.

XVIII. Inde

XVIII. Inde ad sol. XLV. ut si quis waranionem furaverit. Hæc compositio XLV. sol. in XXXVI. locis habetur.

XIX. Inde ad sol. L. ut si quis Romanum in pelagus impinxerit.

XX. Inde ad sol. LXIIS. ut si quis hominem percutere voluerit cum gladio, & eum non tetigerit. Hæc compositio LXIIS. solidorum in XL. locis habetur.

XXI. Inde ad sol. LXX. ut si quis servum aut ancillam ministerialem furaverit.

XXII. Inde ad LXXV. ut si quis servum ministerialem in hoste occiderit.

XXIII. Inde ad sol. XC. ut si quis waranionem Regis furaverit. Hæc compositio XC. sol. in III. locis habetur.

XXIV. Inde ad sol. C. ut si quis Romanum occiderit. Hæc compositio centum sol. in XXIIII. locis habetur.

XXV. Inde ad sol. CLXXXVIIIS. ut si quis mulierem striam vel meretricem clamaverit.

XXVI. Inde ad sol. CC. ut si quis hominem ingenuum occiderit. Hæc compositio CC. sol. in XVII. locis habetur.

XXVII. Inde ad sol. CCC. ut si quis lidum alienum in hoste occiderit. Hæc compositio CCC. sol. in II. locis habetur.

XXVIII. Inde ad sol. DC. ut si quis hominem ingenuum in hoste occiderit. Hæc compositio DC. sol. in XIIII. locis habetur.

XXIX. Inde ad sol. DCC. ut si quis mulierem, parvulum habentem in utero, occiderit.

XXX. Inde ad sol. DCCCC. ut si quis Romanum vel lidum in curte domini occiderit.

XXXI. Inde ad sol. IDCCC. ut si quis in truste dominica hominem occiderit, & in puteum iactaverit. Hæc compositio IDCCC. sol. in II. locis habetur.

SENTENTIÆ DE SEPTEM SEPTENIS; HOC EST, PARTICULARIBUS CAUSIS.

SI quis basilicam incenderit, sol. CC. culpabilis iudicetur.

II. Si quis Francus Francum occiderit, sol. CC. culp. iud.

III. Si quis villam alienam adsallierit, & ibidem ostia fregerit, & canes occiderit, & homines plagaverit, vel aliquid exinde in carro duxerit, sol. CC. culp. iud.

IV. Si quis alicui herbas dederit bibere, unde moriatur, sol. CC. culpabilis iudicetur.

V. Si quis uxorem alienam tulerit vivo marito, sol. CC. culp. iud.

VI. Si quis hominem mortuum effodierit, & expoliaverit, sol. CC. culpabilis iudicetur.

VII. Si quis Francus Francum vendiderit, sol. CC. culp. iud.

DECRETIO
CHILDEBERTI REGIS.

CHILDEBERTVS Rex Francorum vir inluster. Cum in Dei nomine nos omnes Kal. Mar. de quibuscunque conditionibus unà cum nostris optimatibus pertractavimus, ad unumquemque notitiam volumus pervenire.

ITa Deo auxiliante Attiniaco Kal. Mar. anno xx. regni nostri convenit, ut nepotes ex filio vel ex filia ad aviaticas res cum avunculis vel amitis sic venirent in hereditatem, tanquam si pater aut mater vivi fuissent. De illis tamen nepotibus istud placuit observari, qui de filio vel filia nascuntur, non qui de fratre.

II. In sequenti hoc convenit una cum leudis nostris, ut nullus de crinosis incestum usum sibi societ coniugio, hoc est, nec fratris sui uxorem, nec uxoris suæ sororem, nec uxorem patris sui, aut parentis consanguinei. Si quis uxorem patris acceperit, mortem incurrat. De præteritis verò incestis coniunctionibus per prædicationem Episcoporum iussimus emendari. Qui verò Episcopum suum noluerit audire, & excommunicatus fuerit, perennem condemnationem apud Deum substineat, & insuper de palatio nostro sit omnino extraneus, & omnes facultates suæ legitimis parentibus perveniant.

III. Similiter Traiecti convenit nobis campo, ut quaslibet res ad unum ducem vel iudicem pertinentes, per decem annos quicunque inconcussò possedit, nullam habeat licentiam intertiandi, nisi tantum causa orphanorum, usque ad xx. annos licentiam tribuamus. Si quis super hoc iudicium præsumpserit intertiare, sol. xv. solvat, & rem intertiatam amittat. De reliquis verò conditionibus omnes omnino causas tricenaria lex excludit, præter id quod in alia regna hucusque detenuit.

IV. Pari conditione convenit Kal. Mar. omnibus nobis adunatis, ut quicunque raptum facere præsumpserit, periculum mortis incurrat, & nullus de optimatibus nostris de tam turpissimo vitio præsumat rogare, sed inimicum Dei unusquisque amodò persequatur. Qui verò edictum nostrum ausus fuerit irrumpere, iudex loci illius solatio collecto ipsum raptorem occidat, & iaceat forbattutus. Et si ad Ecclesiam confugerit, reddatur ab Episcopo, & sine ulla precatione exinde separetur. Et si ipsa mulier postea raptori consenserit, ambo pariter in exilio transmittantur. Et si foras Ecclesiam capti fuerint, pariter occidantur, & facultates illorum parentibus legitimis dentur, & quod fisco nostro debitum est, acquiratur.

V. De

V. De homicidiis verò ita iussimus observari, ut quicunque ausu temerario alium sine causa occiderit, vitæ periculo feriatur, & nullo pretio se redimere unquam valeat. Et si convenerit, ut ad compositionem quis descendat, nullus de parentibus, aut de amicis ei quicquam adiuvet: si qui præsumpserit ei aliquid adiuvare, suum weregildum omnino componat. Quia iustum est, ut qui iniuste novit occidere, discat iuste mori.

VI. De farsalio ita convenit, ut quicunque in mallo præsumpserit farsaliummminare, sine dubio suum weregildum componat: quia omnino volumus, ut farsalius reprimatur. Et si forsitan, ut adsolet, iudex hoc consenserit, & fortasse adquiescet istum farsalium custodire, vitæ periculum per omnia incurrat.

VII. De furibus & malefactoribus ita decrevimus observare, ut si quinque aut septem bonæ fidei homines, absque inimicitia interposita, criminosum cum sacramenti interpositione esse dixerint, quomodo contra legem furtum perpetravit, secundum legem moriatur: & si iudex comprehensum latronem laxaverit, vitam suam amittat. Et hæc disciplina in populo modis omnibus observetur.

VIII. Similiter Kal. Mart. Coloniæ convenit, & ita bannivimus, ut unusquisque iudex criminosum latronem ut audierit, ad casam suam ambulet, & ipsum ligare faciat. Ita ut si Francus fuerit ad nostram præsentiam dirigatur: & si debilior persona fuerit, in loco pendatur.

IX. Si quis centenarium aut quemlibet iudicem noluerit super malefactorem ad prindendum adiuvare, sol. LX. omnino condemnetur.

X. Et quicunque servum criminosum habuerit, & iudex rogaverit ipsum præsentare, & noluerit, suum weregildum omnino componat.

XI. Similiter convenit, ut si furtum factum fuerit, capitale de præsenti centena restituat, & causator centenarium cum centena requirat.

XII. Pari conditione convenit, ut si una centena in alia centena vestigium sequuta fuerit, & invenerit; vel in quibuscunque fidelium nostrorum terminis vestigium miserit, & ipsum in aliam centenam minime expellere potuerit, aut convictum reddat latronem, aut capitale de præsenti restituat, & cum XII. personis se ex hoc sacramento exuat.

XIII. Si servi Ecclesiarum aut fiscalini furtum admiserint, similem pœnam sustineant, sicut & reliquorum servi Francorum.

XIV. Diem dominicum similiter placuit observare, ut quicunque ingenuus, excepto quod ad coquendum vel ad manducandum pertinet, opera alia præsumpserit, si Salicus fuerit sol. XV. componat, si Romanus VIIS. Servus vero aut tres solidos reddat, aut dorsum suum componat.

XV. De chrenecruda lex, quam paganorum tempore observabant, deinceps nunquam valeat, quia per ipsam cecidit multorum potestas. Datum pridie Kalend. Mar. anno XX. regni Domini nostri, Coloniæ feliciter.

Item confirmatio legis a regibus, quam Chlodoveus Rex Francorum statuit, & postea una cum Francis pertractavit, ut ad titulos aliquid amplius adderet, sic ut à primo usque ad septuagesimum octavum perduxerit. Inde verò Childebertus post multum tempus tractavit, ut

quidquid invenire potuerit, ibi cum suis Francis adderet: hoc est, à LXXVIII. usque ad LXXXIIII. pervenit, quod ibi digne imposuisse cognoscitur. Iterum cum hos titulos Clotharius à germano suo seniore gratanter excepit, sic & ipse similiter cum regni sui sapientibus invenit, ut à LXXXIIII. adderet, & ita perfectum perduxit: & inde quæ ipse invenit, ad fratrem suum rescripta direxit. Et ita inter se firmaverunt, ut ista omnia quæ constituerunt, inviolabiliter omnique tempore conservata fuissent.

PACTVM PRO TENORE PACIS DOMINORVM CHILDEBERTI ET CHLOTHARII REGVM.

ET quia multorum insaniæ convaluerunt, ut malis pro immanitate scelerum digna reddantur: idcirco decretum est, ut apud quemcunque post interdictum, si latrocinium comprobatur, vitæ incurrat periculum.

II. Si quis ingenuam personam furto ligaverit, & negator extiterit, XII. iuratores medios electos dare debet, quòd furtum, quod obiicit, verum sit. Quod si latro redimendi se habet facultatem, se redimat: si facultas deest, tribus mallis parentibus offeratur, & si non redimitur, de vita componat.

III. Qui furtum vult cœlare, & occultè sine iudice compositionem acceperit, latroni similis est.

IV. Si homo ingenuus in furto inculpatus, ad æneum provocatus manum incenderit, quantum inculpatur, furtum componat.

V. Si servus in furto fuerit inculpatus, requiratur à domino, ut ad viginti noctes ipsum in mallum præsentet. Et si dubietas est, ad sortem ponatur. Quod si placitum sunnis non detricaverit, & alias XX. noctes ita fiet. Et persecutor causæ de suis consimilibus tres, & de electis aliis tres dabit, qui sacramenta firmarent per placita, quod lex Salica habet fuisse completum. Et si dominus servum non præsentaverit, legem unde inculpatur, componat, & de servo faciat cessionem.

VI. Si servus minus tremisso involaverit, & mala sorte priserit, dominus servi III. sol. solvat, & servus ille CCC. ictus accipiat flagellorum.

VII. Si quis mancipia aliena iniustè tenuerit, & inter dies XL. non reddiderit, ut latro mancipiorum teneatur obnoxius.

VIII. Si litus, de quo inculpatur, ad sortem ambulaverit, mala sorte priserit, medietate ingenui legem componat, & iuratores sex medios electos dare debet.

DECRET.

DECRETIO
CHLOTHARII REGIS.

DEcretum est, quia in vigiliis constitutis nocturnos fures non caperent, eo quod per diversas intercedente conludio scelera prætermissa custodias exercent, centenas fieri. In qua centena aliquid deperierit, capitale qui perdiderat recipiat, & latronem insequantur. Vel si in alterius centenæ partem deduxerint, & adhuc admoniti si neglexerint, quinos sol. condamnentur. Capitale tamen qui perdiderat, à centena illa accipiat absque dubio, hoc est de secunda vel tertia custodia.

II. Si vestigium comprobatur latronis, tamen præsentia nihil longe multandus, aut si persequens latronem suum comprehenderit, integram sibi compositionem accipiat.

III. Quod si in truste invenitur, medietatem compositionis trustis adquirat, & capitale exigat à latrone.

IV. Si quis in domo alterius, ubi clavis est, furtum invenerit, dominus domus de vita componat.

V. Si quis cum furto capitur, ante dictæ subiaceat legi.

VI. Si de suspicione inculpatur, ad sortem veniat.

VII. Si mala sorte priserit, latro est tamen, ad utramque partem sint ternæ personæ electæ, ne conludius fieri possit.

VIII. De servis Ecclesiæ, aut fisci, vel cuiuslibet quicunque inculpatur, ad sortem veniat, aut ad plebium promoveatur, aut ipsum pretium à domino reformetur. Nam probati periculo subiacebunt.

IX. Si quis cuiuslibet de potentioribus servis, qui per diversa possident, de crimine habetur suspectus, domino secretius cum testibus condicatur, ut infra xx. noctes ipsum ante iudicem debeat præsentare. Quod si in statutum tempus interludente conludio non fecerit, dominus status sui iuxta modum culpæ inter fredum & fredum compensabitur.

X. Si servus ante admonitum dominum defuerit, capitale dominus restituat, & de servo faciat cessionem, ut cum inventus fuerit, detur in vindictam.

XI. Si quis occulte de re sibi furata à quolibet latrone compositionem acceperit, uterque latronis culpæ subiaceat, fur tamen iudici præsentetur.

XII. Vt continuo capitale ei qui perdiderit reformare festinet, & latronem perquirat. Quem si in truste perinvenerit, medietatem sibi vindicet vel delaturam. Si fuerit de facultate latronis, & qui damnum pertulit, satia-

tur. Nam si persequens latronem ceperit, integram sibi compositionem simul & solutionem, vel quidquid dispendii fuerit revocavit, fredus tamen iudici, in cuius pago est, reservetur.

XIII. Nullus latronem, vel quemlibet culpabilem, sicut summis Episcopis convenit, de atrio Ecclesiæ trahere præsumat. Quod si sunt Ecclesiæ, quibus atria clausa non sint, ab utraque parte parietum terræ spatium arpennis pro atrio observetur.

XIV. Nullus confugiens foris ante dicta loca pro operarum cupiditate se dicat exire. Quòd si fecerint, & capti fuerint, ad dignum sibi supplicium condamnentur.

XV. Quòd si cuiuslibet servus deserens suum dominum ad Ecclesias confugerit, & ibi primitus dominus eius advenerit, contentio excusatur, reddatur furtum, ut se de pretio redimat.

XVI. Si quis ad vestigium minandum, vel latronem persequendum admonitus venire noluerit, v. sol. condamnetur.

XVII. Ea quæ in Dei nomine pacis tenore constituimus, in perpetuum volumus custodire.

XVIII. Hoc statuentes, ut si quis ex iudicibus hoc decretum violare præsumpserit, vitæ periculum subiacere cognoscat.

INCIP.

INCIPIUNT CAPITULA QUÆ AD LEGEM SALICAM DOMNUS AUGUSTUS KAROLUS ANNO AB INCARNATIONE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI DCCCIII. IMPERII VERO ANNO III. PROPONENDO ADDERE IUSSIT.

SI quis subdiaconum occiderit, & ei fuerit adprobatum, ccc. solidos componat. Si quis diaconum, cccc. sol. componat. Si quis presbyterum solidos DC. componat. Si quis Episcopum, DCCCC. componat. Si quis monachum occiderit, cccc. solidis culpabilis iudicetur.

II. Si quis in emunitate damnum aliquod fecerit, DC. solidos componat. Si autem homo furtum aut homicidium fecerit, vel quodlibet crimen foris committens infra emunitatē fugerit, mandet Comes illi Episcopo, vel abbati, vel vice-domino, vel quicunque locum Episcopi vel abbatis tenuerit, ut reddat ei reum. Si ille contradixerit, & eum reddere noluerit, in prima contradictione xv. sol. culpabilis iudicetur. Si ad secundam inquisitionem eum reddere noluerit, xxx. sol. culpabilis iudicetur. Si nec ad tertiam inquisitionem consentire voluerit, quidquid reus damni fecerit, totum ille, qui eum infra emunitatem retinet, nec reddere vult, solvere cogat. Et ipse Comes veniens licentiam habeat ipsum hominem infra emunitatem quærendi, ubicunque eum invenire potuerit. Si autem statim in prima inquisitione Comiti responsum fuerit, quod reus infra emunitatem quidem fuisset, sed fuga lapsus sit, statim iuret, quod ipse eum ad iustitiam cuiuslibet diffaciendam fugere non fecisset, & sit ei in hoc satisfactum. Si autem intranti in ipsam emunitatem Comiti collecta manu quilibet resistere tentaverit, Comes hoc ad Regem, vel ad principem deferat, ibique iudicetur: ut sic ut ille, qui in emunitate damnum fecit, DC. solid. componere debuit, ita qui Comiti collecta manu resistere præsumpsit, DC. sol. culpabilis iudicetur.

III. Si quis ad Ecclesiam confugium fecerit, in atrio ipsius Ecclesiæ pacem habeat, nec sit necessitas Ecclesiam ingredi, & nullus eum inde per vim abstrahere præsumat: sed liceat ei confiteri quid fecit, & inde per manus bonorum hominum ad discussionem in publicum perducatur.

IV. Si quis hominem in iudicio iniuste contra alium altercantem adiuvare per malum ingenium præsumpserit, atque inde coram iudicibus vel Comite increpatus fuerit, & negare non potuerit, xv. sol. culp. iud.

V. Si quis de libertate sua fuerit interpellatus, & timens ne in servitium cadat, aliquem de propinquis suis, per quem se in servitium casurum timet,

occiderit, id est, patrem, matrem, patruelem, avunculum, vel quamlibet huiusmodi propinquitatis personam, ipse qui hoc perpetravit moriatur, agnatio eius & consanguinitas in servitium cadat: & si negaverit se illum occidisse, ad novem vomeres ignitos iudicio Dei examinandus accedat.

VI. Qui res suas pro anima sua ad casam Dei tradere voluerit, domi traditionem faciat coram testibus legitimis: & quæ hactenus in hoste factæ sunt traditiones, de quibus nulla est quæstio, stabiles permaneant. Si vero aliquis alii res suas tradiderit, & in hostem profectus fuerit, & ille, cui res traditæ sunt, interim mortuus fuerit, qui res tradidit cum reversus fuerit, adhibitis testibus, coram quibus traditio facta est, res suas recipiat. Si autem & ipse mortuus fuerit, heredes eius legitimi res traditas recipiant.

VII. Si quis per cartam ingenuitatis à domino suo legitime libertatem est consecutus, liber permaneat. Si vero aliquis eum iniuste inservire tentaverit, & ille cartam ingenuitatis suæ ostenderit, & adversarium se inservire velle comprobaverit, ille qui hoc tentavit, multam quæ in carta descripta est, solvere cogatur. Si vero carta non paruerit, sed etiam ab illo qui eum inservire voluerit diffacta est, weregeldum eius componat, duas partes illi quem inservire voluerit, tertiam Regi; & ille iterum per præceptum Regis libertatem suam conquirat.

VIII. Liber qui se loco wadii in alterius potestatem commiserit, ibique constitutus damnum aliquod cuilibet fecerit, qui eum in locum wadii suscepit, aut damnum solvat, aut hominem in mallo perductum dimittat, perdēs simul debitū, propter quod eum in wadio suscepit, & qui damnum fecit dimissus iuxta qualitatē regi cogatur emendare. Si vero liberam fœminam habuerit, usque dum pignus extiterit, & filios habuerit, liberi permaneant.

IX. Omnia debita quæ ad partem Regis solvi debent, sol. XII. denariorum solvant, excepta freda, quæ in lege Salica conscripta est. Illa eisdem solidis, quibus ceteræ compositiones solvi debent, componatur.

X. Si quis causam iudicatam repetere in mallo præsumpserit, ibique testibus convictus fuerit, aut XV. sol. componat, aut XV. ictus ab iis scabinis, qui causam prius iudicaverunt, accipiat.

XI. Optimus quisque in pago vel civitate in testimonium assumatur, & cui is, contra quem testimoniare debet, nullum crimen possit indicere.

XII. Vt nec colonus, nec fiscalinus, possit alubi foras mixtos traditiones facere.

XIII. Vt nullus præsumat hominē ad iudicium mittere, nisi iudicatum fiat.

XIV. Vt liber homo, qui in monasterio regulariter comam deposuit, & res suas ibid. delegavit, promissionem factam secundū regulam firmiter teneat.

XV. Vt nullus ebrius causam suam possit conquirere in mallo, nec testimonium dicere. Nec placitum Comes habeat, nisi ieiunus.

XVI. Vt nemini liceat alium cogere ad bibendum amplius, nisi quantum sufficiat.

XVII. Vt nullus ad placitū banniatur, nisi qui causam suā quærit, aut si alteri quærere debeat: exceptis scabinis VII. qui ad omnia placita præesse debet.

XVIII. Theloneus aut census non exigatur à quolibet, ubi nec aquam navigio, aut pontem transeundum non est.

XIX. Et

XIX. Et hoc nobis præcipiendum est, ut quicunque in dono regio caballos detulerint, in unumquemque suum nomen habeant scriptum. Similiter & in vestimenta abbatissarum.

XX. Et hoc nobis præcipiendum est, ut ubicunque inveniuntur vicarii aliqui mali consentientes vel facientes, ipsos eiicere & meliores ponere.

XXI. Vt comites vel vicarii eorum legem sciant, ut ante eos quis neminem iudicare possit, nec ipsam legem mutare.

ITEM ALIA CAPITVLA.

DE iustitia Ecclesiarum, vel viduarum, orfanorum, pupillorum, ut in publicis iudiciis non despiciantur clamantes, sed diligenter audiantur.

II. De armis infra patriam non portandis, id est, scutis & lanceis, & loricis. Et si faidosus quis sit, discutiatur tunc quis è duobus contrarius sit & pacatus, ut distringantur ad pacem etiamsi noluerint: & si aliter pacificare nolunt, adducantur in nostram præsentiam. Et si aliquis post pacificationem alterum occiderit, componat illum, & manum quam periuravit, perdat, & insuper bannum dominicum solvat.

III. De iuramento, ut nulli alteri per sacramentum fidelitas promittatur, nisi nobis, & unicuique proprio seniori, ad nostram utilitatem & sui senioris; exceptis his sacramentis, quæ iuste secundum legem alter alteri debet.

IV. De periuriis, ut caveantur, & non admittantur testes, ad iuramentum, antequam discutiantur: & si aliter discuti non possunt, separentur ab invicem, & singulariter inquirantur. Et non soli accusatori liceat testes eligere, absente suo accusato. Et omnino nullus, nisi ieiunus, ad iuramentum, vel ad testimonium admittatur. Si refutatur, dicat ille qui eum refutat, & probet, quare illum recipere nolit. Et de ipso pago, non de altero testes eligantur; nisi forte longius extra comitatum causa sit inquirenda. Et si quis convictus fuerit periurus, manum perdat, aut redimat.

V. De advocatis, id est, ut pravi advocati, vice-domini, vicarii, & centenarii tollantur, & tales eligantur, quales sciant, & velint iuste causas dicere, & terminare. Et si comes pravus inventus fuerit, nobis nuntietur.

VI. De oppressione pauperum liberorum hominum, ut non fiant à potentioribus per aliquid malum ingenium contra iustitiam oppressi: sed diligenter inquiratur eorum causa.

VII. De liberis hominibus, qui uxores fiscalinas regias, similiter fœminis liberis, quæ homines fiscalinos regios accipiunt, ut de hereditate vel de causa quærenda ac testimonio pro hac re non abiiciantur; sed talis etiam nobis in hac causa honor servetur, qualem & ab antecessoribus nostris Regibus vel Imperatoribus servatum esse cognovimus.

ITEM ALIA CAPITVLA.

DE pace, ut omnes qui per aliqua scelera ei rebelles, constringantur.

II. De iustitia domni Imperatoris, ut pleniter sint inquisitæ.

III. De hoc si evenit fames, clades pestilentiæ, inæqualitas aëris, vel alia qualiscunque tribulatio, ut non expectetur edictum nostrum, sed statim de-

precetur Dei misericordia. Et in præsente anno de famis inopia, ut suis unusquisque adiuvet, prout potest: ut suam annonam non nimis care vendat. Et ne foras imperium vendatur aliquid alimoniæ.

IV. De armatura in exercitu, sicut iam antea in alio Capitulari commendavimus, ita servetur. Et insuper omnis homo de XII. mansis bruneam habeat. Qui verò bruneam habens eam secum non tulerit, omne beneficium cum brunea perdat.

V. De negotiatoribus, qui partibus Slavorum & Avarorum pergunt, quo usque procedere cum negotiis debeant; id est, partibus Saxoniæ usque Bardumwich, ubi prævideat Hredi; & Aschzela, ubi Madalgaudus prævideat; & ad Magdaburch prævideat Hatto: & ad Herbisfurt prævideat Madalgaudus: & ad Alezat prævideat item Madalgaudus: & ad Furtham, & ad Brembercg, & ad Raginisburch prævideat Autulphus: & ad Lauriacum Warnarius. Et ut arma & bruneas non ducant ad venumdandum. Quod si inventi fuerint portantes, ut omnis substantia eorum auferatur ab eis: dimidia quidem pars partibus palatii, alia vero medietas inter missos & inventorem dividatur.

VI. De clamatoribus vel causidicis, qui nec iudicium scabinorum adquiescere, nec blasphemare volunt, antiqua consuetudo servetur; id est, ut in custodia recludantur, donec unum de duobus faciant. Et si ad placitum pro hac re postea reclamaverint, & literas detulerint, non quidem eis credatur: nec tamen in carcere ponantur; sed cum custodia, & cum ipsis literis pariter ad placitum nostrum remittantur, ut ibi discutiantur sicut dignum est.

VII. De conspirationibus verò, quicunque facere præsumpserint, & sacramento quamcunque conspirationem firmaverint, ut triplici ratione iudicentur. Primo, ut ubicunque aliquid malum per hoc perpetratum fuit, auctores facti interficiantur: adiutores vero eorum singuli alter ab altero flagellentur, & nares sibi invicem præcidant. Vbi verò nihil perpetratum est, similiter flagellentur, & capillos sibi vicissim detondeant. Si verò per dexteras aliqua conspiratio firmata fuerit, si liberi sunt, aut iurent cum idoneis iuratoribus, hoc pro malo non fecisse: aut si facere non potuerint, eorum legem componant. Si verò servi sint, flagellentur. Et ut de cetero in imperio nostro nulla huiusmodi conspiratio fiat, nec per sacramentum, nec sine sacramento.

VIII. De fugitivis clericis, vel laicis, vel etiam fœminis, sicut iam in alio Capitulari præcepimus, ita servetur.

IX. De liberis hominibus, qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut prius hoc non faciant, quam à nobis postulent. Hoc ideo, quia audivimus aliquos ex illis non tam causa devotionis, quam exercitus, seu alias functiones regales fugiẽdo: quosdam verò cupiditatis causa ab his, qui res eorum concupiscunt, circumventos audivimus; & hoc ideo fieri prohibemus.

X. De oppressione pauperum liberorum hominum, ut nulli fiant à potentioribus per aliquod malum ingenium contra iustitiam oppressi: ita ut coacti res eorum vendant, aut tradant. Ideo hæc & supra, & hic, de liberis hominibus diximus, ne forte parentes contra iustitiam fiant ex hereditate, & regale obsequium minuatur, & ipsi heredes propter indigentiam mendici,

dici, vel latrones, seu malefactores efficiantur. Et ut sepius non seant manniti: nisi sicut in alio Capitulari iussimus, ita servetur.

XI. De falsis monetis, quia in nullis locis contra iustitiam, & contra edictum nostrum fiunt, volumus ut nullo alio loco moneta sit, nisi in palatio nostro: nisi fortè iterum à nobis aliter fuerit ordinatum. Illi tamen denarii, qui modo monetati sunt, si pensantes & meri fuerint, habeantur.

XII. De herebanno volumus, ut missi nostri hoc anno fideliter exactare debeant, absque ullius personæ gratia, blanditiis, seu terrore, secundum iussionem nostram. Id est, ut de homine lib. VI. in auro, in argento, in bruneis, eramento, pannis integris, caballis, bobus, vaccis, vel alio peculio. Et uxores, & infantes non seant dispoliati pro hac re; sed de eorum vestimentis recipiant legitimum heribannum, id est, libras III. Qui verò non habuerunt in suprascripto pretio valente, nisi libras III. sol. XXX. exigatur; id est, lib. & dimidiam. Qui autem non habuerunt amplius nisi lib. II. sol. XX. Si vero unam habuerunt, sol. V. ita ut iterum se valeat præparare ad Dei servitium, & nostram utilitatem. Et nostri missi caveant, & diligenter inquirant, ne per aliquod malum ingenium subtrahant nostram iustitiam, alteri tradendo, aut commendando.

XIII. De latronibus, sicut iam inantea in alio Capitulari commendavimus, ita maneat.

XIV. Census regalis ut de quacunque legitima exibat, volumus ut inde solvatur, sive de propria persona hominis, sive de rebus.

INCIPIUNT CAPITULA QUÆ DOMNUS HLUDOVICUS IMPERATOR ANNO III. ADDERE IUSSIT.

SI quis cum altero de qualibet causa contentionem habuerit, & testes contra eum ad iudicium perducti fuerint, si ille falsos eos esse suspicatur, liceat ei alios testes, quos meliores putaverit, contra eos opponere, ut veracium testimonio falsorum testium perversitas superetur. Quod si ambæ partes testium ita inter se dissenserint, ut nullatenus alteri una pars cedere velit, eligantur duo ex ipsis, id est, ex utraque parte unus, qui scutis & fustibus in campo decertant, utra pars falsitatem, utra veritatem suo testimonio sequatur. Et campioni, qui victus fuerit, propter periurium, quod ante pugnam commisit, dextera manus amputetur: ceteri vero eiusdem partis testes, qui falsi apparuerunt, manus suas redimant. Cuius compositionis duæ partes ei, contra quem testati sunt, dentur; tertia comitis est. Et in seculari quidem causa huiuscemodi testium diversitas campo comprobetur: in Ecclesiasticis autem negotiis, crucis iudicio rei veritas inquiratur. Hoc & de timidis & de imbecillibus sive infirmis, qui pugnare non valent, ne propter hoc iustitia sua careant, censuimus faciendum. Testes vero de qualibet causa non aliunde quærantur, nisi de ipso comitatu, in quo res, unde causa agitur, positæ sunt. Quia non est credibile, ut vel de statu hominis, vel de possessione cuiuslibet, per alios rei veritas melius cognosci valeat, quam per illos, qui viciniores sunt.

II. Si quis in aliena terra vel patria, ubi propter beneficium, vel propter aliam quamlibet occasionem assiduè conversari solet, de qualibet causa fuerit interpellatus: verbi gratia de conquisitu suo, vel de mancipiis suis, ibi secundum suam legem iustitiam faciat. Et cum talibus iuratoribus, quales in eadem regione vel provincia secum habere potuerit, legitimum sacramentum iuret: exceptò si quis eum de statu suo, id est, de libertate sua, vel de hereditate, quam ei pater suus moriens dereliquit, appellaverit. De his duobus liceat illi sacramentum in patria sua, id est, legitimo sui sacramenti loco iurandum offerre. Et is qui cum eo litigatur, si velit sequatur eum in patria sua, ad recipiendum illud sacramentum. Ipse tamen primo eodem loco, id est, ubi interpellatus est, satisfaciat tam comiti & iudicibus, quam adversario suo; testibus probando, quod rem quæ ab eo quæritur, pater suus ei dereliquit.

III. Vt omnis solutio atque compositio, quæ in lege Salica continetur, inter Francos per XII. denariorum solutionem componatur; excepto ubi contentio contra Saxones & Frisones exorta fuerit, ibi volumus ut XL. denariorum solutio quantitatem habeat: quam vel Saxo, vel Friso, ad partem Salici Franci cum eo litigantis, solvere debet.

IV. Vt de statu suo, id est, de libertate vel hereditate compellandus, iuxta legis constitutionem manumittatur. De ceteris verò causis, unde quis rationem est redditurus, si post secundam comitis admonitionem aliquis ad mallum venire noluerit, rebus eius in bannum missis venire, & iustitiam facere compellatur.

V. Cuiuscunque hominis proprietas, ob crimen aliquod ab eo commissum, in bannum fuerit missa, & ille re cognita ne iustitiam faciat, venire distulerit, annumq; ac diem in eo banno esse permiserit, ulterius eam non adquirat, sed ipsa fisco Regis societur. Debitum verò, quod his cuius ea sunt solvere debuit, per comitem ac ministros eius iuxta æstimationem damni de rebus mobilibus, quæ in eadem proprietate inventæ fuerũt, his quibus idem debitor fuit, exsolvatur. Quod si rerum mobilium ibidem inventarum quantitas ad compositionem non suffecerit, de immobilibus suppleatur; & quod superfuerit, sicut dictum est, fiscus regius possideat. Si nihil super compositionem remanere potuerit, totum in illam expendatur. Si autem homo ille nondum cum suis coheredibus proprium suum divisum habuit, convocet eos comes, & legitimam divisionem faciat; & tunc, sicut iam dictum est, partem eius fisco Regis addicat, & compositionem de ea iuxta modum superius comprehensum, his ad quos illa legibus pertinet, exsolvat.

VI. De mannitionibus verò, nisi de ingenuitate, aut de hereditate, non sit opus observandum: de ceteris verò per districtionem comitis ad mallum veniant, & iuste examinentur, ad iustitias faciendum. Comites verò non semper pauperes per placita premere debent.

EXPLICIT.

LEX
ALAMANNORVM.

CAPITVLA
LEGIS ALAMANNORVM.

LXIII. *De*

LXIII. *De labiis maculatis.*
LXIV. *De lingua abscisa, & de vulneribus in facie factis.*
LXV. *De eo qui alium contra legem tunderit, & de diversis vulneribus.*
LXVI. *De eo qui alteri viam contradixerit.*
LXVII. *De eo qui alterum de caballo iactaverit.*
LXVIII. *De libero qui liberum occiderit.*
LXIX. *De eo qui alterius amissarium furaverit.*
LXX. *De eo qui alterius caballum involaverit.*
LXXI. *De eo qui equum plagaverit, dum hominem plagare voluerit.*
LXXII. *De eo qui in troppo de iumentis ductricem involaverit.*
LXXIII. *De eo qui prægnum iumentum ferierit, & abortivum fecerit.*
LXXIV. *Qualiter iumenta, quæ messem læserint, includantur.*
LXXV. *De eo qui taurum gregem regentem involaverit aut occiderit.*
LXXVI. *De eo cui mortaudus imputatur.*
LXXVII. *De eo qui gravidæ mulieri natum interfecerit.*
LXXVIII. *De pretio bovis.*
LXXIX. *De eo qui pastores vel artifices occiderit.*
LXXX. *De eo qui cum ancilla vestiaria & geneciaria concubuerit.*
LXXXI. *De eo qui incendium super alium in nocte miserit.*
LXXXII. *De canibus seusiis, vel aliis furatis aut occisis.*
LXXXIII. *De eo qui aliquam clausuram in aqua fecerit, & ibi aliquid anegaverit.*
LXXXIV. *De his qui de terra sua inter se contendunt.*
LXXXV. *De eo qui servum alterius fugientem acceperit, & sequenti domino contradixerit.*
LXXXVI. *De eo qui servum in pignus susceperit, & si sub se servus aliquod damnum fecerit.*
LXXXVII. *De eo qui alteri res suas apud se inventas contradixerit.*
LXXXVIII. *Vt fratres post mortem patris eorum hereditatem non dissipent, antequam dividant eam.*
LXXXIX. *De eo qui hominem occiderit, & negaverit.*
XC. *De coxa vel brachio abscisis.*
XCI. *De eo qui mulieri prægnanti abortium fecerit.*
XCII. *De hereditate quam mulier post partum statim mortua dereliquit.*
XCIII. *De eo qui in pugna parem suum dereliquit, & fugit.*
XCIV. *De eo qui post finitam & emendatam causam maliare præsumpserit.*
XCV. *De eo qui ingenuam fœminam colpo percusserit.*

EXPLICIVNT CAPITVLA.

INCIP.

INCIPIT
LEX ALAMANNORVM,
QVÆ TEMPORIBVS CHLOTARII REGIS VNA CVM PRINCIPIBVS SVIS, ID SVNT, XXXIII. EPISCOPIS, ET XXXIIII. DVCIBVS, ET LXXII. COMITIBVS, VEL CETERO POPVLO CONSTITVTA EST.

CAPVT I. DE LIBERIS QVI SEMETIPSOS VEL RES SVAS AD ECCLESIAM DEI TRADERE VOLVNT.

SI quis liber res ſuas vel ſemetipſum ad Eccleſiam Dei tradere voluerit, nullus habeat licentiam contradicendi, non dux, non comes, nec ulla perſona: ſed ſpontanea voluntate liceat Chriſtiano homini Deo ſervire, & de propriis rebus ſuis ſemetipſum redimere. Et qui hoc voluerit facere, per chartam de rebus ſuis ad Eccleſiam, ubi dare voluerit, firmitatem faciat, & teſtes ſex vel ſeptem adhibeat, & nomina eorum ipſa charta contineat, & coram ſacerdote, qui ad eandem Eccleſiam deſervit, ſuper altare ponat: & proprietas de ipſis rebus ad ipſam Eccleſiam in perpetuum permaneat.

II. Et ſi aliqua perſona, aut ipſe qui dedit, vel aliquis de heredibus eius, poſtea ipſas res de illa Eccleſia abſtrahere voluerit, vel aliquis homo qualiſcunque perſona hoc præſumpſerit facere, & effectum quem inchoavit non obtineat, & Dei iudicium incurrat,* & excommunicationem ſanctæ Eccleſiæ: & mulctam illam quam charta continet perſolvat, & res illas ex integro reddat, & fredum in publico ſolvat, ſicut lex habet.

II. DE LIBERIS QVI RES SVAS AD ECCLESIAM DEI TRADVNT, ET IN BENEFICIVM SVB VSVFRVCTVARIO ACCIPIVNT.

SI quis liber res ſuas ad Eccleſiam Dei dederit, & per chartam firmitatem fecerit, ſicut ſuperius dictum eſt, & poſt hæc à paſtore Eccleſiæ per beneficium ſuſceperit ad victualem neceſſitatem conquirendam diebus vitæ ſuæ, & quod ſpondit, perſolvat ad Eccleſiam cenſum de illa terra, & hoc per epiſtolam firmitatis fiat, ut poſt eius diſceſſum ullus de heredibus non contradicat. Et ſi contigerit ut poſt mortem eius qui dedit illas res, filium

relinquat, & forsitan ipse filius vult dicere, quod hereditas paterna sit sibi legitima ad possidendum, & pater eius non dedisset, nec firmitatem fecisset, non liceat ei iurare: sed ipsa charta quam pater eius fecit præsens veniat, & illi testes qui manus suas in chartam miserunt una cum presbytero Ecclesiæ, sicut lex habet, ita testificentur, quod ipsi ad præsens fuissent, & oculis suis vidissent, & auribus audissent, quod pater eius illas res ad Ecclesiam dedisset, & chartam fecisset, & illos ad testes advocasset: hoc per sacramentum dicant, quod nos veri testes sumus. Post hæc pastor Ecclesiæ res suas possideat, & ille præsumptor qui contradixerit, illam mulctam quam charta continet, ad Ecclesiam persolvat.

II. Si autem illa charta aut arserit, aut perdita fuerit, quam ille homo fecit, tunc liceat illi heredi cum testibus nominatis quinque, ipse sit sextus, in ipsa Ecclesia iurare, quod pater eius nec chartam fecisset, nec ad illa loca sancta dedisset: & si hoc præsumpserit facere, illas res possideat.

III. DE LIBERIS VEL SERVIS QVI AD ECCLESIAM DEI CONFVGIVNT.

SI quis homo aliquem persequens fugitivum aut liberum, aut servum, & ipse intra ianuas Ecclesiæ confugerit, nullus habeat potestatem per vim abstrahendi de Ecclesia, nec eum infra ianuas Ecclesiæ occidendi; sed ex timore Dei honorem Ecclesiæ impendat, & sacerdotem interpellet pro servo suo. Roget sibi eum reddere, & donet legitimum wadium, ut illam culpam illi servo concessam habeat. Tunc ille presbyter reddat in pace servum domino suo.

II. Si autem presbyter neglexerit reddere, aut contradixerit illum servum, apud se illum contineat, & curam de illo habeat, ut exinde fugitivus non evadat. Et si evaserit ille, presbyter sine ulla dilatione perquirat, & domino restituat: & si ipsum invenire non potuerit, similem ipsius aut pretium pro eo solvat.

III. Si autem vi abstraxerit, & iniuriam Ecclesiæ fecerit, componat, XVIII. sol. ad Ecclesiam, & fredum solvat in fiscum LX. sol. quia contra legem fecit, & Ecclesiis honorem non impendit, & Dei reverentiam non habuit: & ut alii cognoscant, quod sit timor Dei in Christianis, & honorem Ecclesiis impendant.

IV. DE LIBERIS QVI INFRA IANVAS ECCLESIÆ INTERFECTI FVERINT.

SI quis liber liberum infra ianuas Ecclesiæ occiderit, cognoscat se contra Deum iniuste fecisse, & Ecclesiam Dei polluisse: ad ipsam Ecclesiam quam polluit LX. sol. componat. Ad fiscum verò similiter alios LX. sol. pro fredo solvat: parentibus autem legitimum weregildum solvat.

V. DE

V. DE RAPTORIBVS QVI DE ECCLESIIS ALIQVID VI ABSTRAXERINT.

SI quis res suas ad Ecclesiam commendatas habuerit, & aliquis eas exinde rapuerit, si per furtum hoc fecerit, ipsas res in capitale restituat, & sicut ipsæ res valuerint, hoc novempliciter componat. Ista omnia ei, cuius res sunt, componi debent: Ecclesiæ verò quam inhonorificavit, xxxvi. sol. componat.

II. Si verò per virtutem hoc raptor de Ecclesia abstulerit, dupliciter domino componat, & xii. solid. Ecclesiæ verò, sicut superius commemoratum est, xxxvi. sol. componat.

III. Si servus hoc fecerit, & iussio domini eius fuit, sicut dictum est, ita omnia observari debent.

IV. Si servus per se hoc fecerit ex furto, similiter quomodo dictum est, adimplere debet.

V. Nam si per virtutem servus hoc fecerit, non sicut de libero compositio exigatur, sed virtus servilis componi debet, ut ipsum quod abstulit reddatur simpliciter: ita tamen si statim quomodo inventum fuerit, contradictio domini sui non fuerit. Nam si aliquam moram fecerit, propter contradictionem domini sui, xii. sol. addantur.

VI. Si dominus ex hac re immunis fuerit, ut iussio eius non esset, ei iiii. sol. in fredo exigantur. Nam si iussio eius fuit, sicut supradictum est, ita componatur.

VI. DE IVRATORIBVS QVALES VEL QVANTOS SECVNDVM EVVA HOMO HABERE DEBET.

DE minoribus causis usque ad solidum valentem, licet unicuique qualem sacramentalem unum secum habere vult, in suo sacramento continere.

II. Nam si duas saigas valentem supra solidum res valuerint, de qua causa orta fuerit, tunc debet homo qui causam requirit tres electos denominare, & ex denominatis tribus licentiam habet excusator reiicere duos, tertium vero non licet reiicere: sed ipsum secum in sacramento habere debet.

III. Saiga autem est quarta pars tremissis, hoc est, denarius unus: duæ saigæ, duo denarii dicuntur. Tremissus est tertia pars solidi, & sunt denarii quatuor.

IV. Ita observandum est usque ad tres solidos.

V. Iterum, & supra iii. solid. duas saigas valentes, si aliquis interpellatus fuerit, tunc qui causam prosecutus fuerit, electionem faciat de coniuratoribus, unde excusator quales duos reiicere voluerit, potestatem habeat, & cum duobus iuratoribus iste ordo servandus est, usque ad vi. solidos.

VI. Nam si duæ saigæ supra sunt, tunc cum quinque sua manu sexta iurare debet, similiter cum electis, sicut supra dictum est: & duos in omnibus istis ordinibus reiicere licet.

VII. Ista sacramenta debent esse iurata, ut illi coniuratores manus suas super capsam ponant, & ille solus cui causa requiritur verba tantum dicat, & super omnium manus manum suam ponat, ut sic illi Deus adiuvet, vel illæ reliquiæ ad illas manus, quas comprehensas habet, ut de illa causa unde interpellatus est, culpabilis non sit.

VII. DE LIBERTIS QVI DE ECCLESIA ALIQVID FVRAVERINT.

SI quis res Ecclesiæ furaverit, & convictus fuerit, ut solvat unicuique rei quam furaverit, tres novigildos solvat: aut servum, aut ancillam, aut bovem, aut caballum, aut qualecunque animal, vel ceteras res quæ ad Ecclesiam Dei pertinent. Si post furtum inventus fuerit, ita solvat ut superius scriptum est.

II. Si autem negare voluerit, secundum qualitatem pecuniæ, ita iuret cum suis sacramentalibus in ipso altari, cui res furtivas abstulit, coram sacerdote vel ministro eius, quem pastor Ecclesiæ iusserit audire sacramentum.

VIII. DE LIBERIS QVI SERVVM ECCLESIÆ OCCIDERINT.

SI quis servum Ecclesiæ occiderit, in triplum componat; sicut solet servus Regis, ita solvatur, id est LXII. sol. Et si eum rapuerit contra legem, & vendiderit extra provinciam, tripliciter eum componat. Et si eum furaverit aliquis, in capite semper consimilem restituat. Si ipsum invenire non potuerit, alius autem medietatem in auro valente, medietatem qualem pecuniam habet, solvat.

IX. DE COLONIS ECCLESIÆ OCCISIS.

QVicunque liberum Ecclesiæ, quem colonum vocant, occiderit, sicut alii Alamanni ita componatur.

X. DE EO, QVI IN CVRTEM EPISCOPI ARMATVS INGREDITVR.

SI quis in curtem Episcopi armatus contra legem intraverit, quod Alamanni haisterahandi dicunt, XVIII. sol. si infra domum intraverit, XXXVI. sol. componat.

XI. DE EO, QVI IN PRESBYTERI CVRTEM ARMATVS INGREDITVR.

SI quis autem in presbyteri curtem, qui in parochia positus est ab Episcopo, contra legem armatus intraverit, sicut superius diximus, sicut solet

aliis

aliis liberis Alamannis componere, ita presbytero tripliciter componat; hoc est, sol. XVIII. & si in casam, XXXVI.

XII. DE HIS QVI EPISCOPO ALIQVAM INIVRIAM FECERINT.

SI quis Episcopo aliquam iniuriam fecerit, vel plagaverit, vel fustaverit, vel mancaverit, omnia tripliciter componantur, sicut ceteri parentes eius compositionem habebunt: ac si melius dicamus, sicut & ducem, ita in omnibus eum componat.

II. Et si occisus fuerit, sicut & illum ducem ita eum solvat, aut Regi, aut duci, aut ad Ecclesiam, ubi pastor fuit.

XIII. DE HIS QVI PRESBYTERO PAROCHIANO INIVRIAM INTVLERINT.

SI quis presbyterum parochianum iniuriaverit, aut fustaverit, aut mancaverit, vel qualemcunque ei iniuriam intulerit, in triplum componatur.

II. Et si eum ceciderit, DC. sol. eum solvat, aut ad Ecclesiam ubi servivit, aut ad Episcopum de cuius parochia fuit.

XIV. DE HIS QVI DIACONO ALIQVAM INIVRIAM FECERINT.

SI quis diacono qui Evangelium coram Episcopo legit, & revestitus ante altare officio fungitur, aliquam iniuriam fecerit, vel eum fustaverit, vel plagaverit, vel mancaverit, dupliciter eum componat. Et si eum occiderit, CCCC. sol. solvat.

XV. DE HIS QVI MONACHO ALIQVAM INIVRIAM INTVLERINT.

MOnachus autem qui sub regula in monasterio conversatus fuerit, & ab aliquo aliquas iniurias, sicut superius diximus, passus fuerit, ita ut diaconus, similiter componatur.

XVI. DE HIS QVI CLERICO ALIQVAM INIVRIAM INTVLERINT.

CLerici autem sicut ceteri parentes eorum, ita componantur.

II. Si autem clericus qui in gradu in Ecclesia publice lectionem recitat, vel gradale, vel alleluia coram Episcopo in publico cantaverit, aliquam iniuriam passus fuerit, sicut superius diximus, componatur, quomodo parentes eius componuntur, & tertia pars super hæc addatur in compositione.

XVII. DE LIBERIS QVI AD ECCLESIAM DIMISSI SVNT, SI OCCIDANTVR.

LIberi qui ad Ecclesiam dimissi sunt liberi, vel per chartam libertatem acceperunt, si occidantur, LXXX. sol. solvantur Ecclesiæ, vel filiis eius.

XVIII. DE ANCILLA LIBERA DIMISSA, SI POSTEA SERVO SE CONIVNXERIT, ET DE ALAMANNA QVÆ SERVO NVPSERIT.

SI ancilla libera dimissa fuerit per chartam, aut in Ecclesia, & post hæc servo nupserit, Ecclesiæ ancilla permaneat.

II. Si autem libera Alamanna servo Ecclesiæ nupserit, & servile opus ancilla contradixerit, abscedat.

III. Si autem ibi filios vel filias generaverit, ipsi servi & ancillæ permaneant, potestatem exeundi non habeant.

IV. Illa autem mater eorum, quando exire voluerit, ante tres annos liberam potestatem habeat.

V. Si autem tres annos induraverit opus ancillæ, & parentes eius non exadoniaverint eam, ut libera fuisset, nec ante ducem, nec ante Comitem, nec in publico mallo, transactis tribus Kal. Martiis, post hæc ancilla permaneat in perpetuum, & qui ex ea nati fuerunt, servi & ancillæ sint.

XIX. VT NVLLVS LAICVS REM ECCLESIÆ ABSQVE CHARTA PRÆSVMAT POSSIDERE.

REs Ecclesiæ de laicis absque charta nullus præsumat possidere: & si chartam non ostenderit, quod comparasset à pastore Ecclesiæ, possessio semper ad Ecclesiam pertineat.

XX. VT PRESBYTER RES VEL MANCIPIA ECCLESIÆ POTESTATEM VENDENDI NON HABEAT.

NVllus presbyter, nec aliquis pastor Ecclesiæ potestatem habeat vendendi Ecclesiasticam terram, nisi contra aliam terram: nec mancipium, nisi contra aliud mancipium receperit. Et si concambium fecerit, aut de mancipio, aut de terra, semper epistolam firmitatis faciat, ut contentio non fiat, nec Ecclesia perdat, quod legitime possidere debeat.

XXI. DE HIS QVI ECCLESIÆ SERVVM VEL ANCILLAM SVSCEPERINT FVGITIVOS.

SI quis mancipium Ecclesiæ, aut servum aut ancillam, fugitivum susceperit, & post requisitionem, aut ipse presbyter requirat, aut missus eius legitimus

timus: & ille neglexerit reddere, & contra legem antestiterit, sicut solet aliis Alamannis componere, ita & tripliciter componat. Et quidquid Ecclesiæ contra legem fecerit, omnia tripliciter componat, sicut lex habet.

XXII. QVALITER SERVI ECCLESIÆ TRIBVTA SOLVERE DEBEANT.

SErvi Ecclesiæ tributa sua legitime reddant, xv. siclas de cervisa, porcum valentem tremisse uno; panem, modia duo: pullos v. ova xx. ancillæ autem opera imposita sine neglecto faciant. Servi dimidium sibi, & dimidium in dominico arativum reddant. Et si super hæc est, sicut servi Ecclesiastici ita faciant, tres dies sibi, & tres in dominico.

XXIII. DE COLONIS ECCLESIASTICIS, SI AD EPISCOPVM AVT AD IVDICEM SVVM VENIRE DISPEXERINT.

LIberi autem Ecclesiastici, quos colonos vocant, omnes sicut & coloni Regis, ita reddant ad Ecclesiam.

II. Si quis legitime tributum antestiterit per iussionem iudicis sui, vi. sol. sit culpabilis.

III. Et opera quæque imposita ei fuerint secundum mandatum, aut quomodo lex habet, si non adimpleverit, vi. sol. sit culp.

IV. Et si sigillum aut signum qualecunque index per iussionem domini sui transmiserit, & eum venire iusserit, aut ambulare in aliquam utilitatem, & ille neglexerit, vi. sol. sit culpabilis.

V. Si autem sigillum Episcopi neglexerit, aut ad veniendum, aut ad ambulandum, ubi iusserit, xii. sol. sit culpabilis.

XXIV. DE EO QVI IN MORTEM DVCIS CONSILIATVS FVERIT.

SI aliquis homo in mortem Ducis consiliatus fuerit, & inde convictus fuerit, aut vitam perdat, aut se redimat, sicut dux aut principes populi iudicaverint. Et si iurare voluerit, cum xii. nominatis iuret in Ecclesia coram duce, aut quem ille miserit.

XXV. DE HOMINE QVI GENTEM EXTRANEAM INFRA PROVINCIAM INVITAVERIT.

SI homo aliquis gentem extraneam infra provinciam invitaverit, ubi prædam vastet hostiliter, vel domos incendat, & de hoc convictus fuerit; aut vitam perdat, aut in exilium eat, ubi dux miserit, & res eius infiscentur in publico.

XXVI. DE HIS QVI IN EXERCITV LITEM COMMISERINT.

SI quis in exercitu litem commiserit, ita ut cum clamore populus concurrat cum armis, & ibi pugna orta fuerit inter proprium exercitum, & aliqui ibi occisi fuerint, ipse homo qui hæc commisit, aut vitam perdat, aut in exilium eat, & res eius infiscentur in publico: & illi alii, qui ibi aliquid commiserint, aut fecerint, omnia sicut lex habet, tripliciter solvant.

XXVII. DE HIS QVI IN EXERCITV ALIQVOD FVRTVM FECERINT.

SI quis in exercitu, ubi Rex ordinaverit exercitum, aliquod furtum fecerit, novem vicibus novigeldos solvat, quidquid involatum fuerit. Si autem dux ordinaverit exercitum, & in illo fisco aliquid furaverit, tres novigeldos solvat: & si iurare voluerit, secundum qualitatem pecuniæ iuret.

XXVIII. DE EO QVI SIGILLVM AVT MANDATVM DVCIS NEGLEXERIT.

SI quis sigillum ducis neglexerit, aut mandatum, vel signum qualecunquê mandaverit, XII. sol. sit culpabilis. Et si negare voluerit, quod ad illum nuntius non pervenisset, cum V. nominatis iuret, si eum sacramentum dominus præbere voluerit.

II. Si autem sigillum Comitis neglexerit vel mandatum, cum VI. solid. componat.

III. Si autem centurionis sigillum aut mandatum neglexerit, III. solid. sit culpabilis.

IV. Aut si negare voluerit, quod ad illum nuntius non pervenisset, secundum quod debuit solvere, ita iuret.

XXIX. DE EO, QVI IN CVRTE DVCIS HOMINEM OCCIDERIT.

SI quis in curte Ducis hominem occiderit, aut illic ambulantem, aut inde revertentem, triplici weregildo eum solvat, propter hoc quod præceptum ducis transgressus est; ut unusquisque homo pacem habeat ad dominum suum veniendo, & de illo revertendo. Et nullus præsumat hominem de duce venientem, aut ad illum ambulantem in itinere inquietare, quamvis culpabilis sit. Et si præsumpserit, quidquid ei fecerit, aut occiderit, aut ille vivens evaserit, aut plagatus fuerit, semper tripliciter componat.

II. Et si ad Comitem perrexerit, & ibi vel occisus, vel plagatus fuerit, ille qui hoc fecit, omnia tripliciter componat.

XXX. DE EO, QVI MISSVM DVCIS INFRA PROVINCIAM OCCIDERIT.

SI quis missum ducis infra provinciam occiderit, tripliciter eum solvat,

sicut

ficut lex habet. Si negare voluerit quod non feciffet, ficut lex habet, ita iuret cum XII. nominatis, & aliis XII. electis.

XXXI. DE EO QVI IN CVRTE REGIS FVRTVM COMMISERIT.

SI quis in curte Regis alicui furtum fecerit, dupliciter componat, cui furtum fecerit, & LX. sol. pro fredo in publico folvat.

II. Si fervus alienus hoc in curte ducis fecerit, dominus eius aut redimat eum quantum valet, aut ipfum reddat.

XXXII. DE EO QVI RES DVCIS FVRAVERIT.

SI quis de rebus, quæ ad ducem pertinent, aliquid furatus fuerit, ter novigeldos componat: & ibi fredum non reddat, quia res dominicæ funt, & tripliciter componuntur.

XXXIII. DE FOEMINIS QVÆ IN MINISTERIO DVCIS SVNT.

SI fœminis, quæ in minifterio ducis funt, aliquid contra legem factum fuerit, qui hoc fecerit, omnia tripliciter eis componat, quod aliis Alamannorum fœminis fimpliciter componere debeat.

XXXIV. DE EO QVI PRÆSVMPSERIT INFRA PROVINCIAM RES DVCIS HOSTILITER INVADERE.

SI quis præfumpferit infra provinciam hoftiliter res ducis invadere, & ipfas talare, & poft hæc convictus fuerit: quidquid ibi toltum fuerit, mancipia, pecuniam, omnia tripliciter reftituat, & infuper weregeldum fuum duci componat, quia contra legem fecit. Et quanti liberi fint illum fecuti, & ibi raptores fuerint, & inde convicti fuerint, unufquifque LX. fol. duci componat, & quidquid ibidem tulit, femper tripliciter reftituat.

XXXV. DE FILIO DVCIS QVI CONTRA PATREM SVVM SVRREXERIT.

SI quis dux habet filium contumacem & malum, qui rebellare conetur contra ipfum patrem fuum per ftultitiam fuam, vel per confilium malorum hominum, qui volunt diffipare provinciam, & hoftiliter furrexerit contra ipfum patrem fuum, dum adhuc pater eius potens eft, & utilitatem Regis poteft facere; id eft, exercitum gubernare, equum afcendere, utilitatem Regis implere, & filius eius vult eum dif honorare, aut per raptum regnum eius poffidere, non obtineat quod inchoavit. Et fi pater eius eum provicerit, & apprehendere potuerit, in fua fit poteftate, aut exiliet eum de provincia, aut ubicunque tranfmittat eum, aut Regi domino fuo; & de hereditate paterna amplius ad eum nihil pertineat, quia inlicitam rem contra patrem fuum fecit.

II. Et si fratres habuerit, ipsi fratres inter se per voluntatem Regis dividant hereditatem patris eorum. Illi autem qui rebellavit contra patrem suum, non dent portionem inter ipsos.

III. Et si amplius non fuerit, nisi ille unus qui rebellavit, tunc illa hereditas, quam ille dux habuit, post mortem eius in potestate Regis sit, vel cui vult donet, aut illi filio ducis qui rebellavit, si potuerit per servitium hoc ad pedes Regis conquirere, aut si alii vult dare, in sua sit potestate.

XXXVI. DE CONVENTU UT SECUNDUM ANTIQUAM CONSUETUDINEM FIAT.

Conventus autem secundum antiquam consuetudinem fiat in omni centena coram Comite, aut suo misso, & coram centenario.

II. Ipsum placitum fiat de sabbato in sabbatum, aut quali die Comes aut centenarius voluerit, à septem in septem noctes, quando pax parva est in provincia: quando autem melior est, post XIIII. noctes fiat conventus in omni centena, sicut superius diximus.

III. Et si quis alium mallare vult de qualicunque causa, in ipso mallo publico debet mallare ante iudicem suum, ut ille iudex eum distringat secundum legem, & cum iustitia respondeat vicino suo, aut qualiscunque persona eum mallare voluerit. In uno enim placito mallet causam suam; in secundo, si vult iurare, iuret secundum constitutam legem. Et in primo mallo spondeat sacramentales, & fideiussores præbeat, sicut lex habet, & wadium suum donet misso Comitis, vel illi centenario qui præest, ut in constituto die aut legitime iuret, aut si culpabilis est componat, ut per neglectum non evadat: & si evaserit, LX. sol. de fredo sit semper cupabilis. Ille autem distringat, ut neglectum non fiat, nec pauperes patiantur iniuriam, nec sint sine lege, nec maledicant ducem, nec populum terræ, sed in omnibus sit disciplina: ut qui rebelles sunt, de malis se abstineant; & qui boni sunt, pacem possideant.

IV. Si quis autem liber ad ipsum placitum neglexerit venire, vel semetipsum non præsentaverit, aut Comiti, aut centenario, aut misso Comitis in placito, XII. solid. sit culpabilis.

V. Qualiscunque persona sit, aut vassus ducis, aut Comitis, aut qualiscunque persona, nemo negligat ad ipsum placitum venire, ut in ipso placito pauperes conclament causas suas. Et quod in uno placito finiri non potuerit, in alio finiatur, ut sine ira Dei sit defensa patria: & illi rebelles, qui usque modo raptum fecerint, amplius potestatem faciendi non habeant.

VI. Et si est talis persona, quam Comes in placito, vel centenarius, vel missus Comitis distringere non potest, tunc eum dux legitime distringat, plusque quærat Deo placere quam homini, ut nullum neglectum in animam ducis Deus requirat.

XXXVII. DE

XXXVII. DE MANCIPIIS, NE FORIS PROVINCIAM VENDANTVR.

MAncipia foris provinciam nemo vendat, nec in paganos, nec in Christianos, nisi iussio ducis fuerit.

II. Infra provinciam ubi necessitas est, unusquisque de mancipio suo potestatem habeat secundum legem iudicandi.

III. Foris terminum autem captivum faciendi potestatem non habeat.

IV. Si autem fecerit, & inde convictus fuerit, post conventum nostrum quod complacuit cunctis Alamannis, & aliquis hoc præceptum transgredi voluerit, illud pretium quod tulit de proprio suo mancipio perdat, & insuper fredum quem lex habet, componat.

XXXVIII. DE EO QVI DIE DOMINICO OPERA SERVILIA FECERIT.

DIe dominico nemo opera servilia præsumat facere, quia hoc lex prohibuit, & sacra scriptura in omnibus contradicit.

II. Si quis servus in hoc vitio inventus fuerit, vapuletur fustibus: liber autem corripiatur usque ad tertiam vicem.

III. Si autem post tertiam correptionem in hoc vitio inventus fuerit, & Deo vacare die dominico neglexerit, & opera servilia fecerit, tunc tertiam partem de hereditate sua perdat.

IV. Si autem super hæc inventus fuerit, ut diei dominico honorem non impendat, & opera servilia fecerit, tunc coactus & convictus coram Comite, ubi tunc dux ordinaverit, in servitium tradatur: & quia noluit Deo vacare, in sempiternum servus permaneat.

XXXIX. DE INLICITIS NVPTIIS.

NVptias prohibemus incestas. Itaque uxorem habere non liceat socrum, nurum, privignam, novercam, filiam fratris, filiam sororis, fratris uxorem, uxoris sororem. Filii fratrum, filii sororum inter se nulla præsumptione iungantur. Si quis contra hæc fecerit, à loci iudicibus separetur, & omnes facultates amittat, quas fiscus adquirat.

II. Si minores personæ sunt, quæ se inlicita coniunctione polluerunt, careant libertate, & i. servis fiscalibus adgregandæ sunt.

XL. DE PATRICIDIIS ET FRATRICIDIIS.

SI quis homo volens occidere patrem suum, aut patruum suum, aut fratrem suum, aut avunculum suum, aut filium fratris sui, aut filium avunculi sui, aut filium patrui sui, aut matrem suam, aut sororem suam, cognoscat se contra Deum egisse, & secundum iussionem Dei fraternitatem non custodisse, & in Deum graviter deliquisse; & coram omnibus parentibus eius res ipsius infiscentur, & nihil ad heredes eius pertineat amplius: pœnitentiam autem secundum Canones agat.

XLI. VT NVLLVS CAVSAM AVDIRE PRÆSVMAT, NISI QVI A DVCE CONSTITVTVS EST.

NVllus causas audire præsumat, nisi qui à Duce per conventionem populi iudex constitutus est, ut causas iudicet, qui nec mentiosus, nec periurator, nec munerum acceptor sit: sed causas secundum legem veraciter iudicet sine acceptione personarum, & timens Deum sit. Et si iuste iudicaverit, credat se apud Deum mercedem recipere, & laudem apud homines bonam possidere.

II. Si autem per cupiditatem, aut per invidiam alicuius, aut per timorem contra legem iudicaverit, cognoscat se deliquisse, & XII. sol. sit culpabilis, cui iniuste iudicavit: & quod per illum damnum passus est iniuste, ille iudex restituat ei.

III. Si autem ille qui iudicium audire debet, illius qui ad iudicandum constitutus est, iudicium contemnat, dum ille iuste iudicaverit, & dedignetur eum audire, & spernit eum, & arguit coram aliis, & dicit, *non recte iudicas*, dum ille recte iudicat. Et si hoc ab aliis iudicibus inquisitum fuerit, quod ille iuste iudicavit, ille contemptor qui iudici iniuriam fecit, solvat XII. sol. iudici illi, & post hæc non contemnat audire iustum iudicium, quia sic convenit Duci, & omni populo in publico concilio.

XLII. DE EO QVI SÆPE INTERPELLATVS EST ANTE IVDICEM DE QVALICVNQVE EVIDENTI CAVSA, ET CONVICTVS FVERIT, NE AD IVRAMENTVM PERMITTATVR.

SI quis interpellatus ante iudicem de qualicunque causa, quod iam manifestum est tribus vel quatuor testibus, aut de homicidio, aut de furto, aut de aliquo neglectu, quod illi testantur qui boni testimonii sunt in plebe, non periuratores, non fallaces, nec pecuniarum acceptores, sed veritatem volūt dicere, cognoscat hoc iudex, quod tunc licentiam ille homo qui mallatur ante eum, de causa illa potestatem iurandi non habeat, sed sicut lex habet, in hoc iudicio persolvat: ut propter suam nequitiam alii qui volunt Dei esse, non se periurent, nec propter culpam alienam semetipsos perdant.

II. Testis enim qui iam convictus fuit, quòd mendacium semel, aut bis, aut ter testificatus sit, amplius ad testimonium non recipiatur.

XLIII. VT SCRIPTVRA NON VALEAT IN QVA ANNVS ET DIES NON OSTENDITVR.

SCriptura non valeat, nisi in qua annus & dies evidenter ostenditur.

XLIV. DE

XLIV. DE LIBERO QVI ALTERI LIBERO CRIMEN MORTALE IMPOSVERIT.

SI quis liber libero aliquod mortale crimen imposuerit, & ad Regem aut ad ducem eum accusaverit, & inde probata res non est, nisi quod ipse dicit, liceat illi alii cui crimen imposuit, cum tracta spatha se idoneare contra illum alium.

II. De minoribus autem culpis, sicut duci placet, ita fiat inter eos.

XLV. DE RIXIS, QVÆ SÆPE FIERI SOLENT IN POPVLO.

SI qua rixa orta fuerit inter duos homines aut in platea, aut in campo, & unus alium occiderit, & postea fugit ille qui occidit, & illi pares sequuntur eum usque in domum suam cum armis, & infra domum percussorem occiderint, cum uno weregeldo solvant eum.

II. Si autem in campo ubi prius pugna orta fuerit, ibi restant super mortuum suum, & non sunt secuti in domum, & postea mittunt in vicinio, & congregant pares, & pausant arma sua iosum, & postea hostiliter sequuntur eum in domum; & si eum tunc occiderint, novem weregildis componant.

XLVI. DE LIBERO, QVI LIBERVM EXTRA TERMINOS VENDIDERIT.

SI quis liber liberum extra terminos vendiderit, revocet eum infra provinciam, & restituat eum libertati, & LX. sol. componat.

II. Si autem revocare eum non poterit, cum weregeldo eum parentibus solvat, id est, bis LXXX. sol. si heredem dereliquit. Si autem heredem non reliquit, cum CC. sol. componat.

XLVII. DE EO QVI FOEMINAM INGENVAM EXTRA MARCHAM VENDIDERIT.

SI quis fœminam liberam extra marcham vendiderit, revocet eam ad pristinam libertatem, & LXXX. sol. componat

II. Si autem revocare non potest, cum CCCC. sol. componat.

XLVIII. DE EO QVI LIBERVM HOMINEM VEL FOEMINAM LIBERAM INFRA PROVINCIAM VENDIDERIT.

SI quis liber liberum infra provinciam vendiderit, revocet eum in pristinam libertatem, & cum XII. sol. componat.

II. Si autem fœminam liberam infra provinciam vendiderit, revocet eam ad pristinam libertatem, & cum XXIIII. sol. componat.

XLIX. DE EO QVI HOMINEM OCCIDERIT, ET EVM MORTAVDVM FECERIT.

SI quis hominem occiderit, quod Alamanni mortaudo dicunt, VIIII. weregeldis eum solvat, & quidquid super eum rauba vel arma tulit, omnia sicut furtiva componat.

II. De fœminis autem, si ita contigerit, dupliciter componat, id est, XVIII. weregeldos: vestimenta autem quæ super eam tulit, velut furtiva componat.

L. DE EO QVI LIBERVM DE TERRA EFFODIERIT.

SI quis liberum de terra effodierit, quidquid ibidem tulerit, VIIII. weregeldis restituat: & XL. sol. componat.

II. Fœminam autem LXXX. sol. componat, si eam effodierit.

III. Res autem quas tulit, sicut furtivas componat.

IV. Si servum effodierit de terra, cum XII. sol. componat: & ancillam similiter.

LI. DE LIBERO QVI ALTERIVS VXOREM CONTRA LEGEM TVLERIT.

SI quis liber uxorem alterius contra legem tulerit, reddat eam, & cum LXXX. sol. componat. Si autem reddere noluerit, cum CCCC. sol. componat eam: & hoc si maritus prior voluerit. Et si antea mortua fuerit, quam maritus eam quæsierit, cum CCCC. sol. componat.

II. Si autem ille raptor, qui eam accepit sibi uxorem, ex ea filios aut filias, antequam solvat, habuerit, & ille filius mortuus fuerit, aut illa filia, ad illum pristinum maritum illum filium cum weregeldo, & illam filiam cum duplici weregeldo solvat. Si autem vivi sunt, non sint illius qui eos genuit, sed ad illum priorem maritum mundio pertineat.

LII. DE EO QVI SPONSAM ALTERIVS ACCEPERIT.

SI quis sponsam alterius contra legem acceperit, reddat eam, & cum CC. sol. componat.

II. Si autem reddere noluerit, solvat eam CCCC. sol. etiam si mortua fuerit sub eo.

LIII. DE EO QVI SPONSAM SVAM DIMISERIT, ET ALIAM DVXERIT.

SI quis filiam alienam desponsatam dimiserit, & aliam duxerit, componat eam quam desponsavit & dimisit, cum XL. sol. & cum XII. sacramentalibus iuret, cum quinque nominatis & septem advocatis, ut pro nullo vitio nec tentatam eam habuisset, nec vitium in illa invenisset: sed amor de alia eum adduxit, ut illam dimisisset, & aliam habuisset uxorem.

LIV. DE

LIV DE EO QVI FILIAM ALIENAM NON DESPONSATAM ACCEPERIT.

SI quis filiam alienam non desponsatam acceperit sibi uxorem, si pater eius eam requirit, reddat eam, & cum XL. sol. eam componat.

II. Si autem ipsa fœmina sub illo viro mortua fuerit, antequam illi mundium apud patrem adquirat, solvat eam patri eius CCCC. sol.

III. Et si filios aut filias genuit ante mundium, & omnes mortui fuerint, unumquemque cum weregeldo suo componat patri fœminæ.

LV. DE VXORE MORTVO MARITO SINE FILIIS RELICTA.

SI quis liber mortuus fuerit, & reliquit uxorem sine filiis aut filiabus, & de illa hereditate exire voluerit, & nubere alii sibi coæquali, sequatur eam dotis legitima, & quidquid parentes eius legitime placitaverint, & quidquid de sede paterna secum adtulit, omnia in potestate habeat auferendi, quod non manducavit, aut non vendidit.

II. Dotis enim legitima XL. sol. constat aut in auro, aut in argento, aut in mancipiis, aut in qualicunque re quam habet ad dandum.

LVI. DE EO QVI PROXIMI SVI DEFVNCTI VXORI SINE FILIIS RELICTÆ DOTEM CONTRADIXERIT.

SI autem proximus mariti defuncti contradicere ipsam dotem illi mulieri voluerit, quod lex non est illa, sequatur cum sacramento cum nominatis quinq; , aut cum spatha tracta pugna duorum, si potest adquirere aut per sacramentum, aut per pugnam, illa pecunia post mortem mulieris retro nunquam revertatur. Sed ille sequens maritus, aut filii eius usque in sempiternum possideant.

II. Si autem ipsa fœmina dixerit; *Maritus meus dedit mihi morgangeba:* computet quantum valet aut in auro, aut in argento, aut in mancipiis, aut in equo, pecuniam XII. solidos valentem. Tunc liceat illi mulieri iurare per pectus suum, & dicat; *Quod maritus meus mihi dedit in potestate, & ego possidere debeo:* hoc dicunt Alamanni nastaid.

LVII. DE HEREDITATE DVARVM SORORVM, QVÆ ABSQVE FRATRIBVS POST MORTEM PATRIS RELICTAE SVNT.

SI autem duæ sorores absque fratre relictæ post mortem patris fuerint, & ad ipsas hereditas paterna pertingat, & una nupserit sibi coæquali libero; alia autem nupserit aut colono Regis, aut colono Ecclesiæ: illa quæ illi libero nupsit sibi coæquali, teneat terram patris earum. Res enim alias æqualiter dividant. Illa enim quæ illi colono nupsit, non intret in portionem terræ, quia sibi coæquali non nupsit.

LVIII. DE EO QVI MVLIEREM IN ITINERE VADENTEM DENVDAVERIT, AVT CVM EA MOECHATVS FVERIT.

SI qua libera fœmina virgo vadit in itinere ſuo inter duas villas, & obviavit eam aliquis, & per raptum denudat caput eius, cum VI. ſol. componat. Et ſi eius veſtimenta levaverit, ut uſque ad genicula denudet, cum VI. ſolid. componat: & ſi eam denudaverit, ut genitalia eius appareant, vel poſteriora, cum XII. ſol. componat.

II. Si autem cum ea fornicaverit contra eius voluntatem, componat ſolid. XL.

III. Si autem mulieri hæc fecerit, omnia dupliciter componat, ſicut antea diximus de virgine.

LIX. DE EO QVI ALIVM PERCVSSERIT, AVT VVLNERAVERIT.

SI quis alium per iram percuſſerit, quod Alamanni puleslach dicunt, cum uno ſol. componat.

II. Si autem ſanguinem fuderit, ſic ut terram tangat, componat ſol. uno & ſemis.

III. Si autem percuſſerit eum, ut teſta appareat & radatur, cum tribus ſol. componatur.

IV. Si autem de capite os fractum tulerit de plaga, ita ut ſuper publica via lata XXIIII. pedes in ſcuto ſonaverit, illud os cum VI. ſol. componat.

V. Si autem ipſum os medicus perdit, & non poteſt eum præſentare, tunc duos teſtes adhibeat, qui hoc vidiſſent, quod de illa plaga os tuliſſet, aut ille medicus hoc comprobet, quod verum fuiſſet, quod de ipſa plaga os tuliſſet.

VI. Si autem teſta tranſcapulata fuerit, ita ut cervella appareant, ut medicus cum pinna, aut cum fanone cervella tetigit, cum XII. ſol. componat.

VII. Si autem ex ipſa plaga cervella exierint, ſicut ſolet contingere, ut medicus cum medicamento aut ſyrico ſtuppavit, & poſtea ſanavit, & hoc probatum fuerit, quod verum eſt, cum XL. ſol. componat.

LX. DE EO QVI ALTERIVS AVREM ABSCIDERIT.

SI quis alterius aurem abſciderit, & non exſurdaverit, XII. ſol. componat.

II. Si autem ſic abſciderit profunde, & eum exſurdaverit, XL. ſolid. componat.

III. Si autem medietatem auris abſciderit, quod Alamanni orſcardi dicunt, cum VI. ſol. componat.

LXI. DE EO QVI PALPEBRAS ALTERIVS MACVLAVERIT.

SI ſuperior palpebra maculata fuerit, ut claudi non poſſit, cum VI. ſol. componatur.

Si autem

II. Si autem ſubterior maculata fuerit, ut lacrymas continere non poſſit, cum XII. ſol. componatur.

III. Si enim viſus tactus fuerit in oculo, ita ut quaſi vitrum remaneat, XX. ſol. componat.

IV. Si autem ipſe viſus foras exierit & milus, XL. ſol. componat.

LXII. DE NARE TRANSPVNCTA VEL ABSCISA.

SI naſus tranſpunctus fuerit, cum VI. ſol. componat.

II. Si autem ſummitas naſi, ut muccus contineri non poſſit, abſciſa fuerit, cum XII. ſol. componat.

III. Si autem totus à preſſo abſciſus fuerit, cum XL. ſol. componat.

LXIII. DE LABIIS MACVLATIS.

SI labium ſuperius alicuius quis maculaverit, ita ut dentes appareant, cum VI. ſol. componat.

II. Si ſubterius, ut ſalivam continere non poſſit, cum XII. ſol. componat.

III. Si enim aliquis alii uno ictu duos dentes ſuperiores excuſſerit primos, cum VI. ſol. componat.

IV. Et quamvis unum de ipſis duobus excuſſerit, cum VI. ſol. componat.

V. Si autem dentem abſciderit, quem marchzan Alamanni vocant, cum III. ſol. componat.

VI. De aliis verò qualemcunque excuſſerit, unumquemque cum uno ſol. componat.

VII. De ſubterioribus verò duobus primis dentibus, ſi alicui quis excuſſerit duobus ictibus, XII. ſol. componat, ſicut ſi uno ictu fecerit.

VIII. Si autem unum ex ipſis excuſſerit duobus ictibus, cum XII. ſolid. componat.

LXIV. DE LINGVA ABSCISA ET DE VVLNERIBVS IN FACIE FACTIS.

SI autem lingua tota abſciſa fuerit, XL. ſol. componat.

II. Si autem media, ut aliquid intelligatur quod loquitur, cum XX. ſol. componat.

III. Si autem aliqua plaga in facie alicuius facta fuerit, quam capilli vel barba non cooperiant, VI. ſol. componat.

IV. Si autem collus tranſpunctus fuerit, cum VI. ſol. componat.

LXV. DE EO QVI ALIVM CONTRA LEGEM TONDERIT, ET DE DIVERSIS VVLNERIBVS.

SI quis alicui contra legem tonderit caput liberum non volenti, cum XII. ſol. componat.

II. Si autem barbam alicuius tonderit nolentis, cum VI. ſol. componat.

III. Si quis alicui brachium ſuper cubitum tranſpunxerit, cum ſex ſolidis componat.

IV. Si autem cubitum tranſpunxerit, cum III. ſol. componat.

V. Si manum tranſpunxerit, ita ut focus non intret ad coquendum venas, vel ſanguinem ſtagnandum, ſol. I. & ſemis componat.

VI. Si autem ferrum calidum intraverit ad ſtagnandum ſanguinem, cum III. ſol. componat.

VII. Si autem brachium fregerit, ita ut pellem non rumpat, quod Alamanni pulepruſt dicunt, ante cubitum, cum III. ſol. componat.

VIII. Si autem ſuper cubitum hoc contigerit, cum VI. ſol. componat.

IX. Si autem in cubito percuſſus fuerit, ita ut portare non poſſit, nec ad os manum mittere, cum XII. ſol. componat.

X. Si autem totum brachium mancum fuerit, ut nihil cum eo facere poſſit, componat eum cum XX. ſol.

XI. Si autem à cubito abſciderit, XL. ſol. componat.

XII. Si autem à ſcapula abſciſum fuerit, cum LXXX. ſol. componat.

XIII. Si autem ſummitatem pollicis abſciderit, cum VI. ſol. componat.

XIV. Si autem totum, cum XII. ſol. componat.

XV. Si autem proximum pollici primo nodo abſciderit, II. ſol. & ſemis.

XVI. Si autem in ſecundo nodo abſciderit, V. ſol.

XVII. Si totum abſciderit à palma, cum X. ſol. componat.

XVIII. Si longiſſimus digitus abſciſus fuerit à primo nodo, ſol. unō & ſemis componat.

XIX. Si in ſecundo nodo, cum III. ſol. componat.

XX. Si totus à palma abſciſus fuerit, cum VI. ſol. componat.

XXI. Si autem digitus annularis à primo nodo abſciſus fuerit, II. ſol. ſi in ſecundo nodo, IIII. ſol. totus, VIII. ſol. componat.

XXII. Ille minimus digitus ita ſolvatur ut pollex.

XXIII. Si quis autem longiſſimum digitum ita plagaverit, ut inde mancus ſit, ita ut complicare non poſſit, aut ſcutum prendere, aut arma in terra per illum accipere, XII. ſol. componat.

XXIV. Si autem in latus punctus fuerit, ita ut interiora membra non contingat, cum VI. ſol. componat.

XXV. Si autem interiora membra vulnerati fuerint, quod hrefwnt dicunt, cum XII. ſol. componat.

XXVI. Si autem tranſpunctus fuerit, cum XXIIII. ſol. componat.

XXVII. Si autem in inteſtinis maculatus fuerit, ut ſtercora exeant, XL. ſol. componat.

XXVIII. Si aliquis alii genitalia tota abſciderit, XL. ſol. componat.

XXIX. Si autem eum caſtraverit, ita ut virilia non tollat, cum XX. ſolidis componat.

XXX. Si quis alii ambas coxas uno ictu tranſpunxerit, cum XXII. ſolidis componat: ſi autem duabus vicibus, ſimiliter.

XXXI. Si quis in genuculo tranſpunctus fuerit aut plagatur, ita ut claudus permaneat, ut pes eius ros tangat, quod Alamanni tau dragil dicunt, cum XII. ſol. componat.

XXXII. Si tibia subtus geniculo transpuncta fuerit, cum III. solid. componat.

XXXIII. Si autem prior articulus abscisus fuerit, cum VI. solid. componat.

XXXIV. Illi autem alii articuli si abscisi fuerint toti, unusquisque cum III. sol. componatur.

XXXV. Si totum pedem absciderit, cum XL. sol. componat: si à geniculo abscisus fuerit, L. sol. componatur.

XXXVI. Si autem à coxa sursum abscisus fuerit, & inde vixerit, LXXX. sol. componatur.

XXXVII. Si autem aliquis alii herniam expresserit, cum III. sol. componat.

LXVI. DE EO QVI ALTERI VIAM CONTRADIXERIT.

SI quis liber libero in via manus iniecerit, & contra legem ei viam contradixerit, aut aliquid ei tollere voluerit, cum VI. sol. componat.

LXVII. DE EO QVI ALTERVM DE CABALLO FVRAVERIT.

SI quis liber liberum in via de caballo iactaverit, & ei tulerit, & statim eum reddit in ipso loco, addat ei consimilem, & XII. sol. Hæc omnis compositio, quam viris iudicavimus: fœminis eorum omnia dupliciter componantur.

LXVIII. DE LIBERO QVI LIBERVM OCCIDERIT.

SI quis autem liber liberum occiderit, componat eum bis LXXX. solid. filiis suis.

II. Si autem filios non reliquit, nec heredes habuit, solvat CC. sol.

III. Fœminas autem eorum in duplum componat.

IV. Medius vero Alamannus si occisus fuerit, sol. CC. solvat eum parentibus, qui eum occiderit.

LXIX. DE EO QVI ALTERIVS ADMISSARIVM FVRAVERIT.

SI quis alicuius admissarium involaverit, ille cuius est, debet probare quantum valet. Si enim dicit quod XII. solidos valeat, cum duobus iuret, quod sic valeat. Postea solvat illi fur talem, qualem ille iuraverit in caput, & illos alios VIIII. weregeldos solvat, medietatem in auro valente pecuniam, medietatem autem qualem invenire potuerit pecuniam.

II. Et si ille talem equum involaverit, quem Alamanni marach dicunt, sic eum solvat, sicut & illum admissarium.

LXX. DE EO QUI ALTERIUS CABALLUM INVOLAVERIT.

SI quis alicui caballum involaverit, adpretiet eum dominus eius cum sacramento usque ad VI. sol. si tantum valet, aut plus, aut minus, quantum ille cum sacramento adpretiaverit in caput, tanũ restituat fur. Novem enim geldos in quali pecunia habet, iumentum III. sol. adpretiet, si tantum valet, aut minus.

II. Si quis equo, quem Alamanni marach dicunt, oculum excusserit, aut eum excurtaverit, cum III. sol. componat.

III. Illi alii caballo mediano, si oculum excusserit, sol. I. & femis componat: & si eum excurtaverit, similiter componat.

IV. Si enim iumento oculum excusserit, medium solidum; & si eum excurtaverit, ita faciet.

LXXI. DE EO QUI EQUUM PLAGAVERIT, DUM HOMINEM PLAGARE VOLUERIT.

SI quis homo in equo suo caballicaverit, & aliquis eum super ipsum plagare voluerit, & dum ille plagare voluerit, caballum eius plagaverit, ita plagam caballi componat, quemadmodum componere debuit, si dominum eius plagasset.

LXXII. DE EO QUI IN TROPPO DE IUMENTIS DUCTRICEM INVOLAVERIT.

SI enim in troppo de iumentis illam ductricem aliquis involaverit, licet eam domino eius adpretiare XII. sol. & quidquid ille adpretiaverit, ille fur furtivum reddat novem geldis.

II. Alia autem iumenta de grege, quæ lactantia sunt, cum VI. sol. componat.

III. Alia autem quæ adhuc prægna non fuerint, III. sol. sint adpretiata.

LXXIII. DE EO QUI PRÆGNANS IUMENTUM FERIERIT ET ABORTIVUM FECERIT.

SI autem aliquis homo ictu ferierit prægnum iumentum, & abortivum fecerit, ita ut iactet poledrum mortuum, I. sol. componat.

LXXIV. QUALITER IUMENTA, QUÆ MESSEM LÆSERINT, INCLUDANTUR.

SI quis gregem iumentorum ad pignus tulerit, & incluserit contra legem, cum XII. sol. componat, & dimittat: & usque ad annum integrum habeat ea in cura, ille qui illa pignoravit: & si aliquid de ipso grege in ipso anno perdiderit, ille qui pignus tulit, simile restituat.

II. Si autem ipse grex iumentorum damnum fecerit, aut in prato, aut in messe, foris minetur, & dicatur domino eius, ut veniat videre quale damnum fecit: & quantum æstimaverit arbitrio, aut adfirmare ausus fuerit, quod tantum damnum fecisset, tantum dominus iumentorum restituat.

III. Si verò pastorem eorum iumentorum aliquis occiderit, componat eum solid. XL.

LXXV. DE EO QVI TAVRVM GREGEM REGENTEM INVOLAVERIT, AVT OCCIDERIT.

SI quis in vaccaritia legitima, ubi sunt XII. vaccæ vel amplius, taurum ex ea involaverit, vel occiderit, III. sol. eum solvat: aut qualecunque armentum de ipsa vaccaritia involatus fuerit, secundum qualitatem eum solvat. Illam optimam vaccam IIII. tremisses licet adpretiare: illam aliam sequenterianam sol. I. Illa alia minuta animalia, secundum arbitrium adpretientur, & ita solvantur secundum quod lex habet.

LXXVI. DE EO CVI MORTAVDVS IMPVTATVR.

SI quis morttaudit barum aut fœminam, qualis fuerit, secundum legitimum weregeldum VIIII. geldo solvatur: aut cum XIIII. tot electis, aut cum LXXX. quales invenire potuerit, iuret.

LXXVII. DE EO QVI GRAVIDÆ MVLIERI NATVM INTERFECERIT.

SI qua mulier gravida fuerit, & per factum alterius infans natus mortuus fuerit, aut si vivus natus fuerit, & octo dies non vivit, cui imputatum fuerit, XL. sol. solvat, aut cum XII. mediis electis iuret.

LXXVIII. DE PRETIO BOVIS.

OPtimus bos V. tremisses valet, medianus IIII. tremisses valet, minor sicut adpretiatus fuerit. Qui de ipsis aliquem involaverit, sicut lex habet, ita componat.

LXXIX. DE EO QVI PASTORES VEL ARTIFICES OCCIDERIT.

SI pastor porcorum, qui habet in grege quadraginta porcos, & habet canem doctum, & cornu, & iuniorem, occisus fuerit, XL. solidis componatur.

II. Legitimus pastor ovium, si LXXX. capita in grege habet domini sui, & occisus fuerit, cum XL. sol. componatur.

III. Si alicuius seniscalcus qui servus est, & dominus eius XII. vassos infra domum habet, occisus fuerit, XL. sol. componatur.

IV. Si mariscalcus, qui super XII. caballos est, occiditur, XL. solid. componatur.

V. Si coquus qui iuniorem habet occiditur, XL. sol. componatur.

VI. Si pistor, similiter.

VII. Faber, artifex, aut spatharius, qui publice probati sunt, si occidantur, XL. sol. componantur.

LXXX. DE EO QVI CVM ANCILLA VESTIARIA, ET GENECIARIA CONCVBVERIT.

SI quis cum alicuius ancilla vestiaria concubuerit contra voluntatem eius, cum VI. sol. componat.

II. Et si cum puella de genecio priore concubuerit aliquis, contra voluntatem eius, cum VI. sol. componat.

III. Si quis cum aliqua de alio genecio contra voluntatem eius concubuerit, cum III. sol. componat.

LXXXI. DE EO QVI INCENDIVM SVPER ALIVM IN NOCTE MISERIT.

SI quis super aliquem focum in nocte miserit, ut domum eius incendat, seu salam suam, & inventus, & probatus fuerit, omne quod ibidem arsit, simile restituat, & super hæc XL. sol. componat.

II. Si enim domum infra curtem incenderit, aut scuriam, aut graneam, vel cellaria, omnia similia restituat, & cum XII. sol. componat.

III. Si quis stubam, ovile, porcaritiam domum alicuius concremaverit, unamquamque cum VI. sol. componat, & similem restituat.

IV. Servi domum si incenderit, cum XII. solid. componat, & similem ei restituat.

V. Scuriam vel graneam servi si incenderit, cum VI. sol. componat, & similem restituat.

VI. Si enim spicarium servi incenderit, cum III. sol. componat; & si domino, cum VI. sol. & similem restituat.

LXXXII. DE CANIBVS SEVSIIS, VEL ALIIS FVRATIS, AVT OCCISIS.

SI quis canem seusium primum cursalem, qui primus currit, involaverit, sol. VI. componat: qui secundum sol. III. componat.

II. Qui illum ductorem, qui hominem sequentem ducit, quem laitihunt dicunt, furaverit, XII. sol. componat.

III. Si

III. Bonum canem porcaritium, ursaritium, vel qui vaccam & taurum prendit, si occiderit aliquis, cum III. sol. componat.

IV. Si veltrem leporalem probatum aliquis occiderit, cum III. solidis componat.

V. Si quis canem pastoralem, qui lupum mordet, & pecus ex ore eius tollit, & ad clamorem ad aliam, vel ad tertiam villam currit, occiderit, cum III. sol. componat.

VI. Si canem qui curtem defendit, aliquis occiderit, cum sol. componat.

VII. Et si ipse canis eum per vestimentum apprehendit, & eum quasi nolens percusserit, & mortuus fuerit, iuret ut per invidiam non fecisset, nisi se ad defendendum: & donet alium catellum, qui iugum transpassare possit.

LXXXIII. DE EO QVI ALIQVAM CLAVSVRAM IN AQVA FECERIT, ET IBI ALIQVID ANEGAVERIT.

SI quis in mulinum aut qualemcunque clausuram in aqua facere voluerit, sic faciat, ut nemini noceat. Si autem nocuerit, rumpatur usque dum non noceat.

II. Si ambæ ripæ suæ sunt, licentiam habeat: si autem una alterius est, aut roget, aut comparet.

III. Si quis aliquam clausuram in aqua fecerit, & ipsa aqua inflaverit, & ibi alicuius pecus anegaverit, vel famulus, vel infans, quidquid ibi anegaverit simile restituat, unumquodque secundum legem suam componat.

LXXXIV. DE HIS QVI DE TERRA SVA INTER SE CONTENDVNT.

SI quæ contentio orta fuerit inter duas genealogias de termino terræ eorum, & unus dicit, *hic est noster terminus*, alius revadit in alium locum, & dicit, *hic est terminus noster*: ibi præsens sit Comes de plebe illa, & ponat signum ubi iste voluerit, & ubi ille alius voluerit terminum, & girent ipsam contentionem. Postquam girata fuerit, veniant in medium, & præsente Comite tollant de ipsa terra, quod Alamanni curffodi dicunt, & ramos de ipsis arboribus infigant in ipsam terram quam tollunt, & illæ genealogiæ quæ contendunt, levent illam terram præsente Comite, & commendent in sua manu: ille involvat in fanone, & ponat sigillum, & commendet fideli manu, usque ad statutum placitum. Tunc spondeant inter se pugnam duorum. Quando parati sunt ad pugnam, tunc ponant ipsam terram in medio, & tangant ipsam cum spathis suis, cum quibus pugnare debent, & testificentur Deum creatorem, ut cuius sit iustitia, ipsius sit & victoria; & pugnent. Qualis de ipsis vicerit, ipse possideat illam contentio-

nem, & illi alii præsumptiosi, quia proprietatem contradixerunt, XII. solid. componant.

LXXXV. DE EO QVI SERVVM ALTERIVS FVGIENTEM ACCEPERIT, ET SEQVENTI DOMINO CONTRADIXERIT.

SI quis fugitivum alterius servum susceperit, & sequenti domino, aut in illa die, aut quando poterit, contradixerit eum, & reddere noluerit, tunc vadat ad principem quem ille habet, ut ei iustitiam faciat, & cum XL. sol. componat eum, quia contra legem eum recepit.

LXXXVI. DE EO QVI SERVVM IN PIGNVS SVSCEPERIT, ET SI SVB SE SERVVS ALIQVOD DAMNVM FECERIT.

SI quis pignus tulerit contra legem, aut servum, aut equum, postquam illum in domum suam duxerit, & ille servus ibi hominem occiderit, aut ille equus aliquod damnum fecerit, illud damnum ad illum pertineat, qui illud pignus tulit, non ad illum dominum cuius illud pignus fuerit.

II. Si autem dominus voluntarie pignus dederit pro aliqua re alicui, & illud pignus quod datum est, ibi aliquod damnum fecerit, dominus qui dedit damnum, quod factum est, simile ei restituat.

LXXXVII. DE EO QVI ALTERI RES SVAS APVD SE INVENTAS CONTRADIXERIT.

SI quis res suas apud alium hominem invenerit, quidquid sit, aut mancipia, aut pecus, aut aurum, aut argentum, aut alia spolia, & illa reddere noluerit, & contradixerit, & post hæc convictus fuerit ante iudicem, aut simile aut ipsum reddat, & cum XV. solid. componat, quia proprietatem eius contradixit.

LXXXVIII. VT FRATRES POST MORTEM PATRIS EORVM HEREDITATEM NON DISSIPENT, ANTEQVAM DIVIDANT EAM.

SI qui fratres post mortem patris eorum aliquanti fuerint, dividant portionem patris eorum: dum hoc non fuerit factum, nullus rem suam dissipare faciat, usque dum æqualiter partiantur.

LXXXIX. DE

LXXXIX. DE EO QVI HOMINEM OCCIDERIT ET NEGAVERIT.

SI quis hominem occiderit, & negare voluerit, cum XII. nominatis iuret, & aliis tantis advocatis in arma sua sacramenta pro IIII. tremissis cum uno sacramentali iuret. Pro III. sol. & tremisse, cum II. sacramentalibus iuret. De VI. sol. & tremisse cum V. nominatis iuret, aut cum tracta spatha defendat.

XC. DE COXA VEL BRACHIO ABSCISIS.

SI coxa abscisa fuerit libero homini, LXXX. sol. componat.

II. Si brachium à scapula abscisum fuerit, similiter.

XCI. DE EO QVI MVLIERI PRÆGNANTI ABORTIVVM FECERIT.

SI quis mulieri prægnanti abortivum fecerit, ita ut iam cognosci possit, utrum vir an fœmina fuit; si vir debuit esse, cum XII. sol. componat: si autem fœmina, cum XXIIII. Si neutrum cognosci potest, & iam non fuit formatus in liniamenta corporis, cum XII. sol. componat. Si amplius requiratur, cum sacramentalibus suis se idoniet.

XCII. DE HEREDITATE QVAM MVLIER POST PARTVM STATIM MORTVA DERELINQVIT.

SI qua mulier quæ hereditatem paternam habet, post nuptum prægnans peperit puerum, & in ipsa hora mortua fuerit, & infans vivus remanserit aliquanto spatio, vel unius horæ, ut possit aperire oculos, & videre culmen domus, & quatuor parietes, & postea defunctus fuerit, hereditas materna ad patrem eius pertineat. Et tamen si testes habet pater eius, quod vidissent illum infantem oculos aperire, & potuisset culmen domus videre, & quatuor parietes, tunc pater eius habeat licentiam cum lege ipsas res defendere.

II. Si autem aliter, cuius est proprietas ipse conquirat.

XCIII. DE EO QVI IN PVGNA PAREM SVVM DERELIQVIT, ET FVGIT.

SI qua in exercitu pugna commissa fuerit, & dimittit quis parem suum pugnare, & fugit, & ille alius defendit se; post reversionem, ille qui fugit componat bis LXXX. sol. illi alii, qui inde non fugit, sed mansit, & pares suos non dimisit.

XCIV DE EO QVI POST FINITAM ET EMENDATAM CAVSAM MALLARE PRÆSVMPSERIT.

SI quis aliquem post finitam causam & emendatam mallare voluerit, post testes tractos, & emendationem datam, si hoc præsumpserit tentare, & iste non potest per sacramenta, vel per testes defensare, tunc per pugnam duorum se defendat. Et post hæc ille testator quadraginta sol. componat.

XCV. DE EO QVI INGENVAM FOEMINAM COLPO PERCVSSERIT.

SI quis fœminam ingenuam colpo percusserit, sic ut sanguis non exeat, solvat sol. II. Si lida fuerit, solvat sol. I. & tremissem. Si ancilla fuerit, solvat solidum unum.

II. Si barus fuerit, similiter.

III. Si servus fuerit, medium solidum solvat.

XCVI. DE EO QVI MEDELLAM AVT CARRVCAM ALTERIVS INVOLAVERIT.

SI quis medellam rumpit aut involat, sol. III. solvat.

II. Si carrucam involat, aut rumpit rotas in priori parte, sic ut illa die opera tricet, sol. III. componat.

III. Si de post involat, aut rumpit, VI. sol. componat.

IV. Si herpices fuerit, III. sol. componat.

XCVII. DE EO QVI BVRICAS IN SYLVA PORCORVM INCENDERIT.

SI quis buricas in sylva tam porcorum, quàm pecorum incenderit, XXII. sol. componat.

II. Et si intus per furorem intrat, & de suo nihil invenit, VI. sol. componat.

III. Et si in curte aliena ingressus fuerit, simili modo.

IV. Si intus in scuria XII. sol. componat.

V. Nam si homicida suus ei in curte aut casa fugerit, & pro ipso nullus offert iustitiam, si sequenter ipsum currit, hoc non est ad requirendum.

XCVIII. DE EO QVI GREGEM ANIMALIVM IN PIGNVS TVLERIT, ET PORCARIVM, VEL CETEROS PASTORES FLAGELLAVERIT.

SI quis gregem de porcis, aut de iumentis, aut de vaccis, vel de berbicibus in pignus tulerit, XL. sol. sit culpabilis.

II. Si

II. Si porcarius ligatus de via ostatus vel battutus fuerit, sic ut duo teneant, & tertius percutiat, VIIII. sol. componat. Et de reliquo quod ei fecit, sicut reliquis servis componi solet, ei in triplum componatur.

III. Et quod de berbicario, stotario, & vaccario fit, quod reliquis servis componi solet, componatur eis in duplo.

XCIX. DE EO QVI BISONTEM, AVT BVBALVM, VEL CETERA ANIMALIA, AVT FVRAVERIT, AVT OCCIDERIT.

SI quis bisontem, bubalum, vel cervum qui prugit, furaverit aut occiderit, XII. sol. componat.

II. Et si cervus ille treudis non habet, medium sol. componat.

III. Si treudis habet, & cum ipso nihil sagittatum est, solvat sol. unum.

IV. Si rubeus feramus cum ipso sagittatus est, III. sol. solvat.

V. Si niger est, sol. VI. componat.

VI. Si involatus fuerit, novengeldos componat.

VII. Si cerva indomita fuerit occisa, tremisso solvat.

VIII. Si treudem habuit, medium solidum.

IX. Si cum ipsa rubea fera sagittata fuerit, VI. sol. solvat.

X. Si nigra, VI. sol. solvat.

XI. Si involata fuerit, novengeldos componat.

XII. Si ursus alienus occisus aut involatus fuerit, solvat eum sol. VI.

XIII. Aprum similiter.

XIV. Si quis pecus manualem, qui dicitur alatus, aut verrem, aut ducariam occiderit, VI. sol. componat.

XV. Si furatus fuerit, III. sol. solvat: & quantum iuret quod valuit, novengeldos componat.

XVI. Si quis capriolum occiderit, saiga: si involatus fuerit, novengeldos componat.

XVII. Si grus fuerit furata, aut occisa, tres solidos solvat.

XVIII. Si auca fuerit involata aut occisa, novengeldos solvat.

XIX. Aneta, gariola, ciconia, corvus, cornicula, columba, & cauha, & querola, ut alia similia requirantur.

XX. Si acceptor qui aucam mordet, III. solidos solvat: si gruem mordet, VI. sol. componat.

XXI. Si verris occiderit alium pro eo reddat, & tres sol. solvat.

XXII. Si canis alienus hominem occiderit, medium weregeldum solvat. Et si totum weregeldum quærat, omnia hostia sua claudantur, & per unum hostium semper intret & exeat: & de illo limitare novem pedes suspendatur, usque dum totus putrescat, & ibi putritus cadat, & ossa ipsius ibi iaceant. Per aliud hostium non intret, nec exeat. Et si canem ipsum inde iactaverit, aut per alium hostium intraverit in casam, ipsum weregeldum medium reddat.

III. Si caballus, porcus, aut bos hominem occiderit, totum weregeldum solvat: si servus fuerit, medium pretium solvat.

IV. Si alicuius caballus sepem alienam sallierit, & de palo transpunctus fuerit, cuius sepis fuerit, ipse solvat medium pretium.

XXV. Si quis servum mulinarium involaverit, alium cum ipso reddat, & solvat sol. VI. in texaga ei cuius fuerit.

XXVI. Si quis sepem alienam capulaverit, III. sol. solvat.

XXVII. Si quis mortuum suum in terra aliena posuerit, XII. sol. solvat: aut cum XII. iuret, ut hoc pro malo non fecisset.

XXVIII. Si quis ingenuum aut ingenuam extraneam, sine permissu cuius fuerit, in terram miserit, XL. sol. sit culpabilis: si servus fuerit, XII. sol. solvat.

EXPLICIT

LEX ALAMANNORVM.

LEX
BAIVVARIORVM.

CAPITVLA LEGIS BAIVVARIORVM.

TITVLVS I. DE ECCLESIASTICIS REBVS, DE LIBRIS LEGIS INSTITVTIONVM QVÆ AD CLERVM PERTINENT, SEV DE ECCLESIARVM IVRE.

TITVLVS II. DE DVCIBVS ET EORVM CAVSIS, QVÆ AD EOS PERTINENT.

TITVLVS III. DE LIBERIS QVOMODO COMPONANTVR.

TITVLVS IV. DE LIBERIS QVI PER MANVM DIMISSI SVNT LIBERI, QVOMODO COMPONANTVR.

TITVLVS V. DE SERVIS QVOMODO COMPONANTVR.

TITVLVS VI. DE NVPTIIS ET OPERATIONIBVS INLICITIS PROHIBENDIS.

TITVL.

TITVLVS VII. DE VXORIBVS ET CAVSIS QVÆ SÆPE CONTINGVNT.

TITVLVS VIII. DE FVRTO.

TITVLVS IX. DE INCENDIO DOMORVM, ET EARVM COMPOSITIONE.

TITVLVS X. DE VIOLENTIA.

TITVLVS XI. DE TERMINIS RVPTIS.

TITVLVS XII. DE PIGNORIBVS.

TITVLVS XIII. DE VITIOSIS ANIMALIBVS, ET EORVM COMPOSITIONE.

TITVLVS XIV. DE COMMENDATIS ET COMMODATIS.

TITVLVS XV. DE VENDITIONIBVS.

TITVLVS XVI. DE TESTIBVS, ET EORVM CAVSIS.

TITVLVS XVII. DE CAMPIONIBVS, ET CAVSIS, QVÆ AD EOS PERTINENT.

TITVLVS XVIII. DE MORTVIS, ET EORVM CAVSIS.

TITVLVS XIX. DE CANIBVS. CAPP. N. X.

TITVLVS XX. DE ACCIPITRIBVS VEL AVIBVS. CAPP. N. VI.

TITVLVS XXI. DE POMARIIS, ET NEMORIBVS, ATQVE APIBVS. CAPP. N. XI.

PROL.

PROLOGVS.

THeodericus Rex Francorum cum esset Catalaunis, elegit viros sapientes, qui in regno suo legibus antiquis eruditi erant. Ipso autem dictante iussit conscribere legem Francorum, & Alamannorum, & Baiuvariorum unicuiq; genti, quæ in eius potestate erat, secundum consuetudinem suam. Addidit quæ addenda erant, & improvisa & incomposita resecavit, & quæ erant secundum consuetudinem paganorum, mutavit secundum legem Christianorum. Et quidquid Theodericus Rex propter vetustissimam paganorum consuetudinem emendare non potuit, posthæc Childebertus Rex inchoavit, sed Chlotharius Rex perfecit. Hæc omnia Dagobertus Rex gloriosissimus per viros inlustres Claudium, Chadum, Indomagum, & Agilulfum renovavit, & omnia vetera legum in melius transtulit, & unicuiq; genti scripta tradidit, quæ usque hodie perseverant.

HOC DECRETVM EST APVD REGEM, ET PRINCIPES EIVS, ET APVD CVNCTVM POPVLVM CHRISTIANVM, QVI INFRA REGNVM MERVVVNGORVM CONSISTVNT.

INCIPIT
LEX BAIVVARIORVM.

TITVLVS I. DE ECCLESIASTICIS REBVS, DE LIBRIS LEGIS INSTITVTIONVM, QVÆ AD CLERVM PERTINENT, SEV DE ECCLESIARVM IVRE.

Cap. I. *Vt si quis liber Baiuvarius, vel quiscumque alodem suam ad Ecclesiam vel quamcunque rem donare voluerit, liberam habeat potestatem.*

SI quis liber persona voluerit, & dederit res suas ad Ecclesiam pro redemptione animæ suæ, licentiam habeat de portione sua, postquam cum filiis suis partivit: nullus eum prohibeat, non Rex, non Dux, nec ulla persona habeat potestatem prohibendi. Et quidquid donaverit, villas, terram, mancipia, vel aliquam pecuniam, omnia quæcunque donaverit pro redemptione animæ suæ, hoc per epistolam confirmet propria manu sua ipse, & testes adhibeat sex vel amplius. Si voluerit, imponant manus suas in epistola, & nomina eorum notentur ibi, quos ipse rogaverit. Et tunc ipsam epistolam ponat super altare, & sic tradat ipsam pecuniam coram sacerdote, qui ibidem servit. Et post hæc nullam habeat potestatem exinde quidquam auferre, nec ipse, nec posteri eius, nisi defensor Ecclesiæ illius per beneficium præstare voluerit ei: sed apud Episcopum defendantur res Ecclesiæ, quidquid à Christianis ad Ecclesiam Dei datum fuerit.

II. *De his qui contra legem Ecclesiam fraudare voluerint.*

SI quis contra res Ecclesiæ iniuste agere voluerit, vel de rebus Ecclesiæ abstrahere voluerit, sive ille qui dedit, vel de heredibus eius, aut qualiscunque homo præsumpserit, inprimis incurrat Dei iudicium & offensionem sanctæ Ecclesiæ, & iudici terreno persolvat auri uncias tres, & illas res Ecclesiæ reddat, & alias similes addat Rege cogente, vel Principe, qui in illa regione iudex est.

III. *De furtis Ecclesiæ quomodo componantur.*

SI quis res Ecclesiæ furaverit, & exinde probatus fuerit, de qualicunque re niumgeldos solvat, id est novem capita restituat. Et si negare voluerit, secundum qualitatem pecuniæ iuret in altari de qua Ecclesia furaverit.

De

de una faiga solus iuret. De duabus saigis, vel tribus, & usque ad tremissem, cum uno sacramentali iuret. Deinde usque ad quatuor tremisses, cum tribus sacramentalibus iuret.

II. Et si ampliorem pecuniam furaverit, aut caballum, aut bovem, aut vaccam, vel quidquid plus valet, quàm quatuor tremisses. Et si negare voluerit, tunc cum VI. sacramentalibus iuret, & ipse sit septimus, in altari coram populo & presbytero.

III. Si autem de ministerio Ecclesiæ aliquid furaverit, id est, calicem, aut patenam, vel pallam, aut qualemcunque rem de infra Ecclesiam furaverit, & probatus fuerit, triuniumgeldo solvat, hoc est, ter novem restituat. Et si negare voluerit, secundum qualitatem pecuniæ iuret cum XII. sacramentalibus in ipso altari.

IV. *De his qui servum Ecclesiæ ad fugiendum suaserint.*

SI quis servum Ecclesiæ, vel ancillam ad fugiendum suaserit, & eos foras terminum duxerit, & exinde probatus fuerit, revocet eum celeriter, & cum XV. sol. componat auro adpretiatos, pro qua re præsumpserit hoc facere. Et dum illum revocat, alium mittat in loco pro pignore donec illum reddat, quem in fuga duxit: & si non poterit illum invenire, tunc alium donet similem illi, & XV. sol. componat.

II. Ita & de ancilla, secundum quod valet, similiter faciat.

V. *De his qui servum Ecclesiæ sine mortali crimine interemerint.*

SI quis servum Ecclesiæ sine mortali culpa occiderit per præsumptionem, duos similes restituat pro illo, quem occidit, & si negare voluerit, cum XII. sacramentalibus iuret in altari, in illa Ecclesia cuius servum occidit.

VI. *De his qui res Ecclesiæ igne cremaverint.*

SI quis res Ecclesiæ igne cremaverit per invidiam more furtivo in nocte, & inventus fuerit, si servus est, tollatur manus eius, & oculi eius, ut amplius non valeat facere malum. Dominus verò eius omnia similia restituat, quidquid in illo incendio arserit.

II. Et si liber homo hoc præsumpserit facere, & res Ecclesiæ igne cremaverit, & probatus fuerit, componat hoc secundum legem: id est, imprimis donet LX. sol. auro adpretiatos propter præsumptionem, quia talia ausus fuerat facere. Postea omne culmen, quod in illo incendio cecidit, cum XXIIII. sol. componat: & quidquid ibi arserit, omnia similia restituat. Et quanti homines ibi intus fuerint, & inlæsi de incendio evaserint, unicuique cum sua hreuawnti componat. Et si ibi aliquis læsus fuerit vel mortuus, ac si ipse cum propria manu fecerit, sic secundum personam uniuscuiusque componat. Et si hoc negare voluerit, cum XXIIII. sacramentalibus nominatis iuret in altari Evangelio superposito, coràm defensore Ecclesiæ.

III. Et quisquis de rebus Ecclesiæ furtivis probatus fuerit, ad partem fisci pro fredo præbeat fideiussionem, & donet wadium de XL. solid. &

tantum solvat, quantum iudex iusserit: & quantum durius solverit, tantum firmior erit pax Ecclesiæ.

VII. *De his qui rei sunt, & confugium fecerint ad Ecclesiam.*

SI culpabilis aliquis ad Ecclesiam confugium fecerit, nullus eum vi abstrahere ausus sit, postquam ianuam Ecclesiæ intraverit, donec interpellat presbyterum Ecclesiæ vel Episcopum.

II. Si presbyter repræsentare ausus non fuerit, & si talis culpa est, ut dignus sit disciplina, cum consilio sacerdotis hoc faciat, quare ad Ecclesiam confugium fecit.

III. Nulla sit culpa tam gravis, ut vita non concedatur propter timorem Dei, & reverentiam sanctorum: quia Dominus dixit; *Qui dimiserit, dimittetur ei:* qui non dimiserit, nec dimittetur ei.

IV. Si quis autem homo contumax & superbus timorem Dei, vel reverentiam Ecclesiarum sanctarum non habuerit, & fugientem servum suum, vel quem persecutus fuerit, de Ecclesia vi abstraxerit, & Deo honorem non dederit, componat ad ipsam Ecclesiam cum XL. sol. iudice cogente: & pro fredo ad fiscum XL. sol. ut sit honor Dei, & reverentia Sanctorum, & Ecclesia Dei semper invicta sit.

VIII. *De compositione ministrorum Ecclesiæ, quomodo componantur.*

SI quis ministros Ecclesiæ, id est, subdiaconum, lectorem, exorcistam, acolytum, ostiarium, de istis aliquem iniuriaverit, aut percusserit, vel plagaverit, vel occiderit, componat hoc dupliciter, sicut solent componi parentes eorum.

II. Illi qui sunt ministri altaris Dei, duplicem compositionem accipiant.

III. Alii autem clerici componantur, sicut parentes eorum.

IX. *De monachis.*

MOnachi autem qui secundam regulam in monasterio vivunt, & illi dupliciter componantur secundum genealogiam suam, ut reverentia sit Dei, & pax eis, qui illi deserviunt.

X. *De presbyteris vel diaconibus, quomodo componantur.*

SI quis presbyterum, vel diaconum, quem Episcopus in parochia ordinavit, vel qualem plebs sibi recepit ad sacerdotem, quem Ecclesiastica sedes probatum habet, iniuria affecerit, vel plagaverit, tripliciter eos componat.

II. Si autem occiderit presbyterum, solvat CCC. sol. auro adpretiatos: si aurum non habet, donet aliam pecuniam, mancipia, terram, vel quidquid habet, usque dum impleat.

II. Diaconum vero, cum CC. sol. solvat.

III. Vtrosque ad illam Ecclesiam, ubi ministri fuerunt, Episcopo requirente, & iudice cogente, qui in illa provincia sunt ordinati.

Et

IV. Et pro fredo in publico solvat solid. LX. ut exinde sit reverentia sacerdotum, & honor Ecclesiasticus non contemnatur, neque præsumptio crescat in plebe.

XI. *De solis Episcopis, & illorum interfectione.*

SI quis Episcopum, quem constituit Rex, vel populus sibi elegit pontificem, occiderit, solvat eum Regi, vel plebi, aut parentibus secundum hoc edictum. Fiat tunica plumbea secundum statum eius, & quod ipsa pensaverit, auri tantum donet, qui eum occidit: & si aurum non habet, donet aliam pecuniam, mancipia, terram, villas, vel quidquid habet, usque dum impleat debitum. Et si non habet tantam pecuniam, seipsum & uxorem, & filios, tradat ad ipsam Ecclesiam in servitium, usque dum se redimere possit. Hoc per imperium Regis vel iudicis fiat. Et illa pecunia in usu ipsius Ecclesiæ, ubi pontifex fuit, ibi sit firmata usque perpetuum.

II. Et si Episcopus contra aliquem culpabilis adparet, non præsumat eum occidere, quia summus pontifex est: sed mallet eum ante Regem vel ducem, aut ante plebem suam.

III. Et si convictus crimen negare non possit, tunc secundum Canones ei iudicetur.

IV. Si talis culpa est, ut deponatur aut exilietur, de homicidio, de fornicatione, de consensu hostili, si infra provinciam inimicos invitaverit, & eos perdere voluerit, quos salvare debuerat, pro istis culpis damnetur.

XII. *De sanctimonialibus vel Deo dicatis.*

SI quis sanctimonialem, hoc est, Deo dicatam, de monasterio traxerit, & eam sibi in coniugio duxerit contra legem Ecclesiasticam, requirat eam Episcopus civitatis illius cum consilio Ducis: velit, nolit, tamen reddat eam ad illud monasterium unde eam tulit, & componat ad illud monasterium dupliciter, sicut solet componere, qui alienam rapit sponsam. Scimus illum crimini esse obnoxium, qui alienam sponsam rapit: quanto magis ille obnoxius est crimini, qui Christi usurpavit sponsam? Et si noluerit emendare & reddere, expellatur de provincia, dicente Apostolo; *Auferte malum à vobismetipsis.* & iterum; *Tradite huiusmodi sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini.*

XIII. *De presbyteris & diaconibus, ut minime habitent cum mulieribus.*

VT nulli presbytero vel diacono liceat habere secum in domum extraneam fœminam, ne per illam occasionem decipiatur, & pollutus offerat sacrificium Deo, nec plebs per eius offensionem corruat, & plagam sustineat.

II. Propterea qui gradu sacerdotali fulciuntur, extranearum mulierum interdicta consortia cognoscant; hac eis tantum facultate concessâ, ut matres, filias, atque sorores germanas inter domorum suarum septa contineant. In his enim nihil suspecti criminis æstimare fœdus naturale permittit: illas etiam non relinqui castitatis hortatur affectio.

III. De ceteris causis presbyteri, diaconi, vel clerici, ab Episcopis secundum illorum Canones iudicentur.

XIV. *De colonis vel servis Ecclesiæ, qualiter serviant.*

DE colonis vel servis Ecclesiæ qualiter serviant, vel qualia tributa reddant, hoc est, agrarium secundum æstimationem iudicis, provideat hoc iudex: secundum quod habet donet. De triginta modiis tres donet, & pascuarium desolvat secundum usum provinciæ.

II. Andecingas legitimas, hoc est, perticam decem pedes habentem, quatuor perticas in transverso, XL. in longo, arare, seminare, claudere, collegere, & trahere, & recondere. Pratum arpento uno claudere, secare, collegere, & trahere. A tremisse unusquisque accola ad duo modia sationis excollegere, seminare, collegere, & recondere debeat. Et vineas plantando claundere, fodere, propaginare, præcidere, vindemiare.

III. Reddant decimum fascem de lino. De apibus decimum vas. Pullos quatuor, Ova quindecim reddant.

IV. Parafredos donent, aut ipsi vadant, ubi eis iniunctum fuerit. Angarias cum carro faciant usque L. leugas, amplius non minentur.

V. Ad casas dominicas stabulare, fœnile, granicam, vel tuninum recuperandum, pedituras rationabiles accipiant: & quando necesse fuerit, omnino componant. Calcifurnium ubi prope fuerit, ligna aut petras L. homines faciant; ubi longe fuerit, C. homines debeant exire: & ad civitatem, vel ad villam, ubi necesse fuerit, ipsam calcem trahant.

VI. Servus autem Ecclesiæ secundum possessionem suam reddat tributa. Opera verò tres dies in hebdomada in dominico operet: tres verò sibi faciat. Si verò dominus eius dederit ei boves, aut alias res quas habet, tantum serviat, quantum ei per possibilitatem impositum fuerit, tamen iniustè neminem opprimat.

TITULUS II. DE DUCIBUS ET EORUM CAUSIS, QUÆ AD EOS PERTINENT.

CAP. I. *Si quis de morte Ducis consiliatus fuerit.*

SI quis contra Ducem suum, quem Rex ordinavit in provincia illa, aut populus sibi elegerit Ducem, de morte eius consiliatus fuerit, & exinde probatus negare non potest, in Ducis sit potestate homo ille, & vita illius, & res eius infiscentur in publico.

II. Et hoc non sit per occasionem factum, sed probata res expediat veritatem; nec sub uno teste, sed sub tribus testibus personis coæqualibus sit probatum. Si autem unus fuerit testis, & ille alter negaverit, tunc Dei accipiant iudicium: exeant in campo, & cui Deus dederit victoriam, illi credatur. Et hoc in præsenti populo fiat, ut per invidiam nullus pereat.

III. Ut nullus Baiuvarius alodem aut vitam sine capitali crimine perdat, id est, si aut in necem Ducis consiliatus fuerit, aut inimicos in provinciam invitaverit, aut civitatem capere ab extraneis machinaverit, & exinde probatus inventus fuerit, tunc in Ducis sit potestate vita ipsius, & omnes res eius & patrimonium.

V. Cetera verò quæcunque commiserit peccata, quousq; habet substantiam, componat secundum legem.

VI. Si vero non habet, ipse se in servitio deprimat, & per singulos menses vel annos quantum lucrare quiverit, persolvat cui deliquit, donec universum debitum restituat.

II. *Si quis Ducem suum occiderit.*

SI quis Ducem suum occiderit, anima eius pro anima illius mortem quam intulit recipiat, & res eius infiscentur in publico in sempiternum.

III. *Si quis seditionem excitaverit contra Ducem suum.*

SI quis seditionem excitaverit contra Ducem suum, quod Baiuvarii carmulum dicunt, per quem in primis fuerit levatũ, componat Duci, DC. sol.

II. Alii homines qui eum secuti sunt, illi similes, & consilium cum ipso habuerunt, unusquisque cum CC. sol. componat.

III. Minores populi qui eum secuti sunt, & liberi sunt, cum XL. sol. componant, ut tale scandalum non nascatur in provincia.

IV. *Si quis in exercitu scandalum excitaverit.*

SI quis in exercitu, quem Rex ordinavit vel Dux de provincia illa, scandalum excitaverit infra proprium hostem, & ibi homines mortui fuerint, componat in publico DC. sol.

II. Et quisquis ibi aut percussiones, aut plagas, aut homicidium fecerit, componat sicut in lege habetur, unicuique secundum genealogiam suam.

III. Et ille homo qui hæc commisit, benignum imputet Regem vel Ducem suum, si ei vitam concesserint.

IV. De minoribus autem hominibus, si in hoste scandalum commiserint, in Ducis sit potestate qualem pœnam sustineant.

V. Et ille usus eradicandus est, ut non fiat. Solet enim propter pabula equorum, vel propter ligna fieri scandalum, quando aliqui defendere volunt casas, vel scurias, ubi fœnum vel granum inveniunt: hoc vetandum est ne fiat. Vt si quis invenerit pabula, vel ligna, tollat quantum vult, & nemini vetet tollenti, ut per hoc scandalum non nascatur.

VI. Si quis hoc ausus fuerit facere, aut contradicere aliquid quod lex vetat, ille tunc si inventus fuerit, coram Duce disciplinæ hostili subiaceat, vel ante Comitem suum L. gamactas, id est, percussiones accipiat.

V. *Si quis infra provinciam, ubi Dux exercitum ordinaverit, sine Ducis iussione aliquid prædaverit.*

SI quis in exercitu infra provinciam, sine iussione Ducis sui, per fortiam hostilem aliquid deprædare voluerit, aut fœnum tollere, aut agrum vel casas incendere, hoc omnino testamur ne fiat: & exinde curam habeat Comes in suo comitatu. Ponat enim ordinationem suam super centuriones & decanos, ut unusquisque provideat suos quos regit, ut contra legem non faciant.

II. Et si aliquis præsumptuosus hoc fecerit, à Comite illo sit requirendum, cuius homo hoc fecit.

III. Et si ille Comes neglexerit inquirere quis hoc fecit, ille omnia de rebus suis restituat, tamen tempus requirendi habeat.

IV. Et si talis homo hoc fecerit, quem ille Comes distringere non potest, tunc dicat Duci suo, & Dux illum distringat secundum legem.

V. Si liber est, XL. sol. sit culpabilis, & omnia similia restituat.

VI. Si servus hoc fecerit, capitali subiaceat sententiæ: dominus vero eius omnia similia restituat, quia servo suo non contestavit, ut talia non faceret. Quia si vosmetipsos vos comeditis, cito deficietis.

VII. Comes tamen non negligat custodire exercitum suum, ut non faciant contra legem in provincia sua.

VI. *Si quis in exercitu aliquid furaverit.*

SI quis in exercitu aliquid furaverit, pastorium capistrum, frenum, feltrum, vel quæcunque involaverit, & probatus fuerit, si servus est, perdat manum suam: dominus vero eius ipsam rem, si habet, aut similem reddat.

II. Si autem liber homo hoc fecerit, cum XL. sol. redimat manus suas, & quod tulit reddat.

VII. *Si quis in utilitate Ducis vel domini sui mortuus fuerit.*

SI quis homo in utilitatem domini sui in exercitu, vel ubicunque dominus eius eum miserit, perrexerit, & ibi mortuus fuerit, & quærit opinionem facere domino suo, vel populo suo, heredes eius nunquam sint deiecti de hereditate eius, quamvis qualescunque sint; sed Dux eos defendat, usque dum ipsi possint.

II. Tunc enim unusquisque non tardat voluntatem domini sui facere, quando sperat se exinde munus accipere, si inde vivens evaserit: & si propter hoc mortuus fuerit, credat quod filii eius aut filiæ possideant hereditatem eius nullo inquietante, tunc fidus & promptus implet iussionem.

VIII. *Si quis Regis vel Ducis sui iussione hominem interfecerit.*

SI quis hominem per iussionem Regis vel Ducis sui, qui illam provinciam in potestate habet, occiderit, non requiratur ei, nec faidosus sit, quia iussio domini sui fuit, & non potuit contradicere iussionem, sed Dux defendat eum, & filios eius pro eo.

II. Et si Dux ille mortuus fuerit, alius Dux qui in loco eius accedit, defendat eum.

IX. *De Duce si protervus & elatus, vel superbus atque rebellis fuerit, & decretum Regis contempserit.*

SI quis autem Dux de provincia illa, quam Rex ordinaverit, tam audax, aut contumax, aut levitate stimulatus, seu protervus & elatus, vel superbus,

bus, atque rebellis fuerit, qui decretum Regis contempserit, donatum dignitatis ipsius ducati careat, etiam & insuper spem supernæ contemplationis sciat se esse condemnatum, & vim salutis amittat.

X. *De filiis Ducum, si protervi fuerint.*

SI quis filius Ducis tam superbus, vel stultus fuerit, ut patrem suum dehonestare voluerit per consilium malignorum, vel per fortiam, & regnum eius auferre ab eo, dum adhuc pater eius potest iudicio contendere, in exercitu ambulare, populum iudicare, equum viriliter ascendere, arma sua velociter batalare, non est surdus, nec cæcus, in omnibus iussionem Regis potest implere, sciat se ille filius contra legem fecisse, & de hereditate patris sui esse deiectum, & nihil amplius ad eum pertinere de facultatibus patris sui, & hoc in potestate Regis vel patris sui ibit, ut exiliet eum si vult.

II. Nihil aliud habeat in potestatem, nisi quod per misericordiam Rex, vel pater eius dare ei voluerint.

III. Et si supervixerit patrem suum, & alios fratres habuerit, non dent ei portionem, quia contra legem peccavit in patrem suum.

IV. Et si ille solus de heredibus eius supervixerit patrem suum, in Regis erit potestate; cui vult donet, aut illi, aut alteri.

XI. *De eo qui scandalum in curte Ducis commiserit.*

SI quis in curte Ducis scandalum commiserit, ut ibi pugna fiat per superbiam suam, vel per ebrietatem, quidquid ibi factum fuerit, omnia secundum legem componat, & propter stultitiam suam in publico componat XL. solid.

II. Si servus est alicuius qui hæc commisit, manus perdat.

III. Nullus unquam præsumat in curte Ducis scandalum committere.

XII. *Vt nullus in campiones sine iussu manus iniiciat.*

SI quis in curte Ducis, vel ubicunque pugnaverint campiones, manus ad levandum miserit, antequam ille iusserit, cui commendatum est prævidere, si liber est, XL. sol. componat in publico. Si servus, manum suam ibi dextram perdat, aut dominus eius redimat eam cum XX. solidis.

II. Vetanda est talis causa, unde scandalum solet nascere.

XIII. *De his qui in curte Regis aliquid furaverint.*

SI quis infra curtem Ducis aliquid involaverit, quia domus Ducis domus publica est, triuniumgeldum componat, hoc est, ter novem donet liber homo. Servus verò niumgeldo solvat, aut manus perdat.

II. Et si aliquid invenerit in curte Ducis quasi pro neglecto iacere, & id tulerit, & super noctem coelaverit, furtum reputetur in publico; XV. solid. componat.

XIV. *De his qui iussionem Ducis contempserint.*

SI quis iussionem Ducis sui contempserit, vel signum, quale visus fuerit Dux transmittere, aut anulum, aut sigillum, si neglexerit venire, aut fa-

cere quod iussum est, xv. sol. pro neglecto donet in publico, & sic impleat iussionem.

XV. *Vt placita fiant per Kalendas.*

VT placita fiant per Kalendas, aut post xv. dies, si necesse est, ad causas inquirendas, ut sit pax in provincia, & omnes liberi conveniant constitutis diebus, ubi iudex ordinaverit, & nemo sit ausus contemnere venire ad placitum: qui infra illum comitatum manent, sive Regis vassi, sive Ducis, omnes ad placitum veniant, & qui neglexerit venire, damnetur xv. sol.

II. Comes vero secum habeat iudicem, qui ibi constitutus est iudicare, & librum legis, ut semper rectum iudicium iudicet.

III. De omni causa, quæ componenda sunt, qui contra legem fecit, componat, sicut lex habet, & donet wadium Comiti illi de fredo, sic ut lex est.

XVI. *Vt iudex partem suam accipiat.*

IVdex vero partem suam accipiat de causa, quam iudicavit. De tribus sol. tremissem accipiat: de sex solidis, duos tremisses accipiat: de novem solidis, unum solidum accipiat: de omni compositione semper nonam partem accipiat, dum rectum iudicat.

XVII. *Qualis iudex fieri debeat.*

IVdex autem talis ordinetur, qui veritatem secundum hoc edictum iudicet. Non sit personarum acceptor, neque cupidus pecuniæ. PERIT LEX CVPIDITATIS AMORE. PREMIA ET DONA LEGIBVS VIRES TVLERVNT. IMPVNITA MANET MALE VIVENDI LICENTIA. Propterea talis constituatur iudex, qui plus diligat iustitiam, quàm pecuniam.

XVIII. *Si iudex propter munera iniuste iudicaverit.*

IVdex si accepta pecunia male iudicaverit, ille qui iniuste aliquid ab eo per sententiam iudicantis abstulerit, ablata restituat. Nam iudex qui per præmia iudicaverit, in duplum ei, cui damnum intulerit, cogatur exsolvere: quia ferre sententiam contra legum nostrarum statuta præsumpsit: & in fisco cogatur, xL. sol. persolvere.

XIX. *Si per ignorantiam male iudicaverit.*

SI vero nec per gratiam, nec per cupiditatem, sed per errorem iniuste iudicaverit, iudicium ipsius, in quo errasse cognoscitur, non habeat firmitatem: iudex non vocetur ad culpam.

XX. *De Ducum genealogia, ut duplum honorem accipiant, & eorum compositione.*

DE genealogia qui vocantur Hosidra, Ozza, Sagana, Habilingua, Annienа, isti sunt quasi primi post Agilolfungos, qui sunt de genere ducali. Illis

Illis enim duplum honorem concedimus, & sic duplam compositionem accipiant.

II. Agilolfingi vero usque ad Ducem in quadruplum componuntur, quia summi Principes sunt inter vos.

III. Dux verò qui præest in populo, ille semper de genere Agilolfingorum fuit, & debet esse; quia sic Reges antecessores nostri concesserunt eis, ut qui de genere illorum fidelis Regi erat, & prudens ipsum constituerit Ducem ad regendum populum illum.

IV. Et pro eo quia Dux est, addatur ei maior honor, quàm ceteris parentibus eius: sic ut tertia pars addatur super hoc, quo parentes eius componuntur. Si vita parentum eius aufertur, cum DCXL. solid. componuntur: Dux vero cum DCCCCLX. sol. componitur parenribus: aut Regi, si parentes non habuerit.

V. Et secundum hoc Edictum alia compositio sequatur, qualiter parenteius componi solent: itaque si Duci aliquid accesserit à coæqualibus suis, sic eum componere debet. Vbi compositio parentum eius est in IIII. sol. Duci vero VI. sol. Vbi illorum in VI. sol. Duci verò novem. Vbi vero illis dantur XII. sol. Duci autem XVIII. Sic semper addatur tertia pars supra in Ducis causa, usque in novissimam quæstionem, quæ solet inter homines contingere.

TITVLVS III. DE LIBERIS QVOMODO COMPONANTVR.

I. *Si quis liberum percusserit per iram.*

SI quis liberum per iram percusserit, quod pulesslac vocant, unum sol. donet.

II. Si ei sanguinem fuderit, sol. unum & semissem componat.

III. Si in eum contra legem manus iniecerit, quod infanc dicunt, III. solid. donet

IV. Si in eo venam percusserit, ut sine igne sanguinem stagnare non possit, quod athargrati dicunt: vel in capite testa adparet, quod gebulskini vocant: & si os fregerit, & pellem non fregit, quod pulepruft dicunt: & si talis plaga ei fuerit, quæ tumens sit: si aliquid de istis contigerit, cum VI. solid. componat.

V. Si os tulerit de plaga de capite, vel de brachio supra cubitum, cum VI. sol. componat.

VI. Si cervella in capite appareant, vel in interiora membra plagata fuerint, quod hrefawnt dicunt, cum XII. sol. componat.

VII. Si quis eum funibus ligaverit contra legem, cum XII. sol. comp.

VIII. Si eum per vim implexaverit, & non ligaverit, quod hropant dicunt, cum sex solid. componat.

IX. Si quis libero oculum eruerit, vel manum, vel pedem tulerit, cum XL. sol. componat.

X. Et si talis plaga vel fractura fuerit, ut exinde mancus sit, cum XX. sol. componat.

XI. Si quis alicuius pollicem absciderit, cum XII. sol. componat.

XII. Et si proximum à pollice, vel minimum absciderit, cum IX. solid. componat: unum sic, & alium sic.

XIII. Illos medianos duos digitos, cum X. sol. componat: unum cum V. sol. & alium cum quinque.

XIV. Et si non fuerit abscisus, sed est mancus, & stat rectus, ut non possit plicari, hoc impedimentum est ad arma batalare, maiorem compositionem quàm de abscisso, tertiam partem supra addat. Ad XII. adde IIII. fiunt XVI. ad IX. adde III. fiunt XII. ad VII. adde IIII. fiunt XI. ad V. adde II. & tremissem, fiunt VII. sol. & tremissis. Sic eum debes iudicare, & sic componere.

XV. Si quis alicui brachium supra cubitum transpunxerit, cum VI. sol. componat.

XVI. Si ante cubitum transpunxerit, cum III. sol. componat.

XVII. Si quis alicui nasum transpunxerit, cum IX. sol. componat.

XVIII. Si quis aurem transpunxerit, III. sol. componat.

XIX. Si quis aurem alicui absciderit, cum XX. sol. componat.

XX. Si eum sic plagaverit, ut inde surdus fiat, cum XL. sol. componat.

XXI. Si aurem maculaverit, ut exinde turpis adpareat, quod lidiscarti vocant, cum VI. sol. componat.

XXII. Labium subterius similiter componat, & palpebram subteriorem, simili modo. Si sic plagavarit, ut lachrymam continere non possit, vel subterius labium salivam non continet, tunc cum VI. sol. componat.

XXIII. Superiorem vero palpebram, vel superius labium si maculaverit, cum III. sol. componat.

XXIV. Si quis alicui dentem maxillarem, quem marchzan vocant, excusserit, cum XII. sol. componat.

XXV. Alios vero dentes si excusserit, unumquemque cum sex sol.

II. *De in ripa proiectis.*

SI quis alium de ripa, vel de ponte in aquam impinxerit, quod Baiuvarii in unwant dicunt, cum XII. sol. componat.

III. *De ab equo proiectis.*

SI quis aliquem de equo suo deposuerit, quod marchfalli vocant, solid. VI. componat.

IV. *De scalis proiectis.*

ET si alicui scalam iniuste eiecerit, vel quodcunque genus ascensionis, & ille desuper fuerit relictus, quod in unwant dicunt, cum XII. solid. componat.

V. *De in ignem proiectis.*

SImiliter qui in ignem impinxerit, ita ut flamma super caput emineat, cum XII. sol. componat.

VI. *De*

XXI. *De sagitta toxicata.*

SI quis cum toxicata sagitta alicui sanguinem fuderit, cum XII. sol compo-nat, eo quod in unwan.

XXII. *De potione mortifera.*

SImiliter qui potionem huiusmodi donaverit alicui, in qua mortiferum esse dignoscitur, quamvis parvum sit, aut multum, si evaserit, cum XII. sol. componat.

XIII. *De hostiliter cinctis.*

SI quis liberum hostili manu cinxerit, quod herireita dicunt, id est, cum XLII. clypeis, & sagittam in curtem proiecerit, aut quodcunque telorum genus, cum XL. sol. componat: Duci verò nihilo minus.

II. Si autem minus fuerint scuta, veruntamen ita per vim iniuste cinxe-rit, quod heimzuht vocant, cum XII. sol. componat.

XXIV. *De invitis pro pignore obtentis.*

SI quis liberum contra legem per vim pro pignore tenuerit, aut in domô recluserit huiusmodi, ut liberum non habeat egressum, cum XL. solidis componat.

XXV. *De porcis dispersis.*

SI quis liber porcos propter præsumptionem, eiulatu aut huiusmodi sonô eiecerit, vel disperserit, ubi LXX. fuerint porci, & ipse pastor buccinam portaverit porcilem, cum XII. sol. componat.

XXVI. *De simulatis, quod wancstodal dicunt.*

SI quis liber à facie inimicorum suorum fugerit, & alius eum per vim con-stare fecerit, aut si contra illum paraverit, inter dum nimici illius coniun-xerint, & interfecerint, & iste nihil amplius commiserit, nec ipse tetigerit, quod wancstodal dicunt, cum XII. sol. componat parentibus suis.

XXVII. *De plaga claudicationis.*

SI quis aliquem plagaverit, ut exinde claudus fiat, sic ut pes eius ros tangat, quod tau-dregil vocant, cum XII. sol. componat.

XXVIII. *De interfectione liberi hominis.*

SI quis liberum hominem occiderit, solvat parentibus suis, si habet: si au-tem non habet, solvat Duci, vel cui commendatus fuit dum vixit, bis LXXX. sol. hoc sunt, CLX.

II. De fœminis verò eorum si aliquid de istis actis contigerit, omnia du-pliciter componantur: & quia fœmina cum armis se defendere nequiverit, duplicem compositionem accipiat.

III. Si autem pugnare voluerit per audaciam cordis sui, sicut vir, non erit duplex compositio eius: sed sicut fratres eius, ita & ipsa recipiat.

XXIX. *De peregrinis transeuntibus viam.*

NEmo ausus sit inquietare vel nocere peregrino, quia alii propter Deum, alii propter necessitatem discurrunt; tamen una pax omnibus necessaria est.

II. Si autem aliquis tam præsumptuosus fuerit, ut peregrinis nocere voluerit, & fecerit, aut despoliaverit, vel læserit, vel plagaverit, aut ipsum ligaverit, vel vendiderit, aut occiderit, & exinde probatus fuerit, CLX. sol. in fisco cogatur exsolvere: & peregrino, si viventem reliquit, omnia iniuria, quod fecit, vel quod tulit, dupliciter componat, sicut solet unum de infra provincia componere.

III. Si autem eum occiderit, C. sol. auro adpretiatos cogatur exsolvere. Si parentes desunt, fiscus accipiat, & pro delicto hoc pauperibus tribuat, ut possit is Dominum propitium habere, qui dixit, *Peregrinum & advenam non contristabis de suis rebus.*

IV. Si Dux illi concesserit aliquid habere, componat LXXX. sol.

XXX. *Si servus liberum furaverit.*

SI vero servus liberum furaverit, & vendiderit, dominus eius ligatum præsentet coram iudice: in Ducis potestate sit disciplina eius, aut manus perdat, aut oculos, sine signo nunquam evadat, quamvis delitiosus sit apud dominum suum.

II. Et si dominus eius hoc iussit, aut consentiens fuit, superiori sententiæ subiaceat ipse, & illum servum perdat.

TITVLVS IV. DE LIBERIS QVI PER MANVM DIMISSI SVNT LIBERI, QVO MODO COMPONANTVR.

SI quis eum percusserit, quod pulislac vocant, cum medio solido componat.

II. Si ei sanguinem perfuderit, cum IX. saigis & semis comp.

III. Si in eum contra legem manus iniecerit, quod infanc dicunt, vel si eum plagaverit, ut propter hoc medicum inquirat, vel sic ut in capite testa adpareat, vel vena percussa fuerit, cum solido & semi componat.

IV. Si in eum talem plagam fecerit, ut exinde os tollatur de capite, vel de brachio supra, cum III. sol. componat.

V. Si quis eum percusserit, ut cervella eius adpareant, vel in interiora membra vulneraverit, quod hrefawnt dicunt, vel eum ligaverit contra legem, cum sex sol. componat.

VI. Si quis ei oculum, vel manum, vel pedem excusserit, cum X. solid. componat.

VII. Si quis alicui pollicem absciderit, cum VI. sol. componat.

VIII. Proximum à pollice, & minimum digitum cum solido uno & semi componat

IX. Et

IX. Et medianos duos cum solido componat.

X. Si quis eum plagaverit, ut exinde claudus permaneat, sic ut pes eius ros tangat, cum VI. sol. componat.

XI. Si eum occiderit, componat eum domino suo cum XL. sol.

TITVLVS V. DE SERVIS QVOMODO COMPONANTVR.

SI quis servum alienum per iram percusserit, cum tremisse componat.

II. Si sanguinem fuderit, medium solidum donet.

III. Si in eo contra legem infanc fecerit, vel in capite plagam, ut testa adpareat, vel vena percussa, vel plaga tumens fuerit, cum uno solido componat.

IV. Si in eo talem plagam fecerit, ut exinde fracturas ossium tollat, cum sol. & semisse componat.

V. Si eum plagaverit, ut cervella adpareant, vel in interiora membra vulneraverit, quod hrefawnt vocant, & si eum tantum ceciderit & turbaverit, usque dum eum semivivum relinquat, hoc cum IIII. sol. componat.

VI. Si ei oculum, vel manum, vel pedem absciderit, cum VI. sol. comp.

VII. Si ei pollicem absciderit, cum IIII. sol. componat.

VIII. Et proximum à pollice, & minimum cum II. sol. componat.

IX. Et medianos cum I. sol. & semi componat.

X. Si ei nasum transpunxerit, cum II. sol. & semi componat.

XI. Si labia subteriora maculaverit, vel aurem, vel palpebram subteriorem maculaverit, cum sol. & semi componat.

XII. Superiores verò cum uno solido componat.

XIII. Si ei dentem maxillarem excusserit, quem marchzan vocant, cum III. sol. componat.

XIV. Alios vero cum solido & semi componat.

XV. Si aurem eius absciderit, cum solido & semi componat.

XVI. Si aurem eius transpunxerit, cum uno sol. componat.

XVII. Si eum surdaverit, vel sic eum plagaverit ut claudus permaneat, quod tau-dregil vocant, & si in aquam impinxerit de ripa vel de ponte, in istis causis semper cum IIII. sol. componat.

XVIII. Si autem eum occiderit, solvat eum domino suo cum XX. sol.

TITVLVS VI. DE NVPTIIS ET OPERATIONIBVS INLICITIS PROHIBENDIS.

I. *De nuptiis incestis prohibendis.*

NVptias prohibemus incestas. Itaque uxorem habere non liceat socrum, nurum, privignam, novercam, filiam fratris, filiam sororis, fratris uxorem, uxoris sororem: filii fratrum, filii sororum inter se nulla præsumptione iungantur.

II. Si quis contra hæc fecerit, à loci iudicibus separetur, & omnes facultates amittat, quas fiscus adquirat.

III. Si minores personæ sunt, quæ se inlicita coniunctione polluerunt, careant libertate, & servis fiscalibus adgregentur.

III. *De diebus Dominicis.*

SI quis die dominico operam servilem fecerit liber homo, id est, si bovem iunxerit, & cum carro ambulaverit, dextrum bovem perdat.

II. Si autem sepem clauserit, fœnum siccaverit, aut messem secaverit aut collegerit, vel aliquod opus servile fecerit die dominico, corripiatur semel vel bis: & si non emendaverit, rumpatur dorsus eius L. percussionibus. Et si iterum præsumpserit operare die dominico, auferatur de rebus eius tertia pars. Et si nec sic cessaverit, tunc perdat libertatem suam, & sit servus, qui noluit in die sancto esse liber.

III. Servus autem pro tali crimine vapuletur; & si non emendaverit, manum dextram perdat. Quia talis causa vetanda est, quæ Dominum ad iracundiam provocat, & exinde flagellamur in frugibus, & penuriam patimur.

IV. Et hoc vetandum est in die dominico; ut quamvis in itinere positus cum carro, vel cum nave, pauset die dominico usque in secundam feriam.

V. Et si noluerit custodire præceptum Domini, quia Dominus dixit: *Nullum opus servile facias in die sancto, neque tu, neque servus tuus, neque ancilla tua, neque bos tuus, neque asinus tuus, neque ullus subiectorum tuorum:* & qui hoc in itinere vel ubicunque observare neglexerit, cum XII. sol. condemnetur.

IV. *Vt liberum sine mortali crimine non liceat inservire.*

VT nullum liberum sine mortali crimine liceat inservire, nec de hereditate sua expellere: sed liberi qui iustis legibus deserviunt, sine impedimento hereditates suas possideant. Quamvis pauper sit, tamen libertatem suam non perdat, nec hereditatem suam: nisi se spontanea voluntate alicui tradere voluerit, hoc potestatem habeat faciendi.

II. Qui contra hoc præceptum fecerit, sive Dux, sive iudex, sive aliqua persona, agnoscat se contra legem fecisse, XL. sol. sit culpabilis in publico, & liberum quem servitio oppresserit, vel hereditatem tulit, ad pristinam libertatem restituat, & res eius reddat, quas iniuste abstulit. Et alias similes restituat, & cum XL. sol. componat illi homini, quem contra legem inservivit.

TITVLVS VI. DE VXORIBVS ET CAVSIS QVÆ SÆPE CONTINGVNT.

I. *Si cum uxore alterius quis concubuerit.*

SI quis cum uxore alterius concubuerit libera, componat hoc marito eius cum suo weregeldo, id est, CLX. sol.

II. Et si in lecto cum illa interfectus fuerit, pro ipsa compositione quam debuit solvere marito eius, in suo scelere iaceat sine vindicta.

III. Et

III. Et si in lecto calcaverit uno pede, & prohibetur à muliere, & amplius nihil fecerit, cum XII. solid. componat, eo quod iniuste in extraneum calcavit thorum.

II. *De servo adultero.*

SI servus hoc fecerit, & interfectus cum libera in extraneo fuerit thoro, XX. sol. in suo damno minuetur ipsius coniugis were geldus.

II. Cetera verò quæ remanent dominus eius cogatur solvere, usque dum repletus fuerit numerus sceleris compositionis.

III. Et si ille servus evaserit, & interfectus non fuerit, sed tamen crimine devictus, dominus verò eius reddat eum illi, cuius uxorem maculavit, pro XX. sol.

IV. Cetera verò per omnia impleat pro eo, quod servo suo disciplinam minime imposuit.

III. *Si propter libidinem manum iniecerit.*

SI quis propter libidinem liberæ manum iniecerit, aut virgini seu uxori alterius, quod Baiuvarii horgrift vocant, cum VI. sol. componat.

IV. *Si indumenta supra genucula elevaverit.*

SI indumenta super genucula elevaverit, quod himilzorun vocant, cum XII. sol. componat,

V. *De discriminalibus reiectis.*

SI autem discriminalia eiecerit de capite, wultworf dicunt, vel virgini libidinose crines de capite extraxerit, cum XII. sol. componat.

VI. *De raptu virginum.*

SI quis virginem rapuerit contra ipsius voluntatem & parentum eius, cum XL. sol. componat, & alios XL. cogatur in fisco.

VII. *Si quis viduam rapuerit.*

SI autem viduam rapuerit, quæ coacta ex tecto egreditur orphanorum, & pro penuriæ rebus, cum LXXX. sol. componat, & LX. cogatur in fisco, quia vitanda est talis præsumptio: & eius defensio in Deo, & in Duce, atque in iudicibus debet consistere.

VIII. *De fornicatione cum libera.*

SI quis cum libera cum consensu ipsius fornicaverit, & nollet eam in coniugium sociare, cum XII. sol. componat: quia nondum sponsata, nec à parentibus sociata, sed in sua libidine maculata.

IX. *Si servus cum libera fornicaverit.*

SI servus cum libera fornicaverit, & hoc repertum fuerit, ille cuius servus est, reddat illum parentibus eius ad poenam, quam meruit, luendam, vel

ad interficiendum, & amplius nihil cogatur exſolvere: quia talis præſumptio excitat inimicitias in populo.

X. *Si cum libera manumiſſa fornicaverit.*

SI cum manumiſſa, quam Frilazin vocant, & maritum habet, concubuerit, cum XL. ſol. componat parentibus, vel domino, vel marito eius.

XI. *Si cum virgine, quæ per manum libera miſſa eſt.*

SI quis cum virgine quæ dimiſſa eſt libera concubuerit, cum VIII. ſol. componat parentibus, vel domino.

XII. *Si cum ancilla alterius.*

SI quis cum ancilla alterius maritata concubuerit, cum IIII. ſol. componat.

XIII. *Si cum ancilla virgine.*

SI quis cum ancilla virgine concubuerit, cum IIII. ſol. componat.

XIV. *Si uxorem propriam propter invidiam dimiſerit.*

SI quis liber liberam uxorem ſuam ſine aliquo vitio per invidiam dimiſerit, cum XLVIII. ſol. componat parentibus.

II. Mulieri autem dotem ſuam ſecundum genealogiam ſuam ſolvat legitime, & quidquid illa de rebus parentum ibi adduxit, omnia reddantur mulieri illi.

XV. *Si ſponſatam non acceperit.*

SI quis liber, poſtquam ſponſaverit alicuius filiam liberam legitime, ſicut lex eſt, eam dimiſerit, & contra legem aliam duxerit, cum XXIIII. ſolid. componat parentibus, & cum XII. ſacramentalibus iuret de ſuo genere nominatis, ut non per invidiam parentum eius, nec per ullum crimen eam dimiſiſſet, ſed propter amorem alterius alteram duxerit, & ſit finitum inter illos, & poſtea filiam ſuam donet cui vult.

XVI. *Si alterius ſponſam rapuerit.*

SI quis ſponſam alicuius rapuerit, vel per ſuaſionem ſibi eam duxerit uxorem, ipſam reddat, & componat bis LXXX. ſol. hoc eſt CLX.

VII. *Si promiſſione fœminam fraudaverit.*

SI quis liberam fœminam ſuaſerit quaſi ad coniugem, & in via eam dimiſerit, quod Baiuvarii wancluga vocant, cum XII. ſol. componat.

XVIII. *De avorſo per potionem facto.*

SI qua mulier alii potionem dederit, ut avorſum faceret, ſi ancilla eſt, CC. flagella ſuſcipiat, & ſi ingenua, careat libertate, ſervitio deputanda cui Dux iuſſerit.

XIX. *Varia de avorſo.*

SI quis mulieri ictu quolibet avorſum fecerit, ſi mulier mortua fuerit, tanquam homicida teneatur.

II. Si

II. Si autem tantum partus extinguitur, si adhuc partus vivus non fuit, xx. sol. componat.
III. Si autem iam vivens fuit, weregeldum persolvat, LIII. solid. & tremissem.
IV. Si avorsum fecerit, in primis XII. sol. cogatur exsolvere: deinde ipse & posteri sui per singulos annos, id est, autumnos singulos sol. usque in septimam propinquitatem de patre in filio.
V. Et si neglectum unius anni fecerint, tunc iterum XII. sol. solvere cogantur, & deinceps ordine præfato, donec series rationabilis impleatur.

XX. *De diuturna compositione dolore parentum.*

PRopterea diuturnam iudicaverunt antecessores nostri compositionem & iudices, postquam religio Christianitatis inolevit in mundo. Quia diuturnam, postquam incarnationem suscepit anima, quamvis ad nativitatis lucem minime pervenisset, patitur poenam; quia sine sacramento regenerationis abortivo modo tradita est ad inferos.

XXI. *De debilitate avorsi.*

SI vero ancilla à quacunque persona debilitata fuerit, ut avorsum faceret, si adhuc vivus non fuit, cum IIII. sol. componat.
II. Si autem iam vivus, x. sol. componat. Ancillæ domino reformentur.

TITVLVS VIII. DE FVRTO.

I. *Si liber furtum fecerit.*

SI quis liber aliquid furaverit, qualemcunq; rem, niungeldo componat, hoc est, novem capitalia restituat.

II. *Si quis in publico furaverit.*

II. Et si in Ecclesia, vel infra curtem Ducis, vel infra basilicam, vel in mulino aliquid furaverit, triniungeldo componat, hoc est, ter novem reddat: quia istæ quatuor domus casæ publicæ sunt, & semper patentes.
II. Et si negare voluerit, secundum qualitatem pecuniæ iuret.
III. Si unam saigam, id est, tres denarios furaverit, solus iuret secundum legem nostram.
IV. Si duas saigas, hoc est, VI. denarios, vel amplius usque ad unum solidum, quod sunt tres tremisses, cum sacramentali uno iuret.
V. Et si amplius quam solidum, sive tres denarios vel plus, usque ad quinque sol. furavit, cum sacramentalibus sex iuret.
VI. Si bovem domitum vel vaccam mulsam, id est, lactantem furaverit, cum VI. sacramentalibus iuret, vel duo campiones pugnent; & sortiatur de illis, cui Deus fortiter dederit.

III. *Si maiorem pecuniam furaverit.*

ET si maiorem pecuniam furaverit, hoc est, XII. sol. valentem vel amplius, aut equum totidem pretii, vel mancipium, & negare voluerit, cum XII. sacramentalibus iuret de lite sua, vel duo campiones propter hoc pugnent,

IV. *Si liberum hominem furaverit.*

SI quis liber liberum hominem furaverit, & vendiderit, & exinde probatus fuerit, reducat eum, & libertati restituat, & cum LXXX. sol. componat eum: in publico vero XL. sol. solvat, propter præsumptionem quam fecit.

II. Et si eum revocare non potuerit, tunc ipse fur perdat libertatem suam pro eo, quod conlibertum suum servitio tradidit, si solvere non valet weregeldum parentibus, & amplius non requiratur.

V. *Si fur nocturno tempore captus in furto.*

FVr nocturno tempore captus in furto, dum res furtivas secum portat, si fuerit occisus, nulla ex hoc homicidii querela nascatur.

VI. *Si alienum servum in furtum suaserit.*

SI quis alienum servum ad furtum suaserit, aut aliquid damnosum in fraudem domini sui, ut posset accusare eum, & fraus ipsa fuerit detecta per investigationem iudicis, dominus nec servum perdat, nec aliquid damni pro compositione patiatur: sed ille cuius conludione crimen admissum est, tanquam fur damnetur, in novicuplum compositionem cogatur exsolvere. Servus vero quod tulit reddat, & insuper CC. ictus flagellorum extensus publice accipiat.

VII. *Si nesciens à fure aliquid comparaverit.*

SI quis à fure nesciens comparavit, requirat accepto spatio venditorem.

II. Quem si non potuerit invenire, probet se cum sacramento & testibus innocentem, & quod apud eum cognoscitur, ex medietate restituat, & furem quærere non desistat.

III. Quod si furem cœlare voluerit periurans, & postea detectus inventus fuerit, tanquam ille fur ita in crimine damnetur.

VIII. *De furto in auro vel aliis speciebus.*

SI quis aurum, argentum, iumenta, vel pecora, aut quascunque res usque ad solid. X. vel amplius furaverit, & exinde probatus fuerit, tunc fur comprehensus iudici tradatur, & secundum legem vindictæ subiaceat, aut ei qui perdidit, in simplo componat. Veruntamen non prius damnetur ad mortem, quàm vel simplex de facultatibus prius componat.

IX. *Si quis occulte alienum animal interfecerit.*

SI quis occulte in nocte, vel in die alienum caballum, aut bovem, aut aliquod animal occiderit, & negaverit, & postea exinde probatus fuerit, tanquam furtivum componat.

X. *Si casu occiderit alienum animal.*

SI autem non volens casu faciente occiderit alienum animal, & non negaverit, consimile dare non tardet, & cadaver mortuum accipiat.

XI. *De*

XI. *De tintinnabulo.*

SI quis tintinnabulum furaverit de caballo, vel de bove, cum sol. compon.

II. Si de vacca, cum duobus tremissibus componat.

III. Si de minutis pecoribus, cum tremisse componat.

XII. *De horto.*

SI quis in hortum furtive alicuius intraverit, cum III. solid. componat: & quidquid ibi tulit, secundum legem furtivum componat.

II. Ita & de pomariis lex servanda est.

XIII. *De furtiva re comparata.*

VT nullus præsumat furtivam rem comparare infra provinciam: quod comparare voluerit, prius inquirat, si furtivum est, an non.

II. Si furtivum præsumpserit emere, & exinde probatus fuerit, & scienter hoc fecit, tunc similem rem donet illi, cuius pecuniam comparavit. Et in fisco pro fredo XII. sol. sit culpabilis.

XIV. *De custodia furtivæ rei.*

SImiliter ille qui de manu furis furtivam rem ad custodiendum acceperit, quasi consentiens furi, ita comp. sicut superius diximus.

II. Aut cum uno sacramentali iuret, quod nescivit furtivum quando comparavit, vel quando commendatum suscepit.

III. Vna lex erit utrisque, qui emit furtivum, aut qui commendatum suscepit.

IV. Et si quærenti domino negaverit, ille fur est, sicut ille qui furaverit, & ita componat sicut lex habet.

XV. *De compositione à latrone accepta.*

VT nemo de probato furto compositionem à latrone ausus sit accipere, nisi ante iudicem suum iudicetur.

II. Si autem præsumpserit hoc facere, & cœlaverit iudici suo, tunc latronis culpæ subiacebit.

XVI. *Vt sacramenta non citò fiant.*

VT sacramenta non cito fiant, iudex causam suam bene cognoscat: & prius veraciter inquirat, ut eum veritas latere non possit, ne facile ad sacramenta veniatur.

II. Hoc autem volumus inter Baiuvarios in perpetuum custodiri, ut causa investigata, & veraciter inventa, apud iudicem sit iudicata. Nulli liceat periurare, sed sicut iudicatum est, cogatur exsolvere.

III. In his vero causis sacramenta præstentur, in quibus nullam probationem discussio iudicantis invenerit.

XVII. *De falsa suggestione.*

SI quis contra caput alterius falsa suggesserit, vel pro quacunque invidia iniustam accusationem commoverit, ipse pœnam vel damnum, quod alteri intulit excipiat.

II. Neminem damnes antequam inquiras veritatem. Scriptum est, *Omnia autem probate, quod bonum est, tenete.*

XVIII. *De accusatione servi alterius.*

SI quis servum accusaverit iniuste alienum, & innocens tormenta pertulerit, pro eo quod innocentem in tormenta tradidit, domino simile mancipium reddere non moretur.

II. Si vero innocens in tormento mortuus fuerit, duos servos eiusdem meriti sine dilatione restituat.

III. Si non habuerit servum, aut unde componat, ipse subiaceat servituti, qui innocentem fecit occidi.

TITVLVS IX. DE INCENDIO DOMORVM, ET EARVM COMPOSITIONE.

I. *De immissione ignis per noctem.*

SI quis super aliquem in nocte ignem imposuerit, & incenderit liberi vel servi domum, inprimis secundum qualitatem personæ omnia ædificia componat, atque restituat: & quidquid ibi arserit, restituat.

II. Vnaquæque suppellectilia, & quanti liberi nudi de ipso incendio evaserint, unumquemque cum sua hrefawnti componat.

III. De fœminis vero dupliciter.

IV. Et tunc domus culmen cum XL. sol. componat.

II. *De scuria liberi.*

DE scuria vero liberi, si conclusa parietibus, & pessulis cum clave munita fuerit, cum XII. sol. culmen componat.

II. Si autem septa non fuerit, sed talis quod Baiuvarii scofph dicunt, absque parietibus, cum VI. sol. componat.

III. De illo granario, quod parch appellant, cum III. sol. componat.

IV. De mita vero si illam detegerit, vel incenderit, cum III. sol. comp.

V. De minore vero, quod scopar appellant, cum sol. componat, & universa comparilia restituat.

III. *De culminum eiectione minorum ædificiorum.*

SI quis desertaverit, aut culmen eiecerit, quod sæpe contingit, aut incendio tradiderit uniuscuiusque, quod firstfalli dicunt: quæ per se constructa sunt, id est, balnearium, pistoriam, coquinam, vel cetera huiusmodi, cum tribus sol. componat, & restituat dissipata vel incensa.

IV. *De*

IV. *De igne immisso & extincto.*

SI autem ignem posuerit in domo, ita ut flamma eructet, & non perarserit, & à familiis liberata fuerit, unumquemque de liberis cum sua hrefawunti componat, eo quod illos in unwan quod dicunt, in desperationem vitæ fecerit.

II. Et non componat amplius, nisi tantum, quantum ignis consumpserit.

III. Ducalis vero disciplina integra permaneat.

IV. Et si negare voluerit de istis, cum campione se defendat, aut cum XII. sacramentalibus iuret.

V. De servorum vero firstfalli, uniuscuiusque ut manum recisam componat.

V. *De dissipatione domus.*

MOdo quia de domorum incensione sermo perfinitur, censemus incongruum non esse, ut de dissipatione domus, ædificiorumq; compositione edisseramus.

VI. *De culmine.*

SI quis delicti, vel qualibet causæ præsumptione, vel inimicitia, nec non & incuria, aut certe hebetatione, liberi culmen eiecerit, domino domus cum XL. sol. componat.

II. Si eam columnam, à qua culmen sustentatur, quam first sul vocant; aut si interioris ædificii illam columnam eiecerit, quam vinchisisul vocant, VI. sol. componat.

III. Ceteræ vero huius ordinis componantur cum III. sol.

IV. Exterioris vero ordinis columnam angularem cum III. sol. compon.

V. Illas alias columnas huius ordinis singulas cum singulis sol. compon.

VII. *De trabibus.*

TRabes vero singuli cum tribus sol. componantur.

VIII. *De spangis quæ parietes continent.*

EXteriores vero quas spangas vocamus, eo quod ordinem continent parietum, cum III. sol. componat.

IX. *De ceteris ædificii sumptibus.*

CEtera vero, id est, asseres, laterculos, axes, vel quidquid in ædificio construitur, singula cum singulis sol. componat.

II. Et si una persona hæc omnia commiserit in alterius ædificio, amplius non cogatur solvere, quàm culminis deiectionem, vel ea quæ maiora huius commiserint criminis: minora huius personæ non sequitur, nisi tantum restituendi secundum legem.

X. *De curtis dissipatione.*

SI curtem dissipaverit, aut inruperit liber liberi, cum tribus sol. cõponat, & restituat damnum.

XI. *De sepe rupta.*

SI illam sepem ruperit vel dissipaverit, quam ezzise zun vocant, cum uno solido est restitutio.

II. Superiorem vero virgam, quam etarchartea vocamus, quæ sepis continet firmitatem, si eam iniuste reciderit, simili modo cum sol. componat, eo quod minime tunc sepis vitiata animalis sustinet impetum.

XII. *De signis ob defensionem positis.*

QVi autem signum, quod propter defensionem ponitur, aut iniustum iter excindendum, vel pascendum, vel campum defendendum, vel amplificandum secundum morem antiquum, quod signum wiffam vocamus, abstulerit vel iniuste reciderit, cum uno solido componat.

XIII. *De via publica.*

SI quis viam publicam ubi Dux egreditur, vel viam æqualem alicuius clauserit contra legem, cum XII. sol. componat, & illam sepem tollat: & si negare voluerit, cum XII. sacramentalibus iuret.

XIV. *De via convicinali.*

DE via convicinali vel pastorali, qui eam alicui contra legem clauserit, cum VI. sol. componat, & aperiat, vel cum VI. sacramentalibus iuret.

XV. *De semita.*

DE semita convicinali, si quis eam clauserit, cum III. sol. componat, aut cum uno sacramentali iuret.

XVI. *De fonte.*

SI fontem quacunq; immunditia coinquinaverit, vel maculaverit, emundet eum prius, ut nulla sit suspicio coinquinationis, & cum VI. sol. comp.

II. Si autem plurimorum in vicinio puteus fuerat, compositione inter se mulctentur.

III. Ille vero puteum in pristinum restituat gradum.

TITVLVS X. DE VIOLENTIA.

I. *De curte.*

SI quis in curtem alterius per vim contra legem intraverit, cum III. sol. componat.

II. *De domo.*

SI autem in domum per violentiam intraverit, & ibi suum nihil invenerit, cum VI. sol. componat.

II. Nemo enim ingrediatur alienam domum per violentiam, quia hoc scandalum generat.

III. Et

II. Et postquam intraverit, & se cognoverit reum, iniuste quòd intrasset, det wadium domino domus. Et si ille defuerit, mittat ipsum wadium supra liminare, & non cogatur amplius solvere, quam III. sol.

TITVLVS XI. DE TERMINIS RVPTIS.

I. *De limitibus.*

SI quis limites complanaverit, aut terminos fixos fuerit ausus evellere, si ingenuus est, per singula signa vel notas vicenos VI. solid. componat.

II. Si servus est, per singula signa L. flagella suscipiat.

II. *Si limitibus casu motis.*

SI quis dum arat, vel vineam plantat, terminos casu, non voluntate evellerit, vicinis præsentibus restituat terminum, & nullum damnum patiatur.

III. *De contentione terminorum.*

QVotiescunque de terminis fuerit orta contentio, signa quæ antiquitus constituta sunt, oportet inquirere, id est, aggerem terræ, quem propter fines fundorum antiquitus adparuerit fuisse ingestum, lapides etiam quos propter indicium terminorum notis evidentibus sculptos, vel constiterit esse defixos.

II. Si hæc signa defuerint, tunc in arboribus notas, quas decoreas vocant, convenit observare: sed illas, quæ antiquitus probantur incisæ.

III. Quòd si intra terminos alienos per absentiam aut per ignorantiam domini, partem aliquam forte possederit, statim eam cum antiqui & evidentes ab inspectoribus fines agnoscuntur, amittat domino reformandam, nec contra signa evidentia ullum longæ possessionis tempus opponat.

IV. Nisi si comparavit ab aliquo, tunc venditorem ostendat, & secundum legem definiat.

IV. *De novo termino probibendo.*

NEmo novum terminum sine consensu partis alterius, aut sine inspectore constituat.

II. Quod si forte liber hoc fecerit, damnum pervasionis excipiat, quod legibus continetur, id est, VI. sol.

III. Si vero servus hoc admiserit domino nesciente, CC. flagella publice extensus accipiat: & nullum ex hoc præiudicium domino comparetur.

V. *De signis non evidentibus,*

QVotiens de commarchanis contentio nascitur, ubi evidentia signa non adparent in arboribus, aut in montibus, nec in fluminibus, & iste dicit: *Hucusque antecessores mei tenuerunt, & in alodem mihi reliquerunt,* & ostendit secundum proprium arbitrium locum: alter vero nihilominus in istius partem ingreditur, alium ostendit locum, secundum prioris verba su-

um & suorum antecessorum semper finisse usque in præsens asserit. Et si alia probatio nusquam inveniri dignoscitur, nec utriusque invasionem compensare voluerint, tunc spondeant invicem wehadinc quod dicimus, & in campiones non sortiantur, sed cui Deus dederit fortiam & victoriam, ad ipsius partem designata pars, ut quæritur, pertineat.

VI. *De iacentibus columnis.*

SI quis priusquam finita fuerit contentio, per fortiam ædificia elevare voluerit, & econtrario ille alter iacentibus columnis contradixerit, & inde testem habuerit, & is propter contumaciam legi obtemperare noluerit, sed suam perfecerit domum, & cetera ædificia sepis conclusione firmaverit, tunc dicat: *Emunda territorium meum usque ad legis præfinitionem:* & ille à contrario in suum dicit posuisse, & emundare minime debere. Iste vero dicit: *Ego testem habeo, quod tibi iacentibus columnis contradixi.* Tunc testes iurantes testimonium proferant, & cum campionibus determinetur sententia.

II. In ceteris huiusmodi ædificiis & horum conclusionibus nullatenus testificatio consistat, sed is qui ædificavit, cum sua lege defendat. Si autem curte adhuc cinctus non fuerit, ille qui defendere voluerit, iactet securem saiga valentem contra meridiem, orientem, atque occidentem: à septentrione verò ut umbra pertingit, amplius non ponat sepem, nisi determinata fuerit contentio.

VII. *De materiis non elevatis.*

SI aliquis alicuius materiam in sylva, aut propter inimicitias vel invidiam truncaverit, vel læserit, cum alia simili restituat, & cum sol. componat.

II. Et si eam sibi in usum miserit, nisi per convenientiam non potest, debet ei in mallo placare ad restituendum, & cum sol. dum ipsam habet, componat.

TITVLVS XII. DE PIGNORIBVS.

I. *Vt nemini liceat pignorare.*

PIgnorare nemini liceat, nisi per iussionem iudicis.

II. Si forte est aliquis homo tam durus, vel inobediens, aut contumax, rebellis iustitiæ, qui non vult recte respondere, non vult iustitiam facere, ille est contemptor legis, talis distringatur à iudice.

II. *De eo qui non vult iustitiam facere.*

SI quis liber alicui libero, qui eum mallat de qualicunque re, dedignabitur iustitiam facere, ille qui quærit causam suam, habeat ibi testes duos vel tres, qui audiant & videant qualiter ille respondeat, ut possint ante iudices testes esse. Tunc iudex iubeat eum in præsenti venire, & iudicet ei, & componat XII. sol. quia non dignabatur iustitiam facere ei cui debuit.

II. Sic omnis qui non dignabitur iustitiam facere ei cui debuit, de qua re appellatus fuerit, pro fatigatione quam facit ei, qui eum appellat, comp. XII. sol.

sol. & postea respondeat secundum legem, & faciat iustitiam, sicut legem habet, Duci verò XL. sol.

III. *Si contra legem pignoraverit.*

SI quis aliquem contra legem pignoraverit, & sine iussione Ducis, pignus sine læsione reddat, & aliud simile addat: Duci verò pro fredo XL. solid. solvat.

II. Et aliud pignus si læserit, componat quantum æstimaverit, qui causas iudicat.

III. Talis enim præsumptio non debet fieri, quia hoc scandalum generat.

IV. Et pro omni pignore, quod contra legem tulerit, semper VI. sol. componat.

V. Si pignus illud minus valet, quam sex sol. tunc pignus reddat, & cum VI. sol. componat.

VI. Si autem pignus quod tulit plus valet, quam VI. sol. ipsum inlæsum reddat, & simile aliud addat, Duci verò pro fredo XL. sol.

IV. *Si porcos in pignus tulerit.*

SI quis contra legem porcos in pignus tulerit, unumquemque cum XII. saigis componat.

II. Illam ductricem cum tremisse componat.

V. *Si oves tulerit in pignus.*

SI quis oves in pignus contra legem tulerit, taceat de causa pro qua pignus tulit, & cum sol. componat.

II. Nisi forte ille homo alias res non habet, per quas possit pignus tollere: si nisi ipsas oves nihil aliud habet, non erit culpabilis, quia necessitas hoc compellit facere.

VI. *Si messem vel prata araverit.*

SI quis messem vel pratum alterius araverit, usque ad tres sulcos in longitudine iugeris, vel in transverso VI. sulcos, cum III. sol. componat: aut si negare voluerit, iuret cum sacramentali uno.

VII. *Si messem maturam furaverit.*

SI quis messem iam maturam in agro furaverit, cum VI. sol. componat.

II. Et si negare voluerit, cum VI. sacramentalibus iuret, secundum legem suam.

VIII. *Si alterius initiaverit messem.*

SI quis messes alterius initiaverit maleficis artibus, & inventus fuerit, cum XII. sol. componat, quod aranscarti dicunt, & familiam eius, & omnem substantiam eius, vel pecora eius, habeat in cura usq; ad annum. Et si aliquid perdiderit homo ille de rebus suis in illo anno, ille reddat: & si negare voluerit, cum XII. sacramentalibus iuret, aut cum campione cincto defendat se, hoc est, pugna duorum.

IX. *Si servum ad fugiendum suaserit.*

SI quis servum alienum ad fugiendum suaserit, & foras terminum eum duxerit, hoc est, foras marcham, cum XII. sol. cõponat, & ipsum reducat.

II. Et si negare voluerit, cum XII. sacramentalibus iuret, aut cum campionibus suam quærat iustitiam.

III. Si ancilla est, cum XXIIII. sol. componat, & ipsam reddat.

TITVLVS XIII. DE VITIOSIS ANIMALIBVS, ET EORVM COMPOSITIONE.

I. *De animalibus vitiosis.*

QVæ sepi damnum inferunt, & huic vitio assuescunt, si se in stipitem maculaverint intereundo vel exeundo, & ibi mortui fuerint, si sepes legitime fuerit exaltata, id est, mediocri statura virili usque ad mammas, nihil cogatur solvere dominus sepis.

II. *Qui ea in sepem compulerit.*

SI altera persona ipsum animal per vim sallire compulerit, solvat animal, quia iniuste eum in periculum mortis eiecit.

III. *Si dominus sepis hoc fecerit.*

SI ipse dominus sepis simili modo ex sua clausura cum canibus vel ceteris flagellis eiecerit, cum simili componat.

IV. *Statim si mortua non fuerint.*

SI autem statim mortuum non fuerit, sed vulneratum evaserit ad domum domini sui, & dominus animalis hoc cognoverit, & dicit ad illum reum, qui ipsum animal compellebat in mortem, *Recipe animal quod læsisti*, quod nos avursam vocamus.

V. *Si confessus est, recipiat eum.*

SI autem confessus est, recipiat donec sanetur, & aliud interim ad operationem restituat interdum, quale illud fuerat, quod læsit.

VI. *De restituendis animalibus.*

SI vero mortuum fuerit, quod in locum posuit, teneat possessor animalis læsi.

II. Iste vero cadaver, quod sanare nequiverat, ad suum teneat usum.

VII. *Si læsum recipere noluerit.*

SI autem læsum animal, qui id lædere se compellebat, recipere noluerit, dominus animalis cadaver sibi sumat in usum, & ille alius nihilominus ex integro cogatur exsolvere.

VIII. *Si*

VIII. *Si oculum alterius animalis excusserit.*

SI quis alterius caballo, aut bovi, vel cuilibet quadrupedi unum oculum excusserit, adpretiet illud pecus quod valet, & tertiam partem componat.

IX *Si bovis cornu.*

SI quis bovi alterius cornu à capite excusserit, cum tremisse componat.
II. Si cornu exiluerit, & os remanserit, duas saigas donet.
III. Si vaccæ excusserit, duas saigas componat.

X. *Si caudam amputaverit.*

SI caudam amputaverit, vel aurem, si equus est, quem marach dicimus, cum sol. componat.
II. Si mediocris fuerit, quem wilz vocant, cum medio sol. componat.
III. Et si deterior fuerit, quem angargnaco dicimus, qui in hoste utilis non est, cum tremisse componat.
IV. Similiter qui alterius bovi caudam amputaverit vel aurem, cum tremisse componat.
V. Si vaccam alterius huiusmodi læserit, cum duabus saigis componat.

XI. *De iniuste usis animalibus.*

ET si unum eorum contra legem minaverit, quod sweizcholi dicimus, pari sententiæ subiaceat.
II. Si quis autem contumaciter alterius iumento propter dispectionem domini sui, vel quacunque inimicitia hoc iniuste perpetraverit, hæc universa in componendo duplicantur.

XII. *Vt minime præsumat animal alienum occidere.*

VT nemo præsumat alienum animal occidere, neque porcum, quamvis in damno eum invenerit, sed reclúdat eum donec domino eius ostendat damnum, & aliqui de vicinis eorum videant hoc, & designent locum qui læsus est: & alia quæ intacta sunt, usque ad maturitatem colligat cuius messes est, & quantum minus invenerit in læsione illa, contra hæc æqualitatem integram ille reddat, cuius animalia fuerunt, & damnum fecerunt.
II. Ita & de vinea, & de prato faciat, sicut æstimatores arbitraverunt, & componat.

TITVLVS XIV. DE COMMENDATIS ET COMMODATIS.

I. *De custodia.*

SI quis caballum aut quodlibet animalium genus ad custodiendum mercede placita commendaverit, si perierit, eiusdem meriti ille, qui commendata suscepit, exsolvat: si tamen mercedem fuerit pro custodia consequutus.

II. Quod si etiam nulla placita mercede susceperat, & mortuum esse probaverit, nec ille mercedem requirat, nec ab illo aliquid requiratur.

III. Tamen ratio est ut præbeat sacramenta ille, qui commendata susceperat, quod non per suam culpam, neque per negligentiam mortua consumpta sint, & reddat corium.

IV. Eadem de commodatis forma servetur.

II. *Si aurum furaverit.*

SI cui aurum, vel argentum, vel ornamenta, vel quæcunque species fuerint commendatæ, sive custodiendæ traditæ sint, sive vendendæ, & in domo ipsius cum rebus ipsius forsitan fuerint incendio concrematæ, una cum testibus qui commendata susceperat, præbeat sacramenta, nihil exinde suis profuisse compendiis, & nihil cogatur exsolvere, excepto auro & argento, quod ardere non potuit.

III *De incendio furatis.*

SI quis forte dum domum flamma consumit, se quasi auxilium adlaturus ingesserit, & aliquid forte rapuerit, dominus domus diligenter inquirat: & si eum potuerit invenire, ille qui rapuerat, in quadruplum rapta restituat.

II. Et si de commendatis rebus apud direptorem aliquid forte repererit, domino restituere non moretur.

IV. *De commendatis furatis.*

SI verò quæ commendata fuerant, furto probantur ablata; ei, qui commendata perdiderat, spatium tribuatur, donec furem suum investigatione perquirat.

II. Et si eum invenerit, commendatori res proprias tantummodo reformare procuret.

III. Compositio verò furti ad eum, qui habuit rem commendatam, pertineat.

IV. Et si fur non fuerit intra statum tempus inventus, medietas rerum commendatarum domino suscipiente reddatur, damnum verò ex medio uterque sustineat.

V. Et postmodum si dominus rerum apud eum cui commendaverat, quæcunque fuerint suppressa vel expressa repererit, cum hæc ille prius se dixerat perdidisse, vel furto fuisse sublata, sicut à fure ab eo exigi legum statuta præcipiunt, & compositionem cogatur implere.

V. *De re in contentione posita.*

REm in contentione positam non liceat donare nec vendere.

VI. *De viduis.*

VIduæ, si post mortem mariti in viduitate permaneant, æqualem inter filios suos, id est, qualem unus ex filiis, usufructuariam habeant portionem, usque ad tempus vitæ suæ, usufructuario iure possidenat.

VII. *De*

VII. *De secundis nuptiis.*

QVod si mater ad alias nuptias forte transierit, ea die usufructuariam portionem, quam de bonis mariti fuerat consequuta, filii inter reliquas res paternas, qui ex eo nati sunt coniugio, vindicabunt.

II. Mater verò si habet proprias res, & cum dote sua, quam per legem habet, egrediatur.

III. Et si ibi filios nec filias generavit, post mortem eius omnia quæ de filiis suis detulit, ad illos revertantur.

VIII. *De divisione inter fratres.*

VT fratres hereditatem patris æqualiter dividant: ut quamvis multas mulieres habuisset, & totæ liberæ fuissent de genealogia sua, quamvis non æqualiter divites, unusquisque hereditatem matris suæ possideat, res autem paternas æqualiter dividant.

II. Si verò de ancilla habuerit filios, non accipiant portionem inter fratres, nisi tantum quantum ei per misericordiam dare voluerint fratres eorum, quia in vetere lege scriptum est: *Non enim erit heres filius ancillæ cum filio liberæ, tamen debent misericordiam considerare, quia caro eorum est.*

IX. *De eo qui sine liberis moritur.*

DE eo qui sine filiis & filiabus mortuus est, mulier accipiat portionem suam, dum viduitatem custodierit, id est, medietatem pecuniæ: medietas autem ad propinquos mariti pertineat.

II. Si autem mulier mortua fuerit, aut alium maritum tulit, tunc quod proprium habet de mariti rebus, quæ per legem ei debentur, accipiat: ceteras res propinqui prioris mariti accipiant.

III. Si autem maritus, qui nec filios, nec filias, nec nepotes, nec pronepotes, nec ullum de propinquis habet, sed in uxorem, aut donatione aut testamento, sive partem, sive omnes contulerit facultates, & hæc deinceps in viduitate persistit, & memoriam mariti cum pudicitia castitatis observat, omnia quæ à marito ei sunt donata possideat, & ea in quem voluerit pro suo iure transfundat.

IV. Quod si maritus & mulier sine herede mortui fuerint, & nullus usque ad septimum gradum de propinquis & quibuscunque parentibus invenitur, tunc illas res fiscus adquirat.

TITVLVS XV. DE VENDITIONIBVS.

I. *Si quis res alienas vendiderit.*

SI quis vendiderit res alienas sine voluntate domini sui, aut servum, aut ancillam, aut qualemcunque rem, ipsam per legem reddat, & consimilem aliam addat.

II. Et si ipsam non potest invenire, duas consimiles reddat.

II. *Si quis possessionem vendiderit.*

SI quis vendiderit possessionem suam alicui, terram cultam, non cultam, prata, vel sylvas, post acceptum pretium aut per chartam, aut per testes comprobetur firma emptio. Ille testis per aurem debet esse tractus, quia sic habet lex vestra: duo vel tres vel amplius debent esse testes.

II. Si venditio fuit violenter extorta, id est, aut metu mortis, aut per custodiam, nulla ratione firma sit.

III. *Si à servo alieno comparaverit.*

SI quis à servo alieno aliquid comparaverit nesciente domino suo, si dominus firmam esse noluerit emptionem, reddatur pretium emptori, & emptio nihil habeat firmitatis.

II. Si ipsum non habet, consimile reddat.

IV. *De contentione venditæ rei.*

QVotiens de vendita re contentio commovetur, si alienum fuisse constiterit, nullus sine domini præiudicio comparet.

II. Et domino is qui aliena vendere præsumpsit, duplum cogatur exsolvere, nihilominus emptori, qui accepit, pretium redditurus.

III. Et quidquid ad comparatæ rei profectum studio suæ utilitatis emptor adiecerit, à locorum iudicibus æstimetur, & ei qui laborasse cognoscitur, à venditore iuris alieni satisfactio iusta reddatur.

V. *Si ingenuum hominem vendiderit.*

SI quis ingenuum vendiderit, cum ille suam probaverit libertatem, is qui eum vendiderit, reducat eum in locum suum, & restituat ei libertatem, sicut prius habuit, & componat ei XL. sol. excepto quod emptori in duplum pretium, quod accepit, cogatur exsolvere.

II. Similis ratio dupliciter de fœminis servetur.

III. Et si eum vel illam foris provincia vendiderit, & iterum reducere non potuerit, tunc cum weregeldo componat, hoc est, CLX. sol. componat parentibus.

VI. *Si servum proprium vendiderit.*

SI quis servum suum vendiderit, & forsitan eius nesciens facultates quas habebat, dominus eius potestatem habeat, qui eum vendidit, requirendi res eius ubicunque invenire potuerit.

VII. *Si servus de suo fuerit redemptus.*

SI quis servus de peculio suo fuerit redemptus, & hoc dominus eius forte nescierit, de domini potestate non exeat, quia non pretium, sed res servi sui dum ignorat, accepit.

VIII. *De commutatione.*

COmmutatio, hoc est, quod cambias, talem qualem emptio habeat firmitatem.

IX. *De*

IX. *De venditionis forma.*

VEnditionis hæc forma servetur, ut seu res, seu mancipium, vel quodlibet genus animalium venditur, nemo propterea firmitatem venditionis irrumpat, quod dicat se vili pretio vendidisse; sed postquam factum est negotium, non sit mutatum.

II. Nisi forte vitium invenerit, quod ille venditor cœlavit, hoc est, in mancipio, aut in caballo, aut in qualicunque peculio, id est, aut cæcum, aut herniosum, aut caducum, aut leprosum.

III. In animalibus autem sunt vitia, quæ aliquotiens cœlare potest venditor.

IV. Si autem venditor dixerit vitium, stet emptio: non potest mutare.

V. Si autem non dixerit, mutare potest in illa die, & in alia, & in tertia die.

VI. Et si plus de tribus noctibus habuerit, postea non potest mutare.

VII. Nisi forte eum invenire non potuerit infra tres dies, tunc quando invenerit, recipiat qui vitiatum vendidit,

VIII. Aut si non vult recipere, iuret cum sacramentali uno: *quia vitium ibi nullum sciebam in illa die, quando negotium fecimus.* & stet factum.

X. *De arris.*

QVi arras dederit pro quacunque re, pretium cogatur implere, quod placuit emptori, & si non occurrerit ad diem constitutum, vel antea non rogaverit placitum ampliorem, & hoc si neglexerit facere, tunc perdat arras, & pretium quod debuit, impleat.

XI. *De firmitate.*

SI mancipium aliquod sit, dicit: *Istud mancipium ego comprehendi extra terminum, ubi Dux exercitum duxit, vel alibi Dux illum per debitam & iustam culpam tulit, & mihi licenter tradidit.* Aut si aliqua ornamenta sint, dicit: *Quod mancipia mea ex propria mea materia laboraverunt & fecerunt,* aut fabri huiusmodi si fuerint, *propterea tradidi & firmabo.* Si hæc defuerint, in supradictis rebus nullatenus potest firmare. Si autem firmaverit, non potest ab eo cui firmavit, nisi ipse voluerit, retrahere.

II. Si campio quæsitores vicerit, si firmare promiserit emptori, id est, suuro, & non potuerit per hæc verba veraciter, ut supra diximus, & constitutum ruperit, tunc pretium reddat, & talem terram aut speciem, qualem se firmare pollicebatur, restituat sine mora: eo quod valde reprehensibilis est, qui res alterius dare præsumpserit, quia aliquotiens exinde scandala nascuntur.

III. Simili modo qui propria donaverit, ut quibusdam iniustis machinamentis sibi sociaret, quod nunquam tenuerat.

IV. Si mancipium fuerit, & dicit: *Pater meus reliquit mihi in hereditatem:* Aut; *ego in propria domo enutrivi illud, de propriis meis mancipiis natum.* Similiter de iumentis vel huiusmodi, quæ fuerint, adferere potest.

XII. *Vt per chartam venditio firmetur aut testes.*

QVidquid vendiderit homo, aut comparaverit qualemcunque rem, omnia sint firmata aut per chartas, aut per testes, qui hoc probare possint; hoc est, de mancipiis, de terra, casis vel sylvis, ut postea non sit contentio.

XIII. *De pactis vel placitis.*

PActa vel placita, quæ per scripturam quamcunque facta sunt, vel per testes denominatos tres, vel amplius, dummodo in his dies & annus sit evidenter expressus, immutare nulla ratione permittimus.

TITVLVS XVI. DE TESTIBVS ET EORVM CAVSIS.

I. *De testibus, si suum voluerit vindicare.*

SI quis homo pratum, vel agrum, vel exartum alterius contra legem malo ordine invaserit, & dicit suum esse, propter præsumptionem, cum sex sol. componat, & exeat.

II. Si autem suum voluerit vindicare illum agrum, aut pratum, vel exartum, vel unde illa contentio est, taliter vindicet. Iuret cum VI. sacramentalibus, & dicat: *Ego tua opera priora non invasi contra legem, nec cum sex sol. componere debeo, nec exire, quia mea opera & labor prior hic est, quam tuus.* Tunc dicat ille, qui quærit: *Ego habeo testes, qui hoc sciunt, quod labores de isto campo semper ego tuli, nemine contradicente exartavi, mundavi, possedi usque hodie, & pater meus reliquit mihi in possessione sua.* Ille homo qui hoc testificare voluerit, commarchanus eius debet esse, & debet habere VI. solidorum pecuniam, & similem agrum. Tunc ille testis iuret taliter: *Quia ego hoc meis auribus audivi, & oculis meis vidi, quod istius hominis priora opera fuerunt in isto agro, quam tua, & labores fructuum ille tulit.* Post sacramentum, reddat agrum. Tunc ille defensor si sperat, quod iustitia de illo agro suo fuisset, & in præsenti populo fiat, ne per invidiam aliquis pereat, dicat ad illum testem: *Mendacium iurasti contra me, sponde mihi pugnam duorum, & manifestet Deus, si mendacium an veritatem iurasti contra me, & componere debes cum XII. sol. & illam terram reddere, quam mendaciter abstulisti.* Si vicerit ille, qui quærit, componat cum XII. sol. & illam terram reddat: & si illam terram non potuerit donare, donet aliam in proximo, quantum iactus est de securi saiga valente. Et si in proximo non habet, nec comparare potest, iuret secundum pretium agri, ut ipsum agrum cum pretio valente, nec cum duplo, nec cum triplo conquirere potuisset, donet ubi habet: & ipsum agrum quem donet, iuret quod talis sit, qualis suus fuerat.

II. *Si testem habuerit per aurem tractum.*

SI quis testem habuerit per aurem tractum de qualibet causa finita ratione, & hoc confirmarit per testes, post hæc non habet repetere, nec inquietare illum, à quo finivit rationem suam. Et si voluerit, tunc per testes defendat

dat se, ille testis testificet, sicut scit, unde ad testem per aurem tractus fuit: & hoc per sacramentum confirmet. Non debet testem veritatis repellere causaticus eius, nisi forte aliquis testem mendacem habere voluerit. Potest illum cum lege repellere cum pugna duorum, & dicere, *Non tibi traxi testem de ista causa, neque consentio.* Si autem testis per aurem tractus fuerit de compositione finienda, vel propter arras, qui donat quasi pro pignore qualemcunque rem, usque dum solvat debitum, & pignus recipiat, illum testem nemo repellat, nec potest, sed consentiat. Nisi super mortuum hominem testare voluerit aliquam causam, illum potest contradicere cum duorum pugna, & dicere: *Defendere hoc volo cum campione meo, quod dicis, quia tu mentiris, & tuus testis super mortuum meum.*

IV. *Si testis victus fuerit.*

ET si ille victus fuerit, qui negare testem voluit super mortuum suum, tunc amplius pugna duorum non veniat, quia ad testificationem per vim illum mortuum acquisivit: sed cum sacramento, ut lex est, testificetur, & testificatio firma permaneat.

IV. *De discordia iudicum.*

SEd si discordant nostri iudices de pacto, quod ipse qui testem adducit iurare debeat, quod mendacem testem non proferret, nec de illius testificatione sacramenti se abstinere debeat.

V. *Si plures fuerint testes.*

ET si plurimi testes fuerint, & ad unum conventum venerint, sortiantur illi testes inter se, & cui sors exierit, iuret ille taliter, & dicat, *Ad testem sortitus sum, & ad testem me facere volo.* Adprehendat manum proximi sui, & dicat: *Sic me Deus adiuvet, & illum cuius manum teneo, quod ego ad testem illum inter vos per aurem tractus fui de ista causa ad veritatem dicendam.* Tunc solus iuret cum sua manu, postea donet arma sua ad sacrandum, & per ea iuret ipsum verbum cum uno sacramentali: & si mendaciter iurat, componat illa, cuius causam abstulit, cum XII. sol. & ipsam causam restituat, aut defendat se cum campione suo, si recte iuravit, hoc est, pugna duorum.

TITVLVS XV. DE CAMPIONIBVS, ET CAVSIS, QVÆ AD EOS PERTINENT.

I. *Si unus ab altero fuerit interfectus.*

SI unus ex his ab altero interfectus fuerit, quamvis nobilis sit persona, non componatur amplius, quàm XII. sol. & ab eo componatur, qui illum iniuste invitavit.

II. Si servus per domini sui consensum, pari modo ratio subiacebit: sin autem, cum XX. sol. componat.

II. *De his qui propriam alodem vendiderunt.*

DE his qui propriam alodem vendunt, vel quascunque res, & ab emptore alter abstrahere voluerit, & sibi sociare in patrimonium, tunc dicat emptor ad venditorem: *Terram* (aut quæcunque fuerit res) *abstrahere mihi vult vicinus meus*, (aut quis fuerit). Et iste respondet: *Ego quod tibi donavi, cum lege integra & verbis testificatione firmare volo*, super septem noctes fiat constitutum. Si dicit, cum utrisque utræque partes conveniunt: *Cur invadere conaris territorium, quem ego iuste iure hereditatis donavi?* Ille alius contra: *Cur meum donare debuisti, quod antecessores mei antea tenuerunt?* Iste vero dicit: *Non ita, sed mei antecessores tenuerunt, & mihi in alodem reliquerunt, & vestita est illius manus cui tradidi, & firmare volo cum lege.* Si statim voluerit, liberam habeat potestatem: sin autem, postea super III. dies, aut V. aut certe VII. ea ratione firmet. Per quatuor angulos campi, aut designatis terminis, per hæc verba tollat de ipsa terra, vel aratrum circumducat, vel de herbis, aut ramis, sylva si fuerit: *Ego tibi tradidi, & legitime firmabo per ternas vices.* Dicat hæc verba, & cum dextera manu tradat: cum sinistra verò porrigat wadium huic, qui de terra ipsa eum mallat, per hæc verba: *Ecce wadium tibi do, quod tuam terrā alteri non do, legem faciendo.* Tunc ille alter suscipiat wadium, & donet illum vicessoribus istius ad legem faciendam. Si causa fuerit inter illos pugnæ, dicat ille qui wadium suscepit: *Iniuste territorium meum alteri firmasti*, id est, furswirotos, *ipsum mihi debes reddere, & cum XII sol. componere.* Tunc respondeat: *pugna duorum, & ad Dei pertineat iudicium.* Sin autem cum sacramento se defendat, id est, cum XII. quod suam terram iniuste non firmaret alteri, nec suæ ditioni restituere deberet, nec cum XII. sol. componere.

TITVLVS XVIII. DE MORTVIS ET EORVM CAVSIS

I. *Si mortuum ex monumento eiecerit.*

SI quis mortuum liberum de monumento effodierit, cum XL. solid. componat parentibus, & ipsum quod ibi tulit furtivum componat.

II. *Si in flumine proiecerit.*

SI quis liberum occiderit furtivo modo, & in flumine eiecerit, vel in talem locum eiecerit, ut cadaver reddere non quiverit, quod Baiuvarii murdrido dicunt, in primis cum XL. sol. componat, eo quod funus ad dignas exequias reddere non valet. Postea vero cum suo weregeldo componat.

II. Et si ipsum cadaver à fluminis alueo ad ripam proiectum fuerit, & à quolibet inventum, qui iterum cadaver de ripa impinxerit, & exinde probatus fuerit, cum XII. sol componat.

III. Si servus furtivo modo supradicto more occisus fuerit, & ita absconsus, quod gamurdrit dicunt, novuplum componat, id est, CLXXX. sol.

III. *De*

III. *De vestitu mortuorum.*

DE vestitu utrorumque, quod walaraupa dicimus, si ipse abstulerit, qui hos interfecit, dupliciter componat.

II. Si alter & non ipse reus, omnia furtivo more componat.

IV. *Si vulneraverit mortuum.*

ET si, ut sæpe contingit, aquilæ vel ceteræ aves cadaver repererint, & super ad lacerandum consederint, & aliquis sagittam eiecerit, & cadaver vulneraverit, & repertum fuerit, cum XII. sol. componat.

V. *Si cadaver læserit.*

SImili modo quicunque cadaver hominis læserit, quem alter interfecit, si caput amputaverit, si manum præciderit, si pedes, si aurem, si tantum quantum profusionem sanguinis reputamus, de mortuo tam minima quàm maxima plaga, semper cum XII. sol. componat.

VI. *Si humaverit mortuum.*

ET si à quolibet mortuus fuerit repertus, & eum humanitatis causa humaverit, ut neque à porcis inquinetur, nec à bestiis seu canibus laceretur, liber sit an servus, & postea repertum fuerit: ille qui eum humaverit, si requirere voluerit, parentes vero illius solvant ei solidum unum, aut dominus servi, si servus fuit. Sin autem, à domino recipiat mercedem, quia scriptum est, *Mortuos sepelite.*

II. Quia aliquotiens conspicimus cum cadaver humo immissum fuerit, & lignum insuper positum cunctis adstantibus, ut requiratur dominus cadaveris, ut primus terram superiniiciat: & si liber, similiter filium aut fratrem, ne rei sint ceteri humatores, quod omne à falsis iudicibus fuerat æstimatum, non in veræ legis veritate repertum.

VII. *De navibus.*

SI quis navem alterius tulerit de loco suo, ipsam inlæsam reddat, aut similem.

II. Et si eam foris aqua traxerit, & absconderit, & negare voluerit, interrogatus furtivum componat.

TITVLVS XIX. DE CANIBVS ET EORVM COMPOSITIONE.

SI quis canem seucem, quem leithihunt vocant, furaverit, aut similem, aut ipsum reddat, & cum sex solid. componat: & si negare voluerit, cum tribus sacramentalibus iuret secundum legem suam.

II. Si autem seucem doctum, quem triphunt vocant, furaverit, cum III. sol. componat, aut cum sacramentali iuret.

III. Si autem seucem, qui in ligamine vestigium tenet, quem spurihunt dicunt, furaverit, cum VI. solid. componat, & similem aut ipsum reddat.

IV. De eo cane, quem bibarhunt vocant, qui sub terra venatur, qui occiderit, alium similem reddat, & cum VI. sol. componat.

V. De canibus veltricibus, qui unum occiderit, qui leporem non persequitur, sed sua velocitate comprehendit, cum simili & III. solid. componat.

VI. De eo cane, qui dicitur hapichhunt, pari sententiæ subiaceat.

VII. De his canibus, qui ursos vel bubalos, id est, maiores feras, quod suarzwild dicimus, persequuntur, si de his occiderit, cum simili, & VI. solid. componat.

VIII. Qui vero pastoralem, qui lupum mordet, occidit, cum III. solid. componat.

IX. Si autem canem, qui curtem domini sui defendit, quem hovawarth dicunt, occiderit post occasum solis in nocte, cum III. sol. componat, quia furtivum est. Si verò ante solis occasum hoc fecerit, similem reddat, & cum sol. componat.

X. Si autem canis per vestimentum, aut per membrum hominem tenuerit, & de manu eum percusserit, ut moriatur, similem reddat, & amplius non requiratur. Et dominus canis quod canis fecit, componat medietatem, ac si ipse fecisset: si hoc noluerit, canem non requirat.

TITVLVS XX. DE ACCIPITRIBVS VEL AVIBVS.

SI accipitrem occiderit, quem cranohari dicunt, cum VI. sol. & simili componat: & cum uno sacramentali iuret, ut ad volare & capere similis sit.

II. De eo qui dicitur ganshapich, qui anseres capit, cum III. sol. componat, & similem reddat.

III. Illum quem anethapich dicimus, cum solido & simili componat.

IV. De sparvariis vero pari sententiæ subiaceat cum solido & simili restituendi, & cum sacramento, ut tales sint quales interfectione damnavit.

V. Si vero furto ablati fuerint, per omnia furtivum cogantur solvere, ut lex compellit.

VI. De his quidem avibus, quæ de salvaticis per documenta humana domesticantur industria, & per curtes nobilium mansuescunt volitare atque cantare, cum solido uno & simili componat, atque insuper ad sacramentum.

TITVL.

TITVLVS XXI. DE POMARIIS ET NEMORIBVS, ATQVE APIBVS, ET EORVM COMPOSITIONE.

SI quis alienum pomarium effodierit per invidiam, vel exciderit arbores fructiferas, ubi XII. sive amplius fuerint, in primis XL. solid. componat; XX. cuius pomarium fuit, & alios XX. in publicum, quia contra legem fecit. Et alias arbores similes ibi plantet, & unamquamque arborem, cum solid. componat, & omni tempore pomorum solidos donet, usque dum illæ arbores fructum faciant, quas ille plantavit.

II. Si quis aliena nemora præciderit, si portat escam & rubus est, cum solido & simili componat.

III. Et si amplius usque ad numerum VI. per singulos singulum restituat. Deinde arborum numerositatem restituere cogatur, & de his quæ nondum fructum portaverunt, cum tremisse & simile restituat.

IV. De fagis verò tremissem & simile restituendum censemus, usque ad numerum sex solidorum per singulas arbores, id est, XVIII. Et si amplius damnum infert, non cogatur componere, nisi numerum restituendi.

V. Si malum, vel pirum, vel cetera huiusmodi, pari sententia ut fagi perseverent.

VI. Si verò de minutis sylvis, de wic vel quæcunque kaneio vegetum reciderit, cum solido & simili componat: & deinceps usque ad VI. sol. restitutionem & compositionem.

VII. Si amplior fuerit numerus vegetorum, non cogatur componere, nisi restituere cum simili & sacramento. Si autem post compositionem & restitutionem damnum intraverit inferre in ipsius memora, cui composuit, nihil excludat componendi sententiam, sed superioris observetur regula sententiæ.

VIII. Si apes, id est, examen alicuius ex apili elapsum fuerit, & in alterius nemoris arborem intraverit, & ille consecutus fuerit, tunc interpellat eum cuius arbor est, & cum fumo, & percussionibus ternis de transversa secure, si potest suum eiiciat examen: veruntamen ita ut arbor non lædatur; & quod remanserit, huius sit cuius arbor est.

IX. Si autem in capturis, quæ ad capiendas apes ponuntur, id est, vasculis apum, simili modo interpellat eum cuius vasculum est, & studeat suum eiicere examen: veruntamen vasculum non aperietur, nec lædetur. Si ligneum est, ternis vicibus lidat eum terris: si ex corticibus aut ex surculis compositum fuerit, cum pugillo ternis vicibus percutiatur vasculum, & non amplius. Et quas eiecerit suæ erunt, & quæ remanserint, ipsius erunt cuius vasculum est.

X. Si autem dominum arboris, vel vasculi, non interpellaverit, & sine illius conscientia eiectum domino restituerit, & ille cuius vasculum fuerat, eum compellaverit, ut ex suo opere vel arbore res tulisset, & ad restituendum compellaverit, quod Vntprut vocant: & ille alius si negare voluerit, & dicit suum consecutus fuisse, tunc cum sex sacramentalibus iuret, quod ex suo opere ipsum examen iniuste non tulisset, nec illud ad iudicium restituere deberet.

XI. Pari modo de avibus sententia subiacet, ut nullus de alterius sylva, quamvis prius inveniat, aves tollere præsumat, nisi eius commarchanus fuerit, quem calasneo dicimus. Et qui aliter præsumpserit, semper restitutionis sacramentum iustum putamus: quamvis minima sit querela, cum sex sacramentalibus iurare lex compellit.

DE ISTIS SVFFICIT.

DECRETVM TASSILONIS DVCIS BAIOARIORVM.

REGNANTE in perpetuum Domino nostro Iesu Christo, in anno vero XXII. regni religiosissimi Ducis Tassilonis gentis Baioariorum, sub die consulum, quod erat II. Id. Octobr. atque anno ab incarnatione Dominica DCCLXXII. Indict. X. divina perflatus inspiratione, ut omne regni sui prænotatus Princeps collegium procerum coadunaret, in villam publicam Dingolvingam nuncupatam, ut ibidem tam regulare ordinaret in sancto habitu cœnobium virorum & puellarum, quam Episcopales moderaretur obsequias; insuper gentis suæ institutiones legum per primates imperii, universa consentiente multitudine: quæ reperit diuturnitate vitiata, & quæ videbantur abstrahenda evelleret, & quæ decretis placerent componenda, institueret. Inter tot vero collegia sacerdotum, devolutis Episcoporum & Abbatum in præsentia paginis, regularis ordines vitæ, atque Canonum normas, vel decreta patrum, nullis comprobare quiverant testimoniis, ut monachis parochiæ commendari deberent: vel publica baptismatis obsequia, nisi forte pro periculo mortis, & nihil eorum implerent commorandi negotio, excepto vicissitudinis villarum propriarum singulis annis obedientialibus curis commissio ab Abbate proprio fuerit determinata. Vnde ab universis Abbatibus facta professio, ut minime titulis popularibus se ingerere deberent, sed hæc omnia, cui commissæ sunt plebes sub potestate Episcoporum permanerent, sicut in sanctis Synodis, vel decretis priscorum patrum perarata comprobat conscriptio. Ab Episcopis vero simili modo & nihilominus prælatis ponderaverunt sententiis, ut erga eos charitatis gererentur curæ, ita ut canonica auctoritas confirmat, & spiritualis concordia declarat. Hoc peracto concilio, est ab universis uno ore confirmatum, ut si quis de eadem institutione deviare præsumpserit, à collegio eorum alienaretur, usque iterato examine, id est publica Synodo.

DE die Dominico ita constitutum est, ut tali honore habeatur, sicut in lege scriptum est, & in decretis Canonum. Et si quis præsumpserit facere contra legem aut decreta Canonum, tali pœnæ subiaceat, sicut ibi scriptum est.

II. De hereditate, quæ tradita est ad Ecclesiam, ita constituit, ut quisquis hereditatem suam ad Ecclesiam antea donaverat, aut postea donaverit, si quid mutare voluerit, chartam suam habeat ita scriptam, ut locum & tempus & personam habeat, aut tribus testibus fidelibus & nobilibus testifice-

tur. Si sacerdos non habeat chartam, nec testem, ut prædiximus, tunc sicut in lege Baioariorum, & iudex iudicat, sic defendat.

III. De eo, quod Episcopi iuxta Canones, & Abbates monasteriorum iuxta regulam vivant, ita constituit.

IV. De eo, quod sanctimoniales, quæ in servitio Dei sunt, ita constituit; ut nullus ausus sit in coniugium & matrimonium ducere, aut si quis ausus fuerit, contra decreta Canonum, ita componat sicut Canones decreverunt.

V. De eo, quod ius ac legem, quam habuerunt in diebus patris sui, nobiles & liberi, & servi eius, ita ordinavit ut firma fieret.

VI. De eo, quod ut si cui de nobili genere de hereditate sua dare ad sanctuarium Dei in sua potestate esset, nemo prohiberet nec mutaret in perpetuum.

VII. De eo, quod ut servi Principis, qui dicuntur Adelschalc, suum habeant weregeldum, iuxta morem quem habuerunt sub parentibus; & ceteri minores weregeldi iuxta legem suam, ita constituit.

VIII. De eo, ut nullus hereditate sua privetur, nisi per tres causas, quæ in pacto scribuntur: propter homicidium, hoc est, ut quisquis hominem Principis sibi dilectum occiderit, ob iniuriam Principis, vel ad calumniam, hominem componat secundum legem, tum privetur hereditate sua.

IX. De eo, quisquis mulierem nobilem acceperit in coniugium, & non præscivit, ita constituit; ut iterum libera esset, dimittat servum, & postea non redigatur in servitium, sed esset libera.

X. De eo, quod & si quis de quocunque reatu accusatus ab aliquo, potestatem accipiat cum accusatore suo pacificare si voluerit, antequam pugnam, quæ wehadinc vocatur, permittat.

XI. De eo, quisquis de nobili genere deprehensus fuerit de illis III. causis, de quibus supra diximus, si ille hereditatis suæ portionem pro illius criminis reatu perdat, uxor autem illius suo iure non privetur. Ita constituit.

DE POPVLARIBVS LEGIBVS.

PRænotatus Princeps universo concordante collegio sic constituit, ut nullus à provinciæ suæ mancipium limine venumdare, vel proprium vel fugitivum præsumat. Et si quis hoc decretum non observaverit, weregeldo suo culpabilis permaneat.

II. Vt nullus furtivam rem, tam in equis & aliis quadrupedibus, quam in reliqua suppellectili, extra finem Boioariorum venumdare, vel machinis diabolicis extra minare insidiis tentet. Et si quis hoc præsumpserit XL. sol. componat in publicum.

III. Vt si quis domum tam liber, quam servus altius effoderit, & ibi occisus fuerit, sine compositione in sua damnatione permaneat. Si autem suppellectilia abstulerit de eadem domo; & eo fugiente in curtem, vel extra curtem, hic cui damnum intulit consequitur, & interfecerit, pari subiaceat sententiæ.

IV. Similiter, qui liberum vel mancipium suum furaverit, & comprehendere minime quiverit, & ibidem interfecerit reum, superior permaneat senten-

sententia: sed tamen ea genera trium homicidiorum debito signo vicinis suis, & his qui adsistunt, insignet.

V. De pugna duorum, quod wehadinc vocatur, ut prius insortiantur, quam parati sunt, ne forte carminibus vel machinis diabolicis, vel magicis artibus insidiantur.

VI. Qui supra prædictæ pugnæ, quod Camfwic dicimus, peracto iudicio, se simili vindicta erigere contra quærentem præsumpserit, sacramencio, quod Ahteid dicitur, iuret in Ecclesia cum tribus nominatis sacramentalibus.

VII. De eo quod Baioarii Stapf saken dicunt, in verbis, quibus ex vetusta consuetudine paganorum idololatriam reperimus, ut deinceps non aliter nisi sic dicat, qui quærit debitum: *Hæc mihi iniuste abstulisti, quæ reddere debes*. Reus vero contra dicat: *Non hoc abstuli, nec componere debeo*. Iterata voce requisito debito dicat: *Extendamus dexteras nostras ad iustum iudicium Dei*. Et tunc manus dexteras uterque ad coelum extendat.

VIII. Vt nullus furtivam rem suscipere, vel intra terminum abscondere præsumat, qui hoc fecerit XL. sol. componat.

IX. Vt hi, qui Ducali manu liberi dimissi sunt, ad eadem cogantur iudicia, quæ Baioarii Vrtella dicunt.

X. Vt hi qui in Ecclesia libertatem conquirebant, deinceps tam ipsi, quam eorum posteritas in secura libertate permaneant: nisi forte ipsi sibimet insolubile damnum inferant, quod componere minime quiverint. Qui ex eis occidentur, pretiũ eorum his solvatur Ecclesiis, ubi liberi dimissi sunt.

XI. Liberi qui ad Ecclesiam dimissi sunt liberi, vel per chartam acceperunt libertatem à Rege, si occidantur LXXX. sol. componantur Ecclesiæ vel filiis eorum: in dominico XL. sol. comp.

XII. Si ancilla libera dimissa fuerit per chartam, aut in Ecclesia, & post hæc servo nupserit Ecclesiæ, ancilla permaneat. Si autem libera Baioaria servo Ecclesiæ nupserit, & servile opus ancilla contradixerit, abscedat. Si autem ibi filios & filias generaverit, ipsi servi & ancillæ permaneant, potestatem exeundi non habeant. Illa autem mater eorum, quando exire voluerit, ante annos tres, liberam habeat potestatem. Si autem tres annos induraverit opus ancillæ, & parentes eius non exadoniaverunt eam, ut libera fuisset, nec ante Comitem, nec ante Ducem, nec ante Regem, nec in publico mallo, transactis tribus Kal. Martiis, post hæc ancilla permaneat in perpetuum, & quicunque ex ea nati fuerint, servi & ancillæ sint.

XIII. Qui furtivum, quod zougenzuht dicitur, super furem comprobare nequiverit, furtivo componat more.

XIV. Qui resisterit domum suam, quod salisuchen dicunt, qualem rem quærenti resistebat, talem componat in publico XL. sol.

XV. Qui manus immissionem resisterit, quod hantelod dicunt, XL. sol. solvat in publico, & ipsam rem quærenti reddat.

XVI. De his, qui supradictis homicidiis debita morte in furto reperti sunt, ut si quis de huius interfecti parentela eum, qui suo scelere captus est, vindicare tentavit, à propria alode alienus efficiatur.

XVII. Et si quis signum, quod est sigillum, inhonoraverit, vel huiuscemodi iniuncta minime impleverit, prima vice arguatur, secunda XL. solid. componat, tertia suum weregeldum, quarta exterminetur ab acto officio.

XVIII. Vt si quis iudicum furem in bina vel terna deprehensione non damnaverit, & eum diabolico lucro dimiserit, ac per eum quasi comparticeps spoliis pauperum ditaretur, reus sceleris, quod commiserit ante oculos Dei & Angelorum, efficiatur: & nihilominus, cui fraudem fecerit, quasi proprium componat debitum.

XIX. Vt si quis in virtute coniunctus, à coniuge propria adulterina separatus fuerit, eiusque ex cognatione coniugis propter eandem dimissionem, qui eum persequi tentaverit à proprio alienetur patrimonio.

XX. Vt nullus post tonsuram capillos usu populari nutrire præsumat, nec velata relicto velo secularem habitum sumat: & si quis vel qua in hoc vitio reperti fuerint, aut corripiantur, aut excommunicentur.

EXPLICIT
DECRETVM TASSILONIS DVCIS.

INCIPIUNT CAPITULA QUÆ DOMNUS CAROLUS SERENISSIMUS IMPERATOR AD LEGEM BAIOARIORUM ADDERE IUSSIT.

VT bannum ipsius quislibet irruperit, componere debeat.

II. Vt Ecclesia, viduæ, orphani, vel minus potentes, pacem rectam habeant; & ubicunque fuerit infracta, LX. sol. componatur.

III. Vt raptum vel vim per collectam hominum, & incendia infra patriam nemo facere præsumat: & qui hoc commiserit, LX. sol. in bannum nostrum componat.

IV. Similiter & qui iussionem Regiam in hoste bannitus irruperit.

V. De denarialibus, ut si quis eos occiderit, Regi componantur.

VI. Similiter de his, qui per chartam in Ecclesia iuxta altare dimissi sunt liberi, cum XL. sol. componantur.

VII. Qui vero per chartam ingenuitatis dimissi sunt liberi, ubi nullum patrocinium & defensionem non elegerunt, similiter Regi componantur cum XL. sol.

VIII. Vt clericum nemo recipere audeat, sine consensu Episcopi sui: & si eum aliquis acceptum habet, quando licentia ipsius Episcopi fuerit, aliter non faciat, nisi eum eius præsentiæ perscrutandum, si dignus fuerit, deducat.

HÆc octo capitula in assiduitate: reliqua autem reservata sunt Regibus, ut ipsi potestatem habeant nominative demandare, unde exire debent.

HÆC CAPITULA NOSTRA MISSI NOSTRI COGNITA FACIANT OMNIBUS IN OMNES PARTES.

VT nullus ad mallum, vel ad placitum infra patriam arma, id est, scutum & lanceam portet.

II. De latronibus, quicunque post missam sancti Iohannis latroni mansionem dederit, si Francus est, cum XII. similibus Francis iuret, quod latronem eum fuisse non sciret; licet pater sit, frater, aut propinquus. Si hoc iurare non potuerit, & ab aliquo convictus fuerit, quod latronem in hospitio suscepisset, quod & ipse latro & infidelis iudicetur. Quia qui latro est, infidelis est noster & Francorum: & qui illum suscipit, similis est illi. Si autem

audivit, quod latro fuiſſet, & tamen neſcit firmiter, aut ſolus iuret, quod nunquam eum audiſſet, nec per veritatem, nec per mendacium latronem eſſe: aut ſit paratus, ſi de illo latrocinio poſtea victus fuerit, ut ſimiliter damnetur.

III. Vt nullus comparet caballum, bovem, & iumentum, vel aliud quid, niſi illum homines cognoſcant, à quo venditur, aut de quo pago eſt, vel ubi manet, aut quis eius ſenior.

IV. De adventitiis, ut cum miſſi noſtri ad placitum noſtrum venerint, habeant obſtricte quæſitum, quanti adventitii ſunt in illorum miſſatico, & de quo pago ſunt, & nomina eorum, & qui ſunt ſeniores eorum.

V. Similiter direximus miſſos in Aquitaniam & Longobardiam, ut omnes fugitivos & adventitios ad noſtrum placitum adducant.

VI. Quicunque iſta Capitula habet, ad alios miſſos ea tranſmittat, qui non habent, ut nulla excuſatio de ignorantia fiat. Et hæc miſſi noſtri ante nativitatem Domini omnibus cognita faciant.

VII. Inprimis omnium iubendum eſt, ut habeant Eccleſiæ eorum iuſtitias, tam in vita illorum, qui habitant in ipſis Eccleſiis, quamque in pecuniis & ſubſtantiis eorum.

VIII. Vt omnes Epiſcopi poteſtative ſecundum regulam canonicam doceant, & regant eorum miniſteria, tam in monaſteriis virorum, quam puellarum, vel in forenſibus presbyteris, ſeu reliquo populo Dei.

IX. Vt viduæ, & orphani, & minus potentes ſub Dei defenſione & noſtro mundeburdo pacem habeant, & eorum iuſtitias adquirant.

X. Epiſcopi cum Comitibus ſtent, & Comites cum Epiſcopis, ut uterque pleniter ſuum miniſterium peragere poſſit.

XI. Vt latrones, vel homicidæ, ſeu adulteri & inceſtuoſi ſub magna diſtrictione & correctione ſint correpti, ſecundum ewa Baioariorũ vel legem.

XII. De rebus propriſis, ut ante miſſos vel Comites noſtros & iudices veniant, & ibi accepiant finitivam ſententiam. Et antea nullus præſumat alterius res proprendere, niſi magis ſuam cauſam quærat ante iudices noſtros, ut diximus, & ibi recipiat, quod iuſtum eſt.

XIII. Et ſi aliquis voluerit dicere, quod iuſte ei non iudicetur, tum in præſentiam noſtram veniat; aliter vero non præſumat in præſentiam noſtram venire, pro alterius iuſtitia dilatanda.

XIV. Quod non amplius de illis iuſtitiis miſſi noſtri ad præſens modo faciant, niſi de temporibus Taſſilonis ſeu Liutpirgæ: exceptis illis, qui avi & genitoris noſtri, vel ad nos venerint. Et marca noſtra, ſecundum quod ordinatum & ſancitum habemus, cuſtodiant una cum miſſis noſtris.

EXPLICIT.

LEX
RIPVARIORVM.

CAPITULA
LEGIS RIPUARIORUM.

EXPLICIVNT CAPITVLA.

INCIPIT

LEX RIPVARIORVM

I. DE ICTV INGENVORVM.

SI quis ingenuus ingenuum ictu percusserit sol.I. culpabilis iudicetur. Si bis, II. solidis. Si ter, III. sol. culp. iud.

II. DE SANGVINIS EFFVSIONE.

SI quis ingenuus ingenuum percusserit, ut sanguis exeat, terramque tangat, XVIII. sol. culp. iud. aut si negare voluerit, cum VI. iuret.

III. DE OSSE FRACTO.

SI quis ingenuus ingenuo in quolibet membro os fregerit, XXXVI. solid. culp. iud. aut cum VI. iuret.

IV. DE PVNCTO.

SI quis ingenuus alterum transpunxerit, aut infra costas plagaverit, XXXVI. sol. culp. iud. aut cum VI. iuret.

V. DE DEBILITATIBVS.

SI quis ingenuus ingenuo auriculam excusserit, ut audire non possit, centum sol. culp. iud. Si autem auditum non perdiderit, L. sol. componat.

II. Si nasum excusserit, ut muccare non possit, c. sol. culp. iud. Si muccare prævalet, L. sol. componat.

III. Si quis ingenuus ingenuo oculum excusserit, c. sol. culp. iud. Si visus in oculo restiterit, ita ut videre possit L. sol. componat.

IV. Si manum excusserit c. sol. culp. iud. Si manus ibidem manca pependerit, L. sol. componat.

V. Si quis ingenuus ingenuo pollicem excusserit, L. sol. culp. iud. Quod si pollex ibidem mancus pependerit, XXV. sol. culp. iud.

VI. Sic in omni mancatione, si membrum mancum pependerit, medietatem componat, quam componere debuerat, si ipsum membrum abscissum fuisset.

VII. Si secundus digitus unde sagittatur excussus fuerit, XXXVI. sol. componatur.

VIII. Si quis ingenuus ingenuo pedem excusserit, c. sol. componat. Si pes mancus ibidem pependerit, L. sol. culp. iud.

IX. Si

IX. Si articulum qualemcunque amputaverit, xxxvi. sol. culp. iud.
X. Ista omnia si negaverit, cum vi. iuret, quod hoc non fecisset.

VI. DE CASTRATIONE.

SI quis ingenuus ingenuum castraverit, cc. sol. culp. iud. aut si negaverit, cum xii. iuret.

VII. DE HOMICIDIO INGENVORVM.

SI quis ingenuus hominem ingenuum Ripuarium interfecerit, cc. solid. culp. iud. aut si negaverit, cum xii. iuret.

VIII. DE HOMICIDIIS SERVORVM.

SI quis servum interfecerit, xxxvi. sol. culp. iud. aut si negaverit, cum vi. iuret, quod hoc non fecisset.

IX. DE HOMICIDIIS HOMINVM REGIS.

SI quis regium hominem interfecerit, c. sol. culp. iud. aut cum xii. iuret.

X. DE HOMICIDIIS HOMINVM ECCLESIASTICORVM.

SI quis hominem Ecclesiasticum interfecerit, c. sol. culp. iud. aut si negaverit, cum xii. iuret.

II. Sic in reliqua compositione, unde Ripuarius xv. sol. culp. iud. Regius & Ecclesiasticus homo medietatem componat, vel deinceps quantumcunque culpa ascenderit.

XI. DE HOMICIDIIS EORVM QVI IN TRVSTE REGIS SVNT.

SI quis eum interfecerit qui in truste Regis est, dc. sol. culp. iud. Et quidquid ei fiet, similiter sicut de reliquo Ripuario in triplum componatur.

II. De occisione eius si negaverit, cum lxxii. iuret.

III. Si quis Regio aut Ecclesiastico homini de quacunque libet re fortiam fecerit, & per vim tulerit, in triplum sicut reliquo Ripuario componat.

XII. DE HOMICIDIIS MVLIERVM.

SI quis fœminam Ripuariam interfecerit, postquam parturire cœperit, usque ad quadragesimum annum, dc. sol. culp. iud. aut si negaverit, cum lxxii. iuret: & ubicunque dc. sol. accedunt, simili modo cum lxxii. iuret.

II. Si ille homo pauper fuerit, ut insimul solvere non possit, per tres decessiones filiorum solvat.

XIII. DE HOMICIDIIS PVELLARVM.

SI quis Ripuariam puellam interfecerit, cc. ſol. culp. iud. aut ſi negaverit, cum XII. iuret.

XIV. DE MVLIERE ECCLESIASTICA.

Si quis fœminam Regiam aut Eccleſiaſticam parientem interfecerit, ccc. ſol. culp. iud. aut cum XXXVI. iuret.

II. Quod ſi puellam poſt XL. annum interfecerit, cc. ſol. culp. iud. aut cum XII. iuret.

XV. DE HOMINE MORDRIDO.

SI quis ingenuus ingenuum Ripuarium interfecerit, & eum cum ramo cooperuerit, vel in puteum, ſeu in quocunque libet loco cœlare voluerit, quod dicitur mordrido, DC. ſol. culp. iud. aut cum LXXII. iuret.

XVI. DE CAPTIVO HOMINE VEL FOEMINA INGENVA.

SI quis ingenuus ingenuum Ripuarium extra ſolum vendiderit, & iterum eum ad ſolum non potuerit reducere, DC. ſol. culp. iud. aut cum LXXII. iuret. Et ſi eum in ſolum reduxerit, cc. ſol. culp. iud. Quod & de fœmina ingenua ſimiliter convenit obſervare.

XVII. DE INCENDIO.

SI quis hominem latenter per noctem incenderit, DC. ſol. culp. iud. & inſuper damnum & dilaturam reſtituat, aut ſi negaverit, cum LXII. iuret.

II. Si ſervus hoc fecerit, XXXVI. ſol. culp. iud. & inſuper damnum & dilaturam reſtituat, aut ſi negaverit, dominus eius cum VI. iuret.

XVIII. DE SONESTI.

QVod ſi ingenuus ſoneſti, id eſt, XII. equas cum admiſſario, aut VI. ſcrofas cum verre, vel XII. vaccas cum tauro furatus fuerit, DC. ſol. culp. iud. & inſuper capitale & dilaturam reſtituat. Quod ſi multi ingenui fuerint, ſicut in omni furto conſtituimus, unuſquiſque DC. ſol. culp. iud. & inſuper capitale & dilaturam reſtituat: aut ſi negaverint, ſinguli cum LXXII. iurent.

II. Quod ſi ſervus hoc fecerit, XXXVI. ſol. culp. iud. & inſuper capitale & dilaturam reſtituat. Et ſi multorum ſervi fuerint, unuſquiſque per ſemetipſum ſimiliter faciat: aut ſi negaverint, domini eorum cum VI. iurent.

V. Si homo Eccleſiaſticus aut Regius hoc fecerit, medietate compoſitionis Francorum culp. iud. aut ſi negaverit, cum XXXVI. iuret.

XIX. DE

XIX. DE ICTV SERVORVM.

SI quis ingenuus ictu percusserit servum, ut sanguis non exeat usque ad ternos colpos singulis solidis componat: aut si negaverit, cum VI. iuret.

II. Si homo Ecclesiasticus aut Regius hoc fecerit, III. sol. culp. iud. aut cum VI. iuret.

III. Quod si servus homini Regio aut Ecclesiastico vel Franco hoc fecerit, per ternos ictus, III. solid. componat: aut si negaverit, dominus eius cum VI. iuret.

XX. DE EFFVSIONE SANGVINIS.

SI servus ingenuo aut Regio vel Ecclesiastico homini sanguinis effusionem fecerit, quinto dimidio solido culp. iud. aut si negaverit, dominus eius cum VI. iuret.

II. Similiter si ingenuus aut Regius vel Ecclesiasticus homo hoc servo fecerit, quinto dimidio sol. culp. iud. aut dominus eius cum VI. iuret.

XXI. DE OSSE FRACTO SERVORVM.

QVod si ingenuus aut Regius vel Ecclesiasticus homo servo os fregerit, IX. sol. culp. iud. aut dominus eius cum VI. iuret.

XXII. DE OSSE FRACTO INGENVORVM A SERVO.

QVod si servus homini Franco aut Ripuario os fregerit, dominus eius XXXVI. sol. culp. iud. Si autem Regio vel Ecclesiastico homini hoc fecerit, XVIII. sol. culp. iud.

XXIII. DE ICTV SERVORVM IN SERVO.

QVod si servus servum ictu uno vel duobus seu tribus percusserit, nihil est: sed tamen propter pacis studium, tremissem, id est IIII. den. componat.

XXIV. DE SANGVINIS EFFVSIONE SERVORVM A SERVO.

SI autem servus servo sanguinis effusionem fecerit, tertio dimidio solid. culpabilis iudicetur.

XXV. DE OSSE FRACTO SERVORVM A SERVO.

SI os ei fregerit, V. sol. culp. iud.

XXVI. DE DEBILITATIBVS SERVORVM.

QVod si oculum, auriculam, nasum, manum, pedem excusserit, XVIII. sol. dominus eius culp. iud.

XXVII. DE CASTRATIONE SERVORVM.

SI autem eum castraverit, XXXVI. sol. culpabilis iudicetur, aut si negaverit, cum VI. iuret.

XXVIII. DE INTERFECTIONE SERVORVM A SERVO.

SI autem servus servum interfecerit, dominus eius XXXVI. solid. culp. iud. aut cum VI. iuret, quod servus eius hoc non fecisset.

XXIX DE FVRTIS SERVORVM.

QVod si servus furtum fecerit, dominus eius XXXVI. sol. culp. iud. excepto capitali & dilatura quæ restituat.

XXX. DE INTERPELLATIONE ET INCENDIO SERVORVM.

QVod si quis in iudicio pro servo interpellatus fuerit, & servus talis non fuerit, unde dominus eius de fiducia securus esse possit, dominus eius in iudicio pro eo interrogatus respondeat, & sine tangano loquatur, & dicat: *Ego ignoro utrum servus meus culpabilis an innocens de hoc extiterit. Propterea eum secundum legem Ripuariam super XIV. noctes ad ignem repræsento.* Et sic de eius præsentia cum festuca fidem faciat. Quòd si servus in ignem manum miserit, & læsam tulerit, dominus eius sicut lex continet, de furto servi culpabilis iudicetur.

II. Quod si servus quando dominus interpellatus fuerit, infra ducatum fuga lapsus fuerit, supra XIV. noctes aut ipsum repræsentet, aut pro eo faciat rationem. Quod si postquam eum ad ignem adplicuerit, fuga lapsus fuerit, ad placitum veniens cum III. testibus in araho coniuret, quòd servus ille, quem ad ignem repræsentare debuerat, extra eius voluntatem fuga lapsus sit, & sic denuo placitus ei concedatur, ut super XIV. noctes seu super XL. eum repræsentare studeat, aut ipse inde respondeat.

XXXI. DE HOMINE INGENVO REPRÆSENTANDO.

QVod si homo ingenuus in obsequio alterius inculpatus fuerit, ipse qui eum post se eodem tempore tenuit, in præsentia iudicis similiter, sicut superius comprehensum est, repræsentare studeat aut in rem respondere.

II. Quod si eum non repræsentaverit, tale damnum incurrat, quale ille sustinere debuerat, qui in eius obsequio est inculpatus.

III. Hoc autem constituimus, ut infra pagum Ripuarium, tam Franci, Burgundiones, Alamanni, seu de quacunque natione commoratus fuerit, in iudicio interpellatus, sicut lex loci continet ubi natus fuit, sic respondeat.

IV. Quod si damnatus fuerit secundum legem propriam, non secundum Ripuariam, damnum sustineat.

V. Quod

V. Quod si in provincia Ripuaria iuratores invenire non poterit, ad ignem seu ad sortem se excusare studeat.

XXXII. DE MANNIRE.

SI quis legibus ad mallum mannitus fuerit, & non venerit, si eum sunnis non detinuerit xv. sol. culp. iud. Ille vero qui alium mannit, & ipse non venet, similiter xv. sol. culp. iud.

II. Si autem mannitus fuerit ad secundum mallum, aut ad tertium, seu ad quartum, vel quintum usque ad sextum & venire distulerit, pro unoquoque mallo, si ille qui eum mannit, cum tribus rachimburgiis in araho coniuraverit, quod legitime mannitus fuerit, xv. sol. culp. iud.

III. Quod si ad septimum mallum non venerit, tunc ille qui eum mannit, ante Comitem cum VII. rachimburgiis in araho coniurare debet, quod eum ad strudem legitimam admallatum habet: & sic iudex fiscalis ad domum illius accedere debet, & legitimam strudem exinde auferre, & ei tribuere, qui eum interpellavit, hoc est, septem rachimburgiis, unicuique xv. sol. & ei qui causam prosequitur XLV.

IV. Quod si ipse strudem contradicere voluerit, & ad ianuam suam cum spatha tracta accesserit, & eam in porta sive in poste posuerit, tunc iudex fideiussores ei exigat, ut se ante regem repræsentet, & ibidem cum armis suis contra contrarium suum se studeat defensare.

XXXIII. DE INTERTIATA RE.

SI quis rem suam cognoverit, mittat manum super eam: & si ille super quem intertiatur, tertiam manum quærat, tunc in præsente ambo coniurare debent, & cum dextera armata & cum sinistra ipsam rem teneant. Vnus iuret, *quod in propriam rem manum mittat*; & alius iuret, *quod ad eum manum trahat, qui ei ipsam rem dedit.* Et si infra ducatum est, super XIV. noctes auctorem suum præsentet: si foris ducatum, super XL. Si autem extra regnum, super LXXX. ad Regis staplum, vel ad eum locum ubi mallus est, auctorem suum in præsente habeat.

II. Quod si eum ibidem habere non potuerit, sibi septimus in araho coniuret, quod eum ibidem legibus mannitum habuisset, & sibi ab alio homine ipsa res tradita non fuisset. Sic ei placitum super XIV. seu super XL. vel LXXX. noctes detur, ut cinewerduniam suam in præsentia testium recipiat, & ei qui rem suam intertiavit, probabiliter ostendat. Et tunc ipse de furto securus sit, & ille qui intertiavit, furtum & dilaturam ab eo requirat, qui solvere cœpit.

III. Quod si auctor suus venerit, & rem intertiatam accipere renuerit, tunc ille super quem intertiata est, capitale & dilaturam atque furtum solvere studeat.

IV. Quod si in ipsa hora, quando res intertiatur, responderit, quod fordronem suum nesciat, tunc in præsente de sacramento sibi septima manu fidem faciat, & super XIV. noctes adiurare studeat, quod auctorem vel ca-

sam seu postem ianuæ auctoris sui nesciat, & ipsam rem sine damno reddat.

XXXIV. DE RAPTV INGENVARVM MVLIERVM.

SI quis ingenuus homo ingenuam fœminam rapuerit, cc. sol. noxius iudicetur. Quod si tres ingenui cum ipso fuerint, unusquisque eorum LX. sol. noxius iudicetur. Et quanti super illos quatuor fuerint, unusquisque XV. sol. noxius iudicetur.

II. Quod si Regius aut Ecclesiasticus homo hoc fecerit, c. sol. culp. iud.

III. Similiter illi tres qui ei auxilium præbuerint, unusquisque XXX. sol. culpabilis iudicetur. Et quanti super hos fuerint, unusquisque VIII. semisolido mulctetur.

IV. Quod si servus hoc fecerit, de vita componat.

XXXV. DE EO QVI VXOREM ALIENAM TVLERIT.

SI quis uxorem alienam tulerit vivo marito, cc. sol. mulctetur.

II. Si quis cum ingenua puella mœchatus fuerit, L. sol. culp. iud.

III. Si quis ingenuam puellam, vel mulierem, quæ in verbo Regis, vel Ecclesiastica est, acceperit vel seduxerit, seu parentum voluntate de mundiburde abstulerit, LX. sol. culp. iud.

XXXVI. DE DIVERSIS INTERFECTIONIBVS.

SI quis Ripuarius advenam Francum interfecerit, cc. sol. culp. iud.

II. Si quis Ripuarius advenam Burgundionem interfecerit, CLX. solid. culpabilis iudicetur.

III. Si quis Ripuarius advenam Romanum interfecerit, c. sol. mulctetur.

IV. Si quis Ripuarius advenam Alamannum, seu Frisionem, vel Baiuvarium, aut Saxonem interfecerit, CLX. sol. culp. iud.

V. Si quis clericum interfecerit, iuxta quod nativitas eius fuit, ita componatur. Si servus, sicut servum. Si Regius aut Ecclesiasticus, sicut alium Regium aut Ecclesiasticum. Si litus, sicut litum. Si liber, sicut alium ingenuum cum cc. sol. componat.

VI. Si quis subdiaconum interfecerit, CCCC. sol. componat.

VII. Si quis diaconum interfecerit D. sol. componat.

VIII. Si quis ingenuum presbyterum interfecerit, DC. sol. componat.

IX. Si quis Episcopum interfecerit, DCCCC. sol. componat.

X. Si quis partum in fœmina interfecerit, seu natum priusquam nomen habeat, c. sol. culp. iud. Quod si matrem cum partu interfecerit, DCC. sol. mulctetur.

XI. Si quis weregeldum solvere debet, bovem cornutum videntem & sanum pro duobus sol. tribuat. Vaccam cornutam videntem & sanam pro uno solido tribuat. Equum videntem & sanum pro VI. sol. tribuat. Equam videntem & sanam pro III. sol. tribuat. Spatham cum scogilo pro VII. solid. tribuat.

tribuat. Spatham absque scogilo pro tribus sol. tribuat. Bruniam bonam pro XII. sol. tribuat. Helmum cum directo pro VI. sol. tribuat. Bainbergas bonas, pro VI. sol. tribuat. Scutum cum lancea pro II. sol. tribuat. Acceptorem non domitum pro III. sol. tribuat. Commorsum gruarium pro VI. sol. tribuat. Acceptorem mutatum pro XII. sol tribuat.

XXXVII. DE DOTIBVS MVLIERVM.

SI quis mulierem desponsaverit, quidquid ei per tabularum seu chartarum instrumenta conscripserit, perpetualiter inconvulsum permaneat.

II. Si autem per seriem scripturarum ei nihil contulerit, si virum supervixerit, L. sol. in dotem recipiat, & tertiam partem de omni re, quam simul conlaboraverint, sibi studeat evindicare; vel quidquid ei in morgangeba traditum fuerat, similiter faciat.

III. Quod si ex his quæ conscripta vel tradita sunt, simul consumpserint aliquid, nihil requirat.

XXXVIII. DE EO QVI HOMINEM INNOCENTEM AD REGEM ACCVSAVERIT.

SI quis hominem innocentem apud Regem accusaverit, LX. sol. culpabilis iudicetur.

XXXIX. DE EO QVI INGENVÆ MVLIERI MANVM VEL BRACHIVM STRINXERIT.

SI quis ingenuæ mulieri manum strinxerit, XV. sol. culp. iud. Certe si super cubitum manum miserit, XXX. solid. mulctetur.

XL. DE CABALLO EXTRA CONSILIVM DOMINI SVI ASCENSO.

SI quis caballum extra consilium domini sui ascenderit, XXX. sol. culpabilis iudicetur.

XLI. DE LIGAMINIBVS INGENVORVM.

SI quis ingenuus ingenuum ligaverit, & eius culpam cum VI. testibus in araho non adprobaverit, XXX. sol. culp. iud.

II. Si quis à contubernio probabiliter ligatus super res alienas fuerit, eum ad excusationem non permittimus.

III. Sed si unus homo cum satellitibus suis hominem ligaverit, aut ipsum excusare permittimus; aut proximus eius, quod innocens ligatus sit, cum sex iuret.

XLII. DE VENATIONIBVS.

SI quis de diversis venationibus furatus fuerit aliquid, & cœlaverit, seu & de piscationibus, xv. sol. culpabilis iudicetur. Quia non est hæc res possessa, sed de venationibus agitur.

II. Si quis cervum domitum vel cum triutis occiderit, aut furatus fuerit, non sicut de reliquis animalibus furtum exigatur, sed tantum XLV. solid. mulctetur.

III. Si autem in venatione non fuit, xxx. sol. culp. iud.

XLIII. DE SEPIBVS.

SI quis verò tres virgas unde sepis ligatur, vel retortas unde sepis continetur, capulaverit, aut tres cambortas involaverit, seu in clausura aliena traugum ad transeundum fecerit, xv. sol. mulctetur.

XLIV. DE EO, QVI IN MESSE ALIENA CVM CARRO TRANSIERIT.

SI quis per messem alienam cum carro vel carruca transierit, xv. solid. mulctetur.

XLV. DE EO, QVI NESCIENTE HOMINE ALIQVAM FVRTIVAM REM IN DOMVM ILLIVS INTRODVXERIT.

SI quis nesciente homine furtivam rem in domum vel in eius possessionem introduxerit, & ibidem inventa fuerit, XLV. sol. culp. iud. vel quidquid ei damni accesserit, aliud tantum restituat.

XLVI. DE QVADRVPEDIBVS SI HOMINEM OCCIDERINT.

SI quis quadrupes hominem occiderit, ipse quadrupes qui eum interfecit in medietatem weregeldi suscipiatur, & aliam medietatem dominus quadrupedis solvere studeat absque fredo: quia quod quadrupedes faciunt, fredus exindenon exigitur.

II. Quod si quadrupes quadrupedem interfecerit, dominus quadrupedis quadrupedem mortuum vel debilem recipiat: & ipsum quadrupedem, qui alium interfecit, domino eius, cuius quadrupes est interfectus, tribuat, & quantum interfectus vel debilis prius valuerat, solvat.

XLVIII. DE VESTIGIO MINANDO.

SI quis animal suum per vestigium sequitur, & tertia die in domo cuiuslibet, vel in quolibet loco eum invenerit, liceat ei absque intertiato revocare.

II. Quod

II. Quod si in domo fuerit, & ei scrutinium cuius est domus contradixerit, ut fur habeatur.

III. Quod si ibidem violenter ingressus fuerit, XV. solid. culp. mulctetur: aut cum VI. iuret.

XLVIII. DE HOMINE QVI SINE HEREDIBVS MORITVR.

SI quis procreationem filiorum vel filiarum non habuerit, omnem facultatem suam in præsentia Regis, sive vir mulieri, vel mulier viro, seu cuicunque libet de proximis vel extraneis, adoptare in hereditatem vel in adfatimi, per scripturarum seriem seu per traditionem, & testibus adhibitis, secundum legem Ripuariam, licentiam habeat.

XLIX. DE ADFATIMIRE.

QVod si adfatimus fuerit inter virum & mulierem, post discessum amborum ad legitimos heredes revertatur: nisi tantum qui patrem suum supervixerit, in eleemosyna vel in sua necessitate expenderit.

L. DE TESTIBVS ADHIBENDIS.

SI quis testes ad mallum ante centenarium vel Comitem, seu ante Ducem, patritium vel Regem necesse habuerit, ut donent testimonium, & fortasse testes noluerint ad placitum venire, ille qui eos necessarios habet, mannire illos debet, ut testimonium quod sciunt, iurati dicant.

II. Quod si noluerint, & falsum testimonium præbuerint, & hoc adprobatum fuerit, unusquisque de illis III. testibus, XV. sol. mulctetur.

LI. DE EO, QVI GRAFIONEM AD RES ALIENAS INVITAT.

SI quis iudicem fiscalem ad res alienas iniuste tollendas, antequam ei fidem fecerit, aut ad strudem admallatum habuerit, invitare præsumpserit, L. sol. mulctetur.

II. Quod si quis iudex fiscalis amplius, quam lex Ripuaria continet, tulerit, L. sol. mulctetur.

LII. DE RE PRÆSTATA.

SI quis rem suam alii præstiterit, & placitum indixerit, quod si super placitum rem præstitam retinere præsumpserit, XV. sol. mulctetur.

LIII. DE EO, QVI GRAFIONEM INTERFECERIT.

SI quis iudicem fiscalem, quem Comitem vocant, interfecerit, DC. solid. mulctetur.

II. Quod si Regius puer, vel ex tabulario, ad eum gradum ascenderit, ccc. solid. mulctetur.

LIV. DE CORPORIBVS EXPOLIATIS.

SI quis autem hominem mortuum antequam sepeliatur expoliaverit; si interrogatus confessus fuerit, LX. sol. mulctetur. Si autem negaverit, & post ea convictus fuerit, c. sol. cum dilatuta mulctetur: aut cum VI. iuret.

II. Si quis mortuum effodere præsumpserit, cc. sol. mulctetur: aut cum XII. iuret.

LV. DE RACHIMBVRGIIS LEGEM DICENTIBVS.

SI quis causam suam prosequitur, & rachimburgii inter eos secundum legem Ripuariam dicere noluerint, tunc ille, in quem sententiam contrariam dixerint, dicat: *Ego vos tangano, ut mihi legem dicatis.* Quod si dicere noluerint, & postea convicti fuerint, unusquisque eorum XV. sol. mulctetur. Similiter & ille, qui rachimburgiis recte dicentibus non adquieverit.

LVI. DE ALODIBVS.

SI quis absque liberis defunctus fuerit, si pater materque superstites fuerint, in hereditatem succedant.

II. Si pater materque non fuerint, frater & soror succedant.

III. Si autem nec eos habuerit, tunc frater & soror matris patrisque succedant. Et deinceps usque ad quintum genuculum, qui proximus fuerit, in hereditatem succedat. SED DVM VIRILIS SEXVS EXTITERIT, FOEMINA IN HEREDITATEM AVIATICAM NON SVCCEDAT.

LVII. DE LIBERTIS A DOMINO ANTE REGEM DIMISSIS.

SI quis libertum suum per manum propriam seu per alienam in præsentia Regis secundum legem Ripuariam ingenuum dimiserit per denarium, & eiusdem rei chartam acceperit, nullatenus eum permittimus in servitium inclinare: sed sicut reliqui Ripuarii liber permaneat.

II. Sed si quis ei postmodum contrarius extiterit, quod eum quis inlicito ordine ingenuum dimisisset, & ipse cum gladio suo hoc studeat defensare, aut si auctorem habuerit, auctor cum legibus ex hoc eum adducat. Aut si legibus eum non potuerit defensare, ad partem Regis cc. sol. culp. iud. & ad partem eius, cuius servum inlicito ordine à iugo servitutis absolvere nititur, XLV. solid. mulctetur, & de omnibus rebus, quas ei condonavit, alienus existat.

III. Si autem se defensaverit, liber permaneat, & ille qui eum voluit inservire, cc. sol. Regi, XLV. illi qui defensatur, culpabilis iudicetur.

IV. Si autem homo denariatus absque liberis discesserit, non alium nisi fiscum nostrum heredem relinquat.

LVIII. DE

LVIII. DE TABVLARIIS.

HOc etiam iubemus, ut qualiscunque Francus, Ripuarius, seu tabularius servum suum pro animæ suæ remedio, seu pro pretio secundum legem Romanam libertare voluerit, ut in Ecclesia coram presbyteris, diaconibus, seu cuncto clero, & plebe, in manu Episcopi servum cum tabulis tradat, & Episcopus archidiaconum iubeat, ut ei tabulas secundum legem Romanam, qua Ecclesia vivit, scribere faciat; & tam ipse quam omnis procreatio eius liberi permaneant, & sub tuitione Ecclesiæ consistant, vel omnem reditum status aut servitium tabularii eorum Ecclesiæ reddant. Et nullus tabularius denarium ante Regem præsumat iactare. Quod si fecerit, cc. solid. culp. iud. & nihilominus ipse tabularius & procreatio eius tabularii persistant, & omnes reditus status eorum ad Ecclesiam reddant; & non aliubi nisi ad Ecclesiam, ubi relaxati sunt, mallum teneant.

II. Quod si quis tabularium seu Ecclesiasticum hominem contra Episcopum defensare voluerit, LX. sol. culp. iud. & insuper hominem cum omnibus rebus suæ Ecclesiæ restituat. Quia inlicitum ducimus, quod Ecclesiis concessimus, iterum ab Ecclesiis revocare.

III. Nemo servum Ecclesiasticum absq; vicario libertum facere præsumat.

IV. Tabularius autem qui absque liberis discesserit, nullum alium nisi Ecclesiam relinquat heredem.

V. Quod si quis tabulas Episcoporum manibus seu clericorum roboratas inrumpere voluerit, tunc archidiaconus cum testibus qui tabulas roboraverunt, ante Episcopum vel Regem accedat, ut testes quod sciunt dicant. Quod si ille qui causam prosequitur, adquiescere noluerit, tunc tabulæ in præsentia iudicis perforentur, & archidiaconus in præsente sacramēto fidem faciat, & sibi septimus super noctes VII. coniuret, cum ipsis testibus qui tabulas conscripserunt, quod ipse tabularius secundum legem Romanam legitime fuisset ingenuus relaxatus. Et tunc ille qui causam prosequitur in præsente constringatur, ut se ante iudicem repræsentet, & ad partem Ecclesiæ c. sol. culp. iud. & unicuique de testibus XV. sol. culp. iud. & archidiacono XLV. sol. culp. iud. & nihilominus tabulæ stabiles permaneant.

VI. Quod si archidiaconus ista adimplere contempserit, & auctorem suum, qui eum ingenuum dimisit, non invenerit, tunc tabularium ipse archidiaconus cum XLV. sol. & cum omnibus rebus suis proprio domino studeat restituere, & unusquisque de testibus XV. sol. culp. iud.

VII. Quod si auctor dimissionis eum ingenuum fecerit, causam qui prosequitur similem mulctam sustineat, sicut superius scribere iussimus, & insuper ab Ecclesiæ liminibus repellatur, usque dum proprio domino ipse satisfaciat.

VIII. Quod si quis tabularium ex servo alieno facere præsumpserit, tunc ille cuius servus est, super eum manum mittere debet. Et si tabularius est, vel Regius, seu Romanus homo, qui hoc facit, super septem noctes: si Francus, super XIV. de manu in manum ambulare debet, quamvis mulctæ venditiones ex illo factæ fuissent, usque dum ad eam manum veniat, quæ eum ingenuum dimisit: & tunc ex eo iudiciū superius comprehensum adimpleatur.

IX. Si autem tabularius ancillam Regiam aut Ecclesiasticam, seu ancillam tabularii in matrimonium sibi sociaverit, ipse cum ea servus permaneat. Si autem tantum mœchatus fuerit, octavo dimidio solid. culp. iud. aut cum VI. iuret. Quod si tabularia hoc fecerit, ipsa & generatio eius in servitium inclinentur.

X. Si autem tabularius ancillam Ripuariam acceperit, non ipse sed generatio eius serviat.

XI. Si autem Ecclesiasticus Romanus, vel Regius homo ingenuam Ripuariam acceperit: aut si Romana vel Regia, seu tabularia ingenuum Ripuarium in matrimonium acceperit, generatio eorum semper ad inferiora declinetur.

XII. Quod si quis hominem Regium tabularium, tam baronem quam fœminam, de mundeburde Regis abstulerit, LX. sol. culp. iud.

XIII. Similiter & ille qui tabulariam vel Ecclesiasticam fœminam seu baronem, de mundeburde Ecclesiæ abstulerit, LX. sol. culp. iud. & nihilominus generatio eorum ad mundeburdem Regis seu Ecclesiæ revertatur.

XIV. Si autem Ripuarius ancillam Regis seu Ecclesiasticam, vel ancillam tabulariam sibi sociaverit, non ipse, sed procreatio eius serviat.

XV. Si autem Ripuarius ancillam Ripuarii in matrimonium acceperit, ipse cum ea in servitio perseveret.

XVI. Similiter & si Ripuaria hoc fecerit, ipsa & generatio eius in servitio perseverent.

XVII. Si autem ingenuus cum ancilla mœchatus fuerit, XV. sol. culpabilis iudicetur. Si servus hoc fecerit, III. sol. culp. iud. aut castretur.

XVIII. Quod si ingenua Ripuaria servum Ripuarium secuta fuerit, & parentes eius hoc contradicere voluerint, offeratur ei à Rege seu à Comite spatha & conucula. Quod si spatham acceperit, servum interficiat: si autem conuculam, in servitio perseveret.

XIX. Hoc etiam constituimus, ut hominem Regium Romanum vel tabularium interpellatum in iudicio non tanganet, & nec alsacia requirat. Et si in præsente legitime mallatus fuerit, ea verba commemoret, & non ei sic ut Ripuario ante altare verba commemoret.

XX. Servi autem Ecclesiarum non per actores, sed ipsi pro semetipsis in iudicio respondeant, & sacramenta absque tangano coniurent.

XXI. Si autem homo Regius homini Regio vel Ecclesiastico sacramento fidem fecerit, super VII. noctes coniuret: si Ripuario super XIV. Similiter & Ripuarius ei faciat.

LIX. DE VENDITIONIBVS.

SI quis alteri aliquid vendiderit, & emptor testamentum venditionis accipere voluerit, in mallo hoc facere debet, & pretium in præsente tradat, & rem accipiat, & testamentum publice conscribatur. Quod si parva res fuerit, VII. testibus firmetur: si autem magna, XII. roboretur.

II. Et si quis in posterum hoc refragari vel falsare voluerit, à testibus convincatur, aut cancellarius cum sacramenti interpositione cum simili numero, quo roboratum est, idoneum confirmet.

III. Quod

III. Quod si charta in iudicio perforata idonea fuerit, tunc ille qui causam prosequitur, dupla repetitione culp.iud. & insuper ad partem cancellarii XLV. sol. & unicuique de testibus XV. sol. culp. iud. & ipsum testamentum inviolatum perseveret. Si autem testamentum falsatum fuerit, tunc ille qui causam prosequitur, rem quam repetit cum LX. sol. recipiat: & insuper cancellario pollex dexter auferatur, aut eum cum L. sol. redimat, & unusquisq; de testibus sol. XV. mulctetur.

IV. Quod si ille qui causam sequitur, manum cancellarii de altari traxerit, aut ante hostium basilicæ manum posuerit, tunc ambo constringantur, ut se super XIV. noctes, seu super XL. ante Regem repræsentare studeant pugnaturi.

V. Si autem cancellarius mortuus fuerit, tunc ei liceat qui rem comparavit, cum III. chartis, quas ipse cancellarius scripsit, absque pugna chartam suam super altario positam idoneare.

VI. Quod si venditor vel heredes sui supervixerint, ipsi testamentum defendere debent, aut mulctam incurrere.

VII. Quod de venditione conscripsimus, hoc & de donatione constituimus. Hoc itaque constituimus, ut quicunque in causa victor extiterit, semper iudicium conscriptum accipiat, aut testes.

X. Si quis in iudicio interpellatus chartam præ manibus habuerit, nulla ei malo ordine invasio requiratur: quia dum interpellatur, respondeat ad interrogationes, & sine tangano loquatur, & dicat; *Non malo ordine, sed per testamentum hoc teneo.*

IX. Filiis autem aut filiabus super XII. sol. uni plusquam alteri nihil condonare vel conscribere permittimus. Quod si quis fecerit, irritum habeatur.

LX. DE TESTAMENTIS REGVM, VEL DE TRADITIONIBVS ET TESTIBVS ADHIBENDIS.

Si quis villam, aut vineam, aut quamlibet possessiunculam ab alio comparaverit, & testamentum accipere non potuerit; si mediocris res est, cum VI. testibus: & si parva, cum III. quod si magna, cum XII. ad locum traditionis cum totidem numero pueris accedat: & sic eis præsentibus pretium tradat, & possessionem accipiat, & unicuique de parvulis alapas donet, & torqueat auriculas, ut ei postmodum testimonium præbeant. Si autem testes non potuerit congregare, ut ei testimonium præbeant, tunc rem suam cum VI. sive cum VII. cum sacramenti interpositione sibi studeat evindicare.

II. Si quis consortem suum quantulumcunque superpriserit, cum XV. solid. restituat.

III. Si autem infra testamentum Regis aliquid invaserit, aut cum VI. iuret, quod infra terminationem testamenti nihil invasisset, aut cum LX. solid. omnem redditionem restituat.

IV. Si autem ibidem infra terminationem aliqua iudicia sua arte, vel butinæ, aut mutuli facta extiterint, ad sacramentum non admittatur, sed in præsente cum legis beneficio cogatur restituere.

V. Quod si extra marcham in sortem alterius fuerit ingressus, iudicium comprehensum compellatur adimplere.

VI. Quod si testamentum Regis absque contrario testamento falsum clamaverit, non aliunde nisi de vita componat.

VII. Quod si duo testamenta Regum de una re extiterint, semper prior duplicem sortiatur portionem.

VIII. Quod si quis de Ecclesia aliquid vi abstulerit, cum suprascripta lege in triplum restituat.

LXI. DE LIBERTIS SECVNDVM LEGEM ROMANAM.

SI quis servum suum libertum fecerit, & civem Romanum, portasq; apertas conscripserit, si sine liberis discesserit, non alium nisi fiscum nostrum habeat heredem.

II. Quod si aliquid criminis is admiserit, secundum legem Romanam iudicetur, & qui eum interfecerit, c. sol. mulctetur.

III. Quod si dominus eius eum ante Regem denariatum facere voluerit, licentiam habeat.

LXII. DE HOMINE QVI SERVVM TRIBVTARIVM FACIT.

SI quis servum suum tributarium aut litum fecerit, si quis eum interfecerit, XXXVI. sol. culp. iud.

II. Quod si denarialem eum facere voluerit, licentiam habeat, & tunc cc. sol. solvat.

LXIII. DE HOMINE IN HOSTE OCCISO.

SI quis hominem in hoste interfecerit, triplici weregeldo culp. iudicetur.

II. De texaga similiter.

LXIV. DE HOMINE IN DOMO PROPRIA OCCISO.

SI quis hominem in domo propria cum hariraida interfecerit, auctor facti triplici weregildo mulctetur, & tres priores xc. sol. culp. iud. Et quanti ei sanguinem fuderint, unusquisque weregildo eum componat. Et quanticunque post auctorem sanguinis effusores, vel post tres priores fuerint, unusquisque xv. sol. mulctetur: & quidquid ibi talaverint, restituant.

LXV. DE EO QVI BANNVM NON ADIMPLET.

SI quis legibus in utilitatem Regis, sive in hoste, sive in reliquam utilitatem bannitus fuerit, & minime adimpleverit, si ægritudo eum non detinuerit, LX. sol. mulctetur.

II. Si

II. Si autem Romanus, vel Ecclesiasticus, vel Regius homo hoc fecerit, unusquisque contra auctorem suum xxx. sol. culp. iud.

III. Si quis autem legatarium Regis, vel ad Regem, seu in utilitatem Regis pergentem hospitio suscipere contempserit, nisi emunitas Regis hoc contradixerit, LX. sol. culp. iud. Aut si Regius Romanus, aut Ecclesiasticus homo hoc fecerit, unusquisque contra auctorem suum xxx. sol. mulctetur.

LVI. DE SACRAMENTO.

SI quis Ripuarius sacramento fidem fecerit, supra XIV. noctes sibi septimus seu duodecimus, vel septuagesimus secundus cum legitimo termino noctium studeat coniurare. Si autem contentio orta fuerit, quod sacramentum in die placito non coniurasset, tunc cum tertia parte iuratorum suorum adfirmare studeat, aliquibus à dextris, aliquibus à sinistris stantibus. Sin autem nec sic satisfecerit, tunc secundum præsentiam iudicis, vel secundum terminationem sextam iuratorum suorum, cum dextera armata tam prius quam posterius sacramentum in præsentia iudicis confirmare studeat. Quod si verbis non dixerint, omnem repetitionem cum legis beneficio studeant reformare, & unusquisque de iuratoribus sol. XV. culp. iud. Si autem contradixerint, iudicium accipiant.

II. Si autem Regius Romanus aut Ecclesiasticus taliter egerit, cum legitimo numero similiter studeat implere, aut legitimam solutionem restituat.

LXVII. DE EO QVI FILIVM NON RELINQVIT.

SI quis moriens debitor, aut testamenta venditionis seu traditionis aliqua fecerit, si filios aut filias non reliquerit, quicunq; de parentibus suis quantum unus solidus valet in hereditatem acceperit, vel cui weregildus eius, si interfectus fuisset, legitime obveniebat, omne debitum per ipsum solvi iudicatur, & omne factum eius idoniare studeat, aut culpam incurrat.

II. Si quis autem post fidem factam sacramenti in hostem bannitus fuerit, si non perrexerit, post XL. noctes: si autem perrexerit, post armorum positionem super XIV. noctes coniurare studeat.

III. Quod si sacramentum ille qui prosequitur, non pronunciaverit, ipse qui placuit ante annum revolutum, vel VII. noctes, sacramentum suum coram testibus offerat, & coniurare studeat, & deinceps innocens habeatur.

IV. Si autem non adimpleverit, omnem repetitionem cum legis beneficio restituat.

V. Si quis pro hereditate vel pro ingenuitate chartam receperit pro malo ordine, cum VI. in Ecclesia coniuret, & cum XII. ad staplum Regis in circulo & in hasla, hoc est, in ramo, cum verborum contemplatione coniurare studeat. Si non adimpleverit, cum legis beneficio restituat: aut si quis eum contra prendere voluerit, aut cum armis suis se defensare studeat ante Regem, aut omnem repetitionem cum legis beneficio restituat.

LXVIII. DE OSSE SVPER VIAM SONANTE, VEL ABSQVE EFFVSIONE SANGVINIS.

SI quis in capite vel in quocunque libet membro plagatus fuerit, & os exinde exierit, quod super viam XII. pedum in scuto iactum sonaverit, XXXVI. sol. factum eius culp. iud.

II. Si autem plura ossa exierint, pro unoquoque osse sonante solidus addatur.

III. Quod si factum negaverit, quod talis plaga non fuerit, in quantum confessus fuerit, solvat, & de reliquo cum VI. iuret. Aut si non dixerit verbum, tam ipse quam coniuratores sui, qui iurare cœperunt, cum XV. sol. restituant.

IV. Quod si quis absque effusione sanguinis in quocunque libet membro os fregerit, XVIII. sol. culp. iud. aut cum VI. iuret, quod os fractum non fuisset, & tunc unum solidum componat.

VI. Quod si quis absque effusione sanguinis alium brachio, pede, oculo, auditu, muccatu, digito, vel quocunque libet membro mancaverit, sic eum componat, ac si cum gladio ipsum debilitasset.

LXIX. DE EO QVI REGI INFIDELIS EXTITIT.

SI quis homo Regi infidelis extiterit, de vita componat: & omnes res eius fisco censeantur.

II. Si autem quis proximum sanguinis interfecerit, vel incestum commiserit, exilium sustineat, & omnes res eius fisco censeantur.

LXX. DE HOMINE A LIGNO INTERFECTO.

SI quis homo à ligno seu aliquolibet manu factili fuerit interfectus, non solvatur, nisi forte quis auctorem interfectionis in usus proprios adsumpserit, tunc absque fredo culp. iud.

II. Si quis autem fossam vel puteum fecerit, seu pedicam vel ballistam incaute posuerit, & ibidem hominem, vel pecus debilitaverit, vel interfecerit, omni compositione, sicut lex continet Ripuaria, culp. iud. aut si negaverit, cum legitimo numero iuret.

III. Quod si in sepem animal impalaverit, & ipsa sepis mentonalis non fuerit, dominus sepis interfectionis seu debilitationis reus iudicetur: aut si negaverit, cum legitimo numero iuret.

IV. Si autem virga de foris sepem incaute missa fuerit, & aliquid interfecerit, solvatur. Si autem de intus sepem se in virgam impalaverit, non est solvendum.

V. Quod si quis in sepem, vel in quocunque libet periculo res alienas invitas minaverit, & ibidem interfectæ vel debilitatæ fuerint, similes restituat, aut cum VI. iuret quod hoc non fecisset.

LXXI. DE

LXXI. DE FESTVCA INTERCVRRENTE.

DE quacunque causa festuca intercesserit, lacina interdicatur se cum sacramento idoneare.

LXXII. DE HOMINE INTERTIATO, VEL PECORE MORTVO.

SI quis hominem intertiaverit, & infra placitum mortuus fuerit, in quadrivio cum retorta in pede sepeliatur, & ibidem ad diem placitus cum testibus accedat, & cum ipsis sex qui eum sepeliri viderunt, in araho coniuret, quod ibidem intertiatus ipse absque interfectione hominum, pecudum, vel alterius rei, nisi communi morte consumptus sepultus iaceat, & ipsam retortam in pede habeat: & per ipsam retortam super ipso sepulchro semper de manu in manum ambulare debet, usque dum ad eam manum veniat, quæ eum inlicito ordine vendidit vel furavit. Quod si ita non fecerit, capitali & dilatura cum legis beneficio, seu cum furto culp. iud.

II. Si autem ei fuga lapsus fuerit, si infra ducatum, super XIV. noctes: si extra ducatum, super XL. noctes: quod si extra regnum, super LXXX. placitus ei concedatur. Quod si infra placitum eum repræsentare non potuerit, capitali & dilatura, seu furto vel legis beneficio, culp. iud.

III. Si autem eum interfecerit, nisi in quadrivio cum retorta sepultus, ipse capitali & dilatura, cum furto seu cinewerdunia vel legis beneficio culpabilis iudicetur.

IV. Si autem aliquid culpæ commiserit, dum intertiatus est, ipse de hoc culp. iud. qui eum eo tempore post se retinuit.

V. Si homo commendatus vel fugitivus defunctus fuerit, similiter in quadrivio cum retorta sepeliatur. Quod si ita non fecerit, ipse qui eum post se retinuit, pretium rei cum legis beneficio culp. iud.

VI. Si autem animal intertiatum infra placitum mortuum fuerit, tunc ille qui causam prosequitur, cum testibus memorare debet, qualiter adpretiatum fuerit: & ille super quem intertiatur corio cum capite decorticato in præsentia iudicis auctorem suum ostendere debet. Quod si auctor receperit, tantum solidum unum de cinewerdunia pro corio restituat.

VII. Quod si animal vivum fuerit, sed debilitatum vel macilentum, quantum eo tempore adpretiatum fuerit, sic de cinewerdunia restituat. Si autem sanum vel immaculatum restituerit, tunc omne pretium suum recipiat.

VIII. Quod si furto ablatum fuerit, tunc ille super quem intertiatum fuerit, cap. & dil. cum furto culp. iud.

IX. Vestimenta autem seu his similia absque probabili signo intertiare prohibemus.

LXXIII. DE HOMINE LIGATO ABSQVE IVDICIO DIMISSO.

SI quis ingenuus Ripuarius furem ligaverit, & eum absque iudicio Principis solvere præsumpserit, LX. sol. culp. iud.

II. Si quis per vim eum tulerit, LX. sol. culp. iud.

III. Si autem ligatus fuga lapsus fuerit, & hoc cum VI. iuraverit, quod absque eius voluntate fuga lapsus fuisset, innocens habeatur.

IV. Si autem cui commendatus fuerit, fuga evalerit, XL. sol. culp. iud.

LXXIV. VT NVLLVS CVM SERVO TRADITIONEM VEL COMMVTATIONEM FACIAT.

HOc autem constituimus, ut nullus cum servo alieno negotium vel commutationem facere præsumat, nec ei ullam commendationem vel traditionem faciat. Nec à servo quisquam commendatam vel traditam rem recipiat. Si quis autem post hanc diffinitionem servo aliquid commendare præsumpserit, nihil recipiat, & dominus eius de hoc innocens habeatur. Similiter de puero vel de muliere alterius constituimus.

LXXV. DE RE PROPRISA VEL SECVTA.

SI quis caballum, hominem, vel quamlibet rem in via propriserit, aut eum secutus fuerit, per tres marchas ipsum ostendat, & sic postea ad Regis staplum ducat: sin autem aliter egerit, fur iudicandus est. Quod si quis latroni aliquid tulerit, similiter faciat.

LXXVI. DE MATERIAMINE VEL LIGNIS FVRATIS.

SI quis Ripuarius in sylva communi, seu Regis, vel alicuius locata, materiamen vel ligna fissa abstulerit, XV. sol. culpabilis iudicetur. Sic de venationibus vel de piscationibus, quia non res possessa est, sed de ligno agitur: aut si negaverit, cum VI. iuret.

LXXVII. DE HOMINE FVRBATTVDO.

SI quis hominem super rebus suis comprehenderit, & eum ligare voluerit, aut super uxorem, seu super filiam, vel his similibus, & non prævaluerit ligare, sed procolpus ei excesserit, & eum interfecerit: coram testibus in quadrivio in clida eum levare debet, & sic XL. seu XIV. noctes custodire, & tunc ante iudicem in araho coniuret, quod eam de vita forfactum interfecisset. Sin autem ista non adimpleverit, homicidii culp. iud. aut si negaverit, cum legitimo numero iuret, quod hoc non fecisset.

LXXVIII. DE EO, QVI FVREM IN DOMO RECEPERIT.

SI quis furem in domo receperit, vel ei hospitium vel victum præstiterit, dum res alienas furatus fuerit, ipse similis furi culp. iud. aut cum VI. iuret quod eum nec cœlasset, nec in domo pavisset.

LXXIX. DE

LXXIX. DE HOMINE PENDVTO ET EIVS HEREDITATE.

SI quis homo propter furtum comprehensus fuerit, & legitime superiuratus, & iudicio Principis pendutus, vel in quocunque libet patibulo vitam finierit, omnes res eius heredes possideant, exceptis capitali & dilatura quæ in locum restituant.

LXXX. DE VIA LACINIA.

SI quis Ripuarius ingenuum Ripuarium de via sua obstaverit, xv. sol. culp. iud. aut cum VI. iuret, quod ei viam suam cum armis nunquam contradixisset.

LXXXI. VT PARVVLVS NON RESPONDEAT ANTE XV. ANNOS.

SI quis homo Ripuarius defunctus fuerit, vel interfectus, & filium reliquerit, usque ad xv. annum plenum, nec causam prosequatur, nec in iudicio interpellatus responsum reddat. Quindecimo autem anno aut ipse respondeat, aut defensorem eligat. Similiter & filia.

LXXXII. DE DAMNO IN MESSE VEL IN CLAVSVRA.

SI quis Ripuarius in messe aliena vel in quacunque libet clausura damnum fecerit, æstimatione damni culp. iud. Si autem negaverit, & convictus fuerit, capitali cum furto & dilatura culp. iud.

II. Si quis peculium alienum in messe adprehensum ad parcum minare non permiserit, xv. sol. culp. iud. aut cum VI. iuret, quod hoc non fecisset.

LXXXIII. [*]DE MALEFICIO.

SI quis vir, seu qua mulier Ripuaria per venenum, seu per aliquod maleficium, aliquem perdiderit, weregeldum componat.

II. Si autem mortuus non fuerit, & varietatem seu debilitatem probabilem ex hoc in corpore habuerit, c. sol. culp. iud. aut cum VI. iuret.

LXXXIV. DE GRAFIONE INIVSTE INVITATO.

SI quis grafionem ad res alienas iniuste tollendas invitaverit, XLV. sol. componat, & simile restituat.

LXXXV. DE CORPORE EXPOLIATO.

SI quis corpus mortuum, priusquam sepeliatur, expoliaverit, c. sol. cum capitali & dilatura mulctetur.

II. Si autem eum ex humo traxerit, & expoliaverit cc. sol. cum capitali & dilatura culp. iud. vel wargus sit, hoc est expulsus, usque dum parentibus satisfaciat.

LXXXVI. DE CABALLO EXCORTICATO.

SI quis caballum alterius mortuum, seu quodcunque libet animal, extra consilium domini sui excorticaverit, xxx. sol. culp. iud.

II Si autem negaverit, & convictus fuerit, c. sol. cum capitali & dilatura mulctetur.

LXXXVII. DE HOMINE FVRBANNITO.

SI quis hominem, qui furbannitus est, in domum recipere præsumpserit, si Ripuarius est, LX. sol. si Regius Romanus vel Ecclesiasticus, xxx. sol. culp. iud.

LXXXVIII. VT NEMO MVNERA IN IVDICIO ACCIPIAT.

HOc autem consensu & consilio, seu paterna traditione, & legis consuetudine super omnia iubemus, ut optimates, maiores domus, domestici, comites, grafiones, cancellarii, vel quibuslibet gradibus sublimati, in provincia Ripuaria in iudicio residentes, munera ad iudicium pervertendum non recipiant. Quod si quis in hoc deprehensus fuerit, de vita componat.

LXXXIX. VT IVDICES SIVE MISSI FISCALES FREDA NON EXIGANT PRIVS QVAM FACINVS COMPONATVR.

HOc quoque iubemus, ut iudices supra nominati, sive fiscales, de quacunque libet causa freda non exigant, priusquam facinus componatur. Si quis autem per cupiditatem ista transgressus fuerit, legibus componatur. Fredum autem non illi iudici tribuat, cui culpam commisit, sed illi qui solutionem recipit, tertiam partem coram testibus fisco tribuat, ut pax perpetua stabilis permaneat.

EXPLICIT

LEX RIPVARIORVM

LEX
SAXONVM.

CAPITVLA
LEGIS SAXONVM.

EXPLICIVNT CAPITVLA.

INCIPIT LEX SAXONVM.

CAPVT I. DE VVLNERIBVS.

De ictu nobilis solid. xxx. vel si negat, tertia manu iuret.

II. Livor & tumor sol. LX. vel sexta manu iuret.

III. Si sanguinat, sol. CCXX. vel cum XII. iuret.

IV. Si os paruerit, sol. CLXXX. vel cum XII. iuret.

V. Si os fregerit, vel wltavam fecerit corpus, vel coxam, vel brachium perforaverit, sol. CCXL. culp. iud. vel cum XII. iuret.

VI. Si gladio vestem, seu scutum alterius inciderit, sol. XXXVI. componat, vel tertia manu iuret.

VII. Si per capillos alium comprehenderit, sol. CXX. componat, vel cum XII. manu iuret.

VIII. Quicunque gladio stricto super alium cucurrerit, & retentus ab alio fuerit, XII. sol. componat, vel in manu liti sui vel in armata iuret.

IX. Si quis alium de ponte, vel navi, vel ripa in flumen impinxerit, & ille evaserit, sol. XXXVI. componat, vel tertia manu iuret.

X. Si comprehenderit, & ita in aquam proiecerit, sol. CXX. componat, vel cum XII. iuret.

XI. Qui oculum unum excusserit, sol. DCCXX. componat: qui ambos, sol. ICCCCXL. Similiter de una aure vel ambabus, si surdus efficitur. Similiter de naso si abscisus fuerit, sol. DCCXX. componat. Similiter de manibus & de pedibus. Testiculos, si unus abscisus fuerit, DCCXX. sol. si ambo, ICCCCXL. solid. componat.

XII. Si auricula, vel oculus, vel nasus, vel manus, vel pes, ita percussa manca loco remanserint, vel pependerint, medietatem supradictæ compositionis exsolvat. Si movere ipsum membrum possit, quartam partem componat.

XIII. Pollex totus abscissus, CCXL. solid. componatur: si dimidius CLXX. componatur. Si minimus totus, CCXL. sol. componatur. Si unum digiti membrum, LXXX. si duo membra CXL. Si totum, ut supra. Si index, CLXXX. & per singula membra tertia pars totius mulctæ componatur. Medius & medicus, uterque sol. CXX. componatur, & membra eorum, ut de ceteris dictum est. Pollex pedis medietate pollicis manus componatur. Tres articuli medii, medietate compositionis medii & medici digitorum componantur. Minimus articulus medietate unius de tribus articulis componatur.

II. QVI

II. DE OCCISIONIBVS.

QVi nobilem occiderit, ICCCCXL. sol. componat. Ruoda quod dicitur apud Saxones, cxx. sol. & interpremium cxx. sol.

II. Quidquid de superioribus factis in fœminam committitur, si virgo fuerit, dupliciter componatur: si iam enixa, simpliciter componatur.

III. Litus occisus cxx. sol. componatur. Mulcta vero vulnerum eius per omnia duodecima parte minor, quam nobilis hominis solvatur, aut solido maiori: vel si negaverit, sua manu XII. iuret. Si in turba vel seditione fuerit occisus, componatur ab eo cui mors eius imputatur, vel sacramento XII. hominum negetur.

IV. Si servus à nobili occisus, XXXVI. sol. componatur, vel tribus iuratoribus negetur: si à liberto vel lito, pleno sacramento negetur.

V. Litus si per iussum vel consilium domini sui hominem occiderit, ut puta nobilem, dominus compositionem persolvat, vel faydam portet. Si autem absque conscientia domini hoc fecerit, dimittatur à domino, & vindicetur in illo, & aliis septem de consanguineis eius ad propinquos occisi; & dominus liti se in hoc conscium non esse, cum XII. iuret.

VI. Si mordrum totum quis fecerit, componatur primo in simplo, iuxta conditionem suam. Cuius mulctæ pars tertia à proximis eius, qui facinus perpetravit, componenda est: duæ verò partes ab illo, & insuper octies ab eo componatur. Et ille ac filii eius soli sint faydosi.

VII. Si nobilis nobilem extra solum vendiderit, & reducere non potuerit componat eum ac si occidisset: si vero reduxerit eum, emendet ei iuxta quod placitare potuerit. Si autem ille sua sponte reversus fuerit medietatem weregeldi eius componat. De muliere similiter.

VIII. Qui in Ecclesia hominem occiderit, vel aliquid furaverit, vel eam effregerit, vel sciens periuraverit, si infra patriam fuerit factum, capite puniatur: sin autem infra patriam non fuerit, in qualicunque loco fuerit, secundum illorum legem. Et qui nesciens periuraverit, manum suam redimat auctor sacramenti.

IX. Qui homini ad Ecclesiam vel de Ecclesia pergenti die festo, id est, dominica Paschæ, Pentecoste, Natali Domini, sanctæ Mariæ, sancti Ioannis baptistæ, sancti Petri, sancti Martini insidias posuerit, eumque occiderit, capite puniatur, si infra patriam fuerit. Sin autem in quali loco, secundum illorum legem. Si non occiderit, tamen insidias fecerit, bannum solvat de reliquis.

III. DE CONIVRATIONE ET LÆSA DOMINATIONE.

QVi in regnum vel in Regem Francorum, vel in filios eius de morte consiliatus fuerit, capite puniatur.

II. Qui dominum suum occiderit, capite puniatur.

III. Qui filium domini sui occiderit, vel filiam, aut uxorem, aut matrem stupraverit, iuxta voluntatem domini occidatur.

IV. Qui hominem propter faydam in propria domo occiderit, capite pun.

IV. Capitis damnatus nusquam habeat pacem: si in Ecclesia confugerit, reddatur.

IV. DE FVRTIS.

QVi caballum furaverit, capite puniatur.

II. Qui aluearium apum infra sepem alterius furaverit, capite puniatur: si extra sepem furatum, novies componendum est.

III. Qui nocte domum alterius effodiens vel effringens intraverit, & duorum solidorum pretium abstulerit, capite puniatur: si ibi occisus fuerit, non solvatur.

IV. Qui infra screonam aliquid furaverit, capite puniatur.

V. Qui bovem quadrimum, qui duos solidos valet, nocte furto abstulerit, capite puniatur.

VI. Qui in re qualicunque, vel interdiu vel noctu trium solidorum pretium furto abstulerit, capite puniatur.

VII. Quidquid vel in uno denario, minus tribus solidis, quislibet furto abstulerit, novies componat quod abstulerit, & pro fredo si nobilis fuerit XII. si liber VI. comp. De hac re quod superius dictum est de furto, qui infra patriam furaverit aliquid, unde mori debeat, si foris patria hoc fecerit, non moriatur, sed secundum illorum legem ubi factum fuerit componat.

V. DE VI ET INCENDIIS.

QVi homini in hoste vel de hoste ad palatium, vel de palatio pergenti malum aliquod fecerit, componat in triplo.

II. Qui domum alterius vel noctu vel interdiu suo tantum consilio volens incenderit, capite puniatur.

III. Qui alteri dolose per sacramentum res proprias tollere vult, duobus aut tribus de eadem provincia idoneis testibus vincatur; & si plures fuerint, melius est.

VI. DE CONIVGIIS.

VXorem ducturus CCC. solidos det parentibus eius: si autem sine voluntate parentum, puella tamen consentiente, ducta fuerit, bis trecentos solidos parentibus eius componat. Si vero nec parentes nec puella consenserunt, id est, si per vim rapta est, parentibus eius trecentos solidos, puellæ CCXL. componat, eamque parentibus restituat.

VII. DE HEREDIBVS ET VIDVIS.

PAter aut mater defuncti filio non filiæ hereditatem relinquant.

II. Qui mortuus viduam reliquerit, tutelam eius filius, quem ex alia uxore habuit, accipiat: si is forte defuerit, qui frater est defuncti: si frater non fuerit, proximus paterni generis vel eius consanguineus.

III. Qui viduam ducere velit, offerat tutori pretium emptionis eius, consentientibus ad hoc propinquis eius. Si tutor abnuerit, convertat se ad proximos eius, & eorum consensu accipiat illam, paratam habens pecuniam, ut tutori eius, si forte aliquid dicere velit, dare possit, hoc est, solid. CCC.

IV. Qui defunctus non filios, sed filias reliquerit, ad eas omnis hereditas pertineat, tutela vero earum fratri vel proximo paterni generis deputetur.

V. Si vidua filiam habens nupserit, filiumque genuerit, tutela filiæ ad filium quem tunc genuerat pertineat: si autem filium habens nupserit filiamq; genuerit, tutela filiæ non ad filium prius genitum, sed ad fratrem patris vel ad proximum eius pertineat.

VI. Qui filium aut filiam habuerit, & filius uxore ducta filium genuerit, & mortuus fuerit, hereditas patris ad filium filii, id est ad nepotem, non ad filiam pertinet.

VII. DE DOTE.

Dotis ratio duplex est. Ostfalai & Angrarii volunt, si fœmina filios genuerit, habeat dotem, quam in nuptiis accepit, quamdiu vivit, filiisque dimittat. Si verò filii matre superstite moriantur, ipsaque post obierit, dotem proximi eius in hereditatem accipiant. Si autem filios non habuerit, sicque diem obierit, dos ad dantem, si vivit, revertatur: si defunctus est, ad proximos heredes eius. Apud Vestfalaos postquam mulier filios genuerit, ad dies suos dotem possideat: post decessum eius dos ad dantem, vel si deest, ad proximos heredes eius revertatur.

VIII. DE ADQVISITIS.

De eo quod vir & mulier simul conquisierint, mulier mediam portionem accipiat, hoc apud Vestfalaos: apud Ostfalaos & Angrarios nihil accipiat, sed contenta sit dote sua.

IX. DE RAPTV MVLIERVM.

Qvi fœminam ab alio desponsatam rapuerit, ccc. patri puellæ, ccc. sponso componat, & insuper ccc. sol. emat eam: & si cum matre euntem in via rapuerit, etiam & matri ccc. sol. componat.

X. DE DELICTIS SERVORVM.

Qvidquid servus aut litus iubente domino perpetraverit, dominus emendet.

II. Si servus scelus quodlibet nesciente domino commiserit, utputa homicidium, furtum, dominus eius pro illo iuxta qualitatem facti mulctam com.

III. Si servus perpetrato facinore fugerit, ita ut à domino ulterius inveniri non possit, nihil solvat. Si domino factum servi imputetur, quasi consentiret, sua XII. manu iurando se purificet.

IV. Si servus iterum à domino receptus fuerit, mulctam pro illo comp.

XI. DE DAMNO CASV INLATO.

Si arbor ab alio præcisa casu quemlibet oppresserit, componatur mulcta pleno weregeldo, à quo arbor præcisa est.

II. Si arbor accensa ceciderit, hominemque oppresserit, à mane usque ad mane, vel à vespera usque ad vesperam, ex quo ignis accensus est, si infra hoc tempus cadens hominem oppresserit, ab eo qui incendit arborem, componatur: si post, nihil solvatur.

III. Qui laqueum fossamve ad feras capiendas fecerit, & hæc damnum cuilibet fecerint, qui eas fecit mulctam solvat.

XII. DE ANIMALI QVOD DAMNVM DAT.

SI animal quodlibet damnum cuilibet intulerit, ab eo cuius esse constiterit, componatur, excepta fayda.

II. Si fossa vel laqueus ad feras capiendas præparata damnum quodlibet fecerint, à quo parata sunt componatur.

III. Si ferrum manu elapsum hominem percusserit, ab eo cuius manum fugerat componatur, excepta fayda.

XIII. DE EO QVI ANIMAL LÆSERIT.

QVi in fossam vel sudem acutam, vel alienam sepem, pecus quodlibet agitaverit, ibique confixum, vel cadens perierit, mulctam componat.

XIV. DE TRADITIONIBVS.

TRaditiones & venditiones omnes legitimæ, stabiles permaneant.

II. Nulli liceat traditionem hereditatis suæ facere, præter ad Ecclesiam vel Regi: nec heredem suum exheredem faciat, nisi forte famis necessitate coactus, ut ab illo, qui hoc acceperit, sustentetur. Mancipia liceat illi dare ac vendere.

XV. DE TERRA ALIENA INVASA.

QVi terram suam occupatam ab altero dixerit, adhibitis idoneis testibus, probet eam suam fuisse: si occupator contradixerit, campo diiudicetur. Si occupator sibi recrediderit, reddat hoc quod occupavit, non amplius.

XVI. DE EXVLIBVS.

LIber homo qui sub tutela nobilis cuiuslibet erat qui iam in exilium missus est, si hereditatem suam necessitate coactus vendere voluerit, offerat eam primum proximo suo: si ille eam emere noluerit, offerat tutori suo, vel ei qui tunc à Rege super ipsas res constitutus est: si nec ille voluerit, vendat eam cuicunque voluerit.

XVII. DE CONIVGIO.

LIto Regis liceat uxorem emere ubicunque voluerit, sed non liceat ullam fœminam vendere.

XVIII. DE SOLIDIS

SOlidus est duplex, unus habet duos tremisses, qui est bos anniculus XII. mensium, vel ovis cum agno: alter solidus tres tremisses, id est bos XVI. mensium. Maiori solido aliæ compositiones, minori homicidia componuntur. Westfalaiorum & Angrariorum & Ostfalaiorum solidus est, secalis scesfila XXX. ordei XL. avenæ LX. Apud utrosque duo si de mallis sol. quadrimis bos duo solidi: duo boves quibus arari potest, quinque sol. bos bonus tres solidi. Vacca cum vitulo. solidi duo & semis.

EXPLICIT
LEX SAXONVM.

LEX
ANGLIORVM
ET VVERINORVM.

CAPITULA
LEGIS ANGLIORUM ET UUERINORUM.

EXPLICIUNT CAPITULA.

INCIPIT

LEX ANGLIORVM ET VVERINORVM, HOC EST, THVRINGORVM.

TITVLVS I. DE HOMICIDIIS.

SI quis Adalingum occiderit, DC. sol. componat.

II. Qui liberum occiderit, CC. sol. componat.

III. Et de utroque si negaverit, cum XII. iuret, aut in campum exeat, utrum ille voluerit, ad quem causa pertinet.

IV. Qui servum occiderit, XXX. solid. componat, aut si negaverit, cum V. iuret.

II. DE ICTV LÆSIS.

QVi Adalingum ictu percusserit, XXX. sol. componat, aut cum V. iuret.

II. Qui liberum, X. solid. componat, aut cum quinque iuret.

III. DE VVLNERIBVS

SAnguinis effusio Adalingi XXX. sol. componatur, aut cum sex hominum sacramento negetur.

II. Liberi hominis, X. sol. aut sex hominum sacramento negetur.

IV. DE FRACTVRA OSSIVM.

OS fractum Adalingo XC. sol. componatur, aut XII. hominum sacramento negetur.

II. Libero XXX. solidis componatur, aut sex hominum sacramento negetur.

V. DE TRANSPVNCTIONE ET MEMBRIS LÆSIS.

COrpus transpunctum similiter.

II Coxa vel brachium transpunctum, ut sanguinis effusio.

III. Oculus unus, vel ambo excussi Adalingo, CCC. sol. componantur. Libero, C. solidis; aut si negat, XII. hominum sacramento negetur.

IV. Nasus abscissus similiter. Auris similiter. Lingua similiter.

V. Manus vel pes abscissus, similiter: aut si manca pependerint, medietas componatur.

VI. Qui Adalingo unum vel ambos testiculos excusserit, CCC. sol. componat. Si libero, C. sol. componat, vel iuret ut superius.

VII. Si

VII. Si vectem similiter.

VIII. Qui pollicem absciderit, XXXIII. solid. & tremissem componat. Si indicem & impudicum similiter. Si medicum & minimum similiter.

IX. Articulus pedis abscissus ut os fractum componatur.

X. Vultivam L. solid. componat, vel cum sex iuret.

XI. Qui alium percusserit, ut surdus fiat, Adalingo CCC. solid. componat. Libero C. sol. componat, vel cum XI. iuret.

HÆC IVDICIA VVLEMARVS DICTAVIT.

XII. Si contra stomachum vulnus factum erit, & claudi non potuerit, XII. sol. pro ipsa apertione componat.

XIII. Si ipse stomachus perforatus fuerit, nec vulnus medicamento claudi potuerit, pro vulneris apertione totidem sol. componat, quot pro ipso vulnere composuit.

XIV. Si intestina vel botelli perforati claudi non potuerint, similiter faciat, id est, totidem solid. apertionem vulnerum componat, quot pro ipsis vulneribus composuit.

XV. Si utraque coxa ferro vel quolibet telo traiecta fuerint, VI. solid. componat.

XVI. Si folliculus testiculorum cum coxa, IX. sol. componat.

XVII. Si utraque coxa cum testiculis fuerint perforata, XV. sol. comp.

XVIII. Si quis alium in facie percusserit, ut oculus vel os torqueatur, IIII. solid. componat.

XIX. Si quis alium in brachio vel in crure percusserit, ut ipsa membra decrescant, & ita fuerit subtiliatum, ut duos digitos minuatur, IIII. solid. componat: si unum, II. solid. si digitus dimidius, solid. si sexta pars digiti est, unum tremissem.

XX. Qui harpatorem, qui cum circulo harpare potest, in manum percusserit, componat illum quarta parte maiori compositione, quam alteri eiusdem conditionis homini. Aurifices similiter. Fœminas fresum facientes similiter.

VI. DE ALODIBVS.

HEREDITATEM DEFVNCTI FILIVS, NON FILIA SVSCIPIAT. SI FILIVM NON HABVIT QVI DEFVNCTVS EST, AD FILIAM PECVNIA ET MANCIPIA, TERRA VERO AD PROXIMVM PATERNÆ GENERATIONIS CONSANGVINEVM PERTINEAT.

II. Si autem nec filiam habuit, soror eius pecuniam & mancipia: terram proximus paternæ generationis accipiat.

III. Si autem nec filium, nec filiam, neque sororem habuit, sed matrem tantum superstitem reliquit, quod filia vel soror debuerunt, mater suscipiat, id est, pecuniam & mancipia.

IV. Quod si nec filium, nec filiam, nec sororem, aut matrem dimisit superstites, proximus qui fuerit paternæ generationis, heres ex toto succedat, tam in pecunia atque mancipiis, quam in terra.

V. Ad quemcunque hereditas terræ pervenerit, ad illum vestis bellica, id est lorica, & ultio proximi, & solutio leudis, debet pertinere.

VI. Mater moriens filio terram, mancipia, pecuniam dimittat, filiæ verò spolia colli, id est murenas, nuscas, monilia, inaures, vestes, armillas, vel quidquid ornamenti proprii videbatur habuisse.

VII. Si nec filium, nec filiam habuerit, sororem verò habuerit, sorori pecuniam & mancipia, proximo verò paterni generis terram relinquat.

VIII. Vsque ad quintam generationem paterna generatio succedat. Post quintam autem filia ex toto, sive de patris sive matris parte, in hereditatem succedat, & tunc demum hereditas ad fusum à lancea transeat.

VII. DE FVRTIS.

QVi gregem equarum in parco furatus fuerit, in triplum componat. Si autem foris gregem commovit, quot equæ fuerunt, tot capita in commotionis mulctam componat, & quot abstulit, tot in triplum componat. hoc de cervo, bove, vacca, ove, porco, iudicatum est.

II. Qui scrofas sex cum verre, quod dicunt son, furatus est, in triplum componat, & delaturam sol. VII. & in freda totidem.

III. Qui ornamenta muliebria, quod rhedo dicunt, furto abstulerit, in triplum componat, delaturam XII. sol. & in freda similiter.

IV. Homo in furto occisus, non solvatur: sed si proximus eius dixerit innocentem occisum, campo eum comprobet innocentem, vel XII. hominum sacramento, furem credi iustè occisum.

V. Qui hominem liberum infra patriam vendiderit, solvat eum quasi occisum, & in fredam solid. XII. Qui liberum extra solum vendiderit, solvat eum similiter, & in fredam sol. LX. Similiter de fœmina.

VI. Qui liberum ligaverit, X. sol. componat. Qui Adalingum XXX. sol. si negat, cum XII. iuret, aut campo decernat.

VII. In omni re furto ablata, si is cui res componenda est, dixerit capitale peius esse, quam quod ablatum est, iuret de debito solus, peius non esse quod offert, illo quod abstulit, & ita solvat secundum legem.

VIII. DE INCENDIO.

QVi domum alterius noctu incenderit, damnum triplo sarciat, & in fredo solid. LX. aut si negat, cum undecim iuret, aut campo decernat.

IX. DE LIBERTO OCCISO.

SErvus à domino per manumissionem libertate donatus, si occisus fuerit, LXXX. sol. componat, vel quidquid ei solvi debeat, medietas compositionis liberi hominis solvatur.

X. DE VI.

QVi liberam fœminam rapuerit, reddat eam cum solid. cc. & quidquid cum ea tulit, restituat, addens ad unamquamque rem sol. x.

II. Si libera fœmina, sine voluntate patris, aut tutoris, cuilibet nupserit, perdat omnem substantiam quam habuit, vel habere debuit.

III. Qui fœminam nobilem virginem, nondum parientem, occiderit, DC. solid. componat: si pariens erit, ter DC. sol. si iam parere desiit, DC. solid.

IV. Qui liberam non parientem occiderit, bis LXXX. & VI. solid. & duos tremisses componat: si pariens est, DC. solid. si iam desiit, CC. solid. componat.

V. Si servus liberam fœminam rapuerit, dominus compositionem solvat, ac si occisa fuisset.

VI. Similiter de viduæ raptu, vel interfectione, iudicatum est.

VII. Qui alterum intra septa propria occiderit, in triplum componat, vel quidquid damni ibi commiserit, tripliciter emendet.

VII. Qui nolens, sed casu quolibet, hominem vulneraverit, vel occiderit, compositionem legitimam solvat.

IX. Qui domum alterius collecta manu hostiliter circumdederit, trium primorum qui fuerint, unusquisque solid. LX. componat, & rei similiter. De ceteris, qui eos secuti sunt, solid. x. unusquisque, & in bannum Regis solid. LX.

XI. SI QVADRVPES DAMNVM FECERIT.

SI quadrupes damnum quodlibet fecerit, possessor pro qualitate damni vel compositionem solvat, vel sacramentum iuret.

XII. DE MINORIBVS CAVSIS.

QVidquid homo alteri fecerit, quod iniustum factum dicatur, x. solidis componat, aut cum quinque iuret.

XIII. DE POTESTATE TESTANDI.

LIbero homini liceat hereditatem suam cui voluerit tradere.

XIV. DE VENEFICIIS.

SI mulier maritum veneficio dicatur occidisse, vel dolo malo ad occidendum prodidisse, proximus mulieris campo eam innocentem efficiat: aut si campionem non habuerit, ipsa ad novem vomeres ignitos examinanda mittatur.

XV. DE CAMPO.

A duobus solid. usque ad maximam compositionem, in furto & vulneribus campus iudicat.

XVI. DE DELICTIS SERVORVM.

OMne damnum, quod servus fecerit, dominus emendet.

XVII. DE ANIMALI ALIENO LÆSO.

QVi quadrupedia alterius in sepem cuiuslibet seu fossam minaverit, ibique vel mortua fuerint, vel damnum aliquod pertulerint, is qui ea minavit, damnum emendet.

II. Si homo laqueum, vel pedicam, vel quodlibet machinamentum, ad capiendas feras in sylva posuerit, ibique pecus vel iumentum alterius captum, vel mortuum fuerit, qui machinamentum fecit, damnum emendet.

EXPLICIT

LEX ANGLIORVM ET WERINORVM.

LEX
FRISIONUM.

CAPITVLA
LEGIS FRISIONVM.

ADDITIO SAPIENTVM.

INCIPIT LEX FRISIONUM.

ET HÆC EST SIMPLA COMPOSITIO.

TITULUS I. DE HOMICIDIIS.

SI nobilis nobilem occiderit, LXXX. sol. componat: de qua mulcta duæ partes ad heredem occisi, tertia ad propinquos eius proximos pertineat. Et si negaverit se illum occidisse, adhibitis secum XI. eiusdem conditionis hominibus, iuret.

II. Si nobilis liberum occiderit, solid. LIII. & unum denarium solvat: & si negaverit, cum VII. sacramentalibus iuret. Inter Laubachi & Wisaram cum V. & Cisfli similiter.

III. Si nobilis litum occiderit, XXVII. solid. uno denario minus, componat domino suo, & propinquis occisi solid. IX. excepto tertia parte unius denarii: & si negaverit, cum tribus iuratoribus se excuset. Inter Laubachi & Wisaram & Cisfli cum duobus. Ultra Wisaram & Laubachi & Cisfli cum XXIII. iuret.

IV. Si liber nobilem occiderit, LXXX. sol. componat, aut si negaverit cum XVII. iuret.

V. Si liberum occiderit, solid. LIII. & unum denarium solvat, & si negaverit, cum undecim sacramentalibus iuret.

VI. Si litum occiderit, sol. XXVII. uno denario minus componat domino suo, & propinquis occisi sol. IX. excepto tertia parte unius denarii, & si negaverit, cum quinque sacramentalibus iuret.

VII. Si litus nobilem occiderit, similiter LXXX. sol. componat, aut si negaverit, cum trigintaq́uinque iuratoribus suæ conditionis se excuset. Inter Laubachi & Wisaram & Cisfli cum XLVIII. iuret.

VIII. Si liberum occiderit, sol. LIII. & unum denarium solvat, & si negaverit, cum XXIII. sacramentalibus iuret.

IX. Si litum occiderit, sol. XXVII. uno denario minus, componat domino suo, & propinquis occisi sol. IX. excepto tertia parte unius denarii: & si negaverit, sibi duodecimus iuret. Inter Fli & Sincfalam weregildus nobilis C. solidi, liberi L. liti XXV. sol. denarii III. novæ monetæ. Inter Laubachi & Wisaram weregildus nobilis CVI. solidi & duo denarii, liberi LIII. sol. & denarius, liti XXVI. solidi & dimidius tremissis.

X. Si quis homo, sive nobilis, sive liber, sive litus, sive etiam servus, alterius servum occiderit, componat eum iuxta quod fuerit adpretiatus, & dominus eius, istius pretii eum fuisse, sacramento suo iuret.

XI. Quod

XI. Quod si quælibet ex prædictis personis hoc homicidium se perpetrasse negaverit, iuxta quod summa pretii occisi mancipii fuerit æstimata, maiori vel minori sacramento se excusare debebit. Inter Laubachi & Wisaram suam habet compositionem.

XII. Si servus nobilem, seu liberum, aut litum, nesciente domino occiderit, dominus eius, cuiuscunque conditionis fuerit homo qui occisus est, iuret hoc se non iussisse; & mulctam eius pro servo bis simplum componat. At si servus hoc se iussu domini sui fecisse dixerit, & dominus non negaverit, solvat eum, sicut si manu sua occidisset, sive nobilis, sive liber, sive litus sit. Et si servus hoc se perpetrasse negaverit, dominus eius iuret pro illo.

XIII. Si nobilis erat qui occisus est, & nobilis ille, cuius servus est, cum tribus sacramentalibus iuret. Si liber erat qui occisus est, duas partes prædicti sacramenti, cum duobus nobilibus, & uno libero iuret. Si litus erat, ipse medietatem sacramenti cum uno lito iuret.

XIV. Si dominus servi liber est, & nobilis qui occisus est, sua sexta manu pro servo sacramentum perficiat. Si suæ conditionis, id est, liber erat, cum tribus æque liberis iuret. Si litus erat, cum uno libero sacramentali iuret. Inter Laubachum & Wisuram dominus servi non iuret, sed componat eum, ac si ipse eum occidisset.

II. FORRESNI.

SI nobilis nobilem per ingenium alio homini ad occidendum exposuerit, & is qui eum occidit patria relicta profugerit, qui eum exposuit, tertiam partem leudis componat. Si verò homicida non fugerit, nihil solvat, sed tantum inimicitias propinquorum hominis occisi patiatur, donec quomodo potuerit, eorum amicitiam adpiscatur. Si autem hoc fecisse dicitur, & negaverit, cum III. sacramentalibus iuret: si ille qui hominem occidit, profugium fecit: sin verò homicida infra patriam est, expositor nihil iuret, sed tantum inimicitias propinquorum occisi hominis patiatur, donec cum eis, quoquomodo potuerit, in gratiam revertatur.

II. Si nobilis liberum hominem exposuisse dicitur, tertiam partem leudis eius componat, si extra patriam fugit, qui hominem occidit: si verò infra patriam est, nihil solvat. Quod si negaverit, similiter sicut de nobili sacramentum iuret, tertia sacramenti portione adempta, propter viliorem personam liberi hominis.

III. Si de lito idem scelus ei imputetur, & homicida defuerit, ut superius de libero sacramentum perficiat, adempta ipsius sacramenti dimidia portione, solvens tertiam portionem leudis eius, si negare non potuerit. Et si is qui eum occidit infra patriam fuerit, sicut superius diximus, expositor nec iuret, nec leudem solvat, sed inimicitias propinquorum occisi patiatur, donec se cum eis reconciliet.

IV. Si liber in nobilem hominem tale scelus dicitur perpetrasse, similiter ut nobilis sacramento se excuset, addita super sacramentum, quod nobilis iurare debet, ipsius sacramenti tertia portione: aut si negare non potuerit,

& homicida defuerit, solvat tertiam partem leudis eius. Si verò homicida infra patriam fuerit, nec iuret, nec aliquid solvat, sed tantum inimicitias propinquorum occisi patiatur, donec cum eis in gratiam revertatur.

V. Si verò de libero idem scelus ei imputetur, sibi quarto sacramentum iuret, vel si homicida profugerit, tertiam portionem leudis eius componat, si negare non potuerit. Si vero homicida infra patriam est, nec iuret, nec aliquid solvat, sed tantum, ut superius, faydosus permaneat, donec in gratiam cum propinquis occisi revertatur.

VI. Si de lito idem agitur, dempta sacramenti dimidia portione, iurare debebit: aut si negare non potuerit, & homicida profugium fecit, ut superius diximus, tertiam portionem leudis eius componat. Si verò homicida profugium non fecit, expositor nec iuret, nec aliquid solvat, sed tantum ut superius inimicitias propinquorum occisi patiatur.

VII. Si litus de nobili homine eodem scelere fuerit incriminatus, iure medietate maiori sacramento, quam liber de nobili iurare debeat. Aut si negare non potuerit, & homicida defuerit, omnia ut superius de aliis personis scripta sunt, impleat. Quod si de libero idem scelus ei imputetur, medietate maiori sacramento iuret, quam liber de libero iurare debeat: aut si negare non potuerit, & homicida profugerit, tertiam portionem leudis componat, & omnia ut superius dicta sunt, implere compellatur.

VIII. Si de lito fuerit incriminatus, sua quarta manu sacramentum perficiat, aut si negaverit, & homicida profugerit, ea quæ superius scripta sunt, per ordinem impleat.

HÆC VVLEMARVS ADDIDIT.

SI quis servum, aut ancillam, caballum, bovem, ovem, vel cuiuscunque generis animal, vel quodcunque homo ad usum necessarium in potestate habuerit, arma, vestem, utensilia quælibet, & pecuniam alii ad auferendum exposuerit: si ille qui abstulit patria profugerit, expositor tertiam portionem compositionis exsolvat: aut si negare voluerit, maiori vel minori sacramento, prout qualitas pecuniæ fuerit, se excusare debet. Si qui abstulit, non profugit, expositor nec iuret nec solvat: sed tantum inimicitias portet eius, cuius pecuniam abstulit.

III. THIVBDA.

SI nobilis furtum quodlibet dicitur perpetrasse, & negare voluerit, cum quinque sacramentalibus iuret: aut si negare non potuerit, quod abstulit in duplum restituat, & ad partem Regis LXXX. sol. pro fredo componat, hoc est, weregildum suum.

II. Si liber furti arguatur, & negare voluerit, sua sexta manu cum æque liberis iuret, aut si confessus fuerit, rem quam abstulit, in duplum restituat, & ad partem Regis pro fredo weregildum suum.

III. Litus conditionem suam per omnia similiter faciat, id est, sua sexta manu iuret, vel quod abstulit in duplum restituat, & weregildum suum ad partem Regis pro fredo componat.

IV. Si servus furti reus esse dicatur, dominus eius in vestimento suo sacramentum pro illo perficiat. Aut si res grandis erit, in reliquiis iuret, aut servum ad iudicium Dei in aqua ferventi examinet. Quod si servus in iudicio probatus apparuerit, vel confessus fuerit, quanti res quæ ablata fuerit, æstimabitur, tantum dominus pro servo componat, & servus vapulet, nisi dominus eius quatuor solidis corium eius redimere voluerit.

V. Si quis in furto depræhensus fuerit, & ab ipso, qui eum depræhendit, furti arguatur & negaverit, iuret uterque solus, & ad examinationem ferventis aquæ iudicio Dei probandus accedat: si ille qui fur esse dicitur, fuerit convictus, componat weregildum suum ad partem Regis, & manum LX. sol. redimat, & in simplo furti compositionem exsolvat.

VI. Si verò is qui alium furem interpellavit, falso eum calumniatus est, & in iudicio ferventis aquæ fuerit convictus, LX. solidis manum suam redimat.

IV. DE SERVO AVT IVMENTO ALIENO OCCISO.

SI quis servum alterius occiderit, componat eum iuxta quod à domino eius fuerit æstimatus.

II. Similiter equi, & boves, oves, capræ, porci, & quidquid mobile in animantibus ad usum hominum pertinet, usque ad canem, ita solvantur, prout fuerint à possessore earum adpretiata: aut si negaverit, iuxta quod iudex dictaverit, iuret. Hoc inter Laubachi & Sincfalam.

III. Canem acceptoricium, vel bracconem parvum, quem barmbraccum vocant, IIII. sol. componat.

IV. Eum autem, qui lupum occidere solet, tribus solidis.

V. Qui lacerare lupum, & non occidere solet, duobus solidis.

VI. Canem custodem pecoris, solid. componat. Trans Laubachi, canem acceptorem, VIII. barmbraccum XII. custodem pecorum vel domus IIII. qui lupum lacerat, VIII. sol. componat.

VII. Illum verò qui nihil facere solet, sed tantum in curte & in villa iacet, uno tremisse componat.

V. DE HOMINIBVS QVI SINE COMPOSITIONE OCCIDI POSSVNT.

CAmpionem, & eum qui in prælio fuerit occisus, & adulterum, & furem, si in fossa, qua domum alterius effodere conatur, fuerit repertus, & eum qui domum alterius incendere volens facem manu tenet, ita ut ignis tectum, vel parietem domus tangat: qui fanum effregit, & infantem ab utero matris sublatum enecat.

II. Et si hoc quælibet fœmina fecerit, leudem suam Regi componat: & si negaverit cum V. iuret.

VI. DE CONIVGIIS IGNORATIS.

SI libera fœmina lito nupserit, nesciens eum litum esse, & ille postea de capite suo, eo quod litus sit, fuerit calumniatus: si illa sua sexta manu iurare poterit, quod postquam eum litum esse rescivit, cum eo non concubuit, ipsa libera permaneat, & filii quos procreavit. Si verò iurare non possit, in compositionem mariti sui, una cum filiis suis transeat.

VII. DE BRAND.

SI quis domum alterius incenderit, ipsam domum, & quidquid in ea concrematum est, in duplo componat.

II. Si autem dominum domus flammis ex ipsa domo egredi compulit, & egressum occidit, componat eum novies, cuiuscunque fuerit conditionis, sive nobilis, sive liber, sive litus sit. Hæc constitutio ex Edicto Regis processit. Trans Laubachi in fredam novies componat weregildum suum.

VIII. DE NOTNVMFTI.

SI quis rem quamlibet vi rapuerit, in duplum eam restituere compellatur, & pro freda sol. XII. componat, hoc est XXXVI. denarios. Trans Laubachi in simplo componat, & pro freda weregildum suum.

IX. DE FARLEGANI.

SI fœmina quælibet homini cuilibet fornicando se miscuerit, componat ad partem Regis weregildum suum. Hoc nobilis & libera faciant: lita verò ad partem domini sui. Si verò ancilla & virgo erat, cum qua quislibet homo mœchatus est, componat is qui eam violavit, domino eius solid. IIII. hoc est, denarios XII.

II. Si autem ab aliquo prius fuerit constuprata, solidos III. Si verò tertius hic erat, qui tunc eam violavit, duos solidos: si vero quartus, solidum unum: si quintus, tremissem unum. Et quotcunque postea accesserint, tremissem unum tantum componant: id est, culpabilis tremissem.

III. Si quis puellam virginem rapuerit, & violatam dimiserit, componat ei weregildum eius, sive nobilis, sive libera fuerit, ad satisfactionem, & ad partem Regis similiter: tertium weregildum patri, sive tutori puellæ. Si autem puella lita fuerit, satisfaciat ei similiter solutione weregildi sui, & domino eius x. solid. componat.

IV. Si liberam fœminam, extra voluntatem parentum eius, vel eorum qui potestatem eius habent, uxorem duxerit, componat tutori eius solid. XX. id est, denarios LX. Si autem nobilis erat fœmina, sol. XXX. Si lita fuerit, solid. x. domino eius persolvere cogatur. Inter Laubachi & Wisaram fluvium talis est consuetudo.

V. Si nobilis, seu liber, libero vi aliquid abstulerit, aut ipsum, aut aliud simile, in locum restituat, & XXIIII. solid. pro facti scelere componat, & weregildum suum ad partem Regis cogatur exsolvere.

VI. Si autem nobilis, vel liber, nobili vi aliquid abstulerit, medietate maiori compositione facinus cogatur emendare, & weregildum suum, ut superius, ad partem Regis exsolvat.

VII. Inter litos vis facta, medietate minori compositiones solvenda est. Insuper & weregildum suum ad partem Regis.

VIII. Si servus vi aliquid sustulit, dominus eius pro illo quantitatem rei sublatam componat, ac si ipse sustulisset, & pro weregildo servi IIII. sol. hoc est, denarios XII. ad partem Regis componat.

X. DE TESTIBVS.

SI quis homo super reliquiis sanctorum falsum sacramentum iuraverit, ad partem Regis weregildum suum componat, & alio weregildo manum suam redimat: de coniuratoribus eius unusquisque weregildum suum persolvat.

XI. DE LITO.

SI liber homo spontanea voluntate, vel forte necessitate [coactus], nobili seu libero, seu etiam lito, in personam & in servitium liti se subdiderit, & postea se hoc fecisse negare voluerit, dicat ille, qui eum pro lito habere visus est. *Aut ego te, cum coniuratoribus meis sex, vel septem, vel decem, vel duodecim, vel etiam viginti, sacramento meo, mihi litum faciam, vel tu, cum tuis coniuratoribus, de mea potestate debes excusare.* Si ille tunc iurare velit, iuret, & servitute liberetur. Si autem iurare noluerit, ille qui eum possidere videbatur, iuret, sicut condixit, & habeat illum, sicut ceteros litos suos.

II. Si litus semetipsum propria pecunia à domino suo redemerit, & unum, vel duos, vel tres, vel quotlibet annos, in libertate vixerit, & iterum à domino de capitis sui conditione fuerit calumniatus, dicente ipsi domino: *Non te redemisti, nec ego te libertate donavi.* Respondeat ille: *Aut tu cum iuratoribus tuis sex, vel duodecim, vel viginti,* vel etiam si triginta dicere voluerit, *me tibi sacramento tuo ad servitutem adquire: aut me, cum meis iuratoribus tantis, vel tantis, ab hac calumnia liberare permitte.* Si ille, qui dominus eius fuerat, cum totidem hominibus, quanti ei propositi sunt, iurare velit, conquirat eum sibi ad servitutem: sin autem, iuret alter, & in libertate permaneat.

III. Si aut calumniator, aut ille cui calumnia irrogata est, se solum ad sacramenti mysterium perficiendum protulerit, & dixerit: *Ego solus iurare volo, tu si audes nega sacramentum meum, & armis mecum contende.* Faciant etiam illud, si hoc eis ita placuerit; iuret unus, & alius neget, & in campum exeant. Hoc & superiori capitulo constitutum est.

XII. DE DELICTO SERVORVM.

SI servus rem magnam quamlibet furasse dicatur, vel noxam grandem perpetrasse, dominus eius in reliquiis sanctorum pro hac re iurare debet.

II. Si vero de minoribus furtis & noxis, à servo perpetratis, fuerit interpellatus, in vestimento vel pecunia iurare poterit.

XIII. DE STVPRO ANCILLARVM.

QVi cum ancilla alterius, quæ nec mulgere, nec molere solet, quam bortmagad vocant, mœchatus fuerit, sol. XII. mulctam domino eius cogatur exsolvere.

XIV. DE HOMINE IN TVRBA OCCISO.

SI homo quislibet in seditione ac turba populi fuerit interfectus, nec homicida poterit inveniri, propter multitudinem eorum qui aderant, licet ei qui compositionem ipsius quærere vult, de homicidio usque ad septem homines interpellare, & unicuique eorum crimen homicidii obiicere, & debet unusquisque eorum, sua duodecima manu, obiecti criminis se purificare sacramento. Tunc ducendi sunt ad Basilicam, & sortes super altare mittendæ, vel si iuxta Ecclesiam fieri non potuerit, super reliquias Sanctorum: quæ sortes tales esse debent. Duo tali de virga præcisi, quos tenos vocant, quorum unus signo crucis dinoscatur, alius purus dimittitur: & lana munda obvoluti, super altare, seu reliquias mittuntur, & presbyter si adfuerit, vel si presbyter deest, puer quilibet innocens unum de ipsis sortibus de altari tollere debet: & interim Deus exorandus, si illi septem qui de homicidio commisso iuraverunt, verum iurassent, evidenti signo ostendat. Si illum qui cruce signatus est sustulerit, innocentes erunt qui iuraverunt: sin verò alterum sustulit, tunc unusquisque illorum septem, faciat suam sortem, id est tenum de virga, & signet signo suo, ut eum, tam ille, quam ceteri, qui circumstant cognoscere possint: & obvolvantur lana munda, & altari, seu reliquiis imponantur. Et presbyter si adfuerit, si verò non, ut superius, puer innocens, unumquemque eorum singillatim de altari tollat, & ei qui suam sortem esse cognoverit, rogat. Cuius sortem extremam esse contigerit, ille homicidii compositionem persolvere cogatur, ceteris quorum sortes prius levatæ sunt, absolutis.

II. Si autem in prima duarum sortium missione, illam quæ crucis signo notata est sustulerit, innocentes erunt, sicut prædiximus, septem qui iuraverunt, & ille, si velit, alios de eodem homicidio interpellet. Et quicunque interpellatus fuerit, sua duodecima manu perfectorio sacramento se debet excusare, & in hoc interpellatori sufficiat, nec ulterius ad sortem quemlibet compellere potest.

Hæc lex inter Laubachi ac Flebum custoditur. Ceterum inter Flebum & Sincfalam fluvium, pro huiusmodi causa talis est consuetudo.

III. Is qui compositionem homicidii quærit, in reliquiis sanctorum iuret, se non alium de hac re interpellaturum, nisi eos, qui ei ipsius homicidii suspecti sint: & tunc unum, vel duos, vel etiam tres, aut quatuor, vel quotlibet fuerint, qui eum qui occisus est vulneraverunt, de homicidio interpellet. Sed quamvis viginti aut etiam triginta fuerint, non tamen amplius quam septem interpellandi sunt, & unusquisque eorum, qui interpellatus est, sua duodecima manu iuret, & se post sacramentum iudicio Dei examinandum, ferventi aqua innocentem ostendat. Qui primus iuravit, primus ad iudicium exeat, & sic per ordinem. Qui in iudicio probatus inventus fuerit, compositionem homicidii persolvat, & ad partem Regis bis weregildum suum. Ceteri coniuratores sicut superius de periuris dictum est. De

De eadem re, inter Laubachi & Wisaram fluvium, talis consuetudo est.

IV. Ille qui compositionem homicidii quærit, unum hominem interpellet, homicidam eum proximi sui vocans, & eum leudem occisi debet persolvere; & ille, si responderit, & dixerit, se velle cum coniuratoribus suis sacramento se purgare, dicat ille, qui homicidam eum interpellavit, se in placito publico eum interpellare velle. Et ita faciat. Interpellet eum in placito coram iudicibus, & ille qui interpellatus est, si negare non poterit, alium quod sibi obiectum est, homicidii reum ostendat, qui ita facere debet. Producat hominem quem voluerit, & iuret: *Ille homo, homicidii, de quo ego interpellatus sum, reus est*: tenens eum per oram sagi sui. Ille autem, si hoc sacramentum negare velit, iuret, & contra ipsum cum armis suis in campum procedat: & uter in ipso certamine convictus fuerit, & sibi concrediderit, solvat leudem occisi. Si autem occisus fuerit, heres eius proximus, homicidii compositionem exsolvat. In hac tamen contentione, licet unicuique, pro se campionem mercede conducere, si eum invenire potuerit. Si campio qui mercede conductus est, occisus fuerit, qui eum conduxit, LX. sol. id est, libras III. ad partem Regis componat, insuper & leudem occisi hominis exsolvat. Et hoc in eadem regione taliter observatur.

XV. DE COMPOSITIONIBVS VVEREGILDO.

Compositio hominis nobilis libræ XI. per veteres denarios.

II. Compositio liberi, libræ V. & dimidia, per veteres denarios.

III. Compositio liti, libræ II. & unciæ IX. ex qua duæ partes ad dominum pertinent, tertia ad propinquos eius.

IV. Compositio servi, libra I. & unciæ IIII. & dimidia.

XVI. DE FREDO.

Inter Laubachi & Sincfalam de homicidio, ad partem dominicam pro freda XXX. sol. componuntur, qui sol. tribus denariis constat.

XVII. DE BANNO

Si quis in exercitu litem concitaverit, novies damnum quod effecit componere cogatur, & ad partem dominicam, novies fredam persolvat.

II. Qui in curte Ducis, in Ecclesia, aut in atrio Ecclesiæ hominem occiderit, novies weregildum eius componat, & novies fredam ad partem dominicam.

III. Si quis Legatum Regis vel Ducis occiderit, similiter novies illum componat, & fredam similiter novies ad partem dominicam.

IV. Qui manu collecta hostiliter villam vel domum alterius circumdederit, ille qui ceteros collegit & adduxit, weregildum ad partem Regis componat, & qui eum secuti sunt, unusquisque solid. XII. & ei cui damnum, si etiam damnum illatum est, in duplo emendetur. Vltra Laubachi vero in simplo.

V. Qui mancipium in paganas gentes vendiderit, weregildum suum ad partem Regis solvere cogatur.

XVIII. DE DIE DOMINICO.

QVi opus servile die dominico fecerit, ultra Laubachi sol. XII. in ceteris locis Fresiæ IIII. sol. culpabilis iudicetur. Si servus hoc fecerit, vapuletur, aut dominus eius IIII. sol. pro illo componat.

XIX. DE PARRICIDIIS.

SI quis patrem suum occiderit, perdat hereditatem, quæ ad eum pertinere debebat.

II. Si quis fratrem suum occiderit, solvat eum proximo heredi, si filium aut filiam habuerit: aut si neuter horum fuerit, solvat patri suo, vel matri suæ, vel fratri, vel etiam sorori suæ: quod si nec una de his personis fuerit, solvat eum ad partem Regis.

XX. DE MORDRITO.

QVi obsidem occiderit, novies eum componat.

II. Si quis hominem occiderit, & absconderit, quod mordritum vocant, novem weregildos componat: aut si negaverit, cum XXXV. iuret.

III. Si servus dominum suum interfecerit, tormentis interficiatur. Similiter & litus.

XXI. DE PLAGIO.

SI quis hominem, vel nobilis nobilem aut liberum, vel liber liberum, vel liber nobilem, extra patriam vendiderit, componat eum, ac si ab ipso fuisset interfectus, aut eum ab exilio revocare studeat. Si vero qui venditus fuit, reversus fuerit, & eum qui se vendiderat, de facinore convenerit, componat ei bis, iuxta quod fuerat adpretiatus, & sol. XII. ad partem Regis componat. Vltra Laubachi verò weregildum suum.

XXII. DE DOLG.

SI quis alium per iram in capite percusserit, ut eum surdum efficiat, XXIIII. solid. componat.

II. Si

II. Si mutus efficiatur, sed tamen audire possit, xviii. solid. componat.

III. Si quis alium ita percusserit, quod durslegi vocant, dimidium soli-dum componat.

IV. Si autem sanguinem fuderit, componat solid. i.

V. Si eum percusserit ut testa appareat, cum duobus sol. componat.

VI. Si os perforatum fuerit, duodecim sol. componat.

VII. Si membranam, qua cerebrum continetur, gladius tetigerit, xviii. solid. componat.

VIII. Si ipsa membrana rupta fuerit, ita ut cerebrum exire possit, xxiiii. solid. componat.

IX. Si quis alteri aurem absciderit, xii. sol. componat.

X. Si nasum absciderit, xxiiii. sol. componat.

XI. Si summam rugam frontis quis ictu transversam inciderit, duobus so-lid. componat.

XII. Si subteriorem inciderit, iiii. sol. componat.

XIII. Si tertiam quæ iuxta oculos est, duobus sol. componat.

XIV. Si supercilium inciderit, duobus sol. componat.

XV. Si palpebram aut superiorem aut subteriorem vulneraverit, duo-bus sol. componat.

XVI. Si nasum transpunxerit, xv. sol. componat.

XVII. Si granonem ictu percussam præciderit, duobus sol. componat.

XVIII. Si maxillam inciderit, vi. sol. componat.

XIX. Si unum dentem de interioribus excusserit, duobus sol. comp.

XX. Si unum ex angularibus dentibus excusserit, tribus sol. componat.

XXI. Si de molaribus unum excusserit, iiii. sol. componat.

XXII. Si iugulum incisum fuerit, iiii. sol. componat.

XXIII. Si costam transversam inciderit, duobus sol. componat.

XXIV. Si brachium ictu supra cubitum confractum fuerit, xii. solid. componat.

XXV. Si infra cubitum unum ossum confractum fuerit, vi. solidis componat.

XXVI. Si utraque ossa fracta fuerint, xii. sol. componat.

XXVII. Si manus in ipsa iunctura, quo brachio adhæret, abscissa fuerit, xlv. sol. componat.

XXVIII. Si pollicem absciderit, xiii. sol. & uno tremisse componat.

XXIX. Si indicem absciderit, vii. sol. componat.

XXX. Si medium absciderit, uno tremisse minus vii. sol. componat.

XXXI. Si annularem absciderit, viii. sol. componat.

XXXII. Si minimum absciderit, vi. sol. componat.

XXIII. Si totos v. digitos absciderit, xli. sol. componat.

XXXIV. Palma manus abscissa iiii. sol. componatur.

XXXV. Si quislibet digitus ex quatuor longioribus, in superioris arti-culi iunctura ita percussus fuerit, ut humor ex vulnere decurrat, quod lidu wagi dicunt, i. sol. componat.

XXXVI. Si in subteriori articulo hoc contigerit, duobus solidis componat.

XXXVII. Si in tertio articulo fuerit, tribus sol. componat.

XXXVIII. Si in iunctura manus, & brachii hoc evenerit, quatuor solid. componat.

XXXIX. Si in cubito idem evenerit, IIII. sol. componat.

XL. Si in summitate, qua brachium scapulæ iungitur, evenerit, IIII. solid. componat.

XLI. Si in pollicis superioris articuli iunctura fuerit, duobus sol. comp.

XLII. Si in inferiori, tribus solidis componatur.

XLIII. Si ad iuncturam brachii & pollicis fuerit, IIII. sol. componat.

XLIV. Si in cubito, IIII. si in iunctura scapulæ, similiter IIII. sol. comp.

XLV. Si quis oculum alterius ita percusserit, ut eo ulterius videre non possit, XX. solid. & duos tremisses componat.

XLVI. Si totum oculum eruerit, medietatem weregeldi sui comp.

XLVII. Si quis alium pectus foraverit, XII. sol. componat.

XLVIII. Si præcordia, id est herthamon gladio tetigerit, XVIII. solid. componat.

XLIX. Si præcordia perforaverit, XXIIII. sol. componat.

L. Si membranam, qua iecor & splen pendent, quod mithridri dicunt, vulneraverit, XVIII. solid. componat. Si illud perforaverit, XXIIII. solid. componat.

LI. Si in ventrem vulneraverit, XII. sol. componat.

LII. Si botellum vulneraverit, XVIII. si perforaverit, XXIIII. solidis componat.

LIII. Si contra stomachum vulneraverit, XII. sol. componat.

LIV. Si stomachum tetigerit gladio ut vulneretur, XVIII. si perforatus fuerit, XXIIII. sol. componat.

LV. Si botellus de vulnere processerit, & iterum interius remittitur, IIII. sol. supra compositionem vulneris componat. Si de adipe aliquid præcesserit ut præcidatur, IIII. sol. componat.

LVI. Si veretrum quis alium absciderit, weregildum suum componat.

LVII. Si unum testiculum excusserit, dimidium weregildum: si ambo, totum componat.

LVIII. Si testiculus exierit per vulnus, & iterum remittitur in locum suum, VI. sol. supra compositionem vulneris componat.

LIX. Si coxam supra genu vulneraverit, & os transversum fregerit vel præciderit, XII. sol. componat.

LX. Si tibia subtus genuculo media incisa fuerit, VI. solid. si tota XII. sol. componat.

LXI. Si pes totus abscissus fuerit, XIV. sol. componat.

LXII. Si pollicem pedis absciderit, VIII. sol. componat. Si proximum digitum VII. si tertium VI. si quartum V. si quintum IIII. sol. componat. Reliqua pars pedis, quæ intra tibiam & digitos est, XV. sol. componatur.

LXIII. Si humor per articulos digitorum decurrerit, sicut superius de manu scriptnm est, ita & in pede componatur.

LXIV. Si quis alium iratus per capillos comprehenderit, duobus solid. componat.

LXV. Si

LXV. Vulnus, quod longitudinem habeat, quantum inter pollicem & complicati indicis articulum ſpannum non impleat, IIII. ſolid. componatur; quod integræ ſpannæ longitudinem habuerit, hoc eſt quantum index & pollex extendi poſſunt, VI. ſol. componatur.

LXVI. Quod inter pollicem & medii digiti ſpannum longum fuerit, XIII. ſol. componatur.

LXVII. Quod à cubito uſque ad iuncturam manus longitudine fuerit, duodecim ſol.

LXVIII. Quod à cubito uſque ad ſummitatem pollicis longum fuerit, XVIII. ſol. componatur.

LXIX. Quot plenè cubiti, id eſt, ad ſummos digitos manus extenſæ, longitudinè fuerit, XXIIII. ſolidis componatur: quod ſupra eſt, non componitur.

LXX. Si de vulnerè os exierit tantæ magnitudinis, ut iactum in ſcutum trans publicam viam ſonitus eius audiri poſſit, IIII. ſol. componatur.

LXXI. Si duo oſſa exierint, duo ſolidi adiiciantur, id eſt, VI.

LXXII. Si tria exierint unus ſol. adiicitur.

LXXIII. Si minora fuerint, quam ut in ſcuto iacta trans publicam viam audiri poſſint, dimidio minori compoſitione ſolvatur.

LXXIV. Vulnera tria, vel quatuor, vel eo amplius uno ictu facta menſurantur, & iuxta quod eorum fuerit longitudo, compoſitio perſolvatur. Si vero tria, vel quatuor, vel quotlibet vulnera, totidem ictibus fuerint facta, quod ex his maximum fuerit, iuxta ſui longitudinem componatur, cetera verò remaneant.

LXXV. Si manus percuſſa manca pependerit, dimidio componatur, quo debuit ſi fuiſſet abſciſſa: pes ſimiliter: digitus ſimiliter, qualiſcunque fuerit: digitus pedis ſimiliter.

LXXVI. Si brachium iuxta ſcapulam abſciſſum fuerit, tribus ſol. & tremiſſe componatur.

LXXVII. Si brachium mancum pependerit, medietate, ſi abſciſſum fuiſſet, componatur.

LXXVIII. Si quid de brachio, atque manu, ita de coxa ac pede iudicatum eſt.

LXXIX. Si per vulnus pulmo exeat, quatuor ſol. ſupra quantitatem vulneris componatur.

LXXX. Si ſpiritus per ipſum vulnus exierit, VIII. ſol. componatur.

LXXXI. Qui libero homini manus iniecerit, & eum innocentem ligaverit, XV. ſol. componat, & duodecim ſol. pro freda ad partem Regis comp.

LXXXII. Si quis alium iuxta aquam ſtantem impinxerit, & in aquam ita ut ſubmergatur, proiecerit, IIII. ſol. componat, & pro freda ſol. II.

LXXXIII. Si quis brachium, vel coxam alterius tranſpunxerit, VI. ſolid. componat.

LXXXIV. Qui maxillas utraſque cum lingua, ſagitta vel quolibet telo transfixerit, XV. ſol. componat.

LXXXV. Qui utramque coxam cum folliculo teſtium telo traiecerit, ſimiliter XV. ſol. componat.

LXXXVII. Si quis hominem casu quolibet in aquam prolapsum liberaverit, IIII. sol. remunerationem accipiat.

LXXXVIII. Si quis liberam fœminam, & non suam, per maxillam strinxerit, duobus sol. componat; IIII. & duos sol. pro freda.

LXXXIX. Si per verenda eius comprehenderit, IIII. solid. componat, & duos solidos pro freda.

EPILOGVS.

HÆc omnia, ad liberum hominem pertinent.

Nobilis vero hominis compositio, sive in mulieribus, & percussionibus, & in omnibus quæ superius scripta sunt, tertia parte maior efficitur.

Liti verò compositio sive mulieris, sive in percussionibus, sive in mancationibus, & in omnibus superius descriptis, medietate minor est, quam liberi hominis.

ADDI-

ADDITIO SAPIENTUM.
VVLEMARUS.

TITULUS I. DE PACE FAIDOSI.

HOmo faidosus pacem habeat in Ecclesia, in domo sua, ad Ecclesiam eundo, de Ecclesia redeundo, ad placitum eundo, de placito redeundo. Qui hanc pacem effregerit, & hominem occiderit, novies xxx. sol. componat. Si vulneraverit, novies xii. sol. componat ad partem Regis.

II. Si quis caballum furaverit aut bovem, aut screonam effregerit, capitali sententia puniatur, vel vitam suam pretio redimat.

II. COMPOSITIO VULNERUM.

SI quis alteri manum absciderit, xxv. sol. & v. denarios componat.

II. Si indicem ad imum membrum praeciderit, vi. sol. componat.

III. Si medium, in eadem iunctura praeciderit, iiii. sol. & dimidium.

IV. Si annularem, xii. sol. si minimus fuerit, sol. v.

V. Pollex ex toto abscissus sic componitur, sicut iiii. digiti, si omnes abscindantur, id est sol. xxii. & dimidio.

VI. Abscissio palmae, iiii. solid. componatur. Si manus abscissa terram cadens tetigerit, ipse casus iiii. sol. componatur.

VII. Si digitus quilibet à superiori articulo praecisus fuerit, tertia portio compositionis eius exsolvatur.

VIII. Si in subteriori praecisus fuerit, duae partes compositionis solvantur.

IX. Si in ima iunctura, id est, ex toto abscissus fuerit, tota solutio componatur.

X. Si non praecisus, sed debilitatus, & inutilis pependerit, medietas.

III. DE VULNERIBUS QUAE IN TRIPLO COMPONUNTUR.

PEs ex toto abscissus, componatur ut manus, id est, tribus & L. solidis & tremisse.

II. Pollex pedis, undecim solidis, & quarta parte solidi componatur.

III. Proximus digitus pollici, tribus solidis componatur.

IV. Secundus duobus solidis, & duabus partibus solidi componatur: tertius similiter: quartus similiter.

V. Si tertia pars digiti fuerit abscissa, tertia pars solutionis componatur.

VI. Si duae partes, similiter duae partes componantur.

VII. Si totus, tota solutio componatur.

VIII. Si quis alium ita in caput percusserit, ut surdus mutus efficiatur, ter quinquaginta tribus solid. & tremisse componat: si alterum & non utrumque fuerit, medietas mulctæ componatur.

IX. Si auris ex toto abscissa fuerit, ter XII. sol. componatur.

X. Si nasus abscissus fuerit, ter XX. duos solidos & tremissem componat.

XI. Si nasus una parte perforatus fuerit, ter IIII. sol. compoatur.

XII. Si & cartilago perforata fuerit, ter VIII. sol. componatur.

XIII. Si etiam ex altera parte telum exierit, ita ut tria foramina facta sint, ter XII. solid. componantur.

XIV. Si maxilla perforata fuerit, ter IIII. solid. componatur.

XV. Si supercilium in transversum præcisum fuerit, ter IIII. sol. comp.

XVI. Si ex percussione deformitas faciei illata fuerit, quæ de XII. pedum longitudine possit agnosci, quod wulitivam dicunt, ter IIII. solid. componat.

XVII. Si granones præcisi fuerint, ter IIII. sol. componat.

XVIII. Si oculus vel os ita percussa fuerint, ut torqueantur, ter IIII. solid. componat.

XIX. Si palpebra præcisa fuerit, ter IIII. sol. componatur.

XX. Rugæ frontis tres, si in traversum incisæ fuerint, ter XII. solid. componantur.

XXI. Si una, ter IIII. solidis.

XXII. Si homo ab alio ita in caput percussus fuerit, ut nec frigus, nec calorem pro vulneris impatientia sufferre possit, ter IIII. sol. componantur.

XXIII. Si quis alium in caput ita percusserit, ut testa perforetur, ter XII. solid. componat.

XXIV. Si ossa de vulnere exierint tantæ magnitudinis, ut in scutum iacta, XII. pedum spatio distante homine, possit audiri sonus, ter IIII. solid. componat: aliud ter duobus: tertium ter uno solido.

XXV. Si quis alium percusserit, ut ferrum in osse figatur, ter tribus sol. componat.

XXVI. Si os apparuerit, non tamen incisum fuerit, ter solido & tremisse componat.

XXVII. Os quodcunque ferro præcisum fuerit, ter IIII. sol. componatur.

XXVIII. Costa si præcisa fuerit, ter tribus sol. componat.

XXIX. Si non præcisa, sed incisa vel confixa fuerit, ter solido & tremisse componatur.

XXX. Si quis alium trans costam ita percusserit, ut vulnus ad interiora venerit, ter XII. sol. componat.

XXXI. Si stomachus vel botellus perforatus fuerit, ita ut stercus per vulnus exierit, ter XXIIII. sol. componat.

XXXII. Si quis in iunctura membrum cuiuslibet ita percusserit, ut humor ex vulnere decurrat, quem lidwagi dicunt, ter IIII. sol. componat.

XXXIII. Si quis alium ita percusserit, ut osse inciso medulla decurrat, ter IIII. sol. componat.

XXXIV. Si quis alium vulneraverit, & ipsum vulnus sanatum, cicatricem

cem depressam & non reliquæ carni æquam duxerit, quod spido dicunt, ter IIII.sol.componat.

XXXV. Si brachium aut crus percussum fuerit, & ex ipsa percussione decreverit à sua grossitudine, quam prius habuerit, quod smelido dicunt, ter IIII.sol.componat.

XXXVI. Qui de anterioribus dentibus unum excusserit, ter duos solid. componat.

XXXVII. Si de angularibus, ter tres sol. componat.

XXXVIII. Si de molaribus, ter quatuor sol.comp.

XXXIX. Si crinem alteri de capite abstraxerit, ter IIII.sol.componat.

XL. Si illum per capillos comprehenderit, similiter ter IIII.sol.comp.

XLI. Qui alium in aquam impinxerit, ita ut mergatur, ter IIII.solid. componat.

XLII. Qui alium fuste percusserit, ut lividum fiat, ter solidum & semissem componat.

XLIII. Si tantum sanguinem dimiserit, ter solidum componat.

XLIV. Si quis alium unguibus crataverit, ut non sanguis, sed humor aquosus decurrat, quod cladolg vocant, ter x. denariis Fresionicis comp.

XLV. Si quis alium in tergum, aut pectus, ita vulneraverit, ut vulnus sanari non possit, sed per fistulas sanies decurrat, ter XII.sol.componat.

XLVI. Quodcunque membrum percussum, ita debilitatum fuerit, ut ibi inutile pendeat, medietate componatur, quàm componi debuit, si penitus fuisset abscissum.

XLVII. Si quis oculum excusserit, ter XL.sol.componat.

XLVIII. Si non oculum excusserit, sed pupillas, ter XX.sol.componat.

XLIX. Si quis alii duo, aut tres, aut eo amplius, vulnera uno ictu intulerit, & negare voluerit, quod uno ictu tot vulnera fecisset, liceat ei qui vulneratus est, sua solius manu sacramentum peragere, quod tot vulnera uno ictu ei fuissent illata, & componat iuxta quod vulneris fuerit magnitudo; unumquodque vulnus secundum suam longitudinem componendum est.

L. Si longum fuerit, quantum summus articulus indicis est, uno solido componatur.

LI. Si quantum duo articuli indicis sunt, duobus solidis.

LII. Si quantum duo articuli & tertius dimidius, tribus solidis.

LIII. Si quantum totus index, IIII.solidis.

LIV. Si supra longitudinem indicis, spatium quod inter indicem & pollicem est, fuerit adiectum, quinque solid.

LV. Si adiectus fuerit inferior articulus pollicis, VI.solidis.

LVI. Si & superior adiiciatur, quod vocant smelo, hoc est, unius spannæ longitudinem habuerit, ter VIII.solid.componatur.

LVII. Si, quantum inter pollicem & medium extendi potest, longum fuerit, ter XII.sol.componatur.

LVIII. Si longius fuerit, iterum ad indicis articulos recurrat, & metiatur, & sicut superius adiiciatur & solid. compositio. Apud occidentales Fresio-

nes, inter Flehi & Sincfalam, quot unciarum fuerit longitudo vulneris, tot solidorum compositione persolvitur: donec ad L. & tres solidos perveniat, & unum tremissem. Ibi nobilis homo centum & VI. solidis & duobus tremissibus, simpla compositione solvitur. Similiter inter Wisaram & Laubachi. Similiter manum ac pedem.

HÆC IVDICIA SAXMVNDVS DICTAVIT.

LIX. Oculum XV. solidis debere componi.

LX. Qui testiculos alii excusserit, ter L. tres solidos & tremissem comp.

LXI. Si brachium supra cubitum, aut coxam transpunxerit, ter VI. solid. componat.

LXII. Si brachium sub cubito, aut tibiam transpunxerit, ter tribus sol. componat.

LXIII. Si nasum transpunxerit, ter XII. solidos.

LXIV. Si unam parietem transpunxerit VI. sol.

LXV. Si unam maxillam transpunxerit VI. solid.

LXVI. Qui alium in flumine, vel in qualibet aqua, in profundum impinxerit, ut pedibus terram tangere non possit, sed natare debeat, ter XII. solid. componat.

LXVII. Qui alium in periculo aquæ liberaverit, IIII. solid. mercedem acccipiat.

LXVIII. Si caballus, aut bos, aut quodlibet animal, homini vulnus intulerit, dominus eius, iuxta qualitatem vulneris, in simplo componere iudicetur: & tres partes de ipsa mulcta componantur, quarta portione dimissa. Inter Wisaram & Laubachi tota compositio in simplo persolvitur.

LXIX. Si homo quislibet telum manu tenens, & ipsum casu quolibet inciderit super alium, extra voluntatem eius, qui illud manu tenet, in simplo iuxta qualitatem vulneris componatur.

LXX. Similiter & puer, qui nondum XII. annos habet, si cuilibet vulnus intulerit, in simplo componat.

LXXI. Hæ omnes compositiones liberi hominis sunt.

LXXII. Ignobilis hominis dimidio maioris.

LXXIII. In lito medietate minoris. Inter Flehi & Sincfalam solidus est duo denarii & dimidius, ad novam monetam. Inter Wisaram & Laubachi, duo denarii novi, solidus est.

LXXIV. Si lingua præcisa fuerit, medio weregildo componatur.

LXXV. Si quis hominem mortuum effodierit, & ibi aliquid tulerit, ut cetera furta componat.

VVLEMARVS DIXIT.

LXXVI. Si quis liber uxorem alterius contra legem tulerit, reddat eam, & facinus ter quinquaginta tribus solid. & tremisse componat, & pro freda ad partem Regis, weregildum suum.

LXXVII. Si

LXXVII. Si quis illicitas nuptias contraxerit, separabitur ab uxore sua, & liceat tam ei, quàm & uxori, legitimè nubere.

LXXVIII. Si verò separati fuerint, & iterum ad invicem fuerint reversi, weregildum suum uterque componat. Inter Laubachi & inter Flehi tres denarii novæ monetæ solidum faciunt.

IV. DE EO QVI ALTERI VIAM CONTRADIXERIT.

SI liber libero in via manus iniecerit, & contra legem viam contradixerit, aut aliquid tollere voluerit, ter IIII. sol. componat, aut si negaverit, solus iuret in manu proximi.

V. DE EO QVI ALTERVM DE CABALLO IACTAVERIT.

SIc ei componat, quasi eum fuste percussisset, dimidium solidum componat.

VI. DE MVLIERE OCCISA.

SI quis mulierem occiderit, solvat eam iuxta conditionem suam, similiter sicut & masculum eiusdem conditionis solvere debet.

SAXMVNDVS.

VII. DE FLVMINE OBSTRVSO.

SI quis in flumine viam publicam occluserit, XII. sol. componat.

VVLEMARVS.

VIII. DE REBVS FVGITIVIS.

SI servus, aut ancilla, aut equus, aut bos, aut quodlibet animal, fugiens dominum suum, ab alio fuerit receptum, & quærenti domino negatum, & iterum depublicatum, reddat aut ipsum quod suscepit, aut aliud simile, vel pretium eius, & pro furto weregildum suum ad partem Regis componat.

IX. DE PIGNORIBVS.

SI quis in pignus susceperit, aut servum, aut equum, & ille servus aliquod damnum ibi fecerit, ad illum pertineat, cuius servus est, non ad illum, qui eum in pignus suscepit.

II. Si verò quislibet servum alterius per vim sustulit, pignoris nomine, quod pant dicunt, & ille damnum aliquod ibi commiserit, ille qui eum sustulit, pro damni qualitate mulctam cogatur exsolvere.

X. DE COMPOSITIONE.

VIs aut furtum in duplo componitur, & ad freda weregildum.

XI. DE RE PRÆSTITA.

SI homo alii equum suum præstiterit, vel quamlibet aliam pecuniam, talem qualis ei præstita est, reddat domino eius: & si fortè peioratum reddiderit, componat ei iuxta quantitatem, qua rem eius inpeioravit.

II. Quod si caballus qui præstitus erat, ipsum qui illum habuit, calcibus percussit, aut fortè occidit, nullus eum solvat, Hoc trans Laubachi.

XII. DE HONORE TEMPLORVM.

QVi fanum effregerit, & ibi aliquid de sacris tulerit, ducitur ad mare, & in sabulo, quod accessus maris operiri solet, finduntur aures eius, & castratur, & immolatur Diis quorum templa violavit.

EXPLICIT

LEX FRISIONVM.

LEGIS LONGOBARDORVM LIBRI TRES.

INCIPIVNT TITVLI
LEGIS LONGOBARDORVM.

LIBRI PRIMI.

LIBRI SECVNDI

XXIX. De

LIBRI TERTII

EXPLICIVNT CAPITVLA.

LEGIS LONGOBARDORVM LIBER PRIMVS.

TITVLVS I. DE MALEFICIIS ET PVBLICIS CRIMINIBVS.

I. REX ROTHARI.

SI quis contra animam Regis cogitaverit, aut consiliatus fuerit, animæ suæ incurrat periculum, & res eius infiscentur.

II. IDEM.

SI quis foris provincias fugere tentaverit, mortis incurrat periculum, & res eius infiscentur.

III. IDEM.

SI quis inimicum publicum intra provinciam invitaverit aut introduxerit, animæ suæ incurrat periculum, & res eius infiscentur.

IV. IDEM.

SI quis scameram intra provinciam celaverit, aut annonam dederit, animæ suæ incurrat periculum; aut certe comp. sol. DCCCC. Regi.

V. IDEM.

SI quis foris in exercitu seditionem levaverit contra Ducem suum, aut contra eum qui ordinatus est à Rege ad exercitum gubernandum, aut aliquam partem exercitus seduxerit, animæ suæ incurrat periculum.

VI. IDEM.

SI quis contra inimicum pugnando collegam suum dimiserit, aut astalium fecerit, id est, si eum deceperit, & cum eo non laboraverit, animæ suæ incurrat periculum.

VII. IDEM.

SI quis qualemcunq; hominem ad Regem accusaverit, quod ad animæ suæ pertineat periculum, liceat ei qui accusatus fuerit cum sacramento satisfacere, & se idoneare: & si talis causa emerserit, ut adsit homo in præsentia, qui crimen immittit, liceat ei per campionem, id est, per pugnam crimen ipsum desuper se (si potuerit) eiicere. Et si probatum fuerit ei, aut de anima sua, aut qualiter Regi placuerit, componat. Et si probare non potuerit, & cognoscitur dolose accusasse, tunc ipse qui accusaverit, & probare non po-

tuerit, widrigilt suum componat, medietatem Regi, & medietatem ei, cui crimen iniecerit.

TITVLVS II. DE SCANDALIS ET COMPOSITIONIBVS AD REGEM PERTINENTIBVS.

I. REX ROTHARIS.

SI quis in concilio, vel in quolibet conventu, scandalum commiserit, DCCCC. sol. sit culpabilis Regi.

II. IDEM.

SI quis in Ecclesia scandalum perpetraverit, XL. sol. sit culpabilis, ipsi venerabili loco, exceptis plagis & feritis, cui fecerit componat: & prædicti XL. solid. per sculdasium, aut iudicem qui in loco ordinatus fuerit, exigantur, & in sacro altari, ubi iniuria facta fuerit, ponantur.

III. IDEM.

SI quis intra palatium, ubi Rex præest, scandalum perpetrare præsumpserit, animæ suæ incurrat periculum: aut animam suam redimat, si obtinere potuerit à Rege.

IV. IDEM.

SI quis liber homo in eadem civitate, ubi præest Rex, & tunc inveniatur esse, scandalum perpetrare præsumpserit: & si incitaverit, & non percusserit, sit culpabilis in palatio Regis sol. XII. Nam si percusserit, sit culpabilis solidorum XXIIII. exceptis plagis & feritis si fecerit, sicut subter adnexum est componat.

V. IDEM.

SI quis servus in eadem civitate, in qua Rex est, scandalum incitaverit, & non percusserit, sit culpabilis in palatio Regis sol. VI. & si percusserit, sit culpabilis solid. XII. exceptis plagis & feritis si fecerit, sicut subter adnexum est componat.

VI. IDEM.

SI quis liber homo in alia civitate scandalum incitaverit, & non percusserit, sit culpabilis in palatio Regis sol. VI. & si percusserit, sit culpabilis solid. XII. exceptis plagis & feritis cui fecerit, sicut subter est annexum comp.

VII. IDEM.

SI servus in alia civitate scandalum commiserit, sit culpabilis in palatio Regis sol. III. si autem fecerit plagas aut feritas, sit culpabilis sol. VI. exceptis plagis & feritis, cui fecerit componat, sicut subter annexum est.

VIII. IDEM.

OMnes vero regales causæ, quæ ad manum Regis pertinent, unde compositio expectatur aut culpa quæritur, dupliciter secundum antiquam consuet.

consuetudinem componantur, excepto mundio de libera, aut morth, aut aliis, quæ similes sunt, unde DCCCC. solid. iudicantur, quas in suo vigore similiter constituimus permanere, reliquæ verò causæ, ut supra diximus: in duplum exigantur.

IX. REX ASTVLPHVS.

RElatum est nobis, quod usque nunc fuisset talis consuetudo, ut monasteria, vel xenodochia, seu loca venerabilia, quæ in defensione sacri nostri palatii esse noscuntur, compositionē duplicem exigebāt ab hominibus, qui ad ipsa venerabilia loca componere debebant, sicut curtis regia exigere videtur. Nunc autem statuimus, ut monasteria, basilicæ, vel xenodochia, quæ sub palatii defensione esse videntur, compositionem exigere si debuerint, non exigant duplum, sicut de causa Regis: sed sicut alia venerabilia loca, quæ ad palatium non pertinent.

X. IMPERATOR PIPINVS.

DE compositionibus quæ ad palatium nostrum pertinent, si Comes ipsas causas commoverit ad requirendum, ille tertiam partem ad eius recipiat opus, duas verò ad palatium: & si per eius negligentiam remanserint, & missus dominicus ipsas causas requirat: tunc volumus, ut ille comes illam tertiam partem non habeat, sed cum integritate ad palatium perveniat.

XI. IMPERATOR HLVDOICVS.

VT de debito, quod ad nostrum opus fuerit wadiatum, talis consideratio fiat: ut is qui ignoranter peccaverit, non totum secundum legem componere cogatur, sed iuxta quod visum fuerit possibile. Is verò qui tantum malum voluntarie perpetraverit, totam legis compositionem cogatur exsolvere.

TITVLVS III. DE CONSILIO MORTIS.

I. REX ROTHARIS.

SI quis cum Rege de morte alterius fuerit consiliatus, aut hominem per eius iussionem occiderit, in nullo sit culpabilis: nec ille nec heres eius quoquo tempore ab illo, aut ab heredibus eius, requisitionem aut molestiam patiatur: quia postquam corda Regum in manu Dei esse credimus, non possibile est, ut homo se possit idoneare, quem Rex occidere iussit.

II. IDEM.

SI quis liber homo in morte alterius consiliatus fuerit, & ex ipso consilio mortuus non fuerit, tunc ipse consiliator componat sol. xx.

III. IDEM.

SI homines liberi inter se de morte alterius cōsiliati fuerint, sine Regis consilio, & ex ipso consilio mortuus non fuerit, comp. unusquisque ut supra,

sol.xx. & si ex ipso consilio mortuus fuerit, tunc ille qui homicida est, componat ipsum mortuum, sicut appretiatus fuerit, id est, widrigilt suum.

IV. IDEM.

SI quis liber homo aut mulier venenum temperaverit, & alii ad bibendum dare voluerit, componat solid.xx. sicut ille, qui in morte alterius consiliatus fuerit.

V. IDEM.

SI liber aut libera venenum alii ad bibendum dederit, & qui accepit, ex ipso veneno mortuus non fuerit, componat qui venenum dederit medietatem pretii ipsius, ac si eum occidisset.

VI. IDEM.

SI mulier in morte mariti sui consiliata fuerit per se, aut per suppositam personam, sit in potestate mariti sui de ea facere quod voluerit: similiter & de rebus ipsius mulieris. Et si illa negaverit, liceat parentibus eam purgare, aut per sacramentum, aut per pugnam, id est, per campionem.

TITVLVS IV. DE ILLICITO CONSILIO.

I. REX LIVTPRANDVS.

SI quis liber homo ad alium liberum hominem consilium dederit de periurare, aut casam alienam incendere, ubi homo cum rebus suis inhabitat, aut mulierem alienam aut puellam tollere aut rapere, & causa approbata fuerit, componat pro illicito consilio, quod contra rationem ministravit, solid.c. Ita sane ut inter ista capitula quæ dicimus, unde compositio per ipsum datur, qui ipsum malum fecit, sol.DCCCC. ipse consiliator componat solid.c. Et unde compositio fit de solidis CCC. consiliator componat solid.L. Et si minus de solidis trecentum fuerit ipsa compositio, consiliator componat solid.XL. minus non. Medium ex istis capiat palatium Regis, medium is, cuius causa fuerit. Et si ipse de quo dicitur, quod ista mala consiliatus fuerit, vetare voluerit, quod tale consilium non dedisset, præbeat sacramentum cum legitimis sacramentalibus suis, iuxta qualis causa fuerit, & sit solutus à culpa: nam per pugnam non fatigetur. Nam si rei veritas manifesta fuerit, componat ut supra.

TITVLVS V. DE CONVICIIS.

I. REX ROTHARIS.

SI quis alium argam per furorem clamaverit, & negare non potuerit, & dixerit quod per furorem dixisset: tunc iuratus dicat, quod eum argam non cognovisset, & postea componat pro ipso iniurioso verbo sol.XII. Et si perseveraverit, & dixerit se posse probare per pugnam, convincat eum si potuerit, aut certe componat ut supra.

II. Im-

II. IMPERATOR GVIDO.

SI quis iudicibus nostris in iudicio residentibus minas aut convicia intulerit, eosque verbis aut factis turpiter dehonestaverit, widrigild illi quem læserit, componat: si vero aliquis ex ipsis iudicibus nostris pro ipso iudicio falsidicos dixerit, aut pro ipsa intentione ex hac causa quemlibet hominem interfecerit, quinquaginta libris auri optimi componat, medietatem Regi, & medietatem heredibus defuncti.

TITVLVS VI. DE HIS QVI INSIDIANDO, VEL SVBITO SVRGENTE RIXA FIVNT.

I. REX ROTHARIS.

SI quis homini libero insidiatus fuerit cum virtute aut solatio, videns eum imparatum, & simpliciter stantem, aut ambulantem, & subito super eum, adveniens, turpiter eum tenuerit, aut battiderit, sine iussione Regis medium pretii ipsius, ac si eum occidisset, ei componat, eo quod in turpitudinem & in derídiculum ipsius eum male tractavit.

II. IDEM.

SI quis hominem liberum ligaverit absque iussione Regis sine causa, duas partes pretii ipsius, ac si eum occidisset, ei componat, eo quod in turpitudinem & in dericulum ipsius eum male tractavit.

III. IDEM.

SI quis hominem liberum subito surgente rixa percusserit, & livorem aut vulnus fecerit, pro una ferita componat ei sol. III. Si duas, sol. VI. Si tres, IX. Si quatuor, XII. Si vero amplius duraverint feritæ, non numerantur, sed sit contentus.

IV. IDEM.

SI quis hominem liberum subito surgente rixa per barbam aut per capillos traxerit, componat sol. VI. Si servum ministerialem, aut aldium, seu servum alienum rusticanum per barbam aut capillos traxerit, componat ei sicut pro una ferita unum solid.

V. IDEM.

SI quis hominem liberum impinxerit ut cadat, componat ei solid. VI. si tamen aliquam læsionem in corpore ipsius non fecerit. Si autem fecerit, componat sicut subter in hoc edicto legitur. Si autem sic impinxerit, ut non cadat, componat sol. III.

VI. IDEM.

SI quis homini libero brachium super cubitum, hoc est morioc, ruperit, componat sol. XX. Si autem subtus cubitum, hoc est tremum, componat sol. XVI. Si vero coxam ruperit supra genuculum, hoc est largicam, componat sol. XX. Si autem subtus genuculum, quod est tibia, componat sol. VI. Si autem secuus aut claudus fuerit, componat sicut in hoc edicto legitur, id est quartam partem pretii ipsius.

VII. IDEM.

SI quis alium pugno percusserit, componat solid. III. Si alapam dederit, solidos VI.

TITVLVS VII. DE PLAGIS ET COMPOSITIONIBVS LIBERORVM HOMINVM.

I. REX ROTHARIS.

DE plagis & compositionibus plagarum. Quæ inter liberos homines evenerint, per hunc tenorem, sicut subter annexum est, componantur, cessante faida, id est, inimicitia.

II. IDEM.

SI quis alii plagam fecerit in capite, ut cutica tantum rumpatur, quam capilli cooperiunt, componat sol. VI. Si duas plagas fecerit, componat sol. XII. Si usque tres fecerit, decem & octo. Si vero amplius fecerit, non numerentur: nisi istæ tres componantur.

III. IDEM.

SI quis alium plagaverit in capite, ut os rumpatur: pro uno osse componat sol. XII. Si duo fuerint, componat sol. XXIIII. Si tria fuerint, componat solid. XXXVI. Si plura fuerint, non numerentur. Ita tamen ut os tale inveniatur, quod ad pedes duodecim supra viam sonum in scuto facere possit, & ipsa mensura de certo pede mediocris hominis mensuretur, nam non ad manus.

IV. IDEM.

SI quis alii nasum absciderit, medietatem pretii ipsius componat ei, ut supra.

V. IDEM.

SI quis alii labrum absciderit, componat sol. XVI. Et si dentes apparuerint, unus aut duo aut plures, componat sol. XX.

VI. IDEM.

SI quis alii dentes excusserit, qui in risu apparent, pro uno dente componat solid. XVI. Si duo aut plures fuerint in risu apparentes, numerentur, & per hunc numerum componantur. Si quis alii dentes maxillares excusserit, unum aut plures, componat pro uno dente solid. VIII.

VII. IDEM.

SI quis alii aurem absciderit, quartam partem pretii ipsius componat ei. Si quis in aurem plagam fecerit, componat sol. XVI. si resolidaverit.

VIII. IDEM

VIII. IDEM.

SI quis alii plagam in facie fecerit, componat ei sol. XVI. Si quam in naso fecerit plagam, componat sol. XVI. si resolidaverit tantum, ut cicatrix appareat. Si non resolidaverit, quartam partem pretii ipsius, componat ut supra.

IX. IDEM.

SI quis alium intra capsum plagaverit, componat ei sol. XX.

X. IDEM.

SI quis alium in coxa punxerit aut plagaverit, si transforaverit, componat sol. XVI. & si non transforaverit, componat sol. VIII. Si plagæ fuerint plures, usque ad tres tantummodo numerentur, & pro unaquaque plaga componat ut supra. Nam amplius si fuerint, non componat.

XI. IDEM.

SI quis alium in brachio punxerit, & non transforaverit, componat solid. VIII. si transforaverit, componat sol. XVI.

XII. IDEM.

SI quis alii manum absciderit, medietatem pretii ipsius, quo appretiatus fuerit, tanquam si eum occidisset, componat: & si siderata fuerit, & non excusserit à corpore, quartam pretii partem ipsius ei componat.

XIII. IDEM.

SI quis alii digitum pollicem de manu excusserit, sextam partem, quo homo appretiatus fuerit, ac si eum occidisset, ei componat. Si quis alii secundum digitum de manu excusserit, componat ei solid. XVI. Si tertium, qui est medianus, solid. VI. Si quartum digitum de manu excusserit, VIII. Si quis alii quintum digitum de manu excusserit, XIII. sol. componat.

XIV. IDEM.

SI quis alii pedem excusserit, medietatem pretii ipsius componat: & si sideratus, & non excusserit, quartam partem pretii componat. Si quis alii pollicem de pede excusserit, componat solid. decem. Si quis alii secundum digitum de pede excusserit, sol. VI. Si tertium, tres. Si quartum, similiter. Si quintum, duos.

XV. IDEM.

IN omnibus istis plagis ac feritis superius descriptis, quæ inter homines liberos eveniunt, ideo maiorem compositionem posuimus, quam antiqui nostri, ut faida, quod est inimicitia, post compositionem acceptam postponatur, & amplius non requiratur, nec dolus teneatur: sed causa sit finita, amicitia manente. Et si contigerit de ipsis plagis & feritis infra anni spatium mori hominem, qui plagatus est, tunc ille qui plagaverit eum, componat, qualiter in gargathingi, id est, secundum qualitatem personæ.

XVI. IDEM.

SI quis alii oculum excusserit, pro mortuo adpretietur, qualiter in garathingi, id est secundum qualitatem personæ, & medietas pretii ipsius componatur ab eo, qui oculum percusserit.

XVII. IDEM.

SI quis homini libero unum oculum habenti ipsum excusserit, duas partes pretii ipsius, quo appretiatus fuerit, ac si eum occidisset, componat. Si autem aldio aut servo unum oculum habenti ipsum excusserit, componat eum pro mortuo.

XVIII. IMPERATOR KAROLVS.

SI quis alium præsumptivè sua sponte castraverit, & ei ambos testiculos amputaverit, integrum widrigildum suum iuxta conditionem personæ componat. Si virgam absciderit, similiter. Si unum testiculum, medietatem persolvat. Et hæc de oculis, manibus, pedibus, & lingua sancimus, ut si unus eorum abscisus fuerit, medium widrigildum componat: si ambo, integritas perfecta emendatione componatur.

TITVLVS VIII. DE PLAGIS AVT FERITIS SERVORVM VEL ALDIORVM.

I. REX ROTHARIS.

DE aldiis & servis ministerialibus dicimus, qui docti domi & nutriti aut probati sunt.

II. IDEM.

SI quis aldium alienum aut servum ministerialem percusserit, si livor aut vulnus apparuerit, pro una ferita componat solid. I. Si duas fecerit, sol. II. Si tres, sol. III. Si quatuor, IIII. Si vero amplius fuerint, non numerentur.

III. IDEM.

SI quis aldium alienum aut servum ministerialem plagaverit in capite, ita ut os non rumpatur, pro una plaga det solid. duos. Si duas plagas fecerit, sol. quatuor: excepta opera & mercede medici. Si vero plures plagæ capitis fuerint, non numerentur.

IV. IDEM.

SI quis aldium alienum aut servum ministerialem ita in capite plagaverit, ut os rumpatur, unum vel plura, componat solid. IIII. excepta opera & mercede medici.

V. IDEM.

SI quis aldium aut servum ministerialem in facie plagaverit, componat ei sol. duos. Si nasum absciderit, componat sol. octo.

VI. IDEM.

SI quis aldio aut servo alieno oculm excusserit, medium pretii ipsius quo appretiatus fuerit, ac si eum occidisset, componat.

VII. IDEM.

SI quis aldio alieno aut servo ministeriali aurem absciderit, componat sol. duos: excepta opera & mercede medici.

VIII. IDEM.

SI quis aldio alieno aut servo ministeriali labrum absciderit, ut dentes appareant, componat sol. VI. excepta opera & mercede medici.

IX. IDEM.

SI quis aldio alieno aut ministeriali servo dentes excusserit, unum aut plures, in risu apparentes, pro uno componat sol. IIII. si plures fuerint, per hunc numerum componat. Si dentem maxillarem excusserit, pro uno componat sol. II. si vero plures fuerint, per hunc modum componantur.

X. IDEM.

SI brachium ruperit, componat sol. VI. excepta opera & mercede medici.

XI. IDEM.

SI manum absciderit, componat medium pretii ipsius. Si pollicem de manu excusserit, componat sol. VIII. excepta opera & mercede medici. Si secundum digitum de manu excusserit, componat sol. VI. Si tertium, sol. III. Si quartum, sol. II. si quintum, sol. IIII.

XII. IDEM.

SI quis aldio alieno aut servo ministeriali coxam aut tibiam ruperit, componat sol. III. excepta opera & mercede medici.

XIII. IDEM.

SI pedem excusserit, medium pretii ipsius componat. Si pollicem de pede excusserit, componat sol. IIII. excepta opera & mercede medici. Si secundum digitum de pede excusserit, componat sol. II. Si tertium digitum excusserit, componat solid. III. De aliis ex unoquoque, solid. I.

XIV. IDEM.

SI quis aldio alieno aut servo ministeriali plagam infra capsum fecerit, aut cum sagitta, aut cum quibuslibet armis, componat sol. VI. excepta opera & mercede medici.

XV. IDEM.

SI quis aldio alieno aut servo ministeriali brachium aut coxam transforaverit, componat sol. III. excepta opera & mercede medici: & si plagaverit, & non transforaverit, componat sol. II.

XVI. IDEM.

SI quis servo alieno rusticano plagam in capite fecerit, ut cutica tantum rumpatur, quam capilli cooperiunt, pro una plaga det sol. I. pro duabus, sol. II. excepta opera & mercede medici: si vero plures fuerunt, non numerentur. Si autem ossa ruperit, unum aut plura, componat sol. III. & amplius non numerentur.

XVII. IDEM.

SI quis servo alieno rusticano plagam in facie fecerit, componat sol. I. Si oculum excusserit, componat medietatem pretii ipsius, quo appretiatus fuerit domino eius, tanquam si eum occidisset. Si nasum absciderit, sol. IIII. excepta opera & mercede medici. Si labrum ut dentes appareant, componat sol. IIII. Si dentes excusserit, qui in risu appareant, pro uno, sol. II. pro maxillari, I. Si plures fuerunt, per hunc numerum componantur.

XVIII. IDEM.

SI quis servo alieno rusticano aurem absciderit, componat sol. II. excepta opera & mercede medici.

XIX. IDEM.

SI brachium aut coxam transforaverit, componat sol. II. si autem plagaverit & non transforaverit, componat solid. I. excepta opera & mercede medici.

XX. IDEM.

SI intra capsum plagaverit, componat solid. III. excepta opera & mercede medici.

XXI. IDEM.

SI brachium, aut coxam, aut tibiam ruperit, componat solid. III. excepta opera & mercede medici, & si de ipsa ruptura intra anni spatium sanus factus non fuerit, & ad pristinam sanitatem non redierit, quartam partem pretii ipsius, quod valuerit, domino eius componat.

XXII. IDEM.

SI quis servo alieno rusticano manum absciderit, medietatem pretii ipsius domino eius componat. Si pollicem de manu excusserit, componat sol. IIII. Si secundum digitum, sol. III. Si tertium aut quartum, sol. I. Si quintum, sol. II. excepta opera & mercede medici.

XXIII. IDEM.

SI pedem absciderit, medietatem pretii ipsius componat ut supra. Si pollicem de pede excusserit, componat sol. X. Si secundum, VI. Si tertium, sol. IIII. Si quartum, III. Si quintum, componat sol. duos.

XXIV. IDEM.

SI battiderit aut percusserit, pro una ferita, id est, pluslaib, si vulnus aut livor apparuerit, componat sol. medium: si vero usque quatuor feritæ fuerint, componat sol. II. amplius feritæ non numerentur.

XXV. IDEM.

SI de plagis aut feritis superius scriptis aldii, aut servi ministerialis, aut rusticani, atque aldiæ aut ancillæ, manus aut pedes vel quodlibet membrum plagatum aut percussum est, si fuerit sideratum & non per excusserit à corpore, simili modo componat, tanquam si eum excussisset.

XXVI. IDEM.

OMnes vero plagæ aut feritæ, tam de aldiis quam de servis ministerialibus, seu de servis rusticanis atque aldiis aut ancillis, quæ evenerint, per hunc tenorem, sicut supra constitutum est, finiantur. Si autem aliqua dubietas inde fuerit, quod evadere aut citius sanari non possit, tunc mediũ pretii de plaga quod arbitratũ fuerit, dominus eius accipiat, reliqua vero medietas suspendatur, usque dum cognoscatur, si intra anni spatium evadere possit de ipsa plaga. Si evaserit, quod reliquum est compleatur: si autem de ipsa mortuus fuerit intra anni spatium, sicut subter annexum est, ita componat. Quod pro plaga acceptum est, in ipsa summa compositionis mortui computetur.

XXVII. IDEM.

QVi plagas fecerit, ipse quærat medicum: & si neglexerit quærere, tunc ille qui plagatus est, aut certe dominus eius inveniat medicum. Et ille qui caput ruperit, aut suprascriptas plagas fecerit, operas reddat, & mercedem medico persolvat, quantum per doctos homines arbitratum fuerit.

XXVIII. IDEM.

SI quis percusserit ancillam gravidam, & abortum fecerit, componat solid. III. Si autem ex ipsa percussura mortua fuerit, componat eam, simul & quod in utero eius mortuum fuerit.

XXIX. IDEM.

SI quis porcarium de libero homine battiderit, ipsum quidem qui in curte eius erit, nam non de casa massarii, componat sol. XX. tantum est ut ipse porcarius feritas prius non faciat, aut scandalum non committat. Nam si fecerit plagas aut feritas, arbitrentur & componantur.

XXX. IDEM.

SI duo porcarii inter se battiderint, aut scandalum commiserint: si plagas aut feritas fecerint, componantur: nam alia culpa non requiratur.

XXXI. REX LIVTPRANDVS.

SI quis aldium aut aldiam, servum aut ancillam battiderit, & per ipsam battituram ponderosi facti sunt, medietatem pretii domino eius componat, vel patrono eorum, tanquam si eum occidisset: exceptis plagis & feritis, componat sicut auterius edictum continet.

TITVL.

TITVLVS IX. DE HOMICIDIIS LIBERORVM HOMINVM.

I. REX ROTHARIS.

SI duo aut tres homines, seu amplius liberi, homicidium perpetraverint, & noluerint se adunare, ut in unum componant, ipsum mortuum, sicut appretiatus fuerit, sit eis licentia adunandi. Et si aliquis ex ipsis se subtraxerit, & non potuerit se purificare sicut lex habet, id est, quod nec plagam nec feritam in ipso homine, qui occisus est, fecisset: tunc sit culpabilis, sicut & alii qui eum composuerunt: & si se purificaverit, sit absolutus à culpa homicidii. Si tamen in consilio fuerit, componat ut supra solid. xx. aut de ipso consilio purificet se, si potuerit.

II. IDEM.

SI quis dominum suum occiderit, ipse occidatur. Et si quis ipsum hominem defensaverit, qui dominum suum occiderit, sit culpabilis DCCCC. sol. medietatem Regi, & medietatem parentibus mortui: & qui ad illius mortui iniuriam vindicandam denegaverit solatium, siquidem rogatus fuerit, unusquisque componat sol. L. medietatem Regi, & medietatem cui solatium denegaverit.

III. IDEM.

SI quis homicidium perpetraverit absconse in barone, libero, vel servo, vel ancilla, & unus fuerit, aut duo tantum, qui ipsum homicidium fecerit, componat DCCCC. sol. si vero plures fuerint, si ingenuus fuerit, qualiter in garathingi ipsum homicidium componat. Si servus aut aldius componat, ipsum mortuum, ut appretiatus fuerit: & si spolia de ipso mortuo tulerit, id est pluslaib, componat sol. LXXX.

IV. IDEM.

SI infans in utero matris suæ nolendo ab aliquo occisus fuerit, si ipsa mulier libera est & evaserit, appretietur ut libera secundum nobilitatem suam: medietatem quo ipsa valuit, & infans ipse componatur. Nam si ipsa mortua fuerit, comp. ipsam secundum generositatem suam: excepto qui in utero eius mortuus fuerit, comp. ut supra cessante faida, quia nolendo fecit.

V. IDEM.

SI duo aut tres homines liberi, seu amplius in unum, arborem inciderint, & alium hominem supervenientem occiderint, aut quodlibet damnum fecerint; tunc incidentes arborem quanticunque fuerint, ipsum homicidium aut damnum pariter componat. Et si casu faciente ab ipsa arbore aliquis ex ipsis, qui inciderint, mortuus fuit: si duo fuerint collegæ medietas pretii reputetur illi mortuo, & medietatem reddat parentibus collegæ. Et si plures fuerint, eodem modo portio una reputetur illi mortuo, & quanticunque fuerint vivi, similiter reddant summam pretii cessante faida, eo quia nolendo fecerint.

VI. IDEM.

SI quis alii venenum ad bibendum dederit, & qui acceperit mortuus fuerit, pretium mortui secundum qualitatem personæ in integrum comp.

VII. IDEM.

SI servus aut ancilla venenum alteri dederit ad bibendum, & ille qui acceperit, mortuus non fuerit, componat dominus servi vel ancillæ medietatem pretii ipsius, quantum ipse valuerit qui acceperit, & per omnia ipse servus vel ancilla in ipsa compositione, pro quanto appretiati fuerint, ad occidendum tradantur. Et si ille mortuus fuerit, qui acceperit, tunc dominus servi vel ancillæ ipsum hominem integrum componat: sic tamen ut servus vel ancilla in ipsa compositione pro quanto appretiati fuerint, ad occidendum tradantur; & nulla sit redemptio aut excusatio in morte servi vel ancillæ.

VIII. IDEM.

SI homo occisus fuerit, liber aut servus, & de ipso homicidio compositio facta fuerit, & pro amputanda inimicitia sacramenta præstita fuerint; & postea si contigerit, ut ille qui compositionem acceperit, revindicandi causa occiderit hominem de parte, de qua compositionem acceperat, iubemus ut ipsam compositionē in duplum reddat, aut parentibus aut domino servi. Simili modo de plagis aut feritis, qui post compositionem acceptam revindicare tentaverit, ut in duplum quod accepit restituat: excepto si hominem occiderit, componat ut supra in integrum.

IX. IDEM.

SI magister comacinus cum collegis suis domum ad restaurandum vel fabricandum super se placito finito de mercede susceperit, & contigerit aliquem per ipsam domum, aut materiæ lapsu aut lapidis mori, aut quodlibet damnum fieri, non requiratur domino, cuius domus fuerit: nisi magister comacinus cum consortibus suis ipsum homicidium aut damnum componat. Quia postquam fabulam firmatam de mercede pro suo lucro suscepit, non immerito sustinet damnum.

X. IDEM.

SI quis magistrum comacinum unum aut plures rogaverit aut conduxerit ad operam dictandum, aut solatium diurnum præstandum inter suos servos, ad domum aut casam sibi faciendam, & contigerit per ipsam casam aliquem ex ipsis comacinis mori, non requiratur ab ipso cuius casa est. Nam si cadens arbor aut lapis ex ipsa fabrica occiderit aliquem extraneum, aut quodlibet damnum fecerit, non reputetur culpa magistro; sed ille qui conduxit, ipsum damnum sustineat.

XI. IDEM.

SI quis operarios conduxerit, aut rogaverit in opera, & casu faciente contigerit unum ex ipsis aut in aqua mori, aut fulmine percuti, aut à vento arbore mota occidi; aut propria morte mori, non requiratur ab ipso qui

conduxit aut rogavit, tantum est ut per ipsius factum qui conduxit aut rogavit, aut per hominem eius, non moriatur: & si à quocunque unus eorum occisus fuerit aut læsus, ipse componat, qui eum occiderit aut læserit.

XII. IDEM.

SI maritus uxorem suam occiderit immerentem per quamlibet occasionem, quæ per legem non sit merita mori, componat solid. mille ducentos; medietatem illis parentibus, qui eam ad maritum dederint, & mundium susceperint, & medietatem Regi: ita ut per actorem Regis distringatur, & pœnas suprascriptas componat. Et si filios de ipsa muliere habuerit legitimos, habeant filii morgingap & faderphium suæ matris: & si filios de ipsa non habuerit, revertatur ipsa facultas ad parentes, qui eam ad maritum tradiderunt: & si parentes non habuerit, tunc ipsa compositio, & prædicta facultas, ad curtem Regis perveniat.

XIII. IDEM.

SI quis puellam aut mulierem liberam per quamlibet occasionem occiderit, componat sol. MCC. medietatē parentibus eius, ad quos mundium de eā pertinet, & medietatem Regi. Et si parentes non habuerit, tunc ipsa compositio in integrum ad curtem Regis perveniat: sic tamen, si asto animo, id est voluntarie, occiderit.

XIV. IDEM.

SI mulier maritum suum occiderit, ipsa occidatur, & res eius, si filium non habuerit, parentes mariti habeant in potestate.

XV. IDEM.

SI servus Regis morth fecerit, ita decernimus, ut componat ipsam personam, sicut appretiata fuerit, & servus ipse super fossam ipsius mortui appendatur, ut in eo vindicta detur, & sit causa finita.

XVI. IDEM.

SI quis sculdasium aut actorem Regis occiderit, utilitatem Regis facientē, appretietur pro libero homine, sicut in edicto legitur, & parentibus legitimis componatur: excepto quod in curte Regis, qui eum occiderit, componat sol. LXXX. Et si eum battiderit, aut ligaverit, simili modo componatur pro libero homine, secundum nationem suam, sicut in edicto constitutum est: excepto in curte Regis sit culpabilis sol. LXXX.

XVII. IDEM.

SI quis hominem liberum casu faciente nolendo occiderit, comp. sicut appretiatus fuerit, & faida non requiratur, eo quo nolendo occiderit.

XVIII. IDEM.

SI quis Longobardus ab aliquo homine, quod Deus avertat, interemptus fuerit, & causa secundum legem ad compositionem venerit: & ipse qui occisus est, filium masculum non reliquerit, quamquam filiam instituissemus

mus heredem sicut masculos in omnem substantiam patris aut matris. Ipsam tamen compositionem volumus ut accipiant parentes eiusdem propinqui qui occisꝰ fuerit, illi qui per caput succedere possunt: quia filiæ eius, eo quod fœmineo sexu esse probantur, non possunt ipsam faidam levare. Ideo prospeximus, ut ipsam compositionem non recipiant, nisi ut supra diximus, præfati propinqui parentes: & si propinqui non fuerint, tunc medietatem de ipsa compositione suscipiant filiæ eius, si una aut plures fuerint, & medietatem curtis Regia.

XIX. IDEM.

SI quis liber homo se defendendo, liberum hominem occiderit, & si probatum fuerit, quod se defendendo liberum hominem occiderit, sic eum componat, sicut in anteriori edicto continetur, quod Rotharius gloriosissimus Rex instituit. Nam qui super alium ambulaverit, & sic eum pro quacunque causa occiderit, omnem substantiam suam amittat, & habeant eam heredes ipsius, qui occisus fuerit, in hoc ordine: ita sane, ut si minus fuerit ipsa substantia homicidæ, quam antiqua compositio erat, aut non, nisi tantum tunc res suas perdat ipse homicida, & persona eius tradatur ad propinquos defuncti: nam si amplius habuerit substantiæ, quam ipsa compositio anterior erat, amittat omnes res suas, & accipiant heredes mortui inantea tantum, quantum antiqua compositio fuerat, & quod super fuerit, medium habeat curtis Regia, & medium heredes defuncti, & ipse homicida animam suam liberet.

XX. IDEM.

SI servus cum voluntate domini sui hominem liberum occiderit, & probatum fuerit, tunc dominus eius omnes res suas amittat, in eo ordine, sicut supra annexum est. Et si dominus eius negaverit, quod per ipsius consilium factum non fuisset, purificet se ad legem Dei, & componat ipsum mortuum sicut antea fuerat consuetudo, & ipse insuper servum tradat in manibus parentum defuncti.

XXI. IDEM.

REcolimus qualiter iam statuimus, ut qui hominem liberum occidere præsumpserit, res suas in integrum perdat: & qui se defendendo liberum hominem occiderit, componat secundum qualitatem personæ. Nunc autem statuere prævidimus, quomodo sit ipsa quantitas consideranda. Consuetudo enim est, ut pro minima persona, quæ exercitalis homo invenitur esse, CL. sol. componantur, & pro eo qui primus est, CCC. sol. de gasindiis vero nostris volumus, ut quicunque ex minimis occisus fuerit in tali ordine, pro eo quod nobis deservire videtur, CC. solid. fiat compositio: maiores vero secundum quales personæ fuerint, ut in nostra consideratione vel successorum nostrorum debeat permanere, quomodo ipsa compositio usque ad CCC. sol. debeat ascendere, amplius non.

XXII. IDEM.

SI quis liber homo, in terra aliena residens libellario nomine, homicidium fecerit, & fuga lapsus fuerit, tūc ille cuius terrā ipse homicida laboraverit,

aut inhabitaverit, habeat spatium mensis unius, ad ipsum hominem perquirendum: & si eum invenerit, habeat licentiam ipsum hominem, quamvis liber sit, comprehendendi, & tradendi in manu illius, cui fecerit homicidium: & si hoc non fecerit, dare debet medium de omnibus rebus mobilibus, excepto lecto, quas in ipsa casa habuerit ipse homicida. Quod si neque facere voluerit, ipse cuius terra est, dare debeat libellario nomine ipsam terram ei, cui homicidium fecerit, ut reddat ei exinde, sicut reddebat, qui ipsum homicidium fecit. Tamen de his tribus capitulis in illius sit potestate eligendi, cuius terra est, & faciat exinde quod voluerit.

XXIII. IDEM.

RECOLIMUS enim, quod statuimus cum nostris iudicibus, ut qui liberum hominem occidere præsumpserit, omnem suam substantiam amittat. Modo vero dum repeterent singuli homines, quos forte aliqua duritia detinebat, quod parens illorum, qui in lectulo mortuus fuerit, per venenum occisus fuerit: & dum per pugnam ipsam causam, sicut antiqua fuerat consuetudo, quærere disponebant, gravis causa nobis esse comparuit, ut sub uno scuto, per unam pugnam, omnem suam substantiam homo amittat. Ideoque statuere prævidimus, ut si amodo talis causa emerserit, ut ille, qui mortem parentis sui per pugnam probare voluerit, quod eum per venenum occidisset, & observatis his, quæ in anteriori edicto affiximus, per Evangelia affirmet, quod asto animo causam ipsam non requirat, nisi quod ei certa suspitio sit: postea potestatem habeat quærere per pugnam, sicut antiqua fuit consuetudo. Et si ei ferita evenerit, cui crimen ipsum mittitur, aut ad campionem ipsius, quem conductum habuerit, non amittat omnem substantiam suam: sed componat secundum qualitatem personæ, sicut antea fuerit lex componendi. Quia incerti sumus de iudicio Dei: & multos audivimus per pugnam sine iusta causa suam causam perdere. Sed propter consuetudinem gentis nostræ, Longobardorum legem impiam vetare non possumus.

XXIV. IDEM.

ITem annuntiatum est nobis, quod quidem habebat puteum in curte sua, & secundum consuetudinem furcam & tollenum ad hauriendam aquam: veniens autem homo, stetit sub ipso tolleno, & cum venisset quidam ad hauriendum aquam de ipso puteo, & incaute ipsum tollenum dimisisset, venit super eum, qui sub ipso stabat tolleno; & mortuus est. Dum autem requisitio de morte eius fieret, quis eum deberet componere, & nobis relatum fuisset, ita nobis & nostris iudicibus rectum esse comparuit, ut ipse homo, qui ibi mortuus fuerit, quia non fuit animal, sed sensum rationalem habuit, sicut homo debet habere, debuit prospicere, in quo loco se poneret ad standum: aut quale pondus super se habebat. Ideo computet sibi duas partes pretii de compositione, tertiam quantum ipse secundum edicti tenorem appretiatus fuerit, componat ipse, qui ipsam aquam hauriebat incaute, & det eum filiis aut propinquis parentibus, vel eis qui heredes extiterint; & sit causa finita absque omni faida & dolo, eo quod nolendo factum est: ille autem

autem cuius puteus est nullam habeat calumniam. Quia si ei calumniam ingerimus, nullos postea permitteret de puteo suo aquam haurire: quia omnes homines puteum habere non possunt, reliqui pauperes siti morerentur, etiam itinerantes, necessitatem paterentur.

XXV. IDEM.

HÆc autem rei veritas pervenit ad nos, quod quidam homo diabolo instigante dixisset ad servum alienum: *veni & occide dominum tuum, & ego habeo facere bonitatem, quam volueris*: ille autem persuasus ab ipso intravit in causam ipsam malam, & idem qui eum uasit, in tanta malitia perductus est, ut & præsentialiter diceret eidem puero, *feri ipsum dominum tuum*, & ipse ei pro peccatis feritam fecit, & iterum dixit: *feri eum adhuc: nam si non feceris, ego te ferire habebo*: ipse autem puer conversus fecit eidem domino alteram feritam, & mortuus est. Dum autem requisitio de morte ipsius & de compositione fieret, volebat aliquis dicere, quod tantum deberet componere, is qui puero persuasit & in sua præsentia hominem ferire iussit, quantum anterius edictum continet de consilio mortis. Sed nobis, nostrisque iudicibus hoc nullo modo placuit, quoniam consilium mortis in occulto sit concinnatum: & aliquotiens perfruitur aliquotiens non. Nam hoc homicidium præsentialiter factum est, & nos non dicimus hoc esse consilium, quando homo alteri homini verbo tenus, & præsentialiter ostendendo dicit: veni & feri hominem istum. Ideoque qui tale malum commisit, & sic probatum fuerit, non componat consilium mortis, sed componat sicut in nostro edicto affiximus, hoc est, ut perdat omnem suam substantiam, & medium accipiant heredes defuncti, & medium curtis Regia, excepta illa compositione antiqua, quam heredes ipsius, qui mortuus in antea tollant, sicut in edicto nostro tempore, ut supra diximus, est affixum.

XXVI. REX RACHIS.

SI quis Longobardus qualemcunque hominem aldium aut servum suum facere voluerit, & ipse ad palatium venerit ad proclamandum, & iussione Regis accepta eidem portaverit: ut aut ipse iudicet, aut veniat in præsentiam Regis vel iudicis, cum ipso homine, ad iudicium habendum: & si ipse neglexerit, & furore accepto eum battiderit, aut quod absit eum occiderit, sicut nunc facitum ex peccatis cognovimus, componat widrigild suum in palatio: & si ipse homo vivus fuerit. Si servus aut aldius sit, perdat eum cum rebus suis, & in libertate permaneat, ipse & filii eius. Si vero fuerit liber, & widrigild suum componat: & si eum battiderit, componat sicut ad alium liberum hominem: nam si ipsum occiderit, pro hoc capitulo sicut supra legem componat mortem ipsius, & simul widrigild suum Regi pro præsumptione. Si vero aldius fuerit aut servus, perdat filios eius & res ipsius, & componat in palatio Regis widrigild.

XXVII. IMPERATOR KAROLVS.

QVi subdiaconum occiderit, ccc. solid. componat. Qui diaconum, cccc. Qui presbyterum, DC. Qui Episcopum, DCCCC. Qui monachum, cccc. De Episcopis & sacerdotibus occisis, sicut statutum habemus, fiat: & de reliquis quibuslibet causis. Verumtamen de presbyteris videtur nobis, ut si liber est natus presbyter, per triplam compositionem, secundum legem suam sit compositus ab eo, qui hoc perpetraverit: & si plagatus fuerit, secundum qualitatem vel quantitatem plagarum, vel disciplinæ, per triplam compositionem secundum legem suam emendetur ab eo, qui hoc perpetraverit. Si autem servus presbyter natus fuerit, secundum illius nativitatem per triplam compositionem solvatur in plagis & disciplinis. De diaconibus similiter fiat.

[X]XVIII. IMPERATOR PIPINVS.

DE advenis & peregrinis, qui in Dei servitio vel Romam, vel ad alia loca, festinant ad sanctorum corpora, ut salvi vadant & revertantur, sub nostra defensione. Et qui ex ipsis peregrinis ausus fuerit occidere, LX. sol. in sacro palatio nostro componat: & insuper compositio ipsa fiat de ipso homicidio, cui legibus leudum ipsum pertinuit. Et hoc damus in mandatis cunctis Episcopis, Abbatibus, seu actionariis nostris, ut hæc omnis supra scripta iustitia de præsenti absque ulla tarditate adimpleta fieri debeat: ut qui in tantos annos iustitiam habere non potuerit, vel modo per Dei omnipotentis misericordiam, & præceptum Domini, & genitoris Karoli, Regis Francorum & Longobardorum, ac patricii Romanorum, simul & per nostram præceptionem, unusquisque iustitiam suam accipiat.

XXIX. IMPERATOR HLVDOICVS.

SI quis ex levi causa, aut sine causa homines in Ecclesia interfecerit, de vita sua componat. Si verò foris rixati fuerint, & unus post alterũ fugerit in Ecclesia, & ibi se defendendo eum interfecerit: si huius facti testes non habuerit, cum XII. iuratoribus legitimis per sacramentum affirmet, ut se defendendo eum interfecisset, & pro hoc DC. sol. ad partem ipsius Ecclesiæ quam polluit, componat, & insuper bannum nostrum. Is vero qui interfectus est, absque compositione iaceat, ac deinde interfector secundum Canonum iudicium congruum facinoris, quod admisit, pœnitentiam accipiat. Si proprius servus hoc admiserit, iudicio aquæ ferventis examinetur, utrum hoc sponte an se defendendo fecisset. Et si manus eius exusta fuerit, interficiatur: si vero non fuerit, publica pœnitentia mulctetur. Si fortè ipse auctor commotæ inter eos rixæ fuerit inventus, tunc dominus eius, iuxta quod widrigild eius fuerit, ad Ecclesiam persolvat: aut si voluerit, ipsum servum Ecclesiæ tradat.

XXX. IDEM.

DE Ecclesiastico, & fiscalino, & beneficiario servo volumus, ut pro una vice widrigild eius componat pro eo, altera vero vice ipse servus ad supplicium tradatur: hereditas tamen liberi hominis, qui pro tali facinore ad mortem fuerit iudicatus, ad legitimos heredes illius perveniat. Si vero in

atria

atrio ipsius Ecclesiæ, cuius portæ reliquiis sanctorum fuerint consecratæ, huiusmodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur vel componatur. Si vero portæ Ecclesiæ non fuerint cõsecratæ, eo modo componatur, quod in atrio committitur, sicut & componi debet, quod in immunitate violenter committitur.

XXXI. IDEM.

QVi hominem liberum publicam pœnitentiam agentẽ interfecerit, bannum nostrum componat in triplo, & widrigilt eius ad proximos parentes persolvat.

XXXII. IDEM.

QVicunque liberum hominem ex levi causa, aut sine causa interfecerit, widrigild eius his, ad quos legibus pertinet, componat: ipse vero propter talem præsumptionem in exilium mittatur, quantum tempus nobis placuerit, res suas tamen non amittat.

XXVIII. IDEM.

IN compositione widrigild volumus, ut ea dentur, quę in lege continentur, excepto accipitre & spatha: quia propter illa duo aliquotiens periurium committitur, quando maioris pretii quam illa sint, esse iurantur.

XXXIV. IDEM.

SI quis aliqua necessitate cogente homicidium commiserit, Comes in cuius ministerio res perpetratur, compositionem solvere, & faidam per sacramentum pacificare faciat. Quod si una pars consentire ei ad hoc voluerit, aut ille qui homicidium commisit, aus is qui compositionem accipere debet: tunc Comes illum, qui contumax fuerit, ad præsentiam nostram venire faciat, ut eum ad tempus quod nobis placuerit, in exilium mittamus, donec ibi castigetur: ut Comiti suo inobediens esse ultra non audeat, & maius damnum inde non accrescat.

XXXV. IMPERATOR HLOTHARIVS.

DE homicidiis in Ecclesiis vel in atriis eorum commissis, hoc observetur & teneatur, sicut in priori capitulari constitutum est. Si quis ex levi causa aut sine causa, hominem in Ecclesia interfecerit, de vita comp. Si vero foris rixati sunt, & unus alterum in Ecclesia fugerit, & eum ibi se defendendo interfecerit: si huius facti testes non habuerit, cum XII. iuratoribus legitimis per sacramentũ affirmet, quod se defendẽdo eum interfecerit: & si ipse actor commotæ rixæ inter eos extiterit, leudum interfecti, & insuper bannum nostrum solvere cogatur, & publicam agat pœnitentiam. Sin autem non ille qui alterum interfecerit, sed is qui interfectus est, eandem rixam commoverit, absque compositione iaceat: & is qui eum interfecerit, secundum Canonum iudicium publicam agat pœnitentiam. Si cuiuslibet servus proprius hoc commiserit, iudicio aquæ ferventis examinetur, utrum hoc sponte an se defendendo fecisset. Et si manus eius exusta fuerit, interficiatur: si autem non fuerit, publica pœnitentia mulctetur: nisi fortè ipse actor commotæ rixæ inter eos fuerit inventus. Tunc enim eius dominus, iuxta quod widrigild illius est, ad Ecclesiam persolvat, aut si voluerit eidem Ecclesiæ tradat.

XXXVI. IDEM.

DE Ecclesiastico, & fiscalino,& beneficiario servo volumus,ut prima vice widrigild eius pro eo componatur, altera vero vice ipse servus ad supplicium tradatur: hereditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuerit iudicatus,ad legitimos heredes illius perveniat. Si in atrio ipsius Ecclesiæ,cuius portæ reliquiis sanctorum sunt consecratæ,huiusmodi homicidium perpetratum fuerit,simili modo componatur. Si vero portæ Ecclesiæ consecratæ non sunt, eo modo comp. quod in atrio committitur,sicut componi debet,quod in immunitate violenter committitur.

XXXVII. IDEM.

DE homicidio, unde lex pro simplicitate probationem trium testium quærit, si testes habere non poterit,concedimus ut cum XII. iuratoribus iuret, & ab eadem simplicitate sit absolutus: proprium tamen non amittat.

XXXVIII. IMPERATOR HENRICVS.

QVi vero infra treugam, post datum osculum pacis, aliquem hominem interfecerit, & negare voluerit, pugnam pro se faciat, nec campionem pro se dare debet: nisi sicut dictum est supra. Si vero convictus fuerit, manum quæ homicidium fecit, amittat.

XXXIX. IDEM.

HENRICVS divina pietate secundus Romanorum Imp. August. Decet imperialem solertiam Reipub. curam ita agere,&sic sollicitetur erga præsentia, quatinus ea quoque diligenter provideat, quæ posteris sunt utilia atque profutura. Id autem satis competenter agitur,cum bonis virtutis præmium, impiis autem digna ultio sibi ad vindictam,aliis ad exemplum recompensatur. Sed quoniam omnia quæ mundus habet, humanum genus excedit, de eius salute tanto præcipue curandum est, quanto manifestius constat, quod omnipotens quoq; Deus pro redemptione eius unigenitum suum filium ab æterna sede divinitatis suæ in terram misit. Quapropter quoniam plerumque, proh dolor! veneficio ac diverso genere furtivæ mortis perire audivimus,super hoc, dum in regno universali conventu Longobardorum sederemus, huiusmodi legem Episcoporum, marchionum, comitum, aliorumque multorum nostrorum fidelium consensu,& auctoritate nostra, probari sancimus. Quicunque veneficio seu quolibet modo furtivæ mortis aliquem peremerit, aut consentiens fuerit, mortis sententiam incurrat, omniumque suarum rerum mobilium & immobilium facultutem amittat: ita tamen ut pretium x. librarum auri, pro legitimo widrigild propinquis parentibus perempti premium detur, reliqua rursus medietas eius propinquis veniat, altera autem medietas ad fiscum accedat. Si quis vero prædicti criminis,aut de facto,aut de consensu accusatus negare voluerit, aut per duellum, si liber est: si vero servus,per iudicium ferventis aquæ defendat se, aut in similem sententiam incurrat. Ad hoc autem volumus, nostraque imperiali auctoritate sancimus, ut quicunque hominibus prædicti reatus refugium aut subsidium aliquod præbuerit, omnis possessio eius in publi-

cum

cum perveniat: ipse vero in nostram, omniumque nostrorum indignationem incurrat.

TITVLVS X. DE PARRICIDIIS.

I. REX ROTHARIS.

SI quis in morte parentis sui insidiatus fuerit, id est, si frater in morte fratris sui, aut barbani, quod est patruus, seu consobrini insidiatus fuerit, & ille cui insidiatus fuerit, filium non reliquerit, non sit illi heres, de cuius anima tractavit, nec alii parentes proximi: & si alios parentes proximos non habuerit, tunc illi curtis regia succedat. De anima autem illius homicidæ sit in potestate Regis iudicare, quod illi placuerit: res vero quas homicida reliquerit, parentes proximi & legitimi habeant; & si parentes proximos non habuerit, tunc curti Regiæ socientur.

II. REX LIVTPRANDVS.

SI frater suum fratrem occiderit in peccatis, quamquam anterius edictum contineat, ut proximi parentes homicidæ succedant, nos autem proximos fratres appellamus, si frater relictus fuerit, in res homicidæ fratris succedat: ita ut secundum qualitatem personæ de ipsa substantia homicidæ, si ille qui occisus est filios reliquerit, compositionem illis dare debeat; reliquum autem quod superfuerit sibi habeat. Et si pecunia ipsius homicidæ intantum fuerit sub æstimatione, quantum compositio est, aut forte minus, habeant eam filii ipsius, qui occisus est. Quod si non reliquerit fratres unum aut plures, is qui occisus est, quantumcunque fuerit substantia homicidæ, filius ipsius qui occisus est, in ea succedere debet: quod si non habuerit filios legitimos, proximi succedat parentes per gradum. Quod si nec parentes fuerint qui ei legitime succedere possint, succedat ei curtis regia: de anima verò homicidæ illius sit in potestate Regis, sicut in anteriori edicto legitur.

III. IMPERATOR KAROLVS.

SI quis de libertate sua interpellatus fuerit, timens ne in servitium cadat, & aliquem de propinquis, per quem in servitium casurus esset, occiderit, id est, patrem vel matrem, patruum vel avunculum, vel quamlibet huiusmodi propinquitatis personam, ipse qui hoc perpetraverit moriatur: agnatio eius & consanguinitas in servitutem cadat. Et si negaverit ipsum occidisse, ad novem vomeres ignitos ad iudicium Dei examinandum accedat.

IV. IMPERATOR HENRICVS.

QVicunque propter cupiditatem rerum, patrem aut matrem, aut fratres aut sorores, vel nepotem, aut aliquem suum propinquum per se aut per alium interfecerit, hereditas interfecti ad alios suos legitimos heredes perveniat: hereditas verò interfectoris in fiscum redigatur; ipse vero ordinante Episcopo publicæ pœnitentiæ subdatur. Quod si ille, cui crimen immittitur, negare voluerit, per se pugnam faciat, nec liceat campionem

pro se dare; nisi decrepita ætas aut iuvenilis, aut infirmitas pugnare prohibuerit.

TITULUS XI. DE HOMICIDIIS SERVORUM MINISTERIALIUM VEL ALDIORUM.

I. REX ROTHARIS.

SI quis aldium alienum occiderit, componat sol. LX.

II. IDEM.

SI quis servum ministerialem probatum ut supra, aut doctum, domi occiderit, componat solid. L. de alio vero servo ministeriali, qui secundus eius invenitur esse, & tantum nomen ministeriale habet, si quis occiderit, componat sol. XXV.

III. IDEM.

SI quis servum alienum rusticanum, qui sub massario est, occiderit, componat sol. XVI.

IV. IDEM.

SI quis servum alienum bubulcum de sala occiderit, comp. sol. XX.

V. IDEM.

SI quis servum alienum rusticanum, qui sub massario est, occiderit, componat sol. XVI.

VI. IDEM.

SI quis porcarium alienum occiderit, magistrum tamen illum, qui sub se discipulos habet duos, aut tres, aut amplius, componat sol. L. De inferioribus autem porcariis, si quis occiderit, componat sol. XXV.

VII. IDEM.

SI quis porcarium aut caprarium, seu armentarium, occiderit, magistrum tamen, componat sol. XX. pro discipulis, aut qui sequentes sunt, si quis occiderit, componat sol. XVI. De illis verò pastoribus dicimus, qui ad liberos homines servierunt, & de sala propria exeunt.

VIII. IDEM.

SI quis infantem parvulum de servo massario casu faciente occiderit, arbitretur à iudice, secundum qualem habuerit ætatem, aut quale lucrum facere poterat, ita componat.

IX. IDEM.

NUllus præsumat aldiam alienam, aut ancillam, quasi strigam, quæ dicitur masca, occidere: quod Christianis mentibus nullatenus est credendum, nec possibile est, ut hominem mulier vivum intrinsecus possit comedere. Si quis deinceps talem illicitam ac nefandam rem perpetrare præsumpserit, si aldiam occiderit, componat pro statu eius sol. LX. & insuper addat pro culpa sol. C. medium Regi, & medium cuius aldia fuerit. Si autem ancilla fuerit, comp. pro statu eius, sicut supra constitutum est, si ministerialis aut rusticana fuerit: & insuper pro culpa solid. LX. medium Regi, & medium cuius ancilla fuerit. Si vero iudex hoc malum perpetrare visus fuerit, de suo proprio poenam suprascriptam componat

TITUL.

TITVLVS XII. DE SEPVLCHRO VIOLATO, ET DE EO QVI HOMINEM MORTVVM EXPOLIAVIT.

I. REX ROTHARIS.

SI quis hominem mortuum in flumine, aut foris invenerit, & expoliaverit, componat parentibus mortui sol. LXXX. Et si eum invenerit, & expoliaverit, & mox vicinis patefecerit, & cognoscitur, quod pro mercedis causa fecerit, nam non furandi animo, reddat spolia, quae super eum invenerit, & amplius ei calumnia non generetur.

II. IDEM.

SI quis sepulturam hominis mortui ruperit, & corpus expoliaverit, aut foris iactaverit, DCCCC. sol. sit culpabilis parentibus defuncti: & si parentes proximi non fuerint, tunc gastaldius Regis, aut sculdasius, requirat culpam ipsam, & ad curtem Regis exigat.

TITVLVS XIII. NE QVIS AD REGEM VENIENTIBVS INIVRIAM FACIAT.

I. REX ROTHARIS.

SI quis ex baronibus nostris ad nos venire voluerit, securus veniat, & illaesus ad suos revertatur: & nullus de adversariis illius illi aliquam iniuriam in itinere aut molestiam facere praesumat. Tantum est ut ille, qui ad Regem venire festinat, honeste veniat, & nullam laesionem aut damnum quoque in ipso itinere, ad Regem veniendo aut redeundo, faciat: nam si fecerit, sicut subter in hoc edicto scriptum est, componat.

II. IDEM.

SI quis ex adversariis nostris manum armatam super quemcunque hominem ad Regem venientem iniecerit, pro sua iniuria, aut propter qualemcunque culpam vindicandam, DCCCC. sol. sit culpabilis, medium Regi, & medium cui iniuria illata fuerit.

III. IMPERATOR KAROLVS.

SI quis liber super missum dominicum cum collecta & armis venerit, & missaticum illi iniunctum contradixerit, aut contradicere voluerit, & hoc ei approbatum fuerit, quod sciens esse missum dominicum, ad resistendum venisset, de vita componat: & si negaverit, cum XII. sacramentalibus suis se idoneum faciat: & pro eo quod cum collecta contra missum dominicum armatus venerit ad resistendum, bannum dominicum componat. Simili modo domnus Imperator de suis vassis iudicavit. Et si servus hoc fecerit, disciplinae corporali subiaceat.

TITVLVS XIV. DE EXERCITALIBVS ET HIS QVI IN HOSTEM IRE CONTEMPSERINT.

I. REX ROTHARIS.

SI quis de exercitalibus Ducem suum contempserit, ad iustitiam faciendam, xx. sol. Duci suo & Regi componat.

II. IDEM.

SI quis de ipso exercitu Duci suo ad iustam causam persequendum, denegaverit solatium, unusquisque componat Regi & Duci suo sol. xx.

III. IDEM.

SI Dux exercitalem suum molestaverit iniuste, gastaldius eum solatiet, dum usque ad præsentiam Regis, aut certe apud suum iudicem, eum ad iustitiam perducat.

IV. IDEM.

SI quis res suas ab alio in exercitu requisierit: & noluerit ille reddere: tunc ambulet ad Ducem, & si Dux illi, aut iudex, qui in loco ordinatus est à Rege, veritatem aut iustitiam non conservaverit, componat tam Regi, quam ei, cuius causa est, sol. xx. causa manente.

V. IDEM.

SI gastaldius exercitalem suum contra rationem molestaverit, Dux eum solatiet, quo usque veritatem suam inveniat.

VI. IDEM.

SI quis in exercitu ambulare contempserit, aut in sculcam, det Regi & Duci suo sol. xx.

VII. REX LIVTPRANDVS.

DE omnibus iudicibus, quando in exercitu ambulandi necessitas fuerit, non mittant alios homines, nisi tantummodo qui unum caballum habuerint, hoc est homines VI. tollant ad saumas suos ipsas caballos sex: & de minoribus hominibus, qui nec casas nec terram habeant, mittant homines x. & ipsi homines ad ipsum iudicem faciant per hebdomadam unam operas tres usque dum ipse iudex de exercitu revertatur. Sculdasius verò dimittat tres homines, qui caballos habeant, ut tollant ad saumas suas ipsos caballos tres & de minoribus hominibus dimittant v. qui faciant ei operas, usq; dum ipse reversus fuerit, sicut ad iudicem diximus, per hebdomadam vinam operas III. Saltarius qui caballum unum tollat, & de hominibus minimis, qui ei operas faciant, tollant hominem unum, & faciant operas sicut supra legitur: & si amplius, aut iudex, aut sculdasius, & saltarius dimittere præsumpserit homines, sine Regis permissu, aut eius iussione, qui ad exercitum ambulare deberet, componat widrigild suum in sacro palatio. Hæc autem omnia superius comprehensa, quæ antea per iudicem finita & statuta sunt, & terminus positus est, sic maneant, sicut iam antea statuta sunt: quæ autem modo emerserint, sic terminentur, sicut nunc in præsenti pagina adfiximus.

VIII. REX

VIII. REX ASTVLPHVS.

ET hoc diffinimus, ut postquam iussio Regis fuerit in exercitu ambulandi, & constituto posito ad monitionem faciendam, nullus præsumat fideiussorem aut debitorem pro quacunque causa pignorare. Et si de una iudiciaria fuerit, ad dies duodecim, antequam eat ad exercitum, sit quietus, etiam duodecim dies postquam de exercitu fuerit reversus: si autem de de aliis iudiciariis fuerit, spatium sit ad dies XXIIII. Nam si quis quem inter ista spatia pignoraverit, componat ipsa pignora, sicut qui contra rationem pignus abstulit.

IX. IMPERATOR KAROLVS.

SI quis domum alienam cuilibet fregerit, quidquid exinde per virtutem abstulerit, aut rapuerit, aut furatus fuerit, secundum legem & ewam illi, cuius domus fuerit fracta aut expoliata, in triplo componat, & insuper bannum dominicum solvat. Si servus hoc fecerit, sententiam superiorem accipiat, & insuper secundum legem suam componat.

X. IDEM.

SI quis liber homo aliquod damnum cuilibet fecerit, pro quo plenam compositionem facere non valeat, semetipsum inwadiare studeat, usque dum plenam compositionem adimpleat.

XI. IDEM.

SI quis messem aut annonam in hoste super bannum dominicum rapuerit, aut furatus fuerit, vel paverit, aut cum caballis vastaverit, æstimato damno secundum legem in triplo componat. Et si liber homo hoc fecerit, bannum dominicum pro hac re componere cogatur: servus vero secundum legem triplum componat, damnum in loco restituat, & pro banno disciplinæ corporali subiaceat.

XII. IDEM.

SI quælibet persona de hoc quoque interpellata fuerit, aut præsentialiter emendet, aut sacramentum reddat solus, quod nec ipse fecerit, nec verè qui fecisset sciat: accusator vero prius iuret, quod non eum iniuste se sciente interpellasset.

XIII. IDEM.

QVicunque liber homo in hoste bannitus fuerit, & venire contempserit, plenum heribannum componat, secundũ legem Francorum, id est, LX. sol. solvat: aut si non habuerit unde illam summam persolvat, semetipsum per wadium in servitio Principis tradat, donec per tempora ipsum bannum ab eo fiat persolutum, & tunc iterum ad statum suæ libertatis revertatur. Et si ille homo, qui propter heribannum in servitio se tradiderit, & in servitio illo defunctus fuerit, heredes eius hereditatem, quæ ad illos pertinet, non perdant: nec de libertate, nec de ipso heribanno obnoxii fiant.

XIV. IDEM.

SI quis liber homo, contempta iussione nostra, ceteris in exercitu pergentibus, domi residere præsumpserit, plenum heribannum, secundum legem Francorum, id est, LX. sol. sciat se debere componere. Similiter & pro contemptu singulorum capitulorum, quibus per nostram regalem auctoritatem bannum promulgavimus: id est, qui pacem Ecclesiarum Dei, & viduarum, & orphanorum, & pupillorum, pauperum, ac minus potentum irruperit, aut raptum intra patriam fecerit, aut alienas domos incenderit, vel cum collecta multitudine vim cuilibet intulerit, LX. sol. pœna mulctetur.

XV. IDEM.

SI quis contumax adeo aut superbus extiterit, ut dimisso exercitu absque iussu & licentia Regis domum revertatur, & quod nos Teudisca lingua dicimus, heriliz fecerit, ut ipse sit reus maiestatis, vitæ periculum incurrat; & res eius fisco nostro socientur.

XVI. IMPERATOR HLVDOICVS.

VT nullus ad palatium vel in hostem pergens, de palatio vel de hoste rediens, tributum quod transitorium vocatur, solvere cogatur.

XVII. IMPERATOR HLOTHARIVS.

POstquam Comes & pagenses de qualibet expeditione hostili reversi fuerint, ex ea die super XL. noctes sit bannum rescissum, quod Teudisca lingua heriliz, id est, armorum depositio vocatur.

TITVLVS XV. DE EO QVI ALII VIAM ANTESTETIT, VEL ALIQVEM DE CABALLO IACTAVERIT, AVT VVALAPAVTZ FECERIT.

I. REX ROTHARIS.

SI quis homini libero viam antesteterit, XX. solid. comp. sic tamen ut aliquam læsionem in carne ipsius non faciat: nam si fecerit XX. solid. ei componat, pro eo quod antesteterit in via, & feritas aut plagas si fecerit, sicut subter adnexum est in hoc edicto, componat.

II. IDEM.

SI quis servo alieno aut ancillæ, seu aldio vel aldiæ, aut liberto vel libertæ, viam antesteterit, domino eius componat sol. XX.

III. IDEM.

SI quis messem suam, aut pratum, seu quamlibet clausura vindicando prohibuerit homini, ut non ingrediatur, non sit culpabilis, sicut ille qui homini simpliciter ambulanti viam antesteterit, eo quod laborem suum vindicaverit.

IV. IDEM

IV. IDEM.

SI quis hominem liberum de caballo in terram, per quodlibet ingenium iniquo animo iactaverit, LXXX. sol. ei componat: & si aliquam læsionem ei fecerit, sicut in hoc edicto subter adnexum est, componat.

V. IDEM.

SI quis homini libero violentiam iniuste fecerit, id est walapauz, LXXX. sol. ei componat. walapauz est dum quis alienum furtivum vestimentum induit, aut sibi caput latrocinandi animo, aut faciem transfiguraverit.

TITVLVS XII. DE INIVRIIS MVLIERVM.

I. REX ROTHARIS.

SI quis mulieri liberæ aut puellæ in via se anteposuerit, aut aliquam iniuriam intulerit, DCCCC. solidis componat: medietatem Regi, & medietatem cui ipsa iniuria illata fuerit, aut ad quem mundium de ea pertinuerit.

II. IDEM.

SI quis puellam aut mulierem liberam, quæ in alterius mundio est, fornicariam aut strigam clamaverit, & pulsatus pœnitens manifestaverit, se per furorem dixisse: tunc præbeat sacramentum, cum XII. sacramentalibus suis, quod per furorem ipsum nefandum crimen dixisset, & non de certa causa cognovisset. Tunc pro ipso vano improperii sermone, quod non convenerat loqui, componat sol. XX. & amplius non calumnietur. Nam si perseveraverit, & dixerit se probare posse, tunc per campionem causa, id est, per pugnam ad Dei iudicium decernatur. Et si probatum fuerit, quod illa de ipso crimine sit culpabilis, componat sicut in hoc edicto legitur: & si ille qui hoc crimen mittit, probare non potuerit, widrigild ipsius mulieris secundum nativitatem suam, componere compellatur.

III. IDEM.

SI mulier libera in scandalum concurrerit, ubi viri litigant; si plagas aut feritas factas habuerit, aut forsitan inpincta aut occisa fuerit, appretietur secundum nobilitatem suam, & sic componatur, tanquam si in fratrem ipsius mulieris perpetratum fuisset: nam altera culpa pro iniuria sua, unde DCCCC. sol. iudicantur, non requiratur, eo quod ipsa mulier ad litem concurrerit, quod inhonestum est mulieribus facere.

IV. REX LIVTPRANDVS.

SI quis furore accepto battiderit hominem liberum, vel mulierem liberam, aut puellam, quæ in scandalum, ubi viri litigant, venit: & per ipsas feritas ponderosi aut ponderosæ effecti fuerint: sicut & modo factum audivimus, componat medietatem pretii ipsius masculi, tanquam si eum occidisset: & de fœmina simili modo medietatē pretii, tanquam si fratrem eius occidisset: excepto si plagas aut feritas fecerit, comp. sicut anterius edictum continet.

V. IDEM.

SI quis dolose aut per superbiam, sicut & modo factum esse cognoscimus, mulierem aut puellam liberam sedentem ad necessitatem corporis sui, vel in alio loco, ubi ipsa fœmina pro sua necessitate nuda esse videatur, pungere aut percutere præsumpserit, componat ad mundualdum eius solid. LXXX. Si aldius aut servus fuerit, qui hoc facere præsumpserit, componat dominus eius sol. LX. & ipsam personam, qui hoc malum fecerit, tradere debet in manus mundualdi eiusdem fœminæ.

VI. IDEM.

ANnunciatum est nobis, quod aliquis perversus homo, dum se quædam fœmina in fluvio lavaret, pannos eius, quos ibi habuerit, totos tulisset, & ipsa remansisset nuda: & qui ibant & transibant per locum illum, pro peccatis videbant turpitudinem eius: ipsa autem in ipso fluvio semper stare non poterat, reverti autem ad casam suam nuda erubescebat. Proinde statuimus, quod qui talem illicitam præsumptionem fecerit, componat eidem fœminæ, cui talem turpitudinem illicitam fecerit, ipse widrigild suum: ideoque hoc dicimus, quia si invenisset eam frater, aut vir, aut propinquus parens, eidem fœminæ scandalum committeret, & qui superare potuisset unus alterum interficeret. Propterea melius est, ut vivus componat widrigild suum, quam de mortuo crescat faida inter parentes, & compositio maior non requiratur.

VII. IDEM.

SI quis invenerit liberam puellam aut mulierem per campum suum seminatum ambulantem, & viam indicantem, pignoret eam, & parentes aut mundualdus componat pro ipsa puella solid. VI. sicut lex est. Nam si ipsam comprehendere præsumpserit, & ad casam suam ligatam aut submanicatam adduxerit, componat sol. C. medium Regi, & medium cuius causa est: sic tamen ut illa compositio de VI. sol. in illa compositione computetur. Quod si pulsatus fuerit ille, in cuius mundio est mulier aut puella, qui asto animo & iniquo fœminam ipsam ambulare per laborē alterius fecisset, ut ei componeret, tunc præbeat sacramentum, quod non cupiditatem habendo de compositione ista, asto animo per laborem ipsius ipsam fœminam ambulare non fecisset, nec damnum asto animo faciendo. Et si iuraverit, tunc ipse qui eam comprehendere præsumpserit, componat solid. C. & si iurare non potuerit, parentes aut mundualdus ipsius fœminæ, ut supradictum est, componant sol. VI. pro via indicata, & ille qui eam comprehenderit, sit absolutus à culpa.

VIII. REX ASTVLPHVS.

PErvenit ad nos, quod dum quidam ad suscipiendam sponsam cuiusdam sponsi cum paranimphis aut trotingis ambularent, perversi homines aquam sordidam & stercoratā super ipsam iactassent. Sed quia cognovimus malum hoc per singula loca fieri, prævidimus ne pro hanc causam scandala

& ho-

& homicidia surgant: ut si quiscunq; liber homo liberæ mulieri talem rem facere præsumpserit, componat sol. DCCCC. medium Regi, & medium mundualdo eius. Nam si homines pertinentes sine voluntate domini sui hoc fecerint, & dominus per sacramentum se purificaverit, quod per eius consensum non fuisset factum, servi ipsi tradantur in manus mundualdi eius, & ipse faciat de eis quod ei placuerit, & amplius patronus calumniam non habeat. Quod si iurare non poterit, componat ut supra dictum est, sol. DCCCC.

TITVLVS XVII. DE AGGRESSIONE IN VICO FACTA, ET DE COLLECTIONIBVS RVSTICORVM.

I. REX ROTHARIS.

SI quis pro iniuria sua vindicanda super quemcunque hominem manu armata, aut cum exercitu, usque ad IIII. homines, in vicum intraverit, ille pro illicita præsumptione moriatur, aut componat solid. XXX. medium Regi, & medium ei, qui iniuriam passus est. Et illi qui cum ipso fuerint, si liberi sunt, unusquisque componat sol. LXXX. medium Regi, & medium ei, qui iniuriam passus: excepto si in ipso vico casam incenderit, aut hominem occiderit, secũdum quod appretiatus fuerit ita componat illi, cuius casa fuerit incensa, aut parentes aut servus occisus.

II. IDEM.

SI servi per cõsilium rusticanorũ manu armata in vicum intraverint ad malum faciendũ, & quicunq; homo liber sub regni nostri ditione positus cum illis consiliatus in capite fuerit, animæ suæ incurrat periculum, aut certè componat sol. DCCCC. medium Regi, & medium ei, cui iniuria illata fuerit, servi enim qui cum ipso fuerint ex eodem consilio, unusquisque componat sol. LX. medium Regi, & medium cui iniuria illata fuerit. Et si liber homo in capite non fuerit, ille prior servus, qui eos conduxit, moriatur: servi vero reliqui, qui cum eo fuerint ex eodem consilio, unusquisque servus XL. sol. pro eo componat, medium Regi, & medium cui malum fecerit.

III. IDEM.

SI pro quacunque causa homines rusticani se collegerint, id est consilium & seditionem facere præsumpserint, & cuicunque se anteposuerint, aut mancipium aut peculium de manu tulerint, quod de casa servi sui dominus tollere voluerit, tunc ille qui in capite fuerit ex ipsis rusticis moriatur: aut animam suam redimat, quantum appretiatus fuerit: & unusquisque qui in ipsam seditionem cucurrerit ad malum faciendum, componat sol. XII. medium Regi, & medium cui iniuria illata fuerit, aut se anteponere præsumpserit. Et si ille, qui rem suam quærere aut exigere videatur, ab ipsis rusticis feritas aut plagas factas habuerit, sicut superius statutum est, ei componatur: nam pro præsumptione tantum pœnam suprascriptam patiatur. Et si aliquis ex ipsis rusticis occisus fuerit, non requiratur: quia ille qui eum occiderit, se defendendo & res suas vindicando hoc egerit.

IV. REX LIVTPRANDVS.

SI homines in uno vico habitantes aliquam intentionem inter se habuerint de terra, vinea, prato, aut sylva, vel de alia re: & collegerit se una pars cum virtute, & dixerit, *eamus & expellamus eos de ipso loco per virtutem foras*, & ambulaverint, & scandalum ibi commissum fuerit, & plagæ vel feritæ factæ, aut homo occisus fuerit: ita decernimus, ut plagas aut feritas, & hominem mortuum, secundum anterius edictum, quod gloriosissimus Rex Rotharius, vel nos instituimus, componat. Sed pro illicita præsumptione de ipsa collectione componat solid. xx. ad illam partem, quæ in campo, aut in vinea, vel prato, aut in sylva suum laborem faciebat. Quod autem ideo statuimus, ut nullus præsumat malas causas in quolibetcunque loco excitare aut facere: & non potuimus causam istam assimilare ad arascild, nec ad consilium rusticanorum, vel ad seditionem: & plus nobis congruum patuit esse de consilio malo, id est de consilio mortis. Quia quando se colligunt, & super alios vadunt pro peccatis, ad id vadunt, ut faciant malum: aut si casus evenerit, ut hominem occidant, & plagas aut feritas faciant. Ideo ut diximus, assimilavimus causam istam ad consilium mortis, quod est, sicut supra diximus, sol. xx.

V. IDEM.

RElatum est nobis, quod aliqui perfidi homines, & in malitia astuti, dum per se non præsumpsissent manu forti aut violento ordine intrare in vicum, aut in casas alienas, timentes illas compositiones, quæ in edicto anteriori compositæ sunt, fecerunt colligere mulieres suas, quascunque habuerunt, sive liberas vel ancillas, & miserunt super homines, qui minorem habebant virtutem: & mulieres apprehendentes homines de ipso loco, & plagas aut feritas fecerunt, & aliqua mala violento ordine, plus crudeliter quam viri, exercuerunt. Dum autem hoc ad nos pervenisset, & homines ipsi pro sua violentia, qui minus poterant, interpellabant; ita prospeximus, in hoc edicto eodem modo affigere, ut si amodo mulieres hoc facere in qualicunque loco præsumpserint, primum omnium decernimus, si aliquam iniuriam, aut opprobrium, vel plagas aut feritas, aut mortem ibi acceperint, nihil ad ipsas mulieres, vel ad viros, aut ad mundualdos earum, componant illi, qui se defendendo aliquam eis fecerunt læsionem, aut interemptionem. Insuper & publicus qui est in loco, ubi factum fuerit, comprehendat ipsas mulieres, & faciat eas decalvare, & fustare per vicos vicinantes ipsius loci, ut ceteræ mulieres talem malitiam facere non præsumant. Et si in ipsa casa feritas aut plagas ipsæ mulieres cuicunque homini fecerint, mariti componant ipsas plagas aut feritas, quas ipsæ fecerint secundum tenorem edicti. Hoc autem ideo prospeximus, tàm de disciplina, quàm de compositione, quia non possumus mulierum collectionem ad arascild assimilare, neque ad seditionem rusticanorum: quia viri istam causam faciunt, non autem mulieres: & ideo de ipsis mulieribus fiat, sicut supra statuimus.

VI. IDEM.

SI quidem simpliciter in scandalum qualiscunq; mulier cucurrerit, & mortem, aut feritas, vel plagas ibi acceperit, sic fiat iustitia, sicut decessor noster Rotharius Rex instituit vel iudicavit.

VII. IMPERATOR KAROLVS.

DE sacramentis per gildoniam ad invicem coniurandis, ut nemo facere præsumat: alio vero modo de illorum alimoniis, aut de incendio, aut de naufragio, quamvis convenientiam faciant, nemo in hoc iurare præsumat.

VIII. IMPERATOR HLVDOICVS.

SI servi per contumaciam collecta multitudine vim intulerint alicui, id est, aut homicidium, aut incendium, aut qualecunque damnum fecerint, domini eorum, quorum negligentia evenerit hoc, pro eo quod constringere noluerint, ut talia facere non audeant, bannum nostrum solvere cogantur; id est, LX. sol. componant.

IX. IMPERATOR HLOTHARIVS.

VOlumus de obligationibus, ut nullus per sacramentum, nec per aliam obligationem adunationem faciat: & si hoc facere præsumpserit, tunc ille qui prius concilium inchoavit, & hoc factum habet, in exilio ab ipso Comite in Corsicā mittatur: & illi alii bannum nostrum, id est, LX. sol. componant: & si talis fuerit, qui non habeat unde componat, LX. ictus accipiat.

X. IDEM.

COllectam ad malum faciendum omnibus modis prohibemus fieri, & ubicunque huiusmodi præsumptiones factæ fuerint, digna emendatione corrigantur. Et si per negligentiam Comitis factæ sunt, vel non emendatæ remanserint, hoc ad nostram notitiam perferatur: auctor vero facti si fuerit advocatus, vel præpositus, sive sculdais, vel qualibet alia dignitate præditus, libera persona post legalem emendationem in loco factam, sub fideiussoribus ad nostram præsentiam veniat: multitudo vero, de liberis sive de servis sit, legitima emendatione mulctetur.

XI. IDEM.

DE conspirationibus considerandum est, ut quicunq; facere præsumpserit, & per sacramentum quamcunq; conspirationem confirmaverit, triplici ratione iudicentur. Primo ut ubicunq; tale malum perpetratum fuerit, actores facti interficiatur, adiutores vero eorum singuli alter ab altero flagellentur, & capillos suos vicissim, & nares suas invicem procidant: ubi vero nihil mali perpetratum est, similiter inter se flagellentur & capillos suos vicissim detundant. Si vero per dexteram aliqua conspiratio firmata fuerit: si liberi sunt, aut iurent cum idoneis iuratoribus, hoc per malum non fecisse, aut si facere non potuerint, suam legem componant. Si vero servi fuerint, flagellentur, ut de cetero in regno nostro, nulla huiusmodi conspiratio fiat, nec per sacramentum, nec sine sacramento.

TITVLVS XVIII. DE SEDITIONE CONTRA IVDICEM VEL CIVITATEM LEVATA.

I. REX LIVTPRANDVS.

SI quis sine voluntate Regis in qualicunque civitate contra iudicem suum seditionem levaverit, aut aliquod malum fecerit, vel eum sine iussione expellere quæsierit: aut alteri homines de altera civitate contra aliam civitatem, aut alium iudicem, ut supra, sine Regis iussione seditionem fecerint, aut eum expellere quæsierint, tunc is qui in capite fuerit, animæ suæ incurrat periculum, & omnes res eius ad palatium deveniant: reliqui vero homines, qui cum illo in malo consentientes fuerint, unusquisque componat in palatio widrigild suum. Et si casam cuiuscunque blutaverint, aut res eorum tulerint, qui eam in palatio tenent, aut ipsis qui fidem in palatio conservant, componat omnes res ipsas, quibus eas tulit, in octogilt: & widrigilt suum, ut diximus, componat in palatio. Hoc autem ideo prævidimus in præsenti edicti pagina scribere, ut malum vitium non crescat, sed amputetur, ut omnes in pace & gratia Dei, & Regis vivere valeant.

II. REX RATCHIS.

COgnovimus enim quod per singulas civitates mali homines zanas, id est adunationes, contra iudicem suum agentes faciunt. Sed ita statuimus, ut si amodo quicunque homo adunationem cum IIII. vel V. aut amplius hominibus fecerit, dicendo quod voluntatem iudicis sui non faciat, & quod ille recte dixerit, aut ad eius iudicium non vadat, confidens in alicuius patrocinio: & si alios circa se aggregare voluerit, ut ipsi similiter faciant, componat sicut anterius edictum, de seditione contra iudicem levata, continere videtur. Si vero de causa Regis aliquid dicere voluerit, sit ei licentia veniendi ad palatium: & si, supra quam dixerit veritatem, approbaverit, sit condemnatus, & suscipiat sententiam secundum qualitatem causæ, sicut anterius edictum continet. Et si veritatem approbare non potuerit, fiat ei datus in manibus cum rebus suis, & faciat de eo quod voluerit. Violentiam quidē si sustinuerit aliquis à iudice suo, aut ab alio homine, & iudex neglexerit iudicare, aut forsitan attenderit ad gasindium, aut ad parentes, aut ad amicum suum, vel ad præmium, & legem non iudicaverit: tunc veniat ad palatium, & reclamet suam violentiam, & si probatum fuerit, non computetur in adunatione ei, qui proclamaverit, sed ipse iudex componat widrigild suum, medium Regi, & medium cui iustitiam denegavit, & honorem suum amittat. Arimanus ille quidem si mentitus fuerit, & dolose hoc egerit, si ante venerit ad palatium, quam ad iudicis sui vadat iudicium, si habuerit unde componere possit, componat solidos quinquaginta, medium Regi, & medium iudici suo: & si talis homo fuerit, qui non habeat unde componere possit, accipiat disciplinam, ut emendatus fiat, & ut alii facere hoc non præsumant.

TITVLVS XIX. DE DAMNO IN VIA DATO, ET DE INCENDIO.

I. REX ROTHARIS.

SI quis casam alienam asto animo, quod est voluntarie, incenderit, in triplo eam, quod est sibi tertia sub æstimatione pretii cum omnibus quæ ibi cremata fuerint (secundum quod vicini homines bonæ fidei appretiaverint) restauret. Et si aliqua de hoc quod intrinsecus concrematum est, orta fuerit intentio, tunc ille qui damnum pertulit, iuratus dicat, quantum in eadem casa perdidit, & omnia, ut dictum est, in triplo restituentur ab illo, qui hoc malum voluntarie perpetraverit.

II. IDEM.

SI quis focum super novem pedes a foculare portaverit, & damnum ex ipso foco sibi aut alteri factum fuerit, ipse qui focum portavit, damnum ferquidum, id est simile componat, ideo quod nolendo fecit. Et si intra ipsos novem pedes, quod est de foculare damnum fieri sibi aut alteri contigerit, non requiratur.

III. IDEM.

SI quis focum foris in itinere fecerit, antequam egrediatur, extinguat eum, & non negligenter dimittat. Nam si contigerit post egressum ipsius alicui ex ipso foco damnum aut læsionem fieri, ipse qui focum fecerit, & negligenter eum dimisit, damnum sicut appretiatum fuerit, componat tantum: sic tamen, ut post relictum focum, a qua hora reliquerit, usq; ad aliam talem horam diei aut noctis computetur, quæ sunt horæ XXIIII. Nam si contigerit transire ipsum focum super publicam viam, aut rivum; si damnum fecerit, non requiratur ei, qui focum dimisit.

IV. IDEM.

SI quis molinum alterius asto animo incenderit, id est voluntarie, in triplum eum restituat, sub æstimatione pretii, cum omnibus quæ intus cremata sunt.

V. IDEM.

SI quis molinum alterius scapellaverit, aut clausuram ruperit, sine auctoritate iudicis, componat solid. XII. illi, cuius molinum esse invenitur. Et si iudicem interpellaverit, & iudex dilataverit ipsam causam deliberare, aut licentiam dederit adversæ parti ipsum molinum evertendi, componat sol. XX. in palatio Regis districtus ab stolizaz.

VI. IDEM.

SI quis ploum aut aratrum alienum iniquo animo scapellaverit, componat solidos quatuor; & si furatus fuerit, componat in octogilt.

VII. IDEM.

SI quis vitem alienam de una fossa asto animo scapellaverit, componat solidum unum: si autem succiderit, componat sol. III. Si quis tranicem de vitæ aliena inciderit, componat medium sol.

VIII. IDEM.

SI quis roborem, aut quercum, seu cerrum, quod est modo laiscum, aut glandem, quod est faia, inter agrum alienum, aut inter culturam vel clausuram in cuius vicino inciderit, componat pro arbore tremissos duos. Nam si iterans homo propter utilitatem suam foris clausuram scapellaverit, non sit ei culpa. Si quis castaneam nucem, pirum, aut malum inciderit, componat solid. III. Si quis olivam scapellaverit, componat sol. III.

IX. IDEM.

SI homo aut quodlibet peculium in sæpe alterius, texta cum vimine, se impinxerit, & mortuus, aut aliquam læsionem passus fuerit: tunc ille qui sepem ipsam fecit, & caput maius aut minus de vimine foris dimiserit, ipse sit culpabilis homicidii, aut læsionis.

X. IDEM.

SI caballus aut quodlibet peculium in clausuram alterius intus saliendo se impalaverit, non requiratur ab ipso cuius sepis est. Et si ab infra foras saliendo se impalaverit, tunc ille cuius sepis esse invenitur, eum componat: & si damnum infra ipsam clausuram fecerit, componat ei, cuius clausura est.

XI. IDEM.

SI quis fossatum circa campum suum fecerit, & caballus aut quodlibet pecus inciderit, aut homo periclitaverit, non requiratur ab ipso, cuius fossatum esse invenitur: quia pro salvatione campi sui fecit, nam non dolose tractaverit. Si eum occulte cooperuit, & damnum factum fuerit, componat ipse qui occulte fecit.

XII. IDEM.

SI animal in puteo alterius ceciderit, & mortuum aut debilitatum fuerit, non requiratur cuius puteus est: quia putei aqua communis omnium utilitatibus invenitur esse.

XIII. IDEM.

SI quis cervum domesticum alienum, qui non rugit, intricaverit, componat domino eius sol. VI. nam si furatus fuerit, reddat in octogild. Si quis cervum domesticum, qui tempore suo rugire solet, intricaverit, componat domino eius sol. XII. nam si furatus fuerit, reddat in octogilt.

XIV. IDEM.

SI quis accipitrem, gruam, aut cignum domesticum alienum intricaverit, componat sol. VI. nam si furatus fuerit, reddat in octogild.

XV. IDEM.

SI quis peccatis imminentibus homo rabiosus aut dæmoniacus factus fuerit, & damnum fecerit in homine, aut quolibet peculio, non requiratur ab heredibus eius: & si ipse occisus fuerit, simili modo non requiratur: tantum est, ut sine culpa non occidatur.

XVI. IDEM

XVI. IDEM.

SI quis se vindicando occiderit canem alienum cum spatha, aut virga, aut quibuslibet armis manu tenendo, non requiratur: tantum est ut ipsa virga talis inveniatur, ut mediocris spatha. Nam si post ipsum iactaverit, & eum occiderit, reddat ferquidum, id est similem. Si quis canem alienum, nocte aut die damnum facientem, invenerit in casa sua: si eum occiderit, non requiratur, & si occisus non fuerit, damnum quod fecerit, dominus reddat.

XVII. IDEM.

SI quis percusserit equam prægnantem, & abortum fecerit, componat solid III. Si autem ex ipsa percussura mortua fuerit, componat eam, simul & quod in utero eius mortuum est.

XVIII. IDEM.

SI quis percusserit vaccam prægnantem, & abortum fecerit, componat tremissem unum. Et si mortua fuerit, reddat eam qualiter appretiata fuerit, simul quod in utero eius mortuum est.

XIX. IDEM.

SI quis percusserit ancillam gravidam, & abortum fecerit, componat sol. III. Si autem ex ipsa percussura mortua fuerit, componat eam, simul & quod in utero eius mortuum est.

XX. IDEM.

SI quis caballo alieno aurem vel oculum excusserit, aut aliquam læsionem corporis fecerit, recipiat ipsum qui læsus factus est, & reddat ei ferquidum, id est similem. Si quis caballo alieno caudam capellaverit, id est setas traxerit, componat sol. VI.

XXI. IDEM.

SI quis caballum alienum plagaverit, aut aliquam læsionem fecerit, tunc dominus caballi reddat ipsum caballum illi homini, qui læsionem fecit, ut ipse eum sanet: & dum ipse sanare potuerit, det illi suum proprium caballum, qualiter utilitatem suam faciat. Et si ipse caballus, qui læsus fuerit, ad pristinam redierit sanitatem, reddat ipsum proprio domino: si autem ex ipsa læsione mortuus fuerit, reddat alium similem. Et si contigerit, ut ipse caballus qui pignoratus est, apud ipsum moriatur, tunc satisfaciat ille qui pignoratum habuit, si pulsatus fuerit, quod non per illius negligentiam mortuus fuerit, & postea nulla sit repetitio.

XXII. IDEM.

SI quis caballos aut armenta asto animo in messem alienam, aut in pratum miserit, aut in quodlibet damnum, componat I. sol. pro capite: excepto damno sicut appretiatum fuerit, aut loci consuetudo est. Sic tamen si pastor non ausus fuerit iurare, quod asto animo non misisset: & si iuraverit, sit absolutus à culpa, tantum damnum componat.

XXIII. IDEM.

SI quis campum alienum asto animo cum peculio suo deleverit, aut spicas manibus evulserit, componat sol. VI.

XXIV. IDEM.

SI quis porcos aut pecora asto animo in damnum alterius miserit, si ausus non fuerit iurare, componat sol. I. excepto damno.

XXV. IDEM.

SI quis cassinam aut tectum alienum foris in curte, ubi viri non habitant, dum intentio est de terra, disturbaverit, aut in terram iactaverit, & terram suam, sicut lex habet, convincere non potuerit, restauret ipsam cassinam, & componat aliam talem sub æstimatione pretii. Nam si casam ubi viri habitant disturbaverit, componat sicut in hoc edicto legitur aratraib, id est, sibi tertiam.

XXVI. REX LIVTPRANDVS.

SI quis stallariam alterius capellaverit, componat ei, cuius stallaria fuerit, solid. VI.

XXVII. IMPERATOR HLVDOICVS.

VOlumus, ut si quælibet persona in finibus regni nostri ignem in sylva comminare ausa fuerit, diligenter inquiratur: & si servus comprobatus fuerit hoc fecisse, dominus eius ad flagellandum, & caput tondendum, eum tradat, aut pro eo quidquid damni fecerit, emendare cogatur. Si aliqua libera persona hoc fecisse probata fuerit, emendare cogatur, & insuper bannū nostrum componat: & si non habuerit unde componat, flagelletur. Quod si factum fuerit, per meliores illius loci inquiratur, & si in qualibet persona suspectio fuerit. Si servus est, aut dominus eius mittat eum ad iudicium, aut ipse pro eo sacramentum faciat: quod si libera persona fuerit, proprio sacramento se idoneam reddat.

TITVLVS XX. DE EO QVI CVM ARMIS ALTERIVS DAMNVM FECERIT.

I. REX ROTHARIS.

SI quis alii arma sua simpliciter præstiterit, & ille qui acceperit, aliquod malum cum ipsis fecerit, non reputetur illi culpa, qui præstiterit, sed ei, qui malum cum eis perpetraverit. Et è contrario, si ille qui præstiterit, consensum ad malum faciendum adhibuit, collega sit illi ad ipsum malum sanandum.

II. IDEM.

SI quis sua auctoritate arma alterius tollere præsumpserit, & malum cum eis fecerit, non sit illi culpa cuius arma sunt: sed illi, qui cum eis malum fecerit.

TITVL.

TITVLVS XXI. DE PAVPERIE.

I. REX ROTHARIS.

SI quis canes alienos clamaverit, aut incitaverit, & damnum fecerit in homine aut in peculio, non reputetur illi culpa cuius canes sunt, sed illi qui eos incitaverit.

II. IDEM.

SI canis, aut caballus, aut quodlibet peculium rabiosum factum fuerit, & damnum fecerit in homine aut in peculium, non requiratur à domino: & qui ipsum occiderit, simili modo non requiratur ut supra. De quadrupedibus, si in homine aut in peculium damnum fecerit, ipse componat damnum, cuius fuerit pecus.

III. IDEM.

SI caballus cum pede, bos cum cornu damnum fecerit, vel si porcus cum dente hominem intricaverit, aut si canis momorderit, excepto ut supra rabiosus fuerit, ipse, componat damnum aut homicidium, cuius animal fuerit, cessante in hoc capitulo faida, quod est inimicitia, quod muta res fecit, non hominis studium.

IV. IDEM.

SI quis præstitum aut conductum habuerit caballum, vel bovem, aut canem, vel quodlibet peculium, & dum in ipso beneficio & conductura est, homicidium fecerit, aut damnum, non requiratur proprio domino, sed illi qui conductum aut præstitum habuit, & ipsum homicidium aut damnum componat.

V. IDEM.

SI animal alicuius alienum animal occiderit, aut intricaverit, id est bos bovem, aut quodlibet peculium, tunc dominus qui suum animal intricatum invenerit, aut forsitan iam marcidum aut minuatum, iubemus ut consignet ipsum marcidum aut intricatum illi, cuius animal eum intricavit, & similem qualem in illa die fuerit, quando intricatum est, recipiat ab ipso cuius animal hoc fecerit.

VI. REX LIVTPRANDVS.

ITem relatum est nobis, cum quidam homo præstitisset iumentum suum alteri homini ad vecturam, & pullus indomitus secutus fuerit matrem suam: dum autem per viam ambularet, contigit ut infantes in quodã vico stantes ipse pullus calce percussisset, & unus ex eis mortuus est. Dum autem parentes requirerent mortem infantuli, & nobis retulissent, ita prospeximus cum nostris iudicibus, ut duas partes pretii, quantum ipse valuerit infans, componat ille cuius pullus fuerit: & tertiam partem componat ille, cui iumentum præstitum fuerit. Nam nos scimus, quod in anteriori edicto legitur: si caballus cum calce damnum fecerit, dominus eius restituat ipsum damnũ; sed quod iste præstitus fuerit, & ipse qui eum susceperit in præstito rationalis homo fuit: & potuit dicere, si neglectum non habuisset, ad ipsos infantes, ut se custodirent, ut hoc malum non proveniret: ideo pro ipsa negligentia eis iustum diximus, ut tertiam partem pretii componat.

TITVLVS XXII. DE VENATIONIBVS ET DE DAMNO QVOD PER EAS ACCIDERIT.

I. REX ROTHARIS.

SI quæ fera ab homine plagata fuerit, & in ipſo furore hominem occiderit, aut quodlibet damnum fecerit, tunc ipſe qui plagaverit, ipſum homicidium aut damnum componat; ſub ea videlicet obſervatione, ut tamdiu intelligatur culpa eſſe venatoris, quamdiu eam perſecutus fuerit, aut canes ipſius. Nam ſi ipſam feram poſtpoſuerit, & ſe ab ea tornaverit, poſtea quod fera ipſa damnum fecerit, non requiratur ab ipſo, qui plagaverit aut incitaverit.

II. IDEM.

SI in pedica aut in taliola fera tenta fuerit, & in homine aut in peculio damnum fecerit, ipſe componat qui pedicam miſit.

III. IDEM.

SI quis ſuper feram ab alio plagatam, aut in taliola tentam, aut à canibus circumdatam iter ſuum poſtpoſuerit, & volens eam lucrari, ſuper eam ſe miſerit, & ab ipſa fera plagatus vel occiſus fuerit, non requiratur ab ipſo qui plagaverit, aut incitaverit: ſed ſuæ culpæ reputet & audaciæ, quod cum auctoritate ſua lucrandi animo ſe ſuper eam miſit.

IV. IDEM.

SI quis feram ab alio vulneratam, aut in taliola tentam, aut à canibus circumdatam invenerit, aut forſitan mortuam, aut ipſe occiderit, & ſalvaverit, & bono animo manifeſtaverit, liceat de ipſa fera tollere dextrum armum cum VII. coſtis.

V. IDEM.

SI quis feram ab alio plagatam, aut forſitan mortuam, invenerit & cœlaverit, componat ſol. VI. illi, qui eam plagavit.

VI. IDEM.

SI cervus aut quælibet fera ab aliquo homine ſagittata fuerit, tamdiu illius eſſe intelligatur, qui eam ſagittaverit, aut vulneraverit, uſque ad aliam talem horam diei aut noctis, quæ ſunt horæ XXIIII. quando eam poſtpoſuerit, & ſe ab ea tornaverit: nam qui eam poſt tranſactas horas prædictas invenerit, non ſit culpabilis, ſed ſibi habeat ipſam feram.

VII. IMPERATOR KAROLVS.

VT nemo pedicas in foreſto dominico, nec in quolibet regali loco tendere præſumat: & ſi ingenuus hoc perpetraverit, bannum dominicum ſolvat: & ſi ſervus eſt, dominus illius emendet, ſicut lex eſt.

TITVLVS XXIII. DE EO QVI PECVLIVM IN DAMNO INVENERIT.

I. REX ROTHARIS.

SI quis caballum alienum, aut quodlibet peculium, damnum sibi facientem invenerit, ipsumque in curte clauserit, & non venerit certus dominus qui eum cognoscat: tunc ille qui eum in damno invenerit, ducat eum ad iudicem qui in loco ordinatus est, aut certè ante Ecclesiam in conventum, usque ad quartam vel quintam vicem, & *omnibus voce præconia innotescat, quod caballum inveni, & nescio cuius sit*: & si non venerit, qui eum cognoscat, iubemus ut ille, qui invenerit, caballicet & custodiat eum, tanquam suum proprium. Et si mortuus fuerit, signa de corio conservet: ut cum venerit certus dominus, habeat quod ei ostendat. Nam si ista neglexerit, & inventum fuerit, sibi alterum similiter reddat: & si istam cautelam observaverit, sit absolutus à calumnia.

II. IDEM.

SI quis peculium de damno suo ad clausuram minaverit, & ille, cuius peculium est, ei antesteterit, componat sol. I. excepto damno sicut arbitratum fuerit. Et si in curte minaverit, ille cuius peculium est, roget eum ut reddat illi: sic tamen, ut det ei pignus per ultimum, valens siliquas III. aut certè fideiussorem sub tali titulo, ut damnum quod arbitratum fuerit, componat secundum fabulam, qualiter intra vicinos ipsos est: & si pignus suscipere noluerit, & una nocte apud se peculium habuerit, componat solid. I. Et si ille, cuius peculium est, tenens duritiam cordis, id liberare despexerit, tunc habeat ille id peculium, qui in damno invenerit, & per novem noctes aquam ei tantum det, & de damno in hoc sit contentus, eo quod novem noctes ipsum peculium tenuit: & si de ipsis peculiis aliquod mortuum fuerit, suæ negligentiæ reputet, qui dispignorare neglexerit.

III. IDEM.

DE porcis, si in esca alterius paverint, & inventi fuerint, si minus sunt X. non occidantur, nec unus de ipsis: sed ille qui eos invenerit, teneat unum ex ipsis, & habeat salvum: & componantur ei per porcos siliquæ III. Nam si supra X. fuerint, aut usque ad decem, unus mediocris occidatur, & non requiratur. Nam si minus decem fuerint, & occiderit unum, reddat ferquidum, id est, similem.

IV. IDEM.

SI quis in prato porcos fossas facientes invenerit, unum aut plures, occidatur unus tantum, & non requiratur.

V. REX LIVTPRANDVS.

SI quis carrum & boves in sylva sua invenerit, & lignamen superpositum, aut qualicunque re oneratum, & ipsos boves aut carrum comprehenderit, & ad propriam suam casam duxerit, non sit culpabilis pro eo, quod in rebus suis invenerit.

VI. IDEM.

SI quis caballum alienum in suum damnum invenerit, & iuxta anterius edictum ad clausuram minaverit, & illam rationem fecerit, quam anterius edictum continet, sic exinde procedat iudicium sicut gloriosissimus Rex Rotharis instituit. Nam si in ipso caballo amplius aliquid facere præsumpserit, quam in anteriori edicto legitur, si ipse caballus nihil mali passus fuerit, componat pro illicita præsumptione, iuxta qualis ipse caballus fuerit, medium pretii, quantum ipse caballus appretiatus fuerit, & ipsum caballum restituat sanum domino eius. Nam si ipse caballus mortuus fuerit, aut læsus sit, componat sicut in anteriori edicto legitur, & insuper pro illicita præsumptione componat ut supra.

VII. IDEM.

SI quis porcos in sylva aliena defensata miserit, sicut anterius edictum continet, usque ad x. porcos, & occiderit porcum unum, sic sit, sicut in anteriori edicto continetur. Siquidem tantum decem invenerit, & plus occiderit, quam edictum habet, componat eum in octogilt, sicut qui res alienas malo ordine tollit. Nam si ille homo, qui porcos habet, amplius miserit asto animo suos aut alienos in defensata sylva, quam quod edictum habet, & ille cuius sylva est occiderit ex ipsis plusquam edictum continet, non requiratur. Et si ille qui porcos misit, iurare præsumpserit, quod asto animo non misisset, sine voluntate ipsius domini reddat ille, qui occiderit, ipsos porcos ferquidos. Et si de pastore suo similiter iuraverit, similiter reddat: nam si de pastore suo asto animo iurare non potuerit, medium reddat, & medium reputat sibi, quod servum habuit indisciplinatum.

TITVLVS XXIV. DE HOMINE IN CVRTE ALIENA NOCTIS TEMPORE INVENTO: ET DE CVRTIS RVPTVRA.

I. REX ROTHARIS.

SI noctis tempore homo liber in curte alterius inventus fuerit, non dans manus ad ligandum, si occidatur, à parentibus non requiratur: & si manus dederit ad ligandum, & ligatus fuerit, debet pro se sol. LXXX. Quia non convenit rationi, ut liber homo noctis tempore in curte aliena silentio aut absconse ingrediatur, sed si quam utilitatem habet, antequam intret, clamet.

II. IDEM.

SI servus in curte aliena noctis tempore inventus fuerit, non dans manus ad ligandum, si occisus fuerit, non requiratur à domino suo: & si manus dederit ad ligandum, & ligatus fuerit, liberet eum dominus cum sol. XL.

III. IDEM.

SI quis in curte alterius irato animo sagittaverit, aut lanceam iactaverit, aut foris sepe alium plagaverit intra curtem, comp. sol. XX. excepta compositione plagarum aut feritarum si fecerit, sicut in hoc edicto legitur, comp.

IV. IDEM.

IV. IDEM.

SI quis in curte aliena asto animo intraverit, xx. solid. illi componat, cuius curtis fuerit.

V. IDEM.

MVlier curtis rupturam, quod est oberos, facere non potest: quod absurdum esse videtur, ut mulier libera aut ancilla, quasi vir cum armis vim facere possit.

VI. IDEM.

SI quis peculium suum de clausura aliena tulerit occulte, & non rogaverit, componat curtis rupturam, id est oberos, sol. xx.

TITVLVS XXV. DE FVRTIS ET SERVIS FVGACIBVS, ET DE ADVENIS HOMINIBVS, ET SI QVIS EIS AVXILIVM PRAESTITERIT.

I. REX ROTHARIS.

SI quis per murum castri aut civitatis, sine notitia iudicis sui, exierit aut intraverit: si liber est, sit culpabilis in curte Regis, solid. xx. Si autem aldius aut servus fuerit, sit culpabilis in curte Regis, sol. x. & si furtum fecerit, sicut in hoc edicto legitur, componat pœnam furti.

II. IDEM.

SI liber homo furtum fecerit, & in ipso furto tentus fuerit, id est fegangi, si furtum ipsum usque ad decem siliquas fuerit, sibi nonum reddat, & componat pro tali culpa LXXX. sol. aut animæ suæ incurrat periculum.

III. IDEM.

SI quis servus furtum fecerit, & tentus fuerit in ipso furto usque ad x. siliquas, sibi nonum reddat, & componat pro tali culpa solidos XL. aut certe occidatur.

IV. IDEM.

SI quis per proditorem, id est per certum indicatorem, furtum invenerit, sibi nonum reddat, qui furtum fecerit, ei cui factum fuerit.

V. IDEM.

SI servus dum in fuga est, furtum aut damnum fecerit, & in ipsa fuga foris provinciam migraverit, & non redierit, tunc dominus servi medium pro ipsa re, quam furatus fuerit, aut damnum si fecerit restituat: nam si regressus fuerit in potestate domini sui, tunc de quanto tulerit, tantum dominus eius in integrum reddat: cessante in hoc capitulo pœna furti, eo quod in fuga fuerit.

VI. IDEM.

SI mulier libera fulfreal super furtum comprehensa fuerit, furtum quod fecerit sibi nonum reddat: nam alia culpa non requiratur, pro eo quod

iniuriam suam passa est: sed vitium suum sibi reputet, quia operam indecentem facere tentavit.

VII. IDEM.

SI aldia aut ancilla super furtum tenta fuerit, componat dominus eius furtum ipsum nonum sibi, excepto pro culpa sol. XL.

VIII. IDEM.

SI liber homo puerum aut servum furtum facere iusserit, & ipsum furtum inventum fuerit, sibi nonum componat, & alterum tantum in curte Regis persolvat: quia inhonestum esse videtur, & nulli convenit rationi, ut homo liber debeat in furtum se commiscere, aut consensum præbere.

IX. IDEM.

SI quis aurum, aut vestem, aut quamlibet rem, in viam invenerit, & super genuculum levaverit, & non manifestaverit, aut ad iudicem non dixerit, sibi nonum reddat.

X. IDEM.

SI servus ancillam alienam habens uxorem, furtum fecerit, & ancillam & filios servus alienus nutrierit, omne furtum quod fecit servus, dominus componat: nam nihil computetur in damnum, nec in culpam illius ancillæ, vel filiorum eius. Tantum est, ut ancilla & filii similiter cum patre ad furtum faciendum non ambulaverint: nam si fecerint, similes illi efficiantur.

XI. IDEM.

SI servus dum in fuga est positus, res aliquas cuicunque homini commendaverit, & postea proprius dominus requisierit eas: & ille qui susceperit, denegaverit, & postea inventæ fuerint, pro furto eas reddat.

XII. IDEM.

SI plures homines furtum in unum fecerint, tam liberi quam servi, liceat eis, si voluerint, se adunare, & furtum ipsum in octogilt reddere: & si ex ipsis aliquis se subtraxerit, pro se tantum legibus componat, id est furtum sibi nonum reddat.

XIII. IDEM.

SI liber aut servus voluerit foris provinciam fugere, & iudex, aut quicunque in loco aut finibus provinciæ residet, eum comprehenderit, teneat eum, & res, quas secum tulerit, salvas faciat: & mox mandet ad iudicem de loco, unde fugere cœpit, quatinus eum recipiat, & det pro uno fugace sol. II. ita ut cum rebus, quas secum detulerit, reddatur. Et si contingerit fugere de ligamine præbeat sacramentum ille, qui eum tenuit, quod non asto animo eum laxasset, sed cum tota virtute eum custodire voluisset, & post datum sacramentum res, quas secum tulerit, reddat: præhensuram autem non requirat, & amplius non calumnietur. Et si fugax ille manus ad ligandum non dederit, & occisus fuerit, non requiratur, nisi tantummodo res quas tulerit reddantur. Et si ille, qui fugacem hominem comprehendere voluerit, ab ipso occisus fuerit, non requiratur.

XIV. IDEM

XIV. IDEM.

SI quis portunarium pulsaverit, quod fugacem hominem aut furem transposuisset, & portunarius negaverit, ita decernimus, ut præbeat sacramentum solus, quod ad conscientiam ipsius non pervenisset, quod fugitivum hominem aut furem transposuisset: & sit absolutus à culpa.

XV. IDEM.

SI portunarius furem hominem sciens transposuerit, cum aliqua re furtiva, collega furis sit, & cum eo ipsum furtum componat: excepto quod sit culpabilis in palatio Regis sol. xx.

XVI. IDEM.

SI portunarius mancipium fugitivum sciens transposuerit, si probatum fuerit, perquirat eum, & proprio domino cum rebus, quas secum detulerit, restituat. Et si ipse fugax alibi transmigraverit, ut non inveniatur, tunc portitor ipsum mancipium, simul & res quas secum detulerit, de quanto ausus fuerit iurare, qui perdit ab ipso qui sciens transposuerit, reddat sub æstimatione pretii: excepto pro culpa componat ipse portunarius in curte Regis solid. xx.

XVII. IDEM.

SI portunarius hominem liberum sciens transposuerit fugacem, & cognoverit quod fugax est, animæ suæ incurrat periculum, aut componat widrigilt suum. Quia postquam cognovit, quod fugax erat, si eum tenere non potuerit, mox innotescere aut ante currere debuit.

XVIII. IDEM.

SI mancipium cuiuscunque post alium hominem fugerit, & dominus secutus invitaverit, ut in pace reddatur: & si in gratia, & in pace redditum fuerit, & postea dominus pro ipsa culpa in eum vindictam dederit, componat solid. xx. illi, de cuius curte id tulerit: & si denegaverit, quod in eum vindictam non dedisset, præbeat sacramentum solus sine aliis sacramentalibus ad Evangelia, & sit absolutus à culpa.

XIX. IDEM.

SI ille, post quem mancipium alienum fugerit, & noluit id reddere post secundam & tertiam contestationem domino suo, tunc constrictus restituat ipsum mancipium, & aliud simile sub æstimatione pretii componat.

XX. IDEM.

SI mancipium cuiuscunque in curte Regis confugium fecerit, & gastaldius aut actor Regis post secundam & tertiam contestationem reddere dilataverit: ita iubemus, ut reddat ipsum mancipium, & aliud simile de suis propriis rebus domino, cui dilataverit, reddere cogatur. Et si ille, qui de curte Regis ipsum mancipium in gratia recepit, & postea pro ipsa culpa in id vindictam dederit, componat in curte Regis, unde id tulerit, solid. XL. si se idoneare non potuerit.

XXI. IDEM.

SI in Ecclesia aut in domo Sacerdotis mancipium cuiuscunq; confugium fecerit, & Episcopus aut Sacerdos qui in eo loco præest, id reddere in gratia post secundam & tertiam contestationem dilataverit: ita decernimus, ut reddat ipsum mancipium, & aliud simile de suis propriis rebus, ut supra. Et si in gratia redditum fuerit, posteaquam dominus pro ipsa culpa in eum vindictam dederit, aut se idoneet ut supra, aut sit culpabilis ipsi Ecclesiæ sol. XL. ita ut per actorem Regis exigantur, & in sacro altari, ubi iniuria facta est, ponantur.

XXII. IDEM.

SI servus intra provinciam in fuga vagaverit, & dominus eum invenerit, & servus ipse fugerit in curtem alienam, & dominus sequens eum apprehenderit: non reputetur culpa domino pro eo, quod in curte alterius, furorē in servum suum habens, rem suam apprehendere visus est. Et si ille, cuius curtis fuerit, aut aliquis ex hominibus illius, mancipium de manibus eius tulerit, aut antesteterit, nullum penitus, qui sequitur servum suum, in curte ipsa scandalum faciat, & si fecerit, qualiter in hoc edicto legitur, componat. Et qui antesteterit, aut servum de manu tulerit, in ipsius sit periculum: nam si casu faciente ipsum mancipium mori, aut alibi aberrare contigerit, ipse qui eum de manu domini abstulerit aut antesteterit, restituat. Et si inventum fuerit, reddatur, & non cogatur dominus post talem fatigationem eum recipere in gratia, nisi voluerit.

XXIII. IDEM.

SI quis mancipium fugax in casa sua nesciente domino super novem noctes habuerit, & contingerit ipsum mancipium aliquid mali perpetrare, aut mori, aut aberrare: ille qui id susceperit & cœlaverit, & mandare neglexerit, reddat ipsum mancipium, aut pretium eius domino eius, & damnum quod fecerit, ipse componat, qui id apud se habuerit.

XXIV. IDEM.

SI alienum mancipium post alium hominem confugium fecerit, id est in faida, mox mandet domino ipsius, quam citius poterit, aut per scriptum, aut per certum hominem, quatenus id in gratia recipiat: & si noluerit id recipere, & dilataverit, & contigerit id alibi transmigrare, nulla culpa illi sit, qui prius ipsum in casa sua habuerit: nam qui susceperit, & non mandaverit, reddat ipsum mancipium, & damnum, cui fecerit, simul & operas.

XXV. IDEM.

SI quis mancipium alienum sciens fugax esse, nesciente domino susceperit, aut annonam dederit, aut ostenderit viam, aut transposuerit: & mancipium ipsum fuga lapsum inantea fugerit: ipse id perquirat, qui ei annonam dederit, aut viam ostendere præsumpserit. Et si id non invenerit, reddat pretium mancipii, simul & res quas secum portavit: & si inventum fuerit, reddat ipsum, simul & operas eius.

XXVI. IDEM.

SI quis de lignario alterius lignum furatus fuerit, componat ei, cuius lignarium fuerit, sol. VI.

XXVII. IDEM.

SI quis de casa erecta lignum quodlibet aut scindulas furatus fuerit, componat sol. VI.

XXVIII. IDEM.

SI quis de lignamine adunato in curte, aut in platea, ad casam faciendam lignum furatus fuerit, componat sol. VI. si autem in sylva dispersum fuerit, & furatus fuerit, componat in octogilt.

XXIX. IDEM.

SI quis in hortum alterius intraverit, aut salierit, ad furtum faciendum, componat solid. VI. nam si pro sua re ingreditur, & damnum non fecerit, non sit culpabilis.

XXX. IDEM.

SI quis sepem alienam ruperit, id est derzon, componat sol. VI. Si quis assem de sepe assiata unam aut plures tulerit, componat solid. I. Si quis de sepe stantaria facta vimen tulerit, componat sol. I. si autem perticas transversarias tulerit, componat solid. III.

XXXI. IDEM.

SI quis tintinnum alterius desuper caballo aut bove furatus fuerit, componat solidos sex.

XXXII. IDEM.

SI quis iugum furatus fuerit, componat sol. VI.

XXXIII. IDEM.

SI quis sogas furatus fuerit de bove iunctorio, componat sol. VI. Et si qualemcunque rem mediocrem furatus fuerit, unde VI. sol. aut minus in hoc edicto iudicantur, si fur ipse supra furtum tentus fuerit, non sit fegangi, sed tantum componat, sicut supra constitutum est.

XXXIV. IDEM.

SI quis vitem expoliaverit, id est amminicula tulerit super III. aut IIII. sit culpabilis, sol. VI. Si quis palum, quod est carratium de vite tulerit, componat sol. VI. Si quis super tres uvas de vinea aliena tulerit, componat sol. VI. nam si usque III. tulerit, nulla sit ei culpa.

XXXV. IDEM.

SI quis capistrum de capite caballi tulerit, componat sol. VI. Si quis pastorium de caballo alieno tulerit, componat sol. VI.

XXXVI. IDEM.

SI quis rete alienum aut nassam levaverit, aut de piscaria aliena pisces tulerit, componat sol. VI.

XXXVII. IDEM.

SI quis de apiculari vas cum apibus furatus fuerit, unum aut plura, componat sol. XII. Si quis de arbore signata in sylva alterius apes tulerit, componat sol. VI. nam si signata non fuerit, tunc quicunque invenerit, iure naturali habeat sibi, excepto de gaio Regis: & si contingerit ut dominus, cuius sylva est, supervenerit, tollat mel, & amplius non requiratur ei calumnia.

XXXVIII. IDEM.

SI quis accipitres de sylva alterius tulerit, excepto de gaio Regis, habeat sibi: nam si dominus sylvæ supervenerit, tollat accipitres, & amplius culpa adversus eum non requiratur. Et hoc idem iubemus, ut si quis de gaio Regis accipitrem tulerit, sit culpabilis Regi, sol. XII. Si quis de arbore signata in sylva alterius accipitrem de nido tulerit, componat sol. VI.

XXXIX. IDEM.

SI quis canem alienum furatus fuerit, nonum sibi reddat.

XL. IDEM.

SI lupus animal cuiuscunque occiderit, & aliquis id nesciente domino suo excoriaverit, & cœlaverit, & per proditorem suum inventum fuerit, componat, sol. XII.

XLI. IDEM.

SI in flumine animal cuiuscunq; mortuum fuerit, aut ubicunque: & alius homo, cuius non fuerit, excoriaverit, componat sol. XII.

XLII. IDEM.

SI quis caballum alienum ascenderit, & intra viciniam tantum caballicaverit, id est per ipsum vicum, componat sol. II. nam si in antea eum caballicaverit, & dominum eius non rogaverit, in octogilt eum reddat.

XLIII. IDEM.

SI quis caballum alienum apprehenderit, ipsumque diffiguraverit, aut circinaverit, furti pœna sit culpabilis in octogilt.

XLIV. IDEM.

SI quis caballum alienum, aut quodlibet peculium, credens suum esse, apprehenderit, & dominus eius eum cognoverit, & calumniam generare voluerit, ita decernimus, ut præbeat sacramentum ille, qui eum tenuit, quod non asto animo, nec aliqua causa faciente, eum apprehendisset, sed credens suum fuisse, sit absolutus à culpa furti, & reddat ipsum caballum proprio domino illæsum: si autem non præsumpserit iurare, reddat eum in octogilt. Quia postquam cognovit, quod suus non fuisset, mox debuit proprio domino innotescere: nam si eum, postquam cognovit quod suus non fuerit, ascenderit, sit culpabilis solid. II. ut supra.

XLV. IDEM.

SI hominem iterantem caballus aut quodlibet peculium secutum fuerit, & ille quem sequitur in ligamine, aut in clausura miserit, ipse id salvum faciat, sicut supra constitutum est, ut venienti proprio domino restituat: nam si sequi cœperit, & se de via tornaverit, nulla sit ei culpa, quem sequi cœperat. Nam si ille quem sequitur, eum absconse habuerit, aut eum vendiderit, componat ipsum caballum in octogilt.

XLVI. IDEM.

SI quis ab alio homine rogatus fuerit caballum aut quodlibet peculium perditum quærere, signaq; ei dictaverit, & ille qui rogatus fuerit, forsitan caballum aut peculium per errorem comprehenderit, si venerit proprius dominus, & calumniam generare voluerit: ita prospeximus, ut ille qui per errorem comprehenderit, præbeat sacramentum, quod credidit ipsum esse, unde rogatus fuerit, & tunc reddat caballum, & amplius non calumnietur, si eum male non tractaverit. Et si non venerit proprius dominus, reddat eum illi, per quem ipsum tulit: & ipse iterum iuxta legem conservet, sicut supra dictum est.

XLVII. IDEM.

SI quis verrem alienum furatus fuerit, componat solid. XII. ipsum, qui dicitur sonopair, qui omnes alios verres in grege battit & vincit: tantum in uno grege, quamvis multitudo porcorum sit, unus computetur, sonopair: nam si minor grex XXX. capitibus non computetur sonopair, nisi XXX. vel supra fuerint. Et si in damno ipse sonopair occisus fuerit, aut similem aut meliorem, ille qui occiderit, restituat, & damnum ei componatur. Nam si alios verres aut porcos furatus fuerit, in octogilt reddat.

XLVIII. REX GRIMOALDVS.

SI ancilla furtum fecerit, componat dominus eius furtum sibi nonum tantum. Nam XL. sol. unde in hoc edicto legitur, pro culpa, quod est fegangi, non requiratur à domino suo.]

XLIX. REX LIVTPRANDVS.

SI servus, dum in fuga est, furtum fecerit, & in ipsa fuga foris provinciam exierit, sic exinde procedat iudicium, sicut gloriosissimus Rex Rotharis instituit: & si ipse servus intra provinciam se dilataverit, tunc dominus eius habeat spatium requirendi per menses tres. Et si eum invenerit, aut non invenerit, & causa furti manifesta fuerit, quod servus ille furtum ipsum fecisset, tunc dominus eius componat furtum ipsum, sicut lex est. Et si forsitan manifestum non fuerit, & dominus eiusdem servi negaverit, quod ipsum furtum fecisset, servus eius tunc per pugnam aut per sacramentum se defendat, si potuerit.

L. IDEM.

DE servo fugace & advena homine, si in alia iudiciaria inventus fuerit, tunc decanus aut saltarius, qui in loco ordinatus fuerit, cōprehendere eū

debeat, & ad sculdasium suum perducat. Et ipse sculdasius iudici suo consignet: & ipse iudex potestatem habeat, eum inquirendi, unde ipse est. Et si inventus fuerit, qui servus sit aut fur, mox mandet ad iudicem, aut ad dominum eius, unde ipse fugerit: & habeat pro præhensura de ipso servo sol. II. Si verò post inquisitam causam ipse homo qui comprehensus est, aut inquisitus fuerit, liber apparuerit, nulla sit ei culpa, qui eum comprehendit, aut inquisivit. Si vero decanus aut saltarius hoc facere distulerit, componat sol. IIII. medium sculdasio suo, & medium cuius causa fuerit. Et si sculdasius hoc neglexerit facere, componat solid. VIII. medium iudici suo, & medium cuius causa est. Si vero iudex ad eum inquirendum, vel mandatum faciendum, unde ipse homo est, distulerit, componat sol. XII. in palatio Regis. Et si ille iudex, cui mandatum fuerit, neglectum fecerit ad ipsum hominem recolligendum, aut arimanno suo faciendum mandatū, quod in tali loco homo tuus comprehensus est: & si hoc neglexerit, componat in palatio Regis sol. XII. Et sit spatium de ipso mandato faciendo, in hiis partibus in mense uno, & trans alpes in partibus Tusciæ mensibus, II.

LI. IDEM.

SI quis alium de furto pulsaverit, & per pugnam eum vicerit, aut fortè per districtionem à publico factam manifestaverit, & compositio facta fuerit, & postea ipsum furtum apud alium hominem inventum fuerit, & certa veritas apparuerit, quod ipse qui prius composuerat, rem ipsam non furatus fuerit ab eo, omnia, quidquid ipse composuerat, recipiat ab eo, cui composuerat: & ipse componat, apud quem furtum ipsum postea inventum fuerit. Nam si aliquid per sacramentum suum dederit, habeat cui dederit. Nam si certa veritas non apparuerit, quod alter homo furtum ipsum fecisset, & per districtionem manifestaverit, & composuerit, habeat sibi ipsam compositionem, cui composuerit.

LII. IDEM.

HOc nobis rectum comparuit esse de his servis, qui in furto comprehenduntur, ut in anteriori edicto continetur, ut occidatur, aut redimat eos dominus eorum sol. XL. ut si amodo cuiuscunque servus comprehensus fuerit, eo tenore ut mori debeat, redimat eum dominus suus cum sol. XL. sicut dictum est. Et si minime eum redimere voluerit, ipse dominus occidat. Et si dominus eius eum occidere noluerit, occidat eum ille, qui eum comprehensum tenet: & si nec ille voluerit, tunc occidat curtis nostra, & quomodo iussio nostra fuerit, de eo debeat ordinare. Ipse verò dominus eius componat ipsum furtum, sicut edictum continet, ei cui ipsum factum fuerit furtum.

LIII. IDEM.

SI aldius cuiuscunque in casa alterius nesciente domino suo fugerit: cum inventus fuerit, sic debet dare homo ipse, qui eum habuerit, operas, quomodo de servo.

LIV. IDEM.

DE furtis, unusquisque iudex in civitate sua faciat carcerem sub terra, & cum inventum fuerit ipsum furtum, comprehendat eum, & mittat in ipso carcere ad annos duos vel tres, & postea dimittat eum sanum. Et si talis persona fuerit, ut non habeat unde ipsum furtum componere debeat, iudex debet eum dare in manibus illius, cui furtum fecerit, & ipse de eo faciat, quod voluerit. Et si postea ipse iterum in furto tentus fuerit, decalvet eum, & cedat per disciplinam, sicut decet furem, & ponat in eo signũ in fronte & in facie. Et si nec sic emendare voluerit, & post ipsas districtiones in furto tentus fuerit, vendat eum foris provinciam, & habeat sibi pretium ipsius, veruntamen ut probata causa sit, & non eum sine vera probatione debeat vendere.

LV. IDEM.

SI quis homo caballum perdiderit, aut aliam qualemcunque rem, vadat ad iudicem, qui in loco positus est, ubi ipsum furtum factum fuerit, & dicat ei omnia, qualiter ei contigerit: & si iudex neglectum fecerit ad inquirendum ipsum furem, componat de suo proprio. Et si dixerit, quod neglectum non fecisset, præbeat sacramentum, quod ad inquirendum neglectum non fecisset, nisi quod invenire non potuisset. Et si iuraverit, sit absolutus; quod si iurare ausus non fuerit, componat ipsum furtum de suo proprio.

LVI. IDEM.

DE servis fugacibus, unde quidem antea capitulum istud affiximus, sed non est specialiter dictum, in quo spatio dominus eius perquirere debeat, ut ei iustitiam faciat, qui eum de servo compellat. Modo vero ita prospeximus, ut si fuerit in Benevento, aut in Spoleto, habeat spatium dominus eius menses III. Quod si fuerit intra Tusciam, habeat spatium per menses duos. Si fuerit de ipsa parte Alpium, habeat spatium ad eum perquirendum in mensem unum. Et faciat iustitiam ei, qui eum de servo compellat.

LVII. IDEM.

SI quis servum aut aldium alterius per colludium comprehendere præsumpserit, dicendo, quod super furtum suum comprehendisset, aut tacite in curte sua noctis tempore invenisset, & colludium ipsum apparuerit, & certa veritas fuerit approbata, componat ipse qui eum per tale colludium apprehendere præsumpserit, ei cuius fuerit servus aut aldius, quantum ipse componere debuerat, si absque colludio & fraude eum comprehendisset: id est furtum ipsum, quod querebat, in octogilt componat, & pro illicita præsumptione, componat sol. XL. Et si furtum non reperierit, nisi tantum in curte sua comprehensum dixerit, componat solid. XL. si ipsum colludium apparuerit.

LVIII. IDEM.

SI quis liber homo sciens aldiũ aut aldiam, servum aut ancillã suam in casa cuiuscũq; esse, aut copulatos aut aliter, & non eum requisierit, aut per iudicem aut per publicũ, & non eum retulerit, & dimiserit eum apud aliũ hominẽ

diutius permanere, non requirat operas eorum, quia sciens neglexit requirere servum aut aldium, ancillam aut aldiam suam. Nam si requisierit dominus illorum, & ille qui eos habuerit, neglexerit reddere, aut antesteterit, reddat operas eorum, sicut lex est.

LIX. IDEM.

SI cuiuscunque servus aut aldius, ancilla aut aldia, in furto comprehensi fuerint, & dominus eorum neglexerit eos liberare, & usq; ad dies xxx. eos dimiserit, sint fegangi: & habeat eos in transactum, cui furtum fecerint, & componat postea ipsum furtum, sicut lex est & edictum continet.

LX. IDEM.

SI quicunque homo, qui est pauper aut naufragus, qui vendidit aut dissipavit substantiam suam, & non habet unde compositionem faciat: & fecerit furtum, aut adulterium, scandalum, aut plagas alii homini intulerit, & fuerit ipsa compositio xx. sol. aut supra, dare debeat eum publicus in manu eius, cui talem fecerit culpam, vel illicitas istas causas egit; & ipse eum habeat pro servo. Si autem minor, xx. sol. fuerit ista compositio, sicut solet fieri usque ad sex aut ad xii. solid. tunc debeat eum publicus dare in manu eius, cui talem culpam fecerit pro servo: in eo ordine, ut serviat ei tot annis, ut ipsam culpam redimere possit, & vadat postea ubi voluerit.

LXI. IMPERATOR KAROLVS.

DE latronibus ita præcipimus observandum, ut pro prima culpa non moriatur, sed oculum perdat. De secunda, nasus ei scapelletur. De tertia vero, si se non emendaverit, moriatur.

LXII. IDEM.

DE latrone forbannito, si liber homo susceperit eum, xv. sol. componat, & si servus fuerit, cxxv. ictuum percussionibus vapuletur.

LXIII. IDEM.

VT Comes qui latronem in forbanno miserit, vicinis suis & aliis comitibus notum faciat, eundem latronem à se forbannitum esse, ut illi eum non recipiant.

LXIV. IDEM.

SEd & hoc volumus, ut Comites de latronibus plenam iustitiam faciant per eorum ministeria, ut fures & malefactores non patiantur quietè residere, sed semper eos in quantum valent infestent.

LXV. IDEM.

VT mancipia adventitia & fugitiva nullus præsumat recipere.

LXVI. IDEM.

DE vindicta & iudicio suo facto in latronibus, ut testimonio Episcoporum absque peccato Comites facere possunt, ita tamen ut absque invidia

dia aut alia occasione mala faciant, & nihil aliud interponatur, nisi ad veram iustitiam perficiendam, & pacem confirmandam.

LXVII. IDEM.

SI quis latro de uno furto probatus fuerit, perdat oculum: & si de duobus furtis probatus fuerit, nasus eiscapelletur: & si de tribus furtis probatus fuerit, moriatur.

LXVIII. IDEM.

DE duobus furtis unde oculum & nasum perdere debet, constituimus ut dominus servi illius, secundum legem, cui furta facta fuerint, solvere debeat: de tertio vero furto, unde mori debet, mors illius furta illa excludat. Et si Comes sine culpa per invidiam aut occasionem iniustam, nisi per iustitiam & pacem faciendam, hominem diffecerit, honorem suum perdat, & legibus illi, contra quem iniuste fecerit, pœnam quam intulerit, emendet.

LXIX. IDEM.

SI quis latronem morte dignum, sibi ad occidendum traditum, servaverit, & vitam indigno concesserit, medium damni, propter quod traditus est, componat: & si ipse latro rursus in latrocinio comprehensus fuerit, quod prius debuit, capitali sententia persolvat debitum.

LXX. IDEM.

SI quis furem vel latronem comprehenderit, & eum indemnem dimiserit, neque illum ad præsentiam iudicis, aut Comitis, vel loci servatoris, qui missus Comitis est, adduxerit, & de hoc facto, sive de hac nequitia, post hac in præsentia iudicis convictus fuerit, ipsius damni existimatione, pro qua fur vel latro comprehensus est, componere cogatur.

LXXI. IDEM.

VBicunque intra Italiam sive Regis, sive Ecclesiasticus, vel cuiuslibet alterius servus fugitivus inventus fuerit, à domino suo sine ulla annorum præscriptione vindicetur: ea tamen ratione, si dominus Francus, sive Alamannus, aut alterius cuiuslibet nationis sit. Si vero Longobardus, aut Romanus fuerit, ea lege servos suos acquirat vel amittat, quæ inter eos antiquitus est constituta.

LXXII. IDEM.

DE fugitivis servis & ancillis fugacibus, advenis ac peregrinis, ut distringantur, ut scire posimus qui sint, & unde veniant.

LXXIII. IMPERATOR PIPINVS.

DE servis & ancillis fugacibus, unusquisque iudex studium ponat ad perquirendum, iuxta ut edictum continet. Et hoc damus in mandatis, ut tam in Austria, quam in Neustria, quamq; in Æmilia & Tuscia, & littore maris, per omnia loca perquirantur suprascripti fugaces: & apud locum iurent sculdasii, decani, saltarii, vel loco positi, ut nullus eos cœlet, & ubicunque

inventi fuerint, una cum misso Comitis de ipso loco ad nos perducantur, ita ut iurare valeant, quod neminem coelassent.

LXXIV. IDEM.

DE fugacibus qui in partibus Beneventi & Spoleti, sive Romaniæ, vel Pentapoli confugium faciunt, ut reddantur, & sint reversi ad propria loca.

LXXV. IDEM.

QVicunq; post missam S. Iohannis Baptistæ latroni mansionem dederit, si Francus est, cum XII. similiter Francis iuret, quod latronem eum fuisse nesciret: licet pater eius sit, aut frater, aut propinquus. Et si hoc iurare non potuerit, aut ab alio consecutus fuerit, quod latronem in hospitio suscepisset, quasi & latro infidelis iudicetur. Quia qui latro est, infidelis est in nostro regno Francorum, & qui illum susceperit, similis est illi. Si autem audivit, quod latro est, & ipse tamen nescit firmiter, aut iuret solus, quod nunquam audisset, nec per veritatem, nec per mendacium eum latronem esse; aut sit paratus, si ille postea de latrocinio convictus fuerit, ut similiter damnetur.

LXXVI. IMPERATOR HLUDOICUS.

SI quis liber homo de furto accusatus fuerit, & res proprias habuerit in malo, ad præsentiam Comitis se arhamiet: & si res non habuerit, fideiussorem donet, qui eum arhamiet, & in palatium adduci faciat. Et liceat ei in prima vice per sacramentum secundum legem se idoniare, si potuerit: & si alia vice duo vel tres eũ de furto accusaverint, liceat ei contra unum ex his cum scuto & fuste in campo contendere. Quod si servus de furto accusatus fuerit, dominus eius pro eo emendet, aut cum sacramento excuset, se tale furtum perpetratum non habere, propter quod ad supplicium tradi debeat,

LXXVII. IDEM.

SI mancipia à domino suo fugerint in alienam potestatem, propter hoc nullum præmium recipiat ipse, in cuius potestate inventa fuerint, pro eo quod ea reddiderit, vel foris eiecerit. Et non solum hoc, sed etiam si ea nec reddere, nec foras eiicere voluerit, & legitimo domino ea contradixerit, & illa postea exinde fugerint, secundum legem solvere cogatur ea.

LXXVIII. IDEM.

SI cuiuslibet mancipium in villa nostra confugerit, actor eiusdem villæ quærenti domino id non contradicat, sed statim eum foras de eadem villa eiiciat: & si se putat ad id repetendum iustitiam habere, petat, & secundum legem acquirat. Si vero tempore domini Karoli genitoris nostri in villa nostra confugerit, & dominus eius id quærit, actor eiusdem villæ aut legitimè id contendat, aut quærenti domino reddat: & actor propter investituram domini Karoli nostri genitoris, idem mancipium contradicere non audeat, & si illius proprium esse cognoverit.

LXXIX. IDEM.

VT clerici, & monachi fugitivi, & servi ad loca sua reverti iubeantur.

LXXX. IDEM.

VT vicarii, & centenarii, qui fures & latrones coelaverint vel defenderint, secundam dictam sibi sententiam iudicentur.

LXXXI. IMPERATOR HLOTHARIVS.

DE fugitivis præcipimus, ut ministri reipublicæ à domino fugitivi nihil accipiant, cum reddiderint eos.

LXXXII. IDEM.

VIdetur nobis de aldionibus, ut sicut lex habet, ita fiat.

LXXXIII. IDEM.

PRæcipimus, ut nova conditio aldioni à domino suo non imponatur.

TITVLVS XXVI. DE EO QVI TERMINVM ANTIQVVM CORRVPERIT, VEL NOVVM FECERIT.

I. REX ROTHARIS.

SI quis liber homo terminum antiquum corruperit, aut exterminaverit, & probatum fuerit, sit culpabilis LXXX. sol. medium Regi, & medium in cuius fine fuerit terminus.

II. IDEM.

SI quis servus alienus terminum antiquum ruperit, aut exterminaverit, mortis incurrat periculum, aut sol. XL. redimatur.

III. IDEM.

SI quis liber homo arborem, ubi theclatura facta est, inter fines discernendos inciderit, aut deleverit, LXXX. sol. sit culpabilis, medium Regi, & medium cuius arbor fuerit: & si servus per iussionem domini sui fecerit, dominus eius componat ut supra, sol. LXXX.

IV. IDEM.

SI servus sua auctoritate arborem, ubi theclatura facta est, inter fines discernendos inciderit, aut deleverit, aut moriatur, aut liberet se sol. XL.

V. IDEM.

SI quis propter intentionem signa nova, aut theclaturam, aut sinaidam in sylva alterius fecerit, & suam non probaverit, componat sol. XL. medium Regi, & medium cuius sylva fuerit.

VI. IDEM.

SI servus extra iussionem domini sui theclaturam aut finaidam in sylva alterius fecerit, manus eius incidatur: & si cum iussione domini sui theclaturā aut finaidam in sylva alterius fecerit, reputetur culpa domino ut supra.

VII. IMPERATOR KAROLVS.

VT nullus alienos fines usurpet, aut terminos patrum transcendat.

TITVLVS XXVII. DE INVASIONIBVS, ET IIS QVÆ IN TERRA ALIENA FIVNT.

I. REX ROTHARIS.

SI quis molinum in terra aliena ædificaverit, & suam probare non potuerit, amittat ipsum molinum, & omnem operam, & ille habeat, cuius terra aut ripa esse invenitur: quia omnes scire debent, quod suum non est, id ad alium pertinere.

II. IDEM.

SI quis campum alienum araverit, sciens non suum, aut sementem spargere præsumpserit, perdat operas & fruges: & ille qui campum suum probaverit esse, habeat fruges.

III. IDEM.

SI quis campum alienum exaraverit seminatum, aut devastaverit, & suum non potuerit probare, aliud tantum frugum, quantum devastaverit, proprio domino reddat, & pro incauta præsumptione componat sol. VI.

IV. REX LIVTPRANDVS.

SI quis fossatum in terra aliena fecerit, & suam non potuerit probare, componat ei, cuius terra est, sol. VI.

V. IDEM.

SI quis pratum alienum secuerit, aut exaraverit, & fœnum reddat, & pro incauta præsumptione componat sol. VI.

VI. IDEM.

SI quis in terram alienam miserit sepem, & suam non potuerit probare, componat ei, cuius terra est, sol. VI.

VII. REX LIVTPRANDVS.

SI quis res alienas, casas aut terras, vel pecunias, aut familias, malo ordine possederit, & per legem & iustitiam, & per iudicium exinde convictus & expulsus fuerit, aliud exinde non componat, nisi de retro tempore reddat fruges & labores sub sacramento, ab illo die quo exinde compellatio facta & manifestata est.

VIII. IDEM.

VIII. IDEM.

SI quis sua auctoritate terram alienam sine publico iussu guiffaverit, dicendo quod sua debeat esse, & postea non potuerit probare, quod sua sit, componat sol. VI. quomodo qui palum in terra aliena figit.

IX. IDEM.

SI quis fossatum in via fecerit, & ipsum locum suum probare non potuerit, componat solid. VI. & ipsum fossatum restauret. Et si ipsum fossatum cavando damnum in vite aut in arbore fecerit, componat sicut anterius edictum continet.

X. IMPERATOR PIPINVS.

VT nullus alteri præsumat res suas, aut alienam causam sine iudicio legali tollere aut invadere; & quæ hoc facere præsumpserit, ad partem nostram exinde bannum componat.

XI. IMPERATOR HLOTHARIVS.

DE rebus Ecclesiarum iniuste invasis sub occasione, quasi licentia accepta à pontifice, & de his qui nec dum redditæ sunt, & tamen fuerunt à potestate pontificum iniuste invasæ, volumus, ut per missos nostros fiant emendatæ.

XII. IMPERATOR GVIDO.

DE cartis vero interdicimus, ut nemini liceat alienas res præsumptive invadere, occasione cartulæ ab eo factæ, qui investituram legitimam non habens dinoscitur invasisse. Sed si quis acquisitor extiterit, non antea invadere alienas res Ecclesiæ, vel cuiuspiam liberi hominis præsumat, antequam auctor cartulæ legali & iudiciali diffinitione eas vindicet: & tunc demum, cui vult, liberam habeat tradendi facultatem. Et si quis ipsas res sine lege invaserit, non solum ipsas res amittat, sed insuper bannum nostrum comp.

TITVLVS XXVIII. DE EO QVI FALSAM VEL ADVLTERINAM MONETAM FECERIT

I. REX ROTHARIS.

SI quis sine iussione Regis aurum figuraverit, aut monetam confinxerit, manus eius incidatur.

II. IMPERATOR HLVDOICVS.

DE falsa moneta iubemus, ut qui eam percusserit, & probatum fuerit, manus eius amputetur: & qui hoc consenserit, si liber est, LX. sol. componat, si servus est, LX. ictus accipiat.

TITVLVS XXIX. DE EO QVI CARTAM FALSAM SCRIBIT.

I. REX ROTHARIS.

SI quis cartam falsam scripserit, aut quodlibet membranum, manus eius incidatur.

II. REX LIVTPRANDVS.

DE ſcribis hoc proſpeximus, ut qui cartam ſcripſerit, ſive ad legem Longobardorum, quæ aptiſſima & penè omnibus nota eſt, ſive ad legem Romanorum, non alter faciant, niſi quomodo in illis legibus continetur. Nam contra Longobardorum legem, aut Romanorum, non ſcribant: quod ſi neſciverint, interrogent alios. Et ſi non potuerint ipſas leges plene ſcire, non ſcribant ipſas cartas: & qui aliter præſumpſerit facere, componat widrigilt ſuum: excepto ſi aliquid inter conlibertos convenerit. Et ſi unuſquiſque de lege ſua deſcendere voluerit, & pactiones atque conventiones inter ſe fecerint, & ambæ partes conſenſerint, iſtud non reputetur contra legem, quod ambæ partes voluntarie faciunt: & illi, qui tales cartas ſcripſerint, culpabiles non inveniantur eſſe. Nam quod ad hereditandum pertinet, per legem ſcribant: & quod de carta falſa in anteriori edicto annexum eſt, ſic permaneat.

TITVLVS XXX. DE RAPTV.

I. REX ROTHARIS.

SI vir mulieri violentiam fecerit, & invitam eam tulerit ad uxorem, ſit culpabilis DCCCC. ſol. medium Regi, & medium parentibus mulieris: & ſi parentes non habuerit, ipſi DCCCC. ſolid. ad curtem Regis exigantur. Et mulier ipſa habeat licentiam cum omnibus rebus ſuis propriis, quæ ei per legem competunt, eligendi, qui mundium eius in poteſtate habeat: vult ad parentes, ſi habuerit, vult ad fratrem, vult ad barbanum, aut ad manum Regis, in ipſius mulieris ſit poteſtate, ubi ſibi ipſa elegerit.

II. IDEM.

SI quis violento nomine tulerit uxorem, componat ut ſupra ſolid. DCCCC. & poſtea mundium eius faciat. Nam ſi contigerit caſus ut antequam mundium eius faciat, mortua fuerit, res eius parentibus reddantur: & ille vir, qui eam violento ordine tulerit uxorem, componat eam pro mortua, tanquam ſi virum de ſimili ſanguine, id eſt fratrem eius occidiſſet, ita appretietur: & eam parentibus pro mortua componere cogatur, aut cui mundium de ea pertinuerit.

III. IDEM.

SI quis puellam aut viduam alteri ſponſatam, illa tamen conſentiente, rapuerit, ſit culpabilis parentibus mulieris, id eſt patri aut fratri, vel cui mundium de ea pertinuerit, DCCCC. ſolid. medium Regi, & medium parentibus puellæ, aut qui ſunt proximi, & mundium eius, ſicut convenerit, faciat. Sponſo autem, in cuius turpitudinem aut deridiculum egit, componat duplam metam, quantum dictum eſt in die illa, quando fabula firmata fuerit, & amplius fideiuſſori aut raptori ab ipſo ſponſo ſuo calumnia non generetur, ſed ſit ſibi contentus in ipſa dupla compoſitione.

IV. IDEM.

IV. IDEM.

SI pater, aut frater, aut aliquis ex parentibus puellæ, eam alii sponsaverit, & postea cum alio extraneo colludium fecerit, aut fraudem commiserit cum illo, qui eam violenter, aut ipsa consentiente ducat uxorem : tunc illi parentes, qui huius colludii fraudem consenserint, componant sponso, qui eam sponsatam habuit, similem pœnam, ut supra duplam metam, quæ dicta fuerat tempore sponsaliorum : & postea sponsus amplius adversus eos, aut fideiussores eorum, calumniam non requirat.

V. IDEM.

SI quis aldiæ alienæ, id est quæ de libera matre nata est, violentiam fecerit, componat sol. XL.

VI. IDEM.

SI quis libertæ alienæ, id est personæ quæ libera dimissa est, violentiam fecerit, componat sol. XX.

VII. IDEM.

SI quis ancillæ alienæ violentiam fecerit, componat sol. XX.

VIII. IDEM.

SI quis rapuerit aldiam alienam, & in curte alterius duxerit, & secutus dominus fuerit, aut parentes eius, & ille cuius curtis fuerit, antesteterit, & non promiserit vindicare, aut foras extrahere, componat sol. XL. medium Regi, & medium cuius aldia fuerit.

IX. IDEM.

SI quis ancillam alienam rapuerit, & in curte aliena duxerit, & secutus fuerit dominus aut parentes eius, & ille cuius curtis fuerit, antesteterit, componat solid. XX. qui antesteterit, medium Regi, & medium cuius ancilla fuerit.

X. IDEM.

SI quis aldiam alienam rapuerit, aut ancillam, & in curtem Regis duxerit, & secutus eam dominus fuerit, aut quicunque ex amicis aut servis, & gastaldius aut actor Regis antesteterit, pro aldia de suis propriis rebus componat illi, cuius aldia fuerit, sol. XL. pro ancilla XX.

XI. REX LIVTPRANDVS.

SI quis rapuerit qualemcunque fœminam liberam secularem, unde in anteriori edicto legitur compositio sol. DCCCC. ita volumus, ut de illis CCCCL. sol. qui pertinent ad parentes, vel ad mundualdos earum, accipiant ex ipsis sol. mundualdi, qui fuerunt pro tempore, pro fatigio suo, & actione de ipsa poena solid. CL. reliquos vero CCC. habeat ipsa fœmina, cui talis iniuria aut detractio facta est. Si autem pater aut frater fuerit, & ipsæ fœminæ in eorum mundio fuerint, tunc pater aut frater de ipsa compositione, quæ est solid. CCCCL. faciant cum filia aut sorore sua, qualiter voluerint: nam alii mun-

dualdus aut parentes, sic dividant ipsam compositionem, sicut supra statuimus.

XII. Imperator Karolus.

DE desponsatis puellis, & postea ab aliis raptis, placuit nobis erui, & postea eis reddi, quibus ante fuerunt desponsatæ: & si eis à raptoribus vis illata constiterit, proinde statutum est à sacro conventu, ut raptor publica pœnitentia mulctetur. Raptam verò si sponsus recipere noluerit, & ipsa eiusdem criminis consentiens non fuerit, licentia alii nubendi non denegetur: quia si ipsa consenserit, simili sententiæ subiaceat. Quod si post hæc se coniungere præsumpserint, uterque anathematizetur.

XIII. Imperator Hludoicus.

SI quis alienam sponsam rapuerit, aut patri eius, aut ei qui legibus defensor eiusdem esse debet, cum lege sua eam reddat: & quidquid cum ea tulerit, semotim unamquamque rem secundum legem reddat. Et si hoc defensor eius perpetrare consenserit, & ideo raptori nihil quærere voluerit, Comes singulariter de unaquaque re fredam nostram ab eo exactare faciat: sponso vero legem suam componat, & insuper bannum nostrum, id est LX. solid. persolvat: aut in præsentia nostra Comes venire faciat, & quanto tempore nobis placuerit, in exilio maneat, & illam fœminam ei habere non liceat.

XIV. Imperator Hlotharius.

QVi sponsam alienam rapuerit, illa non consentiente, licet cum ea concubuerit, reddatur ei, cuius sponsa est, & ducat eam, si velit: quia vim passa potius, quam violata esse videtur. Quod si eam ducere noluerit, aliam accipiat sibi fœminam: tamen si ipsa nubere voluerit, excepto raptore, alteri cui voluerit, legitime copuletur, raptor vero adulterii criminis reus teneatur. Quod si ipsa consenserit, similiter ut raptor, à nuptiis alterius prohibeatur, & is qui eam accepturus erat, aliam qualem voluerit, accipiat.

XV. Imperator Gvido.

DE raptoribus vero antiquorum patrum statuta sequentes hoc tenendum censemus, ut si eas rapuerint, quæ cum sponso pariter benedictione sacerdotali initiatæ sunt, licet eas corruperit, tamen abstrahantur ab his, & propriis sponsis reddantur: quæ vero vel viduæ sunt, vel adhuc sponsæ non fuerunt, & absque ipsarum & parentum voluntate rapuerint, nihilominus parentibus vel propinquis restituantur, & alii cui voluerint, nubant. Nam ipsis à quibus raptæ sunt, legitimæ demum uxores nullatenus esse possunt. Ipsos autem raptores, eisque auxilium præbentes, quamquam anathematizandos antiqui Canones præcipiant, in ultimo tamen constituti, si devotè postulaverint sacram communionem in viatico non denegamus. Quod si aliquis de ordine clericali huiusmodi transgressor, aut cooperator extiterit, proprii gradus honore carebit.

TITVLVS XXXI. DE FORNICATIONE.

I. REX ROTHARIS.

SI puella aut mulier libera voluntarie fornicata fuerit, cum libero tamen homine, potestatem habeant parentes eius in eam dare vindictam. Et si forte ambabus partibus steterit, ut ille qui fornicatus fuerit, eam tollat uxorem, componat pro culpa, id est anagriph, sol. xx. & si non convenerit, ut eam habeat uxorem, componat sol. c. medium Regi, & medium ad quem mundiũ de ea pertinuerit. Et si parentes neglexerint, ut eam habeat uxorem, aut noluerint in ipsam dare vindictam, tunc liceat gastaldio Regis, aut sculdasio, ipsam ad manum Regis tollere, & iudicare de ipsa, quod Regi placuerit.

II. IDEM.

SI quis cum ancilla gentili fornicatus fuerit, componat domino eius solid. xx. & si cum Romana, sol. XII.

III. REX LIVTPRANDVS.

SI aldius cuiuscunq; cum libera muliere aut puella fornicatus fuerit, componat sol. L. ei in cuius mundio fuerit, & illa reputet vitium suum, pro eo quod aldio consenserit.

TITVLVS XXXII. DE ADVLTERIO.

I. REX ROTHARIS.

SI liber aut servus uxorem alterius tulerit, eamque sibi in coniugio sociaverit, ambo occidantur: sic tamen, si ambo consenserint.

II. IDEM.

SI quis liber vel servus cum uxore sua liberum aut servum fornicantem invenerit, potestatem habeat eos ambos occidendi: & si eos occiderit, non requirantur.

III. IDEM.

SI quis alii crimen de uxore sua miserit, quod cum ea fornicatus esset, liceat ei cui crimen mittitur, aut sacramento, aut per campionem se purificare: & si ei probatum fuerit, animæ suæ incurrat periculum.

IV. REX LIVTPRANDVS.

DE libero homine, qui uxorem de servo aut aldio suo, vivente ipso marito, tulerit, & filii aut filiæ exinde nati fuerint, nullatenus ei heredes succedant. Sed nec libertatem suam habeant, nec per ullum ingenium eis de rebus suis aliquid facere possit: quia in dubium venit causa ipsa, cuius filii aut filiæ fuerint, quia non ambo vivunt, & dominus & servus, qui ante habuit, & postea tulit.

V. IDEM.

SI quis liber homo habuerit servum vel ancillam, aldium vel aldiam, coniugatos, & instigante inimico humani generis cum ipsa ancilla, quæ servum eius in maritum habuit, aut cum aldia, quæ cum aldione eius copulata est, adulterium perpetraverit; ita statuimus, ut perdat ipsum servum aut aldionem, cuius uxorem adulteraverit, & ipsam mulierem, & simul vadant liberi & absoluti fulfreales, tanquam si thingati fuissent, ubi voluerint: quia non est placitum Deo, ut aliquis homo cum uxore aliena debeat fornicari. Tamen de ipsa libertate ita dicimus, quod non possunt sic sine vera absolutione liberi esse nisi, sicut edictum continet, aut perthinx aut circa altare, sicut nos instituimus. Ideoque veniant ad palatium ad nos, & qui pro tempore princeps istius terræ fuerit, ipse eos absolvat, & faciat eis præceptum suum, & sint postea certissimi verè liberi & absoluti.

VI. IDEM.

SI quis dixerit coniugi, malam licentiam dando, *vade, & concumbe cum tali homine*, aut si dixit alicui homini: *veni, & fac cum muliere mea carnis commixtionem*, & tale malũ factum fuerit, & causa probata fuerit, quod per ipsum maritum factum sit, ita statuimus, ut illa mulier, quæ hoc malum fecerit & consenserit, moriatur, secundum anterius edictum: quia nec talem causam facere, nec cœlare debuit. Quia si vir eius cum ancilla sua, aut cum altera muliere adulterium fecisset, mulier ipsa ad palatium aut ad iudicem habuit proclamare: ideo hoc tacere nequaquam debuit, quando ei primum fuerat dictum. Propterea, ut diximus, moriatur secundum anterioris edicti paginam. Ille autem vir eius, qui ei tam malam licentiam dedit, aut alteri homini dixerit, aut autoritatem tribuit in mulierem suam, ad tale malum perpetrandum, componat ad parentes ipsius mulieris suæ, tanquam si in scandalum ipsa mulier occisa fuisset: quia ipsa ex peccatis in scandalum concurrere visa est, quando ad hoc malum perpetrandum accessit, quod in maius scandalum currere non potuit, quando se ad mortem traxit. Ideo, ut supra diximus, componat vir eius, sicut supra statuimus, & res eiusdem mulieris, si filios habuerit, ipsi succedant: & si filios non habuerit, revertantur ad parentes ipsius mulieris: eo quod credimus, quod tale malum ideo quæsivit miser homo facere, ut ipsam mulierem perdat, & res eius habeat. Ille autem homo, qui cum ipsa muliere aliena adulterium commiserit, quanquam cum viri eius consilio fecisset, tradatur in manus parentum ipsius mulieris, & non in manus ipsius viri, qui tale malum consensit, aut consilium illicitum tribuit. Idem de causa ista, quam supra præmisi, si consilium & licentia data fuerit ad mulierem, & ipsa non consenserit, & manifestaverit ipsam causam, & ipsa mala opera non fuerint facta: tunc ipse vir eius, qui ei talem licentiam & consilium dederit, componat sicut in anteriori edicto affiximus, quomodo qui alii malum consilium dederit, id est sol. L. Quia adhuc maior malitia est, quando homo ad mulierem suam illicitum consilium tribuit, quam si ad alium liberum hominem malum consilium dedisset.

VI. IMPERATOR HLOTHARIVS.

SI quis liber homo uxorem alienam adulteraverit, & secundum leges in manus eius traditi fuerint, & postea coniuncti fuerint, à publicis partibus recipiantur, & qui ipsos comparatos habuerint, pretium suum perdant.

VIII. IMPERATOR GVIDO.

SI adulter cum adultera comprehensus fuerit, & secundum edictum legis Longobardorum marito adulteræ ambo ad vindictam traditi fuerint: si eos quispiam emerit, eosque coniunctos in eodem scelere habere repertus fuerit, ipsos fiscus acquirat.

TITVLVS XXXIII DE EO QVI SERVVM ALIENVM AVT MVLIEREM IN SACRAMENTO MISERIT, VEL SERVVM AVT PVERVM CLERICAVERIT, VEL PVELLAM VELAVERIT.

I. REX LIVTPRANDVS.

SI quis servum alienum sine voluntate domini sui in sacramentum miserit, aut manum in caldaria mittere fecerit, componat domino eius sol. xx.

II. IDEM.

SI quis servum alienum sine voluntate domini sui clericaverit, componat domino eius pro illicita præsumptione sol. xx. & ipse servus revertatur ad proprium dominum, & dominus habeat eum sicut voluerit.

III. IDEM.

SI quis mulierem, aut puellam, aut religiosam fœminam, quæ in alterius mundio est, in sacramentum mittere præsumpserit, componat mundualdo eius sol. L. & in palatio Regis similiter quinquaginta.

IV. IMPERATOR HLVDOICVS.

SI quis puerum invitis parentibus totonderit, aut puellam velaverit, legem suam in triplo componat ipsi puero vel puellæ, si iam suæ potestatis sint, aut illis, in cuius potestate sunt: illi vero potestatem habeant capitis sui, ut in tali habitu permaneant, qualis eis placuerit.

TITVLVS XXXIV. SI ACTOR REGIS RES REGIAS PER FRAVDEM ALIENAVERIT.

I. REX LIVTPRANDVS.

SI quis gastaldius aut actor Regis, curtē Regiam habens ad gubernandū, ex ipsa curte alicui sine iussione Regis casam tributariam, terrā, sylvam, vites, vel pratum ausus fuerit donare, aut si amplius quam iussio Regis fuerit, dare præsumpserit, vel querere neglexerit, quod per fraudem ablatum est, omne quidquid contra iussionem Regiam facere

ausus fuerit, in duplum octogilt componat, sicut qui rem regiam furatus fuerit: & si ipse ante mortuus fuerit, quam fraus ipsa appareat, heredes eius componant, sicut supra legitur. Nam si per actorem fraus facta fuerit, & antequam ad nostram pervenerit notitiam, fraus ipsa per gastaldium inventa fuerit, habeat ipse gastaldius de compositione, quam actor componere debet, partem tertiam, & duæ sint in curte Regia. Et si prius per qualemcunque hominem ad nostram pervenerit notitiam, quam per gastaldium inventa fuerit, tunc compositio ipsa in integrum nobis & curti nostræ perveniat. Quod si iudex aut actor Regis, vel heredes eorum, pulsati à nobis fuerint, quod neglectum fecissent ad quærendum res nostras, & ipsi dixerint, quod fraudem nescissent, & nullum neglectum fecissent; præbeant sacramentum in tali ordine, & dicant quod *fraudem ipsam pater noster nunquam scivit, nec consensit, nec neglectum posuit ad perquirendum, nec nos culpabiles per legem esse debemus*, & sint postea absoluti. Hoc enim capitulum amodo statuimus firmum esse: nam quidquid antea factum est, in nostro arbitrio reservemus. Et hoc proinde statuere prævidimus, pro eo quod multas fraudes à gastaldiis vel actoribus nostris factas invenimus, unde iam multas fatigationes habuimus: nam quod à nostris decessoribus cuicunque datum est, stabili ordine volumus permanere, sicut & illud, quod nos dedimus, aut inantea dederimus.

II. IMPERATOR KAROLVS.

SI quis præpositus aut ministerialis aliquas res Ecclesiæ, quas prævidere debet, aliquo inscriptionis titulo cuiq; concesserit, quod ad damnum ipsius Ecclesiæ pertineat, pro sacrilegio computetur. Similiter de rebus, quæ ad rempublicam pertinent, si Comes aut ministerialis reipublicæ cuique concesserit, similiter pro infidelitate computetur.

III. IMPERATOR HLVDOICVS.

SI quis proprium nostrum, quod in vestitura domini genitoris nostri fuerit, alicui quærenti reddiderit sine nostra iussione, aliud tantum nobis de suo proprio cum lege sua componat. Et quicunque se sciente illud per malum ingenium acquirere tentaverit, pro infideli teneatur: quia sacramentum fidelitatis, quod nobis promisit, irritum fecit, & ideo secundum nostram voluntatem & potestatem iudicandus est.

TITVLVS XXXV. DE HIS QVI AD MORTEM FVERINT IVDICATI

I. IMPERATOR KAROLVS.

DE illis hominibus, qui propter eorum culpas ad mortem fuerint iudicati, & postea vita eis concessa fuerit, si ipsi iustitiam ab aliis, aut alii ab eis quærere voluerint, æquale iudicium inter eos terminetur. Primum enim omnium de illis causis, pro quibus iudicati fuerint ad mortem, nullam postea repetitionem facere possunt: quod omnes res suæ secun-

secundum iudicium Francorum in publico sunt revocatæ. Et si aliquid postmodum, postquam eis vita concessa est, cum iustitia acquirere potuerint, in sua libertate teneant, & defendant secundum legem: sed in testimonio non suscipiantur, nec inter Scabinos ad legem iudicandam locum teneant. Et si sacramentum eis aliquod iudicatum fuerit, quod iurare debeant, si aliquis ipsum sacramentum falsum dicere voluerit, cum armis contendat.

II. IDEM.

SI alicui homini, post iudicium Scabinorũ, fuerit vita concessa, & ipse postmodum aliquod malum perpetraverit, & iustitiam reddere noluerit, dicendo quod mortuus sit, & ideo iustitiam reddere non debeat: statutum est, ut superius iudicium sustineat, quod antea sustinere debuit. Et si aliquis adversus eum aliquod malum fecerit, secundum æquitatis ordinem, licentiam habeat suam iustitiam requirendi de causis perpetratis, postquam ad mortem iudicatus est: de præteritis vero maneat, sicut supra iudicatum est.

TITVLVS XXXVI. DE CVLPIS SERVORVM.

I. REX ROTHARIS.

SI servus Regis mort fecerit, ita decernimus, ut componat ipsam personam, sicut appretiata fuerit, & servus ille super fossam ipsius mortui appendatur, ut in eo vindicta detur, & sit causa finita.

II. IDEM.

DE aliis vero causis, unde liberi & servi aliorum hominum DCCCC. solid. fuerint culpabiles, id est, de muliere libera, si ei in via antesteterit, aut iniuriam fecerit, seu de gregibus equorum aut porcorum pignoratis, aut aliquibus similibus causis, unde præfati nongenti sol. quæruntur, de quibus in hoc edicto constituimus, si servus Regis fuerit, animæ suæ incurrat periculum, & DCCCC. sol. non requirantur à curte Regis.

III. IDEM.

SI servus Regis furtum fecerit, & deprehensus fuerit, reddat in octogilt & non sit fegangi.

IV. IDEM.

SI servus Regis oberos, aut vecorin, seu meruorphin, aut quamlibet talem culpam vel minorem fecerit, ita componat, sicut de servis aliorum exercitalium decretum est.

V. REX GRIMOALDVS.

SI servus talem culpam fecerit, unde DCCCC. sol. qui in hoc edicto scripti sunt, iudicantur, ut dominus pro servo debeat componere, hoc amputare iussimus, ut si factum fuerit, nihil aliud componat dominus, nisi tantummodo persona ipsa tradatur ad occidendum, & componat pro illicita causa,

quam servus perpetraverit sol. LX. amplius non requiratur. Et si ipse servus fuga lapsus fuerit, & non poterit dominus eius eum invenire, det pro ipso servo, qui fugam petiit, aut se dilataverit, sol. XX. & præbeat sacramentum dominus eius, quod non potuit eum invenire. Et si quandocunque eum invenire potuerit, tradat eum ut supra ad moriendum, & recipiat solid. viginti, quos pro fuga ipsius dedit: nam LX. sol. componat pro culpa, quod servus eius fecit. Et si spolia de homine sepulto servus de sepultura tulerit, de quanto tulit, dominus eius reddat, & componat ut dictum est, sol. LX. & persona tradatur ad occidendum.

IV. REX LIVTPRANDVS.

SI quis alium pulsaverit de servo aut aldio suo, quod furtum, aut homicidium, aut aliquod malum fecisset, & si vivente ipso servo aut aldio eum pulsaverit, aut compellationem fecerit, faciat ei iustitiam quandocunque pulsatus fuerit. Nam si dum ipse servus advixerit, dominus pulsatus non fuerit, nisi post mortem servi aut aldii ipsius, quæsierit à domina eius, ut ei iustitiam faciat, decernimus, ut nullam facundiam requirendi habeat, si vivente servo aut aldio dominum eius non pulsaverit: quia iniustum nobis esse comparuit, ut postquam servum aut aldium ipsum inquirere non potuerit, ut ei aliquam iustitiam faciat.

V. IMPERATOR KAROLVS.

NEmini liceat dimittere servum suum, propter damnum ab illo cuilibet illatum, sed iuxta qualitatem damni dominus eius pro illo respondeat, vel eum in compositionem, aut ad pœnam petitoris afferat. Sin autem servus pro perpetrato scelere fugerit, ita ut à domino penitus inveniri non possit, cum sacramento dominus eius excusare studeat, quod hoc non suæ voluntatis, nec consentiens fuisset, quod servus eius tale factum commisisset, & sit absolutus. Iubemus quoque, ut propter nullam districtionem, quam nos facere iubemus pro quibuslibet causis, servi non mittantur in districtionem: sed per missos nostros, vel dominos eorum, aut illorum advocatos, ipsi servi distringantur, ut ipsi, sicut lex iubet, rationem pro servis reddant utrum culpabiles sint, an non. Ipsi verò domini distringant & inquirant servos suos, sicut ipsos amant.

TITVLVS XXXVII. DE FAIDOSIS, ET ARMIS INFRA PATRIAM NON PORTANDIS.

I. IMPERATOR KAROLVS.

SI quis pro faida pretium recipere noluerit, ad nos sit transmissus, & nos eum dirigamus, ubi damnum minime facere possit. Simili modo etiam qui pro faida pretium solvere noluerit, nec iustitiam inde facere, tunc ad nos sit transmissus, & in tali loco eum mittere volumus, ut maius damnum non crescat.

TITVLVS X. QVALITER MVLIERI LIBERÆ ALIENARE PERMISSVM SIT.

I. REX ROTHARIS.

NVlli mulieri liberæ sub regni nostri ditione lege Longobardorum viventi, liceat in suæ potestatis arbitrio, id est, sine mundio vivere; nisi semper sub potestate viri, aut potestate curtis Regiæ debeat permanere: nec aliquid de rebus mobilibus aut immobilibus sine voluntate ipsius, in cuius mundio fuerit, habeat potestatem donandi aut alienandi.

II. REX LIVTPRANDVS.

SI qua mulier res suas consentiente viro suo, communiter venumdare voluerit, ipse qui emere vult, vel illi qui vendunt, faciant notitiam ad duos vel tres parentes ipsius mulieris, qui propinquiores sunt: & si in præsentia de ipsis parentibus suis mulier illa violentiam se pati dixerit, non sit stabile, quod vendiderit. Nam si in præsentia ipsorum suorum parentum, vel iudicis, qui in loco præfuerit, mulier violentiam se pati non reclamaverit, nisi sua voluntate ipsas res se dixerit venumdare, tunc ab illo die omni tempore, quod vendiderit, stabile debeat permanere: ita tamen ut ipsi parentes qui interfuerint, aut iudex in carta ipsa manum ponant. Et si contigerit casus, ut ille maritus moriatur, & ad alium maritum ambulaverit, stabilis permaneat ipsa venditio. Scriba autem qui cartam ipsam scripserit, non aliter præsumat facere, nisi cum notitia parentum vel iudicum, sicut supradictum est; & si aliter fecerit, sit ipsa venditio vacua, & præfatus scriba sit culpabilis, sicut qui cartam falsam scripserit.

III. IMPERATOR PIPINVS.

PLacuit nobis etiam, ut sicut quæcunque fœmina potestatem habet cum licentia viri sui res suas vendere, ita habeat potestatem donare.

IV. IMPERATOR GVIDO.

COncedimus, ut sicut mulieres cum viris suis res suas donare aut venumdare possunt, ita & commutare valeant, ac familiam suam liberam facere.

TITVLVS XI. QVALITER MVNDOALDVS AMITTAT MVNDIVM.

I. REX ROTHARIS.

SI quis de puella libera aut muliere mundium in potestate habens, excepto patre aut fratre, ei crimen iniecerit, quod adulterata sit, tunc amittat mundium ipsius puellæ, & illa potestatem habeat cum rebus suis propriis, si vult, ad parentes reverti, vel ad curtem Re-

gis se commendare, qui mundium eius debeat habere. Et si vir ille hoc crimen dixisse negaverit, liceat ei se purificare, si potuerit, & mundium ipsius, sicut habuit, habere liceat.

II. IDEM.

SI quis mundium de muliere libera aut puella in potestatem habens, excepto patre aut fratre, & in animam ipsius puellæ aut mulieris insidiatus fuerit, aut alii invitam ad maritum tradiderit, aut volentibus, ad eius violentiam faciendam, consensum præbuerit, aut consilium dederit, & probatum fuerit, amittat mundium ipsius, & illa potestatem habeat de duabus viis eligendi, ubi vult, ad parentes reverti, aut ad curtem Regis, cum rebus suis propriis, quæ ad eam per legem pertinent, se commendare, qui mundium eius in potestate habere debeat. Et si ille vir hoc crimen negaverit, liceat ei se purificare, & mundium eius habere ut supra.

III. IDEM.

SI quis mundium de puella libera aut muliere habens, eam strigam, quod est masca, clamaverit, excepto patre aut fratre, amittat mundium ipsius, ut supra, & illa potestatem habeat cum rebus suis propriis, ubi vult ad parentes aut ad curtem Regis se commendare, quæ mundium eius debeat habere: & si vir ille negaverit dixisse hoc crimen, liceat ei se purificare, & mundium eius habere ut supra.

IV. REX LIVTPRANDVS.

COntinet autem anterius edictum de frea sua, qui eam male tractaverit, amittat mundium ipsius: sed non dicit, qualis sit ipsa mala tractatio. Proinde statuere prævidimus, qualis sit ipsa mala tractatio. Mala tractatio est, si eam fame aut siti necaverit, aut vestimentum, aut calciamentum, secundum qualitatem personæ vel pecuniæ, mulieri non dederit: aut si servo vel aldioni alterius eam uxorem dare præsumpserit, aut turpiter battiderit eam: excepto si infans fuerit, pro honesta disciplina ostendenda, aut propter muliebria opera, aut vitium malum emendandum, sicut de propria filia sua. Et si eam ad indecibilem operam coactam minaverit, aut si cum ea adulteratus fuerit, omnia hæc qui facere præsumpserit, malè tractatam esse decernimus. Et insuper addimus, ut nec ad liberum hominem eam ad maritum dare præsumat, absque eius voluntate: quia peius tractata esse non potest, quam si illum virum tollat, quem ipsa non vult. Ideo statuimus, ut propter plagas aut feritas, si fecerit, vel de adulterio componat eidem fœminæ, sicut edictum continet, & mundium eius amittat.

TITVL.

TITVLVS XII. DE CONIVGIIS SERVORVM VEL ALDIORVM.

I. REX ROTHARIS.

SI aldius cuiuſcunque liberam uxorem tulerit, id eſt fulfreal, & mundium de ea fecerit: poſteaque de ea filium habens, & maritus eius mortuus fuerit: ſi mulier in ipſa caſa noluerit permanere, & parentes eius eam ad ſe recolligere voluerint, reddant pretium, quod pro mundio mulieris datum eſt illi, cuius aldius fuerit: tunc illa abſq; morgengab, aut aliquid de rebus mariti revertatur ad parentes ſuos, cum rebus ſuis, ſi aliquas res de parentibus adduxit. Et ſi filii de ipſa muliere fuerint, & noluerint in caſa patris ſedere, res paternas dimittant, & mundium pro ſe reddant, quantum pro matre eorum datũ eſt, & vadant ubi voluerint liberi.

II. IDEM.

SI aldia aut libera in caſa aliena ad maritum intraverit, & ſervum maritum tulerit, libertatem ſuam amittat. Et ſi dominus eius neglexerit eam replicare ad ſervitium, mortuo tamen marito vadat ubi voluerit, libera una cum liberis ſuis, & cum omnibus rebus ſuis, quantas in illo tempore ſecum adduxit, quando ad maritum intravit. Nam amplius nullam rem conſequatur, ſed vitium ſuum ſibi reputet, eo quod ſervo conſenſerit voluntariè.

III. IDEM.

SI aldius ancillam ſuam aut alterius tulerit ad uxorem, filii qui ex ipſa ancilla naſcuntur, ſint ſervi eius, cuius & mater ancilla eſt.

IV. IDEM.

SI aldius cuiuſcunque aldiam aut libertam alienam uxorem tulerit, ſi filios ex ipſo coitu habuerit, patrem ſequantur, & ſint aldii, cuius & pater eſt.

V. IDEM.

SI ancilla cuiuſcunque in caſam alterius ad maritum intraverit, & ſervum tulerit, nihil de ipſa caſa marito mortuo conſequatur, niſi quantum ſecum adduxit.

VI. REX LIVTPRANDVS.

SI ſervus cuiuſcunque ancillam alterius tulerit, & dominus ancillæ eam liberaverit, & amond fecerit à ſe, aut ſi eam vendiderit, & qui eam emit doloſo animo, & liberavit, & ſervus ipſe in ſervitio permanſerit, amittat ipſam libertatem ſuam, & ſit ancilla Regis: & ipſe qui eam liberavit, componat in curte Regia aliam talem, aut pretium quantum ipſa valuerit, pro eo, quod colludium fecit. Servus vero ipſe ſit in poteſtate domini ſui, & ancillam ipſam faciat dominus ſervi ſuam cum pretio, aut qualiter à Rege obtinere poterit.

VII. IDEM.

SI aldius cuiusque aldiam alterius tulerit ad uxorem, & filios ex ea procreaverit, & mundium ex ea non fecerit, sint filii eius aldiones, cuius & mater fuerit. Nam si, postquam ex ea mundium fecerit, filii nati fuerint, sicut in anteriori edicto continetur, patrem sequantur, & talem legem cum patrono suo habeant, qualem & pater eorum habuerit.

VIII. IDEM.

SI quis fraudulenter ancillam alienam tulerit, & dixerit, quod eam servus aut aldius ipsius tulisset ad uxorem, & postea veritas clarefacta fuerit, quod non eam ipse servus aut aldius tulisset, tunc primum omnium reddat ipsum mancipium, cuius fuerit, & sit eius ancilla, cuius antea fuit: & ille qui hanc fraudem facere præsumpserit, det insuper aliam talem ancillam aut aldiam eidem homini, cui fraudem fecerit, & reddat opera de ipsa ancilla, quam fraudulenter tulit, quamdiu eam apud se habuerit.

IX. IDEM.

SI aldius cuiuscunque aldiam alienam tulerit in uxorem, aut servus ancillam, & antequam de ipso coniugio aliquam convenientiam domini eorum inter se faciant, contigerit ut quispiam miser homo cum ipsa muliere aldia aut ancilla, quæ est uxor alterius, fornicatus fuerit, ita prævidimus, ut eidem, cuius uxorem adulteraverit, de ipsa culpa debeat subiacere ille, qui hoc malum perpetraverit. Nam dominus eiusdem mulieris tantum mundium de ea suscipiat, si aldia fuerit, sicut lex est; & si fuerit ancilla, accipiat exinde pretium aut vicariam, sicut convenerit. Hoc autem ideo prospeximus de uxore servi vel aldionis, quia si de libero homine quispiam miser homo mulierem adulteraverit, ad maritum eius componat, etiamsi non habeat eam mundiatam: nam non ad parentes.

X. IMPERATOR KAROLVS.

VT coniugia servorum non dirimantur, si diversos dominos habuerint, sed in uno coniugio servi permanentes, dominis suis serviant. Sic tamen ut ipsum coniugium legale sit, & per voluntatem dominorum suorum; iuxta Evangelium, *quos Deus coniunxit, homo non separet.*

XI. IMPERATOR PIPINVS.

DE mancipiis palatii nostri, & Ecclesiarum nostrarum, nolumus mundium recipere, sed nostra mancipia habere.

TITVLVS XIII. DE EO QVI VXOREM SVAM DIMISERIT, ET ALIAM SVPER EAM DVXERIT.

I. REX GRIMOALDVS.

SI quis uxorem suam absque culpa legitima postposuerit, & aliam in domum super eam duxerit, componat sol. D. medium Regi, & medium

medium parentibus mulieris, quam postposuerit: mundium vero mulieris eiusdem, quam postposuerit, amittat. Et si noluerit ad maritum suum reverti, revertatur ad parentes suos, cum rebus suis & mundio.

II. IDEM.

SI mulier aut puella notum habuerit, quemcunque hominem uxorem habere, & super ipsam introierit, & tulerit maritum, non suum; sancimus, ut omnes res suas perdat ipsa mulier, quæ se sciente alterius marito voluntariè consensit: & medium de rebus suis accipiat curtis Regia, & medium parentes mulieris prioris. Et illa prior mulier recipiat maritum suum, & ille colat eam, ut decet uxorem legitimam: & illa vitium suum sibi reputet, quæ super aliam uxorem intrare præsumpserit, & nihil ei componat, nec fayda requiratur.

III. REX LIVTPRANDVS.

SI servus cuiuscunque, habens legitimam uxorem, aliam ancillam super eam duxerit, componat dominus servi, sicut edictum de adulterio continet, ei cuius ancillam postea tulit. Ancilla vero ipsa pro illicita præsumptione accipiat talem disciplinam à domino suo, in præsentia domini servi, ut alia ancilla hoc facere non præsumat.

IV. IMPERATOR KAROLVS.

VT nec uxor à viro dimissa alium accipiat virum, vivente viro: nec vir aliam accipiat uxorem, vivente priore uxore.

V. IDEM.

QVicunque propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam duxerit, armis depositis publicam habeat pœnitentiam: & si contumax fuerit, comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur, & in custodia mittatur, donec res ad nostram notitiam perducatur.

VI. IMPERATOR HLOTHARIVS.

NVlli liceat excepta causa fornicationis, adhibitam sibi uxorem relinquere, & deinde aliam copulare, alioquin transgressori priori convenit sociare coniugio. Sin autē vir & uxor divertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine conscientia Episcopi fiat, ut ab eo singulariter præviso constituantur in loco: nam uxore nolente, aut altero eorum, etiam pro tali re matrimonium non solvatur.

VII. IDEM.

NVlli liceat in uno tempore duas habere uxores, vel uxorem & concubinam: quia cum domui non sit lucrum, animæ suæ fiat detrimentum. Nam sicut Christus castam observat Ecclesiam, ita vir castum debet custodire coniugium.

TITVLVS XIV. DE SVCCESSIONIBVS.

I. REX ROTHARIS.

OMnis parentela usque in septimum genuculum numeretur, ut parens parenti per gradum & parentelam heres succedat: sic tamen, ut ille qui succedere vult, nominatim uniuscuiusq; nomina parentum suorum antecessorum dicat. Et si intentio fuerit contra curtem Regis, tunc ille qui quærit, præbeat sacramentum cum legitimis sacramentalibus suis XII. & dicat per ordinem, quod parentela nostra sic fuit: & illi sic fuere nobis parentes, quomodo nos dicimus.

II. IDEM.

SI quis dereliquerit filium legitimum unum, quod est fulboran, & filios naturales unum aut plures: filius legitimus tollat duas portiones de patris substantia, naturales vero tertiam. Et si sint duo legitimi, habeant quatuor partes; naturales quintam partem, quanticunque fuerint. Et si tres fuerint legitimi, habeant naturales septimam partem. Si quatuor fuerint legitimi, habeant naturales nonam partem. Si quinque fuerint legitimi, habeant naturales duodecimam partem. Si sex fuerint legitimi, habeant naturales tertiamdecimam partem. Si septem fuerint legitimi, habeant naturales quintamdecimam partem. Si autem plures fuerint, per hunc numerum dividant patris substantiam.

III. IDEM.

NVlli sit licentia naturales filios æquales aut consimiles facere legitimis filiis, nisi filii legitimi, post completam legitimam ætatem, patri consenserint: legitima autem ætas est, postquam filii XII. annos habuerint.

IV. IDEM.

DE filio naturali, qui de ancilla alterius natus est, si pater comparaverit eum, & liberum thingaverit, libertas illi permaneat: & si non liberaverit eum, sit servus, cuius & mater est ancilla. Nam si eum comparaverit, & eum liberaverit, & aliquid de rebus suis per legem ei thingaverit, habeat ipsas res.

V. IDEM.

DE eo qui de filio naturali generatus fuerit, quod est threus, heres non fiat, nisi ei thingatum fuerit aliquid per legem: & si ei thingatum non fuerit aliquid de rebus, tamen libertas illi permaneat.

VI. IDEM.

SI quis dereliquerit filiam legitimam unam, & filium naturalem unum, aut plures, & alios parentes proximos, æqualiter dividant substantiam defuncti, id est in tres partes. Filia legitima accipiat uncias quatuor, quod est tertia pars, naturales filii uncias quatuor: & parentes proximi aut heredes

redes uncias quatuor, quod est tertia pars. Et si parentes proximi non fuerint, tunc curtis Regia suscipiat ipsas quatuor uncias.

VII. IDEM.

SI quis dereliquerit filias legitimas duas aut plures, & filios naturales unum aut plures, & alios parentes proximos, ut supra; illæ filiæ tollant uncias sex, quod est medium: naturales filii uncias quatuor, quod est tertia pars; & parentes legitimi uncias duas, quod est sexta pars: & si parentes non fuerint, curtis Regia ipsas duas uncias suscipiat.

VIII. IDEM.

SI quis dereliquerit filiam legitimam unam aut plures, & filium naturalem unum aut plures, & sororem legitimam unam aut plures, tollant filiæ & sorores inter se æqualiter dividendas uncias sex, quod est medium: naturales filii uncias quatuor, quod est tertia pars: & duas uncias parentes legitimi, & si parentes legitimi non fuerint, curtis Regia suscipiat ipsas duas uncias, quod est sexta pars. Pro mundio autem supra scriptarum, tollant naturales filii tertiam partem, & heredes legitimi, aut curtis Regia, partes duas.

IX. IDEM.

SI fuerint filii legitimi, & naturales, & sorores, tam legitimæ quam naturales, pro mundio earum tollant filii legitimi partes duas, naturales verò partem tertiam.

X. IDEM.

SI fuerint filii legitimi, & filii naturales duo aut plures, & contigerit casus, ut unus ex naturalibus occisus fuerit, tollant legitimi fratres pro compositione ipsius, quo appretiatus fuerit, partes duas: naturales vero qui remanserunt, tertiam partem facultas vero illius mortui ad legitimos fratres revertatur, & non ad naturales. Ideo ita prævidimus hoc propter faidam deponendam, id est inimicitiam pacificandam.

XI. IDEM.

SI fratres post mortem patris in casa communi remanserint, & unus ex ipsis in obsequio Regis, aut cum iudice aliquas res acquisierit serviendo, habeat sibi inantea absque portione fratrum, nec quod foris in exercitu acquisierit, commune sit cum fratribus, quos in communi casa dimiserit. Et si quis alicui de suprascriptis fratribus garathinx fecerit, habeat inantea ille, cui factum fuerit. Et si quis ex ipsis duxerit uxorem, & de rebus communibus meta data fuerit, quando alter uxorem tulerit, aut quando ad divisionem faciendam venerit. Simili modo de communibus rebus ei refundatur aliud tantum, quantum ille alter frater in meta dederit: paternæ autem vel maternæ substantiæ quod reliquum fuerit, inter se æqualiter dividant.

XII. IDEM.

NVlli liceat sine certa culpa filium suum exheredare, nec quod ei debetur per legem alii thingare. Iustas autem culpas dicimus exheredandi filios eas esse. Si filius contra animam patris, aut sanguinem insidiatus, aut consiliatus fuerit, aut si percusserit patrem voluntariè, aut si cum matrinia sua, id est, noverca peccaverit, iustè à patre exheredatur. Item sicut nec patribus licitum est sine iusta causa aut culpa filios suos exheredare, ita nec filiis liceat vivo patre cuicunque res suas thingare, aut per quemlibet titulum alienare, nisi filios forte aut filias legitimas, aut filios naturales dimiserit, ut ipsi secundum legem conservent.

XIII. IDEM.

SI quis desperaverit propter senectutem, aut aliquam corporis infirmitatem, quod filios non possit habere, & res suas alii thingaverit: posteaque eum contigerit filios legitimos procreare, omne thinx, quod est donatio, quæ prius facta est, rumpatur, & filii legitimi unus aut plures, qui postea nati fuerint, heredes patri in omnibus succedant. Si autem filiam legitimam unam aut plures, seu filios naturales unum aut plures, post thinx factum habuerit, habeant & ipsi legem suam, sicut supra cōstitutum est, tanquam si nulli alii thingatum fuisset: & ille cui thingatum est, tantum habeat, quantum alii parentes proximi debuerant habere, aut curtis Regia suscipere, si alii thingatum non fuisset.

XIV. IDEM.

SI pater filiam suam, aut frater sororem suam legitimam alii ad maritum dederit, in hoc sibi sit contenta de patris aut fratris substantia, quantum ei pater aut frater in die nuptiarum dederit, & amplius non requirat.

XV. IDEM.

SI pater filiam suam, aut frater sororem suam, alii ad maritum tradiderit, & contingerit casus, ut ille maritus moriatur, & pater aut frater mundium eius liberaverit, sicut supra constitutum est, & illa vidua in domo patris aut fratris regressa fuerit, & alias sorores in casa patris aut fratris invenerit, & postea pater aut frater mortuus fuerit, & illa remanserit in domo cum aliis sororibus, una aut pluribus, & ad facultatem patris aut fratris venerint dividendam, cum aliis parentibus, aut curte Regis, tunc illa vidua, quæ in domo patris aut fratris regressa est, habeat sibi morgengab & methium: de faderfio autem, id est de alio dono, quantum pater aut frater dederit ei, quando ad maritum ambulaverit, mittat in confusum cum aliis sororibus, & illa alia soror, una aut plures, tollat unaquæque inantea, quantum pro mundio pater aut frater liberando eam ad parentes mariti defuncti dederit, reliquam patris aut fratris substantiam æqualiter dividant, sicut in hoc edicto legitur: & si sola in casa remanserit, in quantum ei per legem competit, heres succedat.

uxor fratris, ducere uxorem. Et si ipsa consenserit, vir qui eam duxerit uxorem, componat pro culpa in curte Regis solid. centum, & mox separetur ab ea, districtus à Rege. Et ipsa mulier habeat medium de omni re sua, & medium amittat, & curtis Regia suscipiat, eo quod contra mandatum Regis illicitas consenserit celebrare nuptias, & pœnam sustineat, & mox ut dictum est, separentur.

II. REX LIVTPRANDVS.

SI quis puellam ante annos XII. sponsaverit aut tulerit, tunc ille, qui eam tulerit aut sponsaverit, componat sicut edictum de raptu continet, id est, DCCC. sol. medium Regi, & medium eidem infantulæ, & ipsa revertatur in casam, & in pecuniam suam, & sit quieta usque ad iustum tempus: postea autem eligat sibi virum, & nubat cui voluerit. Si autem mundualdus eius consentiens fuerit, aut tradiderit ante XII. annos, componat in sacro palatio sol. CCC. & mundium eius amittat, & sit ipsa cum rebus suis in mundio palatii. Pater vero, aut frater, potestatem habeant, cui aut in quali ætate voluerint, ad dandum aut sponsandum filiam suam, aut sororem suam. Quia non est credibile ut pater filiam suam, aut frater sororē suam, doloso animo, aut contra rationem, cuiquam homini dare debeat.

III. IDEM.

DE his qui de illicito matrimonio nati sunt, vel nascuntur, id est de matrina, aut filiastra, vel cognata, quæ fuit uxor fratris, aut soror uxoris: quia Canones sic habent, de duabus sororibus, sicut de duobus fratribus. Et qui de tali matrimonio natus fuerit, heres legitimus patri suo non sit, sed ipsam rem habeant parentes propinqui: & si parentes propinqui non fuerint, succedat curtis Regia.

IV. IDEM.

HOc autem Deo annuente statuere prævidimus, ut amodo nullus præsumat relictam de consobrino aut sobrino suo uxorem ducere: si quis autem hoc quod illicitum est, amodo facere præsumpserit, amittat omnem substantiam suam. Et qui de tali coniugio nati fuerint, legitimi heredes non existant, nisi parentes propinqui: & si parentes propinqui non fuerint, curtis Regia succedat. Hoc autem ideo affiximus, quia Deo teste, & Papa urbis Romæ, qui in omni mundo caput Ecclesiarum Dei, & sacerdotum est, per suam epistolam nos adhortatus est, ut tale coniugium fieri nullatenus permitteremus.

V. IDEM.

ITem hoc censemus atque præcipimus, ut nullus præsumat commatrem suam ducere uxorem, sed nec filiam, quam de sacro fronte levaverit: neque filius eius præsumat filiam illius uxorem ducere, qui eum de fonte suscepit, quia spirituales Germani esse noscuntur. Et qui hoc malum facere tentaverit, perdat omnem substantiam

suam. Et si filii qui de tali illicito matrimonio nascuntur, heredes esse non debent, nisi propinqui parentes: & si propinqui parentes non fuerint, curtis Regia succedat ei. Vbi autem inventi fuerint, qui suprascripta illicita coniugia contraxerint, de præsenti separentur, & pœnæ suprascriptæ subiaceant.

VI. IDEM.

DE his qui de illicito matrimonio nati sunt, vel ante hoc tempus nascuntur, & eis legitimi fratres sui voluntariè partem dederint, ita statuimus, ut si eis fratres sui legitimi voluntariè partem dederint, in ipsa debeant permanere, & eos exheredare minimè deberent: nam pater non possit illos illicitos, neque per thinx, neque per qualecunque colludium heredes instituere. Hoc autem ideo constituimus, ut omnis homo, qui vult, accipiat legitimam uxorem: nam non illicitas contrahat nuptias. Si autem fratres non sint, & parentes legitimi fuerint, qui legitime poterunt ad hereditatem pervenire, & usque modo tacuerunt, taceant & in antea. Et nullam habeant facundiam, nec potestatem, contra eos, qui possident per triginta annos, loquendi, dicendo quod heredes esse non debeant: nisi qui per triginta annos possederunt, possideant & in antea.

VII. IDEM.

SI quis miser & insipiens homo præsumpserit sponsare mulierem, habentem virum suum, sive vir ipse ægrotus fuerit sive sanus, sicut & modo nobis talis causa annuntiata est, & probatum est, componat ipse qui hoc fecerit, widrigilt suum ad maritum eius: & ipsa suscipiat in se talem condemnationem, qualem supra diximus de illa muliere, quæ se turpiter tractari permittit.

VIII. IDEM.

ADveniente vanissima & superstitiosa vel cupida suasione ex perversione, apparuit modo in his temporibus, quæ illicita nobis vel cunctis nostris iudicibus coniunctio esse comparuit: quoniam adultæ & maturæ ætatis fœminæ copulabant sibi pueros parvulos, & infra ætatem legitimam, & dicebant, quod viri legitimi esse deberet, dum adhuc ipsi secum minimè commisceri valerent. Nunc itaq; statuere prævidimus, ut nulla amodo fœmina hoc facere præsumat, nisi pater aut avus pueri cum legitimis parentibus puellæ hoc facere præviderit. Nam si puer post mortem patris aut avi intra ætatem remanserit, & ei se qualiscunque fœmina, antequam ipse puer XIIII. annum compleat, copulare præsumpserit, dicendo, quod legitimus eius maritus esse debeat, irrita sit ipsa coniunctio, & separentur ab invicem. Fœmina vero ipsa revertatur vacua cum opprobrio suo, & non habeat potestatem alio viro se copulare, dum ipse puer in ætatem supradictam pervenerit. Siquidem impleta ætate puer ipse sibi eam ad uxorem habere voluerit, habeat licentiam: & si eam noluerit, tollat uxorem aliam, qualem voluerit, & potuerit. Illa vero si ad alium maritum ambulaverit, & ipse puerulus eam habere noluerit, non ei possit vir suus, qui eam tulerit, pleniter methium dare, sicut ad aliam puellam, sed tantummodo medium sicut ad viduam mulierem

lierem. Qui vero puerum ipsum suaserit, sive parens eius sit, sive extraneus homo, componat sol. c. medium Regi, & medium ad ipsum puerum.

IX. IMPERATOR KAROLVS.

VT Episcopi de incestuosis hominibus emendandi licentiam habeant; seu & de viduis intra suam parochiam potestatem habeant corrigendi. Et si de ipsis incestuosis aliquis post iudicium Episcopi in ipso incestu se iterum commiscuerit, si prædium, id est allodium, habuerit, ipsum in fiscum Regis recipiatur.

X. IDEM.

Illud præterea per omnia præcaventes nos prohibere decrevimus, ut nullus præsumat ante annos pubertatis puerum vel puellam in matrimonio sociare, in dissimili ætate, sed coætaneos, & sibi consentientes: quia multas sæpius ex huiusmodi contractu nuptiali ruinas animarum factas audivimus, & tales fornicationes perpetratas, quales inter gentes esse non debent. Ita plane, ut si contigerit puerum adultum esse, & puellam parvulam, per virum cognata & socrus deprehendantur adulteræ: econtrario si puella maturæ ætatis, & puer teneræ, & propter puellam adultam, & puerum parvulum pater & frater pueri tanti peccati flagitiosi perveniunt irretiti. Vnde qui hæc prohibita de cetero usurpare præsumpserit, ab omni consortio Ecclesiastico sit alienus, sed nec à publicis sit immunis iudiciis.

XI. IMPERATOR HLOTHARIVS.

COnsobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel etiam de propria cognatione, aut quam cognatus habuerit, nullus audeat in coniugio copulare. Si quis huic tali nefario coniugio se coniunxerit, & in eo permanserit, sciat se Episcopali autoritate anathematis vinculo esse innodatum, ut nullus sacerdos ei tribuat communionem. Si vero conversus divisusque fuerit ab illicita copulatione, dignæ pœnitentiæ submittatur, ut sacerdos loci consideraverit.

XII. IDEM.

DE his coniunctionibus, quæ secundum Canones Ecclesiæ & edictũ copulatæ esse non possunt, placuit nobis, ut ab invicem separentur: & qui de nostris iudicibus neglexerit causam istam ad iudicandum aut distringendum, componat widrigilt suum.

XIII. IDEM.

DE incestis coniunctionibus hoc præcipitur, ut nullus deinceps propinquam, nec quam propinquus habuerit uxorem, ducat in coniugio: & uxoris parentela ita sit viro, sicut propria parentela.

XIV. IMPERATOR HENRICVS.

HEnricus divina pietate secundus Romanorum Imperator Augustus omnibus hominibus. Quoniam nobis divinæ pietatis providentia imperia-

lis officii curam commissam credimus, nos quoque erga ea, quæ ad Christianas religiones pertinet, & ad cultum iustitiæ iugiter sollicitari debemus. Quapropter cum in regni universali conventu nostrorum fidelium Italicorum sederemus, orta quæstione de illicitis coniugiis, consilio nostrorum Principum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Marchionum, Comitum, ac Iudicio iudicum, seu consensu omnium iudicantium, huiusmodi sententiam diffinivimus, omnia scilicet quæ sancti Canones, & sacræ leges nostrorum prædecessorum inde statuerunt, summa autoritate confirmamus, & insuper nostro imperiali iure addimus. Vt quicunque seu in legitima ætate, sive infra legitimam ætatem uxorem duxerit, vel desponsaverit, si morte præventus fuerit, nulli propinquorum suorum liceat viduam vel desponsatam illius uxorem ducere. Quod si quis hoc fecerit, tam mulier quam vir, ex hac lege exheredati sint, omniumque bonorum eorum amittant facultatem, & medietas propinquis parentibus hereditario iure, & altera medietas ad fiscum deveniat: & quicunque ex huiusmodi coniugio natus fuerit, ipse quoque, sicut & parentes sui, ex hac lege exheredatus sit.

TITVLVS IX. SI SERVVS LIBERAM PVELLAM VEL MVLIEREM IN CONIVGIO ACCEPERIT.

I. REX ROTHARIS.

SI puella libera servum alienum foris provinciam secuta fuerit, requirant eos pariter, dominus servi & parentes puellæ. Et si eos invenerint, ambo pœnam luxuriæ iuxta legem sustineant. Nam culpa ad dominum, cuius servus fuerit, non requiratur.

II. IDEM.

SI servus liberam mulierem aut puellam ausus fuerit sibi coniugio sociare, animæ suæ incurrat periculum: & illam quæ servo fuerit consentiens, habeant parentes potestatem occidendi, aut foris provinciam transvendendi, & de rebus ipsius mulieris faciendi, quod voluerint. Et si parentes eius infra anni spatiũ hoc facere distulerint, tunc liceat gastaldio Regis, aut actori, aut sculdasio, ipsam in curtẽ regis ducere, & intra pensiles ancillas constituere.

III. REX LIVTPRANDVS.

SI mulier libera servum tulerit, & parentes eius infra anni spatium in eam vindictam dare neglexerint, sicut in anteriori edicto continetur, tunc quandocunq; post ipsum anni spatiũ inventa fuerit, sit ancilla palatii, & ipse servus similiter ad palatium replicetur: & filii qui ex eis nati fuerint, curti Regiæ omnimodo serviant. Nam si parentes ipsius mulieris vel dominus compleverint intra supradictum anni spatium, quod anterius edictum continet, sic permaneat.

XI. IMPERATOR HLOTHARIVS.

IVbemus, ut si cuiuscunq; servus liberam fœminam sibi ea consentiente in coniugio sociaverit, & infra anni spatium, secundum legem ad vindictam traditi non fuerint, sicut lex tales personas nostro fisco sociat, ita nostra liberalitate concedimus, ut in potestate & in servitio domini illius, cuius servus fuerit, ambo revertantur.

TITVLVS X. QVALITER MVLIERI LIBERÆ ALIENARE PERMISSVM SIT.

I. REX ROTHARIS.

NVlli mulieri liberæ sub regni nostri ditione lege Longobardorum viventi, liceat in suæ potestatis arbitrio, id est, sine mundio vivere; nisi semper sub potestate viri, aut potestate curtis Regiæ debeat permanere: nec aliquid de rebus mobilibus aut immobilibus sine voluntate ipsius, in cuius mundio fuerit, habeat potestatem donandi aut alienandi.

II. REX LIVTPRANDVS.

SI qua mulier res suas consentiente viro suo, communiter venumdare voluerit, ipse qui emere vult, vel illi qui vendunt, faciant notitiam ad duos vel tres parentes ipsius mulieris, qui propinquiores sunt: & si in præsentia de ipsis parentibus suis mulier illa violentiam se pati dixerit, non sit stabile, quod vendiderit. Nam si in præsentia ipsorum suorum parentum, vel iudicis, qui in loco præfuerit, mulier violentiam se pati non reclamaverit, nisi sua voluntate ipsas res se dixerit venumdare, tunc ab illo die omni tempore, quod vendiderit, stabile debeat permanere: ita tamen ut ipsi parentes qui interfuerint, aut iudex in carta ipsa manum ponant. Et si contigerit casus, ut ille maritus moriatur, & ad alium maritum ambulaverit, stabilis permaneat ipsa venditio. Scriba autem qui cartam ipsam scripserit, non aliter præsumat facere, nisi cum notitia parentum vel iudicum, sicut supradictum est: & si aliter fecerit, sit ipsa venditio vacua, & præfatus scriba sit culpabilis, sicut qui cartam falsam scripserit.

III. IMPERATOR PIPINVS.

PLacuit nobis etiam, ut sicut quæcunque fœmina potestatem habet cum licentia viri sui res suas vendere, ita habeat potestatem donare.

IV. IMPERATOR GVIDO.

COncedimus, ut sicut mulieres cum viris suis res suas donare aut venumdare possunt, ita & commutare valeant, ac familiam suam liberam facere.

TITVLVS XI. QVALITER MVNDOALDVS AMITTAT MVNDIVM.

I. REX ROTHARIS.

SI quis de puella libera aut muliere mundium in potestate habens, excepto patre aut fratre, ei crimen iniecerit, quod adulterata sit, tunc amittat mundium ipsius puellæ, & illa potestatem habeat cum rebus suis propriis, si vult, ad parentes reverti, vel ad curtem Re-

gis se commendare, qui mundium eius debeat habere. Et si vir ille hoc crimen dixisse negaverit, liceat ei se purificare, si potuerit, & mundium ipsius, sicut habuit, habere liceat.

II. IDEM.

SI quis mundium de muliere libera aut puella in potestatem habens, excepto patre aut fratre, & in animam ipsius puellæ aut mulieris insidiatus fuerit, aut alii invitam ad maritum tradiderit, aut volentibus, ad eius violentiam faciendam, consensum præbuerit, aut consilium dederit, & probatum fuerit, amittat mundium ipsius, & illa potestatem habeat de duabus viis eligendi, ubi vult, ad parentes reverti, aut ad curtem Regis, cum rebus suis propriis, quæ ad eam per legem pertinent, se commendare, qui mundium eius in potestate habere debeat. Et si ille vir hoc crimen negaverit, liceat ei se purificare, & mundium eius habere ut supra.

III. IDEM.

SI quis mundium de puella libera aut muliere habens, eam strigam, quod est masca, clamaverit, excepto patre aut fratre, amittat mundium ipsius, ut supra, & illa potestatem habeat cum rebus suis propriis, ubi vult ad parentes aut ad curtem Regis se commendare, quæ mundium eius debeat habere; & si vir ille negaverit dixisse hoc crimen, liceat ei se purificare, & mundium eius habere ut supra.

IV. REX LIVTPRANDVS.

COntinet autem anterius edictum de frea sua, qui eam male tractaverit, amittat mundium ipsius: sed non dicit, qualis sit ipsa mala tractatio. Proinde statuere prævidimus, qualis sit ipsa mala tractatio. Mala tractatio est, si eam fame aut siti necaverit, aut vestimentum, aut calciamentum, secundum qualitatem personæ vel pecuniæ, mulieri non dederit: aut si servo vel aldioni alterius eam uxorem dare præsumpserit, aut turpiter battiderit eam: excepto si infans fuerit, pro honesta disciplina ostendenda, aut propter muliebria opera, aut vitium malum emendandum, sicut de propria filia sua. Et si eam ad indecibilem operam coactam minaverit, aut si cum ea adulteratus fuerit, omnia hæc qui facere præsumpserit, malè tractatam esse decernimus. Et insuper addimus, ut nec ad liberum hominem eam ad maritum dare præsumat, absque eius voluntate: quia peius tractata esse non potest, quam si illum virum tollat, quem ipsa non vult. Ideo statuimus, ut propter plagas aut feritas, si fecerit, vel de adulterio componat eidem fœminæ, sicut edictum continet, & mundium eius amittat.

TITVL.

TITVLVS XII. DE CONIVGIIS SERVORVM VEL ALDIORVM.

I. REX ROTHARIS.

SI aldius cuiuscunque liberam uxorem tulerit, id est fulfreal, & mundium de ea fecerit: posteaque de ea filium habens, & maritus eius mortuus fuerit: si mulier in ipsa casa noluerit permanere, & parentes eius eam ad se recolligere voluerint, reddant pretium, quod pro mundio mulieris datum est illi, cuius aldius fuerit: tunc illa absq; morgengab, aut aliquid de rebus mariti revertatur ad parentes suos, cum rebus suis, si aliquas res de parentibus adduxit. Et si filii de ipsa muliere fuerint, & noluerint in casa patris sedere, res paternas dimittant, & mundium pro se reddant, quantum pro matre eorum datũ est, & vadant ubi voluerint liberi.

II. IDEM.

SI aldia aut libera in casa aliena ad maritum intraverit, & servum maritum tulerit, libertatem suam amittat. Et si dominus eius neglexerit eam replicare ad servitium, mortuo tamen marito vadat ubi voluerit, libera una cum liberis suis, & cum omnibus rebus suis, quantas in illo tempore secum adduxit, quando ad maritum intravit. Nam amplius nullam rem consequatur, sed vitium suum sibi reputet, eo quod servo consenserit voluntariè.

III. IDEM.

SI aldius ancillam suam aut alterius tulerit ad uxorem, filii qui ex ipsa ancilla nascuntur, sint servi eius, cuius & mater ancilla est.

IV. IDEM.

SI aldius cuiuscunque aldiam aut libertam alienam uxorem tulerit, si filios ex ipso coitu habuerit, patrem sequantur, & sint aldii, cuius & pater est.

V. IDEM.

SI ancilla cuiuscunque in casam alterius ad maritum intraverit, & servum tulerit, nihil de ipsa casa marito mortuo consequatur, nisi quantum secum adduxit.

VI. REX LIVTPRANDVS.

SI servus cuiuscunque ancillam alterius tulerit, & dominus ancillæ eam liberaverit, & amond fecerit à se, aut si eam vendiderit, & qui eam emit doloso animo, & liberavit, & servus ipse in servitio permanserit, amittat ipsam libertatem suam, & sit ancilla Regis: & ipse qui eam liberavit, componat in curte Regia aliam talem, aut pretium quantum ipsa valuerit, pro eo, quod colludium fecit. Servus vero ipse sit in potestate domini sui, & ancillam ipsam faciat dominus servi suam cum pretio, aut qualiter à Rege obtinere poterit.

VII. IDEM.

SI aldius cuiusque aldiam alterius tulerit ad uxorem, & filios ex ea procreaverit, & mundium ex ea non fecerit, sint filii eius aldiones, cuius & mater fuerit. Nam si, postquam ex ea mundium fecerit, filii nati fuerint, sicut in anteriori edicto continetur, patrem sequantur, & talem legem cum patrono suo habeant, qualem & pater eorum habuerit.

VIII. IDEM.

SI quis fraudulenter ancillam alienam tulerit, & dixerit, quod eam servus aut aldius ipsius tulisset ad uxorem, & postea veritas clarefacta fuerit, quod non eam ipse servus aut aldius tulisset, tunc primum omnium reddat ipsum mancipium, cuius fuerit, & sit eius ancilla, cuius antea fuit: & ille qui hanc fraudem facere præsumpserit, det insuper aliam talem ancillam aut aldiam eidem homini, cui fraudem fecerit, & reddat opera de ipsa ancilla, quam fraudulenter tulit, quamdiu eam apud se habuerit.

IX. IDEM.

SI aldius cuiuscunque aldiam alienam tulerit in uxorem, aut servus ancillam, & antequam de ipso coniugio aliquam convenientiam domini eorum inter se faciant, contigerit ut quispiam miser homo cum ipsa muliere aldia aut ancilla, quæ est uxor alterius, fornicatus fuerit, ita prævidimus, ut eidem, cuius uxorem adulteraverit, de ipsa culpa debeat subiacere ille, qui hoc malum perpetraverit. Nam dominus eiusdem mulieris tantum mundium de ea suscipiat, si aldia fuerit, sicut lex est: & si fuerit ancilla, accipiat exinde pretium aut vicariam, sicut convenerit. Hoc autem ideo prospeximus de uxore servi vel aldionis, quia si de libero homine quispiam miser homo mulierem adulteraverit, ad maritum eius componat, etiamsi non habeat eam mundiatam: nam non ad parentes.

X. IMPERATOR KAROLVS.

VT coniugia servorum non dirimantur, si diversos dominos habuerint, sed in uno coniugio servi permanentes, dominis suis serviant. Sic tamen ut ipsum coniugium legale sit, & per voluntatem dominorum suorum; iuxta Evangelium, *quos Deus coniunxit, homo non separet.*

XI. IMPERATOR PIPINVS.

DE mancipiis palatii nostri, & Ecclesiarum nostrarum, nolumus mundium recipere, sed nostra mancipia habere.

TITVLVS XIII. DE EO QVI VXOREM SVAM DIMISERIT, ET ALIAM SVPER EAM DVXERIT.

I. REX GRIMOALDVS.

SI quis uxorem suam absque culpa legitima postposuerit, & aliam in domum super eam duxerit, componat sol. D. medium Regi, & m edium

medium parentibus mulieris, quam postposuerit: mundium vero mulieris eiusdem, quam postposuerit, amittat. Et si noluerit ad maritum suum reverti, revertatur ad parentes suos, cum rebus suis & mundio.

II. IDEM.

SI mulier aut puella notum habuerit, quemcunque hominem uxorem habere, & super ipsam introierit, & tulerit maritum, non suum; sancimus, ut omnes res suas perdat ipsa mulier, quæ se sciente alterius marito voluntariè consensit: & medium de rebus suis accipiat curtis Regia, & medium parentes mulieris prioris. Et illa prior mulier recipiat maritum suum, & ille colat eam, ut decet uxorem legitimam: & illa vitium suum sibi reputet, quæ super aliam uxorem intrare præsumpserit, & nihil ei componat, nec fayda requiratur.

III. REX LIVTPRANDVS.

SI servus cuiuscunque, habens legitimam uxorem, aliam ancillam super eam duxerit, componat dominus servi, sicut edictum de adulterio continet, ei cuius ancillam postea tulit. Ancilla vero ipsa pro illicita præsumptione accipiat talem disciplinam à domino suo, in præsentia domini servi, ut alia ancilla hoc facere non præsumat.

IV. IMPERATOR KAROLVS.

VT nec uxor à viro dimissa alium accipiat virum, vivente viro: nec vir aliam accipiat uxorem, vivente priore uxore.

V. IDEM.

QVicunque propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam duxerit, armis depositis publicam habeat pœnitentiam: & si contumax fuerit, comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur, & in custodia mittatur, donec res ad nostram notitiam perducatur.

VI. IMPERATOR HLOTHARIVS.

NVlli liceat excepta causa fornicationis, adhibitam sibi uxorem relinquere, & deinde aliam copulare, alioquin transgressori priori convenit sociare coniugio. Sin autē vir & uxor divertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine conscientia Episcopi fiat, ut ab eo singulariter præviso constituantur in loco: nam uxore nolente, aut altero eorum, etiam pro tali re matrimonium non solvatur.

VII. IDEM.

NVlli liceat in uno tempore duas habere uxores, vel uxorem & concubinam: quia cum domui non sit lucrum, animæ suæ fiat detrimentum. Nam sicut Christus castam observat Ecclesiam, ita vir castum debet custodire coniugium.

TITVLVS XIV. DE SVCCESSIONIBVS.

I. REX ROTHARIS.

OMnis parentela usque in septimum genuculum numeretur, ut parens parenti per gradum & parentelam heres succedat: sic tamen, ut ille qui succedere vult, nominatim uniuscuiusq; nomina parentum suorum antecessorum dicat. Et si intentio fuerit contra curtem Regis, tunc ille qui quærit, præbeat sacramentum cum legitimis sacramentalibus suis XII. & dicat per ordinem, quod parentela nostra sic fuit: & illi sic fuere nobis parentes, quomodo nos dicimus.

II. IDEM.

SI quis dereliquerit filium legitimum unum, quod est fulboran, & filios naturales unum aut plures: filius legitimus tollat duas portiones de patris substantia, naturales vero tertiam. Et si sint duo legitimi, habeant quatuor partes; naturales quintam partem, quanticunque fuerint. Et si tres fuerint legitimi, habeant naturales septimam partem. Si quatuor fuerint legitimi, habeant naturales nonam partem. Si quinque fuerint legitimi, habeant naturales duodecimam partem. Si sex fuerint legitimi, habeant naturales tertiamdecimam partem. Si septem fuerint legitimi, habeant naturales quintamdecimam partem. Si autem plures fuerint, per hunc numerum dividant patris substantiam.

III. IDEM.

NVlli sit licentia naturales filios æquales aut consimiles facere legitimis filiis, nisi filii legitimi, post completam legitimam ætatem, patri consenserint: legitima autem ætas est, postquam filii XII. annos habuerint.

IV. IDEM.

DE filio naturali, qui de ancilla alterius natus est, si pater comparaverit eum, & liberum thingaverit, libertas illi permaneat: & si non liberaverit eum, sit servus, cuius & mater est ancilla. Nam si eum comparaverit, & eum liberaverit, & aliquid de rebus suis per legem ei thingaverit, habeat ipsas res.

V. IDEM.

DE eo qui de filio naturali generatus fuerit, quod est threus, heres non fiat, nisi ei thingatum fuerit aliquid per legem: & si ei thingatum non fuerit aliquid de rebus, tamen libertas illi permaneat.

VI. IDEM.

SI quis dereliquerit filiam legitimam unam, & filium naturalem unum, aut plures, & alios parentes proximos, æqualiter dividant substantiam defuncti, id est in tres partes. Filia legitima accipiat uncias quatuor, quod est tertia pars, naturales filii uncias quatuor: & parentes proximi aut heredes

redes uncias quatuor, quod est tertia pars. Et si parentes proximi non fuerint, tunc curtis Regia suscipiat ipsas quatuor uncias.

VII. IDEM.

SI quis dereliquerit filias legitimas duas aut plures, & filios naturales unum aut plures, & alios parentes proximos, ut supra; illæ filiæ tollant uncias sex, quod est medium: naturales filii uncias quatuor, quod est tertia pars; & parentes legitimi uncias duas, quod est sexta pars: & si parentes non fuerint, curtis Regia ipsas duas uncias suscipiat.

VIII. IDEM.

SI quis dereliquerit filiam legitimam unam aut plures, & filium naturalem unum aut plures, & sororem legitimam unam aut plures, tollant filiæ & sorores inter se æqualiter dividendas uncias sex, quod est medium: naturales filii uncias quatuor, quod est tertia pars: & duas uncias parentes legitimi, & si parentes legitimi non fuerint, curtis Regia suscipiat ipsas duas uncias, quod est sexta pars. Pro mundio autem supra scriptarum, tollant naturales filii tertiam partem, & heredes legitimi, aut curtis Regia, partes duas.

IX. IDEM.

SI fuerint filii legitimi, & naturales, & sorores, tam legitimæ quam naturales, pro mundio earum tollant filii legitimi partes duas, naturales vero partem tertiam.

X. IDEM.

SI fuerint filii legitimi, & filii naturales duo aut plures, & contigerit casus, ut unus ex naturalibus occisus fuerit, tollant legitimi fratres pro compositione ipsius, quo appretiatus fuerit, partes duas: naturales vero qui remanserunt, tertiam partem facultas vero illius mortui ad legitimos fratres revertatur, & non ad naturales. Ideo ita prævidimus hoc propter faidam deponendam, id est inimicitiam pacificandam.

XI. IDEM.

SI fratres post mortem patris in casa communi remanserint, & unus ex ipsis in obsequio Regis, aut cum iudice aliquas res acquisierit serviendo, habeat sibi inantea absque portione fratrum, nec quod foris in exercitu acquisierit, commune sit cum fratribus, quos in communi casa dimiserit. Et si quis alicui de suprascriptis fratribus garathinx fecerit, habeat inantea ille, cui factum fuerit. Et si quis ex ipsis duxerit uxorem, & de rebus communibus meta data fuerit, quando alter uxorem tulerit, aut quando ad divisionem faciendam venerit. Simili modo de communibus rebus ei refundatur aliud tantum, quantum ille alter frater in meta dederit: paternæ autem vel maternæ substantiæ quod reliquum fuerit, inter se æqualiter dividant.

XII. IDEM.

NVlli liceat sine certa culpa filium suum exheredare, nec quod ei debetur per legem alii thingare. Iustas autem culpas dicimus exheredandi filios eas esse. Si filius contra animam patris, aut sanguinem insidiatus, aut consiliatus fuerit, aut si percusserit patrem voluntariè, aut si cum matrinia sua, id est, noverca peccaverit, iustè à patre exheredatur. Item sicut nec patribus licitum est sine iusta causa aut culpa filios suos exheredare, ita nec filiis liceat vivo patre cuicunque res suas thingare, aut per quemlibet titulum alienare, nisi filios forte aut filias legitimas, aut filios naturales dimiserit, ut ipsi secundum legem conservent.

XIII. IDEM.

SI quis desperaverit propter senectutem, aut aliquam corporis infirmitatem, quod filios non possit habere, & res suas alii thingaverit: posteaque eum contigerit filios legitimos procreare, omne thinx, quod est donatio, quæ prius facta est, rumpatur, & filii legitimi unus aut plures, qui postea nati fuerint, heredes patri in omnibus succedant. Si autem filiam legitimam unam aut plures, seu filios naturales unum aut plures, post thinx factum habuerit, habeant & ipsi legem suam, sicut supra cōstitutum est, tanquam si nulli alii thingatum fuisset: & ille cui thingatum est, tantum habeat, quantum alii parentes proximi debuerant habere, aut curtis Regia suscipere, si alii thingatum non fuisset.

XIV. IDEM.

SI pater filiam suam, aut frater sororem suam legitimam alii ad maritum dederit, in hoc sibi sit contenta de patris aut fratris substantia, quantum ei pater aut frater in die nuptiarum dederit, & amplius non requirat.

XV. IDEM.

SI pater filiam suam, aut frater sororem suam, alii ad maritum tradiderit, & contingerit casus, ut ille maritus moriatur, & pater aut frater mundium eius liberaverit, sicut supra constitutum est, & illa vidua in domo patris aut fratris regressa fuerit, & alias sorores in casa patris aut fratris invenerit, & postea pater aut frater mortuus fuerit, & illa remanserit in domo cum aliis sororibus, una aut pluribus, & ad facultatem patris aut fratris venerint dividendam, cum aliis parentibus, aut curte Regis, tunc illa vidua, quæ in domo patris aut fratris regressa est, habeat sibi morgengab & methium: de faderfio autem, id est de alio dono, quantum pater aut frater dederit ei, quando ad maritum ambulaverit, mittat in confusum cum aliis sororibus, & illa alia soror, una aut plures, tollat unaquæque inantea, quantum pro mundio pater aut frater liberando eam ad parentes mariti defuncti dederit, reliquam patris aut fratris substantiam æqualiter dividant, sicut in hoc edicto legitur: & si sola in casa remanserit, in quantum ei per legem competit, heres succedat.

XVI. IDEM

XVI. IDEM.

SI quis sine heredibus mortuus fuerit, & res ipsis ad curtem Regis pervenerit, nec donatum nec præstitum quicunq; ip mortuo dederit aut præstiterit, non habeat potestatem requirendi: qui postquam ad manum Regis pervenit, terminum posuit, & sine debito aut aliqua repetitione cecidit.

XVII. IDEM.

SI libertus homo, qui fulfreal factus est, filios dereliquerit legitimos, sint illi heredes: si filias habuerit, habeant & ipsæ legem suam, sicut supra constitutum est. Et si naturales fuerint, habean & ipsi legem suam. Et si casu faciente sine heredibus mortuus fuerit, & antea iudicaverit res suas proprias, se vivente, id est andegaverit & arigaverit secundum legem Longobardorum, habeat cui donaverit. Nam quanam de rebus benefactoris sui per donum habuerit, si eas non obligaverit, in libertatem ad ipsum patronum aut heredes revertantur. Et si aliquid in gasindio ducis, aut privatorum hominum obsequio, donum vel munus conquisierit, res ad donatorem revertantur: in alias vero res, sicut dictum est, heredes non dereliquerit, aut se vivo non iudicaverit, patronus succedat sicut parenti suo.

XVIII. REX GRIMOALDVS.

SI quis habuerit filios legitimos unum aut plures, & contigerit unum ex his vivente patre mori, & dereliquerit filios legitimos unum aut plures, & contigerit avuum mori, talem partem percipiant de substantia avi sui, una cum patruis suis, qualem pater eorum inter fratres suos percepturus erat, si vivus fuisset. Similiter, & si filiæ legitimæ una aut plures, aut filii naturales unus aut plures fuerint, habeant legē suam, sicut in hoc edicto legitur. Quia in humanum & impium videtur nobis esse, ut pro tali causa exheredentur filii ab hereditate patris sui, pro eo quod pater eorum in sinu avi mortuus est: sed ex omnibus æqualem, ut supra, cum patruis in loco patris sui post mortem avi percipiat portionem. Similiter & si filiæ legitimæ non fuerint, & naturales inventi fuerint, unus aut plures, habeant legem suam, id est tertiam, ex omnibus.

XIX. REX LIVTPRANDVS.

SI quis Longobardus sine filiis legitimis masculinis mortuus fuerit, & filiam dereliquerit unam aut plures legitimas, ipsæ ei in omnem hereditatem patris vel matris suæ, tanquam filii legitimi masculini, heredes succedant.

XX. IDEM.

SI quis Longobardus se vivente filias suas nuptui tradiderit, & alias post mortem in capillo in casa reliquerit, tunc omnes æqualiter in eius substantia heredes succedere debent, tanquam filii legitimi masculini.

XXI. IDEM.

SI quis Longobardus sorores reliquerit, & vivente eo ad maritum ambulaverint, tantum habeant ex fratris facultate, si ipse filios vel

filias reliquerit, quantum in die votorum acceperint, quando ad maritum ambulaverint. Nam si ipse frater neque filios neque filias reliquerit, aut si habuerit, & ante eum mortui vel mortuæ fuerint, absque filiis vel filiabus, tunc sorores eius, tam quæ in capillo remanserint, quam quæ ad maritum ambulaverint, in omnem substantiam eius æqualiter succedant.

XXII. IDEM.

SI quis Longobardus filias & sorores in capillo in casa reliquerit, pariter atque æqualiter, quantæcunque fuerint, in hereditatem eius ei succedere debent, tanquam si filios dereliquisset legitimos.

XXIII. IDEM.

SI filiæ aut sorores contra voluntatem patris aut fratris egerint, potestatem habeat pater aut frater iudicandi res suas, quomodo aut qualiter voluerit.

XXIV. IDEM.

SI sorores in casa patris remanserint, aut ad maritum ambulaverint, succedant patri suo & matri suæ in omnem substantiam eorum, sicut antea statuimus. Et si contingerit unam ex eisdem sororibus mori, tunc & quæ in capillo remanserint, & quæ ad maritum ambulaverint, in omnem portionem sororis suæ defunctæ, quamvis puella mortua fuerit, succedant. Parentes autem propinqui, aut mundualdus earum, suscipiant de ea tantum mundium: nam de rebus eius aliud nihil percipiant. Si autem contigerit illam mori, quæ iam nuptui tradita est, tunc ille ei succedat, qui eam per mundium suam fecit.

XXV. IDEM.

SI duo fratres, aut si pater & filius thingati fuerint, si unus ex ipsis sine filiis vel filiabus mortuus fuerit, curtis Regia ei succedat. Ideo autem hoc scripsimus, quia etsi affixum in edicto propriè non sit, tamen omnes iudices & fideles nostri sic dixerunt, quia cadarfreda antiqua tunc sic fuisset.

XXVI. IDEM.

REcolimus enim, qualiter iam antea statuimus, ut si quis decedens reliquerit filiam unam aut plures, & sororem unam aut plures in capillo, ut pariter atque æqualiter sorores & filiæ eidem succedere debeant: & si soror in capillo decesserit, soror quæ remanserit, similiter sorori succedat. Modo vero quia intentio exorta est inter fratres & sorores de nepte earum, quæ in capillo mortua fuerit, altercationem ponentes ei quis succedere debeat, statuimus, ut barbanus eius, in cuius mundio fuerit, ipse ei succedat in eius portionem. Nam amitæ eius de ipsius portione nihil percipiant, nisi tantum habeant, quantum si viva fuisset, ipsa neptis earum.

VI. REX ASTVLPHVS.

REcolimus in anterioris edicti pagina esse insertum, ut si frater decesserit absque filiis & filiabus, & sorores reliquerit, ipsæ heredes ei succedere debent.

debent. Nam amitæ eorum nepotum successionem nullo modo capere poterant, quia nihil de eisdem amitis in ipso continetur edicto: nisi aut sorores aut parentes propinqui succedere debent. Et dum remanebant in capillo inordinatè, & in casa patientes necessitatem, servis se copulabant. Ideo nos Deo inspirante statuere prævidimus, ut si quis Longobardus moriens sororem unam aut plures in capillo in casa reliquerit, & filium unum aut plures, filii ipsius debeant perpensare, qualiter amitæ absque necessitate vivere possint, secundum qualitatem substantiæ suæ, ut amitæ eorum indigentiam non patiantur, neque de victu, neque de vestimento, sed nec de ipso obsequio suo. Et si in sacro monasterio sub statuta regula vivere voluerint, ab ipsis suis nepotibus ordinentur, ut illis provisum fuerit, aut convenerit. Si autem prædicti nepotes decesserint intestati absque filiis & filiabus, & sorores reliquerint amitæ eorum, quæ in casa in capillo remanserint, cum ipsis nepotibus suis, in rebus nepotum & fratrum succedant æqualiter, quantæcunque fuerint.

XXVIII. IMPERATOR GVIDO.

VOlumus præterea atque sancimus, ut si quis liber homo legitimè uxori suæ, dum advixerit, res suas per scriptum ad usumfructum dederit, & filios duos vel plures habuerit, & unus ex ipsis vel duo mortui fuerint, & filios & filias reliquerit, æqualiter ipsas res, quas usufructuario modo prædicta uxor habuerit, filii defuncti cum patruis, sicut ceteram hereditatem, ita usumfructum dividant.

XXIX. IMPERATOR HENRICVS.

QVicunque ex quacunque natione legitimam uxorem acceperit, si eam mori contigerit sine filiis amborum eorum, vir uxori suæ succedat, & omnia bona sua percipiat.

TITVLVS XV. DE DONATIONIBVS QVI CVM THINGATIONE VEL LAVNECHILT FIVNT.

I. REX ROTHARIS.

SI quis res suas alii thingare voluerit, non absconse, sed ante liberos homines ipsum garathinx faciat, quatenus qui thingat, & qui gisiles fuerint, liberi sint, ut nulla inposterum oriatur contentio.

II. IDEM.

SI quis res suas alii thingaverit, & dixerit in ipso thinx lidolaip, id est, qui in die obitus sui reliquerit, non dispergat ipsas res postea doloso animo, nisi fruatur cum ratione. Et si talis evenerit necessitas, ut terram cum mancipiis vendere, aut loco pignoris ponere debeat, aut sine mancipiis, dicat prius illi, cui thingaverit; *Ecce vides, quia necessitate compulsus res istas volo vendere, si tibi videtur, subveni mihi, & res istas conserva in tua proprietate*: tunc si noluerit subvenire, quod alii dederit, sit illi stabile & firmum, qui acceperit.

III. IDEM.

NVlli donatori liceat ipsum thinx, quod antea fecerit, iterum in alium hominem transmittere: tantum est ut ille, qui garathinx susceperit, tales culpas non faciat donatori suo, quales solent ingrati filii parentibus suis facere, per quas exheredantur, quæ in hoc edicto scriptæ sunt. Ipse autem qui garathinx susceperit ab illo, quidquid reliquerit donator in die obitus sui, habeat licentiam in suum dominium recolligere, & debitum creditoribus solvere, & aliis requirere; & quod in fiduciæ nexu positum est, reddat debitum, & requirat rem in fiduciæ nexu positam.

IV. IDEM.

SI quis res suas cuicunque donaverit, & postea qui donaverit launechild requisierit, tunc ille qui acceperit, aut heredes eius iurent, quod launechild redditum sit. Et si ausus non fuerit iurare, quod compositum sit, reddat ei ferquidum, id est simile, quale in illa die fuit, quando donatum est: & si iuraverit sit absolutus.

V. REX LIVTPRANDVS.

DE donatione, quæ sine thingatione aut sine launechild facta est, minimè stare debet: quia etsi specialiter in edicto sic non fuit institutum, tamen usque modo sic fuit iudicatum. Ideoque pro errore tollendo hoc scribere in edicti pagina iussimus, ut qui fuerint propinqui parentes, ipsi succedant. Et si ipsi superstites fuerint qui ipsam donationem sive launechild dederint, possint eam sibi recolligere: excepto si in Ecclesia aut in loco sacro, aut in xenodochio pro anima sua aliquid quispiam donaverit, stabile debeat permanere. Quia in loco sanctorum, aut in xenodochio, nec thinx aut launechild impedire debet, eo quod pro anima sua factum est.

TITVLVS XVI. DE ADOPTIONIBVS.

I. IMPERATOR KAROLVS.

QVi filium legitimum non habuerit, & alium quemlibet heredem sibi facere voluerit, coram Comite, vel coram Rege & scabinis, vel misso dominico, qui tunc ad iustitiam faciendam in provincia fuerint ordinati, traditionem faciat.

TITVLVS XVII. DE ACQVISITIONIBVS ACTORVM REGIS.

I. REX ROTHARIS.

SI gastaldius, aut quislibet actor Regis, post susceptas & commissas sibi ad gubernandum curtes, aut casas Regis, aliquid per garathinx, id est donationem, ab alio quocunque factum conquisierit, sit illi stabile, si per præceptionem indulgentiæ Regis in eum fuerit confirmatum: alioquin quidquid, ut supradictum est, post susceptam administrationem per garathinx acquisierit, hoc totum Regi acquirat, & non ad suum proprium nomen vindicet, nec ipse nec heres eius.

II. IMPERATOR HLOTHARIVS.

COncedimus & gastaldiis nostris, curtes nostras providentibus, ut si pro-
prio eorum pretio res emerint, aut quolibet iusto cōtractu acquisierint,
sicut lex illas res ad nostram partem concedit, ita nos eas illis concedimus, si
in servitio nostro fideles inventi fuerint.

TITVLVS XVIII. DE VLTIMIS VOLVNTATIBVS.

I. REX ROTHARIS.

SI quis leprosus fuerit effectus, & cognitum fuerit iudici, vel po-
pulo, quia certa sit rei veritas, & expulsus sit à civitate, vel à ca-
sa, ita ut solus inhabitet, non sit illi licentia res suas alienare, aut
thingare cuilibet personæ. Quia in eodem die, quando à domo expulsus
est, tamquam mortuus habetur. Tamen dum vixerit, de rebus, quas dereli-
querit, pro mercedis intuitu nutriatur.

II. REX LIVTPRANDVS.

SI quis liber Longobardus, ut habet casus humanæ fragilitatis, ægrotave-
rit, quamquam in lectulo iaceat, potestatem habeat, dum vivit, & recte lo-
qui poterit, pro anima sua iudicandi, vel disponendi de rebus suis, quo-
modo aut qualiter voluerit; & quod iudicaverit, stabile debeat permanere.

III. REX ASTVLPHVS.

COgnovimus multotiens perfidos homines contra voluntatem defun-
ctorum parentum suorum agere, dum ipsi pro animabus suis per loca
venerabilia res suas distribuebant; & pertinentibus suis simpliciter liberta-
tem cum rebus quibuslibet donabant: & cum ipsis hominibus per suam
astutiam agebant, & eos à suis cespitibus removentes in suum servitium re-
plicabant, qui postmodum libertatem simul & res amittebant. Ideo prævidi-
mus hanc resecare malitiam, ut voluntas & ordinatio defuncti adimplea-
tur. Et ita sancimus, ut si quis Longobardus per chartam in sanitate aut in
ægritudine res suas ordinaverit, & dixerit eas habere loca venerabilia, &
familias, per quas res ipsæ excolantur, liberas esse dixerit, ut in ipsis religiosis
locis redditum faciant, secundum ipsius statutum, reddant omni tempore,
iuxta domini sui præceptionem, ipsi & filii eorum, & sint liberi de suis per-
sonis, sicut dominus eorum instituerit: & ab eius heredibus non replicentur,
nec à suis cespitibus removeantur, sed ab ipsis locis venerabilibus defen-
sentur: excepto si sua voluntate voluerint exire, licentiam habeant in sua
libertate exire, & vivere ubi voluerint. Nam si ad finem mortis propera-
verit, ita ut nec thingare hominem suum possit, nec in manu sacerdotis trade-
re, circa altare liberum dimittendum, propter subitaneam mortem; & in-
stituerit, ut post obitum eius per manum sacerdotis, qualem designavit, cir-
ca sacrum altare duci debeat: causa miserationis decrevimus, ut sicut domi-
nus eorum perceperit, ita impleatur, & sacerdos quem designaverit, circa

altare eum absque cuiuscunque contradictione absolvat, & liberi permaneant: quia maxima merces nobis esse videtur, ut de servitio servi ad libertatem deducantur, eo quod redemptor noster servus fieri dignatus est, ut nobis libertatem donaret. Si vero aliquid eis in ipso exitu donaverit, aut donari praeceperit, stabilis eis ipsa donatio permaneat: quia Pauli Apostoli autoritas maximè ad domesticos fidei beneficium praebere iubet. Et pro launechild imputetur ei servitiũ, quia servus non habet unde launechild ei faciat.

IV. IMPERATOR KAROLVS.

SI quis Longobardus statum humanae fragilitatis praecogitans, pro salute animae suae de rebus suis voluerit iudicare, vel cartam donationis cuilibet facere, non sicut hactenus fieri solebat, ius sibi vendendi, donandi, commutandi, & per aliam cartam easdem res alienandi, reservet potestatem: sed absolutè faciat unusquisque de rebus suis, quod velit, & noscat sibi ex nostra auctoritate penitus interdictum esse, duas de eadem re facere traditiones. Sed postquam unam de rebus suis traditionem fecerit, aliam de ipsis rebus faciendi nullam habeat potestatem. Ita tamen si usumfructum voluerit habere, per precariam res traditas usq; in tempus definitum possidendi, sit concessa facultas.

V. IDEM.

QVicunque res suas pro anima sua ad casam Dei tradere voluerit, domi traditionem faciat coram testibus legitimis: & quae in hoste factae sunt hactenus traditiones, de quibus nulla quaestio est, stabiles permaneant. Si vero aliquis alii res suas tradiderit, & in hoste profectus fuerit, & ille cui res traditae sunt, interim mortuus fuerit, ipse qui res suas tradiderit, cum reversus fuerit, adhibitis testibus, coram quibus traditio facta est, res suas recipiat. Si autem ipse mortuus fuerit, heredes eius legitimi ipsam rem traditam recipiant.

VI. IMPERATOR PIPINVS.

SI cuiuscunque res in eleëmosyna datae sunt, & ipse homo mortuus fuerit, antequam eas dispenset, tunc dominicus missus una cum Episcopo parochiae ipsius consideret, qualiter pro mercede domini Regis eleëmosyna fiat facta, & infra XXX. noctes adimpleta esse debeat.

VII. IMPERATOR HLVDOICVS.

SI quis suas res pro salute animae suae ad aliquem venerabilem locum, aut ad propinquos suos, aut cuilibet alteri, tradere voluerit: & eo tempore infra ipsum comitatum fuerit, in quo res illae positae fuerint, legitimam facere traditionem studeat. Et si eodem tempore, quo res illas tradere vult, extra eundem comitatum fuerit, id est, sive in exercitu, sive in palatio, sive in alio loco quolibet, adhibeat sibi de suis pagensibus, vel de aliis qui ea lege vivunt, qua ipse vivit, tres testes idoneos. Et si illos habere non potuerit, tunc de aliis, quales meliores sibi invenire potuerit, sibi adhibeat, & coram eis de ipsa re traditionem faciat, & fideiussori investituram donet: ut ei qui illam traditionem acceperit, investituram faciat. Et postquam haec traditio

traditio ita facta fuerit, heres illius nullam de prædictis rebus valeat facere repetitionem. Insuper & ipse fideiussor faciat eidem investituram, ne eius heredibus ulla occasio remaneat, hanc traditionem mutandi: sed potius necessitas incumbat, illam perficiendi. Et si nondum res suas cum coheredibus suis divisas habuerit, non hoc ei impedimentum sit, sed coheredes eius, si sponte voluerint dividere, aut per Comitem, aut per missum eius distringantur, ut cum illo divisionem faciant, ad quem defunctus hereditatem suam voluerit pervenire. Et si cuilibet Ecclesiæ eam tradere rogaverit, coheres eius eam legem cum illa Ecclesia de prædicta hereditate habeat, quam cum alio coherede suo habere debuerat. Et hoc observetur erga patrem, & filium, & neptem, usque ad annos legitimos, & postea ipsæ res ad immunitatem ipsius Ecclesiæ redeant.

VIII. IMPERATOR HLOTHARIVS.

VOlumus ut res, quæ à liberis personis locis dedicatis conferuntur, liceat sibi usumfructum & ordinationem rerum earundem, si aliter sibi placuerit, reservare. Si aliter eas non ordinaverit, ita remaneant, sicut prius datæ fuerint.

TITVLVS XIX. DE EO QVI RES ALII POST DELEGATIONEM FRAVDVLENTER ALIENAVERIT.

I. IMPERATOR HLOTHARIVS.

DE his quæ proprietates suas habent, & spontanea voluntate alicui delegaverint, & postea fraudulenter ab aliquo alio ignorante pretium de eisdem rebus venumdatis accipiunt: & cui ipsæ res prius traditæ fuerint, cognito negotio anno integro silens non cōtradixerit, sed propter illusionem tacens fuerit, ut emptorem illudere possit: si intra patriam per anni spatium, ut dictum est, tacens fuerit, prior traditio nihil ei valeat. Ille vero qui post primam traditionem res vendiderit, si vivens comprobatus fuerit hanc illusionem fecisse, bannum dominicum, id est LX. sol. componat: si vero unde bannum componere non habuerit, verberetur.

TITVLVS XX. DE EO QVOD PATER FILIIS VEL FILIABVS NECESSE HABEAT RELINQVERE.

I. REX LIVTPRANDVS.

DE eo præcipimus, qui filiam in casa habuerit in capillo, & filium non reliquerit legitimum, ut de rebus suis amplius per nullum titulum cuicunque per donationem, aut pro anima sua facere possit, nisi partes duas: tertiam vero relinquat filiæ suæ, sicut gloriosissimus Rotharis Rex instituit. Quia qui thinx facit, & postea filia nascitur, in tertiam partem ipsum thinx rumpitur, secundum anterius edictum: & si duæ fuerint, aut amplius, in medietatem. Ideo dum ipsum edictum loquitur de thinx, quod est donatio, nobis comparuit, quod per nullam donationem, nec per launechild, possit filiam suam de ipsa tertia portione substantiæ suæ exheredem facere. Et si duæ aut amplius fuerint, de medietate.

II. IDEM.

SI quis Longobardus habuerit filium masculum legitimum unum, & filiam legitimam unam aut plures, & antequam eas ad maritum tradat, ad mortem venerit, potestatem habeat ad filias per cartam donationis, si voluerit, usque ad quartam portionem de rebus suis iudicare: & si iudicaverit, stabile permaneat. Nam si duos filios legitimos habuerit, & filiam unam aut plures, septimam portionem de rebus suis iudicet, si voluerit. Si vero amplius fuerint filii, per hanc rationem computentur. Si vero pater vivente se eas ad maritum dederit, ordinet iuxta legem qualiter voluerit.

III. IDEM.

SI quis Longobardus voluerit filiis suis, sibi benè servientibus, aliquid largiri, habeat licentiam hoc modo largiri: ut si fuerint duo filii legitimi, tertiam partem substantiæ suæ possit meliorare eum, qui bene & secundum Deum ei obediens fuerit & servierit. Et si tres fuerint, habeat licentiam quartam partem meliorare, qualem voluerit. Et si fuerint quatuor filii, tribuat quintam partem. Et si fuerint quinque, sextam partem. Et si fuerint sex, septimam partem. Et si amplius fuerint, per hunc numerum percurrat: ut semper qui pater est, vigorem habeat, qualiter ei filii sui, ut diximus, recte obediant, & serviant. Et si toti ei bene servierint, habeant æqualiter substantiam patris. Et si forsitan quicunque secundam aut tertiam mulierem duxerit, & habuerit filios, & de anteriore coniuge, & de sequenti, non habeat potestatem illos posteriores, quorum mater vivit, meliorare, dum ipsa vixerit, ne dicat aliquis, quod per illam mulierem talis suasio facta sit: defuncta autem muliere pater licentiam habeat facere, ut supra legitur. Quia credimus secũdum Deum esse, ut dum servos qui benè servierunt, melioratos vidimus, & remuneratos à dominis suis, magis quam illos, qui recte non servierunt: quanto magis debet fieri recta causa, ut homo filium suum meliorare, & remunerare possit, qui ei melius servierit.

IV. REX ASTVLPHVS.

A Nostris decessoribus iam antea institutum est, ut Longobardus potestatem habeat filium suum sibi benè servientem, meliorare de rebus suis: de filiabus autem non continebatur. Ideo statuimus, ut si duas filias habuerit, & filium non reliquerit, potestas ei sit, unam filiam suam, qualem voluerit, meliorare, in tertiam partem rerum suarum. Et si tres fuerint, quartam partem. Et si amplius fuerint, per hanc rationem computetur.

V. IMPERATOR PIPINVS.

DE filia cuius pater per manum erogatoris omnes servos suos iussit fieri libertos, quia contra legem esse videtur, statuimus: ut filia ipsa in tertiam portionem de præfatis rebus iterum introire possit.

TITVL.

TITVLVS XXI. DE DEBITIS ET VVADIMONIIS, ET QVÆ LICEAT PIGNORARE VEL NON.

I. REX ROTHARIS.

SI quis debitorem habens appellet eum semel, & bis, & usque tertio: si debitum non reddiderit, aut non composuerit, tunc debeat eum pignorare in his rebus, in quibus pignorare licitum est.

II. IDEM.

SI quis alium pro quolibet debito aut causa pignorare præsumpserit, antequam eum tertio pulsaverit, pignus quod ante contestationem tulerit, sibi nonum reddat in potestate domini sui.

III. IDEM.

NVlli liceat alium pro alio pro quolibet debito pignorare, excepto illo, qui gaphans esse invenitur, id est coheres eius proximior, qui ad illius hereditatem, si casus evenerit, venturus est.

IV. IDEM.

SI quis per errorem alium pro alio pignoraverit, in servo aut ancilla, ita decernimus, ut postquam cognovit, quod male pignoraverit, mox ipsum relaxet. Et si pulsatus fuerit à domino servi vel ancillæ, tunc præbeat sacramentum, quod per errorem fecerit, nam non asto animo, sed credidit debitorem suum pignorasse, & tunc sit indemnis. Nam si plagas aut feritas fecerit in ipsum, pignus componat, sicut in hoc edicto legitur. Et si sacramentum dare non præsumpserit, quod per errorem pignorasset, reddat pignus in octogilt.

V. IDEM.

SI quis greges equarum sive porcorum sine iussione Regis pignoris nomine abstulerit, ille prior aut moriatur, aut componat solid. DCCCC. medium Regi, & medium cui pignus abstulerit: & illi qui cum illo fuerint, si tamen liberi sint, componat unusquisque sol. LXXX. medium Regi, & medium illi quem pignoraverit, ut supra. Et si servi dominum secuti fuerint, in compositione domini sui computetur: culpam enim fecit dominus, nam non servi, qui dominum suum secuti sunt.

VI. IDEM.

SI quis caballos domitos, aut boves, aut vaccas iugo domitos, pignoraverit sine iussione Regis, sibi nonum reddat.

VII. IDEM.

SI quis liber homo, qui debitor est, alias res non habuerit, nisi caballos, aut boves domitos, seu vaccas iunctorias, tunc ille qui debitum requirit, vadat ad sculdasium, qui in loco ordinatus est, & intimet causam ipsam, quod

debitor ipsius alias res non habeat, nisi quod supra legitur, tunc sculdasius tollat boves aut caballos ipsius, & ponat eos penes creditorem, dum usque iustitiam faciat. Si sculdasius dilataverit facere, sit culpabilis in palatio Regis sol. XII. & post iustitiam factam pignus restituatur.

VIII. IDEM.

NVlli liceat pro quolibet debito casam ordinatam tributariam loco pignoris tollere, nisi servum aut ancillam, vaccas aut pecora: ita ut ipsum pignus, quod tulit, per suam custodiam salvum faciat, usque ad præfinitum tempus, sicut subter annexum est, id est, intra eas personas, quæ intra centum miliaria habitant, intra dies XX. Et si intra istos dies XX. debitor pignus suum, iustitiam faciens, & debitum reddens, non liberaverit, & post transactos dies XX. contigerit, ex ipso pignore mancipium aut quodlibet peculium mori, aut homicidium aut damnum fieri, aut alibi transmigrare, tunc debitor in suum damnum reputet, quod sua pignora liberare neglexerit. Nam si intra XX. dies servi aut ancillæ mortui fuerint, aut peculium perierit, aut homicidium aut damnum dederit, ipse qui pignoraverit, in suum damnum reputet, & priori domino satisfaciat. Et si supra centum miliaria inter se creditor & debitor habitaverint, tunc usque ad XL. dierum spatium pœna suprascripta pignus custodiatur.

IX. IDEM.

SI quis alii wadiam & fideiussorem de sacramento dederit, omne quod per wadiam & fideiussorem obligavit, adimpleat. Et ille qui pulsat & wadiam suscepit, proximiores sacramentales qui nascendo sunt, debeat nominare tantum: excepto illo, qui gravem inimicitiam cum ipso, qui pulsatur, commissam habet, id est, si ei plagam fecerit, aut in morte eius consenserit, aut res ipsius alii thingaverit, ipse non potest esse sacramentalis, quamvis proximus sit, eo quod inimicus & extraneus esse invenitur.

X. IDEM.

SI quis alii wadiam dederit, & eam recipere neglexerit per fideiussorem, & apud eum remanserit una nocte, aut II. vel III. nihil componat: si remanserit IIII. noctibus, componat sol. XII. si remanserit V. noctibus, componat sol. XXIIII. si remanserit VI. noctibus, componat solid. XXXVI. Et si ille qui eam wadiam acceperit, eam reddere neglexerit per fideiussorem, & apud eum remanserit, sic componat, quomodo ille, qui wadiam suam recipere neglexerit.

XI. IDEM.

SI mundium de puella libera parentibus mortuis suis ad curtem Regis ceciderit, & pater aut frater debitum dimiserit; in quanta portione patri vel fratri heres successerit, ita debitum persolvat. Simili modo & si naturalis filius fuerit.

XII. REX LIVTPRANDVS.

QVicunque liber homo, sub regni nostri ditione positus, cuicunque amodo wadiam dederit, & fideiussorem posuerit, in præsentia duorum vel trium testium; quorum fides admittitur, in omnibus complere debet. Et si se distulerit, & pignoratus fuerit, in his rebus in quibus licitum est pignorare, nullam calumniam qui pignoravit, patiatur: nam qui sine hac manifestatione pignorare præsumpserit, iubemus, ut in duplum ipsum pignus restituat. Si vero inter creditorem, & debitorem, atque fideiussorem, orta fuerit intentio, qualiter in anteriori edicto legitur, quod à gloriosissimo Rothare Rege institutum est, per sacramentum determinetur. Nam si in præsentia duorum vel trium testium stipulatio ipsa facta fuerit, in eorum testimonio credatur, ut sacramentum inter dantes & accipientes minimè perveniat. Et si debuerint ipsi testes suum testimonium firmare, nobis, vel qui in tempore princeps fuerit, vel iudici, firmare debent. Et si homines non interfuerint, quando wadia datur, quicunq; quasi fideiussorem pignoraverit, componat sicut supra legitur.

XIII. IDEM.

SI quis mutaverit sol. cuicunq; homini per cautionem, si intra quinq; annos creditor pulsaverit, & debitor non habuerit unde solvat, renovetur cautio ipsa usque ad annos x. Et si intra annos decem pulsatus fuerit, & non reddiderit, & dilataverit usque ad annos xx. & fuerit pulsatus, aut per Principem, aut per iudicem civitatis, & probatum fuerit per ipsam cautionem, debitor aut heres eius persolvat. Nam si nec cautio fuerit intra viginti annos bis renovata, neque Principi vel iudici ostensa fuerit, sive manifesta usque ad viginti annos, iubemus ut creditor postmodum taceat, & nullam habeat facundiam requirendi debitores suos, excepto si ei captivitas evenerit. De cautionibus autem quæ usque modo in præsenti indictione tertia factæ sunt, intra quinq; annos istos advenientes iubemus, ut renoventur aut exigantur. Nam si distulerint intra quinque annos debitores suos pulsare, ut cautiones renoventur, aut debita exigantur, & sic negligentiam fecerint, non habeant postmodum facundiam, ipsa debita requirendi. De his autem cautionibus, quæ amodo factæ fuerint, sic fiat, sicut supra præmissimus atque statuimus.

XIV. IDEM.

SI quis dederit wadiam, & eam recipere neglexerit, per fideiussorem componat, sicut in anteriori edicto legitur. Et si ille, quisquis wadiam acceperit, reddere neglexerit per fideiussorem, & apud eum remanserit, sic componat, quomodo & ille, qui wadiam suam recipere neglexerit.

XV. IDEM.

SI quis alii homini wadiam dederit, & antequam eam per fideiussorem liberet, violenter de manu illius abstulerit, componat ei, cui ipsam wadiam de manu abstraxerit, sol. XXIIII. Hoc autem ideo affigere præcipimus, ne pro tali causa scandalum oriatur, aut animæ pereant.

XVI. IDEM.

SI quis alii wadiam dederit, & voluerit eam per fideiussores suos recipere, & adduxerit ad eum qui wadiam receperit, fideiussorem unum, aut duos, vel tres, & ipse dixerit, *nescio qui sint*, ut damnum ei facere possit: tunc adducere ei debeat fideiussores, aut de illa civitate, unde ipse est, qui wadiam dedit, aut unde ipse est, qui suscepit. Et si ibi minimè inventi fuerint, tunc suscipere debeat ipse, qui wadiam accepit, fideiussorem liberum hominem, quem conlibertus eius cognitum habeat, & dicat ei, *ego scio, quia ei credere potes*, ut homo ille qui wadiam dedit, damnum non patiatur.

XVII. IDEM.

SI quis alii homini wadiam dederit, pro quacunque causa, & fideiussorem posuerit, & postea ipsi fideiussori antesteterit, aut pignus de manu tulerit, & probatum fuerit, componat sol. XX.

XVIII. IDEM.

SI quis alii homini wadiam dederit, & fideiussorem posuerit, & ipse fideiussor eum pignoraverit, & pignora ipsa ad creditorem eius dederit: & postea ipse cuius pignora fuerint, per vim ea tulerit, componat ipsa pignora in octogilt.

XIX. IDEM.

SI quis alium ante constitutum pignoraverit, & probatum fuerit, quod ante constitutum pignorasset, componat ipsum pignus in octogilt.

XX. IDEM.

SI quis debitum fecerit, & res suas vendiderit, & tale fuerit ipsum debitum, quod solvere non possit, & filius eius per uxorem suam aliquid conquisierit, vel postea sibi per quodcunque ingenium laboraverit, postquam genitor eius omnes res suas venumdederit, vel pro debito suo creditoribus suis dederit, aut à publico intromissæ fuerint, non habeant facundiam creditores res eius, quas filius de coniuge sua habere videtur, vel postea conquisivit, aut laboravit, repetendi aut distrahendi, sed habeat sibi filius eius iure quieto. Sic tamen, ut si à creditoribus pulsatus fuerit, præbeat sacramentum, quod de rebus patris aut matris suæ, si ipsa in mundio patris mortua fuerit, nihil apud se habeat, nec alieni commendasset, aut abscondisset, & sit absolutus: & si post apud eum inventum fuerit de rebus paternis, componat in octogilt.

XXI. IDEM.

SI quis alii cautionem fecerit, & non ei obligaverit nominativè de rebus suis, nisi dixerit in ipsa cautione, in quibuscunque locis de rebus suis potuerit

fuerit invenire, & postea vendiderit ad alium hominem, habeat ipse qui eas emit: nam si obligatæ fuerint nominativè, non eas possit vendere, dum usq; ipsam cautionem sanaverit. Et qui cautionem facere voluerit, aut nominativè obliget de rebus suis, qualiter inter eos convenerit, aut faciat ipsam cautionem de tantis rebus, quantum in illa die solidi ipsi fuerunt.

XXII. IDEM.

SI plures homines cartam convenientiæ inter se fecerint, & pœnam posuerint, & postea unus, vel duo, vel amplius se de ipsa convenientia subtrahere voluerint, aut pœnam corruperint, unusquisque componat per caput ipsam pœnam, quam posuerunt in integrum. Quia omnes unanimiter consenserunt, & nullus eis imperavit, talem causam facere: ideo per caput qui ruperit, componat sicut per caput voluntariè consenserunt.

XXIII. IDEM.

SI quis à convenientia per cartam à se factâ se subtraxerit, heres eius pœnæ compositionis tenetur astrictus præcepto per quandam institutionem, vel quæ est. Hoc loco admonendi sumus, quod maleficiorum litigium, nisi lis contestata fuerit, adversus heredes non transeat. Si vero contractu litigaverit, sive lis contestata fuerit, sive non, heredi & in heredem competit.

XXIV. IDEM.

SI quis fideiussorem aut debitorem suum pignoraverit, & ipsum pignus recolligere neglexerit, & per dies XII. dimiserit: tunc ille qui pignus apud se habuit, si servus aut ancilla est, custodiat eum, ut ei fugam non faciat, & faciat eum sibi operas facere, sicut proprium suum servum aut ancillam. Et insuper licentiam habeat repignorare, usque in secundam vicem, ut sint ipsa pignora in triplum, quantum debitum est. Et si per XXX. dies pignora ipsa aut debitor aut fideiussor recolligere neglexerit, si in Istria aut in Austria fuerit, amittat ipsa pignora, & non habeat facundiam requirendi. Si vero in partibus Tusciæ fuerit, habeat spatium in diebus LX. Nam si super LX. spatium dierum fuerit, similiter amittat pignora ipsa, & insuper potestatem habeat, qui pignoravit, causam ipsam per legem agere & procurare.

XXV. IDEM.

SI quis permissum habuerit à debitore aut à fideiussore suo, ut boves aut caballos domitos pignorare possit, & pignoraverit, & intra XII. noctes pignora sua debitor aut fideiussor recolligere neglexerit, potestatem habeat ea minare, sicut sua propria, & gubernare: & si mortua fuerint, non requirantur. Nam si pulsatus fuerit, quod iniquo animo plus quam sua animalia minasset, satisfaciat ei solus ad Evangelia. Si vero per XXX. dies de ista parte Alpis, aut per LX. ex illa parte Alpium dilataverit, & non recollegerit, sicut supra de servo & ancilla statuituimus, ita & de caballo aut bove, auro vel argento, vestimento, ferramento, aut si animalia minuta, vel quodlibet pignus fuerit, esse ita censemus.

XXVI. IDEM.

SI quis servum, aut ancillam alienam, loco pignoris tenuerit, & furtum aut damnum, aut homicidium, aut quodlibet malum fecerit, non reputetur proprio domino suo, nisi ei, qui eum tenuerit: quia postquam eum pro debito suo comprehendit, sic custodire debuit, ut aliquod malum facere non posset. Si vero ancilla fuerit, & cum ea ipse, qui cœpit pignus, aut servus eius adulteraverit, ante tempus supra constitutum, quod supra proposuimus de XXX. vel de LX. diebus, componat adulterium ipsum proprio domino cuius ancilla fuerit. Post constitutum vero XXX. vel LX. dierum spatium sit in potestate eius, qui pignoravit, si ipse, cuius fuerit, recolligere neglexerit.

XXVII. IDEM.

IN anterioris Edicti nostri capitulo affiximus, ut si ad wadiam suam solvendam quispiam liber homo tres fideiussores habuerit liberos homines, & ipse qui wadiam suscepit, reddere neglexerit, sic componat, sicut ille qui non habuerit fideiussores paratos. Modo vero dum pravos homines cognovissemus tales fideiussores velle statuere, qui nihil habeant, nisi solummodo personam suam, ut per eos iustitiam suam creditor ipse minimè invenire possit: statuimus, ut tales debeant esse fideiussores ipsi, ut si amplius non habuerint, quomodo eos pignorare possit, quam ipsa obligatio sit, vel tantum habeant, quantum, ut diximus, ipsa obligatio est, unde fideiussores intervenire debent. Nam si minus habuerint, non sit culpabilis ille, qui eos recipere noluerit, nec ipse qui dare debet, excusare se possit à culpa, dicendo quod fideiussores paratos habuisset. Quia impossibile est, ut homo talem fideiussorem accipiat, qui non habeat vel amplius, vel tantum, quantum ipsum debitum fuerit, quod tollere loco pignoris possit. Et si de præsenti habuerit, unde det tales fideiussores, qui recipiendi sunt, ecce benè. Si autem non habuerit ipsa hora, sit spatium de ipsa wadia per tres dies sine culpa: & postea dare debeat tales fideiussores, qui habeant unde persolvant, quod debitor dare debet. Si vero amplius dilataverit ad fideiussores dandos, componat sic ut antea statuimus.

XXVIII. REX RATCHIS.

SI quis amodo in præsentia Regis, vel Iudicis, seu liberorum hominum, qualicunque modo wadiam dederit, & postea negare voluerit, ille qui wadiam dedit, quod in tali tenore wadiam non dedisset, sicut ille quærit, qui wadiam suscepit: si fuerit inter liberos homines, quorũ fides admittitur, non habeat licentiam iurare, quod in tali tenore wadiam non dedisset: nisi qualiter iudex qui iudicavit, rem memoraverit, vel homines qui interfuerint, quando wadiam ipsam dederit, testificati fuerint, ita compleatur, & in eorum testimonio credatur. Quia si sententia, quam ante liberos homines tres aliquis fecerit, stare debet: quanto magis ea causa, quæ per wadiam firmatur, & homines liberi intersunt, nihilominus negare convenit? Si vero tales homines non interfuerint, quorum fides admittitur, quando ipsa wadia data fuerit, tunc exinde procedat iudicium, sicut ab ipso Rothare Rege constitutum est.

XXIX. Imperator Karolus.

VT omnia quæ wadiari debent, iuxta ea quæ in lege continentur, pleniter secundum ipsam legem wadiata fiant, & postmodum vel Domnus Rex, vel ille cuius est causa, iuxta quod ei placuerit, misericordiam faciat.

XXX. Imperator Hlotharius.

SImiliter concedere volumus cunctis liberis personis, ut nullus iudex publicus, sive ministri publici, eos contra legem audeant pignorare, scilicet in bubus: quia audivimus multa damna & afflictiones propter hoc populum nostrum sustinuisse. Neque cogantur ad placita venire, præter ter in anno, sicut in capitulari continetur; exceptis scabinis, & causatoribus, & testibus necessariis. Quia omnia hæc auferre volumus, ut populus noster pacifice sub nostro regimine vivere possit.

TITVLVS XXII. DE QVANTITATE SOLIDORVM.

I. Imperator Karolus.

DE omnibus debitis solvendis, sicut antiquitus fuit consuetudo, per XII. denarios sol. solvantur, per totam Salicam legem: excepto si leudes, id est, si Saxo aut Friso Salicum occiderit, per LX. denarios sol. solvatur. Inter Salicos vero ex utraque parte de omnibus debitis, sicut diximus, per XII. denarios solid. solvatur, sive de homicidiis, sive de omnibus rebus.

II. Idem.

OMnia debita quæ ad partem Regis solvi debent, per XII. denarios sol. solvantur: excepta freda quæ in lege Salica scripta est, eisdem sol. cum quibus ceteræ compositiones solvi debent, componatur.

III. Imperator Hludoicus.

VT omnis solutio atque compositio, quæ in lege Salica continetur, intra Franciam per XII. denarios sol. componatur: excepto ubi intentio intra Saxones & Frisones orta fuerit, ubi volumus ut LX. denariorum quantitatem sol. habeant. Et quæ vel Saxo aut Friso ad partem Salicam, Francis cum eis litigantibus, solvere debent, ita ut supra constitutum est, componantur.

TITVLVS XXIII. DE REBVS EMPTIS, ET CONDVCTORE CASÆ.

I. Rex Liutprandus.

SI quis liber homo in casam alterius introierit ad residendum, & ei censum reddendum, & postea aliquid emerit de illis rebus, quas secum adduxerit, quando in ipsam casam introivit: aut forsitan habuerit res de muliere sua, si exinde emerit, & sic probatum fuerit, tunc

ipsum negotium dimittat in ipsa casa, & recipiat pretium suum. Et ipsa probatio in hoc ordine debeat fieri, ut quando de rebus mulieris suæ aliquid comparaverit, adducat homines qui sciant, quod ipsum pretium de rebus mulieris suæ sit, ut causa ipsa non veniat ad periurium: sed quando voluerit iuret, quod de rebus mulieris suæ comparatio ipsa facta fuisset. Et illi testes firmiter sciant, & iurent: *Quia interfuimus, quando ipsa comparatio de rebus mulieris facta est*: & sic postea recipiat pretium suum, & ipsum negotium remaneat in ipsa casa. Nam si de illo labore comparaverit, quod postea laboravit, aut fecit, postquam in ipsa casa ad censum reddendum introierit, in ipso cespite dimittat, ubi laboravit. Hoc autem ideo affiximus, quia tantummodo causa ipsa in hoc modo semper & antecessorum nostrorum tempore, & nostro, per cadarfredam sic iudicata est: nam in hoc edicto adscriptum non fuit.

TITVLVS XXIV. DE TREVGIS.

I. REX LIVTPRANDVS.

SI iudex, aut actor publicus, in qualicunque civitate aut loco inter homines, qui aliquam discordiam habent, treugas tulerit, & unus ex ipsis hominibus, inter quos ipsæ treugæ latæ sunt, eas ruperit, medium de ipsis treugis componat in publico, & medium illi cuius causa est. Et ipsæ treugæ non sint minus quam sol. ccc. Qui autem forsitan amplius pro maioribus causis ponere voluerit, sit ei licentia.

TITVLVS XXV. DE NON SVÆ REI VENDITIONE.

I. REX ROTHARIS.

SI quis res alienas, id est servum aut ancillam, seu alias res mobiles, sciens alienas esse, non suas, ubicunque transvendiderit, & inventum aut probatum fuerit, in octogilt eas restituat. Et si per ignorantiam vendiderit, tunc præbeat sacramentum, quod credens suas res vendidisset: & reddat caput cum nutrimine suo in qualecunque sit.

II. REX LIVTPRANDVS.

SI quis liberum hominem foris provinciam vendiderit, & probatum fuerit, componat widrigilt eius, tanquam si eum occidisset.

III. IDEM.

SI quis servum alienum foris provinciam vendiderit, & probatum fuerit, in quadruplum componat, sicut appretiata fuerit ipsa persona.

IV. IMPERATOR HLOTHARIVS.

QVicunque res alienas cuilibet homini vendiderit, & ipse homo easdem res alicui alteri dederit, sive vendiderit, & ipse qui tunc easdem res com-

comparatas habet per malum ingenium, proprio filio suo, aut alteri cuilibet, nec dum legitimos annos habenti, iustitiæ tollendæ causa tradiderit, volumus atque præcipimus firmiter, ut si pater eiusdem parvuli vixerit, ipse introtret in causam ratione reddere pro filio suo. Si autem ipse pater mortuus fuerit, tunc legitimus eius propinquus, qui ei tutor iustè ac defensor esse videtur, pro ipso rationem reddere compellatur. Similiter & de omnibus aliis iustitiis ad eum pertinentibus, excepta sua legitima hereditate; quæ ei per successionem parentum suorum legitimè obvenire debeat. Quod si quis hanc nostram iussionem contempserit, vel neglexerit, sicut de ceteris contemptoribus, ita de eo agatur. Is verò qui easdem res primum invaserit, & iniustè vendiderit, nec non & emptor, excepta sola persona parvuli, hoc quod fraudulenter admiserunt, intra patriam emendare cogantur: & postea sicut contemptores iussionis nostræ, sub fideiussoribus ad nostram præsentiam venire compellantur.

TITVLVS XXVI. DE HIS QVÆ OB CAVSAM DANTVR.

I. REX LIVTPRANDVS.

SI quis pro causa sua aliquid iudici, vel ad qualemcunque loci præpositum, vel fidelem Regis dederit, & vivente eo requisierit, dicendo, quod liberatus non sit, faciat illi iustitiam, post quantoscunque annos requisierit. Nam si post mortem eius filius aut heres eius pulsaverit, statuimus ut si vivente patre pulsaverit, proclamando ad Regem, aut compellendo per tales homines, quorum fides admittitur, & veritas apparuerit, quod pulsasset, & iustitiam invenire non potuisset, faciant ei filii aut heres eius iustitiam, sicut lex est, si intra anni spatium post mortem patris repetitionem suam ostendere potuerit. Nam si suam reclamationem ostendere non potuerit, & anni spatium præterierit, etiamsi pulsasset pater, non habeat facundiam filius, aut heredes repetendi, nisi sit sibi contentus. Quia de wadia, & de fideiussore, & de sacramento dato, Rex Rotharis decessor noster in anteriore edicto sic statuit, ut post anni spatium, cuius pars neglexerit, amittat suam causam. Ideo nobis congruum apparuit, ut ipse qui sine wadia & fideiussore repetierit, post anni spatium facundiam non habeat requirendi.

TITVLVS XXVII. DE DEPOSITIS.

I. REX LIVTPRANDVS.

SI quis res suas commendaverit in cuiuscunque casa, de conliberto suo, libero homine, & contigerit ut adveniens fur ipsas res furatus fuerit, & ipse in cuius casa res ipsæ fuerunt, reddiderit, aut si non reddiderit, reddere tamen debet: nos ita statuimus, & diffinimus, ut qui res alienas cōmendatas susceperit, & eas perdiderit, restituat ei res ipsas, cuius fuerint, & postea furtum ipsum, si invētum fuerit, ei componat ipse fur

de cuius casa ipsas res rapuerit, aut furatus fuerit. Quod ideo sic prospeximus, quoniam si ille componit furtũ ipsi, cuius res fuerint, postea ille cuius casam ruperit, quæreret ei rupturam casæ suæ, & non possumus in una causa duas imponere calumnias. Ideoq; sic nobis iustum visum est, ut ille qui suas res commendavit, recipiat eas ab ipso, de cuius casa perierint: & ipse de cuius casa exivit, ipsum furtum quærat ab ipso fure, & tollat compositionem, sicut lex est. Et ipse fur, quamvis malefactor sit, non habeat de una causa duas calumnias.

TITVLVS XVIII. DE REBVS INTERTIATIS, ET QVALITER EMERE DEBET.

I. REX ROTHARIS.

SI quis caballum emerit, & actorem ignoraverit, & venerit certus homo, qui ipsum caballum suum dicit esse, tunc ille homo qui emit, sicut diximus, si auctorem non habuerit, & nescit de quo comparasset, præbeat sacramentum, quod in eo nec fur esset, nec collega furis, nisi simpliciter cum pretio suo comparasset: & insuper addat in ipso sacramento, si quoquo tempore auctorem invenerit, non negabit. Tunc post præstitum sacramentum reddat caballum, & sit sibi contentus. Et ille qui se proprium dominum dicit esse, sub tali titulo eum tollat, ut si cognitum fuerit, quod malo ordine eum vindicasset, & alter certus auctor venerit, qui suum fecerit ipsum caballum, sibi nonum reddat.

II. REX LIVTPRANDVS.

DE eo homine, qui caballum in mercato comparare voluerit, ut ante duos vel tres homines eum emere debeat, & non secretè. Et si aliquis postea ipsum caballum cognoverit, habeat testimonium, in quorũ præsentia comparaverit, & ei postea furti calumnia non fiat. Et si ad istos testes non crediderit, qui furtum quærit, firment ipsi testes per sacramentum: excepto si tales personæ fuerint, quibus Rex aut iudex sine sacramento credere possit. Et si homines non habuerit, in quorum præsentia comparavit, nisi simpliciter dixerit, quod comparavit de Franco, aut nescio à quali homine, componat ipsum caballum pro furto.

III. IMPERATOR KAROLVS.

SI res intertiata furto ablata fuerit, liceat ei, super quem res intertiata fuerit, cum sacramento se excusare de furto, quod nec suæ voluntatis, nec consentiens fuerit, quod ablatum est: ut tantũ sine damno restituat. Si vero actor venerit, & rem intertiatam recipere voluertt, campo vel cruce contendat.

IV. IMPERATOR PIPINVS.

VT nullus comparet caballũ, bovem, iumentum, vel aliam rem, nisi illum hominem cognoscat, qui ei vendiderit, aut de quo pago est, vel ubi manet, & quis est eius senior.

V. IMPERATOR OTTO.

SI quis equum suum, vel cetera animalia, sive rem suam, super aliquem repererit, & ipse se warentem dare dixerit, statim iuret, ut ad certum warentem eum conducat, & super tertium warentem, & tertium comitatũ non procedat: & si hoc facere noluerit, rem perdat, & secundum legem comp.

TITVLVS XXIX. DE PROHIBITA ALIENATIONE MINORVM.

I. REX LIVTPRANDVS.

HOc prospeximus, ut intra x. & VIII. annos non sit legitimus homo ad res suas alienandas; excepto si pater debitum dimiserit, habeat potestatem, una cum notitia Principis terræ ipsius, tantum de rebus suis dandi, quantũ debitum ipsum fuerit, ut ei maior damnietas propter onera solidorum non accrescat. Et ipse Princeps qui pro tempore fuerit, propter Deum & animæ suæ mercedem, dirigat personam Deum timentem, de sua præsentia, quæ hoc ipsum sapienter consideret, ut ad ipsum infantulum aliqua damnietas contra rationem, aut per negligentiam, minimè veniat. Et in nonodecimo anno homini Longobardo sit legitima ætas; & quodcunque fecerit vel iudicaverit de rebus suis, stabili ordine debeat permanere. Et hoc statuimus atque diffinimus, ut si cuicunque ante ipsos x. & VIII. annos evenerit ægritudo, & se viderit ad mortis periculum tendere, habeat licentiam de rebus suis pro anima sua in sanctis locis causa pietatis, vel in xenodochio, iudicare quod voluerit, & quod iudicaverit, stabile debeat permanere.

II. IDEM.

SI infans, dum infra ætatem est, res suas cuicunque vendiderit, aut infiduciaverit, & postea cum in legitimam ætatem pervenerit, cartam ipsam secundum legem irrumpere voluerit, & in rebus ipsius introire, non habeat potestatem, qui emit aut infiduciavit, quæ dederit requirendi. Quia quando comparavit, aut infiduciavit, tunc debuit perspicere, quia puer ipse infra ætatem erat, & contra legem faciebat. Propterea constitutum est, ut qui infra ætatem fuerit, minimè vendere aut infiduciare possit, Et talem causam eum habere dicimus, qui emit aut infiduciavit, qualem & ille habere videtur, qui de servo aut aldione emere aut infiduciare dignoscitur.

III. IDEM.

SI infans dum infra ætatem est, res suas cum fratribus aut cum parentibus suis dividere voluerit, aut si ipsi cum ipso infante dividere voluerint, faciant iudici notitiam: & ipse iudex faciat venire parentes ipsius propinquos, ut una cum ipsis, aut per se, aut per missum suum, bonam personam, Deum timentem res ipsas dividant: sic tamen ut omni tempore sortes stare debeant; & adæquatio percurrat.

IV. IDEM.

SI infans, dum infra ætatem est, causam habuerit cum qualicunq; homine, similiter faciat iudex parentes ipsius venire propinquos, & accedat ad locum cum ipsis parentibus, & deliberet causam ipsam per iustitiam, & faciat notitiam in quorum præsentia causam ipsam deliberaverit; & iudicatum suum emittat, ut ipse qui causam suam quærit, non perdat iustitiam suam; pro eo, quod ipse infans infra ætatem esse videtur. Iudex autem quomodo ordinaverit, aut qualiter fecerit causam in his capitulis, de eo qui infra æta-

tem est, habeat retributorem Deum omnipotentem, sive in bono sive in malo. Et missus ille quem iudex direxerit, pro diffiniendis causis, quas supradiximus, si in aliquam partem in fraudem cor suum declinaverit, aut fecerit, ea quæ opportuna non sunt, ut infans damnum habeat, quæ infra ætatem est, & non fecerit æqualitatem, & probatum fuerit, quod fraudem fecisset, aut colludium contra ipsum infantem statuisset, de proprio suo restauret, quod fraudulenter divisit. Hoc autem ideo proinde dicimus, ut infans ille, qui causam suam nescit legitimè procurare, damnum non habeat.

V. IDEM.

DE puero qui infra ætatem est, decrevit clementia nostra, cum nostris iudicibus, vel reliquis Longobardis, ut sicut in alio homine de rebus suis, dum infra ætatem est, donare non potest; ita nec Regi donare possit, antequam in legitimam pervenerit: quia de causa ista multæ contentiones fuerunt.

VI. IDEM.

SI infans ante x. & VIII. annos, quos nos instituimus, ut sit legitima ætas, sponsalia facere voluerit, aut sibi mulierem copulaverit, habeat potestatem, & metam facere, & morgengab dare, iuxta edicti tenorem: & obligationem facere, & fideiussorem ponere, & cartam si voluerit, pro ista scribere. Et qui fideiussor extiterit, aut scriba, qui pro causa ista cartam scripserit, nullam exinde habeat damnietatem. Quia nos usque ad illam ætatem produximus causam, de infantibus, ut ipsi res suas non debeant naufragare, aut disperdere; nam per istam coniunctionem, quam Deus præcepit, absolvimus ut fiat.

VII. IDEM.

ITem de infantibus qui intra ætatem sunt, & necessitatem maiorem habent, & fame moriuntur, comparuit nobis, ut dum tempus famis fuerit, licentiam habeant cum misso Principis, aut cum iudice suo, de terra aut de rebus suis vendere, qualiter vivere possint: intantum ut se de fame liberare possint, & ut non moriantur. Et ipse iudex de ipso loco debeat providere, si certè ipsa necessitate famis sit, & sic in eius præsentia fiat, ut dominum habeat propitium: & si aliter fecerit, Deum habeat iudicem. Et in carta indicet, qualiter pro famis necessitate ipsa venditio facta est: & qui actum commissum habuerit, non præsumat de ipsis infantibus emere. Et dum tempus famis exierit, tunc ipsi infantes secundum anterius edictum distribuant res, aut substantiam suam, nam non aliter; quia istam licentiam pro sola famis necessitate dedimus, nam non, quod absit, anterius edictum corrumpendum est.

TITVLVS XXX. QVALITER SERVORVM VENDITIO FIAT.

I. IMPERATOR KAROLVS.

VT nemo præsumat hominem aliquem vendere, aut comparare, nisi in præsentia Comitum aut missorum nostrorum.

II. IDEM

II. IDEM.

DE mancipiis quæ venduntur, ut in præsentia Episcopi vel Comitis sint vendita, aut Archidiaconi, & centenarii, aut vicedomini, aut viceiudicis, vel vicecomitis, aut ante bannum nota testimonia. Et ut foras marcas nemo mancipia vendat. Et hoc qui fecerit, tantis vicibus bannum solvat, quanta mancipia vendiderit: & si non habet pretium, in wadia pro servo semetipsum Comiti donet, usque dum ipsum bannum persolvat. Item, ut nemo audeat in furto mancipia emere, & in aliam regionem occulte ducere: ubi vero repertum fuerit, legali sententiæ subiaceat.

TITVLVS XXXI. DE PROHIBITA EMPTIONE FVTVRORVM FRVCTVVM.

I. IMPERATOR KAROLVS.

VT nemo propter cupiditatem pecuniæ aut avaritiam det pretium, ut futuram emptionem sibi præparet, ut duplum vel triplum recipiat: sed tunc tantum, quantum præsentes sunt fructus, sibi illos comparet.

TITVLVS XXXII. DE PROHIBITA ALIENATIONE SERVORVM VEL ALDIORVM.

I. REX ROTHARIS.

SErvo cuiuscunque non liceat sine permissu domini sui, neque terram, neq; mancipia, nec quamcunque rem vendere, aut liberum dimittere.

II. IDEM.

SI quis de servo comparaverit, & pretium perdat, & quod de servo emit, proprio domino restituat.

III. IDEM.

SErvus massarius licentiam habeat de peculio suo, id est bovem, vaccam, caballum, similiter & de minutis peculiis in socio dare, & in socio recipere: vendere autem non, nisi pro utilitate casæ ipsius est, quatenus casæ proficiat, ut non depereat.

IV. IDEM.

NVlli liceat aldio cuiuscunque, qui amunt factus non est, sine voluntate patroni sui terram aut mancipium vendere, neque liberum dimittere.

V. REX LIVTPRANDVS.

SI quis cum servo, aut aldione, vel cum pertinente alieno, de qualicunque re convenerit, sine notitia domini sui, quod in anteriori edicto continetur, & probatum fuerit, quod res domini sui naufragasset; tunc reddat ipsam rem, qui eam suscepit, absque pretio domino eius: ita ut satisfaciat per sa-

cramentum, quod amplius exinde non tulisset: & postea dominus eius faciat de servo aut aldione suo, quod illi placuerit.

VI. Imperator Karolus.

VT nemo colonus, nec fiscalinus possit aliubi foras mixtos traditionem facere.

TITVLVS XXXIV. DE HIS QVI SE IN POTESTATE ALTERIVS SVBDIDERINT.

I. Imperator Karolus.

SI liber homo se loco wadiæ in alterius potestate commiserit, ibique contigerit, ut damnum aliquod cuilibet fecerit, ille qui hominem liberum in locum wadiæ suscepit, damnum solvat: aut hominem in mallo perductum dimittat, perdens eum, simul & debitum, propter quod eum in wadiam suscepit: & qui damnum fecit, dimissus iuxta qualitatem rei cogatur emendare. Si vero liberam fœminam habuerit, usque dum in pignus astiterit, & filios habuerit, liberi permaneant.

II. Imperator Hludoicus.

PRimum omnium placuit nobis, ut cartulæ obligationis de singulis hominibus factæ, qui se aut uxores eorum aut filios vel filias in servitio tradiderint, ubi inventæ fuerint, frangantur, & sint liberi sicut primitus fuerint.

III. Imperator Hlotharius.

SI liber homo seipsum ad servitium implicaverit, pro aliquibus causis, & liberam fœminam habuerit, aut infantes, ipsi in eorum libertate permaneant. Et si ipsa mulier defuncta fuerit, & aliam liberam fœminam sibi copulaverit servienti, ipsa in servitio permaneat.

IV. Idem.

SI quis liber homo uxorem habens liberam, propter aliquod crimē aut debitum in servitio alterius se subdiderit, & eadē coniunx cum ipso manere voluerit, eorum procreatio, quæ de tali coniugio fit, libertatis statum non amittat. Si vero eâ defunctâ secunda uxor etiam libera tali se sciens iunxerit coniugio, liberi eorum servituti subdentur.

TITVLVS XXXV. DE MANVMISSIONIBVS.

I. Rex Rotharis.

SI quis servum suum proprium, aut ancillam suam propriam, liberum dimittere voluerit, sit illi licentia qualiter ei placuerit. Nam qui fulfreal & à se extraneum, id est amund, facere voluerit, sic debet facere. Tradat eum prius in manus alterius hominis liberi, & per garathinx ipsum confirmet; & ille secundus tradat eum in manus tertii hominis; eodem

eodem modo & tertius tradat eum in quarti. Et ipse quartus ducat eum in quadrivium, & thingat in wadia, & gisiles ibi sint, & dicant sic: *De quatuor viis ubi volueris ambulare, liberam habeas potestatem.* Si sic factum fuerit, tunc erit amund, & ei manebit certa libertas: & postea nullam repetitionem patronus adversus ipsum, aut filios eius habeat potestatem requirendi. Et si sine heredibus legitimis ipse, qui amund factus est, mortuus fuerit, curtis regia illi succedat: nam non patronus aut heres patroni. Similiter & qui per impans, id est, in votum Regis dimittitur, ipsa lege vivat, sicut qui amund factus est. Item qui fulfreal fecerit, & quatuor vias ei dederit, & amund à se, id est, extraneum non fecerit, tali lege patronus cum ipso vivat, tanquam cum fratre, aut cum aliis parentibus liberis Longobardis: id est, si filios aut filias, qui fulfreal factus, non dimiserit, patronus eius illi succedat, sicut supra scriptum est. Item qui aldium aut aldiam facere voluerit, non illi debet quatuor vias, hæc sunt, genera quatuor manumissionum: tamen necesse est pro futuri temporis memoria, ut qualiter liberum aut liberam thingaverit, ipsa manumissio in carta libertatis commemoretur. Et si cartam non fecerit, tamen libertas illi permaneat.

II. IDEM.

OMnes liberti qui à dominis suis Longobardis libertatem meruerunt, legibus dominorum suorum vivere debeant: secundum qualiter à suis dominis propriis concessum fuerit.

III. REX LIVTPRANDVS.

SI quis servum suum aut ancillam in manu Regis dederit, & ipse Princeps eos per manus sacerdotis circa sacrum altare liberos dimiserit, sic permaneant liberi, sicut illi, qui fulfreal thingati sunt. Et qui mundium de ipsa muliere libera à Principe accepit, sic eum habeat, sicut de fulfreal muliere: nam amplius nullam conditionem debeat habere, neque ipsa, neq; filii eius. Et hoc statuimus, ut masculi, qui de ipsa muliere nati sunt, absque mundio sin. Fœminæ autem habeant mundium, sicut mater earum: & ipsum mundium non sit amplius, quam sol. tres.

IV. IDEM.

SI quis servum suum aut ancillam, liberum vel liberam dimiserit, & posuerit ei mundium; aut unum solidum, aut II. aut III. aut VI. tantum habeat mundium, quantum in carta ei affixit. Et quæ postea ex ipsa muliere libera nati fuerint, sive masculi sive fœminæ, non habeant amplius mundium, nisi quantum & mater earum.

V. IDEM.

SI quis servum suum aut ancillam in Ecclesia circa altare amodo liberum vel liberam dimiserit, sic ei maneat libertas, sicut illi, qui fulfreal in quarta manu traditus, & amund factus est. Nam qui aldium facere voluerit, non eum ducat in Ecclesia: nisi alio modo faciat, qualiter voluerit, sive per cartam, sive qualiter ei placuerit.

VI. IDEM.

SI quis servũ alienũ sine volũtate domini sui, in manu Regis dederit, & probatũ fuerit, non suũ servũ dedisse, comp. Regi qui pro tẽpore fuerit, sol. c.

& ipse servus revertatur ad proprium dominum: & sit servus cuius antea fuit, & insuper ille, qui eum illicitè liberavit, componat domino eius sol. xx.

VII. IDEM.

SI quis servum alienum sine voluntate domini sui liberum dimiserit, aut per se, aut per qualecunque ingenium, excepto per manum Regis, & probatum fuerit, quod servum alienum liberasset, tunc ipse servus revertatur ad proprium dominum suum, & sit eius servus, sicut antea fuit: & ille qui eum illicitè liberavit, componat domino eius sol. xx.

VIII. IDEM.

SI quis servum suum fulfreal thingaverit, & amund à se fecerit, vel quocunque modo eum à se absolverit, in manu Regis dando, aut in Ecclesiâ circa altare ducendo, & postea ipse libertus voluntatem patroni sui fecerit, manifestare debeat ipse libertus libertatem, sæpius indicet ad vicinos suos, qualiter absolutus esse videtur. Et postea nullo tempore ipse patronus, aut heres eius, contra eum, qui libertus est, quærelam possit movere, dicendo, quòd ei debeat obedire, pro eo quod sua sponte pro beneficio de domino suo voluntatem eius fecerat: sed firma, ut suprà, maneat libertas.

IX. REX ASTVLPHVS.

IN anterioris edicti capitulo continetur, ut si quis Longobardus pertinentem suum in quarta manu tradiderit, & à se amund fecerit, aut circa altare ducedum sacerdoti tradiderit, solutus ab omni conditione servitutis permaneat. Sed quoniam perversi homines benefactores suos acceptâ libertate postponebant, & ipsi eos postmodum retinere nequaquam volebant, multi homines timentes ne sui liberti eos postponerent, libertatem eis facere obmittebant. Propterea statuimus, ut si quis Longobardus pertinentes suos thingare voluerit in quarta manu, & cartulas ei fecerit, & sibi reservaverit servitium eius, dum advixerit, & decreverit, ut post obitum eius liberi sint, stabile debeat permanere, secundum textum cartæ, quam ei fecit. Quia iniustum nobis apparuit, ut homo benefactorem suum, vivente eo, dimittere debeat. Nam qui in Ecclesiâ liberum dimiserit per manum sacerdotis, sic permaneat eius libertas, sicut continetur in anteriori edicto.

X. IMPERATOR KAROLVS.

SI quis per cartam ingenuitatis à domino suo legitimam libertatem est consecutus, liber permaneat. Si vero aliquis eum iniuste inservire tentaverit, ille cartam ingenuitatis ostendat. Et si adversarius iniuste eum inservire conatus fuerit, ille qui id tentaverit, tentaverit, multam quæ in ipsa carta scripta est, solvere cogatur. Si autem carta non apparuerit, sed iam ab illo, qui eum inservire voluerit, disfacta est, widrigilt eius componat: duas partes illi, quem inservire voluerit, tertiam Regi. Et ille iterum per præceptum Regis suam libertatem conquirat.

XI. IMP.

XI. IMPERATOR PIPINVS.

HOmo denarialis non habeat hereditatem in sua generatione, antequam usq; in tertiam generationem perveniat. Et homo chartularius similiter.

XII. IMPERATOR HLVDOICVS.

SI quis per chartam ingenuus dimissus fuerit, & à quolibet homine ad servitium interpellatus fuerit, primum legitimum auctorem suæ libertatis proferat, & in sua libertate perseveret. Si vero legitimus auctor defuerit, cum testimonio bonorum hominum, qui tunc aderant, quando liber dimissus fuerit, se defendere permittatur. Si vero testes defuerint, cum duabus aliis chartis, quæ eiusdē cancellarii manu fuerint firmatæ vel scriptæ, suam chartam, quæ tertia est, verā & legitimam esse confirmet. Cancellarius tamen talis esse debet, qui pagensibus loci illius notus sit, & acceptus. Si vero qui interpellatus fuerit, nec auctorem, nec testimonia, nec cartarum collationem ostendere potuerit, ipse qui eum interpellavit, secundum legem ipsam chartam falsam esse faciat, & servum suum conquirat. Si vero interpellator, aut auctore, aut testimonio, aut chartarum collatione convictus fuerit, & hoc quod voluerit efficere non potuerit, multam quæ in ipsa ingenuitatis charta continetur, cogatur exsolvere.

TITVLVS XXXV. DE PRÆSCRIPTIONIBVS.

I. REX ROTHARIS.

SI quis comparaverit terram, id est solum ad ædificandum, aut casam mancipatam, & per quinque annos inter personas præsentes possederit, & postea ipse venditor, aut heres eius, pulsaverit, dicendo quod præstitisset, non enim vendidisset, ostendat libellum scriptum, ubi rogatus fuisset præstandi. Et si libellum non habuerit, nihil aliud faciat emptor, nisi sacramentum secundum qualitatem pecuniæ præbeat, scilicet quod cum pretio suo rem ipsam comparasset, nec alteri per legem debeat dimittere: tunc liceat ei postea firmiter possidere, quod sibi comparaverit.

II. IDEM.

SI quis alium de re mobili aut immobili pulsaverit, dicendo quod malo ordine possideat, & possessor negaverit, ita prospeximus: quod si per annos quinq; fuerit possessor, tunc ipse qui possedit, aut per sacramentum debeat negare, aut per pugnam se defendere, si potuerit.

III. REX GRIMOALDVS.

SI servus aut ancilla per xxx. annos domino suo servierit, de quibus rei veritas cognita fuerit, quod per xxx. annos dominis suis servisset, & per superbiam aut iniusta patrocinia se voluerit de domino suo proprio per pugnā vindicare, nullatenus ei permittimus: sed serviat ei, sicut decet servum aut ancillam proprio domino servire. Similiter & si aldius fuerit, impendat obedientiam suo patrono, sicut per xxx. annos fecit: & ei nova conditio à domino suo amplius non imponatur: sed liceat ei res suas habere, quas per xxx. annorum spatium iustè possederat.

IV. IDEM.

DE liberis hominibus, quos constat per xxx. annorum spatium in libertate sua permansisse, nullam per pugnam patiantur violentiam, sed liceat eis in libertate sua permanere. Et si eos quicunque pulsaverit, liceat eis cum sacramentalibus suis legitimis se idoneare.

V. IDEM.

SI quis per xxx. annos bona fide possederit casas, familias, & terras, & cognitum fuerit, quod eius possessio fuerit, post xxx. annorum curricula ad pugnam non perveniat: nisi ipse qui possedit secundum qualitatem pecuniæ cum sacramento suo se defendat: nam per pugnam, ut supra diximus, non fatigetur.

VI. REX LIVTPRANDVS.

SI quis cartam donationis per garathinx factam, aut per susceptum launechilt, vel forte per cōparationem ostenderit: & res unde licet, non possederit, & dixerit, quod munimen suum absentatum fuisset: & si per xxx. annos, aut supra, possessio ista fuerit, non habeat adversus eum qui possedit facundiam loquendi, cum munimine ipso, quod ostendere videtur: nisi ipse qui per xxx. annos possedit, firmiter possideat, quia gloriosissimus Grimoaldus Rex per xxx. annos institutam habet possessionem. Nam si intra xxx. annos possessio ista fuerit, potestatem habeat cum munimine suo dicendi quod voluerit, & ipse qui possedit, secundum edictum respondeat.

VII. IDEM.

SI inter fratres per XL. annos possessio fuerit de rebus, seu de casis, vel de terris, quæ indivisæ sunt, vel inter parentes, qui per XL. annos possedit, qualiter præsumit dicere, per sacramentum ad sancta Dei Evangelia affirmet, quod de avo, aut de patre, aut de fratre, aut de aliquo parente ipsas res suas habeat factas, aut per donationem, aut cōmutationem, aut per æstimationem, aut per comparationem, aut quomodo præsumpserit dicere, aut affirmare: & liceat ei ipsas res postea illibatas habere, & possidere. Aliæ vero res, quæ divisæ fuerint inter fratres, seu nepotes, vel ubi mensura tracta est, sortes stantes adæquentur. Nam ubi per XL. annos mensura minimè ambulaverit, & causa probata fuerit, quod iure quieto possedisset, sicut supra legitur, per sacramentum finiatur, excepto si communiter aliquid possedisset.

VIII. IDEM.

DE possessione, quam aliquis de publico habet, & per XL. annos quietus possedit, liceat eum & inantea sine aliqua molestatione habere, & possidere. Hoc autē ideo statuimus, quia possessio aliorum hominum, secundum Longobardorum legem, in xxx. annis finitur: causas quidem regales, unde compositio expectatur, duplicatas statuit decessor noster Rotharis Rex componere. Propterea nobis rectum cum nostris iudicibus comparuit esse, ut etiam in ista causa de possessione duplicentur ipsi anni, ut fiant LX. Et si iudex, aut actor noster, ipsum qui possessionem talem habet, pulsaverit, quod

quod ipsam rem iniuste possedisset, aut invasisset, & non sint completi LX. anni: tunc ille cuius possessio est, dicat iuratus ad sancta Dei Evangelia, aut de se, aut de patre, aut de avo, quod ipsas res per Principem, qualem ausus fuerit nominare, data fuisset: & ipse, aut parentes eius, per LX. annos possedisset, nec eam per legem dimittere debeat, & sit postea securus. Et si hoc facere ausus non fuerit, aut forte gastaldius aut actor probare potuerit, quod completa LX. annis possessio ista non sit, & veritas apparuerit, quod de publico fuisset, aut ostendat præceptum, aut amittat rem ipsam in publico, si LX. anni in ipsa possessione non fuerint completi. Et si forsitan aliquis de servo aut aldione domni Regis comparaverit, & probata causa fuerit, relaxet ipsam rem in publico: quia de servo aut aldione Regis possessio venditionis esse non debet, sicut nec de aliorum servis aut aldionibus.

IX. IDEM.

SI quis possederit qualemcunque rem mobilem, aut immobilem, per chartam falsam, & probatum fuerit, quod per ipsum munimentum falsum rem ipsam possideat, non eum defendat possessio sua, hoc est XXX. annorum, nec excludat illum, cuius res legibus fuerit: sed amittat rem ipsam, quam per chartam falsam possidere videtur: sic tamē, ut diximus, si probatum fuerit, & ille ipsam rem recipiat, cui antea pertinere per legem debuerat.

X. REX RATCHIS.

REminiscimur enim, quia anterius edictum continere dinoscitur de liberis fœminis, quæ servis copulantur, ut quandocunque inventæ fuerint, in servitium reducantur. Sed quia Grimoaldus Rex statuit, de his qui per XXX. annos in libertate vixerunt, ut in servitium non replicarentur: tamen quia curtis Regis possessionem impedit, nisi per LX. annorum curricula, sicut domnus Liutprandus Rex instituit. Ideo diffinimus, si quæ fœminæ amodo inventæ fuerint, quæ sibi servos copulaverint, & per LX. annos in libertate permanserint, ipsæ & filii & filiæ earum, atque qui de ipsis procreati fuerint inventi, nullus eos in servitio replicare præsumat: sed in libertate sua permaneant, sicut per LX. annos permanserunt. Si autem amodo præsumpserit cuiuscunque servus arimannam ducere uxorem, sic exinde detur iudicium, sicut in anteriori edicto legitur.

XI. REX ASTVLPHVS.

SI quis Longobardus qualemcunque rem possederit per XXX. annos, & custodes locorum venerabilium de ipsis rebus eum molestaverint, & ipse possessionem suam per XXX. annos consignaverit, & eius claruerit possessio, possideat & inantea. Similiter & venerabilia loca faciant, de rebus quas ipsa possident, si à Longobardis fuerint pulsata. Quia anterius edictum continet de quinque annorum possessione: ut qui possederit per quinque annos, quietus in facie eius, qui pulsaverit, ipse secundum legem defendat se. Et loca venerabilia inter se de rebus quibuslibet per XL. annorum possessionē excludantur: ideo iustum diximus, ut qui per XXX. annos possederit, possideat & inantea.

XII. IDEM.

SI quiscunque homo pro bonitate sua introierit in servitium iudicis, aut alterius hominis, & deservierit ei, vel filiis vel nepotibus eius, & clarucrit veritas, quod parentes eius omnes liberi fuissent, & postea in servitium detinere voluerit, dicendo quod per xxx. annos ei, vel parentibus eius servisset, non possit eum per ipsam possessionem tenere. Quia impossibile est, & contra Dei præceptum, dum omnes eius parentes liberi sunt, ut ipse solus, qui voluntariè servivit, in servitium detineatur, pro sola possessione. Nam si pro furto, aut alia malitia, sicut edictum continet, ad serviendum in manus datus fuerit, & probatum fuerit, deserviat & inantea. Si vero eius parentes servi fuerunt, & ipse solus ad libertatem tendere voluerit, si ipse libertatem suam idoneare per chartam, aut per homines liberos, vel per possessionem iustam non potuerit, deserviat & inantea.

XIII. IMPERATOR HLVDOICVS.

PLacuit nobis de liberis, vel illis hominibus, qui se per xxx. annos liberos esse dicunt, ut per hanc possessionem liberi non sint, nisi de ingenuo patre aut matre nati sint, aut chartam libertatis ostendant.

XIV. IMPERATOR HLOTHARIVS.

VT per xxx. annos servus liber fieri non possit, si pater illius servus, & mater ancilla fuerit. Similiter & de aldionibus.

TITVLVS XXXVI. DE EVICTIONIBVS.

I. REX ROTHARIS.

SI quis comparaverit ancillam, & postea venerit alter certus homo, qui eam suam dicat esse, revertantur pariter ad auctorem. Tunc auctor, si vindicare non potuerit, præbeat sacramentum, quod conscius non sit fraudis, nec colludium fecisset, & reddat pretium tantum, quantum in illa die fuit, quando eam tradidit, & accipiat ancillam ipsam, & proprio domino tradat. Et si ancilla ipsa apud emptores filios fecerit, tunc ille qui eam prius vendidit, & vindicare non potuerit, quanticunque sint filii ipsius, per suum dispendium comparet, & proprio domino reddat, quatenus filii matrem sequantur. Et si auctor mortuus fuerit sine heredibus legitimis, & facultas ipsius auctoris ad curtem Regis ceciderit, nulla sit repetitio: sic tamen ut det sacramentum, quod ab illo comparasset, cuius res ad curtem Regis pervenerit.

II. REX LIVTPRANDVS.

SI quis alii homini qualemcunque rem donaverit, & launechild susceperit, & postea eam defendere minimè potuerit, tunc aliam talem rem, qualem donavit, qualis in illa die invenitur esse, reddat cui donavit, & amplius non calumnietur. Et si de colludio pulsatus fuerit, satisfaciat ad Evangelia, quod nullum colludium cum alio homine de ea re factum habeat, & sit absolutus à culpa. Sic tamen ut suprascriptam rem consimilem reddat, cui donavit.

III. IDEM.

III. IDEM.

SI quis commutaverit terram, arvum, vel pratum, aut ſylvam, & ibi laboraverit, & ædificium fecerit, aut clauſuram, aut vineas poſuerit, & poſtea ſurrexerit certus homo, qui ipſum locum ſuum faciat, & ille qui dedit, minimè potuerit eum defendere, recipiat res ſuas, quas dedit, & inſuper ipſum damnum reſtituat ei, quantum appretiatum fuerit, quod ibi poſtea laboravit, & ædificavit. Sed & de comparatione ita ſtatuimus, ſicut & de commutatione. Hoc autem de his cauſis diximus, unde chartas commutationis, aut venditionis homines inter ſe non faciunt: nam unde chartulas faciunt, & oſtendunt, ſic debet eſſe, ſicut in ipſis chartulis legitur.

TITVLVS XXXVII. DE SANCTIMONIALIBVS.

I. REX LIVTPRANDVS.

DE his fœminis, quæ velamen religionis in ſe recipiunt, aut à parentibus ſuis Deo voventur, aut ipſæ elegerunt religionis habitum, aut veſtem monachicam induere videntur, quamquam à ſacerdote conſecratæ non ſint, ſic nobis iuſtum apparuit eſſe, pro Dei amore, ut in ipſo habitu in omnibus perſeverent: nec ſit excuſatio malis hominibus, dicendo, quod conſecratæ non ſint, & ideo ſi copulantur, culpam non habeant. Sed ut ſupra præmiſimus, quæ tale ſignum ſuper ſe habent, id eſt velamen, vel veſtem ſanctæ Dei genitricis Mariæ, quocunque ingenio in ſe ſuſcipiunt, poſteà ad ſecularem vitam vel habitum tranſire nullatenus præſumant. Quia conſiderare debet omnis Chriſtianus, quod ſi quiſcunque ſecularis homo parentem noſtram ſecularem ſponſat, cum ſolo annulo eam ſubarrat, & ſuam facit, & ſi poſtea aliam uxorem duxerit, culpabilis invenitur ſolid. D. Quanto magis debet cauſa Dei & ſanctæ Mariæ amplior eſſe, ut quæ ipſum velamen, vel habitum in ſe ſuſcipiunt, in eodem debeant permanere? Si qua vero fœmina contra hoc, quod noſtra inſtituit excellentia, egerit, aut marito ſe copulaverit, perdat omnem ſubſtantiam ſuam: & deveniat ipſa ſubſtantia in poteſtatem palatii. De perſona vero eiuſdem fœminæ, quæ tale malum commiſerit, iudicet Rex qui pro tempore fuerit, qualiter illi placuerit, aut in monaſterio mittendo, aut qualiter ſecundum Deum melius providerit. Simili modo & de victu, & veſtimento ipſe Princeps ordinet, qualiter illi placuerit. Si autem ille, in cuius mundio talis fœmina eſt, conſentiens fuerit, in ſupraſcripto malo, & probatum fuerit, componat widrigilt ſuum, & ille qui eam tollere præſumpſerit, componat in palatio Regis ſol. DC. Si autem mundoaldus ipſius fœminæ in ipſo malo conſentiens non fuerit, medium de ipſis DC. ſolidis accipiat ipſe, & Rex medium. Qui autem talem fœminam rapuerit, componat ſolid. mille, & præcedat cauſa Dei ſolid. C. quoniam de raptu ſecularis fœminæ compoſitio DCCCC. ſol. in edicto legitur. Ipſa vero quæ non ſervavit eam cauſam, quæ ſupra legitur, & malo ſupradicto conſenſerit, pœnæ ſupraſcriptæ ſubiaceat.

II. IDEM.

REligiosa fœmina, quæ vestem & habitum sanctæ religionis in se susceperit, si contigerit ex peccato, ut adulterium voluntariè committat, quicunque ipsam sanctimonialem fœminam adulteravit, componat solid. cc. Quia de secularibus fœminis edictum continet, ut componantur pro adulterio sol. c. & nos prospeximus veram esse iustitiam, ut Dei omnipotentis causa, & sanctæ eius genitricis Mariæ, cuius vestem suscepit, duplicetur. De pecunia autem eiusdem religiosæ fœminæ, quæ (quod absit) voluntariè adulterium perpetravit, sic fiat, sicut iam antea de religiosis fœminis statuimus, quæ se marito copulaverint.

III. IDEM.

SI quiscunque homo liber, ancillam suam pro religionis & munditiæ causa vestem religiosam induerit, ut ei (sicut consuetudo terræ istius est) ad offerendam oblationem per loca sanctorum debeat portare, & contigerit ex peccatis, ut quispiam homo eam ad uxorem ducat: ubicunque inventi fuerint, separentur, & componat ipse, qui eam tulit uxorem, domino eius sol. XL. & illa revertatur in pristinum statum. Quod si aliquis eam (quod absit) adulteraverit, simili modo componat domino eius sol. XL. Quia anterius edictum de gentili ancilla adulterata XX. sol. continet, ut componatur: de Dei quidem ancilla iustum est, ut compositio duplicetur. Verumtamen sic statuimus, ut si probata fuerit causa, id est per præsbyterum aut alium clericum, quomodo ipsa veste religiosa induta est, ut non fiat alicui homini calumnia pro figmento, sed pro certa veritate: & dum probatio vera facta fuerit, sic ipsa compositio fieri debeat.

IV. IDEM.

SI qua mulier religionis velamen induta fuerit, observatis omnibus, qualiter in superiori capitulo affixa sunt, & monasterium intrare voluerit, si filios aut filias habuerit, in quorum mundio esse inveniatur, cum tertia portione de propriis suis rebus intret in monasterio: & post obitum eius remaneat in ipso monasterio, ubi ipsa intraverit. Si vero filios aut filias non habuerit, cum medio de rebus suis intret: & post eius decessum remaneat ipsa medietas in potestate monasterii. Nam si in domo remanserit, potestatem habeat de rebus suis iudicare, pro anima sua, ubi voluerit, in tertiam partem: duæ vero portiones ex rebus eius sint in potestate eius, ad quem mundium de ea pertinet.

V. IMPERATOR HLOTHARIVS.

DE sanctimoniali fœmina statuimus, ut si adulterium fecerit, & inventum fuerit, res quas habeat, in fisco nostro socientur: persona vero eius sit in potestate Episcopi, in cuius parochia est, ut in monasterio mittatur.

VI. IDEM.

STatuimus, ut si fœmina, quæ vestem habeat mutatam, mœcha deprehensa fuerit, non tradatur gynæceo, sicut usq; modo: ne fortè quæ prius cum uno, postmodum cum pluribus locum habeat mœchandi: sed eius possessio fisco redigatur, & Episcopi ipsa subiaceat iudicio.

TITVL.

TITULUS XXXVIII. DE ARIOLIS.

I. REX LIUTPRANDUS.

SI quis timoris Dei immemor, ad ariolos vel ad ariolas, pro aruspicibus, aut qualibuscunque responsis accipiendis, ambulaverit, componat in sacro palatio medium pretii sui, sicut appretiatus fuerit, tanquam si eum aliquis occidisset: & insuper agat poenitentiam secundum Canonum instituta. Simili modo & qui ad arborem, quam rustici sanguinum vocant, atque ad fontanas adoraverit, aut sacrilegium vel incantationem fecerit, similiter medium pretii sui componat in sacro palatio. Et si quiscunque sciens ariolum vel ariolam, & non eas manifestaverit, aut ipsos coelaverit, qui ad ipsos ariolos aut ariolas vadunt, & non manifestaverit, praedictae poenae subiaceat. Qui autem servum suum aut ancillam, ad ipsos ariolos aut ariolas, ad aliqua responsa ab eis accipienda transmiserit, & probatum fuerit, poenam componat. Si vero servus aut ancilla sine voluntate dominorum suorum, & tantum sua auctoritate, ad ariolum aut ariolam ambulaverit, similiter ad aliqua responsa accipienda, tunc dominus eorum venumdare eos debeat foris provinciam. Et si neglexerit dominus eorum hoc facere, suprascriptae poenae subiaceat.

II. IDEM.

SI quis iudex, aut sculdais, aut saltarius, vel decanus, de loco ubi arioli aut ariolae fuerint, neglexerit amodo intra tres menses eos inquirere, & invenire, & per alios homines inventi fuerint, tunc componat unusquisque de loco medium pretii sui, sicut supra lex est. Et si manifestum fuerit, quod sciat iudex, aut sculdais, & saltarius, & decanus ubi ipsi arioli aut ariolae sunt, & eos non condemnaverit, aut praemium tulerit, aut quasi causa pietatis, vel pro qualicunque ingenio absolverit, integrum widrigild suum in palatio componat. Nam si per iudicem inquisiti fuerint, sine notitia sculdais, tunc habeat ipse iudex potestatem foris provinciam eos vendendi, & pretium sibi tollendi, atq; habendi. Nam si per sculdaem inventi fuerint, medium de ipso pretio tollat iudex, medium sculdais. Et si decanus aut saltarius ipsos ariolos aut ariolas, vel suprascriptos sacrilegos invenerit, & sculdai suo manifestaverit, tunc tertiam partem ipse saltarius aut decanus per quem inventi fuerint, de ipso pretio, habeat sibi, & duas partes tollat ipse sculdais. Et insuper prospeximus, ut unusquisque iudex & sculdais mittere faciat preconem, ut quicunque modo non faciant, aut si amodo non fecerint, non vadant venales. Nam si post ipsum preconem in talibus operibus malis inventi fuerint, poenae subiaceant. Et ita volumus, ut unusquisque sculdais, aut saltarius, atq; decanus iurare debeat iudici suo ad sancta Dei Evangelia, quod in ista causa nullum neglectum ponant. Quia iustum est, ut dum in ista causa neglectum ponere non praesumunt, nec nobis coelare eos, qui contra nos agunt, aut consiliantur, quanto magis non debent neglectum in causa ponere, quae amplius est inquirenda.

TITVLVS XL. DE REVERENTIA ECCLESIÆ, SEV IMMVNITATIBVS DEBITA, VEL DE HIS QVI AD ECCLESIAM CONFVGIVM FECERINT, AVT IN IMMVNITATE DAMNVM DEDERINT.

I. REX LIVTPRANDVS.

SI cuiuſcunque ſervus aut ancilla, aldius vel aldia, in Eccleſia Dei confugium fecerit, & dominus vel patronus eorum, aut per miſſum ſuum, aut per ſe, exinde violenter traxerit, componat widrigild ſuum, in ſupraſcripta baſilica. Et ſi ſervus vel aldius ſine voluntate domini ſui hoc malum fecerit, det ipſum ſervum vel aldionem pro ipſo malo, in manu cuſtodis ipſius baſilicæ, & ipſe dominus vel patronus ſatisfaciat, quod per ipſius voluntatem hoc factum non fuiſſet, & ipſe widrigilt non componat.

II. IMPERATOR KAROLVS.

VT homicidæ & rei ceteri, qui legibus mori debent, ſi ad Eccleſiam Dei confugiunt, non excutiantur, neque eis ibidem victus detur.

III. IDEM.

VT latrones illos de infra immunitatem iudices & advocati ad Comitum placita, quando eis annunciatum fuerit, præſentent. Et ſi dixerint, quod ipſos latrones præſentare non potuiſſent, iurare debent, quod illos præſentare non potuiſſent, poſtquam eis denuntiatum fuerit, nec pro ulla iuſtitia dilatanda illis latronibus fugere conſenſerint, nec pro cauſa dilationis de illorum poteſtate, vel de ſuorum miniſterio, latrones iactaſſent. Et hoc iurent, ut per ſuorum voluntatem, ſi potuerint, ipſos latrones præſentare debeant ad iuſtitiam faciendam. Et qui hoc non fecerint, beneficium & honorem perdant. Similiter & ſi baſſi noſtri hoc non adimpleverint, beneficium & honorem perdant. Et qui beneficium noſtrum non habuerit, bannum noſtrum ſolvat.

IV. IDEM.

SI quis in immunitate damnum aliquod fecerit, DC. ſolid. componat: ſi autem homo furtum, aut homicidium, vel quodlibet crimen commiſerit, & infra immunitatem fugerit, mandet Comes Epiſcopo, vel Abbati, vel Vicecomiti, aut qui locum Epiſcopi vel Abbatis tenuerit, ut reddat ei reum. Quod ſi ille Epiſcopus, ſive Abbas, ſive cuſtos contradixerit, & eum reddere noluerit, in prima contradictione ſol. xv. culpabilis iudicetur. Si nec ad ſecundam requiſitionem eum reddere voluerit, ſol. xxx. culpabilis iudicetur. Si nec ad tertiam inquiſitionem conſentire voluerit, quidquid reus damni fecerit, totum ille qui infra immunitatem eum retinet, nec reddere vult, ſolvere cogatur. Et ipſe Comes veniens habeat licentiam ipſum hominem infra immunitatem quærendi, ubicunque eum invenire potuerit. Si autem ſtatim in prima inquiſitione Comiti reſponſum fuerit, quod reus infra immunitatem quidem fuiſſet, ſed fuga lapſus eſt, ſic ſtatim iuret ſive Epiſ-

Episcopus, sive Abbas, sive custos, quod ipse eum ad iustitiam cuiuslibet faciendam fugere non fecisset: & sit ei in hoc satisfactum. Si autem in-diffacientem ipsam immunitatem Comiti collecta manu quislibet resistere tentaverit, Comes hoc factum ad Regem, vel ad Principem deferat, ibique iudicetur: ut sicut ille qui in immunitate damnum fecerit, DC. sol. componere debet, ita qui Comiti collecta manu resistere tentaverit, vel præsumpserit, DC. sol. culpabilis iudicetur.

V. Imperator Hludoicus.

SI quis ad Ecclesiam confugium Dei fecerit, intra atrium ipsius Ecclesiæ pacem habeat, nec sit necesse ei Ecclesiam ingredi. Et nullus eum per vim inde abstrahere præsumat, sed liceat ei confiteri, quod fecit, & idem per manus bonorum hominum in discutione in publicum perducatur.

VI. idem.

SAnguinis effusio in Ecclesia facta cum furore, si presbyter fuerit in triplo componatur: duas partes Ecclesiæ presbytero, tertiam pro fredo ad Ecclesiam, & insuper bannum nostrum componat. Similiter & de Diacono, iuxta compositionem eius in triplo componatur: & bannum nostrum componat. De Subdiaconibus, similiter secundum suam compositionem in triplo persolvat. De unoquoque ordine clericorum secundum suam legem compositionem in triplum faciat, & bannum nostrum componat. Similiter & de ictibus sine sanguinis effusione, de unoquoque ordine clericorum secundum suam compositionem cum triplo componatur, & bannum nostrum. Et qui non habet unde ad Ecclesiam persolvat, tradat se in servitio eiusdem Ecclesiæ, usque dum totum debitum persolvat.

VII. Imperator Hlotharius.

VOlumus ut omnibus modis immunitates pro iussione genitorum nostrorum, seu nostra, pleniter ac iuste observentur.

TITVLVS XLI. DE SCABINIS ET CANCELLARIIS.

I. Imperator Hlotharius.

VT cancellarii electi boni & veraces chartas publicas conscribant ante Comitem, & scabinos, & vicarios eius. Et nullis modis hoc facere præsumat de pecunia vel substantia, antequam legitimum pretium detur.

II. idem.

DE cancellariis, qui veraces electi sunt, ad homines infirmos veniant, & secundum legem instrumenta chartarum scribant, & à testibus roborentur: & statim cum scripta charta fuerit ostendatur ante Episcopum, & Comitem, & iudicem, vel vicarios, aut in plebe, ut veraces esse cognoscantur.

III. IDEM.

VT missi nostri, ubicunque malos scabinos invenerint, eiiciant, & cum totius populi consensu in eorum loco bonos eligant, & cum electi fuerint, iurare faciant, ut scientes iniuste iudicare non habeant.

IV. IDEM.

VT in omni comitatu hi qui meliores & veraces inveniri possunt, eligantur à missis nostris, ad inquisitiones faciendas, & rei veritatem dicendam, & adiutores Comitum sint, ad iustitiam faciendam.

V. IDEM.

VOlumus, ut quicunq; de scabinis deprehensus fuerit, quod propter munera, aut amicitiam, vel inimicitiam, iniustè iudicasset, ut per fideiussorem missum ad nostram præsentiam venire compellatur: & ceteris omnibus scabinis denuncietur, ne quis deinceps etiam iustum iudicium vendere præsumat.

VI. IDEM.

VOlumus, ut nullus cancellarius pro ullo iudicio aut scripto aliquid amplius accipere audeat, nisi dimidiam libram argenti, de maioribus scriptis: de minoribus autem intra dimidiam libram, quantum res assimilare possit, & iudicibus rectum videtur. De orphanis autem, vel ceteris pauperibus, qui exolvere hoc non possunt, in providentia Comitis sit, ut nequaquam inde aliquid accipiant. Notárii autem hoc iurare debent, quod nullum scriptum falsum faciant, nec in occulto, nec de uno Comitatu in alio, nisi per licentiam ipsius Comitis, in cuius comitatu stare debet. Si vero necessitas in itinere aliquem compulerit, aut infirmitas gravis, secundum capitulare genitoris nostri faciant. Si notarius aliter fecerit, illud quod fecerit, appareat inane & vacuum.

TITVLVS XLI. QVALITER IVDICES IVDICARE DEBEANT: ET SI IVDICARE DISTVLERINT, QVOMODO PVNIANTVR. ET QVANDO ACTOR FORVM REI SEQVI DEBEAT.

I. REX LIVTPRANDVS.

SI quis causam habuerit, & sculdasio suo eam adduxerit, & ipse sculdasius iustitiam ei intra quatuor dies facere neglexerit, si ambo causatores eius de subuno sculdasio sunt, tunc componat ei, qui pro causa sua reclamavit, ipse sculdasius sol. VI. & iudici suo similiter sol. VI. Et si forsitan ille, super quem reclamaverit, infirmus est, aut propter utilitatem suam in alia civitate esse dinoscitur, expectet eum dum revertatur, aut de infirmitate sua convaluerit: & postquam reversus fuerit, aut de infirmitate convaluerit, si infra statutos quatuor dies minimè eum ad iustitiam faciendam distrinxerit, componat ipse sculdasius sol. VI. sicut iam dictum est, ei cuius causa est, & iudici suo solid. VI. Si vero talis causa fuerit, quod ipse sculdasius deliberare minimè possit, dirigat ambas partes ad iudicem suum:

& si iudex eius causam ipsam dilataverit, & intra sex dies inter eos per legem non iudicaverit, componat illi, qui reclamaverit, sol. XII. Et si nec iudex deliberare potuerit, dirigat intra XII. dies ambas partes in præsentia Regis: nam si aliter fecerit ipse iudex, & intra XII. dies, ut dictum est, iustitiam suam non invenerit, qui proclamavit, tunc componat ipse iudex sol. XII. & Regi sit culpabilis sol. XX.

II. IDEM.

SI homines de subuno iudice, de duobus tamen sculdais, causam habuerint, ille qui pulsat, vadat cum misso aut epistola de suo sculdasio ad illum alium sculdaëm, de sub quo ipse est, cum quo causam habet: & si intra quatuor dies minimè iustitiam fecerit, componat ille sculdasius, qui distringere neglexerit, ei qui reclamaverit, sol. VI. & iudici sol. VI. Et si talis fuerit causa, quam deliberare non possit, dirigat eos intra sex dies ad iudicem suum, secundum anterius capitulum. Nam si qualiter superiori capitulo constitutum est, sive sculdais, sive iudex, in omnibus non compleverit, componat qualiter supra affixum est, illi qui causam suam reclamavit, sol. VI. & iudici suo sol. VI. & iudex componat illi, cuius causa est, sol. XII. & Regi sol. XX.

III. IDEM.

SI quis in alia civitate causam habuerit, similiter vadat cum epistola de iudice suo ad iudicem, qui in loco est: & si ipse iudex ei iustitiam intra octo dies minimè fecerit ad distringendum, aut non compleverit, componat illi, qui causam suam reclamaverit, sol. XX. & Regi sol. XX. Et si talis causa fuerit, quam deliberare minimè possit, ponat constitutum, & distringat hominem illum de sua iudicaria, & faciat intra XX. dies in præsentia Regis venire. Nam si aliter fecerit, & distringere neglexerit, componat sicut supra scriptum est, sol. XL. medium Regi, & medium ei, qui causam suam reclamavit.

IV. IDEM.

SI quis causam habuerit, & sculdais aut iudex ei secundum edicti tenorem per legem iudicaverit, & ipse stare in eodem iudicio minimè voluerit, componat illi, qui iudicavit, sol. XX. Nam de ea causa, quæ per arbitrium iudicata fuerit, & ipse sibi non crediderit legem iudicasse, & ad Regem reclamavit, non sit culpabilis. Et si iudex contra legem iudicaverit, componat sol. XL. medium Regi, & medium cuius causa fuerit. Et si forsitan iudex causam per arbitrium iudicaverit, & iudicium eius rectum non apparuerit, non sit culpabilis: nisi præbeat sacramentum Regi, quod iniquo animo, aut corruptus præmio, causam ipsam non iudicasset, nisi sic ei legem comparuit esse, & sit absolutus: nam si iurare non præsumpserit, componat ut supra dictum est.

V. IDEM.

ET hoc statuimus, ut si de suprascriptis capitulis, quæ modo adfiximus, qualescunque causæ antea emerserint, aut factæ sunt, in eo ordine finiantur, & remaneant, sicut anterior fuit consuetudo, vel qualiter in

antiquo edicti corpore continetur. Quæ vero amodo, id est à die primo Kalendarū Martiarum, indictione quarta evenerint, vel fieri contigerint, sic terminentur, & finem accipiant, sicut in præsenti pagina constitutū est: excepta muliere libera, quæ servum tulit, & secundum anterius edictum condemnata est, ubicunque inventa fuerit, sit ancilla palatii, & filii eius servi Regis.

VI. Imperator Pipinus.

PLacuit nobis inserere, ubi lex deest, præcellat consuetudo: & nulla consuetudo superponatur legi.

VII. Imperator Hludoicus.

SI quis in aliena patria, ubi vel propter beneficium, vel propter aliam quamlibet occasionem conversari solet, de qualibet causa fuerit interpellatus, ubi secundum suam legem iustitiam faciat, & cum talibus, quales in eadem regione vel provincia secum habere potuerit, iuratoribus legitimum sacramentum iuret. Excepto si quis eum de statu suo, vel hereditate, quam ei pater suus moriens dereliquit, appellaverit: de his duobus liceat sacramentum in patria sua, id est in legitimo loco iusiurandum afferre. Et is qui cum eo litigat, sequatur illum in patria sua, ad recipiendum illud sacramentum. Et ipse prius in eodem loco, ubi interpellatus est, satisfaciat tam Comiti & iudicibus, quam suo adversario, testes producendo, quod rem quam quærit, pater suus ei dereliquit.

TITVLVS XLII. DE HIS QVI AD PLACITVM VENIRE COGVNTVR.

I. Imperator Karolus.

VT nullus alius de liberis hominibus ad placitum vel ad mallum venire cogatur, exceptis scabinis, & vassis Comitum, nisi ille qui causam suam quærit, aut si alter illi quærere debeat, & ille qui respondet.

II. Idem.

VT nullus ad placitum banniatur, nisi qui causam suam quærit, aut si alter ei quærere debet: exceptis scabinis septem, qui ad omnia placita esse debent.

III. Imperator Hludoicus.

DE placitis quidem, quæ liberi homines observare debent, constitutio genitoris nostri penitus servanda atq; tenenda est: ut videlicet in anno tria solummodo generalia placita observentur. Et nullus eos amplius placita observare compellet, nisi forsitan quilibet aut accusatus fuerit, aut alium accusavit, aut ad testimonium perhibendum vocatus fuerit. Ad cetera vero placita, quæ centenarii tenent, non alius venire iubeatur, nisi aut qui litigat, aut qui iudicat, aut testificatur. Et quicunque huius constitutionis transgressor de missis nostris inventus fuerit, bannum nostrum componat.

TITVL.

TITVLVS XLIII. DE HIS QVI AD PLACITVM VENIRE CONTEMPSERINT: ET QVIBVS DE CAVSIS MANNITIO FIERI DEBEAT.

I. IMPERATOR KAROLVS.

SI quis ad mallum legibus mannitus fuerit, & non venerit, si eum somnis non detinuerit, sol. xv. culpabilis iudicetur. Si ad secundam & tertiam vicem, similiter. Si autem ad quartam venire contempserit, possessio eius in bannum mittatur, donec veniat, & de re, de qua interpellatus fuerit, iustitiam faciat. Si autem infra annum non venerit, de rebus eius, quæ in bannum missæ sunt, Rex interrogetur, & quidquid exinde iudicaverit, faciat. Prima mannitio sit super VII. noctes. Secunda super noctes XIIII. Tertia super noctes XXI. Quarta super noctes XLII. Similiter de beneficio hominis, si forte res proprias non habuerit, mittatur in bannum, usque dum Rex interrogetur.

II. IDEM.

DE mannitione vero, nisi de ingenuitate, aut de hereditate, non sit opus observare: de ceteris vero caussis, per districtionem Comitis ad mallum veniant, & iustè examinentur ad iustitiam faciendam. Comites verò non semper pauperes per placita opprimant.

III. IMPERATOR HLVDOICVS.

SI cuiuscunque hominis proprietas, ob crimen aliquod ab eo commissum, in bannum fuerit missa, & ille re cognita venire, & iustitiam facere distulerit, annoque ac die in eo banno illam esse permiserit, ulterius eam non attingat, sed ipsa fisco nostro societur. Debitum vero, quod is, cuius ea fuerit, solvere debuit, per Comitem ac ministros eius, iuxta æstimationem damni, de rebus mobilibus, quæ in eadem proprietate inventæ fuerint, his quibus debitor fuerit, exsolvatur. Quod si rerum mobilium ibidem inventarum quantitas ad compositionem non sufficit, de immobilibus suppleatur, & quod superfuerit, sicut dictum est, fiscus noster possideat. Si nihil super compositione remanere potuerit, totum in illa compositione expendatur. Si autem homo ille nondum cum suis coheredibus proprium divisum habuerit, convocet eos Comes, & cum eis legitimam divisionem faciat: & tunc, sicut iam dictum est, partes eius fisco nostro adiiciet, & compositionem de ea, iuxta modum superius comprehensum, his ad quos illa legibus pertinet, exsolvat. Quod si non de aliis rebus, sed de ipsa proprietate, quæ in bannum fuerit missa, ac per hoc in nostra potestate redacta est, fuerit interpellatus Comes, in cuius ministerio eam esse constiterit, hoc ad nostram notitiam perferre curet: ut nos eandem proprietatem, quæ secundum istum modum in nostrum dominium redacta est, per præceptum nostræ auctoritatis in illius hominis potestate, qui eam quærebat, suam esse, faciamus pervenire. Et si eam quicunque ad suam proprietatem detraxerit, liceat ei per sacramentum suum habere: & si exinde postea victus fuerit, dextra manus ei amputetur.

IV. IDEM.

SI quis de statu suo, id est de libertate, vel de hereditate compellatus est, iuxta legis constitutionem manniatur: de ceteris vero causis, unde quis rationem est redditurus, non manniatur, sed per Comitem banniatur. Et si post unam aut alteram ammonitionem Comitis, aliquis ad mallum venire noluerit, rebus omnibus in bannum missis, venire ad iustitiam facere compellatur.

TITVLVS XLIV. DE HIS QVI ALDIONES DEFENDERE DEBEANT, VEL IN PLACITO REPRÆSENTARE.

I. REX LIVTPRANDVS.

DE aldionibus, quæ de personis suis aldiones sunt, si aliqua compellatio facta fuerit, patroni eorum eos defendant per sacramentum aut per pugnam, iuxta qualis causa fuerit.

II. IMPERATOR KAROLVS.

VT servi, aldiones, libellarii antiqui, vel alii noviter facti, qui non per fraudem, neque per malum ingenium, de publico servitio se subtrahentes, sed per solam necessitatem, & paupertatem terram Ecclesiasticam colunt, vel colendam suscipiunt, non à Comite, vel aliquo ministro illius, ad ullam angariam, seu servitium publicum vel privatum, cogantur vel compellantur: sed quidquid ab eis iustè agendum est, à domino vel patrono suo ordinandum est. Si vero de aliquo crimine accusantur, Episcopus primo compelletur, & ipse per advocatum suum, secundum quod lex est, iuxta conditionem singularium personarum, iustitiam faciat. Si vero culpabiles fuerint, sicut in capitulare domni Imperatoris scriptum est, ita fiat. Ceteri vero homines liberi, qui vel commendationem, vel beneficium Ecclesiasticum habent, sicut reliqui homines iustitiam faciant.

III. IDEM.

ET quia sunt nonnulli, qui sine proprietatibus in regno nostro degentes iudicia Comitum effugiunt, & non habentes res aut substantiam, quibus constringi possint, ideo circumquaque malitias exercere non cessant: de illis vero placuit nobis, ut ipsi cum quibus manere videntur, aut eos præsentent, aut pro eorum malefactis rationem reddant.

IV. IMPERATOR HLOTHARIVS.

DE liberis hominibus, qui super alterius terram resident, & usque nunc à ministris reipublicæ contra legem ad placita trahebantur, & ideo pignorabantur, constituimus, ut secundum legem patroni eorum eos ad placitum adducant. Et si quis eos contra hanc nostram auctoritatem, & eorum legem pignorare aut distringere præsumpserit, patrono eorum omnia cum lege emendet, & insuper pro præsumptione bannum nostrum componat.

TITVL.

TITVLVS XLV. APVD QVEM POTENTIORVM CAVSÆ AGI DEBEANT.

I. Imperator Karolvs.

VT Episcopi, Abbates, & Comites, & quique potentiores, si causam inter se habuerint, & pacificare noluerint, ad nostram iubeantur venire præsentiam, neque illorum contentio alicubi iudicetur, nec propter hoc pauperum, & minus potentum iustitiæ remaneant. Neque ullus Comes palatii nostri potentiorum causas, sine nostra iussione, finire præsumat: sed tantum pauperum, & minus potentum, ad iustitias faciendas se sciat esse constitutum.

II. Imperator Hlotharivs.

VT omnes Episcopi, Abbates, & Comites, excepta infirmitate, vel nostra iussione, nullam habeant excusationem: quoniam ad placita missorum nostrorum veniant, aut tales vicarios suos mittant, ut in omnibus causis pro illis rationem reddere possint.

TITVLVS XLVI. DE ARMIS INFRA PATRIAM NON PORTANDIS, VEL AD PLACITVM.

I. Imperator Pipinvs.

VT nullus ad mallum, vel ad placitum, infra patriam arma, id est scutum & lanceam portet.

II. Imperator Hlotharivs.

VOlumus, ut cum collectis vel scutis ad placitum Comitis nullus præsumat venire: & si præsumpserit, bannum nostrum componat.

TITVLVS XLVII. DE ADVOCATIS ET VICEDOMINIS.

I. Imperator Karolvs.

DE advocatis, & vicedominis, vicariis, & centenariis pravis, ut tollantur: & tales eligantur, qui sciant & volunt iustitiæ causam discernere, & determinare. Et si Comes pravus inventus fuerit, nobis nuncietur: & iudices, advocati, præpositi, centenarii, scabini, quales meliores inveniri possunt, & Deum timentes constituantur, ad sua ministeria exercenda.

II. idem.

VOlumus ut advocati in præsentia Comitum eligantur, non habentes malam famam: sed tales eligantur, quales lex iubet eligere.

III. Imperator Pipinvs.

DE advocatis sacerdotum volumus, ut pro Ecclesiastico honore, & pro illorum reverentia, advocatos habeant.

IV. IMPERATOR HLUDOICUS.

VT nullus Episcopus, nec Abbas, nec Abbatissa, centenarium Comitis, vel Comitem ad advocatum habeat.

V. IDEM.

OMnibus igitur Episcopis, Abbatibus, cunctoque clero omnino præcipimus, vicedominos, præpositos, advocatos, sive defensores bonos habere: non crudeles, nec cupidos, non periuros, non falsitatem amantes, sed Deum timentes, & in omnibus iustitiam facientes, vel diligentes. De iudicibus autem, vel centenariis, atque tribunis, vel vicariis, dignum esse censuimus, ut si mali fuerint reperti, de ministerio suo abiiciantur.

VI. IMPERATOR HLOTHARIUS.

VOlumus ut Episcopi, & Abbates, Abbatissæ, suos advocatos habeant, & pleniter iustitiam faciant ante Comitem suum.

VII. IDEM.

VOlumus ut Episcopi, una cum Comite suos advocatos eligant.

VIII. IDEM.

SIngulis Episcopis, Abbatibus, Abbatissis, duos concedimus advocatos habere. Eos quoque unum qui causam procuret, alium qui sacramentum deducat: eosque quamdiu advocationem tenuerint, ab hoste relaxamus.

IX. IDEM.

VT Episcopi, universique sacerdotes, habeant advocatos. Quia Episcopi, & universi sacerdotes, ad solam laudem Dei, & bonorum operum actionem constituuntur. Debet ergo unusquisque eorum tam pro Ecclesiasticis, quam etiam propriis actionibus suis, excepto publico videlicet crimine, habere advocatum, non mala fama suspicatum, sed bonæ opinionis, & laudabilis artis inventum. Ne dum humana lucra attendunt, æterna præmia perdant.

X. IMPERATOR OTTO.

LAicorum vero nullum, præter Comitem, in solis Ecclesiasticis rebus advocatum habere permittimus.

XI. IMPERATOR HENRICUS.

HEnricus divina pietate secundus Romanorũ Imperator Augustus. Quoniam in legibus cautum est, ut nemo clericorum iurare præsumat: alibi vero reperitur scriptum, ut omnes principales personæ in primo litis exordio subeant iusiurandũ calumniæ: nonnullis legis peritis res venit in dubium, utrum clerici iusiurandum præstare debeant, aut alii personæ hoc officium liceat delegare. Quia enim illius constitutionis edictum, ubi clerici iurare prohibentur, à Marco Augusto constitutum est, propterea quia de Constantinopolitanis clericis promulgatũ fuisse videtur, idcirco ad alios clericos pertinere non creditur. Vt ergo hæc dubietas omnibus penitus auferatur, illam Divi Marci constitutionẽ ita interpretari debere decernimus, ut ad omnium

Eccle-

Ecclesiarum clericos generaliter pertinere iudicetur. Nam cum divus Iustinianus iure decreverit, ut Canones patrum vim legum habere oporteat, & in nonnullis patrum Canonibus reperitur, ut clerici iurare non audeant, dignum est, ut totus clericalis ordo à præstando iureiurando immunis esse procul dubio censeatur. Quapropter nos utriusque videlicet divinæ & humanæ legis intentione servata decernimus, & imperiali auctoritate inretractabiliter diffinimus, ut nec Episcopi, nec presbyteri, nec cuiuscunque ordinis clerus, non Abbas, non aliquis monachus, vel sanctimonialis, in quacunque controversia, sive criminali, sive civili, iusiurandum qualibet ratione compellatur subire: sed advocatis suis propriis idoneis hoc officium debeant delegare.

TITVLVS XLVIII. QVIBVS TVTORES DANDI SVNT.

I. Imperator Pipinvs.

VT viduæ, & orphani, tutores habeant iuxta illorum leges, qui illos defendant, & adiuvent, ut per malorum hominum oppressionem, iustitias suas non perdant. Et si tutor illorum aliquis esse noluerit, iudex prævideat domini timentem hominem, iuxta ut lex illorum est, qui pro nostra præceptione illorum causam peragere debeat.

II. Imperator Hlvdoicvs.

DE viduis, & pupillis, & pauperibus, quandocunque in mallum veniunt ante Comitem, prius eorum causæ audiantur, & diffiniantur. Et si testes pro se ad causas suas quærendas habere non potuerint, vel legem nescierint, Comes illos vel illas adiuvet, dando eis tales homines, qui eorum rationes teneant, vel pro eis loquantur.

III. Imperator Hlotharivs.

DE viduis, & pupillis, & orphanis, cæcis & claudis, tuitionem atque amminiculum habere præcipimus, iuxta nostram possibilitatem vel vires, sicut in præcepto domni Regis continetur.

TITVLVS XLIX. DE FERIIS.

I. Imperator Karolvs.

VT etiam dominicus dies, sicut decet, honoretur, & eum colere omnes studeant, ut liberi possint haberi: & mercata & placita à Comitibus, sicut sæpè ammonitum fuerit, illo die prohibeantur.

II. Imperator Otto.

QVotidie contra leges agitur, quotidie malum mali facere non verentur. Ideo per hanc legē per omne ævum divinitate propitia valituram edicimus, ut toto anni tempore liceat iudicibus causas agere, lites dirimere, tumultus quæstionum determinare & diffinire: ut qui quotidie legem

offendunt, quotidie legis sententia feriantur. Nec enim tempore messis, vel vindemiarum, legis edictum effugere debent, qui in nullo tempore peccare desierunt. Benè enim facere, verum dicere, iustitiam amare, rectum iudicare, omni tempore licuit, semperque licebit: quia à bonis nunquam, à malis autem operibus semper requiescendum esse, catholicè didicimus: & hoc iugiter conservandum Deo auctore, & imperiali maiestate decernimus. David autem Rex & Propheta dicit: *Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore.* In natali verò Domini, & in Epiphania, & in statutis ieiuniorum diebus, in Pascha, & in ascensione Domini, in Pentecoste, in dominicis diebus, & in festis præcipuis, iudicarios motus exequi, publicas quæstiones appeti, ut hæ solemnitates, quæ sunt Christianorum, cum omni vigilantia celebrentur, penitus prohibemus.

TITVLVS L. DE PRÆIVDICIARIIS ACTIONIBVS.

I. IMPERATOR HLOTHARIVS.

SI quis aliquem de aliquo negotio mallaverit, & ille qui mallatus fuerit, dixerit: *ideo ei respondere nolo, quia servus alterius sit:* aut si testimonia produxerit, & similiter dixerit, quod ea recipere non debeat, quia aliquis eorum servus sit alterius; nominet dominum eius, & sic det wadiam de eius domino, ad placitum adducendo: & posito placito in quantum ire, ubi eum invenire crediderit, & reverti possit, iudices dicant. Et si in placito constituto dominum non adduxerit, præbeat sacramentum, quod pro nulla ratione dilatandæ iustitiæ eius hoc non dixerit; nisi pro certo ita verum esse crediderit. Quod si iurare ausus non fuerit, quod pro occasione prolongandæ iustitiæ hoc non dixisset, componat illi bannum nostrum, & iustitiam plenissimam faciat. Si vero aliquem adduxerit, qui se dominum eius dicat esse, & illum qui de servitio appellaverit, replicare ad servitium non potuerit, tunc ille qui dominum se eius dixerit esse, bannum nostrum ei componat; eo quod pro conculcanda iustitia tale ingenium facere ausus fuerit. Crimina vero si super eum pro dilatanda iustitia imponere voluerit, probare cogatur. Et si probare non potuerit, iustitiam faciat, & insuper bannum nostrum, pro tanta calliditate, componere cogatur.

II. IDEM.

SI quispiã forte aliquem mallaverit, & ille qui mallatus fuerit, dixerit eum servum suum esse, vel alius in ipsa altercatione veniens eum ad servitium mallaverit, volumus ut inpræsentialiter se wadiet, ut ad primum, vel ad secundum, aut tertium placitum causam ipsam deliberet. Inter placitum & placitum sint dies XII. Tertium vero quando Comes placitum habuerit, si infra unum comitatum est, sint dies XV. si autẽ in alium est, sint dies XX. ne pro tali occasione iustitia eius prolongetur. Quod si in his tribus placitis ille, qui quærit, venire neglexerit: excepto servitio Regis, & invitabili necessitate, & Comes placitum habuerit, & ille quoq; alius ad suam libertatem probandam paratus fuerit, tunc Comes ipsam causam finiat, veluti si ipse qui quærit, præsens fuisset, & ultra qui quæsierit, facundiam de ipsius servitio dicendi non habeat, & insuper bannũ nostrum componat illi, ac iustitiam pleniter faciat. Et sunt aliqui, qui dum aliquos in servitio mallant, & ipsi de sua libertate probanda dant wadiam, eos mutando per placita lacerant, ut vix per suam paupertatem evadere possint: unde tertium capitulum addere placuit.

III. IDEM.

SI vero alium ad servitium aliquis mallaverit, & ille qui mallatus fuerit, ad probandum libertatem wadiam dederit, iubemus, ut supra, ut ad primum, aut ad secundum, vel ad tertium placitum, causam deliberent. Inter placitum & placitum sint dies XII. tertium vero, quando Comes placitum habuerit, si infra unum comitatum est, sint dies XV. si autem in alium est, sint dies XX. Et si in his tribus placitis, ipse qui quærit, venire contempserit, antepositio quod superius anteposuimus, & Comes placitum habuerit, ille autem alius cum suis testibus paratus fuerit, tunc Comes ipsos testes recipiat, & causam diffiniat, veluti si ipse qui quærit præsens fuisset, & ultra ille qui quæsierit, tacitus de servitio illius permaneat.

TITVLVS LI. DE TESTIBVS.

I. REX LIVTPRANDVS.

SI quis testimonium falsum contra quemcunque reddiderit, aut in charta falsa sciens manum posuerit, & ipsa fraus manifesta fuerit, componat widrigilt suum, medium Regi, & medium ei, cuius causa fuerit. Et si talis persona fuerit, quæ non habeat unde componat, tunc publicus debeat eum dare pro servo in manu eius, cui culpam fecit: & ipse eidem serviat, sicut servus. Et ipse qui alium rogat testimonium falsum dicere, aut pro causa sua manum in charta falsa ponere, sic componat, sicut testes ipsos falsos iussimus componere: pro eo, quod ipsum malum per ipsum fuit inchoatum.

II. IMPERATOR KAROLVS.

DE periuriis, ut caveantur, & non admittantur testes ad iuramentum, antequam discutiantur. Et si aliter discuti non possunt, separentur ab invicem, & singulariter inquirantur. Et non soli accusatori liceat testes eligere, absente suo causatore. Et omnino nullus nisi ieiunus ad iuramentum, vel ad testimonium admittatur. Et ille qui ad testimonium adductus fuerit, si refutatur, dicat ille qui eum refutat, & probet, quare eum recipere nolit. Et ut de ipso pago, non de altero, testes eligantur: nisi forte extra comitatum longius sit causa quærenda. Et si quis convictus fuerit de periurio, manum perdat, aut redimat.

III. IDEM.

OPtimus quisque in pago, vel in civitate in testimonium admittatur, ut is contra quem testimonium dare debet, nullum crimen possit indicare.

IV. IDEM.

VT qui semel periuratus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad sacramentum accedat, nec in sua causa, vel alterius iurator existat.

V. IDEM.

VT quandocunque testes ad rem quamlibet discutiendam quærendi aut eligendi sunt à misso nostro & Comite, in quorum ministerio de re qualicunque agendum est, tales eligantur, quales meliores inveniri in ipso pago possunt. Et non liceat litigatoribus per præmia falsos testes adhibere, sicut hactenus fieri solebat.

VI. IDEM.

VT testes ad testimonium dicendum præmio non ducantur. Et nullus testimonium dicat, aut sacramentum iuret, nisi ieiunus. Et ut testes priusquam iurent, separatim discutiantur, quid dicere velint de illa re, unde testimonium reddere debent.

VII. IDEM.

VOlumus etiam atque iubemus, ut Comites & iudices non admittant testes, habentes malam famam; testimonium perhibere; sed tales eligantur, qui testimonium bonum habeant inter suos pagenses. Et primum per ipsos iudices inquirantur, sicut ab illis iudices recti inquirere potuerint, ita faciant, non voluntatibus malorum hominum assensum præstantes. Et ut ipsi Comites, & eorum iudices, qui noverint causam, de qua inter eos agitur, esse cooperatam sine blandimento ipsius qui causam habet, faciant testes ad eandem causam venire, & per eorum inquisitionem ita fiat diffinita. Et iubemus, ut testimonia ab invicem separentur, ut lex habet. Quia si ita agatur, multi falsi testes possunt esse superati, si separatim interrogati fuerint.

VIII. IDEM.

FAlsa persona non habet potestatem accusandi. Et si in primo crimine convictus fuerit, falsum dixisse testimonium, in secundo non habeat potestatem dicendi.

IX. IDEM.

PLacuit nobis, ut nullus Comes, nec eorum iuniores, nullatenus præsumant alicui homini sua testimonia tollere aut extrahere, sed permittant ei habere sua testimonia, quæ cōquirere aut rogare potuerit. Et si aliquis contra hoc facere præsumpserit, nostra est voluntas, ut ipse veniat in nostram præsentiam, & ibidem inde accipiat talem sententiam, quomodo nostra voluntas fuerit ad iudicandum.

X. IMPERATOR HLVDOICVS.

SI duo testimonia de qualibet re testimoniaverint, & inter se discordaverint, tunc Comes eligat unum ex una parte, & alium ex altera: & illi duo discernant cum scutis, & fustibus: & ipsius, qui de ipsa falsitate convictus fuerit, dextra manus amputetur.

XI. IDEM.

SI quis cum altero de qualibet causa contentionem habuerit, & testes contra eum producti fuerint: si illos falsos esse suspicatur, liceat ei alios testes, quos

quos meliores potuerit, contra eos opponere, ut veracium testimonio falsorum testium perversitas superetur. Quod si ambæ partes testium inter se ita dissenserint, ut nullatenus una pars alteri concedere voluerit, eligantur duo ex ipsis, id est ex utraque parte unus, qui cum scutis & fustibus in campo decertent, utra pars falsitatem vel veritatem suo testimonio consequatur. Et campioni qui convictus fuerit, propter periurium quod ante pugnam commiserit, dextra manus amputetur. Ceteri vero eiusdem partis testes, qui falsi apparuerint, manus suas redimant: cuius compositionis duæ partes ei, contra quem testificati sunt, dentur; tertia pro freda solvatur. Et in seculari quidem causa huiusmodi testium diversitas, etiam in campo comprobetur. In Ecclesiasticis verò causis, ubi de una parte seculare, de altera verò Ecclesiasticum negotium est, hic modus observetur: ubi vero ex utraque parte Ecclesiasticum fuerit negotium, rectores earundem Ecclesiarum, si se familiariter pacificare voluerint, licentiam habeant. Si autem de huiusmodi pacificatione inter eos convenire non potuerint, advocati eorum in mallo publico, in præsentia Comitis veniant, & ibi legitimus terminus contentionibus eorum imponatur. Testes verò de qualibet causa non aliunde quærantur, nisi de illo Comitatu, in quo res illæ positæ sunt, unde causa agitur. Quia non est credibile, ut de statu hominis, vel de possessione cuiuslibet, per alios melius veritas cognosci valeat, quam per illos, qui viciniores sunt. Sic tamen, ut contentio, quæ inter eos orta est, si in confinio duorum comitatuum fuerit, liceat eidem de vicina centena adiacentis comitatus ad suam causam testes habere.

XII. IDEM.

CONstitutum est, ut nullus laicus crimen clericis audeat inferre. Testimonium clerici adversus laicum nemo recipiat. Nemo enim clericus, vel diaconus, vel presbyter, pro qualibet causa intret in curiam, nec ante iudicem causam dicere præsumat. Quoniam omnis curia à cruore dicitur, & immolatione simulacrorum. Et si quis clericus clericum accusans in curiam introierit, anathema sit.

XIII. IMPERATOR HLOTHARIVS.

VT in testimonium non recipiantur de his capitulis, id est de hereditate, de proprietate, aut libertate, de mancipiis, vel terris, sive de homicidio, & de incendio, illi qui non habent, si convicti fuerint falsum dixisse testimonium, unde secundum legem compositionem plenam facere possint.

XIV. IDEM.

QVicunque comprobatus fuerit, quod se sciente testes in periurium produxisset, ad palatium nostrum sub fideiussoribus venire compellatur: & ibi cum fidelibus nostris consideremus, quid de tali homine faciendum sit.

XV. IDEM.

DE liberis hominibus, qui proprium non habent, sed in terra dominica resident, si propter res alterius in testimonium non recipiantur, coniura-

tores tamen aliorum liberorum hominum ideo esse possunt, quia liberi sunt. Illi vero qui proprium habent, & tamen in terra dominica resident, & propter hoc ad testimonium recipiantur quia proprium habent.

XVI. IDEM.

DEcernimus si quis aliter testes habere non potuerit, ut per Comitis iussionem testes, quos in suo testimonio necessarios quisque habuerit, veritatem probaturus in publico conventu inviti adducantur: ut per ipsos rei veritas cum iuramento valeat inquiri. Quod si non per ipsos rei veritas cognoscatur, & duabus partibus fuerit inquisitio facta, idcircoquod nullus eorum possit habere testes, antequam iurent, fiat inquisitio facta. Quod si omnes ad unam partem dixerint testimonium, iurent verum dixisse. Quod si dissenserint, ut una pars testium unum dixerit testimonium, alia aliud: tunc interrogentur, si audent per pugnam illorum testimonium approbare. Quod si nulla pars alteri concesserit, iurent, & per pugnam illorum probetur testimonium. Quod si una pars se subtraxerit, tunc pars illa quæ ausa fuerit contendere, recipiatur ad testimonium.

XVII. IDEM.

QVamquam sacerdotis testimonium credibile habeatur, tamen ipsi in secularibus negotiis pro testimonio, aut conficiendis instrumentis non rogentur: quia eos in talibus rebus esse non convenit. Si autem causa eventus aliquid audierint, aut viderint, ubi nullæ idoneæ seculares personæ inveniantur, ne veritas occultetur, & malum in bonum æstimetur, in providentia Episcopi proprii sit, ita ut coram se & competentibus iudicibus, aut aliter, veritatem honorificè tollant.

TITVLVS LII. DE OFFICIO IVDICIS.

I. REX RATCHIS.

SI quis causam alterius agere aut causare præsumpserit, in præsentia Regis aut iudicis (excepto si Rex aut iudex ei licentiã dederit) de viduis, aut de orphanis, aut de tali homine, qui causam suam agere non potest, componat widrigild suum, medium Regi, & medium contra quem causavit. Et si forsitan aliquis per simplicitatem suam causam agere nescit, veniat ad placitum: & si Rex aut iudex præviderit, quod veritas sit, tunc debeat dare ei hominem, qui causam ipsius agat. Nam si iudex contra hoc consenserit, exceptis in his capitulis, & non emendavit, & ipse similiter componat widrigild suum in palatio Regis. Si enim quicunque liber homo in servitio de gasindio Regis, aut de eius fidelibus introierit, & si iudex, de sub quo fuerit, dolose eum opprimere curaverit, pro eo quod ipse in servitio alterius introivit, & per ipsum dolum illicitè contra ipsum iudicaverit, aut forsitan ab ipso iudice suo iustitiam suam invenire non potuerit, tunc componat iudex, sicut supra lex est. Et ille in cuius obsequio est, habeat licentiam causam agere, & usque ad legem perducere: sic tamen

ut

ut antea vadat ad iudicium de iudice suo, ut ab ipso suscipiat iustitiam suam.

II. IMPERATOR KAROLVS.

SI Comes in suo ministerio iustitiam non fecerit, tunc missus noster de hac causa sonare faciat, usque dum iustitiæ ibidem factæ fuerint. Et si vassus noster iustitiam non fecerit, tunc Comes & missus noster in ipsa causa sedeant, & de suo vivant, quo usque iustitiam faciat.

III. IDEM.

VT nullus homo in placitum centenarii, neque ad mortem, neque ad libertatem suam amittendam, aut res reddendas vel mancipia iudicetur: sed ea omnia in præsentia Comitum, vel missorum nostrorum iudicentur.

IV. IDEM.

VT iudices ieiuni causas audiant & discernant.

V. IDEM.

VT nullus quislibet missus noster, neque Comes, neque iudex, aut scabinus, cuiuslibet iustitiam dilatare præsumat, si statim implere potuerit secundum rectitudinem: neque præmia per hoc à quolibet homine per aliquod ingenium accipere præsumat.

VI. IDEM.

VT Comites pleniter iustitiam faciant & diligant, & iuxta vires eorum expleant, & iustitiæ sanctæ Dei Ecclesiæ vigilanti cura insistant, & orphanorum, viduarum, pauperum, & omnium qui in eorum ministerio permanent, & de causa quacunque ad eos venerit querela, plenissima & iustissima deliberatione definire decernant, & sicut rectum & iustum est ita agant. Et ut primitus ad placita eorum, orphanorum, viduarum, nec non pauperum causæ deliberentur: nec propter aliquam dilationem eorum iustitia à iudicibus dilatetur.

VII. IDEM.

VT ante vicarios nulla criminalis actio diffiniatur, nisi tantum leviores causæ, quæ facilè possunt iudicari. Et nullus in eorum iudicio aliquem in servitio hominem conquirat: sed per fideiussorem mittantur, usque ad præsentiam Comitis. Et ad ingenuos homines nulla placita faciant custodire, postquam illa tria custodiunt placita, quæ instituta sunt, nisi fortè contingat, ut aliquis aliquem accuset: exceptis illis scabinis, qui cum iudicibus residere debent.

VIII. IDEM.

VOlumus ut sicut nos omnibus legem observamus, ita omnes Comites nostri nobis legem observare faciant, & plenam iustitiam in eorum ministeriis, quidquid ad nos pertinet, facere studeant.

IX. IDEM.

VT iudices, sive missi nostri fiscalini, de qualibet causa nôn exigant fredam, priusquam facinus componatur.

X. IDEM.

OMnis controversia coram centenariis diffiniri potest, excepta redhibitione rerum immobilium & mancipiorum: quæ non potest diffiniri, nisi coram Comite.

XI. IDEM.

VT nullus ebrius suam causam in mallum possit conquirere, nec testimonium dicere: nec Comes placitum habeat, nisi ieiunus.

XII. IDEM.

VT placita publica vel secularia, neq; à Comite, nec ab ullo ministro suo, vel iudice, nec in Ecclesia, nec in terris Ecclesiæ circumiacentibus, vel cohærentibus nullatenus teneantur.

XIII. IDEM.

HOc quoque iubemus, ut iudices supra nominati, sive missi nostri fiscalini, de qualibet causa fredam non exigant, priusquam facinus componatur. Si quis autem per cupiditatem ista transgressus fuerit, legibus componat fredam: ut autem non illi iudici, qui culpam commisit, sed illi, qui solutionem recipit, tertia pars coram testibus fisco tribuatur, ut pax perpetua stabilis permaneat.

XIV. IMPERATOR PIPINVS.

DE universali quidem populo, qui ubicunq; iustitiam quæsierint, suscipiat tam à Comitibus suis, quam etiam à gastaldiis, seu sculdasiis, vel loci præpositis, iuxta ipsorum legem, absq; tarditate. Et si Comites Franci distulerint ad iustitiã faciendam, & probatum fuerit, iuxta ut eorum fuerit electio, ita poenæ subiaceant: & de illorum honore ita fiat, sicut est consuetudo Francorum. Et de Longobardis Comitibus, qui ex ipsis neglectum posuerit ad iustitiam faciendam, sicut illorum lex est, ita componat. Et si forsitan attenderit ad gasindium, vel ad parentem, aut ad amicum suum, seu ad præmium, & legem non iudicaverit, & probatum fuerit, widrigild suum componat, & honorem suum amittat, sicut ipsorum lex est. Et si gastaldius, aut sculdais, vel loci præpositus, de qualibet iudiciaria, tam ad suos pagenses, quam ad alios, qui iustitiam quæsierint, non fecerint, sicut lex ipsorum est, componat. Et si forsitan Francus aut Longobardus, habens beneficium, iustitiam facere noluerit, ille iudex, in cuius ministerio fuerit, contradicat illi beneficium suum, interim dum ipse, aut missus eius, iustitiam faciat.

XV. IDEM.

VT iudex unusquisque faciat iurare ad Dei iudicia per civitates, homines credentes, iuxta quantos præviderit, seu foras per curtes, vel vicos, ubi manent: ut cui ex ipsis cognitum fuerit, homicidia, furta, adulteria, &

de illicitis coniunctionibus, ut nemo ex eis eas concœlet. Et hoc damus in mandatis, ut si quis venerit iustitiam reclamare super quempiam hominem, dicendo de homicidio, furto, aut præ da: & ille super quem dixerit, denegare voluerit, tunc ille, qui reclamat, si potuerit, approbet illud, & si forsitan non potuerit approbare, & ipse super quem dixerit negaverit, quod ipsum malum nec ipse, nec homines ipsius perpetrassent, & posuerit excusationem, & dixerit: *Nomina mihi meos homines, qui tibi istud malum fecerint, ego tibi de illis iustitiam faciam*: & ille incognitus, qui reclamat, nomina illorum hominum nescit, nec approbare potest, & ipsi qui exinde veritatem sciunt, denegare voluerint, & ille qui reclamat, dixerit, quia illi homines veritatem sciverint: tunc ipse iudex, qui in ipso loco est, faciat iurare homines, quilibet fuerint, Franci aut Longobardi, quos ipse nominatiuè dixerit, ut dicant veritatem. Et si credentes homines fuerint, in manu Comitis sui dextram dent: & si latrocinia, vel furta, aut præda, inventa fuerint, emendentur, ita ut eorum lex est, cui ipsum malum perpetratum fuerat. Tamen iudex de loco, unde fuerit, de latronibus & furibus studium ponat, ut iste post, hic habitans aut veniens, in pace vivere valeat.

XVI. IDEM.

PLacuit atque convenit nobis, ut omnes iustitiæ pleniter factæ esse debeant infra regnum nostrum, absque ulla dilatione, tam de Ecclesiis, de xenodochiis, seu pauperibus, & viduis, & orphanis, atque de reliquis hominibus, secundum iussionem domni Karoli Regis.

XVII. IMPERATOR HLVDOICVS.

LEgatio missorum nostrorum hæc est. Primum, ut sicut iam aliis missis nostris iniunctum est, faciant iustitiam de rebus & libertatibus iniustè ablatis. Et si Episcopus, aut Abbas, vel vicarius, aut advocatus, aut quislibet de plebe hoc fecisse inventus fuerit, statim restituantur. Si vero Comes, vel auctor dominicus, vel alter missus palatii nostri hoc perpetraverit, & in nostra potestate redierit, res diligenter investigata & descripta ad nostrum revertatur iudicium. Volumus autem de his libertatibus, & rebus reddendis, quæ in nostra investitura sunt, ut primum quosque per optimos inquirantur: & si nec per illos rei veritas inveniri possit, tunc per eos, qui post ipsos iam in illa vicinia meliores sunt, rei veritas inveniatur. Et si nec per illos rei veritas inveniri possit, tunc liceat litigatoribus ex utraque parte testes adhibere: & si discordiaverint, secundum constitutionem à nobis promulgatam examinentur.

XVIII. IDEM.

VT Comites, & vicarii, & centenarii, de constitutione legis admoneantur: & propter iustitiam pervertendam munera non accipiant.

XIX. IDEM.

VT in illius Comitis ministerio, qui bonas iustitias factas habet, missi nostri diutius non morentur, neque illic multitudinem convenire faciant: sed ibi moras faciant, ubi iustitias, vel minus vel negligenter factas invenerint.

XX. IMPERATOR PIPINVS.

VT in illius Comitis ministerio ibidem missi nostri placitum non teneant, qui in aliquo missatico directus est, donec reversus fuerit.

XXI. IDEM.

VT ubicunque missi nostri, aut Episcopum, aut Comitem, aut Abbatem, vel alium quemlibet, quocunque honore præditum, invenerint, qui iustitiam facere noluerit, vel prohibuerit, de ipsius rebus vivant, quamdiu in eodem loco iustitiam facere debent.

XXII. IMPERATOR HLOTHARIVS.

VOlumus, ut Comites nostri licentiam habeant inquisitionem facere. De vicariis, & centenariis, qui magis per cupiditatem, quam propter iustitiam faciendam sæpissimè placita tenent, & inde populos nimis affligunt, ita teneatur, sicut in capitulare domni Karoli continetur. Id est, ut nullus ad placitum banniatur, nisi qui causam suam quærit, aut si alter exquirere debet: exceptis scabinis VII. qui ad omnia placita debent esse.

XXIII. IDEM.

DE reclamatoribus, vel causidicis, qui nec iudicio scabinorum acquiescere, nec blasphemare volunt, antiqua consuetudo eis servetur, id est, ut in custodiam recludantur, donec unum ex duobus faciant. Et si ad palatium pro hac re reclamaverint, & literas detulerint, non quidem quod eis credatur, nec tamen in carcere ponantur: sed cum custodia, & cum ipsis literis pariter ad palatium nostrum revertantur, & ibi discutiantur sicut dignum est.

XXIV. IDEM.

DE iudicibus ut inquirantur, si nobiles, & sapientes, & Deum timentes constituti sunt. Et iurent, ut iuxta suorum intelligentiam rectum iudicent, & pro muneribus vel humana gratia iustitiam non pervertant, nec differant: & quod iudicaverint, sua discretione confirmare non dissimulent. Vbi autem tales non sunt, à missis nostris constituantur, & idem sacramentum facere cogantur: quod si viles personæ, & minus idoneæ ad hoc constitutæ sunt, eiiciantur. Similiter & notarii legibus eruditi, & bonæ opinionis constituantur, & iusiurandum præbeant, ut nullatenus falsitatem, vel colludium scribant. Et qui hoc fecisse præterito tempore inventus fuerit, præsentialiter damnetur.

TITVLVS LIV. VT EPISCOPI ET COMITES INVICEM SIBI AVXILIVM PRÆSTENT.

I. IMPERATOR KAROLVS.

VOlumus ut Episcopi & Comites concordiam & dilectionem inter se habeant, ad Dei & sanctæ Ecclesiæ tractatum peragendum: ut Episcopus suo Comiti, ubi ei necessitas popolcerit, adiutor & exhortator existat, qualiter suum ministerium explere possit. Similiter & Comites faciant contra suum Episcopum, ut in omnibus illis adiutor sit, qualiter intra suam parochiam Canonicum possit explere mysterium.

II. IMPERATOR GVIDO.

PLacuit etiam nobis statuere summopere, ut Episcopi & Comites uniti sint in suis parochiis, & in comitatibus, pro pace & salvatione in honoribus suis habitantibus: ita ut nullum prædonem, raptorem, vel incestum, in suis sedibus vel concessis honoribus permittant morari. Et si intellexerint ex aliqua parte per eorum terminos velle aut debere transire exteros, ad istius regni vastationem, obviam eis missos commonitorios dirigant, ut in pace & sine præda per eorum transeant terram. Vendere autem eis, quæ necessaria sunt, faciant, non plus caro, sed secundum usum & consuetudinem terræ. Si vero noluerint acquiescere, sed prædas & rapinas exercuerint, quidquid aliter rapuerint, legaliter cum banno nostro ab Episcopo & Comite eiusdem loci emendare cogantur: quod si ea exequi noluerint, statim ab Episcopo loci excommunicentur. Postea vero si contigerit, ut Comes loci populusque terræ supra ipsos prædones venerint, & eos impedierint, & fuerint mortui, neque fayda inde crescat, neque compositio aliqua requiratur, pro his qui ibidem occubuerint: & si Comes eiusdem loci hoc implere neglexerit, proprio honore privetur. Et si oportuerit, & necesse fuerit, in ipso auxilio vicinum suum Comitem advocet: & si ille se subtraxerit, similiter proprio privetur honore, & insuper xxx. libras argenti Comiti componat.

TITVLVS LV. DE CONTEMPTORIBVS.

I. IMPERATOR HLOTHARIVS.

PLacuit nobis, ut si pro quibuslibet culpis atque criminibus quæcunque persona totiens fuerit correpta, ut etiam excommunicatione pro contemptu digna habeatur, Comitem suum Episcopus sibi societ, & per amborum consensum huiuscemodi distringatur contemptor, ut iussioni Episcopi sui obediens existat. Si vero assensum non dederit, bannum nostrum nobis persolvat. Quod si adhuc contumax extiterit, tunc ab Episcopo excommunicetur. Si vero excommunicatus corrigi nequiverit à Comite, in vinculis distringatur, quo usque nostrum contemptor suscipiat iudicium. Si vero Comes in talibus repertus fuerit noxius, per Episcopum eius nobis nuncietur. Si autem vassus noster in hac culpa fue-

rit reptus, sicut supra, à Comite distringatur. Quod si eum non audierit, nobis innotescat, antequam in vinculis mittatur.

II. IDEM.

PRohibemus enim, ut nemo usuras facere præsumat post sui Episcopi contestationem. Quod si quis post eius interdictum facere præsumpserit, à Comitibus, sicut supra dictum est de contemptoribus, præcipimus ut distringatur.

III. IMPERATOR HENRICVS.

HEnricus divina pietate secundus Romanorum Imperator Augustus, omnibus. Decet Imperialem solertiam, contemptorem suæ præsentiæ, capitali damnare sententia.

TITVLVS LV. QVALITER QVISQVE SE DEFENDERE DEBET DE VVADIIS: ET IN QVIBVS CAVSIS PVGNA PROHIBEATVR, VEL FIERI DEBEAT.

I. REX ROTHARIS.

SI quis ex parentibus, id est barbanus, quod est patruus, aut quicunque proximus de nepote aut consobrino, doloso animo dixerit, quod de adulterio natus sit, nam non de certo patre, tunc ille cui crimen mittitur, quærat sibi liberos homines sacramentales XII. & præbeat sacramentum, quod filius legitimus sit, & per legem res ipsæ ad eum pertineant, nec alteri eas per legem dimittere debeat. Et si hoc fecerit, habeat & fruatur. Quia grave & impium videtur esse, ut talis causa sub uno scuto per pugnam dirimatur.

II. IDEM.

SI quis dixerit de uxore aliena, quod mundium de ea ad ipsum pertineat, nam non ad maritum; tunc ille qui eam habet uxorem, præbeat sacramentum cum legitimis sacramentalibus suis XII. quod de certo domino mundium ipsius fecisset, & non eum alteri per legem dimittere debeat. Si autem hoc fecerit, habeat & fruatur. Quia iniustum videtur esse, ut tam grandis causa sub uno scuto per pugnam dirimatur.

III. IDEM.

SI fuerit suspitio, quod maritus immerentem uxorem suam occidisset, ita decernimus, ut purificet se maritus, cum sacramentalibus suis legitimis XII. quod in morte ipsius mulieris mixtus non sit, nec per se, nec per aliam suppositam personam: & sit absolutus ab hoc crimine. Quia absurdum & impossibile videtur esse, ut tam grandis causa sub uno scuto per pugnam dirimatur.

IV. IDEM.

SI quis comparaverit mancipium, & postea leprosum aut dæmoniacum apparuerit, tunc venditor, si pulsatus fuerit, præbeat sacramentum singulis, quod in conscientia ipsius de ipsa infirmitate non fuisset, quando eum vendidit, & amplius non calumnietur.

V. IDEM.

SI qualiscunque causa inter homines liberos evenerit, & sacramentum dandum fuerit, si usque ad xx. sol. fuerit causa ipsa, aut amplius, ad Evangelia sancta iuret, cum XII. aliis suis, id est sacramentalibus: ita ut sex illi nominentur ab illo qui pulsat: & septimus sit qui pulsatur, & quinq; quales voluerint liberos eligat, ut tamen sint XII. Quod si minor causa fuerit, de XX. solid. usque ad XII. sibi sextus iuret ad arma sacrata: tres ei nominet, qui pulsat, & duos liberos eligat, qui pulsatur quales voluerit, & sextus sit ipse. Et si minor fuerit causa de XII. sol. sibi tertius iuret ad arma sacrata: unum ei nominet qui pulsat, & alium ipse sibi quærat, & tertius sit ipse.

VI. IDEM.

SI quis alii pro quacunque causa wadiam & fideiussorem de sacramento dederit, detur ei spatium usq; ad XII. noctes, ad ipsum sacramentum dandum. Et si propter ægritudinem forsitan, aut aliam causam supervenientem, in prædicto constituto non potuerit iurare, suspendatur ipsa causa usque ad alias XII. noctes. Et si nec tunc compleverit, & totum annum voluntariè dilataverit, & sacramentum non dederit, tunc rem ipsam unde agitur amittat, & ille acquirat, qui wadiam suscepit. Et ècontrario, si ille qui wadiam suscepit, sacramentum audire dilataverit, & annus totus pertransierit; post transactum anni spatium, nullam inposterum habeat facundiam, de ipsa re loquendi: sed ille, qui paratus fuerit sacramentum dare, firmiter possideat.

VII. IDEM.

SI contigerit homini post datum fideiussorem de sacramento, & sacramentales nominatos, mori, & filios dimiserit; posteaque ille qui causam quærit, pulsaverit filios, dicendo: *quia quidquid pater per wadiam & fideiussorem obligavit, filii complere debent:* tunc necesse est filiis, quamvis minorem virtutem habeant, quam pater, aut per sacramentum negare, quod pater eorum non promiserit, aut certè quod spopondit, adimpleant. Et si aliquis de sacramentalibus mortuus fuerit, potestatem habeat ille, qui pulsat, in loco mortui similem alium nominare, de proximis legitimis, aut de naturalibus, aut de gamalibus, id est confabulatis. Et si dixerit, qui pulsat, quod sacramentum ruptum fuisset, præbeat sacramentum, qui negat. Si ausus fuerit iurare, quod neque à patre, neque à se sacramentum ruptum fuisset: postea iuret sicut supra scriptum est. Sacramentum tunc intelligitur ruptum, quando præsentibus sacrosanctis Evangeliis, aut armis sacratis, ille qui pulsatur, cum sacramentalibus suis coniunxerit, & non ausus fuerit iurare; & aut ipse, aut aliquis de sacramentalibus eius se subtraxerit, tunc intelligatur sacramentum ruptum.

VIII. IDEM.

SI pro quacunque causa, aut culpa, homo pulsatus fuerit ab alio, & negaverit, liceat ei se idoneare, secundum legem & qualitatem causæ. Si autem manifestaverit se fecisse, componat secundum quod in edicto lex est. Nam nulli liceat, postquam manifestaverit, postea per sacramentum negare, quod non sit culpabilis, postquam ille se culpabilem assignavit. Quia multos cognovimus in regno nostro tales pravas opponentes intentiones, & hæc moverunt nos præsentem corrigere legem, & ad meliorem statum revocare.

IX. IDEM.

SI quis post mortem patris filium de debito appellaverit, quod pater ipsius ei debitor fuisset, & filius negaverit: ita decernimus, ut præbeat filius sacramentum, secundum qualitatem pecuniæ, unde pulsatus est, quod pater eius ei debitor non fuisset: aut per pugnam se defendat, si potuerit.

X. IDEM.

SI aliqua inter creditorem, & debitorem, atque fideiussorem, surrexerit intentio, & dixerit creditor, quia in tali prætextu wadiam susceperit, & fideiussor negaverit, non est causa fideiussori, præbere sacramentum, nisi debitor singulus satisfaciat ad Evangelia, vel in arma sacrata: quia in tali capitulo, nec wadiam dedit, nec fideiussorem posuit.

XI. IDEM.

NVllus camphio præsumat, quando contra alium pugnando vadit, herbas quæ ad maleficia pertinent, super se habere, nec alias tales ac similes res: nisi tantum arma sua, quæ conveniunt. Et si suspicio fuerit, quod eas occultè habeat, inquiratur à iudice: & si inventæ fuerint, evellantur & iactentur. Et post istam inquisitionem, tradat manum ipse camphio in manu parentis aut conliberti sui, ante iudicem satisfaciens, & dicat quod nullam talem rem, quæ ad maleficia pertinet, super se habeat, & tunc vadat ad certamen.

XII. REX GRIMOALDVS.

SI quis uxorem suam incriminaverit asto animo, sine certa causa legitima, quasi adulterata sit, aut contra animam mariti sui tractasset, liceat illi mulieri per sacramentum parentum suorum, vel per pugnam se mundare. Et si purificata fuerit, tunc maritus eius præbeat sacramentum cum parentibus suis legitimis, sibi XII. quod non asto animo, nec dolosè ei crimen iniecit, ut eam debeat dimittere, nisi pro certa suspitione & audita habuisset hæc verba: & si hæc facere potuerit, sit absolutus à culpa. Et si ausus non fuerit iurare, componat widrigilt ipsius mulieris, tanquam si fratrem eius occidisset, medium Regi, & medium parentibus ipsius mulieris.

XIII. REX LIVTPRANDVS.

SI qualiscunque causa inter conlibertos aut parentes convenerit, aut acta fuerit, & homines boni tres aut quatuor interfuerint, non reprobetur postea ipsa causa, nisi eorũ testimonio ambæ partes credant, quæ interfuerint,

pro cuius autem causa testes illi testimonium reddere debent, ipse homo causatori suo per sacramentum satisfaciat. Testes vero ipsi tales sint, quorum opinio in bonis præcellat operibus, & quorum fides admittitur, vel quibus Princeps aut iudex credere possit. Et si forsitan remunerati testes veritatem ipsam coelare voluerint, tunc per sacramentum satisfaciāt Principi, aut misso eius, ut veritas non obscuretur. Siquidem per wadiam obligatio facta fuerit, & intentio pro hoc fuerit excitata, in eo iudicio maneat, sicut in anteriori edicto legitur, quod gloriosissimus Rex Rotharis instituit.

XIV. IDEM.

SI quis alii wadiam de sacramento dederit, & sacramentales dicti fuerint, & postea ipse qui nominatus est, cum ad sacramentum venerit, & Evangelia posita fuerint, se subtrahere voluerit, ut sacramentum rumpatur, sicut in anteriori edicto legitur, tunc præbeat prius ille, qui iurare debet, ad sacramentales suos sacramentum, quod cum eis munditer iuret. Et si sacramentales ipsi iurare noluerint, & se aliquis subtrahere voluerit, ut ille causam suam qui iurare debuerit, perdat; iubemus, ut manifestare debeat ipse sacramentalis, qui se subtrahere voluerit, certam veritatem, pro qua causa iurare minimè præsumat. Et si manifestare noluerit, sacramentum præbeat, quod nullum colludium habeat cum homine illo, qui sacramentum audire debuit: nisi quod pro anima sua timendo non præsumat sacramentalis esse: & ipse postea qui iurare debet, habeat spatium per XII. noctes ad perquirendos ipsos sacramentales, qui prope sunt. Equidem si de longinquo sunt, quomodo de Tuscia, vel de Austria, per noctes XXIIII. quærat alium sacramentalem, quem in loco ipsius ponat: & sic sacramentum deducat, ut wadiam dederit. Et si iurare ausus non fuerit, aut manifestare non potuerit, quidquid ipse, cui sacramentum interdixerit, damnum passus fuerit, de propriis rebus suis restituat ei.

XV. IDEM.

SI quis alium asto animo compellaverit de pugna, quæ fieri solet per pravas personas, præbeat sacramentum ipse, qui compellat, solus, & dicat iuratus, quia non asto animo eum per pugnam fatigare quærat, nisi quod certam habeat suspitionem, sive de furto fuerit, sive de incendio, aut unde ipsa compellatio agitur. Et si hoc iuraverit, postea vadat exinde ad pugnam. Si autem minimè iurare præsumpserit, non sit ipsa causa per pugnam iudicata atque finita.

XVI. IDEM.

SI quis amodo inventus fuerit, cum uxore aliena turpiter conversari, id est si manum in sinum, aut ad pectus eius miserit, vel ad alium locum, unde turpè esse potest, cum consensu ipsius mulieris, & probatum fuerit, componat, qui hoc malum perpetraverit, widrigild suum ad maritum ipsius mulieris. Si autem causa probata non fuerit, nisi tantummodo quispiam de suspecto alium de uxore sua compellat, habeat licentiam ipse, qui compellat, aut ad pugnam, aut ad sacramentum ipsum hominem quærere, qualiter voluerit. Si vero ipsa mulier in hac illicita causa consentiens fuerit, habeat potestatem eius maritus in eam vindictam dare, sive in disciplina, sive

in venditione ubi voluerit: veruntamen non occidatur, nec ei scematio corporis fiat. Siquidem forsitan talis fuerit ipse liber homo, ut non habeat unde compositionem facere possit, tunc publicus debet eum dare in manus mariti sui, & ipse in eum faciat vindictam in disciplina vel venditione: nam non in occisione, aut in scematione corporis. Si autem aldius vel servus alienus hoc malum in libera muliere facere præsumpserit, tunc patronus eius componat ad maritum ipsius mulieris sol. LX. & ipsam personam det ei in manus eius. Si vero servus aut aldius per voluntatem domini sui hoc malum fecerit, quod suprascriptum est, & probatum fuerit, quod ipse dominus eius consensisset, componat sicut supra legitur widrigild suum: sic tamen ut ipse servus in ipsa compositione tradatur. Et si probata causa non fuerit, de domini eius voluntate, tunc ipse dominus servi vel aldionis purificet se per sacramentum, cum legitimis sacramentalibus suis, ut in ipso malo consentiens non fuisset, & sit absolutus: & tamen fiat, sicut supra statuimus de servo vel aldione.

XVII. REX RATCHIS.

OMnibus enim penè notum est, quod usque nunc per pravas cupiditates deducebantur homines ad sacramentum de chartis venditionis, quæ factæ fuerant, & compellabantur à venditoribus, quod pretium completum non haberent datum, qui ipsas chartas habebant, & res possidebant: & ipsi emptores deducebantur ad sacramentum, quod pretium completum haberent: quod nobis & nostris iudicibus illicitum esse comparuit. Et qui pro opinione sua iurare nolebant: dabant pro sacramento suo aliquid, & habebant damnietatem sine causa: & naufragi homines propterea ipsam compellationem faciebant, ut aliquid pro ipso sacramento tollere possent. Ideo decernimus, ut si quis chartam venditionis de aliqua re fecerit alicui, & à scriba publico scripta, vel à testibus idoneis roborata fuerit, & tam ipse venditor, quam testes in ipsa charta se subscripserint, aut manum posuerint, & manifestaverint in ipsa charta, quod pretium inter eos statutum suscepisset: si pulsatus fuerit postea emptor, quod pretium ipsum non complevisset, sacramentum exinde non procedat: nisi fortè ei emptor per wadiam se obligaverit, tunc ipse venditor pignoret fideiussorem suum.

XVIII. REX ASTVLPHVS.

SI quis Longobardus causam habuerit cum locis venerabilibus, quæ ad defensionem palatii esse noscuntur, si fuerit causa unde sacramentum debeat procedere, si iudex Abbatem, custodem, vel præpositum pulsaverit, ipse ei satisfaciat. Si autem Abbas, custos, præpositus, iudicem pulsaverit, & sacramentum fieri debuerit, ipse iudex iterum sacramentum deducat. Si vero alter Longobardus habuerit causam cum Abbatibus, unde simile sacramentum deductum fieri debeat, anteponatur Abbas ipse solus, nam non alius: sed de aliis, quales eligere vult, quanticunque secundum legem iurare debent, ut sacramentum deducat: ita tamen ut ipse Abbas talis sit, qui per regulam iuxta præceptum Domini vivat, & subiectos monachos habeat usque L. vel amplius, qui cum eo regulariter vivant. Si quis cum aliis custodibus

bus vel præpositis, de locis venerabilibus causam habuerit, ipsi custodes vel præpositi sacramentum deducant.

XIX. IDEM.

SI quis in curte Regis causam habuerit, & evenerit ut prius curtis Regis sacramentum deducere debeat, si minor causa de xx. sol. fuerit, per sacramentum obscarionum cum actoribus finiatur. Si vero maior causa fuerit, actor de loco cum actoribus, secundum qualitatem causæ, per sacramentum persolvat.

XX. IMPERATOR KAROLVS.

VT sacramenta, quæ ad palatium fuerint arramita, in palatio finiantur: & si sacramentales cum ipso venire noluerint, iussione dominica, aut sigillo, vel iudicio, ad palatium venire cogantur.

XXI. IDEM.

OMnia sacramenta in Ecclesiis, aut super reliquias Sanctorum iurentur. Et quæ in Ecclesia iuranda sunt, cum sex electis, aut sibi XII. esse debeant, quales potuerint legibus invenire: & sic iuret; *Sic illum Deus adiuvet & sancti, quorum reliquiæ istæ sunt, ut inde veritatem dicat.*

XXII. IDEM.

VT infantes, qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur iurare, sicut Gundebada lege viventes faciunt. Et qui semel periuratus fuerit, nec testis sit postea, nec ad sacramentum accedat, nec in sua causa vel alterius iurator existat.

XXIII. IDEM.

MEntio etenim facta est à nonnullis in placitis, quæ habuimus in anno præterito, & dictum est ibi, ut palam apparet, quod aut ille qui crimen ingerit, aut ille qui se vult defendere, periurare se debeat: melius visum est, ut in campo cum fustibus pariter contendant, quam periurium perpetrent in absconso.

XXIV. IDEM.

VT nemo furem, camphium de mancipiis, aut de qualibet causa, recipere præsumat, sicut sæpius dominus Imperator commendavit.

XXV. IDEM.

DE furto, vel de minoribus causis statuimus, si ille, cuius causa fuerit iurata, dicere voluerit, quod ille qui iuravit, se sciente periurasset, vel campo vel cruce contendat. Et si ille qui iuravit victus fuerit, quod sciens periurasset, suprascriptæ subiaceat sententiæ. Et si ille qui criminavit alium, periurium non approbaverit, legem suam, cui periuratum esse dixerit, persolvat. De maioribus vero causis lex, quæ à longo tempore fuit, observetur.

XXVI. IMPERATOR HLVDOICVS.

IBi ſacramenta iuranda ſunt, ubi antiquitus fuit conſuetudo ſacramenta adramire vel iurare, ubi mallum habeatur. Mallum tamen neque in Eccleſia, neque in atrio eius habeatur: minora vero placita Comes infra ſuam poteſtatem, vel ubi impetrare potuerit, habeat.

XXVII. IDEM.

VOlumus utique, ut domus à Comite in loco, ubi mallum tenere debeat, conſtituatur, ut propter calorem ſolis & pluviam, publica utilitas non remaneat.

XXVIII. IMPERATOR HLOTHARIVS.

STatuimus, ut iuratores omnes ſingulariter iurent. Et quicunque ſacramentum vel debitum ante ſolis occaſum perſolverit, ſecurus inde ſit.

XXIX. IDEM.

QVibuſcunque per legem, propter aliquam contentionem, pugna fuerit iudicata, præter de infidelitate, cum fuſtibus & ſcutis pugnent, ſicut in capitulare dominico prius conſtitutum eſt.

XXX. IDEM.

DE chartis, quæ à quibuſdam perſonis falſæ appellantur, conſtituimus, ut ſi notarius ſupervixerit & teſtes, ipſi veram ipſam chartam & idoneam faciant. Et ſi teſtes ipſi mortui fuerint, & notarius ſupervixerit, cum XII. iuratoribus legitimis ipſam chartam veram & idoneam faciant.

XXXI. IDEM.

VT examen aquæ frigidæ, quæ hactenus fiebat, à miſſis noſtris, omnibus modis interdicatur, ut non ulterius fiat.

XXXII. IDEM.

SAncitum eſt, ut nullus deinceps quamlibet examinationem crucis facere præſumat: ne Chriſti paſſio, quæ glorificata eſt, cuiuslibet temeritate contemptui habeatur.

XXXIII. IDEM.

DE chartis etiam, vel quibuſcunque ſcriptionibus, quæ à quibuſdam perſonis falſæ appellantur, ſtatuimus, ut ſi notarius ſupervixerit & teſtes, ut idem notarius cum legitimis ſacramentalibus ſuis XII. ſimiliter cum ipſis teſtibus, qui in eadem charta ſcripti ſunt, ipſam chartam veram & idoneam faciant. Similiter & oſtenſor chartulæ cum XII. ſacramentalibus ſuis, ſicut legitimè iurare valeat, ipſam chartam veram & idoneam faciat. Interpellator autem primum iuret, quod ſe ſciente nihil aliud, niſi veriſſimam in omnibus & iuſtam rationem exquirat. Si autem notarius ſe ſubtraxerit, & chartam ſuo nomine ſcriptam idoneam minimè confirmare potuerit, nulla redemptio ei concedatur, ſed manum propriam amittat, & oſtenſor ipſius char-

chartulæ, post rerum amissionem, widrigild suum componat. Et si notarius defuerit, & testes supervixerint, ipse ostensor chartulæ cum ipsis testibus, & cum XII. sacramentalibus suis, VI. suis propinquis, & septimus sit ipse, & quinque aliis idoneis: ostensis primum aliis duabus chartulis manu eiusdem notarii scriptis, etiam ipsam suam tertiam chartam per sacramentum veram & idoneam faciant.

XXXIV. Imperator Otto.

ANtiquis est constitutum temporibus, ut si chartarum inscriptio, quæ constabat ex prædiis, falsa ab adversario diceretur, sacrosanctis Evangeliis tactis veram esse ab ostensore chartæ probabatur, sicq; prædium sine deliberatione iudicis vindicabat: qua ex re mos detestabilis in Italia, improbusque non imitandus inolevit, ut sub legum specie iureiurando acquireret, qui Deum non timendo minimè formidaret periurare. Tempore ergo quo piissimus Rex Otto Romæ unctionē suscepit imperii, residente in synodo summa & universali, Papa domno Ioanne XIII. anno, ab Italiæ proceribus est proclamatum, ut Imperator sanctus mutata lege facinus indignum destrueret, per quod & si corpore quispiam dives fieret, anima pereunte pauper in æternum maneret. Iudicio itaque domni Papæ, & piissimi Augusti, expectatum est usque ad illam synodum, quæ parva post intercapedine habita est Ravennæ. Cumque ibidem ex eadem re proclamatio repeteretur ob quorundam procerum absentiam, usq; ad id tempus est expectatum, quod gloriosissimi Ottonis Regis, Otto gloriosissimus filius, & Conradus Burgundiæ Rex, Italiam properantes, Veronæ colloquium cum omnibus Italiæ proceribus habuerint. In hoc itaq; cum ab omnibus imperiales aures magnis quæstionibus pulsarentur, ut mutata lege fraudem hanc tam diram ab Italia tolleret, convenientibus ceteris consentientibus, legem huiusmodi secundum inferiora promulgavit capitula. De prædiis si contentio emerserit, & utraq; pars sine altera cum chartis seu scriptionibus prædium sibi vindicare voluerit, si ille qui falsam chartam appellaverit, per pugnam declarare voluerit, ut ita fiat, decernatur: sin aliter secundum priora capitula determinetur, edicimus. De Ecclesiarū rebus, ut per advocatos fiat, similiter iubemus. De investitura prædii si contentio fuit, ut per pugnā veritas decernatur dicimus.

XXXV. idem.

SI quis per seipsum, aut per suum nuncium, quidquam alicui deposuerit, & depositum, cupiditate victus, negaverit, si XX. sol. pretium fuerit, ut per pugnam veritas decernatur, edicimus.

XXXVI. idem.

SI quis dixerit, quod per vim de prædio chartam alicui fecerit, per pugnam decernatur edicimus.

XXXVII. idem.

DE furto, aut schacho, si ultra VI. sol. fuerit, similiter ut per pugnam veritas inveniatur præcipimus.

XXXVIII. idem.

QVacunq; lege, sive etiam Romana, in omni regno Italico homo vixerit, hæc omnia ut in his capitulis per pugnā decernim⁹ observare: ita tamē ut

si quem eorum iuvenilis aut decrepita ætas, seu infirmitas, pugnare prohibuerit, liceat ei pro se pugnatorem ponere, & alteri similiter facere.

XXXIX. IDEM.

SI servus propter appetitum libertatis liberum se vocaverit, liceat domino, si sibi melius visum fuerit, propter difficultatem approbationis insidiosæ, aut per se, aut per suum campionem, litem dirimere. Liceat autem servo pro se campionem dare, si morbus aut ætas eum pugnare prohibuerit.

XL. IDEM.

VT Ecclesiæ, seu Comites, & viduæ, lites suas de his, qui in suprascriptis capitulis continentur, per consimiles advocatores per pugnam dirimant. Ceteri vero natura liberi, secundum legem pristinam per semetipsos respondeant & determinent.

TITVLVS LVI. QVALITER DIVERSARVM LEGVM HOMINES RES SVAS DIFFINIRE DEBENT.

I. IMPERATOR KAROLVS.

SIcut consuetudo nostra est, ut Longobardus, aut Romanus, si evenerit, quod causam inter se habeant, observamus, ut Romani successiones iuxta illorum legem habeant: similiter & omnes scriptiones secundum legem suam faciant. Et quando iurant, iuxta legem suam iurent, & alii similiter faciant. Et quando componunt, iuxta legem ipsius, cuius malum fecerint, componant. Et Longobardos illos convenit similiter componere. De ceteris verò causis communi lege vivant, quam dominus Karolus, excellentissimus Rex Francorum atque Longobardorum, in edictum adiunxit.

II. IMPERATOR PIPINVS.

DE diversis generationibus hominum, quæ in Italia commanent, volumus, ut ubicunque culpa contigerit, unde fayda crescere poterit, pro satisfactione hominis illius, contra quem culpaverit, secundum legem ipsius, cui negligentiam commiserit, emendet. De statu vero ingenuitatis, aut de aliis querelis, unusquisque secundum suam legem semetipsum defendat.

TITVLVS LVII. VT INTERROGETVR POPVLVS ROMANVS, QVA LEGE VELIT VIVERE.

I. IMPERATOR HLOTHARIVS.

VOlumus, ut cunctus populus Romanus interrogetur, quali lege vult vivere: ut tali lege, quali vivere professi sunt, vivant. Illisq; denuncietur, ut hoc unusquisque, tam iudices, quam Duces, vel reliquus populus sciat. Quod si offensionem contra eandem legē fecerint,

eidem

eidem legi, qua profitenter vivere, per dispensationem pontificis ac nostram subiaceant.

TITVLVS LVIII. DE PERIVRIIS.

I. REX LIVTPRANDVS.

SI quis timoris Dei immemor, pro cupiditate terrena, vel propter qualemcunque rem, sciens periuraverit, & postea sic inventum aut probatum fuerit, quod periurasset, tunc amittat ipsam rem, vnde periuravit, & habeat eam ipse, cui contra rationem periuravit. Insuper, quia in seipso, & quod plus est, in Deo peccavit, & negavit fidem suam, & pe i.ravit in Domino Deo suo, & sibimetipsi non pepercit, componat medium widrigild suum, ei cui ipse periuravit.

II. IMPERATOR KAROLVS.

DE eo qui periurium fecerit se sciente, nullam redemptionem habeat, nisi manum perdat.

III. IMPERATOR PIPINVS.

SI quis periurium fecerit, nullam redemptionem ei facere liceat, nisi manum perdat. Et si ille qui prius illud sacramentum iurat, de illo periurio probatus fuerit, & aliquis de suis iuratoribus dixerit, quod nesciens se ibidem periurasset, aut hoc apud iudicium Dei approbet, verum esse, aut similiter manum perdat. De cuius causa periurium fecerit, sicut mos loci illius, ubi periurium factum est, à longo tempore fuerit, de eorum pretio emendare studeat.

IV. IDEM.

VT qui se periuraverit, aut infamis erit, postquam pœnitentiam acceperit, inculpabilis esse videatur.

TITVLVS LIX. DE HIS QVI CAVSAM IVDICATAM REPETERE PRÆSVMPSERINT.

I. IMPERATOR KAROLVS.

SI quis iudicatam causam repetere in mallo præsumpserit, ibique à testibus convictus fuerit, aut xv. sol. componat, aut xv. ictus accipiat à scabinis, qui causam ipsam prius iudicaverint.

LEGIS LONGOBARDORVM LIBER TERTIVS.

TITVLVS I. DE EPISCOPIS ET CLERICIS, ET DE HIS QVÆ AD VTILITATEM PVBLICAM PERTINENT.

I. Imperator Karolvs.

ANNO feliciter undecimo regnante domno nostro Karolo gloriosissimo Rege, in mense Maij, factum est capitulare, qualiter in uno congregati synodali concilio Episcopis, Abbatibus, virisque illustribus, una cum piissimo domno nostro Karolo, secundum voluntatem Dei, pro causis opportunis consenserunt decretum, de metropolitanis Episcopis, ut eorum suffraganei Episcopi, secundum Canones subiecti sint, & ea quæ erga illorum ministerium emendanda cognoscunt, libenti animo emendent atque corrigant.

II. idem.

DE Episcopatibus, ubi præsentes Episcopi ordinati non sint, sine tarditate ordinentur.

III. idem.

DE monasteriis, quæ regularia fuerint, ut secundum regulam vivant: nec non & monasteria puellarum, ordinem sanctum custodiant, & unaquæque Abbatissa in monasterio suo sine intermissione resideat.

IV. idem.

VT Episcopi de presbyteris, & clericis infra illorum parochiam, & de suo ministerio potestatem habeant, secundum Canones facere.

V. idem.

DE teloneis, quæ iam ante forbannita fuere, ut nemo tollat: nisi ubi antiquo tempore consuetudo fuerit.

VI. idem.

VT infantulæ ætatis puellæ non velentur, antequam eligere sciant, quid velint, salva canonica autoritate.

VII. idem.

VT nullus cogatur ad pontem ire, ad fluvium transeundum, propter telonei causam, quando ille in alio loco compendiosius illud flumen transire

potest

potest. Similiter in campo plano, ubi nec pons, nec transiectus est, ibi omnino ut teloneum non exigatur, præcipimus.

VIII. IDEM.

VOlumus atque iubemus, ut Episcopi suum in omnibus iuxta vires suas peragere studeant ministerium, in parochiis eorum: & ut prædicationes & confirmationes ibidem expleant. Et de monasteriis, quæ infra eorum parochiam sunt, vigilanter curent, ut Canonici secundum canones, & Regulares secundum regulam vivant: & ubi aliter quam ordo poposcit invenerint, emendare faciant; & si emendare nequiverint, nobis nuncietur.

IX. IDEM.

VT Episcopi, Abbates, per xenodochia & monasteria eorum hospitale, ubi antiquitus fuerit, faciant: & summopere curent, ut nullatenus prætermittatur.

X. IDEM.

VT nullus presbyter chartam scribat; neque conductor existat, suis senioribus.

XI. IDEM.

VOlumus primo, ut neq; Abbates, neq; presbyteri, neq; diaconi, neq; subdiaconi, neque quislibet de clero, de personis suis ad publica vel ad secularia iudicia trahantur, vel distringantur: sed à suis Episcopis iudicati iustitiam faciant. Si autem de possessionibus sive Ecclesiasticis, sive suis propriis super eos clamor ad iudicem venerit, mittat iudex clamantem cum misso suo ad Episcopũ, ut faciat ei per advocatum iustitiam percipere. Si vero aliqua inter eos fuerit orta intentio, quam per se pacificare non velint, aut non possint, tunc per advocatum Episcopi, qualem iusserit, causa ipsa ante Comitem veniat, vel iudicem, & ibi secundum legem finiatur, anteposito sicut dictum est de persona clericorum.

XII. IDEM.

VT liber homo, qui in monasterio regulari comam deposuerit, & res suas ibidem delegaverit, promissionem factam secundam regulam firmiter teneat.

XIII. IDEM.

DE liberis hominibus, qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut prius hoc non faciant, quam à nobis licentiam postulent. Hoc autem ideo dicimus, quia audivimus aliquos ex illis, non tantum causa devotionis hoc facere, quam pro exercitu, seu pro alia functione regali fugienda. Quosdam vero cupiditatis causa, ab his qui res illorum concupiscunt, circumventos audivimus: & hoc ideo fieri prohibemus.

XIV. IDEM.

VT loca, quæ semel Deo dicata sunt, ut monasteria sint in perpetuum, nec possint ultra fieri secularia habitacula.

XV. IDEM.

VT si clerici aliquod negotium habuerint, à suo Episcopo iudicentur, nam non à secularibus: ut nec monachus, nec clericus, in secularia negotia transeant.

XVI. IDEM.

VT servum alterius nemo sollicitet ad clericalem vel monachalem ascendere ordinem, sine licentia domini sui & voluntate.

XVII. IMPERATOR PIPINVS.

VT Ecclesiæ baptismales, seu oracula, qui eas à longo tempore restauraverint, mox iterum eas restaurent: & tam curtis regia, quam Longobardi, tales ibi habeant dominationes, quales illorum à longo tempore fuerit consuetudo.

XVIII. IDEM.

VT pontifex unusquisque ordinet, & disponat Ecclesiam suam Canonico ordine, & sacerdotes suos vel clericos distringat, Canonico ordine vivendo. Et si quis pontifex clericos suos Canonico ordine distringere noluerit, anathema sit. Et si illi ad secularem pertransierint habitum, quod Canones clericos prohibent facere, Comes qui in loco ordinatus fuerit, distringat illos in omnibus ad suam partem, sicut alios exercitales.

XIX. IDEM.

MOnasteria virorum & puellarum, tam quæ in mundio palatii esse noscuntur, quam quæ in mundio Episcopi sui, seu reliquorum hominum, distringat unusquisque in cuius mundio sunt, ut regulariter vivant.

XX. IDEM.

SImiliter in xenodochiis, cuiuslibet sint, fratres in omnibus pascantur, iuxta possibilitatem illorum locorum.

XXI. IDEM.

VT de restauratione Ecclesiæ, vel ponte faciendo, aut strata restauranda, omnia generaliter faciant homines, sicut antiqua fuit consuetudo, & non anteponatur immunitas, nec pro hac re ulla occasio perveniat.

XXII. IDEM.

INstituimus, ut sicut domnus Karolus Rex commendavit de illis monachis, qui de Francia vel de aliis locis venerint, & eorum monasteria dimiserint, ut præsentialiter in illis partibus revertantur ad monasteria: & nemo ex vobis ipsos secum detineat.

XXIII. IDEM.

DE presbyteris, qui de aliis locis vel provinciis veniunt, ut nullus eos debeat recipere, sine dimissoria Episcopi sui, de cuius parochia sunt.

XXIV. IDEM.

XXIV. IDEM.

PLacuit nobis de Ecclesiis baptismalibus, ut in omnibus ita debeant esse ordinatæ & conservatæ, ut domnus Karolus Rex commendavit, & in suo capitulari continetur.

XXV. IDEM.

ET hoc constituimus, ut immunitates, quæ sunt iam à dicto patre nostro, confirmatæ, ut in omnibus conservatæ esse debeant, sicut iussio ipsius domni Karoli Regis est.

XXVI. IDEM.

COnsideravimus, ut viæ, & portus, & pontes, infra regnum nostrum in omnibus pleniter emendatæ esse debeant, per illa loca, ubi iam antea fuit consuetudo. Nam per alia loca super ipsa flumina nullatenus pontes esse debeant.

XXVII. IDEM.

STet nobis, ut missos nostros, unum monachum, & alium capellanum, direxissemus infra regnum nostrum, providendo & inquirendo per monasteria virorum ac puellarũ, quæ sub sancta regula vivere debent, quomodo est eorum habitatio, aut qualiter est vita eorum, aut conversatio eorum, & quomodo unumquodque monasterium debeat habere, unde vivere possit.

XXVIII. IDEM.

VT quicunque xenodochia habent, si ita pauperes pascere voluerint, & consilium facere, quomodo ab antea fuerit, habeant ipsa xenodochia, & regant ordinaliter: & si hoc facere noluerint, ipsa dimittant: & per talem hominem inantea sint gubernata, cum consilio Episcopi, qualiter Deo & nobis exinde placet.

XXIX. IDEM.

DE Ecclesiis baptismalibus, ut nullatenus laici homines eas tenere debeant, sed per sacerdotes fiant, sicut ordo est, gubernatæ. Neque illi pagenses negligentiam habeant de hoc, quod ibidem facere debent: & illi sacerdotes eas sic regant, quomodo ordo Canonicus exposcit.

XXX. IDEM.

DE monasteriis & xenodochiis, quæ per diversos comitatus esse videntur, & regalia sunt: ut quicunque ea habere voluerint, per beneficium domni Regis habeant.

XXXI. IMPERATOR HLVDOICVS.

VT ubi tempore avi nostri Pipini consuetudo fuit teloneum dare, & ibi in futuro detur: nam ubi noviter inceptum est teloneum, ulterius non exigatur. Et ubi necesse non est fluvium transire ad pontem, vel ubi navis per mediam aquam, aut sub pontem pergit, & ad ripam non appropinquaverit, neque ibidem aliquid emptum, vel venditum fuerit, ulterius teloneum non detur. Et nemo cogatur per pontem ire, ubi iuxta pontem aquam transire potest. Et qui ulterius in talibus locis, vel de his, qui ad palatium sive in

hostem pergunt, teloneum exactaverit, cum sua lege ipsum teloneum reddat, & insuper bannum, id est, LX. sol. componat.

XXXII. IDEM.

VOlumus ut missi nostri, per singulas civitates, una cum Episcopo & Comite, vel misso nostro, vel nostris hominibus, ibidem commanentibus, eligant, quorum cura sit, pontes per diversa loca emendare: & eos, qui illos emendare debent, ex nostra iussione ammoneant, ut unusquisque iuxta possibilitatem suam emendare studeat.

XXXIII. IDEM.

DE iniustis occasionibus & consuetudinibus noviter institutis, sicut tributa sunt, & telonea in media via, ubi nec aqua, nec palus, nec pons, nec aliquid tale fuerit, unde iuxta census exigi possit, vel ubi naves subtus pontes transire solent, sive in medio flumine, ubi nullum est obstaculum, ut auferatur, antequam ad nostram notitiam deferatur.

XXXIV. IDEM.

DE honore Ecclesiarum, ut per omnia eis exhibeatur, sicut nuper à nobis cum consensu omnium fidelium nostrorum constitutum est.

XXXV. IDEM.

VT pontes publici, qui per bannum fieri solebant, anno præsenti in omni loco restaurentur.

XXXVI. IDEM.

DE observatione præceptorum nostrorum in immunitate, ita observetur, sicut à nobis & ab antecessoribus nostris constitutum est.

XXXVII. IDEM.

VT omnis ordo Ecclesiarum lege Romana vivat, & sic inquirantur & defendantur res Ecclesiasticæ, ut emphiteuseos contractus, unde Ecclesia damnum patitur, non observantur, sed secundum legem Romanam destruantur, & pœna non solvatur.

XXXVIII. IDEM.

ET missi nostri, qui vel Episcopi, aut Abbates sunt, aut Comites, usq; quo infra suam iudiciariam vel terminum fuerint, nihil de aliorum coniectu accipiant. Postquam vero inde longè recesserint, tunc accipiant secundum quod in sua tractoria continetur. Vassi vero nostri, & ministeriales, qui missi sunt, ubicunque venerint, inde coniectum accipiant.

XXXIX. IMPERATOR HLOTHARIUS.

VOlumus de excubiis publicis, quæ ad utilitatem regni nostri pertinent, præcepta emunitatum impedimentum non præstent, sed adiutorium.

XL. IDEM.

VOlumus ut omnibus modis emunitates progenitorum nostrorum præcepto seu nostro pleniter ac iustè observentur.

XLI. IDEM.

XLI. IDEM.

PRæcipimus, ut singulæ plebes secundum antiquam consuetudinem fiant emendatæ. Quod si filii eiusdem Ecclesiæ eas restaurare noluerint, à ministris reipub. distringantur, ut volentes nolentesque nostram observent præceptionem.

XLII. IDEM.

DE pontibus vero, vel reliquis his similibus operibus, quæ per antiquam consuetudinem Ecclesiastici homines, per iustitiam cum reliquo populo facere debent, hoc præcipimus, ut Ecclesiæ rectores eos interpellent, & eis, secundum quod possibile fuerit, portio deputetur, ut per alium exactorem Ecclesiastici homines ad opera non compellantur. Si vero opus suum constituto die adimpletum non habuerint, liceat Comiti pro pœna propositi operis eos pignorare, iuxta æstimationem vel qualitatem imperfecti operis, quousque perfiniatur. Comes autem si neglexerit, à Rege vel à misso Regis est iudicandus.

XLIII. IDEM.

DE his qui sine consensu Episcopi presbyteros in Ecclesiis suis cōstituunt, vel de Ecclesiis suis eiiciunt, & ab Episcopo, vel à quolibet misso dominico ammoniti, obedire noluerint, ut bannum nostrum wadiare cogantur, & per fideiussorem ad palatium venire iubeantur: & tunc nos decernemus, utrum nobis placuerit, aut illud bannum persolvant, aut aliam harniscaram sustineant.

XLIV. IDEM.

DE Ecclesiis quæ inter coheredes divisæ sunt, considerandum est, quatenus si secundum nostram providentiam & ammonitiones Episcopi ipsi coheredes eas tenere voluerint, & honorare faciant. Si autem hoc contradixerint, ut in Episcopi potestate maneant, utrum eas ita custodire permittat, an reliquias exinde auferat. Et ubi ad nostrum beneficium Ecclesiæ pertinentes ita divisæ fuerint, ut describantur, & nobis enuncientur.

XLV. IDEM.

DE Ecclesiis destructis, ut Episcopi nostrique missi inquisitionem faciant, utrum per negligentiam, aut per impossibilitatem, destructæ sint. Et ubi per negligentiam inventæ fuerint, quod destructæ sint, Episcopi auctoritate emendare cogantur, qui eas debuerunt restaurare. Si vero per impossibilitatem contigerit, ita ut plures sint, quam necesse sit, aut maioris magnitudinis, quam ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, Episcopus modum inveniat, qualiter emendari congrue & consistere possint.

XLVI. IDEM.

DE Ecclesiis emendandis volumus, ut ita observetur, ut in capitulari nostro continetur, quod ad Olonā fecimus: & si in uno loco plures Ecclesiæ sint, quam necesse sit, destruantur. Quod si fortè in alio loco Ecclesia sit constructa, quæ tamen necessaria sit, & nihil dotis habuerit, volumus ut secundū iussionem domni ac genitoris nostri unus mansus cum XII. bunuariis de terra arabili detur, & mancipia duo à liberis hominib. quæ in eadē Ecclesia officiū

audire debent, ut sacerdotes ibi possint esse, & divinus cultus fieri: quodsi hoc populus facere noluerit, destruatur.

XLVII. IDEM.

Statutum est, ut si quis liber homo per consensum Episcopi, Ecclesiam in sua construxerit proprietate, fontesque ab Episcopo in ea fuerint consecrati, ideo non perdat suam proprietatem: sed si Episcopus voluerit, officium sacri baptismatis in suam Ecclesiam transferat, ipsa vero Ecclesia à qua transfertur, in constructoris maneat iure.

XLVIII. KAROLVS QVARTVS.

Karolus Quartus divina favente clementia Romanus Imperator, semper Augustus, & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam. Etsi imperialis benignitatis clementia quorumlibet devotorum fidelium, quos sacrum Romanum ambit imperium, ex officii debito teneatur, necessitatibus & iniustis oppressionibus consulere, & de oportunis remediis providere: ad illos tamen per maximè dirigitur nostræ mentis affectio, quos indebitè pati cognoscimus, quorumcunque oppressionibus Ecclesiasticæ libertatis, quam semper nostris temporibus augeri volumus, in nihilum redigitur, & nimis indebitè prægravatur. Sanè ad imperialis maiestatis audientiam ex parte honorabilium præpositi, decani, & aliorum prælatorum, & capituli Magdeburgensis Ecclesiæ devotorum nostrorum dilectorum insinuatione, quæ querulosè suppliciter est deducta, pervenit: quod seculares quidam in potestatibus & officiis constituti, videlicet Duces, Comites, Barones, & alii domini temporales, nec non & consules civitatum, villarum, oppidorum, & locorũ rectores, dictæ Magdeburgensis, Maguntinensis, Coloniensis provinciarũ, Dei timore postposito, statuta singularia, & iniquas ordinationes motu proprio & de facto, contra personas Ecclesiasticas, & Ecclesiarum libertates, & legitimas civiles & canonicas sanctiones, puta quod nulla bona temperalia in Ecclesiasticam libertatem transferantur. Item ne clerici in sacris constituti ad agendum & testificandum in quibuslibet, & maximè in piis causis, aliquatenus admittantur. Quodq; excommunicati laici, & publicè denunciati, in foro civili minimè repellantur. Item prædicti domini temporales, Consules, & Rectores, per secularem potestatem res & bona clericorum occupant & arrestant, oblationes fidelium diminuunt, & restringunt. Exactiones & tallias indebitè, de bonis & Ecclesiæ redditibus exigunt & extorquent. Possessiones Ecclesiarum & personarum earum devastant incendiis & rapinis. Contractus inter clericos & laicos factos legitimos, ad libros civitatum, oppidorum, villarum, & locorum recusant inscribere & sigillare. Donata & legata ad fabricas, & Ecclesiarum structuras contra prælatorum voluntatem, & aliorum quorum interest, præsumunt usurpare contra iustitiam, in fraudem & odium clericorum. Et de bonis & rebus etiam clericorum, quas non causa negotiationis, sed pro usibus propriis, per terram ducunt, seu Duci faciunt, teloneum exigunt, & recipere non verentur. Et confugientes ad Ecclesias & cemiteria, inde extrahere contra imperiales sanctiones præsumunt. Quæ omnia & singula, ac inde secuta, cum per sacras

eras, & civiles, & canonicas sanctiones, expressè reprobata sint, & in fraudem Ecclesiasticæ libertatis de facto præsumpta; de Principum, Comitum, Baronum, fideliumque nostrorum consilio, ex certa scientia imperiali auctoritate cassamus, irritamus, & annullamus, cassaque, irrita, & nullius esse momenti penitus deducimus, & expressè pronunciamus: præcipientes sub indignatione imperialis banni, universis & singulis Magdeburgensis, Maguntinensis, Coloniensis, & locorum vicinorum Principibus, & temporalibus Consulibus, potestatibus, ipsorum statuta & ordinationes, sicuti in præiudicium Ecclesiasticæ libertatis edita sunt, omninò revocent, & de luce tollant: quodque secundum ea non iudicent amplius, nec sententias dictent, aut eisdem in iudicio vel extra iudicium, quomodolibet & contra Ecclesiasticam libertatem patiantur. Item pronunciamus & declaramus imperiali auctoritate, quod quicunque laicus, cuiuscunque status vel conditionis existat, ausu sacrilego & propriæ temeritatis audacia, sacerdotem vel clericum secularem, vel religiosum diffidaverit, vel captivaverit, proscripserit, spoliaverit, occiderit, vulneraverit, & mutilaverit, aut in carcerem detinuerit, aut huiusmodi maleficia perpetrantes scienter receptaverit, vel favorem in eis præstiterit, præter pœnas à sacris imperialibus, & canonicis sanctionibus eis inflictas, sint ipso facto infames, ac omni honore privati, nec ad placita vel consilia nobilium admittantur quovis modo. Volumus etiam, hortamur, & requirimus ipsos prælatos Ecclesiasticos, ut hanc nostram legem & sanctionem in synodis & Ecclesiis publicari procurent, & requisiti excusationem pœnarum & sententiarum denuncient, ne in præmissis excedentes, per simulatam ignorantiam suas malitias valeant excusare. Nulli ergo hominum liceat hanc nostræ cassationis & remutationis, seu pronunciationis, aut denuntiationis paginam ausu temerario infringere, aut quomodolibet contraire, sub pœna mille marcharum auri puri, quas ab eis, qui contra fecerit, totiens quotiens contrafactum fuerit, irremissibiliter exigi volumus, & earum medietatem nostri imperialis, residuam vero partem iniuriam passorum usibus decernimus applicari. Datum Tangerimunde, anno Domini, MCCCLXXVII. indictione XV. quinto Kalend. Iulii, regnorum nostrorum, anno XXX. Imperii vero XXXIII.

TITVLVS II. QVANDO LICEAT ALICVI ALTERIVS CLERICVM ACCIPERE VEL NON.

I. Imperator Karolvs.

VT nulli Episcopo liceat alterius clericum recipere, aut ordinare in aliquo gradu, sine dimissoria Episcopi sui, de cuius parochia est.

II. Idem.

VT nemo alterius clericum sine commendatitiis aut dimissoriis literis recipere præsumat.

III. Imperator Pipinvs.

DE presbyteris, qui de alia provincia venerint, nullus eos debeat recipere sine dimissoria Episcopi sui.

TITVLVS III. DE DECIMIS.

I. IMPERATOR KAROLVS.

DE decimis, ut unusquisque homo suam decimam donet, atq; per iussionem Episcopi sui dispensetur.

II. IDEM.

PRæcipimus Comitibus, & omnibus fidelibus nostris, ut quicunque de rebus Ecclesiasticis beneficia habent, pleniter secundum morem regionis nonas & decimas ad ipsas Ecclesias donent, absq; ulla diminutione & dilatione, inquantum melius possunt, & iuxta possibilitatem eorum. Et quando necessitas exegerit, dent operas ad ipsas Ecclesias restaurandas, & adiutorium faciant.

III. IDEM.

VT vos Episcopi, qui in omnibus nonas & decimas accipitis, in vestra providentia sit, quatenus Ecclesiæ & capellæ, quæ in vestra parochia sunt, emendentur, & luminaria eis præbeatis, ut in eis presbyteri vivere possint.

IV. IDEM.

VT decimæ populi in quatuor partes dividantur. Prima pars Episcopis detur, alia clericis, tertia pauperibus, quarta in fabrica ipsius Ecclesiæ.

V. IMPERATOR HLVDOICVS.

DE nonis & decimis considerandum est, ut de frugibus terræ & animalium nutrimine persolvantur. De opere vero & restauratione Ecclesiarum Comites, & Episcopi, seu Abbates, una cum misso nostro, quem ipsi sibi ad hoc elegerint, considerationem faciant, ut unusquisque eorum tantum inde accipiat ad operandum & restaurandum, quantum de rebus Ecclesiarum habere dignoscitur. Similiter & vassi nostri, aut in commune tantum operis accipiant, quantum de rebus Ecclesiarum habere videntur, vel unusquisq; pro se iuxta qualitatem, quam ipse tenet, aut si inter eos convenerit, ut pro opere faciendo argentum donet, iuxta æstimationem operis in argento persolvant: cum quo pretio rector Ecclesiæ ad prædictam restaurationem operarios conducere valeat, & materiam possit emere. Et qui nonas & decimas neglexerit dare, primum quidem illas secundum legem suam restituat, & insuper bannum nostrum persolvat, ut ita castigatus caveat, ne sæpius iterando beneficium amittat.

VI. IMPERATOR HLOTHARIVS.

DE decimis, ut dentur: & dare nolentibus, secundum quod anno præterito denuntiatum est, à ministris Reipub. exigantur: & eligantur quatuor vel octo homines optimi, prout si opus fuerit, de singulis plebibus, iuxta qualitatem uniuscuiusque plebis, ut ipsi inter sacerdotes & plebem testes existant, ubi datæ vel non datæ fuerint. Hoc autem ideo tantos testes mittendos esse diximus, ne ibi iuramentum aliquod faciendi necessitas contingat. Non tamen ideo tantos testes mittendos esse dicimus, ut ipsos semper omnes in dandis decimis præsentes esse pariter necesse sit: sed dum pluribus

ribus committitur, minus graventur: duos autem testes, si adfuerint, sufficere credimus. Negligentes autem à presbyteris Ecclesiarum admoneantur usq; ad tertiam vicem, ut ipsi decimam dent: quod si contempserint, ab introitu Ecclesiæ prohibeantur: & si hoc minimè emendaverint, à ministris Reipub. districti singuli per caput. VI. solid. Ecclesiæ componant, & insuper dare decimam cogantur. Nam si iterum contemptores existant, tunc per publicam auctoritatem domus vel casæ eorum wifentur, quousque pro ipsa decima, sicut supra dictum est, satisfaciant. Quod si denuò rebelles vel contradictores esse voluerint, & super ipsam wifam sua auctoritate præsumpserint introire, tunc à ministris Regis in custodiam mittantur, usque dum ad iudicium publicum perducantur; & ibi secundum legem ad Comitem vel ad partem Reipubl. componant: reliquam vero decimam, ut supra dictum est, & VI. sol. ad Ecclesiam satisfaciant.

VII. IDEM.

QVicunque decimam abstrahit de Ecclesia, ad quam per iustitiam dare debet, & eam præsumptivè, vel propter munera, aut amicitiam, aut quamlibet aliam occasionem ad aliam Ecclesiam dederit, vel per Comitem, vel per missum nostrum distringatur, ut eiusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat.

VIII. IDEM.

DE decimis, quas populus dare non vult, nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est, ne fiat. Et si quis contemptor inventus fuerit, ut nec Episcopum vel Comitem audire velit, si noster homo fuerit, ad nostram præsentiam venire compellatur: ceteri verò distringantur, ut inviti Ecclesiæ restituant, quam voluntariè dare neglexerint.

IX. IDEM.

VT terminum habeat unaquæque Ecclesia, de quibus villis decimam accipiat.

X. IDEM.

DIctum est nobis, quod in quibusdam locis Episcopi & Comites ab incestuosis, & ab his qui decimas non dant, wadias accipiant, & presbyterorum quorundam negligentiis inter se pecunias dividant; quod penitus abolendum esse decernimus, ne fortè avaritiæ locus detur: & constituimus ut incestuosi iuxta canonicam sententiam pœnitentia mulctentur. Qui vero decimam post tertiam admonitionem & prædicationem sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur. Iuramento verò eus constringi nolumus, propter periculum periurii.

TITVLVS IV. DE ITERANTIBVS.

I. REX ROTHARIS.

NVlli sit licentia iterantibus herbam negare, excepto prato intacto, tempore suo, aut messe: post fœnum autem, aut fruges collectas, tantum fruges vindicet is, cuius terra est, quantum cum clausura sua potest defendere. Nam si quis caballos iter facientes, de stipula, aut de ipsis pascuis, ubi alia pecora pascuntur, movere præsumpserit, in octogilt caballos componat, pro eo, quod ipsos de arvo campo, quod est fossinagar, movere præsumpserit.

II. IMPERATOR KAROLVS.

DE truste facienda; ut nemo præsumat ad nos venienti mansionem vetare, & quæ necessaria sunt, sicut vicino suo, ei vendat.

III. IDEM.

DE iterantibus, qui ad palatium aut alicubi pergunt, ut eos cum collecta nemo ausus sit assalire. Et nemo herbam alterius tempore defensionis tollere præsumat, nisi vel in hostem pergendo, aut missus noster sit. Qui aliter facere præsumpserit, emendet.

IV. IDEM.

VT missis nostris discurrentibus, vel ceteris propter utilitatem nostram iter agentibus, nullus mansionem contradicere præsumat.

V. IMPERATOR PIPINVS.

DE Episcopis, & Abbatibus, Comitibus, seu vassis dominicis, vel reliquis hominibus, qui ad palatium veniunt, vel inde vadunt, vel ubicunque pergunt per regnum nostrum, ut non præsumant ipsi, aut homines illorum, alicui homini suam causam tollere, vel suum laboratum: intantum si non comparaverit, aut ipse homo sua spontanea voluntate eis non dederit. Et quando hybernum tempus fuerit, nullus audeat mansionem vetare ad ipsos iterantes: intantum, quod ipsi iterantes iniustè nullas causas tollant. Et si aliquis hoc præsumpserit facere, tam seniores, quam vassalli nostri, & ipse homo ibidem ad eos proclamaverit, tunc volumus, ut præsentialiter ipse qui hoc fecerit, hoc quod ad ipsum hominem tulerit, secundũ suam legem emendet. Et si evenerit, quod ei ipsa causa ibidem secundum legem præsentialiter emendata non fuerit, & ad palatium exinde proclamatio evenerit, tunc volumus, ut ipse, qui hoc malum fecerit, contra ipsum hominem, qui proclamaverit, secundum suam legem emendet, & insuper ad palatium nostrum bannum componat, ex eo quod bannũ nostrum frangere ausus fuerit.

TITVLVS V. DE CERARIIS, ET TABVLARIIS, ET CHARTVLARIIS: ET VT PORTVS CVSTODIANTVR.

I. IMPERATOR KAROLVS.

DE cerariis, & tabulariis, & chartulariis, sicut à longo tempore fuit consuetudo, ita observetur.

II. IDEM.

STetit nobis de omnibus libellariis, ut nullus Comes, nec iuniores eorum, amplius distringant, nec inquietent, nisi sicut à longo tempore fuit consuetudo.

III. IDEM.

SIcut consuetudo fuerit sigilla & epistolas comprehendere, & viam vel portus custodire, ita nunc sit factum.

TITVLVS VI. DE HERIBANNO.

I. IMPERATOR KAROLVS.

DE heribanno volumus, ut missi nostri heribannũ hoc modo exactare fideliter debeant, absq; ullius personæ gratia, vel blanditia, sive terrore, secundũ nostram iussionem. Id est, de homine habente VI. lib. in auro, & argento, bruneis, ferramento, pannis, caballis, bobus, vaccis, aut peculiis: ita ut uxores eorum aut infantes non fiant expoliati pro hac re de eorum vestimentis, sed recipiatur legitimum heribannum, id est, libræ tres. Qui vero non habuerint amplius in suprascripto pretio valente, nisi lib. III. solid. XXX. ab eo exigantur, id est, libra una & dimidia. Qui autem non habuerit amplius, nisi lib. II. sol. X. Si vero unam lib. sol. V. ita ut iterum se valeat præparare ad servitium Dei, & in nostram utilitatem. Et nostri missi caveant, & diligenter inquirant, ne per aliquod malum ingenium subtrahant nostram iustitiam alteri tradendo, aut commendando.

II. IDEM.

VT heribannum, aut aliquem coniectum, pro exercitali causa, Comes de liberis hominibus recipere aut requirere non præsumat: excepto si de palatio nostro, aut filii nostri missi veniant, qui illum heribannum requirant.

III. IDEM.

VT illi qui heribannum solvere debent, coniectum faciant ad heribannitorem.

TITVLVS VII. SI QVIS LITERAS NOSTRAS IMPERATORIAS DESPEXERIT.

I. IMPERATOR HLVDOICVS.

SI quis literas nostras despexerit, id est tractorias, quas propter missos nostros recipiendos dirigimus, aut honorem quem habet amittat, aut in eo loco, ubi missos nostros recipere debuerit, tamdiu resideat, & de suis rebus legatos illuc venientes suscipiat, quousque animo nostro satisfactum habeat. Qui vero Epistolam nostram quocunque modo despexerit, iussu nostro veniat ad palatium, & iuxta nostram voluntatem congruam suæ stultitiæ castigationem accipiat. Et si liber homo, aut ministerialis Comitis hoc fecerit, honorem qualemcunque habuerit, sive beneficium, amittat: & si servus fuerit, nudus ad palatium vapulet, & capilli eius tondeantur.

II. IDEM.

DE nova & falsa moneta diximus, & de despectu nostrarũ literarum, & de latronibus cohercendis, & puniendis, & faydis pacandis, & de homicidiis prohibendis, & de periuriis & falsis testibus compescendis: de his omnibus & ceteris his similibus constituimus, ut omnibus annuntietur, & in futuro observetur. Hoc quoque volumus ut missi nostri observent, & quidquid de his causis, vel simul vel singulariter emendare potuerint,

emendent, & ea quæ emendaverint, diligenter ſcriptis notent, & hoc ſic peragere curent, quatenus iuſtè reprehendi à quoquam nullatenus poſſint: & quæ facere debent, aut quæ poſſint, nullatenus prætermittant. Imò caveant, ne quod abſit, aut gratia alicuius, aut honoris, aut timoris, ſive odii cauſa, illud quod agere debent, omittant. Et ſummopere ſtudeant in hoc, quod per ſe facere non poſſunt, nobis notum faciant: & in omnibus prævideant, ut per ſingula capitula, tam verbis quam ſcriptis, de omnibus quæ illic peregerint, nobis rationem reddere valeant.

TITVLVS VIII. DE BENEFICIIS ET TERRIS TRIBVTARIIS.

I. Imperator Karolvs.

QVicunque ſuum beneficium occaſione proprii deſertum habuerit, & infra annum poſtquam Comes vel miſſus noſter notum factum habuerit, illud emendatum non habuerit, ipſum beneficium amittat.

II. idem.

QVicunque tributariam terram, unde tributum ad partem noſtram exigi ſolebat, vel ad Eccleſiam, vel cuilibet alii tradiderit, is qui eam ſuſcepit, tributum, quod exinde ſolebat exire, omnibus modis ad partem noſtram tribuat: niſi fortè talem firmitatem habeat de parte noſtra, per quam ipſum tributum ſibi perdonatum poſſit oſtendere.

III. idem.

SI quis terram cenſualem habuerit, quam anteceſſores ſui ad aliquam Eccleſiam, vel ad villam noſtram dederint, nullatenus eam ſecundum legem tenere poteſt, niſi ille voluerit, ad cuius poteſtatem illa Eccleſia vel villa pertinet, niſi fortè filius eius, aut nepos eius ſit, qui eam tradiderit, & ei eadem terra noſtra ad tenendum placita ſit. Sed in hac re conſiderandum eſt, utrum ille qui eam tenet, dives aut pauper ſit, & utrum aliud beneficium habeat, vel etiam proprium; & qui eorum neutrum habuerit, erga hunc miſericorditer agendum eſt, ne ex toto expolietur, ut in egeſtatem incidat, & ut talem cenſum inde perſolvat, qualis fuerit conſtitutus ei, vel portionem inde aliquam in beneficio accipiat, unde ſe ſuſtinere valeat.

IV. Imperator Conradvs.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Conradus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus ſalutem omnibus. Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus noſtriſque, tam præſentibus, quam futuris, notum eſſe volumus, quod ad reconciliandos animos ſeniorum & militum, ut adinvicem ſemper inveniantur concordes, & ut fideliter & perſeveranter nobis & ſuis ſenioribus ſerviant devotè, præcipimus & firmiter ſtatuimus, ut nullus miles Epiſcoporum, Abbatum, Abbatiſſarum, Marchionum vel Comitum, vel omnium, qui beneficium de noſtris publicis bonis, aut de Eccleſiarum prædiis nunc tenent, aut tenuerint, aut hactenus iniuſtè perdiderint, tam de noſtris maioribus valvaſſoribus, quam eorum militibus, ſine certa & convicta culpa ſuum

suum beneficium perdat, nisi secundum consuetudinem antecessorum nostrorū, & iudicium parium suorum. Et si contentio emerserit inter seniorem & militem, quamvis pares adiudicaverint, illum suo beneficio carrere debere, & ille dixerit hoc iniustè vel odio factum esse, ipse suum beneficium teneat, donec senior & ille, quem culpat, cum paribus ad nostram præsentiam veniant, & ibi causa iustè determinetur. Si autem pares eius culpati in iudicio seniorum defecerint, ille qui culpatur, suum beneficium teneat, donec ipse cum suo seniore & paribus ad nostram præsentiam veniat. Senior verò & miles eius, qui culpatur, qui ad nos venire debuerint, sex hebdomadas ante, quam iter incipiat, ei cum quo litigaverit, innotescat. Hoc autem de maioribus valvassoribus observetur. De minoribus vero in regno nostro, aut ante seniores, aut ante missum nostrum eorum causa finiatur. Præcipimus etiam, ut cum aliquis eius miles, sive de maioribus, sive de minoribus, de hoc seculo migraverit, filios eius beneficium tenere. Si vero filios non habuerit, & aviaticum ex masculo filio reliquerit, pari modo beneficium habeat, servato usu maiorum valvassorum, in dandis equis, & armis suis senioribus. Si verò fortè aviaticum ex filio non reliquerit, sed fratrem legitimum ex parte patris reliquerit, & seniorem offensum habuerit, & sibi vult satisfacere, & miles eius esse, beneficium quod patris sui fuit, habeat. Insuper & omnibus modis prohibemus, ut nullus senior de beneficio suorum militum cambium, aut precariam, aut libellum sine eorum consensu facere præsumat: illa vero quæ tenent proprietario iure, aut per præceptum suum, sive per rectum libellum, sive per precariam, nemo eos iniustè devestire audeat. Fodrum verò de castellis, quod nostri antecessores habuerunt, habere volumus: illud verò quod non habuerunt, nullo modo exigimus. Si quis autem hanc iussionem nostram infregerit, auri optimi libras centum componat medium cameræ nostræ, & medium cui damnum illatum fuerit. At si quis aurum non habuerit, nostra sententia feriatur, ut nobis placuerit.

TITVLVS IX. DE HIS QVI SE IN POTESTATE ALTERIVS SVBDIDERINT, VEL RES SVAS PER FRAVDEM ALIENAVERINT, VEL DIVISIONEM DISTVLERINT FACERE.

I. Imperator Pipinvs.

STetit nobis de illis hominibus liberis Longobardis, ut licentiam habeant commendandi, ubi voluerint, sicut antea in tempore Longobardorum consuetudo fuit. In tantum ut suo Comiti faciant rationabiliter, quod debent.

II. Idem.

DE illis hominibus, qui res suas alienaverunt, ubicunque super eas resident, distringat eos Comes, per excubias publicas, sicut lex continet.

III. IDEM.

PLacuit nobis, ut liberi homines, qui non propter paupertatem, sed ob vitandam Reipub. utilitatem, fraudulenter ac ingeniosè res suas Ecclesiis delegant, denuò sub censu utendas recipiunt, ut quousq; res ipsas possident, & hostes, & reliquas publicas functiones faciant. Quod si iussa facere neglexerint, licentiam eos destringendi Comitibus permittimus per ipsas res, non resistente immunitate: ut status & utilitas regni nostri huiusmodi adinventionibus non infirmetur.

IV. IDEM.

VOlumus ut similiter in laicali ordine hæc servetur mensura, videlicet ut si quis alterius proprietatem, qui hostem facere possit, emerit, aut quovis modo ad eum pervenerit, eique ad utendum eam dimiserit, si negligenter de hoste fuerit, per ipsas res à Comite distringatur, ut quoquo modo publica utilitas non minoretur.

V. IDEM.

VIdetur nobis, ut quicunque liber homo ingeniosè in servitium alicuius se tradiderit, is qui eum recipit, hoc quod ille, qui se in servitium tradidit, in publico per antiquam consuetudinem facere debuit, adimpleat.

VI. IDEM.

DE his personis, quæ suas res ideo ad alienam personam delegant, ut ad placitũ venire non compellantur, ut mala quæ facta habent, non emendent. Quod si apparuerit ideo delegasse, ne iustitiam facerent, volumus ut ipsæ res in bannum mittantur, quousq; ille, qui eas habet, autorem in placitum adducat, & sic de malefactore iustitiam faciat.

VII. IDEM.

PRæcipimus, ut de his fratribus, qui in nostris & Romanis finibus in paternam vel maternam succedunt hereditatem, si contigerit, quod unus eorum Ecclesiasticæ militiæ sit mancipatus, & idcirco is qui seculariter militare debuerat, ut se ad defensionem regni subtrahat, in nostris finibus partem substantiæ, in portionem suscipere dissimulaverit, idcirco ut neque à Comite distringi valeat: ubicunque enim suus Comes eum invenerit, licentiam distringendi ei concedimus, ita ut primum fideiussorem donet, ut ad placitum veniat, & bannum nostrum persolvat. Si vero fideiussorem non invenerit, tamdiu per Comitem sub custodia teneatur, quousque fideiussorem inveniat, & bannum nostrum persolvat.

VIII. IDEM.

DE liberis verò hominibus, qui in alienam potestatẽ mobile suum transferunt, ut causatores eorũ pignorare eos non possint, placet nobis, ut eorũ res infiscentur, quousq; venientes ad audiendã iustitiam faciant. Si vero venire contempserint, secundũ Capitulare domini ac genitoris nostri, de rebus eorum agatur. Nam & de rebus eorũ habita æstimatione damnum quæsitori farciatur. Qui vero illud mobile recipit, si hoc per sacramentum probare non potuerit,

potuerit, quod propter iustitiam alterius differendam illud mobile non recepisset, bannum nostrum persolvat. De fratribus namque, qui simul in paterna seu materna hereditate vivunt communiter, nolentes substantiam eorum dividere, occasione ut unus eorum tantum in hoste vadat, volumus ut si solus est, vadat. Si vero duo, similiter. Si vero tres fuerint, unus remaneat. ultra tres numerus creverit, unus semper propter domesticam curam, atque rerum communium excolentiam, remaneat. Si verò inter eos aliqua fuerit orta contẽtio, quos eorum expeditionem facere debeat, tunc prohibemus, ut nemo eorum remaneat. In ætate quoque illorum lex propria servetur: & in nepotibus hæc conditio remaneat similiter.

IX. Imperator Hlotharius.

DIvina favente clementia Imperator Hlotharius Romanorum, pius, felix, inclytus, triumphator, semper Augustus, cum universo populo. Imperialis benevolentiæ proprium iudicamus, commoda subiectorum investigare, & eorum diligenti cura mederi calamitatibus: simul publicum bonum, & statum ac dignitatem imperii omnibus privatis commodis proponere. Quocirca omnium fidelium nostrorum, tam futurorum, quam præsentium noverit universitas, qualiter dum apud Roncalias, secundum Imperatorum antiquorum consuetudinem, pro iustitia ac pace regni componenda consederemus, omnia, quæ ad honorem imperii Romani spectare videntur, solicite indagantes, pernitiosam pestem, & Reipub. non mediocrẽ detrimentum inferentem, resecare proposuimus. Per multas enim interpellationes factas ad nos didicimus, milites beneficia sua passim distrahere, ac ita omnibus exhaustis suorum seniorum servitia subterfugere; per quod & vires imperii maximè adtenuatas esse cognovimus, dum proceres nostri milites suos omnibus beneficiis suis exutos, ad felicem nostri nominis expeditionem minimè transducere valeant. Hortatu itaque & consilio Archiepiscoporum, Ducum, Marchionum, Comitum Palatinorum, ceterorumque nobilium simul, & iudicum, hac edictali lege in omne ævum Deo propitio valitura decernimus, nemini licere beneficia, quæ à suis senioribus habet, absque ipsorum permissione distrahere, vel aliquod commercium adversus tenorem nostræ constitutionis excogitare, per quod imperii, vel dominorum minuatur utilitas. Si quis verò contra saluberrima nostræ legis præcepta ad huiusmodi illicitum commercium accesserit, vel aliquid in fraudem legis machinari tentaverit, pretio ac beneficio se cariturum agnoscat. Notarium vero, qui super tali contractu libellum, vel aliud instrumentum conscripserit, post amissionem officii, infamiæ periculum sustinere sancimus.

DATVM VI. die mensis Novembris, Indictione XV. MCXXXVI.

TITVLVS X. QVANDO LICEAT RECTORIBVS ECCLESIARVM ACTA ANTECESSORVM SVORVM RESCINDERE.

I. REX ASTVLPHVS.

SI quis Longobardus cum Pontificibus, Abbatibus, vel custodibus Ecclesiarum, seu xenodochiorum præpositis, de quibuscunque rebus convenientiam fecerit, & pœnam inter se pars parti obligaverit, & heredes & successores suos obligaverit, & idonei homines interfuerunt, non possit postea ab eorum successoribus removeri, sicut nec removetur ab eodem Longobardo: excepto si pœnam obligatam componere voluerint. Si vero commutationem fecerint de casis, terris, vel familiis, & interfuerit missus Regis, vel Pontificis, seu iudicis, aut tales homines tres, quorum fides admittatur, & res eius meliorata apparuerit, tunc quando ipsa commutatio facta fuerit, quam pars religiosi loci suscepit, nullo tempore postea ab eorum successoribus removeatur: sed semper commutatio ipsa firma permaneat, & si removere voluerit pœnam inter se obligatam componat.

I. IMPERATOR HLOTHARIVS.

DE precariis, quæ à Rectoribus Ecclesiarum irrationabiliter fiebant, & se suosque successores poena gravi obligabant, ut facta eius nequirent dissolvere, præcipimus, ut nemo successor in antecessoris sui poena statuta sit obligatus: sed suæ providentiæ concessum, ut si antecessor eius res Ecclesiæ irrationabiliter distribuerit, ab eo eidem Ecclesiæ ad ius tenendum revocentur.

III. IDEM.

VT ubicunque commutationes, tam tempore nostro, quam genitoris nostri, illegitimæ & irrationabiles, atq; inutiles, in Ecclesiis Dei factæ sunt, dissolvantur, & recipiat unusquisque quod dedit. Vbi vero mortua manus interiacet, aut alia quælibet causa, quæ rationabilis esse videtur, inventa fuerit, diligenter perscribatur, & ad nostram notitiam perferatur.

IV. IDEM.

SI quis Episcopus, aut propinquitatis affectu, aut muneris ambitione, aut causa amicitiæ, xenodochia, aut monasteria, vel baptismales Ecclesias, suæ Ecclesiæ pertinentes, cuilibet per emphiteuseos contractus dederit, se suosque successores poena multandos conscripserit, potestatem talia mutandi Rectoribus Ecclesiarum, absque poenæ conscriptæ solutione concedimus.

TITVLVS XI. DE PONTIFICIBVS

CAPITVLA, QVÆ DOMNVS HLOTHARIVS ADDIDIT AD LIMINA B. PETRI.

I. Imperator Hlotharivs.

COnstitutum habemus, ut omnes qui sub speciali defensione nostra, seu domni Apostolici fuerunt recepti, impetrata inviolabiliter iusta utantur defensione. Quod si quis contemtorum in quocunque tempore hoc violare præsumpserit, sciat se periculum vitæ suæ esse incursurum. Nam & hoc decernimus, ut domno Apostolico in omnibus observent obedientiam, seu iudicibus, ac Ducibus suis ad iustitiam faciendam.

II. idem.

VOlumus ut deprædationes, quæ hactenus fieri solebant, ne fiant, neque vivente, neque defuncto Pontifice. Si quis vero hoc ulterius fecerit, sciat se legali sententia esse damnandum. Quæ autem retroactæ sunt, placet nobis, ut per dispositionem nostram legaliter fiant emendatæ.

III. idem.

VOlumus, ut in electione Pontificis nullus præsumat venire, neque liber, neque servus, qui aliquod impedimentum faciat illi, exceptis solummodo Romanis, quibus antiquitus fuit consuetudo concessa, per constitutionem sanctorum patrum sit facultas eligendi Pontificem. Et si quis contra hanc iussionem facere præsumpserit, in exilio tradatur. Novissimè admoneatur omnis homo, ut sicut Dei gratia & nostram habere desiderat, ita præstet obedientiam & reverentiam huic Pontifici.

TITVLVS XII. NE LIBERI HOMINES OPPRIMANTVR.

I. Imperator Karolvs.

AVdivimus etiam, quod iuniores Comitum, vel aliqui ministri Reipublicæ, sive etiam nonnulli fortiores vassi Comitum, aliquas reddibitiones, vel collectiones, quidam per pastum, quidam sine pasto, quasi deprecando à populo exigere solent. Similiter quod operas, collectiones frugum, arare, seminare, runcare, carrucare, vel cetera his similia, à populo per easdem vel alias machinationes exigere consuevere, non tantum ab Ecclesiasticis, sed etiam à reliquo populo: quæ omnia nobis ab omni populo iustè removenda esse videntur: quia in quibusdam locis tantum inde populus oppressus est, ut multi ferre non valentes, per fugam à dominis vel patronis suis lapsi sunt, & terræ ipsæ in solitudinem redactæ sunt. Potentioribus autem, vel ditioribus, ex spontanea tantum voluntate, vel mutua dilectione, volentibus solatia præstare invicem minimè prohibemus.

II. IMPERATOR PIPINVS.

PLacuit nobis, ut ullos liberos homines, Comites nostri ad eorum opus in servitium non opprimant: & quicunque hoc fecerit, secundum iudicium, quod statutum habemus, emendet.

III. IMPERATOR HLOTHARIVS.

PLacuit nobis de omnibus liberis, ut nihil eis supponatur, nisi sicut lex est, & rectitudo continet.

IV. IDEM.

DE oppressione pauperum liberorum hominum, ut non fiant à potentioribus per aliquod malum ingenium contra iustitiam oppressi, ita ut coacti res eorum vendant, aut tradant. Ideo hoc ut supra de liberis hominibus diximus, ne fortè parentes eorum contra iustitiam exheridati fiant: & ut regale obsequium non minuatur, & ipsi heredes propter indigentiam mendici, vel latrones, seu malefactores efficiantur. Et ut non sæpius fiant banniti ad placita, nisi sicut in alio capitulo præcipimus, ita observetur.

V. IMPERATOR GVIDO.

NEmo Comes, neque loco eius positus, neque sculdasius, ab arimannis suis aliquid per vim exigat, præter quod constitutum legibus est. Sed neque per suam fortiam in mansione arimanni se applicet, aut placitum teneat, aut aliquam violentiam faciat. Si verò de prædictis personis publicis hoc irritum fecerit, honore proprio sive ministerio privetur, & secundum legem emendet, quod fecit.

TITVLVS XIII. DE HIS QVI AD PATRIAM DEFENDENDAM IRE NEGLEXERINT, VEL AVXILIVM SVVM COMITI DENEGAVERINT.

I. IMPERATOR HLOTHARIVS.

QVicunque liber homo à Comite suo fuerit admonitus, aut ministris eius, ad patriam defendendam, & ire neglexerit, & exercitus supervenerit ad istius regni vastationem, vel ad contrarietatem fidelium nostrorum, capitali subiaceat sententiæ. Similiter observandum est, si vocati fuerint, audito inimicorum nostrorum adventu, & ita contigerit, ut hostes supervenerint: hii qui vocati fuerint, & venire noluerint, unusquisque secundum suam legem emendet.

II. IMPERATOR GVIDO.

QVicunque igitur ex laicali ordine, tam liberi quam servi homines in comitatu manentes à proprio Comite, vel à publica parte, id est, ab his, qui Rempub. agunt, admoniti fuerint, si se subtraxerint ab adiutorio sui proprii Comitis, & eum non adiuvaverint infra ipsum comitatum, contra prædones venientes in suo comitatu, tertiam partem liberi ex suis mobilibus com-

componant. Servi autem LX. ictus à propriis dominis accipiant, si probatum fuerit, quod eis fuisset denuntiatum.

III. IDEM.

SI igitur ex præcepto imperiali, Comes loci ad defensionem patriæ suos arimannos hostiliter præparare monuerit, aut per se, aut per missos suos, si aliquis eorum remanserit, exceptis his quos Episcopus elegerit in sua necessitate, aut Comes dimittere voluerit, nisi aliquibus sumnis, aut ceteris impedimentis, quæ legibus continentur, detentus fuerit, widrigilt suum componat. Et hoc nullus Comitum, aut publicus, potestatem habeat exigendi, nisi cum misso palatii Imperatoris.

TITVLVS XIV. QVALITER CVM FARA SVA ALICVI MIGRARE PERMISSVM SIT.

I. REX ROTHARIS.

SI quis liber homo migrare voluerit aliquo, potestatem habeat intra dominium regni nostri cum fara sua migrare, quo voluerit: sic tamen si à Rege ei data fuerit licentia. Et si ei aliquas res Dux, aut quicunque libet homo donaverit, & cum eo noluerit permanere, vel cum herede ipsius, res ad donatorem vel heredem eius revertantur.

TITVLVS XV. DE ADVENIS.

I. rex Rotharis.

OMnes warengangi, qui de exteris finibus in regni nostri finibus advenerint, seque sub scuto potestatis nostræ subdiderint, legibus nostris Longobardorum vivere debeant: nisi legem aliam à pietate nostra meruerint. Si legitimos filios habuerint, heredes eorum in omnibus, sicut & filii legitimi Longobardorum, existant. Et si filios non habuerint legitimos, non sit illis potestas absque iussione Regis res suas cuicunque thingare, aut per quemlibet titulum alienare.

TITVLVS XVI. DE HIS QVI SECRETA REGIS FRAVDVLENTER INQVIRVNT.

I. rex Ratchis.

RElatum est nobis, quod sunt aliqui pravi homines, qui submittunt in palatium, ad nostrum secretum discendum, ut per delitiosos, aut per hostiarios, vel per alios homines captiosè, aut absconsè investigare possint, quidquid nos agimus. Et ipsi qui rogantur, quæ cognoscere possunt, eis mandant, aut annuntiant nostra secreta, & adhuc in extraneas provincias mandatum faciunt. Sed apparuit nobis, ut ille qui talem causam perpetrare præsumpserit, non est in fide sua rectus, sed in mala suspitione manere videtur. Vnde decernimus, ut qui in tali causa amodo detentus fuerit, tam qui submittit, quam qui submittitur, animæ suæ incurrat periculum,

& res eius infiscentur. Quia sicut dicit Scriptura: *Secretum Regis abscondere bonum est: opera autem Dei honorificum est revelare.*

TITVLVS XVII. DE BRVNEIS EXTRA REGNVM NON VENDENDIS.

I. IMPERATOR KAROLVS.

DE bruneis, ut nullus extra regnum nostrum vendere præsumat.

TITVLVS XVIII. VBI MERCATVM HABENDVM SIT.

I. IMPERATOR KAROLVS.

VT mercatum nullo loco habeatur, nisi ubi antiquitus fuerit, & legitimè debet esse.

TITVLVS XIX. DE EO QVI ALIVM INIVSTE IN IVDICIO ADIVVARE PRÆSVMPSERIT.

I. IMPERATOR KAROLVS.

SI quis in iudicio iniustè hominem contra alium altercantem per malum ingenium præsumpserit adiuvare, atque inde coram iudicibus vel Comitibus increpatus fuerit, & negare non potuerit, xv. sol. culpabilis iudicetur.

TITVLVS XX. QVA LEGE ALDIONES VEL ALDIÆ VIVERE DEBEANT.

I. IMPERATOR KAROLVS.

ALdiones vel aldiæ ea lege vivant in Italia, in servitute dominorum suorum, qua fiscalini vel liti vivunt in Francia.

TITVLVS XXI. DE CONTEMPTORIBVS LEGVM.

I. IMPERATOR KAROLVS.

DE his qui legem servare contempserunt, ut per fideiussorem in præsentia Regis deducantur.

TITVLVS XXII. DE MENSVRIS, VT ÆQVALES FIANT.

I. IMPERATOR KAROLVS.

DE mensuris, ut secundum iussionem nostram æquales fiant.

TITVLVS XXIII. DE HOMINE AD IVDICIVM NON MITTENDO.

I. IMPERATOR KAROLVS.

VT nullus præsumat hominem ad iudicium mittere, nisi iudicatum fuerit.

TITVLVS XXIV. NE PER VITAM REGIS VEL FILIORVM IVRETVR.

I. IMPERATOR KAROLVS.

NVllus præsumat per vitam Regis vel filiorum eius iurare.

TITVLVS XXV. NE QVIS IVDICEM SVVM PRÆTERMITTAT.

I. IMPERATOR KAROLVS.

VT causa, quæ adhuc coram Comite non fuerit finita, & is qui se reclamat, propter suam stultitiam, aut contumaciam, & Comitem inde appellare noluerit, iterum Comiti commendetur.

TITVLVS XXVI. DE EXCOMMVNICATIS.

I. IMPERATOR KAROLVS.

PLacuit nobis, secundum sanctorum patrum auctoritatem, si quis ab Episcopo suo iustè excommunicatus fuerit, à nullo penitus recipiatur, antequam in præsentia sui Episcopi veniat, pro culpa satisfactionem redditurus.

TITVLVS XXVII. SI QVIS SANCTVM CHRISMA AD* IVDICIVM SVBVERTENDVM DEDERIT.

I. IMPERATOR KAROLVS.

VT presbyter, qui sanctum chrisma dederit ad iudicium subvertendum, postquam de gradu suo expulsus fuerit, manum amittat.

TITVLVS XXVIII. DE EO QVI BONVM DENARIVM REFVTAVERIT.

I. IMPERATOR KAROLVS.

QVicunque liber homo denarium merum & benè pensantem recipere noluerit, bannum nostrum, id est, LX. solid. componat. Si verò servi Ecclesiastici vel vassallorum nostrorum hoc facere præsumpserint, LX. ictus accipiant: aut si magister eorum, aut advocatus, qui liberi homines sunt, eos vel Comiti vel misso nostro præsentare voluerint, prædictum bannum, id est, LX. solid componant.

TITVLVS XXIX. VBI INTERDICTVM SIT LEGATVM ALICVI MITTERE.

I. REX RATCHIS.

SI quis iudex, aut quicunque homo, missum suum præsumpserit dirigere Romam, Ravennam, Spoletum, Beneventum, in Franciam, Baioariam, vel Alamanniam, sine Regis iussione, animæ suæ incurrat periculum, & res eius infiscentur.

TITVLVS XXX. SI MVLIER FILIVM SVVM AD CONFIRMANDVM TENVERIT.

I. IMPERATOR KAROLVS.

SI mulier filium vel filiam suam per fraudem aliquam coram Episcopo ad confirmandum tenuerit, propter fallaciam suam pœnitentiam agat, à viro tamen suo non separetur.

TITVLVS XXXI. DE CAPITVLIS LEGI SALICÆ ADDITIS.

I. IMPERATOR KAROLVS.

GEneraliter omnes admonemus, ut capitula, quæ præterito anno legi Salicæ cum omni consensu addenda esse censuimus, iam non ulterius capitula, sed tantum leges dicantur, imò pro lege Salica teneantur.

TITVLVS XXXII. QVALITER IVDICIVM INTER EPISCOPVM ET PRIVATVM FIERI DEBEAT.

I. IMPERATOR PIPINVS.

VT qui se reclamaverit super Pontificem, quod iustitiam habeat ad inquirendum, dirigat illum Comes, aut per missum suum, aut per epistolam suam, ad ipsum Pontificem. Et si Episcopus ipse Francus, aut Longobardus, distulerit ad iustitiam faciendam, tunc iuxta ut ipsi Episcopi elegerint, ubi consuetudo fuerit pignorandi à longo tempore, ut in antea in eo modo sint, pro iustitia facienda. Et hoc statuimus, ut ubicunque Episcopi substantiam habuerint, advocatum habeant in ipso comitatu, qui absque tarditate iustitiam faciat & suscipiat. Et talis sit ipse advocatus, liber homo, bonæ opinionis, laicus aut clericus, qui sacramentum pro causa Ecclesiæ, quam peregerit, deducere possit, iuxta qualitatem substantiæ, sicut lex eorum habet.

TITVL.

TITVLVS XXXIII. DE REBVS FORFACTIS.

I. Imperator Pipinvs.

DE rebus forfactis, quæ per diversos Comitatus sunt, volumus ut ad palatium pertineant, transacto anno & die.

TITVLVS XXXIV. DE HOMINIBVS PLACENTINIS.

I. Imperator Pipinvs.

NOn est nostra voluntas, ut homines Placentini per eorum præceptum de curte palatii nostri aldiones recipiant.

TITVLVS XXXV. VT IMPERATORIS FORESTES CVSTODIANTVR, ET ALIENO IVRE NON FIANT.

I. Imperator Hlvdoicvs.

DE forestibus nostris, ut ubicunque fuerint, diligentissimè inquirantur, quomodo salvæ factæ sint, & defensæ. Et Comitibus denuntietur, ne ullam forestem noviter instituant: & ubi noviter institutas sine nostra iussione invenerint, dimittere præcipiant.

TITVLVS XXXVI. DE ROMANIS IVDICIBVS, VT IN PRÆSENTIAM IMPERATORIS VENIANT.

I. Imperator Hlotharivs.

PLacuit nobis, ut cuncti iudices, sive hi, qui cunctis præesse debent, per quos iudicia vel potestas in hac urbe Roma agi debeat, in præsentiam nostram veniant: quorum volentes nomina & numerum scire, & singulis de ministerio sibi credito admonitionem facere.

TITVLVS XXXVII. DE CAPITVLIS PRO LEGE TENENDIS.

I. Imperator Hlotharivs.

PLacuit nobis, ut capitula quæ excerpsimus de Capitulare bonæ memoriæ avi nostri Karoli, ac genitoris nostri Hludoici Imperatoris ab omnibus, sanctæ Dei Ecclesiæ, seu fidelibus nostris, in regno Italiæ consistentibus, pro lege teneantur & serventur. Et quicunq; horum Capitulorum contemptor extiterit, LX. solid. componat.

TITVLVS XXXVIII. DE SCRIPTVRIS SINE MENSE ET DIE MENSIS.

I. IMPERATOR HLOTHARIVS.

AVditu comperimus, in finibus Tusciæ talia scripta esse prolata, quæ sunt absque mense, & die mensis, de quibus volumus, ut si deinceps prolata fuerint, nullum habeant vigorem.

TITVLVS XXXIX. DE SVSPECTIS TVTORIBVS REMOVENDIS.

I. IMPERATOR HLOTHARIVS.

COmperimus, quod ab his, qui secundum mundanam legem viduarum & orphanorum tutelam sibi vindicant, non solum negliguntur, sed etiam aliquotiens opprimuntur, quibus Ecclesiastica sollicitudine succurrendum esse censemus. Et si huiusmodi oppressores ab episcopali admonitione corrigi voluerint, gratulandum his est. Sin autem in obstinationis impietate duraverint, suggerendum clementissimo Imperatori, quatinus ipse efficacem tutorem tribuat: ut & illi remuneratio reddatur à Deo: & de inutili silentio sacerdotalis ordo damnetur.

TITVLVS XL. QVIBVS HONORIBVS FILII DIACONORVM PRESBYTERORVM REMOVEANTVR.

I. IMPERATOR OTTO.

DIaconorum, Episcoporum, presbyterorum filios, notarios, sculdasios, Comites, iudices, fieri omnibus modis prohibemus.

EXPLICIT LIBER TERTIVS

LEGIS LONGOBARDORVM

CONSTITVTIONVM NEAPOLITANARVM SIVE SICVLARVM

LIBRI TRES.

INCIPIUNT TITULI CONSTITUTIONUM NEAPOLITANARUM SIVE SICULARUM.

LIBRI PRIMI.

LIBRI SECVNDI.

XXXIX. *De*

LIBRI TERTII.

EXPLICIVNT TITVLI.

CONSTITVTIONVM NEAPOLITANARVM SIVE SICVLARVM LIBER PRIMVS.

IMPERATOR FRIDERICVS II. ROMANORVM CÆSAR, SEMPER AVGVSTVS, ITALICVS, HIEROSOLYMITANVS, ARELATENSIS, FELIX, VICTOR AC TRIVMPHATOR.

P*Ost mundi machinam, providentia divina formatam, & primordialem materiam, naturæ melioris officio in rerum effigies distributam, quæ facienda providerat, facta considerans, & considerata commendans, à globo circuli luminaris inferius hominem, dignißimam creaturam ad imaginem propriam effigiemq; formatam, quem paulo minus minuerat ab angelis, consilio perpenso disposuit præponere ceteris creaturis. Quem de limo terræ transumptum, vivificavit in spiritu, ac eidem honoris & gloriæ diademate coronato, uxorem & sociam, partem sui corporis, aggregavit: eosq; tantæ prærogativæ munimine decoravit, ut ambo primitus efficerentur immortales. Ipsos veruntamen sub quadam lege præcepti constituit, quam quia servare tenaciter contempserunt, transgreßionis eosdem pœna damnatos, ab ea, quam ipsis ante contulerat, immortalitate proscripsit. Ne tamen in toto, quod ante formaverat, tam ruinosè, tam subito, divina clementia deformaret: & ne hominis formâ destructâ sequeretur per consequens destructio ceterorum, dum carerent subiecta præposito, & ipsorum commoditas ullius usibus non serviret, ex amborum semine terram mortalibus fœcundavit, ipsamq; subiecit eisdem. Qui paterni discriminis non ignari, scilicet ipsos à patribus transgreßionis vitio propagatos, inter se odia invicē conceperunt, rerumq; dominia, iure naturali communia, distinxerunt: & homo quem Deus rectum & simplicem procreavit, immiscere se quæstionibus non ambegit. Sicq; ipsarum rerum neceßitate cogente, nec minus divinæ provisionis instinctu, Principes gentium sunt creati, per quos poßet licentia scelerum coërceri: qui vitæ necisq; arbitri, gentibus, qualem quisque fortunam, sortem, statumque haberet; executores quodammodo divinæ providentiæ, stabilirent. De quorum manibus, ut villicationis sibi commissæ perfectè reddere valeant rationem, à Rege Regum, & Principe Principum ista potißimè requiruntur, ut sacrosanctam Romanam Ecclesiam, Christianæ religionis matrem, detractorum fidei ma-*

culari clandestinis perfidiis non permittant, & ut ipsam ab hostium publicorum incursibus gladii materialis potentia tueantur, utque pacem populis, eisdemq; pacificatis iustitiam, quæ velut duæ sorores se ad invicem amplexantur, pro posse conservent. Nos itaque, quos ad imperii Romani fastigia, & aliorum regnorum insignia, sola divinæ potentiæ dextra, præter spem hominum sublimavit, volentes duplicata talenta nobis credita reddere Deo vivo, in reverentia Iesu Christi, à quo cuncta suscepimus, quæ habemus, colendo iustitiam, & iura condendo, mactare disponimus vitulum labiorum, ei parti nostrorum regiminum primitus providentes, quæ in præsentiarum provisione nostra circa iustitiam magis dignoscitur indigere. Cum igitur regnum Siciliæ, nostræ maiestatis hereditas pretiosa, plerumq; propter imbecillitatem ætatis nostræ, plerumq; propter absentiam nostram, præteritarum perturbationum incursibus extiterit hactenus lacessitum: dignum forè decrevimus, ipsius quieti atque iustitiæ summoperè providere, quod ad nostræ serenitatis obsequia resistentibus aliquibus, etiam qui non de ovili regni præfati nostri erant, promptum semper invenimus & devotum. Præsentes igitur nostri nominis sanctiones in regno nostro Siciliæ tantum volumus obtinere, quas cassatis in regno prædicto legibus & consuetudinibus, adversantibus antiquatis his nostris constitutionibus, inviolabiliter ab omnibus in futurum præcipimus observari. In quas præcedentes omnes Regum Siciliæ sanctiones & nostras, quas observari decernimus, iussimus esse transfusas: ut ex his quæ in præsenti constitutionum nostrarum corpore minimè continentur, robur aliquod, nec autoritas aliqua in iudiciis, vel extra iudicia possit assumi.

TITVLVS I. DE HÆRETICIS ET PATARENIS.

INconsutilem tunicam Dei nostri dissuere conantur hæretici, & vocabuli vitio servientes, quod significationem divisionis enuntiat, & ipsius indivisibilis fidei unitati conantur inducere sectionem, & oves à Petri custodia, cui pascendæ à pastore bono sunt creditæ, segregare. Hi sunt lupi rapaces intrinsecus, & eo usque mansuetudinem ovium prætendentes, quousque possint ovile subintrare dominicum. Hi sunt angeli pessimi. Hi sunt filii pravitatum, à patre nequitiæ, & fraudis autore, ad decipiendas simplices animas destinati. Hi sunt colubri, qui columbas decipiunt. Hi sunt serpentes qui latenter videntur inserpere, & sub mellis dulcedine virus evomunt, ut dum vitæ cibum ministrare se simulant, cauda feriunt, & mortis poculum, velut quoddam durissimum aconitum immiscent. Horum sectæ veteribus legibus, ne in publicum prodeant, non sunt notatæ nominibus, vel quod est fortè nefandius, non contentæ, ut vel ab Arrio Arriani, vel à Nestorio Nestoriani, aut à similibus similes nuncupentur: sed in exemplum martyrum, qui pro fide Catholica martyria subierunt, Patarenos se nominant, velut expositos passioni huiusmodi. Miseri Patareni, à quibus abest sancta credulitas Trinitatis æternæ, sub uno contextu nequitiæ in simul tres offendunt, Deum videlicet, & proximos, & seipsos. Deum, cum Dei filium & fidem non agnoscunt, decipiunt; proxi-

mos, dum ipsis sub specie spiritualis alimoniæ, hæreticæ pravitatis ob-
lectamenta ministrant. Crudelius etiam sæviunt in seipsos, dum præ-
ter animarum dispendium, corpora denique sævæ mortis illecebris, quam
per agnitionem veram veræ fidei possint evadere, vitæ prodigi, & ne-
cis improvidi, sectatores involvunt, & quod est ipso dicto durissimum,
superstites etiam non terrentur exemplo. Contra tales itaque, Deo & ho-
minibus sic infestos, continere non possumus motus nostros, quin debitæ
ultionis in eos gladium exeramus, & tanto ipsos persequamur instantius,
quanto in evidentiorem iniuriam fidei Christianæ, propè Romanam Ec-
clesiam, quæ caput aliarum Ecclesiarum omnium iudicatur, superstitionis
suæ scelera latius exercere noscuntur: adeo quod ab Italiæ finibus, præ-
sertim à partibus Longobardiæ, in quibus pro certo perpendimus ipsorum
nequitiam amplius abundare, iam usque ad regnum nostrum Siciliæ suæ
perfidiæ rivulos derivarunt. Quod acerbissimum reputantes, statuimus
in primis, ut crimen hæreseos damnatæ sectæ, cuiuslibet quocunque no-
mine censeantur sectatores, prout veteribus legibus est distinctum, inter
cetera publica crimina numeretur: imò crimine læsæ maiestatis nostræ
debet ab omnibus horribilius iudicari, quod in divinæ maiestatis iniuriam
dignoscitur attentatum, quamquam iudicii potestate, alter alterum non
excedat. Nam sicuti perduellionis crimen personas adimit damnatorum
& bona, & damnat post obitum etiam memoriam defunctorum: sic &
in prædicto crimine, quo Patareni vocantur, per omnia volumus obser-
vari, ut ipsorum nequitia, quia Deum non sequuntur, ac in tenebris am-
bulant, detegatur. Nemine etiam deferente diligenter investigari vo-
lumus huiusmodi scelerum patratores, & per officiales nostros, sicut &
alios malefactores inquiri, ac inquisitione notatos, etiam si levis suspitio-
nis argumento tangantur, à viris Ecclesiasticis & prælatis examinari iu-
bemus: per quos si evidenter inventi fuerint à fide Catholica saltem in
uno articulo deviare, ac per ipsos pastorali more commoniti, tenebrosis
Diaboli relictis insidiis, noluerint agnoscere Deum lucis, sed in erroris
concepti constantia perseverent, præsentis nostræ legis edicto damnatos,
mortem pati Patarenos decernimus, quam affectant: ut vivi in conspe-
ctu populi comburantur, flammarum commissi iudicio. Nec dolemus,
quod in hoc ipsorum satisfacimus voluntati, ex quo pœnam solummo-
do, nec fructum aliquem alium consequuntur erroris. Apud nos pro ta-
libus nullus intervenire præsumat: quod si fecerit, in ipsum nostræ indigna-
tionis aculeos non immeritò convertemus.

TITVLVS II. DE PATARENORVM RECEPTATORIBVS, CREDENTIBVS, COMPLICIBVS, ET FAVTORIBVS.

I. Imperator Fridericvs.

PAtarenorum receptatores credentes & complices, & quocunq; modo fautores, qui ut à pœna possint alios eximere, de se velut improvidi non formidant, publicatis bonis omnibus relegandos in perpetuum esse censemus. Et ipsorum filii ad honores aliquos nullatenus assumantur, sed infamiæ perpetuæ nota laborent: ut nec in testes, nec in causis, quibus repelluntur infames, aliquatenus admittantur. Si tamen aliquid de filiis receptatorum vel fautorum detexerint aliquem Patarenum, de cuius huiusmodi manifestè probetur perfidiâ, in fidei præmium, quam agnovit, famæ pristinæ de imperiali clementia restitutionis in integrum beneficium consequatur.

TITVLVS III. DE APOSTATIS.

I. Imperator Fridericvs.

APostatantes à fide Catholica penitus execramus, insequimur ultione, bonis omnibus spoliamus, & à professione vel voto naufragantis legibus coarctamus, successione tollimus, & omne ius legitimum abdicamus.

TITVLVS IV. VT NVLLVS SE INTROMITTAT DE FACTIS SEV CONSILIIS REGVM.

I. Rex Rogerivs.

DIsputare de Regis iudicio, consiliis & institutionibus factis, non oportet. Est enim par sacrilegii, disputare de eius iudiciis factis in constitutionibus atque consiliis: & an is dignus sit, quem Rex elegit & decrevit.

TITVLVS V. DE CRIMINE SACRILEGII.

MVltæ leges sacrilegos levissimè punierunt, sed pœna moderanda est arbitrio iudicandis: nisi fortè manifestè templa Dei destructa, vel fracta sint violenter, aut dona & vasa sacra nocte sublata sint. Hic enim casus crimen capitale est.

TITVLVS VI. DE VSVRARIIS PVNIENDIS.

I. Rex Rogerivs.

STatuimus, ut iuxta decretum domni Papæ, de usuris nuper in Romana curia promulgatum, quæstiones usurariorum, quæ ad curiam nostram adductæ fuerint, in eadem diffiniantur & terminentur.

II. Imp.

II. IMPERATOR FRIDERICVS.

VSurariorum nequitiam, qui non tantum utuntur pecuniis, sed ut lôquamur proprius, abutuntur, sanctorum patrum sententiis condemnatam prosequi, disponentes, imperialis celsitudinis motum, quem nos etiam ex arbitrio cœlesti suscepimus, divinæ coniungimus ultioni, huiusmodi nostræ constitutionis edicto omnibus regni nostri fidelibus, & quibuslibet aliis in regno morantibus, etiam si extra regnum fuerint oriundi, firmiter inhibemus, ut nullus in posterum pecunias suas, per se, vel per alios, mutuò sub magnis usuris, vel minimis, dare fœnori audeat publicè vel occultè. Et ut ipsorum audacia, qui suæ salutis immemores sunt, & edicti nostri extiterint temerarii contemptores, inulta non maneat, præsenti lege sancimus, ut quicunque amodo fenerator in regno inventus fuerit, omnium bonorum suorum, tam mobilium, quam stabilium publicatione damnetur. Omnibus etiam regni nostri fidelibus concedimus liberam potestatem, usurariorum nequitiam in publicum deferendi. Nec à delatione propterea aliquis repellatur, quod damnũ proprium, vel suorum, vel suam iniuriam minimè prosequatur, crimen istud præsenti lege sit publicum: ita quod omnibus, qui in accusationibus in criminibus publicis admittuntur, usurarios accusandi licentia tribuatur. A nexu tamen præsentis constitutionis nostræ Iudæos tantum excipimus, in quibus non potest argui, fœnus illicitum divina lege prohibitum: quos constat, non esse sub lege à beatissimis patribus instituta, quos etiam auctoritate nostræ licentiæ improbum fœnus volumus exercere. Sed metam ipsis imponimus, quam eis non licebit transgredi, videlicet ut pro decem unciis, per circulum anni integri, unam ipsis tantummodo lucrari liceat pro usuris. Quicquid autem ultra acceperint, in nonum curiæ nostræ componant: ut ex abusu licentiæ, quam eisdem propter necessitatem hominum coacti relinquimus, commodum ultra licitum non sequantur.

TITVLVS VI. DE DECIMIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

QVanto ceteris terræ principibus munifica dextera Salvatoris in temporalibus nos præfecit, tanto saltem iuris naturalis instinctu ad antidora strictius obligamur: cum etiam, veritate dicente, ab eo, cui amplius creditur, amplius exigatur. Quod in nostræ mentis intrinsecus meditatione sollicita revolventes, & illud etiam attendentes, quod solutio decimarum, quarum debitum ex utriusque testamenti tabulis confirmatur, tantò in Ecclesiis Dei pretiosior redditur, quanto decimalis oblatio de bonis hominum, velut electum quoddam spirituale peculium, à domino reputatur: officialibus nostris universis & singulis præsentis legis auctoritate mandamus, ut decimas integrè, prout Regis Guilelmi tempore, consobrini & prædecessoris nostri, vel ab an-

tecessoribus officialibus & baiulis exolutæ fuerunt, locorum prælatis exoluere absque omni difficultate procurent. Nos enim, qui favente domino inter homines sumus in præeminenti culmine constituti, quantum sine iniuria nostrorum regalium possumus tolerare, Ecclesiarum iura, & præsertim earum, quæ in regno consistunt, & quas sub protectione nostra recipimus & habemus, in nullo diminuere volumus, sed augere. Subiectis etiam nostris indicimus, ut decimas, quas de feudis & bonis suis antecessores eorum prædicti Regis Guilelmi tempore præstiterunt, venerabilibus locis, quibus decimæ ipsæ debentur, cum integritate persolvant.

TITVLVS VIII. DE CVLTV PACIS, ET GENERALI PACE IN REGNO SERVANDA.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

PAcis cultum, qui à iustitia, & à quo iustitia abesse non potest, per universas & singulas partes regni nostri præcipimus observari, ut nullus auctoritate propria de iniuriis & excessibus dudum factis vel faciendis in posterum se debeat vindicare, nec præssalias, seu repræssalias facere, vel guerram in regno movere: sed coram magistro iustitiario, & iustitiariis regionum, vel locorum camerariis, vel baiulis, & dominis, prout ad unumquemque eorum causæ cognitio pertinet, causam suam ordine iudiciario prosequatur. Ceterum, si contigerit alicui, violentis iniuriis provocato, ob tutelam sui corporis, seu rerum, defensionem necessario adhibere, ipsam eidem in continenti, prius scilicet quam divertat ad alios actus extraneos, non vetamus, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ: ita videlicet, ut similibus & æqualibus armis se defendere valeat, quibus & qualibus extiterit impugnatus. Ita ut si armis molitis impugnatus fuerit, liceat ei armis molitis se defendere: si sine armis molitis, vel quibuslibet armis, adversarius suus eum impugnaverit, eodem impugnationis genere se defendat: dum tamen in continenti hoc faciat, ut est dictum.

II. IDEM.

COmes, Baro, miles, seu quicunque alius, qui publicè guerram in regno moverit, confiscatis bonis suis omnibus capite puniatur: qui autem præssalias, seu repræssalias fecerit, medietatis bonorum suorum omnium proscriptione damnetur.

TITVL.

TITVLVS IX. DE ILLICITA PORTATIONE ARMORVM, ET POENA PERCVTIENTIVM CVM EIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

INtentionis nostræ salubre propositum, non tam circa punienda maleficia commissa versatur, quam ut in committendis eisdem via & materia præcludatur. Quia igitur tam violentiis & homicidiis ipsis, armorum interdum prohibitorum portatio causam præstat, occurrere potius eligentes in tempore, quam post exitum vindicare, præsenti lege omnibus regni nostri fidelibus prohibemus, ut nullus arma molita & prohibita, cultellos, & enses, lanceas, pancereas, scuta vel loricas, clavas ferreas, & etiam alia omnia, quæ nocendi magis causa, quam alterius cuiuscunque liciti operis gratia sunt parata, secum deferre præsumat. Curialibus autem & servientibus eorum, quousque nobiscum in curia commorantur, vel domum aut domo redeunt, vel pro nostris servitiis transmittuntur, arma prædicta prohibita illis deferre permittimus. A tenore etiam præsentis sanctionis edicto eximimus milites, & filios militum, & burgenses, quibus enses deferre, cum ipsos extra loca, quæ inhabitant, pro agendis suis equitare contigerit, minimè prohibemus: ita tamen, ut cum ad prædicta loca reversi fuerint, vel alicubi hospitantur, enses ipsos in continenti deponant. Quisquis autem post hæc prohibita arma detulerit, siquidem Comes fuerit, quinque uncias: si Baro, quatuor: si miles simplex, tres: si burgensis, duas; si rusticus fuerit, unam unciam fisco nostro componat. Quam pœnam si egentes propter inopiam fortè deludant, publicis operibus deputentur ad tempus. Quæ omnia per magistros iustitiarios debitæ executioni tradantur.

TITVLVS X. DE INTRANTIBVS REGNVM, VT ARMA IN REGNO DEPONANT.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

HOmines extra regnum, postquam regnum intraverint, arma prohibita nullatenus deferre permittimus. Qui si scienter detulerint, pœnæ, quam contra delatores armorum edidimus, qui in regno morantur, subiacebunt. Et ut ignorantiam simulare non possint, statim per officiales nostros, cum regnum intraverint, ipsis volumus hæc exponi, ut pancereas & loricas indutas non deferant, & ut, postquam ad loca destinata pervenerint, omnia arma deponant: dum tamen intra civitates & villas manserint, cultellos & enses etiam portare non possint.

TITVLVS XI. DE POENA EIVS, QVI CONTRA ALIQVEM TANTVM ARMA EXTRAXERIT.

I. Imperator Fridericvs.

ASperitatem veterum legum, quæ constringentes gladios, & extrahentes, & percutientes cum eis, indubitanter occidendi animum habuisse præsumunt, interpretatione imperialis mansuetudinis lenientes, præsenti lege in perpetuum Deo propitio valitura sancimus: ut si quis arma prohibita contra aliquem extraxerit, nec ipsum offenderit, duplicatam pœnam, quam secundum personarum conditionem super portatione armorum edidimus, nostræ curiæ se compositurum agnoscat. Nec enim indignè duplicatam pœnam in casu præsenti delator armorum sustinere debebit, utpote qui armis à nemine provocatus, extrahendo ipsa in offensionem alterius malevolum suæ intentionis propositum publicavit: quod ante per solam delationem eorum, necessariæ defensionis obiectu, dum alicuius insultum timere se diceret, forsitan poterat colorare.

TITVLVS XII. DE PERCVSSIONE ILLICITA CVM ARMIS.

I. Imperator Fridericvs.

SI quis aliquem cum armis prohibitis supra dictis percusserit, ita quod percussus ex percussione ipsa minimè moriatur, percussor manum, cum qua percussit, amittat. Æquum est enim in ea parte corporis plecti maleficum, cum qua, legis & imperii veneratione contempta, maleficium perpetravit.

TITVLVS XIII. DE HOMICIDIIS PVNIENDIS.

I. Imperator Fridericvs.

TErminum vitæ hominum, à divina nobis providentia commissorum, quantum possibile sit, illius tantummodo iudicio reservantes, qui hominem condidit & redemit, imperialis indignationis aculeis prosequi pro firmo disponimus homicidas: sanctionis præsentis edicto inviolabiliter statuentes, ut quicunque alium protectionis augustæ defensione securum fuerit aggressus, & in aggressu ipso eundem probabitur occidisse, miles, vel in superiori gradu positus, ultore gladio pœnam sustineat capitalem: inferiores furca suspensi, ultimo supplicio subiungentur. Qui tamen aggressorem vel latronem, in dubio vitæ discrimine constitutus, vel nocturnum furem cum clamore, quem aliter comprehendere non valebat, occiderit, iuxta divorum

suorum parentum nostrorum statuta propterea nullam calumniam sustinere debebit. Infans etiam sine malignitate animi, & furiosus, si hominem occiderit, non tenetur: quia alterum innocentia consilii, alterum infelicitas casus excusat.

TITVLVS XIV. VT CASTELLANI MITTANT SERVIENTES ARMATOS, PRO SERVITIO CVRIÆ.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

CAstellanis & servientibus castrorum nostrorum, cum magistris iustitiariis, iustitiaris, aut aliis officialibus nostræ curiæ, si extiterint requisiti, pro negotiis aliquibus, quæ ex mandato culminis nostri, auctoritate imperiali, vel iurisdictionis eorum ipsis officialibus nostris incumbunt, extra castra permittimus arma deferre. Aliàs, tam ipsos quam alios subiacere disponimus nostræ prohibitionis edicto, ut absque speciali mandato celsitudinis nostræ vel licentia, nullus fidelium nostrorum arma prohibita deferre præsumat.

TITVLVS XV. DE DEFENSIS IMPONENDIS, ET QVIS EAS IMPONERE POSSIT, ET CONTRA QVOS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

IVris gentium induxit auctoritas, & naturalis hæc ratio non abhorret, ut tutela cuilibet sui corporis permittatur. Quia tamen sepè contingit aggressoris in tantum supereminere potentiam, ut si oppresso de iure se defendere liceat, tamen de facto se defendere non possit: præsentis legis auctoritate cuilibet licentiam impartimur, ut adversus aggressorem suum, per invocationem nostri nominis se defendat, eidemq; ex parte imperiali prohibeat, ut ipsum offendere de cetero non præsumat. Quod non tantum in præscripto casu locum habere decernimus, cum is, qui prædictam defensam imponit, offendi forsan metuit in persona: verumetiam, cum rebus, quas possidet, mobilibus, immobilibus, aut sese moventibus, nec non incorporalibus inferri sibi quisque ab aliquo violentiam pertimescit: ne vel res mobiles per vim auferantur ab eo, vel in aliis destitutionis iniuriam patiatur. Præsentis nostræ constitutionis licentiam ad eos etiam prorogamus, qui in personis aut rebus parentum, quos nostri veteres dixere maiores filiorum nepotes, & ex eis, qui dulci filiorum vocabulo nuncupantur; & in eis, aut rebus eorum denique, qui in eadem familia, & cohabitatione tenentur, vim vel iniuriam pati metuerint, qui defensam imponunt. Eadem licentia prædictis casibus tribuenda vasallis, qui à dominis suis in personis, aut rebus suis, vel suorum, offendi verentur iniustè. Verum si occasione adiutorii nostri in articulis

nostris, & prædecessorum nostrorum constitutionibus comprehensis, aut antiquis consuetudinibus, vel ex aliis causis, ex quibus vasalli dominis suis aliquid dare vel facere tenentur, de iure vel de consuetudinibus supradictis defensæ dominis imponantur, licebit eis suo iure uti, nihilominus post defensam. Vt tamen, si iure defensæ imponantur pro rebus mobilibus, utpote bove ablato, vel similibus, dominus, qui contra defensam venerit, & id, quod post defensam abstulit, reddat, & aliud tantum curiæ nostræ componat. Et hæc tantum sit in casu isto poena defensæ. Ceterum, si iniustè fuerit imposita, tunc ipsam imponens, & id quod petebat amittat, & aliud tantundem curiæ nostræ solvat. Statuimus etiam, ut ex defensis huiusmodi, factis à vasallis super mobilibus, contra dominos tantum civiliter, & non criminaliter agi possit: & si de his ad magnam nostram curiam proclamatio deferatur, causæ ipsæ ad regionum iustitiarios remittantur. Si tamen inter duos vasallos defensæ imponantur ex parte nostra, de tertia parte mobilium curiæ nostræ debita, tantum domino acquiratur, quantum ei ex qualitate delicti, puta ex violentia vel similibus, si defensa non fuisset imposita, deberetur: & reliquum nostris largitionibus inferatur. Si vero ob alias causas, puta ob timorem personarum suarum aut suorum, vel ne in uxorem, filiam, vel sororem, raptus crimen, vel adulterium perpetretur, aut in similibus, ex quibus capitalis & publica accusatio oriri posset, defensæ dominis imponantur: tunc vasalli cum dominis habeant in defensis ipsis ius commune cum ceteris, & eundem in præscriptis casibus, quem in omnibus aliis, defensæ contemptè impositæ sortiantur effectum.

TITVLVS XVI. DE DEFENSIS IMPOSITIS AB OFFICIALIBVS, ET POENA DEFENSÆ.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

Fidelium nostrorum iniurias, quæ sola protectionis nostræ post Deum defensione lætātur, pro posse præcidere cupientes, magistris iustitiariis & iustitiariis, camerariis, nostri regni baiulis, & locorum iudicibus, qui vice administrationis nostræ gubernacula susceperunt, imponendi defensas concedimus facultatem: si quando in locis ipsis, aut circa rixas, quæ vulgariter melsetæ dicuntur, iniurias, violentias, aut huiusmodi flagitia, fortè prænoverint committendan. Ita tamen de contemptoribus defensæ impositæ, ut defensis per camerarios, baiulos, & iudices, seu etiam per privatas personas indictis, non ipsi, sed magistri iustitiarii, & iustitiarii nostri cognoscant. Ita enim subiectis nostris non oberit tuitionis nostræ licentia, cum per eos, quibus mansuetudinis nostræ confertur auctoritas, ipsarum defensio procuratur: & sic nos etiam, qui prohibente individuitate personæ, ubique præsentialiter esse non possumus, ubique potentialiter adesse credamur.

TITVLVS XVII. DE DEFENSIS IMPOSITIS ET CONTEMPTIS, ET DE POENA CONTEMNENTIVM IPSAS.

I. Imperator Fridericvs.

SI quis in posterum nostri nominis invocatione contempta, post defensam eidem impositam, sub quacunque quantitate vel forma, per personas publicas, vel privatas, in rebus violentiam, vel in personis eorum iniurias, à quibus, vel pro quibus, prohibitio fuerit indicta, per testes non pauciores tribus, fide dignos, & omni exceptione maiores, ac aliis legitimis argumentis probabitur commisisse, siquidem cum armis hoc fecerit, in tertia parte omnium bonorum suorum puniatur: licet ex parte nostra, nulla etiam quantitate adiecta, defensa simpliciter imponatur. Si vero sine armis, in quarta bonorum prædictorum parte omninò contemptorem damnandum esse sancimus. De quibus omnibus camerarios, & baiulos locorum, cum ipsi defensas indicunt, in bonis tantum mobilibus sexagesimam lucrari censemus: reliquis partium prædictarum mobilibus & immobilibus nostro ærario applicandis. Illud etiam apertissimè diffinimus, ut si quando tres testes, aut plures, ad probandam defensam impositam & contemptam, fuerint ab imponente producti, contra ipsorum dicta, videlicet quod res se aliter habuerit, per testes contrarios probari non possit. Nam si testes, per quos defensa imposita contempta probatur, erunt probatæ fidei & opinionis bonæ, & tunc promptum est, ipsorum testimonio stari debere, aut pars contra ipsorum personas excipere posse confidit: quo casu parti obiectiones contra personas prædictorum testium non negamus, defensiones rei iudicatæ, pacti conventi, & similes. Quæ non directo contra personas, si dicta ipsorum testium opponantur, quod falsum videlicet deposuisse dicantur, parti quæ ipsas obiecerat, reservamus; ut tantum quæstiones ipsarum personarum, quarum impositionem, si contra factum fuerit, ius est nostræ curiæ acquisitum, per imponentes easdem privata conventione remitti non possunt. Imò imponentibus ipsas specialiter iniungimus, & expressè mandamus, ut exactionẽ magistro iustitiario, & iustitiariis debeant nuntiare pœnas. Præterea quæ super aggressuris, violentiis, & iniuriis per leges veteres, vel constitutiones divorum parentum nostrorum inductæ noscuntur, ac supradicta præcedente defensa commissa probantur, per pœnas præsenti constitutione statutas in posterum volumus esse novatas, ut eis sublatis pœna tantum ex defensa petatur: exceptò si aliquis cum armis percusserit, vel occiderit. Quas pœnas, utpote corporales, præmissa beatitudinis nostræ cõstitutione, sancitas non volumus minorari, sed pro defensæ impositione in tertia vel quarta parte bonorum, prout superius est expressum, augeri. Iudæis & Sarracenis etiam, & pro eis aliis officialibus nostris, scilicet in præscriptis casibus imponendi defensas concedimus facultatem: quos non propterea, quia Iudæi vel Sarraceni sunt, arctari volumus innocentes. Prænominatas etiam tertiam & quartam per magistros iustitiarios nostros, sic instanter volumus absque alicuius dissimulationis vitio profligari, & eisdem

eisdem ab imponentibus nuntiari. Quod si ipsos in exigendis eisdem, aut imponentes in denuntiandis, invenerimus desides aut remissos, quidquid aliquibus gratiosè dimiserint, de bonis ipsorum procul dubio exigemus. Officiales enim, qui scelera perpetrata non vindicant, tegere ut conscii criminosa festinant.

TITVLVS XVIII. DE DEFENSA INIVSTE IMPOSITA.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

DEfensas impositas & contemptas, instanter constitutionibus nostris præscripsimus exigendas. Sed ne effrenata licentia defensarum, in iure suo alicui fidelium nostrorum possit damnum afferre, statuimus, si quis iniustè defensam imponit, veluti creditori suo, qui auctotate forte conventionis expressè ipsum iure licito pignoravit: vel si officiali nostro iura nostra forsitan exigenti defensæ huiusmodi imponantur, imponens huiusmodi defensam (si iniustè siquidem is, cui defensa imposita est, ob reverentiā culminis nostri, à suo iure descendens defensæ obtemperaverit) nominatam pœnam, quam defensæ obediens subire deberet, si contra venisset, subeat qui ipsam imponit. Ceterum si nihilominus post defensam, cui imposita est, iure suo, auctoritate legis vel constitutionis utatur, impunitum utrunque esse censemus. Alterum, quia ex defensa etiam sic iniusta nullum omninò commodum reportabit: nec ergo pœnam subire debebit. Alterum, quia contra defensam iure licito veniens iure suo utitur potius, quam contemnat.

TITVLVS XIX. DE RAPTV ET VIOLENTIA MONIALIBVS ILLATA.

I. REX ROGERIVS.

SI quis rapere sacratas Deo virgines, aut nondum velatas, occasione etiam matrimonii iungendi præsumpserit, capitali pœna feriatur.

TITVLVS XX. DE VIOLENTIA MERETRICIBVS ILLATA.

I. REX GVILELMVS.

OMnes nostri regiminis sceptro subiectos decet maiestatis nostræ gloria gubernari, & alterum ab altero, tam mares quam fœminas, vel à maioribus, vel æqualibus, vel minimis defendendo, pacis gloriam confovere, nec pati aliquo modo vim inferri. Miserabiles itaque mulieres, quæ turpi quæstu prostitutæ cernuntur, nostro gaudeant beneficio; gratulantes, ut nullus eas compellat invitas, suæ satisfacere voluntati. Contra hoc generale edictum satagentibus confessis atque convictis ultimo

ultimo supplicio feriendis. Habito tamen considerationis ordine. Quod si in locis habitabilibus fuerit illata, clamor oppressæ truculenter emissus, quam citius poterit, elucescat. Alioquin non videbitur vis illata, si mora fuerit octo dierum spatio subsecuta: nisi forsitan his diebus invita probabitur fuisse detenta.

TITVLVS XXI. DE RAPTORIBVS VIRGINVM, VEL VIDVARVM.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

CApitalem pœnam, quam contra raptores virginum, vel viduarum, sponsarum, vel etiam iam nuptarum, & eorum complices, vel fautores divorum Augustorum statuta sanciverunt, inviolabiliter præcipimus observari. Illis consuetudinibus, quæ in aliquibus partibus regni nostri Siciliæ hactenus obtinebant, per quas raptores raptam sibi in matrimonio collocando, vel alii eam tradendo nuptui, se capitali sententia eximebant, omninò sublatis.

II. IDEM.

IN quæstionibus violentiarum, quibuslibet mulieribus inferuntur, prædecessorum nostrorum regni Siciliæ sanctiones, sub distinctione quadam, videlicet, si infra tempora eisdem constitutionibus prætaxata ipsarum proclamatio probaretur, pugnæ iudicium admittebant: cum tam in casu præsenti, quam in omnibus aliis criminibus, tantum crimine læsæ maiestatis excepto, & mortis absconsæ, pugnæ non tam iudicium, quam dispendium provisione sancta sancimus admoveri. Non leve periculum accusantibus imminet, qui communibus probationibus vix aut nunquam probare poterunt intentata: cum huiusmodi scelera à conspectibus hominum, qui veritatis ipsius possint perhibere testimonium, abscondantur: & sic ordinariis probationibus cessantibus de facto, & extraordinariis, pugnæ scilicet & legis paribus, de iure nostro sublatis, causæ huiusmodi sine remedio permanerent. Nolentes igitur tam grande scelus dimittere ob defectum probationis inultum, decernimus, si quando aliqui de huiusmodi violentiis accusati confessionibus suis, quas in publicum conscientia læsa producit, aut testibus, qui in ipsis Venereis actibus invenerint accusatos, quod tamen perraro posset contingere, fuerint fortè convicti, nobis etiam inconsultis capitali pœnæ subiaceant, priscis & nostris etiam constitutionibus præstitutæ. Quod si non ipsa rei veritas probari valeat, sed hoc solum, quod per mulierem, aut pro parte sua per aliquos nuntiatum ter fuerit alicui, qui signis aut modis aliquibus pudicitiam mulieris attentet, quod à recitatione huiusmodi illicitæ præsumptionis abstineat, & postea cum muliere clamante, & aliorum auxilium cum vociferationibus incum muliere clamante, & aliorum auxilium cum vociferationibus invocante, tantum in colluctatione, vel fuga, etiam in domo, vel prope domum mulieris eiusdem inventus fuerit; aut si denuntiatione prædicta minimè præcedente, mulierem clamantem sub se teneat

violenter, virginitatis suæ seram satagens aperire, & ipsam corrumpere, aut iam corruptæ violentiam inferre, causam eandem plenè discussam, & probationibus prædictis aut similibus forsan instructam, ad conscientiam nostram remitti censemus, ut ex sententia motus nostri, quam de manu coelesti sumpserimus, causa terminum debitum consequatur: accusato tamen interim custodiæ fideiussorum vel carceris deputato.

TITVLVS XXII. SI QVIS MVLIERI VIOLENTIAM PATIENTI ET CLAMANTI NON SVCCVRRERIT.

I. Imperator Fridericus.

Qvicunque mulierem clamantem audierit, cui fortè violentia ingeratur, ad currendum & succurrendum ei, volumus audientem esse velocem. Quod si non fecerit, quatuor augustales, in poenam tam nocivæ desidiæ, cameræ nostræ componat. Nec ad evitandam poenam aliquis simulare potuerit obauditum, qui aut sub eodem tecto aut loco fuerit, unde vocem audire potuerit, qui surdus aut mutus, sive dolo malo claudus, aut aliàs imbecillis, aut vociferationis tempore dormiens non probetur.

TITVLVS XXIII. DE POENA MVLIERVM INIVSTE CONQVERENTIVM.

I. Imperator Fridericus.

PEssimam & horrendam quæstus materiam, quæ hactenus in grave dispendium subiectorum nostrorum invaluit, resecantes (dum mulieres, quæ raptus iniuriam vel violentiam passæ non erant, de aliquibus per mendacium querebantur: & sic accusationis instituendæ, vel institutæ timore, dum iudiciorum strepitus vel eventus metuunt accusati, imparia matrimonia sortiuntur, interdum etiam stipem turpem à reis, velamento prædictæ accusationis acquirunt) volumus & mandamus, ut quæcunque post hac de tali fuerit falsa delatione convicta, tam per se, quam testes, mortis laqueis irretita in foveam incidisse se sentiat, quam alterius casui præparabat, si ea, quæ detulerat, comprobasset. Quæ si supplicii tempore prægnans inveniatur, usque ad quadraginta dies post partum, ipsius poenam humanitate suadente volumus prorogari: & partum ex ea editum, si non habeat proximos cognatos forsitan vel affines, quos ad nutriendum ipsum affectio proximitatis inducat, de bonis nostris per officiales nostros, qui tunc temporis in illis partibus præerunt, educari iubemus.

TITVLVS XXIV. DE VIOLENTIIS CIRCA POSSESSIONEM ADMISSA.

I. Imperator Fridericus.

VIolentias subiectorum nostrorum, quæ turbationem desideratæ pacis inducunt, scilicet communem viam mediam eligentes, poena

pœna legitima volumus coërceri: statuimus, ut si quis per violentiam destituerit aliquem rei immobilis possessorem, possessione cum legitimis obventionibus omnibus primitus restituta, violentum vel universalem successorem eius in medietate æstimationis rei, in qua violentia commissa probatur, mulctandum esse censemus. Derisorium namque credimus, aliquem sex solidorum tantum pœna damnari, & tunc demum, quando suam rem violentus probare non posset: & sic possessorium petitorio, à quo separatum esse dignoscitur, immiscere. Et illud etiam modestè ferre nequimus, ubi pro violentia aliqua in possessione commissa, proprietete rei suæ in totum aliquis, vel æstimatione, si non esset res propria, privaretur: iure Francorum etiam, quod certas pœnas in violentiis statuebat, in hac parte sopito. Raptorem autem rei mobilis, iuxta quod iure communi cavetur, in quadruplum computata re, damnandum esse censemus.

TITVLVS XXV. DE RESTITVTIONE POSSESSIONIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

Circa violentiarum pœnas eas patientibus satis credimus sacris constitutionibus prædecessorum nostrorum & nostris esse provisum: quendam iuris rigorem, circa destitutores violentos inductum, quod destituto contra destituentem tantum, vel eius heredes, restituendæ possessionis beneficio succurrebat, nec contra eum, in quem ab ipso violento, vel eius heredibus transferebatur possessio, ad recuperandam eandem aliquod remedium inducebat, imperiali providentia lenire volentes, atque ipsius iuris defectum, congruo & necessario supplemento suppleri: disponimus, per violentiam destitutum, non ut olim provisione carere, sed electionem habere, utrum ipsum destituentem, vel eius heredes, si possessionem in alium transtulit, ad interesse convenire, prout prædicto iure cavetur, vel detentorem, qui ab eiectore causam habet, per quascunque manus possessio ambulaverit, sive sciens, sive ignorans fuerit, possessionem recuperare velit amissam, conditione ex lege præsenti ad recuperandam possessionem ipsi indulta. Sæpè enim contingebat, ut quis à possessione cadebat, dum vel probationes de dominio non habebat, vel cum deiector erat forsitan non solvendo, omni remedio se inveniebat exclusum.

TITVLVS XXVI. DE MALEFICIIS CLANDESTINIS PVNIENDIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

Super incisionibus arborum, & combustionibus domorum, & ceteris maleficiis, quæ clam nocturnis temporibus committuntur, generalem constitutionem nostris fidelibus promulgamus: ut si commissores inveniri non possint, aut sicut multoties accidit, per locorum incolas occultantur, homines locorum ipsorum, in quibus maleficia committuntur, ad damnorum restitutionem integrè arceantur. Qua restitutione tam illos, quibus pro nostris servitiis talia

acciderint, quam reliquos, quibus hoc ex inimicitia, seu aliquo odio evenerit, & frui volumus, & gaudere. Nec minus Iudæos & Sarracenos, quosque Christianæ sectæ diversitas reddit infestos, omnique alio auxilio destitutos, protectionis nostræ potentia pati non possumus defraudari. Prædicti autem clandestini & nocturni malefactores, si in ipso facinore deprehensi, vel aliter legitimè convicti fuerint, capite puniantur.

TITVLVS XXVII. DE HOMICIDIIS ET DAMNIS CLANDESTINIS, QVORVM ACTORES INVENIRI NON POSSVNT.

I. Imperator Fridericvs.

SI damna clandestina patientibus, quorum actores per probationes dilucidas inveniri non possint, imperialis provisionis remediis meritò subvenimus, ut universaliter per possessores locorum, in quorum territoriis huiusmodi scelera sunt commissa, eorum indemnitatibus consulatur: multo fortius expertes provincia nostra relinquere credemus indignum, quorum patres aut filii, cognati denique vel affines, in locis aliquibus per homicidia perimuntur occulta: cum tàm horribilis sceleris patratores investigatione qualibet, quamvis exactissima, nequeant experiri. Præsenti igitur saluberrima constitutione sancimus, ut si quando huiusmodi maleficia in quorumcunque territoriis locorum, quod abominamur, contigerit in posterum perpetrari, nec ipsorum commissor appareat, ita quod nullus de tali facinore, ab his, qui defuncto attinuerint, vel à quolibet de populo arguatur, quo casu divæ constitutionis nostræ, super furtivis & absconsis homicidiis editæ, statuta servamus, tunc inquisitionem de prædicto facinore fieri volumus diligenter, per quam, si aliquid certum probabitur, iuxta probata inquisitionis eiusdē procedendum esse censemus. Quod si ex inquisitione ipsa leves personæ aliquæ de homicidio ipso notentur, licet per eam contra ipsos non probetur ad plenum, ad tormenta ipsarum personarū levium & vilium postremò decernimus descendendum per quæ omnia, si de delicto constare non poterit, quod confiteri per nimiam forsan & solitam potentiam tormentorum intrepidi, quibus ingeruntur tormenta, non velint: vel si ob ipsorum impotentiam, prout accidere novimus in plerisque, ultra modum timidi fateantur, nec in confessione perdurent, soluti tormentis, quæ tamen non timeant iterari: tunc illius loci, in quo maleficium huiusmodi commissum esse dignoscitur, possessores (siquidem Christianus fuerit, qui reperitur occisus) centum augustalium mulcta feriendos esse iubemus. Si verò Iudæus vel Sarracenus sit, in quibus, prout certò perpendimus, Christianorum persecutio nimis abundat ad præsens, in quinquaginta augustalibus, incolas ærario nostro applicandis prædictorum locorum damnandos esse censemus. Quæ post inquisitionis & probationis ordinem, & tormenta etiam ultimo facienda, in aliis damnis clandestinis, & nocturnis servari mandamus. Quod si constet, universitatem eandem occultare velle forsitan huiusmodi scelerum commissores, nec ipsos velle officialibus

cialibus nostris quærentibus exhibere pœnam universitati ipsi pro qualitate locorum, & commissi sceleris imponendam nostro iudicio reservamus.

TITVLVS XXVIII. DE SVRRIPIENTIBVS ALIQVID NAVFRAGIIS VEL INCENDIIS.

I. Imperator Fridericvs.

RApinas eorum, qui de rebus, naufragium, incendium, aut ruinas subitas patientium, rapere invitis dominis tentaverint aliquid, tanto severius puniri censemus, quanto securius perpetrantur: dum domini personarum aliquando periculis irretiti, circa rerum custodias redduntur incauti, nec ab illis damna pati verentur, quos ad ipsorum desideratum auxilium, & opem necessariam existiment concurrisse. Tales itaq; in rapinis huiusmodi deprehensos, aut sponte confessos, capitali sententia feriendos esse censemus: ac de bonis ipsorum, quæ ad legitimos successores pervenire debebunt, rapta in quadruplum restitui dominis debere mandamus. Huic etiam saluberrimæ sanctioni adiiciendum duximus, ut omnes, quibus facultas erit succurrere talibus, in tantæ necessitatis articulo constitutis, sine mora & occasione aliqua subvenire, cum his quæ ad incidentes casus necessaria viderint, pro posse festinent. Negligentes autem, si probata causa legitimè se nequiverint excusare, unius augustalis pœna multandos esse censemus.

TITVLVS XXIX. DE INIVRIIS CVRIALIBVS ILLATIS.

I. Imperator Fridericvs.

VT participatio concedens honoris & oneris inducatur, statuimus, si quando violentiæ vel iniuriæ in rebus aut familiis eorum, qui de mandato nostro intra regnum, vel extra regnum in exercitu, vel qui nobiscum, aut officialibus nostris, in curia nostra commorantur, ab aliquo inferantur, duplicatam pœnam, quam circa defensas, & violentias, & iniurias, & alia maleficia sacræ constitutiones nostræ, vel iura communia induxerunt, à committente præstandam esse.

TITVLVS XXX. DE OBSERVATIONE IVSTITIÆ

I. Imperator Fridericvs.

NOn sine grandi consilio, & deliberatione perpensa, condendæ legis ius & imperium in Romanum Principem lege Regia transtulere Quirites: ut ab eodem, qui commissæ sibi Cæsareæ fortunæ fastigio per potentiam populis imperabat, prodiret origo iustitiæ, à quo eiusdem defensio procedebat. Ideoque convinci potest, non tam utiliter quam necessario fuisse provisum, ut in eiusdem persona concurrentibus his

duobus, iuris origine scilicet & tutela, ut à iustitia vigor, & à vigore iustitia non abesset. Oportet igitur Cæsarem fore iustitiæ patrem & filium, dominum & ministrum; patrem & dominum in edendo iustitiam, & editam conservando, sic & in venerando iustitiam sit filius, & in ipsius copiam ministrando, minister. Hac igitur consulta ratione commoniti, qui de manu domini sceptrum imperii, & inter alia regna regni Siciliæ moderamen accepimus, nostris fidelibus omnibus prædicti regni nostræ voluntatis propositum nuntiamus, quia nobis cordi est inter ipsos, absque exceptione qualibet personarum, universis & singulis prompto zelo iustitiam ministrare, ut abunde ipsius copiam per officiales nostros, quibus ipsam commisimus administrandam, undique valeant invenire. Ipsorum officialium nostrorum officia volumus esse discreta; civilibus quæstionibus alios, & alios accusationibus criminalibus præponentes.

TITVLVS XXXI. DE CVLTV IVSTITIÆ.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

CVltus iustitiæ silentium reputatur. Eorum igitur insolentiis occurrentes, qui iudiciorum ordinem tumultuosis clamoribus sepè perturbant, statuimus in posterum litigantes, & quoslibet alios in iudiciis existentes, cum reverentia magistratus iura reddentis, quietem iustitiæ observare: nec priusquam licentiam ab eo, qui iudicio præerit, consequantur, iura sua proponere audeant, vel pro alio postulare. Sic modestè partes volumus pro se, vel pro aliis in iudiciis perorare, ut etiam si advocato dicenti, quo advocatus eius, vel pars principalis aliquid ad memoriam de iure vel de facto reducat, maturè sine strepitu aliquo dicere studeat, quod intendit. Nisi forte celeris protestationis necessitas, aut quod in continenti quis advocati corrigere velit errorem, interruptionem inducat, cum inferri sibi præiudicium aliquis ex taciturnitate veretur. Si quis autē, postquam ter per intervalla aliqua à baiulo, vel à iudice fuerit admonit9, vel si sit aliquis, prout assolet, iudici & iudicio tædiosus, semel bis & ter absq; intervallis aliquibus interdictus tacere noluerit; si rusticus fuerit, I. augustalē; si burgēsis, II. si miles, IV. si Baro, VIII. si Comes, XVI. augustales curiæ nostræ comp. Scituris pro firmo quibuslibet officialibus nostris, quod si ob gratiam alicui pœnam dimiserint, nos de bonis suis propriis ipsā integrè proculdubio prosequemur.

TITVLVS XXXII. DE QVIBVS CAVSIS PRIMITVS COGNOSCATVR.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

IVsti cultoris partes assumimus, cum iustitiæ telam ordinatè teximus, eiusque pomerium misericordiæ rivulis irrigamus. Statuimus igitur, ut omnes regni iudices, quemcunque gradum iustitiæ teneant, aut quolibet nomine censeantur, ordinem infra scriptum in audiendis & decidendis litigiis observare procurent. Causas Ecclesiarum primitus, deinde fiscales, subsequenter pupillorum, orphanorum, & viduarum, seu quarumlibet debilium personarum, examinandas accipiant, & ad debitū terminum deducendas, priusq̃ aliorum litigantium causas audiant & decidant.

TITVLVS XXXIII. DE DANDIS ADVOCATIS PVPILLIS, ET ALIIS MISERABILIBVS PERSONIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

LEge præsenti pietatis officio suggerente statuimus, pupillis, viduis, orphanis, pauperibus, seu quibuslibet debilibus, præsertim contra potentes agentibus, aut defendentibus causas suas, seu iura nostræ curiæ deferentibus, advocatos & pugiles, si causa poposcerit, de curia nostra gratis, & expensas alias victui necessarias, dum necessariam in curia moram trahunt. Nec non iterum producendorum impendia, per curiæ præsidem largiri debere censemus: nullas ab ipsis propterea sportulas ab apparitoribus, vel tabellionibus nostris, omninò aut pro sententiarum subscriptionibus aliquid volumus postulari.

TITVLVS XXXIV. VT CAVSÆ PRIVS INCHOATÆ TERMINENTVR.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

PRæsenti lege decernimus, omnibus omninò iudiciis valitura, ut inchoatis causarum audientiis nullæ penitus aliæ misceantur, priusquam quæstionibus primis, per diffinitivæ vel interlocutoriæ sententiæ calculum, finis legitimus imponatur, aut ad eum dilationis terminum, quem causæ natura poposcerit, deducatur.

TITVLVS XXXV. DE OFFICIALIBVS REIPVBLICÆ.

I. REX ROGERIVS.

OFficiales Reipublicæ, vel iudices, qui tempore administrationis pecunias publicas subtraxerint, obnoxii sint crimine peculatus, ac capite puniantur, nisi eis regia pietate indulgeatur.

II. IDEM.

OFficialis, qui sua negligentia bona publica deperire vel minui permiserit, in persona propria, vel rebus suis constituetur obnoxius, & hoc aspectu regiæ pietatis.

TITVLVS XXXVI. DE OFFICIO MAGISTRORVM, CAMERARIORVM, ET BAIVLORVM.

I. REX ROGERIVS.

IVstitiarios, camerarios, castellanos, & baiulos, solicitos esse volumus & devotos, ut ubi necesse fuerit, & pro commodis curiæ nostræ, per duanæ secretos, & quæstorum magistros, vel alios officiales extiterint requisiti, consilium & auxilium eisdem debeant impartiri.

TITVLVS XXXVII. DE OFFICIO MAGISTRI IVDITIARII, ET IVDICIS MAGNÆ CVRIÆ.

I. Imperator Fridericvs.

Nihil veterum Principum auctoritati subtrahimus, si iuxta novorum temporum qualitatem de nostro gremio nova iura producimus, & novis abusibus nova remedia reperimus. Habet enim illud ex officii necessitate præcipuum imperialis excellentiæ dignitas, ut si per rerum mutationes & temporum, ad eradicanda vitia, plantandasq; virtutes, non videntur hominibus vetera iura sufficere, nova quotidie reperire consilia, per quæ virtuosi ditentur præmiis, & vitiosi continuis pœnarum malleis conterantur. Considerantibus igitur nobis, ad laudabilem hominum regni vitam, statuta prædecessorum nostrorum Regum & Principum, quandam ex longæva guerrarum turbatione quodammodo contraxisse rubiginem, dum uti pacificè statutis eisdem homines nequiverint; in parte etiam (ut igitur salvo prædecessorum nostrorum pudore loquamur) propter sequentium temporum nova discrimina, statutis ipsorum defectu non modico laborantibus: statim post nostri receptum imperii diadema, necessaria nec minus continua nobis oportuit excogitare remedia, per quæ possemus veterum statutorum caliginem provisionis nostræ lima detegere, & consilii plenitudine supplere defectum. Sicq; nuperrimè diebus istis, dum ab expeditione Ligurum ad regnum nostrum Siciliæ quietem veniremus assumere, licet brevem, istius etiam modici temporis spatium dare nolumus ad requiem, quin etiam præterita nitamur absentiæ nostræ tempore stipendia commissa corrigere, & in futurum de statu pacifico nostrorum fidelium cogitare: & ut secundum ordinem singula tractaremus, curiæ nostræ prævidimus ordinare iustitiam, à qua velut à fonte rivuli, per regnum undique norma iustitiæ derivetur. Statuimus, ut magnæ curiæ nostræ magister iustitiarius, nobiscum in curia commoretur: cui quatuor iudices volumus assidere. Et ut magister iustitiarius curiæ nostræ supradictus de crimine lesæ maiestatis nostræ, & de feudis quaternis, & de quarta parte ipsorum feudorum, & de appellationibus ordinariorum, seu delegatorum nostrorum, ad nostram curiam interiectis, & de quæstionibus nostrorum curialium, qui immediatè nobis assistunt, de speciali conscientia nostra in curia commorantium, qui de curia nostra sine speciali mandato nostro non possunt recedere, nec non & miserabilium personarum, quarum est privilegium forum eligere, corporali præstito sacramento, quod adversariorum suorum fortè potentiã perhorrescunt, causas audiat, & iustitia mediante decidat, consolationes inferiorũ iudicũ pro sua iurisdictione recipiat, de iure consulentibus responsurꝰ. In aliis autem nulli liceat adversarium suum in nostra curia evocare, sed apud civiles & criminales iudices, prout eorũ quilibet ad causam cognoscere ex officio suo potest, adversarios suos citandi licentia concedatur. Hoc addito, quod de crimine lesæ maiestatis nostræ apud iustitiarios regionum, si hoc accusator elegerit, causas audiri volumus & decidi. Advenientibus etiam ad curiam nostram, pro quærenda iustitia, seu litteris impetrandis, primum inquiri

quiri præcipimus, si ad civiles iudices in civilibus causis, vel de maioribus ad maiores primum recursum habeant. Quod si fortè negaverint, ad ipsos cum robore, & expensarum factarum dispendio, sine litteris remitti iubemus. Ceterum, si per eos denegatam, aut detractam forè sibi iustitiam; præstito sacramento firmaverint, nomine supplicantis & iudicis, cum adiectione dicti rescripti concessi in memorabilibus actis, quæ super his specialiter fieri mandavimus, annotato, tandem infra scripta forma literas obtinebunt, quæ talis est. *Talis iure ad te remittitur, quod desuper intercluso negotio à te petitam iustitiam nequiverit obtinere, expediendus infra statuti temporis spatium per novas nostræ munificentiæ sanctiones.* Is autem ad quem huiusmodi literæ transmittuntur, omnes quotquot in forma præscripta officio suo durante acceperit, ab administratione remotus infra mensem continuum curiæ nostræ iudicibus, apud quos gesta de talibus residebunt, priusquam ad alterius ratiocinii calculum admittantur, per se non per procuratorem præsentare debebit, redditurus de quolibet examine iudicii rationem, ut quilibet vel de negligentia redargutus, pœnam legitimam, quam non formidavit, accipiat, vel de diligentia comprobetur in præsentia adversariorum, vel contumaciter fugitivorum, quæ per successorem suum ad instantem requisitionem ipsius peremptoriè citari debebunt, cum ipso nostræ curiæ se debeat præsentare, periurii pœnam probabili ratione refundat. Sanè si postquam inferiorum iudicum quæstionem ad se fortè delatam ad iurisditionem suam dubitat probabiliter pertinere, dubitationis suæ causam literis suis, non per partes ad curiam transmittendo, sed certum, infra quem responsionem expectet, partibus terminum profigendo, curiæ nostræ securè rescribat iuri & qualitati negotii, à nostra curia responsum idoneum recepturus.

TITVLVS XXXVIII. DE IMPETRANDIS LITERIS, A CVRIA MAGISTRI IVSTITIARII.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

Literas de remissione prædicta, vel de citatione super causis, & eorum processibus, ad magnam curiam nostram pertinentibus; nec non super inquisitionibus faciendis, & ad curiã nostram remittendis, & demum de qualibet iustitia, ordine supradicto servato, sub titulo nostri nominis, & speciali sigillo nostro, quod de iustitia fieri mandavimus, & quod apud iudices curiæ nostræ residere iubemus, de consilio prædictorum omnium iudicum scribi volumus, & etiam sigillari. Specialiter autem duobus iudicibus in curiá nostra statutis, qui secum unum notarium, ad hæc specialiter deputatum, habebunt, iniunximus, ut inquisitiones factas, & ad curiam nostram missas, cum omni diligentia videant, probata discutiant, & demum relatione ad magistrum iustitiarium & iudices nostros facta, si quæ sunt, quæ conscientia nostra non egeant, causas inquisitionum ipsarum, data copia partibus, quæ non subterfugii causam quærebant, reclamandi licentia, prædicti magistri iustitiarii & iudices cum summa cele-

ritate decidant. Denuntiationes autem pro nobis, vel contra curiam nostram factas, quas in posterum, denuntiatoris nomine non expresso, recipi prohibemus, per iudices ante factos discuti volumus, & secundum formam in denuntiationibus ipsis inferiori nostri nominis lege firmatam, commissiones de eis factas fieri, causas ipsorum instrui, & ad finem debitum deduci iubemus.

II. IDEM.

NOVA CONSTITVTIO.

PRæcipimus offerri magistro iustitiario omnes petitiones, tam de imperio, quam de regno; tam de iustitia, quam de gratia. Ipse autem eodem die consilio habito cum uno iudicum prædictorum, secundo die naturam petitionum omnium examinabit, easq; quæ ad suum officium pertinent, per se expediat, quæ sunt sigillandæ sigillo iustitiæ imperii, & sigillo cameræ, eas videlicet quæ sunt de forma; alias autem quæ conscientiam nostram requirunt, remittet ad libellensem nostrum, sub sigillo suo, per nuntium suum, vel per aliquem ex supplicantibus.

TITVLVS XXXIX. VT POST RENVNTIATIONEM INFRA DECEM DIES PRONVNTIETVR IN CAVSIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

HAc lege in perpetuum valitura censemus, ut tam magister iustitiarius, quam alii inferiores iudices, intra decendium, postquam renuntiatum est, pronuntient, à renuntiationis tempore numerandum. Et si talis quæstio emerserit, in qua nostra conscientia sit necessariò consultanda, vel superiorum iudicum consilium expectandum, magister iustitiarius prædictus per se, vel per unum ex iudicibus, circumspectionis nostræ responsum exquirat: in illis tantum casibus, in quibus nobis inconsultis procedi non potest, ut in his quæ curia tantum, vel si novus casus emerserit. Alii vero iudices, & si similis casus emerserit, fideli relatione factâ superiorum suorum responsum exquirant. Idem in inquisitionibus, & appellationibus dignoscitur observandum: videlicet, ut currat decendium in inquisitionibus, post responsiones factas in appellationibus, post earum receptionem. Nisi ambæ partes non sint præsentes, sed appellator tantum: ubi sunt præsentes post renuntiationem factam, ut supra.

II. IDEM.

NOVA CONSTITVTIO.

MAgnæ curiæ nostræ magistrum iustitiarium, velut iustitiæ speculum, in cognitionum nostrarum iudiciis collocatũ, non magis magisterii nomine iustitiarium ceteris præfici volumus, quam exemplo: ut in ipso ceteri gradus inferiores aspiciant, quod in seipsis observent. Quædam tamen eius in tantum specialiter sunt annexa iudicio, ut de eis absque delatione nominis specialius cognoscere non præsumat: de comitatibus videlicet, baroniis,

civita-

civitatibus, castris, & magnis feudis, quae in quaternionibus doanae nostrae baronum inveniuntur inscripta. Curialium etiam quaestiones, qui à curia nostra discedere sine mandato nostro, vel ordinariorum nostrorum, pro velle non possunt. Qui tamen immediatè nobis, vel officialibus nostris, non pro ipsorum servitiis, sed pro nostris assistant in aliquo, forsan ab eius officio constituti, sive agant, sive conveniantur, magistri iustitiarii examinent, & decidant. Qui etiam praerogativa speciali laetantur, ut illic adversarios suos in civilibus & criminalibus causis valeant evocare. Appellationes & consultationes inferiorum iudicum, seu etiam delegatorum à nobis, qui ad nostri culminis audientiam deferuntur, dum nobiscum in nostra curia commorantur, pro iurisdictione sua suscipiant audiendas, & sine debito terminandas.

III. IDEM.

HOnorem debitum atque praecipuum nostrae curiae reservantes edicimus, ut si quando etiam praedictus magister iustitiarius civitatem aliquam, vel locum intraverit, quousque in eodem loco magister iustitiarius ipse, una cum iudicibus nostris curiam nostram tenuerit, iustitiarii regionum, qui illic inventi fuerint, silere debebunt; utputa minori lumine per luminare maius superveniens obscurato.

TITVLVS XL. VT MAGISTER IVSTITIARIVS POSSIT EMENDARE OPPOSITIONES OFFICIALIVM, ET REVOCARE.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

MAgister iustitiarius iniunctiones, oppressiones, & concussiones inferiorum omnium iudicum, destitutiones etiam sine speciali mandato nostro, pro curia nostra factas, faciat emendare, & possessiones restitui destituto, nobis etiam inconsultis. Captivos etiam, nobis non mandantibus vel inconsultis, per iustitiarios, vel per alios captos, & iniustè detentos, faciat liberari.

II. IDEM.

NOVA CONSTITVTIO.

CAusas per magistros iustitiarios, camerarios in regno, vel per capitaneos in imperio, coram eis contra fiscum motas, & ad curiam terminandas, delatas super debitis, & rebus mobilibus, suo iure diffiniat. Item de modidicis immobilibus, sicut de domo una, & vinea una, quae non sunt magni pretii. Super aliis autem conscientiam nostram, quam citius poterit, per se, vel per unum ex iudicibus, consultabit. Hoc autem specialiter super curiae debitis observato, quod non tantum per instrumenta confessionum, sed per testes, qui naturali numerationi interfuerint, de debito probetur: nisi iudex, & notarius, & testes in instrumento subscripti, non de confessione tantum, sed quod ipsi interfuerint numerationi, testentur.

TITVLVS XLI. DE OFFICIO IVSTITIARIATVS.

I. Imperator Fridericvs.

IVstitiarii nomen & normam, ius & iustitiam contulerunt; quibus quanto magis in nomine sunt affines, tantò eorum veri & soliciti debent esse cultores. Hinc est quod ipsorum iudiciis causæ capitales maximè reservantur, & quod ipsorum officium debet esse gratuitum, nec ipsum licet alicui pretii venalitate mercari. Quæ igitur ad ipsorum cognitionem pertineant, prædecessorum nostrorum assisiis comprehensa, apertius diffinimus. Latrocinia scilicet magna, furta, fracturæ domorum, insultus excogitati, incendia, incisiones arborum fructiferarum & vitium, vis mulieribus illata, duella, crimina maiestatis, arma moluta, defensæ impositæ & contemptæ aliis vel pro aliis ab eisdem, & generaliter omnia, de quibus convicti pœnam sui corporis, vel mutilationem membrorum sustinere deberent. Magnum autem furtum accipimus, ultra viginti augustales, etiam si civiliter de furto ipso agatur: ut etiam tamen de quantitate minori coram iustitiario ad corporalem pœnam criminaliter possit accusatio intentari. Cognitionem civilium etiam causarum, in defectu etiam camerariorum & baiulorum, ad officium suum pertinere cognoscat. Defectus verò in camerariis & baiulis, tunc esse videtur, videlicet cum post duos menses, à die proclamationis ad ipsos factæ, causæ eis à superiori commissæ fuerint, nec conquerentibus in rationibus suis satisfaciunt, ut tenentur & debent, nisi instructionis desideratæ necessitas terminum exigat largiorem. Eodem per omnia observando in dominis, de quibus constiterit infra prædictum tempus ad requisitionem superioris, vel mandatum nostrum, homines nolle facere iustitiæ complementum. De feudis etiam, & rebus feudalibus, ipsi cognoscant; præter quæstiones de castris, & baroniis, & magnis feudis, quæ in quaternis doanæ nostræ scripta sunt: quæ omnia singulariter cognitioni nostræ curiæ reservamus.

TITVLVS XLII. VBI CLERICVS IN MALEFICIIS DEBEAT CONVENIRI.

I. Rex Gvilelmvs.

DE personis clericorum totius regni nostri volumus & iubemus, quod si de aliquo forisfacto, de quo persona iudicari vel condemnari debeat, appellatus fuerit, non à nobis vel à curia nostra, sed ab Ecclesia & in curia Ecclesiæ, de eo quod ad personam suam pertinet, iudicetur, & secundum Canones, & ius Ecclesiasticum condemnetur. Excepto, si de proditione aliquis fuerit appellatus, vel alio magno huiusmodi maleficio, quod spectat ad maiestatem nostram. Quod si acciderit, volumus & præcipimus, ut de hoc, quod spectat ad curiam nostram, in nostra curia iudicetur.

TITVLVS XLIII. DE PRÆSTATIONE SACRAMENTI, A MAGISTRO IVSTITIARIO, ET IVSTITIARIIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

INter cetera capitula, quæ in sacramento præstando à magistro iustitiario, seu iustitiariis, cum administrationem suscipiunt, continentur, hoc specialiter & expressius volumus contineri, ut Deum & iustitiam habendo præ oculis, unicuique conquerenti iustitiam faciant sine fraude: & quam citius poterunt, litigantes expedire curabunt.

TITVLVS XLIV. DE SERVANDO INDEMNITATEM COMITIBVS, BARONIBVS, ET MILITIBVS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

UT universis & singulis regni nostri nobilibus, honor debitus integrè conservetur, Comitibus, Baronibus, ac ceteris militaribus viris, eorum iudicia sibi invicem reservamus; videlicet, ut prædicti criminaliter accusati, vel etiam conventi civiliter, non nisi per Comites, & Barones, & eos, qui à nobis tantum feuda in capite tenent, non qui Comitibus & Baronibus aliis teneantur, diffinitivas & interlocutorias sententias, etiam quæ principali negotio præiudicium possint afferre, recipiant, cum proborum virorum iudicio, & aliorum nobilium consilio proferendas, & per eosdem Comites & Barones, interdum etiam de commissione ipsorum per curiæ nostræ iudices decidendas. Et quamquam Comites aliquando examinationi totius negotii non intersint, auditam tamen causam & plenè discussam iustitiarii & iudices nobilibus, qui sententiā debebunt ferre, seriatim enuntient, ut sicut antedicti Comites & Barones secundum constitutiones sacras nostras, aut in defectu ipsarum, secundum consuetudines approbatas, & demum secundum iura, quibus constitutiones prædecessorum nostrorum & nostræ non obviant, ac deniq; recepto responso celsitudinis nostræ, si causæ dubietas hoc requirat, causam secundum Deum & iustitiam terminare procurent. A quorum sententiis, si contigerit ad audientiam superiorū iudicum, vel nostri culminis provocari, appellationis iudex ordinarius, vel delegatus à nobis, (qui Comes similiter sit aut Baro) de aliorum Comitum & Baronum ac iudicum & proborum virorum consilio, appellationis causas honori nostro, & iustitiæ deferentes, confirmando vel infirmando priorē sententiam, decidere procurent. Quod non solum in iudiciis cognitionum nostrarum, sed in aliis etiam generaliter sive delegationis iure, sive ordinariè cognoscatur, inviolabiliter volumus obtineri. Et ut omnis omninò ab antedictis iudiciis possit abesse dubietas, Comites, & Barones, & similes, qui vel in magna curia nostra, vel alibi debebunt de cetero interesse sententiis, corporalia volum9 sacramenta præstare, de puræ cōscientiæ gremio, nihil favori vel gratiæ deferentes, iuxta sacratissimas prædecessorum nostrorū, Regum Siciliæ, & nostri nominis sanctiones, ac deinde secundū regni nostri obtentas

consuetudines & iura, & postremò de conscientiæ nostræ consilio sententias formare curabunt. Sententiæ tamen, quæ ante tempora præsentis legis, citra prædictam formam, contra Comites, & Barones, & similes latæ sunt, in suo robore perseverent.

TITVLVS XLV. DE PROHIBITA OFFICIALIVM NOSTRORVM OCCASIONE.

I. Imperator Fridericvs.

DVram & diram pœnam, & qualitati delicti minimè congruentem, Regis Guilielmi, divæ memoriæ, prædecessoris nostri, constitutione contentam, qua ordinatores & ordinati in vicariatus & iustitiariatus officio, & sine nutu & licentia regiæ potestatis, capitali sententia feriuntur, imperiali mansuetudine mitigantes decernimus, supradictos publicatis omnibus bonis suis, ab officio, quod sic illicitè usurpaverant, removeri.

TITVLVS XLVI. QVOD NVLLVS PRÆLATVS, COMES, BARO, OFFICIVM IVSTITIÆ GERAT.

I. Imperator Fridericvs.

EA quæ ad speciale decus, & merum imperium celsitudinis nostræ, spectare noscuntur, per præsumptiones illicitas volumus à nemine usurpari. Hoc igitur piè nostræ maiestatis edicto in perpetuum valituro firmiter inhibemus, prælatis Ecclesiarum, Comitibus, Baronibus, & militibus, locorum universitatibus, ne iustitiariatus officium in terris suis exercere audeant, vel gerendum alicui demandare: sed de magistris iustitiariis, & iustitiariis, ab excellentia nostra statutis, intendant. Contra præsentem autem prohibitionem nostri culminis satagentes, tam statuentes iustitiarios, quam statutos, totius terræ suæ publicatione multamus.

TITVLVS XLVII. QVA POENA VNIVERSITATES TENEANTVR, QVÆ CREANT POTESTATES ET ALIOS OFFICIALES.

I. Imperator Fridericvs.

CVm satis abundeque sufficiant officiales, à nostro culmine stabiliti ad hoc, ut tam in civilibus, quam in criminalibus causis unusquisque iustitiam valeat invenire, usurpationem illicitam, quæ in quibusdam partibus regni nostri invaluit abolentes præcipimus, ut amodo potestates, consules, seu rectores, in locis aliquibus non creantur, nec aliquis sibi autoritate consuetudinis alicuius, vel ex collatione populi, officium aliquod aut iurisdictionem usurpet. Sed officiales tantum nostra maiestate statutos, vel de mandato nostro magistros iustitiarios, iustitiarios, camera-

merarios, baiulos, & iudices, ubique per regnum volumus esse, & tam iura nostra, quam nostrorum fidelium ministrare. Quæcunque autem universitas inposterum tales ordinaverit, desolationem perpetuam patiatur, & omnes homines eiusdem civitatis angarii in perpetuum habeantur. Eum vero qui aliquid de officiis supradictis susceperit, capite puniri censemus.

TITVLVS XLVIII. DE IVSTITIARIIS, ASSESSORIBVS, ET ACTORVM NOTARIIS ORDINANDIS: ET DE OFFICIO IVSTITIARIATVS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

IVstitiarii per provincias statuantur, qui non sint de provinciis, quas sibi munificentia nostra decreverit, oriundi, nec in eis habeant incolatum, nec maiorem fortunarum suarum partem statuerint, ut assolet, in eisdem; nec ibidem per se, aut filios suos, præsertim acceptis in dotem rebus immobilibus, contraxerint parentelas. Assessores etiam, & actorum notarios, de decretis sibi provinciis oriundos, vel qui in prædicta causa fuerint, eisdem saluberrima provisione negamus. Et illud adiicimus, ut post assumptum officium originarios, sive municipes, destinatis familiis in familiam non assumant. Nec ante magistratum susceptum assumptus de criminibus & offensis contra eum, ante suum officium perpetratis, iustitiam audeat ministrare, nec adversarios eorundem ad querelam ipsorum coram sua præsentia venire compellat, nullo per hoc præiudicio familiaribus suis conqueri, vel accusare volentibus, in causis quarum cognitio præsenti nostra constitutione differtur, in posterum generando. De criminibus autem, violentiis, & iniuriis illis, post assumptum officium illatis, de quibus ad eos cognitio pertinet, eis sicut omnibus, de iurisdictione sua iustitiam ministrare procurent. Deinde generaliter prohibemus, ut in civilibus causis, præterquam de feudis non quaternatis, seu parte feudorum ipsorum, nec principaliter, nec per appellationem officium suum aliquatenus interponant.

TITVLVS XLIX. QVALITER IVSTITIARII SE GERERE DEBEANT IN PROVINCIA SIBI DECRETA.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

IVstitiarii non per Kalendas, ut assolent hactenus, sed continuè curias per se, vel per alios iudices suos, quibus nihil aliud quam audientia quæstionum debebit committi, regere debeant, causas audiant & decidant. Civitates & loca suarum iurisdictionum continua discursione perquirant, provincialium dispendiis ipsis ad remota loca propter iustitiam non vocando, quanto salubriter poterunt percituri. Flagrantia maleficia non ulterius protrahant, sed ipsis in locis, in quibus ea perpetrata repererint, punientes maleficos, ut puta famosos latrones, & fures, qui maleficia sua nulla nequeunt tergiversatione coelare, publicorum itinerum aggressores, seu quoslibet recentes & publicos homicidas, per me-

mora forsitan fugitivos, vel aliter latitantes, ob conscientiam criminum patratorum, per se, interdum per alios, expensâ etiam, si viderint expedire, de curiæ nostræ pecuniâ diligentissimè perquisitos, nullis delationibus seu accusationum solennitatibus expectatis, si deferentes vel accusantes defuerint de provincia, pœnâ legitimæ severitatis extirpent. Nec præsumptioni temerariæ per nos, nostrorumque officialium credatur attribui, id quod officii sui debito ad plenitudinem fragilitatis adiunxerit.

II. IDEM.

NOVA CONSTITVTIO.

CAusas alias ordinario iudicio audiant, & examinent, & decidant infra trimestris temporis spatium: nisi forsitan instructionis desideratæ necessitas, veluti si probationes ex longinquo petantur, terminum exigat longiorem. Super hoc specialiter à petente dilationem sacramento præstando, quod non causa differendi iudicii, sed ex necessitate præscripta, dilationem exposcat. Nec illud omittimus, quod occasione faciēdarum curiæ provisionum pro sententiis proferendis, partes ultra debitum non aggravēt, nec ipsos per provincias trahēdo post curiam, propter hoc laborum & sumptuum vexatione fatigent. Sed illas provisiones reputent competentes, quas iudex & notarius actorum, qui apud eos fuerint, sufficere pro negotiorum qualitate censebunt. Prædicti autem actorum notarii, & non iustitiarii, sicut olim, pecuniam omnem, tam ex provisionibus, quam unumquemque ex iustitiariorum officiis proventuram, ad generale pondus recipiant & conservent. Et de receptis infra diem receptionis, gratis faciant apodixas, & ipsi recipiant antapocham de solutis.

TITVLVS L. DE INQVISITIONIBVS FACIENDIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

INquisitiones generales, per provincias & partes provinciarum, ubi & quando expedire viderint iustitiarii, facere non omittant, de malefactoribus, & hominibus malæ conversationis & vitæ, per seipsos iudices & notarios suos, & non per alios simplices, quibus eas hactenus committebant. Comminabuntur autem prædicti iustitiarii, & comminationes observent, quod quicunq; de his, qui præsentes coram eis fuerint, vel ad quorum notitiam edictum de inquisitione generaliter facienda pervenerit, super iniuriis suis querela, aut de mala sua conversatione cuiuspiam, vel de aliquo crimine, vel maleficio in provincia patrato, veritatem non deposuerit, vel querelam, donec instantia faciendæ inquisitionis duraverit de maleficiis, usque ad illum diem inantea perpetratis, & iniuriis sibi illatis; ut accusator aut testis nullatenus exaudiatur, nisi iustam & probabilem timoris vel ignorantiæ causam ostenderit repellendus, propter quem edicti tempore conqueri, vel inquisitionem deponere minimè potuisset.

II. IDEM.

NOVA CONSTITVTIO.

HI qui per inquisitiones huiusmodi generales inventi fuerint notabiles, si tale quid contra eos probatum appareat, per quod mori non debeant, nec membro aliquo mutilari, & per decem aut plures, quos iustitiarii communi fama & bonæ opinionis invenerint, convicti fuerint, utpote quod rixatores, & frequentes delatores armorum (contra constitutiones nostras) quod lusores publici taxillorum, aut tabernarum frequentatores, quod ultra facultatem suorum proventuum, non ex mercationibus aut artificiis, largiorem quam debeant vitam ducant, ad publicum opus deputentur ad tempus, per literas iustitiarii magistro operum designandum, & eiusdem iustitiarii arbitrio iuxta probata, & personæ qualitatem, provida deliberatione taxandum. Quo transacto, cum literis suis magister operis teneatur dare gratis licentiam condemnatis, ad propria revertendi. Quod generaliter servandum censemus in omnibus, qui ad opera publica deputantur, ut designetur eis condemnationis tempus & causa. Vel si qualitas delicti poposcerit, quod in perpetuum condemnati, publicis operibus deputentur, hoc ipsum & sententia præsidis manifestè contineat, & literæ super hoc missæ manifestè declarent. Ceterum, si tale quid contra eos probatum extiterit, ex quo personam amittere debeant, vel membrorum mutilationem incurrere, aut perpetuo carceri macerari; tunc siquidem is, contra quem inquisitio facta fuerit, levis vitæ & malæ conversationis fuisse non probabitur, vel per quoscunque maleficus non probetur, inquisitionis ei copia tribuatur. Porrò si per ipsam inquisitionem, aut alias contra eum factas, levis conversationis & vitæ probetur, aut quod propter manifestam fugam ex maleficio fuerit forbannitus, & per decem bonæ opinionis viros, non inimicos delati, probatum fuerit contra eum, facta sibi copia nominum tantum omnium testium, non dictorum, nec eorum specialiter qui contra ipsum inquisitionem deponunt, ad condemnationem ipsius, iuxta qualitatem probati criminis, procedatur. De specialibus autem causis, & ad singularium delationes contra singulares personas factas, ad inquisitionem criminalem faciendam, minimè procedatur: præterquam in crimine læsæ maiestatis contra personam nostram, vel nostrorum collateralium, perpetrato, vel nisi speciale conscientiæ nostræ mandatum super inquisitione facienda habeatur. In quibus causis dandam vel negandam inquisitionis copiam plenè per inquirentem ad nos relatione præmissa certificatum est, nostræ maiestatis arbitrium provida deliberatione mandabit. Quæ quidem relatio continebit conditionem deferentis atque delati, & nomen & famam ipsius criminis, etiam qualitatem testium, numerum, & ipsas depositiones eorum; famã etiam eorundem, quatenus, ipsam per inquisitionem summariam, iustitiam scire potest. In prædictis etiam casibus, & omnibus aliis, quibus inquisitio facienda est, secundum iura communia, vel nostri nominis sanctiones, exprimendum est delatoris nomen; & omnes solennitates servandæ sunt, quæ veteribus legibus, & nostris constitutionibus, super delationibus & delatoribus editis, continentur. Præterquam in eo tantum crimine læsæ maiestatis nostræ, quod personam

nostram directo contingit, vel nisi iusta & probabilis per eum, apud quem delatio facta est, videbitur causa timoris, propter quam delator in publicum prodire formidet. Nihilominus tamen inquisitor hoc casu omnia teneatur ex officio suo circumspectè prospicere, tam in personis productorum testium, quam in omnibus circumstantiis aliis, & specialiter quis sit zelus delatoris, aut causa quæ ipsum ad ipsam delationem inducat: & generaliter sic omnia ex officio suo suppleat inquisitor, quod in aliquo ignorantia prædictorum delato nocere non possit. Quæ si per inquirentem perspicaciter observata non fuerint, inquisitio irritetur denuò facienda: ipso nihilominus de dolo vel negligentia, prout ex arbitrio nostro processerit, condemnando.

III. IDEM.

ITem dira & dura observatio, quæ hactenus obtinebat, videlicet quod si per inquisitionem contra aliquem factam per decennarium numerum probatur, non dabatur copia reclamandi, volumus, quod de cetero observetur: sed & per quemcunque probetur, copiam habeat accusatus, & in suis defensionibus audiatur.

IV. IDEM.

PRæsenti lege sancimus, ut nec magister iustitiarius curiæ nostræ, nec alii iustitiarii regionum, accusatores aut criminum delatores aliter ad iudiciorum ingressum admittant, nisi prius vinculum inscriptionis accipiant, prout veteribus legibus est inductum: ut desistentiæ pœnam atque calumniæ in calumniantes & desistentes constanter observent.

TITVLVS LI. VT IVSTITIARII ET VNIVERSI OFFICIALES, SEV IPSORVM FAMILIA NIHIL A LITIGANTIBVS RECIPIANT.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

APud iustitiarios regionum, & omnes alios inferiores magistratus, & iudices, difficultas & ordo cancellariæ, quem specialiter in magna curia nostra servare mandavimus, nullatenus observetur: nisi quo ad hoc, ut nec ipsi, nec officiales, aut familiares eorum, aliquid ab impetrantibus, seu litigantibus, omninò recipiant: nec esculentum, nec poculentum, etiam infra triduum consumendum. Quod si contra præsentem constitutionem nostram aliquid recepisse fuerint dilucida probatione convicti, siquidem pecuniam, equos, aut quælibet animalia, arma vel huiusmodi pretiosa, litigantibus, aut non litigantibus, vel impetrantibus, præter esculentum & poculentum, quod infra duos dies consumendum proximos, semel tantum, dum in loco permanserint, recepisse sufficiat. Et si à litigantibus aut impetrantibus esculenta & poculenta, seu iniectas, aut deductionem recepisse, vel promissiones de eis admisisse probentur, spoliati honoris cingulo, cum infamia eorum, quod in donatione vel promissione receperint, tanquam manifesti fures, quadruplum curiæ nostræ componant.

TITVLVS LII. VT IVSTITIARII HABEANT CERTOS ADVOCATOS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

IVstitiarios regionum certis & designatis advocatis in curia sua volumus esse contentos: sed omnibus qui iurisdictione sua advocationis officium à curia nostra receperint, coram se postulare permittent.

II. IDEM.

NOVA CONSTITVTIO.

PRæsides provinciarum de feudis non quaternatis, & rebus feudalibus, quæ à curia nostra tenent, nisi destitutiones nobis specialiter mandantibus factæ sint, suo iure cognoscant, instituto procuratore pro parte curiæ nostræ, præsentibus fisci patrono ac procuratore rerum curiæ nostræ, qui in provincia commorantur, & ipsas usque ad calculum sententiæ diffinitivæ perducant: deinde causas instructas, dato parti petitoris peremptorio termino, ad nostram curiam transmissuri.

III. IDEM.

IVstitiarii de cetero non compellant sibi continuè baiulos locorum assistere, cum discrera sint eorum officia: nec unius exercitium debeat per alium impediri.

TITVLVS LIII. DE TRANSACTIONIBVS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

POstquam citatæ partes coram iustitiario compareant, liceat ipsis legitimas conventiones & transactiones inire, præterquam in enormibus iniuriis. Ex quibus illas tantum reputari censemus enormes, quæ per iura communia designentur atroces.

TITVLVS LIV. NE FILIVS PRO PATRE, VEL ECONTRA, VEL FRATER PRO FRATRE CONVENIATVR.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

PAtres pro filiis, & ècontra, præterquam in crimine læsæ maiestatis, fratres pro fratribus, aut pro coniugibus coniuges, in dotibus aut in dotalitiis suis dispendium minimè patiantur: nisi fortè patribus, filiis, fratribus, aut viris exulibus, vel forsitan fugitivis, aut foriudicatis, præsentes alimoniam subministrent publicè vel occultè: quo quidem casu bona per excellentiam nostram dimissa præsentibus publicentur. Patribus tamen humanitate nobis suadente permittimus, ut cum ipsorum filii pauperes pecuniarias pœnas eludunt, & sunt corporaliter puniendi, sicut omnes qui propter paupertatem pœna pecuniaria puniri non possunt, pœnam pecuniariam exsolvendo filium liberare: non tamen ipsos ad hoc coarctamus invitos.

II. IDEM.

IVstitiarios regionum, prout prædecessorum nostrorum Regum Siciliæ constitutionibus est inductum, solicitos esse volumus & devotos, ut magistris camerariis, baiulis, & aliis officialibus, cum per eos extiterint requisiti, consilium, auxilium, prout ad iurisdictionem suam pertinet, debeant impartiri. Ceterum ad hoc, ut iustitiarii ipsi, cum personis sibi per nostram curiam deputatis, in dispendium rei familiaris suis laborare impendiis non cogantur, per speciales & sacros nostræ consuetudinis apices, prout status cuiuslbet pro tempore fuerit, statuimus eisdem in expensis annalibus & sufficientibus providere.

TITVLVS LV. VT IVSTITIARIVS ALIVM LOCO SVI ORDINARE NON POSSIT.

I. REX GVILELMVS.

OFficia quæ personis personaliter conferuntur, personas transgredi, quibus sunt collata, ne possint, magistrum iustitiarium, iustitiarium, qui alios hactenus loco suo vicarios statuebant, à licentia prædictæ præsumptionis illicitæ coarctamus. Cum enim causa aliqua singularis, quæ criminalis sit, ab aliquo alii regulariter committi non possit, multo minus prædictarum causarum universitas poterit delegari. Quisquis autem contra prædicta fecerit, ordinator & ordinatus capitali sententia se noverint subiacere.

TITVLVS LVI. DE IVRAMENTIS NON REMITTENDIS A BAIVLIS.

I. REX GVILELMVS.

CRebra nostrorum fidelium excellentiæ nostræ relatio patefecit, quod quidam baiuli nostri usq; adeo suæ baiulationis extendunt officium, quod sacramentales, quos causarum qualitatibus per sententiam iudicum præstari contigerit, baiuli ipsi interdum gratis, & sæpius pecunia, recepta remittunt. Quod reputantes iniquum, in posterum prohibemus, pœnam unius libræ auri in baiulum, qui contra fecerit, statuentes.

TITVLVS LVII. DE OFFICIO MAGISTRI CAMERARII.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

OFficiorum periculosa confusio, privatorum iura, qui iustitiam sitiunt, plurimũ confundunt. Sanè cum prædecessorũ nostrorũ discreta provisio ad hæc diligenter intenderit, ut publicarum personarũ officia segregaret, provisionem ipsorum effectu debito prosequentes statuimus, magistros camerarios, seu camerarios, qui à curia nostra officiũ camerariatus in credentiã recipiunt vel concludunt, de causis civilibus tantum, præterquam de feudalibus, pro sua iurisdictione ad requisitionem baiulorum, vel in defectu ipsorum, tantũ posse cognoscere, & ipas rationabiliter diffinire causas, quas inter baiulos

baiulos gabellatos, suæ iurisdictioni subiectos, oriri sepè contingit, ipsos audiri volumus, & finaliter terminare. Appellationes etiam, quas in causis civilibus in præsentia baiulorum, à sententiis iudicum ordine iudiciario cognoscentium, ad ipsorum audientiam (prout assolet) contigerit interponi, ipsos suscipere volumus. Et susceptis eisdem, ad confirmationem vel infirmationem sententiarum earum, prout viderint, de iure procedant, à quibus ad nos, & non ad iustitiarios, sicut olim, provocationes volumus interponi.

II. IDEM.

MAgistros camerarios regionum, assisias rerum venalium per singulas civitates & loca volumus ordinare, cum consilio baiulorum, aliorumque nostrorum fidelium loci, quos ad hoc viderint opportunos.

TITVLVS LVIII. DE OFFICIO SECRETI.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

PRæsenti lege decernimus, ut officium, quod per regias constitutiones & nostras, dohannæ de secretis, & quæstorum magister hactenus exercebant, à porta Roseti citra, magistri camerarii exerceant in futurum.

II. IDEM.

NOVA CONSTITVTIO.

DOhannæ de secretis & quæstorum magistri discretum officium ab aliis separantes, super quibus & de quibus per se vel per alios, quibus hoc specialiter destinaret, se intromittere debeat, præsentis constitutionis nostræ tenore duximus advertendum: in primis videlicet de thesauris inventis, & de pecunia absconsa ab aliquo, quorum domini per probationes dilucidas reperiri non possunt. Item de his, quæ de naufragiis curiæ nostræ debentur; cum ex naufragio, quorum res sunt, aliqui, vel ex eis successores legitimi, non supersunt, intromittere se debebit. Præterea si aliquis clericorum, qui hereditaria possederit, vel laicorum de terra demanii nostri, sine herede decesserit, nec filium vel filiam legitimam, aut aliquem ascendentium vel descendentium, aut ex latere venientium, qui ad successionem ipsius ab intestato possit de iure venire, reliquerit, nec testamentum fecerit, cum eius hereditas libera, & absque servitio curiæ fuerit, cum omni iuris solennitate publicè subhastata vendatur, & tertia pars pretii, pro quo vendita fuerit, pro morientis anima pauperibus erogetur, & residuum quæstoris officio nostræ curiæ reservetur. Nisi forte prænominatus secretus & quæstor nobis viderit expedire, ut æstimatione prædictæ tertiæ pro defuncti anima erogata, ipsæ res hereditariæ in fisci nostri possessione serventur.

III. IDEM.

IVstitiarios, camerarios, castellanos, & baiulos, esse volumus sollicitos & devotos, ut ubi necesse fuerit pro commodis curiæ nostræ, ac per dictum de secretis, & quæstorum magistros, vel officiales alios extiterint requisiti, consilium & auxilium eisdem debeant impartiri.

TITVLVS LIX. DE PRÆSTANDO SACRAMENTO BAIVLIS ET CAMERARIIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

PVritatem quam nos ipsi sectamur, ab officialibus nostri iudicii maximè præstolamur. Et ut in pœnam eorum, qui contra fecerint, ultionis divinæ iudicium nostræ indignationis aculeis aggregemus, præsenti lege sancimus, ut omnes camerarii & baiuli, priusquam in gabellam vel credentiam baiulationes nostras administrandas susceperint, tactis corporaliter sacrosanctis Evangeliis, in publico corporalia subeant sacramenta, quod purè, sine fraude, non amore, non odio, non prece, non pretio, nec timore, omnibus conquerentibus, absque personarum acceptione, prompto zelo iustitiam ministrare curabunt; & quod secundum constitutiones nostras, & in defectu earum secundum consuetudines approbatas, ac demum secundum iura communia, Longobarda videlicet & Romana, prout qualitas litigantium exegerit, iudicabunt. Curiæ nostræ demania & iura quælibet illæsa servabunt, & quod ipsa non negligantur, nec ea in alios nullo alienationis vel locationis titulo transferant, nec pro se occupabunt, aut occupari permittant; sed occupata & detenta ab aliis nostræ curiæ nunciabunt. Illud etiam in sacramento baiulorum expressim inserendum esse volumus, ut pœnas seu mulctas nostris constitutionibus comprehensas, ab his qui in eas inciderint, prout ad eorum officium seu cognitionem causæ pertinere noscunrur, nihil omninò honori & gratiæ deferentes, & sine diminutione requirant, & recipiant requisita. Nec à partibus pro scriptura sententiarum, præter infra scriptas quantitates taxatas, non plus recipiant, nisi quod est nostra constitutione provisum. Et iurare prædicti faciant gabellatos suos, quod nil ultra veterem formam, & nova statuta requirant, vel ab aliis extorqueant, nisi quod eis constitutio regni & nostra permiserit.

II. IDEM.

NOVA CONSTITVTIO.

MAgistri camerari, qui per quorumlibet præsidatuum regiones amodo statuentur, non vendant baiulationum officia, quæ ad administrandā iustitiam pertinent, in audiendis & diffiniendis quæstionibus, quarum ad eos cognitio ex iurisdictione, vel mixto imperio partium, seu veteribus legibus & nostris constitutionibus demandatur. Indignum namque fore decernimus, ut sacratissimum quisquam iustitiæ ministerium pretii venalitate mercetur. Sed baiulationes easdem committant viris fidelibus, & opinionis electæ prudentioribus, & generosioribus, ac ditioribus, prout locorum conditio

tio ministrabit, qui sint de demanio nostro tantum. Per loca quælibet unum tantummodo statuant, non plures: adeo ut nec societatis occultæ velamine, prædictæ baiulationis officium à pluribus administrari permittant. Et parvis autem civitatibus, locis, & municipiis, in quorum singulis baiulus unus, iudex, atq; notarius sunt necessarii, ne sine magno curiæ nostræ dispendio causari valeant, plura volumus insimul combinari, unius baiuli, iudicis & notarii, qui non sint de ipsorum locorum aliquo municipes, vel etiam oriundi iurisdictione regenda: ut tantum non de uno loco ad alium advocent litigantes, sed per vices & tempora locorum ipsorum sedeant, & ibidem, prout causarum qualitas & numerus exegerit, commorantes petentibus iustitiam subministrent. Baiulorum processus per singulas civitates & loca frequenti discursione perlustrent, defectus ipsorum, quos frequens & diligens inquisitio revelabit, suppleant & emendent: quorum singuli iudices unum de fidelioribus & prudentioribus loci, de creatis à nobis aut creandis ab eis continuum adiicient assessorem, & notarium unum actorum, similiter fidelem & cautum, ex his qui à nobis tabellionatus officium susceperunt: qui tam pro se per curiam nostram expensas statutas accipient, quam pro prædictis baiulis, iudicibus, atque notariis per loca quælibet ordinatis, ordinata stipendia ministrabunt. Concedimus etiam magistris camerariis supradictis, baiulos, iudices, atque notarios, quos in non recipiendis officiis forsitan invenerint pertinaces, pignoribus captis, vel per impositiones & exactiones mulctarum, prout melius viderint expedire: & demum si hæc contumacia clarior, & pertinacia durior prædictorum exegerit, per captionem personarum ad præsentiam nostram nobis in regno morantibus, alioquin ad regionum iustitiarios, sub fida custodia mittendarum, ipsos ad subeunda prædicta publica munera coërcere. A quibus etiam baiulis, iudicibus, & notariis, in publico sacramentum recipient, secundum formam veteribus legibus & nostris constitutionibus comprehensam. Doanas autem tam terræ quam maris, forestagia, plateatica, passagia, & alia tam vetera iura, quam nova curiæ nostræ, nostrorum fidelium fidei committere poterint, vel locare, prout melius fisci nostri profectibus viderint expedire.

TITVLVS LX. DE QVÆSTIONIBVS INTER FISCVM ET PRIVATOS MOVENDIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

NOVA CONSTITVTIO.

QVæstiones omnes, inter fiscum nostrum & privatos movendas, tam personales quam reales, quæ non sint de feudis, vel rebus feudalibus cognitiones atque iudicia, magistri camerarii accipiant, & ipsas adiunctis iustitiariis, cum contra fiscum agitur, & præsente fisci patrono, & instituto provido & fideli procuratore, pro parte curiæ nostræ, usq; ad sententias examinatas, dato parti alteri peremptorio termino, per nuntium & literas suas ad curiam nostram mittant. Vt tamen super quibuslibet

debitis, quæ à curia nostra petuntur, & quæ consistunt in numerō, pondere, & mensura, hanc formam observent; videlicet quod non per instrumentum tantummodo, sed per testes, qui numerationi naturali, mensuræ, vel ponderi personaliter interfuerint, non pauciores quinque, si petita quantitas auri libram excedat: alioquin per legitimum numerum petita probentur. Ceterum ad hoc ut ipsi magistri camerarii cum personis sibi per nostram curiam deputatis in dispendium rei familiaris suis laborare stipendiis non cogantur, per speciales sacros nostræ mansuetudinis apices, prout status cuiuslibet pro tempore fuerit, statuimus eisdem in expensis annalibus & sufficientibus provideri.

TITVLVS LXI. DE COGNITIONE CAVSÆ CORAM BAIVLIS CVRIÆ REGIÆ.

I. Imperator Fridericvs.

LOcorum baiuli, qui à magistris camerariis, & à curia nostra, quamquam in credentiam vel in extalium baiulationem recipiuntur, civiles causas omnes, reales videlicet & personales, quæ super feudis & rebus feudalibus minimè moveantur, ad iurisdictionem suam noverint pertinere. Super minimis etiam furtis, & aliis offensis, de quibus comprobati pœnam sui corporis, vel ablationem membrorum incurrere non deberent, audientiam suam impartiri debebunt.

TITVLVS LXII. DE FVRE CAPTO PER BAIVLVM IVSTITIARIO ASSIGNANDO CVM RE FVRTIVA.

I. Imperator Fridericvs.

BAiulus si furem cœperit, abire ipsum aliquatenus non dimittat: sed siquidem fur extraneus sit, ipsum cum toto suo & re furtiva iustitiariis nostris assignet. Si autem civis fuerit seu villieus fur, cum eo quod fuerit furatus, iustitiariis similiter nostris assignet; res autem mobiles ipsius furis, quascunque habuerit, per baiulos eiusdem loci fisci iuribus vindicentur.

TITVLVS LXIII. DE OFFICIO BAIVLI.

I. Imperator Fridericvs.

AD officium baiulorum præcipuè volumus pertinere, contemptas assisiarum pœnas, super ponderibus & mensuris à venditoribus rerum, & locatoribus operarum exigere, ac irremissibiliter extorquere: quas si in toto vel in parte dimiserint, de bonis suis proculdubio fisco nostro persolvent. Habebunt autem apud se baiuli prædicti mensuras,

pondera, & assisias scriptas, per seipsos & iudices suos, mense quolibet cum summa diligentia perquirendas; ne diu grassari valeant per ipsorum negligentiam transgressores. Pœnas bannorum etiam ab eisdem de consilio iudicum & aliorum nostrorum regni fidelium non ultra unciam puniendorum exigant, & sine remissione recipere non omittant. De quorum bannorum numero fore censemus, pœnas per ipsos partibus coram se litigantibus indicendas, quæ forsan irreverenter ad ipsos, vel invicem insolenniter in iudicio litigabunt: quæ tamen pœnæ quantitatem augustalis unius per vices singulas non excedant.

TITVLVS LXIV. DE MVTATIONE ET RECOMMENDATIONE PECVNIÆ.

I. REX GVILELMVS.

REgiæ maiestatis prudentia exigit, regni subiectorum consuetudines supervacuas radicitus extirpare. Hac igitur edictali lege sancimus, universos nostræ iurisdictioni subiectos, qualiscunque sit, qui rem vel pecuniam mutuò acceptam, vel apud se depositam commodatamque, vel quamlibet aliam rem, illis, quorum res esse constiterit, invitus ultra terminum vel legitimum tempus detinere tentaverit, creditore depositore, sive commodatore illæsis, tertia rei in causam deductæ debere mulctari, & eandem compendiis baiulationis nostræ acquiri. Sanè per præsentis pragmaticæ sanctionis edictum nostris fidelibus duximus distinguendum, quod si debitor non fuerit ad callida argumenta conversus, animumq; non habuerit creditorem suum, credito & debito defraudare, & sine dispendio creditoris & fatigatione aliqua in curia veritatem confessus fuerit, nulla varia exactione debitorem prægravari iubemus. Si autem veritatem debitor negaverit, & suis calliditatibus petitorem circumvenire voluerit, victus de toto eo, in quo fuerit adversario condemnatus, integram tertiam curiæ nostræ persolvat.

TITVLVS LXV. DE CLERICIS CONVENIENDIS PRO POSSESSIONIBVS QVAS NON TENENT AB ECCLESIA.

I. REX GVILELMVS.

SI quis clericus de hereditate, vel aliquo tenimento, quod non ab Ecclesia, sed ab aliis vel aliquo per patrimonium sive aliunde teneat, appellatus fuerit, volumus ut de hoc in curia illius, in cuius terra possessionem vel tenimentum habuerit, respondeat, & quod iustum fuerit faciat: non tamen ut persona sua exinde capiatur, vel incarceretur.

TITVLVS LXVI. DE SACRAMENTO PRÆSTANDO A BAIVLIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

BAiuli locorũ & iudices publicè, super iustitia ministranda, sacramenta præstabunt, quæ pręstanda per magistros camerarios præmissa cõstitutio nostra decrevit. Illud tamen sacramento baiulorum expressè vidim⁹ inserendũ, ut pœnas & mulctas veterib⁹ legibus & nostris constitutionib⁹ com-

prehensas, ab his qui in eas inciderint, prout ad ipsorum iurisdictionem & cognitionem causæ pertinere noscuntur, nihil omninò gratiæ & honori penitus deferentes, sine diminutione requirant, & recipiant requisitas.

II. IDEM.

NOVA CONSTITVTIO.

DE burgensaticis, petitorio vel quolibet possessorio, adipiscendæ, recuperandæ, vel etiam retinendæ possessionis, clericum seu etiam quemvis religiosum pecuniaria actione conventum, in civili volumus examine respondere; rei qualitate potius in hac parte, quæ petitur, quam personæ conditione, seu iudicii qualitate pensata.

TITVLVS LXVII. DE NVMERO BAIVLORVM PER LOCA.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

SÆpè contingit, quod multitudo officialium, qui de facili conveniri non possunt, litigantibus in ipsorum rationibus impedimentum inducat. Statuimus igitur, ut tres tantummodo baiuli, & non plures, in locis quibuslibet statuantur: & ipsos etiam de demanio, & homines demanii esse præcipimus.

TITVLVS LXVIII. VT CLERICI VEL IVDICES NON SINT BAIVLI: ET DE POENA FACIENTIVM CONTRA.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

CLerici quoque, quos à forensibus negotiis ipse ordo clericalis excludit, ad administrationem baiulorum, vel ipsorum officia nullatenus admittantur. Quod etiam ad iudices extendentes ipsos à baiulationibus, & baiulorum consortiis privatis & publicis removemus. Eosdem etiã publicatione bonorum suorum, si contra fecerint, condemnantes, baiulationes omnes ubiq; per regnum Kalendis Septembris inchoari præcipimus, sive in extalium, sive ad credentiam collocentur.

TITVLVS LXIX. IN QVIBVS REBVS PETATVR TRIGESIMA.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

COnstitutionum prædecessorum nostrorum defectum necessario supplemento supplentes, quæ in certis tantum quæstionibus & personis, commodato videlicet, mutuo, & deposito, baiulos tertiariam recipere statuebant, nec de aliis aliquid, sanctiones ipsis non modicam malignandi materiam offerebant, statuimus ut de causis aliis, tam mobilium quam immobilium, & quarumcunque rerum, quæ non cadunt in nomen

nomen contractuum prædictorum, si personali qualibet, vel alia actione reali petuntur, trigesimam tantum quantitatis, vel æstimationis rei petitæ, baiuli ipsi exigant & recipiant à damnato, cum causa per sententiam dicitur: sic ut iudicibus novella nostri nominis constitutio introduxit. Si vero causa transactionis remedio decidatur, tunc ab utraque parte litigantium recipiant trigesimam supradictam. Baiulus autem contra prædicta, vel aliquid supra dictorum veniens, quæ in nostris & regni assisiis continentur, præter periurii pœnam, in articulis iurisiurandi contentam, de quo divina sententia condemnatur, duas libras auri purissimi ærario nostro se noverit illaturum.

II. IDEM.

Circa tamen compilationes Neapoli, & straticotos Salerni, sed & Messani, (quibus cognoscere licet de criminibus) de speciali & antiqua prærogativa & regni nostri observatione dignoscitur esse concessum, ordinatione constitutionis præsentis nihil omninò innovari.

TITVLVS LXX. DE ORDINANDIS IVDICIBVS, ET QVANDO ET DE QVIBVS REBVS PETI POSSIT TRIGESIMA.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

Cvm circa iustitiæ tramites imperialis clementia oculos suæ provisionis advertit, & sui regiminis extollit fastigium, armando legum munimine imperatoriam maiestatem, & subiectorum gravamina & oppressiones relevat, qui sola post Deum magnificentiæ Principis lenitate respirant. Discreta itaque vicissitudine temporum, dum post bellorum strepitus obtentâ victoriâ succederet quies pacis, ad hoc se nostri nominis principalis ingenii erexit provisio, ut paci iustitiam sociaret. Ad quod itaque dum perpensæ deliberationis consilio vacaremus, distincta postmodum moderatione præscripsimus, quot & quales baiuli, iudices atque notarii, per urbes singulas iustitiam ministrarent, videlicet ut his, quos dudum invasorum regni nostri per diversas provincias concreavit iniquitas, penitus antiquatis, & in ipsorum loco de mandato nostro, aut duobus, aut tribus, aut quinque, in locis aliquibus, qui contractibus tunc intersint, & uno tantummodo, qui una cum baiulo causas examinent & decidant, viris providis & fidelibus substitutis, ut in novi Regis victoria novella iustitiæ propago consurgat. Qui iuxta tenorem nostrarum constitutionum, & iura & consuetudines approbatas, causas audiant, auditas examinent, & à gratiarũ munerum sordibus abstinentes, de puræ conscientiæ gremio gratuitas sententias proferant, non venales: nihil omninò præter esculenta & poculenta, semel tantũ in causis, per se vel per alium à litigatoribus capientes, sed de munificentia nostræ gratiæ salarium à curia nostra recipiant, prout unicuiq; prædictorum in locis singulis per nostram excellentiam est provisum. Statuimus etiam, ut trigesimam partem quantitatis in petitione deductæ, vel æstimationis petitæ rei, sub sacramento partis, & taxatione iudicum, ex utraque

parte litigantium, post diffinitivæ sententiæ calculum, vel causas transactione, vel amicabili compositione decisas, pro iudicaturis suis & subscriptionibus consequantur. Et statim oblato libello, & parti porrecto, in pecunia vel in pignore, pro curia nostra, pro se demum lite sententia vel transactione finita, centesimam inter ipsos æqualiter dividenda, baiulus, iudex, atque notarius, pro scriptionibus & subscriptionibus suis consequantur: præterquam in actione iniuriarum, in qua de eo tantum, quod in taxatione & condemnatione deducitur, vigesima persolvatur. Verum si possessionis in iudicio sola restitutio postuletur, tunc sexagesimam tantum recipiant, reliquam trigesimam sub decisione plenissima in petitorio percepturi, æstimatione possessionis cum sacramenti solennitate præhabita, ut est dictum: ut sic cum qualitate causæ vicissitudo solarii compensetur, & iudices curiæ non cogantur laboribus vacuis laborare. Ex compositionibus maleficiorũ etiam, quæ privatis personis, vel parti reipublicæ inferuntur, eandem partem à partibus vel officialibus curiæ iudicibus percepturis, circa quasi possessionem iurium, his omnibus, quæ in iudiciis possessionum rerum corporalium diximus, observandis. Ad cuius salarii præstationem partes aut sponte præstitis, vel suffragio curiæ receptis pignoribus, protinus arceantur.

II. IDEM.
NOVA CONSTITVTIO.

DE quæstionibus, quas inter homines prælatorum, Comitum, & Baronum, in terris nostri demanii, prout assolet, habitantes moveri contigerit, de quibus iidem prælati, Comites, & Barones, iurisdictionem aut curam habere noscuntur, volumus ut iudex per nostram curiam pro tempore constitutus, ad curiam prælatorum sive nobilium se conferat requisitus, causas ipsorum audiat, & debito fine decidat: tam trigesimâ quam pœnâ legitimâ sive mulctâ, per officium iudicis inferendâ, inter curiæ nostræ prælatos & nobiles supradictos, quorum vasalli litigantes extiterint, æqualiter dividendis. Ceterum si contigerit, ex litigantibus alterum hominem esse demanii, tunc trigesima tota, nec non & pœna, quam vasallum nostri demanii debere pati contigerit, ad baiulum nostri demanii redigentur: pœna vero, qua vasallus alterius punietur (prout in superioribus dictum est) inter fiscum nostrum & dominum condemnati proportionabiliter dividetur. Statuimus etiam, ut si quando iudex super examinandis quæstionibus ordinatus, absens necessario fuerit, vel adversa valetudine præpeditus, tunc siquidem longa futura fuerit infirmitas, vel absentia iudicantis, magister camerarius regionis statuat interim unum ex aliis iudicibus civitatis & loci, super conficiendis contractibus ordinatis, cui pro rata temporis in statutis expensis valeat provideri.

TITVL.

TITVLVS LXXI. DE SALARIO BAIVLORVM, IVDICVM, ET NOTARIORVM CVRIÆ.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

CVm iuxta providum & salubre consilium antiquorum, viam præcidere cupiditatibus cupientes, de camera nostra salaria baiulis, iudicibus, atque notariis exhibenda, non iniusta recompensatione providimus: ut obventiones omnes, quæ de trigesimis pœnis legitimis, seu iudicialibus mulctis, bannis, aut quibuslibet similibus aliquibus, nostris fidelibus inferuntur, baiulis seu iudicibus ipsis obveniunt, integrè nostris ærariis applicentur. De quibus omnibus magistri camerarii per singulos menses cum baiulis diligentem rationem expurgent, & relictis sibi pro se iudice atque notario, pro rata temporis statutis expensis, quod superest pro curia nostra servetur. Et ut cuiuslibet peculatus via cuilibet præcludatur, modum prævidimus, ut obventiones prædictæ sub infrascripta forma per præfatos baiulum, iudicem, & notarium recipiant, & receptæ serventur: videlicet in scrinio uno, tres claves diversas, & foramen obliquum, ad immissionem auri, habente. Quarum prædictorum quilibet unam apud se retineat, ubi percepta pecunia deponatur: quod non nisi in præsentia magistri Camerarii per omnes prædictos, aut ipsorum aliquem, valeat aperiri. Per singulos etiam menses quatuor à magistro Camerario de baiulis, iudicibus, atq; notarii processibus inquiretur, & demum anno perfecto per generales inquisitores à nostra curia destinatos, exactissima fiet inquisitio contra eos. Qui autem inventi fuerint per magistrum camerarium supradictum vel inquisitores culpabiles, videlicet quod odio vel amore, prece vel pretio, alicuius iustitiam facere petentibus denegassent, aut per fraudem infra statutum tempus iustitiam facere petentibus denegassent; vel quod suæ iurisdictioni subiectos per venales sententias, aut similibus aliis gravaminibus manifestis oppresserint, remissa inquisitione ad magnam curiam nostram, de periurio manus mutilatione mulctentur. Et si durante officio per camerarios in manifesta desidia inventi fuerint, non in dolo, tertia parte mobilium puniantur. Et ad officium suum baiuli & iudices prædicti pertinere cognoscant malefactores, in ipsis maleficiis deprehensos, & forbannitos, sine licentia curiæ redeuntes, & scientes receptatores eorum, capere de personis, iustitiæ assignandos. Ab aliis autem malefactoribus in terra præsentibus fideiussores recipiant, si eos dare potuerint, præterquam in criminibus exceptis: aut si ipsos dare non potuerint, eos personaliter capiant, iustitiariis similiter assignandos.

TITVLVS LXXII. DE POENA CONTEMPTORVM CVRIÆ IMPERIALIS.

I. Imperator Fridericvs.

Cum iustitiæ copiam per officiales nostros cunctis regnicolis mandaverimus elargiri, pœnam in eos, qui nostra iurisdictione contempta ad forum aliud, de his quæ ad curiam nostram pertinent, convolaverint, constitutione præsenti duximus statuendam; videlicet ut sive clerici, sive laici sint, confiscatione bonorum mobilium & immobilium, sive sint patrimonialia, sive feudalia, puniantur.

TITVLVS LXXIII. DE FERIIS, ET SALARIIS IVDICVM ET NOTARIORVM INSTRVMENTA SCRIBENTIVM ET SCRIBENDORVM: ET DE EORVM FORMA SERVANDA.

I. Imperator Fridericvs.

Baiulos, & omnes iudices, ac actorum notarios, à mane usque ad vesperas, præter necessarias horas comestionis & somni, sui copiam omnibus præstare præcipimus, officii sui partes petentibus omnibus præbituros. Exceptis diebus nativitatis Domini, paschalibus,atq; dominicis, ac beatæ virginis, & Apostolorum festivitatibus dedicatis; in quibus & iudices alii, qui annales erunt, se de audiendis & dicendis quæstionibus nullatenus intromittant: sed de contractibus & instrumentis conficiendis per notarios, prout est iuris & moris, pro scriptionibus & subscriptionibus suis tarenum unum, si libram auri contractus excesserit, alioquin dimidium recepturi. Huic constitutioni salubriter providimus inserendum, ut iudices atque notarii infra hebdomadam à die, quo fuerint de scribendo rogati, instrumenta scribere & subscribere teneantur, necessitate rogantibus imponendâ, statutum pro scribendis & subscribendis à curia nostra salarium exhibere: ac pœna dupli salarii constitutis partibus, nisi priusquam fuerint instrumenta conscripta, de non scribendis eisdem sub attestatione solenni renuntiationem emiserint; & iudicibus atque notariis imminente, si infra terminum præstitutum notarii sive iudices instrumenta non fecerint, vel facta per eos non recollegerint, qui rogarunt. Ceterum si casu contigerit iudicem sive notarium prius in fata concedere, quam instrumenta sint (prout ad eorum quemlibet pertinet) consummata, decernimus, ut si quidem partes supersint, vel ipsarum heredes, quarum rogatu contractus iterum valeant celebrare, per competentis coërcitionis modos, indictiones mulctarum videlicet, aut pignorum captiones, ad reficiendos contractus per baiulorum officium compellantur. Quæ partes, si fortè defuerint, siquidem notarius, qui gesta conscripserit, integræ vitæ, famæ, & opinionis

nionis extiterit, & manus eius, qui schedam conscripserit, nota sit aliis iudicibus atque notariis civitatis & loci, placet idoneorum testium, qui interfuerint, duorum ad minus iurata testificatione recepta, per alium eiusdem loci notarium schedam eandem recipi, & instrumentum, prout est iuris & moris, ab ipso conscribi, à iudice qui contractui sive negotio se interfuisse fatebitur subscribendum, vel ab alio iudice civitatis eiusdem, si fortè prius extiterit humana sorte sublatus: qui tamen rei agendæ non se interfuisse describet, & se qualiter inter acta præmortuorum iudicum, atque notariorum testium depositionibus roborata, nec scripti negotii seriem recepisse, testetur. Ceterum ad hoc ut ipsi baiuli cum personis sibi per nostram curiam deputatis in dispendium rei familiaris suis laborare impendiis non cogantur, per speciales & sacros nostræ mansuetudinis apices, prout status cuiuslibet pro tempore fuerit, statuemus eisdem in expensis annalibus & sufficientibus provideri.

TITVLVS LXXIV. INFRA QVOD TEMPVS CAVSA DEBET DETERMINARI.

I. Imperator Fridericvs.

OMnes baiuli locorum & iudices, causas in eorum iudiciis inchoatas, intra bimestris temporis spatium, à die citationis emissæ, diffiniant: nisi aut probationes ex longinquo petantur (sacramento specialiter super hoc præstito per petentem) vel alia manifestissima causa sit, propter quam causa intra prædictum terminum finiri non possit.

TITVLVS LXXV. DE SENTENTIIS IN SCRIPTIS FERENDIS.

I. Imperator Fridericvs.

AB omnibus regni nostri fidelibus, quemcunque dignitatis gradum aut iurisdictionis obtineant, observare præcipimus, quod omnes sententias diffinitivas in scriptis proferant. Quod si forte facere neglexerint, nullius momenti verbales & non scriptæ sententiæ reputentur. Ipsi quoque de suo damnum quodlibet, & expensas litigantibus resarcire cogantur.

TITVLVS LXXVI. DE SVMMARIA COGNITIONE CONTRA GABELLOTOS FERENDA.

I. Imperator Fridericvs.

AVctoritatem etiam baiulis inpartimur, ut ad querelas nostrorum fidelium summaria cognitione præmissa superexactiones restitui faciant, & rapinas, quas gabelloti, forestarii, platearii, portionarii, seu passagerii, contra veterem formam, aut contra nova nostræ curiæ statuta in fi-

deles nostros exercent: superexactionis & rapinæ pœna magistris camerariis, qui prædictos officiales instituerint, observata.

TITVLVS LXXVII. DE IVDICIBVS, ET NOTARIIS, ET EORVM NVMERO.

I. Imperator Fridericvs.

IN locis demanii nostri, ubique per regnum iudices non plures tribus, & notarios sex, volumus ordinari: civitatibus Neapolis, Salerni, & Capuæ tantum exceptis, in quibus quinque iudices, & octo notarios esse volumus statuendos, in quibus fere contractus omnes coram iudicibus & notariis celebrentur. Quos non (ut olim) à magistris iustitiariis vel camerariis, sed à nobis tantummodo ordinari sancimus: præter iudicem & actorum notarium, quos (ut prædictum est) poterunt magistri camerarii ordinare. Quos omnes etiam sub tali cautela decernimus promovendos, ut nullus iudex vel notarius publicus, nisi fortè sit de demanio, & homo demanii, statuatur: ita quod nulli sit servitio vel conditioni subiectus, nec alicui alii personæ Ecclesiasticæ vel seculari, sed immediate nobis tantummodo teneatur. Prædicti autem, tam iudices quam notarii, cum literis testimonialibus hominum loci illius, in quo statuendi sunt, ad præsentiam nostram, vel eius qui vicem nostram in absentia nostra in regno universaliter procurabit, accedant: quæ literæ testimonium fidei, & mores iudicis & notarii statuendorum continere noscuntur, & quod in ipsius loci consuetudinibus sit instructus. Examinationem autem litteraturæ, & etiam iuris scripti, nostræ curiæ reservamus.

TITVLVS LXXVIII. DE INSTRVMENTIS CONFICIENDIS.

I. Imperator Fridericvs.

COnsuetudinem, quam olim in aliquibus regni nostri partibus audivimus obtinere, dilucida constitutione cassantes decernimus, instrumenta publica, & quaslibet cautiones, per literaturam communem & legibilem per statutos à nobis notarios scribi debere: scribendi modo, qui in civitate Neapolis, ducatu Amalfiæ, ac Surrenti, atque eorum pertinentiis, hactenus servabatur, omninò sublato. Volumus etiam & sancimus, ut prædicta instrumenta publica, & aliæ similes cautiones, non nisi in pergamenis in posterum conscribantur. Cum enim eorum fides multis futuris temporibus duratura speretur, iustum esse decernimus, ut ex vetustate forsitan destructionis periculo non succumbant. Ex instrumentis in chartis papyri, vel alio modo, quam ut dictum est scriptis, nisi sint apochæ vel antapochæ, in iudiciis vel extra iudicia nulla omnino probatio assumatur: scripturis tantum præteritis in suo robore duraturis. Quæ tamen in prædictis chartis bombacinis sunt redactæ scripturæ, in prædictis locis Neapoli, Amalfiæ, & Surrenti, intra biennium à die editæ sanctionis istius, ad communem literaturam & legibilem redigantur.

TITVL.

TITVLVS LXXIX. DE IVDICIBVS PER IMPERIALEM CELSITVDINEM PROMOVENDIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

NOVA CONSTITVTIO.

CVm nova nostri nominis sanctione statutum sit, ut iudices de quæstionibus cognoscentes, per nostram celsitudinem debeant promoveri, iunctos etiam admezatores, qui per privatorum consensus ad decidendas quæstiones in prædictis locis, Neapoli, Amalfiæ, & Surrenti, & circumstantibus eligebantur hucusque, qui nullam aliam iurisdictionem habebant, nisi quæ ab eligentibus conferebatur eisdem, in posterum eligi prohibemus. Sed per iudices tantum à nobis statutos coram baiulis causas omnes examinari volumus, & per sententiam terminari. A quorum sententiis appellationes non ad compares vel adiunctos, ut dictum est, sed ad celsitudinem nostram vel officiales nostros camerarios iustitiarios, magistrum iustitiarium, sicut in reliquis regni partibus, deferantur. Arbitris super rebus, de quibus potest de iure in arbitros compromitti, propterea non negandis.

TITVLVS LXXX. DE FIDE ET AVTORITATE INSTRVMENTORVM, ET QVOT TESTES DEBEANT SVBSCRIBERE IN INSTRVMENTO.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

INstrumentorum robur & solennitatem augentes, ut de eorum fide nulla omnino in posterum dubietas possit oriri, statuimus, ut si quantitas, quæ in contractu deducitur, infra libram auri subsistat de mobilibus, vel immobilibus, & quibuslibet rebus aut causis, in instrumento duo testes bonæ & probatæ opinionis subscribant, præter iudicem & notarium. Si autem libram auri excedat, tres testes probatæ fidei (ut est dictum) præter iudicem & notarium similiter in eodem instrumento subscribant: qui debent esse (ut dictum est) omni exceptione maiores, & scientes literas, in locis in quibus literati poterunt inveniri: alioquin alii etiam assumantur. Contra prædictam autem formam instrumenta confecta in posterum nullam habeant firmitatem: illo tenaciter observando, ut in aliquo locorum nostri demanii clerici, cuiuscunque sint ordinis, in iudices & notarios nullatenus statuantur.

TITVLVS LXXXI. DE ADVOCATIS ORDINANDIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

ADvocatorum officium, qui dubia dirimunt fata causarum, non tam utile quam necessariũ reputantes, nostris constitutionibus duxim9 inserendum, quos sub tali forma volumus ordinari, ut non nisi exa-

minati per iudices curiæ nostræ, & per nostram celsitudinem approbati, in eadem curia nostra audeant postulare. Coram iustitiario similiter regionum per iudices, qui eis pro tempore assidebunt, examinari, & per eosdem iustitiarios postea approbari debebunt.

TITVLVS LXXXII. DE PRÆSTATIONE SACRAMENTI AB ADVOCATIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

ADvocatos tam in curia nostra, quam etiam coram provinciarum iustitiariis & baiulis statuendos, nec non & per partes singulas regni nostri, ante receptum officium tactis sacrosanctis Evangeliis corporalia volumus sacramenta præstare: quod partes, quarum patrocinium susceperint, cum omni fide & veritate, sine tergiversatione aliqua, adiuvare curabunt, ipsas de facto non instruant, contra veram conscientiam nullatenus allegabunt: & quod causas non recipiant desperatas; & si quas forte receperint, partis fortasse mendaciis coloratas, quæ iustæ sibi in principio videbantur, & in processu iudicii, vel de facto, vel de iure compareant ipsis iniustæ, ipsarum patrocinium in continenti dimittent, spretæ parti (prout priscis legibus est statutum) licentia convolandi ad alterius patrocinium deneganda. Iurabunt etiam quod augmentum salarii in processu iudicii non requirent, nec de parte litis ineant pactiones. Quod sacramentum non tantum semel præstitisse sufficiat, sed coram magistro iustitiæ & iustitiario regionum, anno quolibet renovabunt. Si quis autem advocatorum contra prædictam formam sacramentorum venire tentaverit, in aliqua causa parva vel magna, ab officio cum perpetuæ infamiæ nota remotus, tres libras auri purissimi fisco nostro componat. Denique clericos in secularibus causis & iudiciis omninò præstare patrocinia prohibemus, præterquam in causis suis propriis, consanguineorum vel affinium: item in causis Ecclesiarum ac miserabilium personarum: ita ut tunc etiam sine pretio valeant postulare. Si quis autem nostrorum fidelium officium ad advocandum ipsum admiserit, præsenti nostra constitutione contemta, libram unam auri sacro ærario nostro se illaturum agnoscat: advocato nihilominus, qui illicitum patrocinium recipere præsumpserit, eadem pœna mulctando.

TITVLVS LXXXIII. DE SALARIO ADVOCATORVM.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

HAc edictali lege iubemus, advocatos omnes pro eorum salariis, quandocunque ipsos in privatorum causis oporteat postulare, non amplius exigere, vel à litigantibus stipulari, quam sexagesimam partem causæ, pro qua suffragium spoponderant, si res quæ petitur æstimationem recipiat. Ceterum super his, quæ non poterunt æstimari, volumus advocatorum salaria iudicis arbitrio diffiniri, quemadmodum causæ status, & etiam rei sacræ, nec non & hominum, dum contra ipsos accusatio instituitur

tuitur, de tali crimine, de quo convicti capitaliter puniantur, vel alias contra ipsos procedi possit, iuxta criminum qualitatem: præterquam in actione iniuriarum, in qua volumus, à tempore oblati libelli, baiulos & iudices advocatorum salaria prætaxare, & ceteris aliis his similibus, quæ iura vetera præscripserunt.

TITVLVS LXXXIV. DE OFFICIO MAGISTRORVM PROCVRATORVM CVRIÆ.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

INter multas & arduas solicitudines nostras, quibus ordinata dispensatione disponere regno nostro satagimus nostrarum rerum fiscalium curam, quæ velut res nostræ quodammodo privatæ censentur, non improbabiliter vidimus collocandas earum procurationibus personas (idoneas præponere cupientes) per quas nobis sic iura nostra reddantur, ut in eorum iuribus fideles nostri propterea non graventur. Statuimus igitur, ut per quemlibet præsidatum unus magister procurator rerum nostrarum, & unus magister fundicarius debeat ordinari, qui iura fisci nostri percipiant, & percepta conservent. Qui etiam magister, procurator videlicet, per singulas iurisdictionis suæ partes, ad denuntiationes fidelium delatorum, vel nullis deferentibus, etiam (si viderit expedire) inquisitiones facere studeat diligenter. Et data possessoribus, post inquisitionis copiam, de iure suo contradicendi licentia, quæ ad ius curiæ nostræ pertinere compererit, fisci nostri iuribus studeat vindicare. Vt tamen post causam sufficienter instructam, & ad conscientiam nostram fideli relatione deductam, si possessor in contradicendo perstiterit, non aliter ad occupandam possessionem manus extendat, quam si super hoc de curia nostra mandatum receperit speciale. Prædicta autem postquam revocata per curiam nostram reperit possideri; demania etiam, & mortitia, excadentias, granaterias, piscarias, herbas aluminis, & generaliter omnia, quæ per nostram curiam procurantur, ad procurationis suæ sollicitudinem revocabit. Animalia autem curiæ nostræ, & omnes bestias massarias per curiam, & alias quæ præsenti pro tempore fuerint, cum diligentia debita faciat procurari. Et ex eorum proventibus tam curiæ nostræ, quam castrorum nostrorum necessitatibus & utilitatibus, ad requisitionem provisorum, super castrorum nostrorum provisionibus statutorum, faciat provideri. Stipendia autem, quæ in pecunia numerata consistunt, castellanis, & servientibus, ac personis aliis statutis in castris, per magistros camerarios regionum volumus ministrari.

TITVLVS LXXXV. FORMA QVALITER LOCANDÆ SVNT RES FISCALES.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

NOVA CONSTITVTIO.

SI quando forte contigerit, à magistris procuratoribus locationes excadentiarum nostrarum, per privatos & fideles nostros pro tempo-

re postulari, in ipsarum locationibus formam huiusmodi volumus observari, videlicet ut procurator privatus à locatione feudorum militarium, sive sint quaternata vel non, prorsus abstineat; & ab his, quæ sunt castrorum nostrorum munitionibus, vel nostris solatiis deputata, nisi super hoc de re petita conscientiæ nostræ scrineis mandatum recipiat iteratum. In aliarum autem excadentiarum locationibus, sic ipsos procuratores procedere præsenti constitutione sancimus, videlicet ut de fide & conversatione petentis conditione, ac valore petitæ rei, quæ scilicet ex eis præventibus proveniat, annuatim per fideles nostros primitus instruantur; & si petentem fidelem nostrum invenerint, eundemque bonum cultorem & frugi, ac res suas salubriter ac perspicaciter disponentem, nec in offensionem vel malevolentiam alicuius locationem expetere supradictam, placet tam super subhastatione, quam aliis legitimis solennitatibus observatis, quas & cautela iuris antiqui & nostri consuetudo deposcit (consilio magistri camerarii provinciæ nihilominus accedente) expetitas excadentias locationis perpetuo iure concedi, & possessores earum, quibus prædicto modo concessæ fuerint, perpetua securitate gaudere. Aut si eorum aliquis ad cautelam maiorem suam, seu successorum suorum, super locationibus ipsis confirmationem à nobis impetrare voluerit, idem magister procurator, una cum magistro camerario supradicto, sub sigillis suis iudicum aliorumque nostrorum fidelium loci, qui super hoc consilium dederunt, per literas suas curiæ nostræ distinctè describant locum, valorem, qualitatem, & quantitatem rei locatæ, quid & quantum curia nostra de re ipsa perceperat annuatim, cuiusmodi censum sive servitium percipere debeant de eadem, quid denique per locationem ipsam curiæ nostræ utilitatis accrescat, ut ex eorum plena relatione perdocti, deliberare possimus, an prædictam confirmationem concedere nobis expediat an negare. Ceterum ad hoc, ut magistri procuratores cum aliis personis sibi per nostram curiam deputatis, in dispendium rei familiaris suis laborare impendiis non cogantur, per speciales & sacros nostræ mansuetudinis apices, prout status cuiuslibet pro tempore fuerit, statuimus eisdem in expensis annalibus & sufficientibus provideri.

TITVLVS LXXXVI. DE LOCATIONE DEMANII.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

NOVA CONSTITVTIO.

AVtoritatem magistris procuratoribus indulgemus, demania nostræ curiæ fidelibus nostris ad modicum tempus non ultra quinquennium statuenda, & ad certam fructuum partem, prout poposcerit qualitas temporũ & locorũ, colenda concedere. Paludes etiam & nemorosa loca, quæ defensis nostris & publicis pascuis, seu lignorũ incidendorum usibus deputata non sint, cum indemnitate nostra, nec non de consilio nostrorum fidelium extirpanda & colenda cõcedant. Ceteris super his proventuũ parte vel censu, prout melius expedire viderint, constitutis, veteri nullatenus diminuto. Quæ si subhasta-

subhastatione & qualibet alia iuris solennitate servata, prædicto modo fuerint etiam in perpetuum colenda concessa, etiam perpetuo iure subsistant: præsertim cum à nobis seu successoribus nostris iidem procuratores locandum paludes & nemora supradicta nacti fuerint pro tempore potestatem, nec auctoritate nostra deceptos se doleant possessores, & laborum suorum & sumptuum incommoda pertulisse tristentur. Quæ in prædictis locationibus etiam per procuratores nostros, subhastationis & alia debita solennitate servata, confectis, volumus observari.

II. IDEM.

MAgistris procuratoribus nostræ curiæ specialiter prohibemus, ne eorum aliquis fideles nostros compellat invitos, iura curiæ nostræ, vel res alias iusto etiam pretio comparare. Illud tamen eis pro curia nostra permittimus, quod est ubique terrarum generaliter consuetum, quod eisdem nostris fidelibus interdicant, quod non ipsi prius iura sua, quam nostra, quæ in loco ipso fuerint, communi, iusto, & celeri pretio distrahant.

TITVLVS LXXXVII. DE OFFICIO MAGISTRORVM FVNDICARIORVM.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

MAgistros fundicarios curiæ nostræ, sicut quoslibet officiales nostros, puritatem omnimodam tam circa nos, quam circa fideles nostros volumus conservare. Ideoque præcipimus, ut iidem magistri fundicarii nihil emant, aut emptum in fundicis intromittant, sine testimonio baiuli, & iudicis civitatis & loci, publicæ scripturæ suffragio roborando. Procurabunt autem magistri fundicarii, fundicos salis, ferri, & azarii, & mercium exituras, quæ fundicandæ per curiam nostram sunt statutæ: præter victualia; quorum exitus aliis officialibus per nostram curiam specialiter est commissus. Volumus autem prædictos fundicarios ab infrascriptis nostrorum fidelium gravaminibus abstinere, quod non compellant eos in maiori quantitate sal emere, quam ipsi voluerint, dummodo prohibeant & diligenter observent, quod extra provinciam sibi decretam provinciales sui vel in magna vel in modica quantitate sal non emant in provinciam deferendum. Pœnâ publicationis bonorum omnium emptoribus, seu quibuslibet alienis, sal præter mandatum speciale curiæ nostræ deferentibus, præstitutâ: nisi ab ultramarinis partibus in navigiis sal deferatur, quod non alii, sed curiæ assignetur pro pretio, quo cum curia convenire poterunt deferentes. Mercatoribus, ementibus sal ab eis, & ipsis iura curiæ nostræ solventibus permittatur, quo voluerint intra provinciam, & pretio quo poterunt distrahere, nec certo loco, seu à certo venditore tantummodo sal homines comparare compellant. Mercatores etiam ad civitates, ubi sunt fundici, venientes, exoneratis & depositis mercibus, quæ fundicari debent in fundicis, ubi vel quo voluerint per civitatem hospitari permittant. Pœnâ publicationis mercium mercatoribus imminente, qui alio loco merces fundicandas, sine speciali mandato fundicarii, de-

posuerint, vel modo quolibet ius fundici fraudare seu furari tentabunt: dum tamen fundicarii caveant, quod nullas res alias, præter eas quæ in novis statutis fundicari seu donari mandavimus, mercatores, seu quoslibet distrahentes, fundicare seu donare compellant.

TITVLVS LXXXVIII. DE PROHIBITA CVRIALIVM COMMERCIONE.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

Communiter tam iustitiarii, quam camerarii, omnesque alii provinciarum annui officiales, ab infrascriptis abstinere debebunt. Videlicet quod durante prædicto tempore magistratus eorum, nec ipsi, nec iudices, aut notarii, nec familiares eorum, mutuum in provinciis sibi decretis à suis provincialibus, in pecunia vel rebus aliis, accipiant. Domos vel quascunque possessiones ab eis in provincia ipsa nullo prorsus alienationis titulo, etiam in emphyteutico iure accipiant, matrimonia sive sponsalia, nec etiam contractus ineant cum eisdem: poena publicationis bonorum omnium, & amissionis officii cum infamia, officialibus contra hoc venientibus imminente. Quod præterquam de victui necessariis, quemcunq; contractum de mobilibus, vel immobilibus, seu se moventibus, cum hominibus inierint, cum suæ iurisdictioni subiectis: creditoribus autem alienantibus ac contrahentibus omnibus publicationem pecuniæ mutuatæ, & conventi pretii, dotium etiam præmissarum quarumlibet, deinde rerum in contractu venientium, eis imminere cognoscant.

II. IDEM.

NOVA CONSTITVTIO.

VT officialibus & procuratoribus nostris quibuslibet propter expensarum defectum negligendi res nostras non sit occasio, vel meliorandi causa non desit, volumus & mandamus, ut ad requisitionem ipsorum omnes proventuum nostrorum actores, pro reparandis castris & domibus nostris, plantandis & colendis vineis, seu quibuslibet aliis possessionibus nostræ curiæ procurandis, sufficientem pecuniam subministrent. Ceterum si ad requisitionem ipsorum actores nostri eis petitam pecuniam subministrare noluerint, mandato celsitudinis nostræ nullatenus expectato, volumus ut castellani vel procuratores ipsi pecuniam de proventibus administrationis suæ, vel de suo proprio, in necessitates vel utilitates nostras confidenter expendant, ne occasione mandati nostri, quod super hoc à nobis non habent, aut dispendia vereantur: quin expensam ipsis de ærario nostro restitui faciamus, vel in ratiocinio suo per rationales nostros excomputetur eisdem.

III. IDEM.

NOVA CONSTITVTIO.

OMnes officiales nostros abstinere præcipimus à gravaminibus, quæ nostris fidelibus hactenus inferebant, mittendo ipsos interdum pro deferenda

renda pecunia ad ærarium nostrum, seu pro quibuslibet aliis curiæ nostræ servitiis, interdum ipsorum animalia capiendo, & nec ipsis personis statutis per curiam nostram expensas, nec pro vecturis animalium mercedes similiter diffinitas aliquatenus exolvebant. Quod qui fecerint, de bonis suis expensas, & mercedes eisdem hominibus curiæ nostræ tantundem exolvere compellantur.

TITVLVS LXXXIX. DE OFFICIO CASTELLANORVM ET SERVIENTIVM.

I. REX GVILELMVS.

CAstellani & servientes ab incarceratis, qui ab eadem incarceratione quacunque hora exciterint liberati, nihil omnino recipiant. Si autem in eodem carcere noctem incarceratus fecerit, non plus quam dimidium tarenum pro liberatione ab incarcerato ipso volumus postulari.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

SI quis Castellanorum vel servientium, ultra id quod ab incarceratis ipsis recipere regia constitutione permissum est, receperit, in nonuplum, id quod iniustè perceperit, fisco nostro componat: simplo, quod à prædictis sic iniustè receptum est, ipsis omni modo reddendo.

III. IDEM.

CVstodes, de quorum custodia captivi per negligentiam ipsorum evaserint, bonis suis omnibus publicatis per annum squalore carceris decernimus macerari, ut carcerem incarcerati ipsimet non deserant, qui incarceratis custodiendis aliis negligentiam commiserunt. Hi autem qui per fraudem incarceratos abire permiserint, iuxta antiqua iura, capitali sententia feriatur.

IV. IDEM.

CVlpam non immerito reputantes, aliquem immiscere se rei ad suum officium minimè pertinenti, præsenti constitutione inviolabiliter prohibemus magistris castrorum, castellanis, & servientibus eorundem, ut extra castrorum situs sine speciali conscientiæ nostræ mandato nullo negotio terræ ipsius, in qua castrum situm est, se aliquatenus palam intromittere audeant vel occulte. Si quis autem de prædictis contra fecerit, ab officio ipso remotus pœnâ quinquaginta Augustalium, fisco nostro inferendâ, mulctetur. Servientibus etiam expressius inhibemus, ut extra castrum non exeant, sine licentia speciali Castellani. Et cum ipsos de castellis ob aliquam causam exire contigerit, plures quam quatuor insimul potestatem non habeant exeundi. Servientes autem contra prædicta temere attentantes, pœnâ quatuor Augustalium puniri volumus; aut si non habent de peculio aliquid, per dimidium annum ad opera publica deputari.

II. IDEM.

NOVA CONSTITVTIO.

CAstellanorum civiles excessus per magistros camerarios regionum, criminales vero per provinciarum iustitiarios, durantibus etiam ipsorum castellanorum officiis, audiri volumus, & secundum iustitiam emendari.

TITVLVS XC. DE APPARITORIBVS ET EORVM SALARIO.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

IN civilibus causis baiulos & iudices regni nostri formam huiusmodi volumus observare; videlicet quod ad petitionem agere volentis baiulus reum futurum citari faciet per apparitores suos, qui iurent de veritate dicenda, de quibus unum aut duos, tres aut plures, prout qualitas loci exiget, habere debebit. Apparitori autem pro qualibet citatione, infra civitatem aut locum facienda, granum auri ab actore præbeatur; extra civitatem, aut pro quolibet miliari, granum unum. Et erit quælibet citatio baiuli peremptoria, continens terminum tertii diei in civitate, computatis die citationis, & die quo sisti debebit in iudicio. Extra civitatem vero si citandus in eadem provincia fuerit, quarti aut quinti, aut demum octavi: extra provinciam vero mensis unus, prædictis diebus similiter computatis. His quæ per sacras nostri nominis sanctiones in citationibus per magistrum iustitiarium curiæ nostræ, vel iustitiarii regionum, ediximus, suo robore duraturis.

II. IDEM.

NOVA CONSTITVTIO.

SIc nostra servitia perfici volumus, ut occasione ipsorum fidelium nostrorum aliquis contra iustitiam non gravetur. Ideoq; præsenti constitutione decernimus, ut nullus officialis ipse equos habeat, aut occasione servitiorum vel nuntiorum nostrorum compellat aliquem equum, vel iumentum, asinum, vel quodcunque vehiculum alicui commodare: sed pretio pro servitiis nostris licet. Quod si non habet licentiam habeat, aliqua compellendi animalia pro servitiis nostris, pretio unius tareni auri per diem, cum homine; vel sine homine, pro dimidio tareno locare. Ceterum si locata animalia per manifestam ductoris negligentiam, vel quod ipsa ultra statutam diætam per malitiam duxerit, mori contigerit, iuxta æstimationem trium vel quatuor bonorum proborum virorum fidelium, per quos priusquam locatio fiat, æstimationem locandi vehiculi volumus fieri per curiam nostram, domino resarciri iubemus. Nullus etiam officialis compellat aliquem, equos suos vendere, nisi iusto pretio curiæ nostræ; quos & per quatuor bonos viros volumus æstimari.

TITVL.

TITVLVS XCI. VT NVLLVS OFFICIALIS COGAT ALIQVEM AD OSTENDENDVM TITVLVM SVÆ POSSESSIONIS: ET QVOD NVLLVS OCCVPET.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

AB officialibus nostris fidem exigimus, & industriam expectamus. Cuiusdam tamen superstitiosæ solicitudinis causam ab ipsis vidimus removendam, per quam zelo solicitæ fidei, quam non habent, fideles nostros indebitis vexationibus interpellant, quærendo ab eis titulum possessionis suæ, & causam: cum nihil per curiam nostram de speciali vel communi iure contra pacificos possessores proponatur ab eis, vel propositum approbetur, nisi quod occasione dominii generalis, quod in rebus & iuribus omnium subiectorum nostrorum habemus, speciales ab eis rationes exigimus. Volentes igitur talium versutiis obviare, vexationes huiusmodi fidelibus nostris illatas, vel in posterum inferendas, præsenti constitutione nostra, Deo propitio valitura perpetuo, prohibemus: sed si quas rationes & iura Cæsariani nostri curiam nostram in rem cuiuslibet possessoris habere confidunt, privilegiis fisci nostri servatis, illa fideliter & solicitè prosequantur. Nihilominus fidelibus nostris omnibus, sub pœna fidelitatis, qua nobis tenentur astricti, mandamus, rationes & iura nostra, ut de cetero non occultent. Sed nullis aliis delatoribus expectatis, ipsi se deferant, procuratorum nostrorum ignaviam forsitan sua diligentia recludant, & fidelitate compensent. Ceterum si quis in posterum iura nostra scienter quadam occultatione suppresserit, in quadruplum omnium fructuum à die sententiæ perceptorum possessores huiusmodi condemnamus.

TITVLVS XCII. DE NVMERO OFFICIALIVM, ET VSQVE AD QVOD TEMPVS EORVM ADMINISTRATIO DVRET.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

OCcupatis nobis circa totius rei nostræ publicę curas, delitiosum nihil aut modicum cogitantibus, non sunt laborum additamenta, sed requies, quæ de componendo statu regni nostri Siciliæ cogitamus. Vtpote cum inter cetera, quæ iuribus nostris paternæ successionis reliquerit debitum, vel fortunæ felicitas acquisitionis postmodum aggregavit, regnum Siciliæ præ ceteris, velut electum quoddam viridarium inter agros, cura præcipua colere disponimus: ad illud potissimè satagentes, ut eradicatis in totum amaritudinibus, fructibusque nocivis, in eo pacis & iustitiæ robora affluent, & provide nutriantur: ut sit admirantibus omnibus similitudinibus speculum invidia Principum, & norma regnorum. Et cum statum pacificum populorum iustitia roboret, & ordo decoret, id ordinarium fore prævidimus, ordinare iustitiam, quam copiosè mandavimus regni nostri fidelibus ministrari, ut non tam ordo quam copia sacrum & providum nostræ voluntatis propositum præconizet. Ad cuius consummationem cura perspicua laborantes, necessarium duximus officialium omnium, per quos iustitia colitur, & culta petentibus ministratur, taxare tempus officii, & nu-

merum præfinire, ne vel confusione numeri pluribus præstet prædæ materiam, vel infinitas temporis grassandi licentiam tribuat longiorem. Statuimus igitur, ut per provincias singulas, quæ certis iustitiariatuũ & camerariatuum terminis limitantur, non plures quam unus iustitiarius, & unus magister camerarius ordinetur; quorum iustitiarius quilibet iudicem unum continuum, & notarium unum actorum habebit: in civitatibus singulis unum tantummodo baiulum, & iudicem unum, qui causarum cognitionibus prosit, iuxta præmissam nostræ mansuetudinis formam, per magistrum camerarium, & tres iudices, qui gesta conficiant per nostram excellentiam volumus ordinari. Civitatibus Neapoli, Messanæ & Capuæ tantum exceptis, in quibus propter contractuum multitudinem, quinque iudices & octo notarii creabuntur, ita quod nullus magister iudex aliquatenus sit in regno. Horum officialium omnium tempora, præter notarios, qui ubique terrarum perpetui statuantur, anni circulo præcipimus terminari: nisi vel eminens administrationis industria, vel substituendi defectus, nobis aliquando quibus solum ordinationem iustitiariorum (ubicunque fuerimus) reservamus, temporis spatium de necessitate, prout suaserit prorogandum.

II. IDEM.

IVdices ubique locorum, remotis perpetuis hactenus ordinatis, ut est dictum, annui viri illustres & fideles, & iurisperiti, si unquam in regno reperiantur, idonei decernantur. Quod si competitores habeant forsitan promovendum, de utriusque meritis testimonio suorum concivium, & examinatione sollicita doceatur, ita quod in officiali promovendo discretio, & in remoto iustitia conservetur. De notariorum & iudicum manibus in conficiendis publicis documentis veritas intemerata procedat, in quibus si falsitas fuerit vel corruptela probata, non mutilationis manus, ut olim, sed decapitationis supplicium ultimum temerarius patiatur. Iudices secundum formam constitutionum nostrarum, & iura communia, & consuetudines approbatas, quæ constitutionibus non resistunt, de purissima conscientia causas audiant, ut tamen ipsas nec alibi quam apud baiulos civitatum, in curiæ nostræ prætorio, ubi consueverunt iura decerni, vel apud alium qui iurisdictioni præest, discutiant & audiant quæstiones. Quod enim iudicibus supradictis ordinariis iurisdictiones concedimus infra annum, non sic accipi volumus, ut apud ipsorum prætoria, ex litigantium forte consensu, quæstiones accipiant; sed in præsentia baiulorum nostrorum ipsas examinent, & fine debito studeant terminare.

TITVLVS XCIII. QVANTO TEMPORE IVSTITIARII POST OFFICIVM DEPOSITVM IN CIVITATIBVS MANEANT.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

VOlumus, & præsentis legis edicto sancimus, ut iuxta formam iuris antiqui, post finitum officium iustitiarii & camerarii degradati cum officialibus suis per quinquaginta dies continuè commorentur, infra quos omnibus de iurisdictione sua licentia libera tribuatur, defectum ipsorum

ipsorum in publicum producendum, quod circa mandata nostra vel fisci nostri commoda, servatorum iura fraudulēter aut perperam processissent. Nec minus contra ipsos inquisitiones, iuxta solitum morem, cum omni diligentia fieri mandamus: & demum, simul per inquisitionis officium, vel delationes aliquorum, officialis inventus fuerit culpabilis aut dolosus, propter damna, quæ per ipsum nobis aut subditis integrè volumus resarciri, transgressionis suæ pœnam, quam nostra sententia dictaverit, sustinebit. Nec illud omittimus, quoniam sicut maleficos & iniustos, querelarum vocibus accusari, & censuræ nostræ vigore feriri mandamus; sic iustissimos & vigilantissimos iudices publicis acclamationibus collaudari, & munificentiæ nostræ præmiis decorari velimus.

TITVLVS XCIV. DE IN IVS VOCANDO.

I. Imperator Fridericvs.

SI quem nostrorum fidelium ad proclamationem de aliquo, coram magistro iustitiario curiæ nostræ, vel regionum iustitiario, necessitas forte compulerint vel voluntas: si quidem adversarium suum in curia ipsa repetierit, quem ob aliam specialem causam & iustam non venisse constiterit, vel quod ibidem ea perfecta subsistat, de ipso recepturus iustitiam, protinus conqueratur. Ob aliam autem causam veniens, sive civiliter sive criminaliter impetatur, revocandi domum ius poterit impetrare: verumtamen recepto prius termino peremptorio, quam recedat, in quo se debeat curiæ præsentare. Cuius spatium, ut omnis omnino frustrationis occasio à iudiciis excludatur, præsentis legis serie duximus annotari, & pro locorum diversitate distingui. Vt si conventi domus à curia distet per octo diætas, aut pauciores octo, tanti temporis dilatio concedatur, quod per sex dies domi moratus, diætis competentibus numeratis, pro qualitate itineris & personæ ad curiam revertatur. Si autem per x. diætas domicilium eius à curia distare noscatur, per prædictum modum de numeratione dierum & diætarum habita diligenti ratione, tantum temporis impetret ad regressum, quod deducto tempore itineris, & reversionis ad curiam per octo dies domi valeat commorari. Ceterum si ultra decem diætas distat à curia domicilium fugitivi, quantumcunque distantia allegetur, dinumeretur temporis ad iter & reditum competens, ut est dictum. Quo studiosè & diligenter dimisso, dato (prout prædictum est) peremptorio pro reditu, tam in casu præsenti, quam in omnibus supradictis, domi sibi liceat per dies XII. commorari. In quibus omnibus dilationibus si venire contempserit impeditus, contra ipsum ex peremptorio, quantum de iure procedi poterit, procedatur.

TITVLVS XC. DE LITERIS CITATORIIS.

I. Imperator Fridericvs.

EDictorum ordinem priscis legibus stabilitum ad breviorem modum reducere cupientes, ut ex eis in posterum nulla quæstionis materia possit oriri, apertissima constitutione sancimus, ut citatoriæ literæ per iudicem & baiulum destinandæ, non ut olim ad ipsum eundem qui citandus fuerit, ab aliquo per adversarium suum transmittantur: sed per aliquem bonum virum, qui in illis partibus, ubi reus degere dicitur, commora-

tur, assignentur eidem: vel per specialem citantis nuntium eædem literæ destinentur, vel per quodlibet edictum aliud citatorium etiam sine scriptis fiat. In quibus literis debet dilucidè contineri, coram quo, & à quo, & de qua re, ac cuiusmodi quærimonia deferatur; & tempus expressum, in quo per se tantum, si criminalis sit accusatio, vel per se vel per alium, si civilis quæstio moveatur, citatus debeat in curia comparere. Citatio fiat una pro omnibus, quæ peremptorium continebit terminum triginta dierum ad plus, à die citationis receptæ continuè numerandorum, in quacunque parte regni citandus manere dicatur: plerumque etiam brevius spatium indicetur, ex qualitate temporum, & proximitate locorum, vel si causa sit urgens, propter quam tam longũ tempus concedi non possit. Si vero extra regnum is, qui citandus est, degat, LX. dierum spatium citatio continere debebit. In termino autem peremptorio citatus comparere tenebitur per se, vel per alium, si civilis est quæstio; & legitimè principalis causa defendi, aut pro ipso excusatio legitimè allegata probari debet, propter quam in termino prædicto sibi dato non potuerit, vel non debuerit, in curia præsentari.

II. IDEM.

Citationis literæ, tam per iustitiariũ, quam per baiulum transmittendæ, ipsi eidem qui citandus fuerat, si eius copia haberi poterit, sub publicæ personæ testimonio, vel præsentia duorum vel trium testium assignentur. Quod si ubi sit, qui citandus fuerit, ignoretur, vel inventus haberi ad se aditũ non permittat, sufficere volumus, quod denuntiatio domi fiat, in qua uxor eius, vel filii, vel alia specialis familia commoretur: recepto à familiaribus sacramento, quod citationem factam, quam primum poterunt, ad notitiam citati perducant. Si vero domus non aperiatur citare volenti, literas citatorias in limite domus poni iubemus, sub testimonio supradicto; & extunc, XXX. vel XL. dierum tempus, quod in se literæ continent, continuum numeretur. Quæ omnia per eum, cui fuerit commissa citatio, volumus expediri, & seriatim citanti rescribi. Illa in posterum dubietate summota, quod is cui facienda citatio extiterit denuntiata, mandatum ipsum, tam per se quam per alium fide dignum, cui specialiter hoc commiserit, exequatur cum hoc, non ut iudex causæ, sed ut quilibet minister alius ad faciendum aliquid assumatur, nec causæ cognitionem hoc continet, quod mandatur, ut per libellum non valeat expediri. Quæ omnia volumus in posterum obtinere, sive civiliter quis, sive criminaliter impetatur. Prædictis autem modis, vel quolibet prædictorum citatus, si per se non compareat, nec ab alio legitimè defendatur, vel pro ipso legitima excusatio proponatur, à iudicibus contumax reputetur.

TITVLVS XCVI. DE POENA CONTVMACIÆ IN CIVILIBVS CAVSIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

POEnam novem unciarum auri, & tertiæ, quæ contra contumaces hactenus in iudiciis obtinebat, à nostra republica proscribentes, contu-

contumacem cuiuscunque conditionis sit, conventum civiliter, vel criminaliter accusatum, tertia parte bonorum mobilium, nostro ærario inferenda, in posterum mulctari censemus. Sic enim & iudiciorum vigor augebitur, & personarum competens discretio inducetur. Plerumque etenim contingebat, aliquem vilem & pauperem in prædictis novem unciis condemnari, qui non tantum aliquando, & aliquando amplius non habebat, in quo mulcta prædicta, nedum fines modestiæ, sed severitatis etiam terminos excedebat. Contingebat interdum nobilem aliquem, & in facultatibus opulentum, pœnam ipsam eludere; dum nihil fere diminui de patrimonio providebat: sed quota detracta mobilium, æqualem pro qualitate personarum contumacibus pœnam imponit. Civilibus autem causis coram baiulis agitandis citatus contumax, pro qualibet contumacia, & per quemlibet mensem, quo in ipsa duraverit, augustalem unum curiæ nostræ persolvat.

II. IDEM.

CONtumacem civili & personali actione conventum, ex nova constitutione nostra, tertia mobilium parte mulctatum, antiqui iuris regulis inhærentes, ante litem contestatam, missionem in bonis pro mensura debiti declarati, quod ab ipso exigitur, pati censemus. Si tamen contumax hereditariarum rerum & feudalium possessor extiterit, in possessionem hereditariarum primitus, deinde feudalium actorem inducendum esse censemus.

III. IDEM.

SI quis post litem super personali actione in civili iudicio contestatam, contumax fuerit; siquidem iudici ex his, quæ coram eo acta sunt, possit de causa liquere, ad diffinitivam sententiam contra contumacem, vel pro eo, prout qualitas quæstionis exegerit, procedatur: ei qui prædictis modis contumax fuerit, quos nova nostri nominis constitutio introduxit, appellationis remedio, iuxra divorum Principum prædecessorum nostrorum placita, denegando. Si vero ex his quæ acta sunt, ad diffinitivam sententiam procedi non possit, secundum ordinem proximæ constitutionis nostræ, in possessionem bonorum contumacis, pro modo debiti declarati, missione secuta, liceat petitori iudicem competentem, qui edictum citationis emisit, adire, & de adversario suo, qui ad iudicium venire contempsit, latitationem probare: videlicet quod se specialiter animo & proposito subterfugiendi iudicium absentaverit; quo probato, venditionem rerum hereditariarum à iudice, quas pro prædicta contumacia possidebat, poterit impetrare. Quod si de latitatione probare actor non velit, forte nec possit, sed absentiam tantum contumacis incusat; tunc usque ad annum integrum, à die commissæ contumaciæ, ipsum præcipimus expectari: quo transacto, venditionem hereditariarum rerum à iudice, quas ob adversarii sui contumaciam prædicto modo possederit, impetrabit. In feudalibus autem cum hereditaria non supersunt, sive contra latitantem, statim latitatione probata, sive post annum, contra contumacem tantummodo distrahendis nostræ celsitudinis conscientiam & mandatũ, si nobis hoc mandare placuerit, requiri censemus: ita ut prædicta feudalia, ex decreto nostro tantũmodo, non alterius iu-

dicis distrahantur. Eadem censura, quæ contra latitantes inventa est, de venditione bonorum, latitatione probatâ continuo facienda, servanda contra evidentem & expressum contumacem, qui ad iudicium aperte dicat se venire omnino non velle, ita ut nihilominus, etiam si iudex viderit commode fieri posse, per eundem reipsa & personaliter venire ad iudicium compellatur. Captus autem per iudicem modo prædicto, in contemptus sui pœnam in tantum debet custodiæ carceris mancipari, quamdiu instantia cœpti iudicii, quo impetitur, perseveret. Contra prædictam autem formam, venditionem tam rerum hereditariarum quam feudalium, per obreptionem vel gratiam impetratam, ipso iure nullam esse censemus.

IV. IDEM.

QVæstiones iurisperitorum, super declaratione debiti facienda, competenti moderamine decidentes sancimus, si quando declaratio debiti, pro cuius mensura missio in possessionem bonorum contumacis est facienda petatur, mixtam considerationem habere volumus personarum: nec non etiam & quantitatis in iudicio declarandæ. Nam siquidem Comes fuerit, qui quantitatem ipsam debeat declarare, sacramento ipsius Comitis tantum usque ad quantitatem centum unciarum auri credatur. Baroni autem de L. unciis: simplici militi de XXV. Burgensi autem bonæ opinionis & diviti, de libra auri una. Aliis autem usq; ad tres uncias, iurantibus tantum, nulla alia in posterum probatione quæsita, volumus esse credendum. Vltra autem prædictas singulas quantitates, ab actoribus communis iuris probatio exigatur per authentica instrumenta, videlicet per testes fidedignos, & omni exceptione maiores.

V. IDEM.

REi vindicatione conventus, lite nondum in iudicio contestata, si contumax fuerit, præter prædictam pœnam tertiæ partis mobilium, curiæ nostræ debitam, item missionem in possessionem rei petitæ, adversario assignandam, causa custodiæ patietur: ita videlicet, ut anno transacto actor verus & perpetuus possessor, per lapsum temporis spatium, efficiatur. Litê verò contestata super actione reali, si de causa non liquet, rei petitæ possessio petitori vera & perpetua assignetur. Ceterum si de causa non liquidum, prout in personalibus cautum est, iudex ad decisionem causæ, prout viderit de iure, procedat.

VI. IDEM.

SIve reali sive personali actione conventus, & contumax reputatus, si infra legitima tempora possessionem rerum feudalium ob suam contumaciam assignatam recuperare voluerit, tantum minus nomine fructuum à possessore requirat, quantum pro servitio, quod curiæ nostræ de re possessa debetur, possessor exoluit. Ad hoc enim, ut servitiorum nostrorum exactio non frustretur, ab illis feudorum servitia debita volumus exigi, qui feuda ipsa quolibet titulo detinere noscuntur. Illud nihilominus præsenti coniungimus sanctioni, quod possessionem citatus contumax nullo modo recuperet

aret assignatam, nisi prius augustali, vel augustalibus debitis, curiæ nostræ solutis, pro contumacia iam contracta, & si quid de his baiulus citato dimiserit, de proprio suo curiæ nostræ componat.

TITVLVS XCVII. DE TRACTATV TERMINI CONSTITVTI.

I. Imperator Fridericvs.

Contingit interdum actorem simul & reum civilibus causis, recepto ab eis peremptorio termino, vel per curiam ipsis dato, ad iudicium non venire: quo fit ut eorum dispendium iudicii processum impediat, & honori & autoritati iudiciali illudat. Igitur manifestius diffinimus, utrumque scilicet actorem & reum in decima parte motæ litis, pro æqualibus portionibus esse mulctandos: si expresso consensu sine licentia curiæ terminum prorogaverint, vel non veniendo tantummodo desides arguantur.

II. idem.

NOVA CONSTITVTIO.

MVlieres ad curiam nostram, vel alicuius officialis nostri præsentiam venientes, nullatenus admittantur: sed in ipsarum pœnam, quòd præsentare se conspectibus publicis non verentur, expediri eas, priusquam ad propria redeant, prohibemus: nisi tanta personarum vel rerum inopia prægraventur, quòd in aliorum defectum ipsas oporteat personaliter laborare.

TITVLVS XCVIII. DE PACTIONIBVS INHIBITIS, ET DE VOLENTIBVS A LITE DISCEDERE.

I. Imperator Fridericvs.

SPonte volentibus à lite discedere, pacta etiam vel transactiones inire, post citationem emissam ante litem contestatam, tantum in civili iudicio, absque ullius contumaciæ pœna, licentiam partibus non negamus: post contestationem vero litis habitam, sine licentia & iure curiæ, expressius hoc partibus inhibemus. Quod si hoc facere in fraudem iuris nostri tentaverint, eius tertiam, quod pro transactione actori exoluit conventus, absq; diminutione aliqua fisco nostro componat. Si autem reus aliquid actori pro prædicta occasione dederit, & nihil aut minus se dedisse (in dispendium curiæ) mentiatur, in eiusdem infiscationis pœnam duplum tertiæ supradictæ, quam confessus dare debuisset, exolvat. Quæ omnia diligenter per officiales nostros inquiri volumus, ut sicut cuilibet ius suum inviolatè servamus, sic in iure nostro perpeti non possumus.

TITVLVS XCIX. DE PRIVILEGIIS EORVM QVI CITATI EXTRA CIVITATEM NON VENIEBANT, ET PRIVILEGIORVM IRRITATIONE.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

PRivilegia quibusdam locis à nobis, vel prædecessoribus nostris indulta, nec non consuetudines in locis ipsis obtentas, veluti Messanæ, Neapoli, Aversæ, Salerni, vel aliis quibuscunque, per quæ citati à curia nostra, vel à iustitiariis regionum, super causis, quæ ad eorum iurisdictionem spectare noscuntur, se hactenus tuebantur, ne loca ipsa tenerentur exire, ad iustitiam faciendam; ac propterea citationibus spretis pœnam contumaciæ evitabant, & sic licentius maleficia committebant, præsenti constitutione irrita & inania esse censemus. Sed omni omnino discretione submota, quicunque & undecunque fuerit à iudice competenti citatus, si contumax sit in civilibus vel in criminalibus causis, pœnis subiaceat, nostris constitutionibus introductis.

TITVLVS C. DE CONTVMACIA ALICVIVS VNIVERSITATIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

DVbitationem iurisperitorum non tam benigna quam necessaria legum interpretatione tollentes, statuimus si quando universitas aliqua regni nostri, personaliter & civiliter conventa & citata, contumax apparuerit, nec inveniatur commune eius aliquid, quod propter ipsius contumaciam ab adversario valeat coërceri, vel super quo diffinitiva sententia valeat executioni mandari, singulos de universitate prædicta ad collectam compellendos esse iubemus; qui in collecta ipsa conferant pro modo facultatum suarum, ut sic ex eo, quod ex collecta ipsa redactum in commune fuerit, interlocutoriæ vel diffinitivæ sententiæ satisfiat. Circa pœnam etiam contumaciæ, curiæ nostræ debitam, hanc formam in universitatibus volumus observari, ut contumacia ab universitate contracta, pro dinumeratione cuiuslibet focularis, dimidius augustalis nostræ curiæ debeatur: ita videlicet, ut si mille focularia ipsa universitas habeat, quingentos augustales pro pœna contumaciæ universitas tota fisco nostro persolvat. Quæ quantitas inter habitatores loci ipsius pro modo facultatum proportionaliter dividetur, sicut in collectis aliis hactenus fieri consuevit. Quod etiam in criminalibus causis locum habere censemus, tam circa contumaciæ pœnam, quam etiam circa diffinitivas sententias proferendas, in causis, ex quibus condemnatis pecuniaria pœna ex earum qualitatibus, vel ex nostro iudicio irrogatur.

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

CONSTITVTIONVM NEAPOLITANARVM SIVE SICVLARVM LIBER SECVNDVS.

TITVLVS I. DE POENA CONTVMACIÆ IN CRIMINALIBVS CAVSIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

GRandis utilitas, ac necessitas evidens, nos inducunt, ut accusationum ordinē, priscis legibus institutum, maleficiorum crescente nequitia, in ea parte potissime corrigamus, qua malefactores interdum contemptus & contumaciæ vitium vel pœnam patratis sceleribus aggregantes, sine temporis præfinitione vagari, in ipsorum etiam plerumque dispendium, & aliorum iniuria permittebant, defensionem eisdem nullo temporis spatio præcludentes. Quo fiebat ut ipsi purgare suam innocentiam non curarent, & accusatores arguere eorum nocentiam non valerent. Hac igitur edictali lege, nostri nominis titulo præsignata, persequimur contumaces, & qualiter contra ipsos, in iudiciis criminaliter & capitaliter accusatos, qui sui copiam in iure non faciunt, procedatur manifestissimè declaramus. Eos namque inprimis tertia parte bonorum mobilium, sicut in nostris constitutionibus est expressum, mulctandos esse iubemus, quam sacri ærarii nostri compendiis aggregamus: bona reliqua iuxta antiquam formam, quæ contra absentes requisitos est prodita, volumus annotari. Quæ anni circulo à die annotationis elapso, cum per annotantis literas publicè innotuerit, fisci nostri commoditatibus acquirantur. Si vero habeat liberos annotatus, ipsos denique per magistrum iustitiæ & iustitiarios, quibus de contumacia eorum contracta liquebit, banniri mandamus, & divulgari publicè fore bannitos. Bannum etiam & causam banni, pro qua bannitus aliquis fuerit, & diem bannitionis, etiam in præsentia magistri iustitiarii & iudicum curiæ nostræ, in actis volumus contineri: si quando per magnam curiam nostram citatus & contumax, bannitionis pœnam incurrit. Humanitate tamen antiquis legibus annotato servata à nostra celsitudine volumus non negari, ut eis scilicet infra annum prædictum redeuntibus, bona recuperare liceat annotata, tertia tantum parte mobilium in omnem eventum apud nostram curiam remanente, ut impunitam fore contumax suam contumaciam non lætetur.

TITVLVS II. VT VNIVERSITAS ACCVSATA ET MVLIERES IN CRIMINALIBVS CAVSIS POSSINT ORDINARE PROCVRATOREM.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

GEneralia iura condentes, tam in causis contra singulares personas, quam in his quæ contra universitates moventur, interdum nostræ celsitudinis studium excitamus. In criminalibus igitur causis, & capitalibus accusationibus, quas contra universitates locorum à privatis personis, vel universitatibus contra universitates alias, vel privatas personas moveri contingit, altercationem iurisperitorum in perpetuum decidentes, syndicum, quemadmodum in civilibus causis, permittimus & præcipimus etiam ordinari; iuris civilis rigore in perpetuum quiescente, quod in publicis iudiciis procuratorem frustra intervenire debere præscripserat. Nam cum difficultate & impossibilitate quadam interveniret, dum universitas tota per se, sine ingenti periculo convenire vel conveniri non possit, de necessitate oportebat inferri, quod maleficia contra ipsam vel ab ipsa commissa, impunita manerent: quod nec honori nostro, nec subiectorum nostrorum commodis dignoscitur expedire. Huiusmodi etiam nostræ humanitatis gratiam ad mulieres coniugatas extendimus, ut in criminalibus & capitalibus causis, per maritos & alios, quos voluerint, procuratores legitimos & sufficienter instructos, si hoc elegerint, valeant in iudiciis comparere: sive ipsæ accusent, suam aut suorum iniuriam prosequentes, sive ab aliis accusantur. Sententia tamen in criminalibus, tam in præsenti quam in casu præscripto, contra ipsas principales personas effectum debitum sortiatur.

TITVLVS III. DE FORBANNITIS ET FORIVDICATIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

POenam eorum, qui in contumacia perseverant, dignis dispendiis prosequi cupientes statuimus; si quis infra annum, à die banni edicti numerandum, coram magistro iustitiario & iustitiario qui eum bannierat, minimè comparuerit, vel etiam coram successore eiusdem, bonis suis, ut præscriptum est, infiscatis, post ipsius anni decursum eundem foriudicari debebit, nulla omnino licentia postea remanente, se super principali causa criminis defendendi. Sed perinde habeatur, ac si confessus de crimine, de quo accusatus fuerat, esset per diffinitivam sententiam condemnatus. Sic foriudicatus habebitur, prout in aliquibus nostri imperii partibus nuncupatur, quasi foris omnem aditum iudicii constitutus. Interim sibi iudicii limina præcludentur, quod se contumacem etiam fuisse negare non possit, qui nec per se tempore tanto comparuit, nec per alium prætendentem legitimam causam suæ absentiæ & probantem

ntem extitit excusatus. Nulla sibi appellationis seu supplicationis remedia foriudicatus superesse cognoscat, quo ad omnia fere pro mortuo habeatur, & hostis publicus reputetur, sic ut ab omnibus offendatur impunè. Adeo quod si ipsum occiderit aliquis, nullam proinde calumniam vereatur, sed præmium à gratia serenitatis nostræ expectet: ad hoc videlicet, ut si occiderit aut acceperit bannitum vel foriudicatum, siquidem ipse bannitus aut foriudicatus fuerat, qui bannitum aut foriudicatum prædictis modis offenderit, aut detexerit latitantem, banni vel foriudicationis pœnam, quam incurrerat, in præmium suæ fidei & probitatis evitet. Secus autem si foriudicatus bannitum tantum receperit: quo casu quia eum quæ minori vinculo tenebatur offenderit, maiorem pœnam, foriudicationis sententiam scilicet, non evitet. Sed in casu præsenti pro Comite, quem cœperit aliquis, qui foriudicatus vel bannitus non fuerat, C. augustales, pro Barone L. pro milite simplici XXX. pro burgensi XII. pro rustico VI. de liberalitate nostri culminis consequetur: offensionis vel occisionis etiam, ut dictũ est, capienti licentia non negata. De licentia namque legis offenditur, qui subterfugiendo iudicium legis præcepta contempserit. Quod si forte motus clementia, qui foriudicatum cœperit, offendere vel occidere noluerit eundem, sed ipsius mortem iudici, cuius audientiam fugiendo pœnam promeruit, reservare si voluerit, iustitiario, qui ipsum banniverat, assignet eundem. Quod si alii iustitiario, vel etiam magistro iustitiario assignatus fuerit, vel si ipse magister iustitiarius aut iustitia eum receperit, remittatur ad eum iustitiarium, sub fida custodia puniendum, qui in ipsum bannitionis & foriudicationis sententiam promulgavit. Foriudicari autem bannitus debebit per iustitiarium, qui bannitionis & foriudicationis pœnam edixit, vel si ad ipsum iustitiarium ex locorum forte distantia non possit facilius haberi recursus, autoritatem istam nostræ præeminentiæ reservamus, ut à nobis, vel ab eo cui vices nostras propter absentiam nostram gerendas commiserimus, foriudicationis possit sententiam impetrari: ut tamen ad ordinarium (ut dictum est) recursus primitus habeatur. Simili pœna bannitionis aut foriudicationis in receptatores aut occultatores eorum, qui tales occultasse dicantur, procul dubio imminente, si reos huiusmodi exhibere non curaverint requisiti. Quod si universitas aliqua hoc fecerit, nostro iudicio reservetur, ut ex qualitatibus personarum & locorum ipsorum, in universitatem ipsam iustitia prævia procedatur.

TITVLVS IV. VT BANNITO LICEAT INTRA DVOS MENSES REDIRE, ET SE IVSTITIARIO ASSIGNARE.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

Clementiæ imperialis vestigiis inhærentes, præsentis legis autoritate bannito concedimus potestatem, infra duos menses à die bannitionis continuè numerandos, absque alicuius offensione liberè autoritate propria magistro iustitiario vel iustitiæ, qui eum banniverat, se conspectui præsentare: omnibus regni nostri fidelibus expressius inhiben-

tes, quod infra prædictum tempus in persona vel rebus ipsum offendere non præsumant: quod qui fecerit, pro qualitate delicti perinde puniatur, ac si quemlibet alium, qui subiectus banno non esset, per iniuriam offendisset. Post prædictum vero temporis spatium liceat bannito intra reliquam partem anni denuntiare cuicunque officiali nostræ curiæ, & officium quodcunque gerenti, cuius opportunitatem maiorem habere potuerit, & cui magis exegerit nuntiare, quod paratum se offerat accusatori suo in iudicio respondere: & per cuius officialis literas hæc omnia curiæ nostræ vel iustitiario, qui eum bannitum bannierat, nuntietur, sub expensis tamen banniti prædicti. Et sic postea per magistrum iustitiæ vel iustitiarios litteris securitatis obtentis, ac ei qui prædicta sibi denuntiaverit destinatis, receptis prius sub certa pœna, de facienda iustitia, fideiussoribus idoneis, à bannito per officialem prædictum, qui nuntiaverat omnia prædicta, quorum nomina & fideiussionis formam per eundem magistrum iustitiæ rescribentur, vel in defectu fideiussorum, sub fideli custodia bannitus præfatus securè redeat, ad iustitiam faciendam. Dum tamen antequam eius defensio admittatur, accusatori satisfaciat in expensis, & damnis omnibus, eidem vitio contumaciæ eius inflictis, sacramento accusatoris ipsius cum taxatione iudicis declarandis.

TITVLVS V. DE EXHIBENDIS MALEFACTORIBVS ET SVSPECTIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

Cordi nobis est, per universas partes & singulas regni nostri, viros bonæ opinionis agnoscere, & non ignorare notatos. Ideoque omnibus iustitiariis nostris, per diversas provincias constitutis, præsentis constitutionis nostræ programmate nuntiamus, eisdem sub terminatione gratiæ nostræ firmiter iniungentes, ut quoties ipsos contigerit aliquos ipsorum contumaciam faciendo banniri, banniti nomen atq; cognomen, banni edicti causam, formam, & tempus, curiæ nostræ per eorum literas, notarii manu scriptas, ac iudicis qui assederit subscriptione signatas, nec non sigillorum suorum impressione munitas, mora qualibet & occasione cessantibus, debeant nuntiare. Eodem etiam observando, quoties aliquos in eorum contumacia perdurantes foriudicarint, iuxta nuper editæ nostræ constitutionis tenorem. Quod si forte de banno bannitos infra legitima tempora duxerint extrahendos, hoc ipsum per eorum literas sub forma præscripta confectas, nostræ curiæ nuntietur. Simili formâ per omnia observandâ, si quando per diffinitivas sententias infamiæ macula notaverit aliquos, aut ipso iure, vel pœnæ macula pronuntiaverit esse notatos. Nos etiam magistro iustitiæ magnæ curiæ nostræ firmiter dedimus in mandatis, ut de his specialiter specialia acta conscribi faciat, quibus bannitorum vel quomodolibet notatorum nomina, & eorum etiam filios, si quos per inquisitionem per se vel iustitiam factam reos aut suspectos invenerint, scribi faciant, & in archivo nostræ curiæ fideliter custodiri: ut quoties de alicuius fama,

fama, vel exigente iudicii strepitu, vel conscientia serenitatis nostræ quærente, fuerit fortè tractatum, non tam per probationes extrinsecas, quæ moram iudiciis & difficultatem inducunt, quam per monumenta publica curiæ nostræ, & ordinatorum nostrorum fide firmata, probatio efficax & dilucida possit assumi.

TITVLVS VI. DE FISCO SVCCEDENDO FORIVDICATIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

FOriudicatorum bona, veluti damnatorum, liberos vel parentes usque ad tertium gradum nisi habeant, fisci nostri commodis volumus applicari: nisi feuda sint ex concessione nostra, vel aliò iusto titulo acquisita, in quibus ascendentes liberis non succedunt. Si autem liberos ante bannum edictum, aut foriudicationem emissam, vel iam natos habeant vel conceptos, persona foriudicati liberis connumerata, pro rata & numero liberorum, ad bona ipsa fiscum nostrum volumus annotari. Ita videlicet, quod si unicum filium tantum habeat, bona prædicta inter fiscum & ipsum pro æqualibus portionibus dividantur; si autem duos filios habeat, fiscus noster in tertia admittatur. Et sic per consequens, si plures sint liberi, eadem censura servetur; electione nostræ curiæ reservandâ, utrum partem bonorum ipsorum habere voluerit, vel æstimationem ipsius partis, si æstimatio offeratur.

TITVLVS VII. DE POENA FORIVDICATORVM. ET BALIO DANDO FILIIS EORVNDEM.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

SI quando aliquem foriudicari contigerit, qui liberos habens inveniatur feudale aliquid possidere, siquidem liberi eius vel eorum aliqui in pupillari ætate consistant, qui protectione balii indigere noscantur, ipsorum balium cum administratione bonorum eis contingentium, curia nostra suscipiat, quemadmodum in casu mortis balium ipsum habere deberent. Eis autem pubertatis tempus excedentibus, & in tutelam propriam venientibus, fructus partis illius, quæ viventem patrem licet pro mortuo habitum, secundum prædictum modum dinumeratione liberorum attenta, si res acquisita de feudo foret, dividua contingere debuisset, patre ipso adhuc superstite, curiam nostram percipere volumus & habere: pro ea tamen parte de servitio nobis pro feudo ipso debito diminuto, pro qua curiam nostram fructus percepisse constabit. Patre autem foriudicato naturæ debitum exolvente, pars illa, cuius fructus curia nostra perceperit, ad integritatem feudi liberé revertatur. Sanè si foriudicatum à Comite vel Barone feudum habere contigerit, ipso parentes vel liberos non habente, feudum ad eum, à quo ipse foriudicatus tenebit, sine contradictione aliqua redire debere censemus. Fructus non partis contingentes foriudicatum de eo quod ab illo tenet, si liberos habeat, pro numero liberorum foriudicato vivente curia nostra percipiat, secundum modum superius declaratum; quemadmo-

dum & alia bona mobilia damnatorum, secundum generalem assisiam regni nostri ad curiam nostram spectarent. Sed homo Comitis vel Baronis capitalem sententiam incurrat: exceptione tantum fructuum partis prædictæ Comiti vel Baroni, à quo feudum tenetur, nullum omninò volumus præiudicium generari.

TITVLVS VIII. DE VXORIBVS FORIVDICATORVM ET PARENTIBVS.

I. Imperator Fridericvs.

POena carere volentes innoxios, & punire nocentes, generali lege sancimus, foriudicatorum uxores & matres in earum rationibus, dotibus scilicet, donationibus propter nuptias, & quarta, atque dotarii, occasione foriudicationis aut damnationis prædictæ, nullam omnino molestiam sustinere: sed eas integrè habeant, & ab omni inquietatione securas: ita tamen ut personæ prædictæ, & etiam foriudicatorum filii seu parentes, foriudicato quem egere volumus, non sustentationem ab aliquo postulari de bonis ipsius, eisdem pietatis nostræ lenitate servatis, in nullo penitus providere præsumant. Quod si fecerint, gratia qua videntur abuti, ipsos privari censemus, & bona ipsa nostro ærario applicari.

TITVLVS IX. VT PATER FORIVDICATI EX DELICTO FILII NON TENEATVR.

I. Imperator Fridericvs.

OB filiorum culpas innocentes patres arceri, non tam iniustũ quam impium reputantes, præsentis nostræ pietatis decreto decernimus, patrem superstitem ex delicto filii in nullo prorsus affligi vel puniri debere. Mortuo vero patre, si liberos alios, præter foriudicatum, non habeat, bona quæ ei ex successione patris mortui deberent deferri, fisci nostri iuribus vindicentur. Si autem liberos alios habeat, siquidem res tales sint, quæ dividi possint, hereditariæ vel feudales in parte contingente foriudicatum, pro numero liberorum fiscus noster succedat. Siquidem fratrem foriudicatus vel sororem denique in capillo non habeat, in bonis ipsis fiscum nostrum esse decernimus successorem: omnibus quæ super criminibus læsæ maiestatis veteres iuris autores, tam contra ipsos reos, quam successores eorum specialiter induxerunt, in suo robore duraturis.

TITVLVS X. DE HIS QVI FIDEIVSSORES DARE POSSVNT, NE INCARCERENTVR.

I. Imperator Fridericvs.

HVmanitate nobis suggerente sancimus, quod si quando accusatus vel delatus super criminalibus & capitalibus causis, fideiussores dare paratus sit, si pro qualitate criminis & personæ, nec minus facilitate conveniendi sufficientes & idonei reputẽtur, tradi militibus, vel squalore carceris macerari non volumus accusatum: nisi crimen adeo vel confessione sua, vel ipsa flaganti deprehensione sit evidens, aut publicè facta inquisitione sit pub-

sit publicum, aut notorium habeatur, ut iam constet reum ad nihil aliud inficiari proposita, nisi ut poenam differat, quam levis & infamatæ personæ temeritas, & propositæ qualitas accusationis exposcit. Ab huius autem nostræ sanctionis humanitate præcludimus accusatos vel delatos criminis maiestatis, contra personam nostram, seu nostrorum collateralium satagentes: quos velut suspectos interdum nos ipsi ante supplicium carcerali custodia specialiter & expressim detineri mandamus, vel iustitiariorum nostrorum aliquis hoc iniungat, cum vel personæ levitas, & immanitas criminis, istud exegerit, quod contra salutem nostram aliquid attentasse dicatur. Quod si fideiussorum committeretur custodiæ, non tanti haberet fideiussores relinquere poenæ, quanti quod pro commisso facinore poenam debitam posset evadere, aut non commissum aliquando facinus, quod esset acerbius, confirmaret: vel si levis conversationis & vitæ, per publicam famam vel inquisitiones, de eis aliquando factas, accusati fortè extiterint aut delati, aut aliquando, quod sui copiam subtraxerint, forbanniti. Prædictis autem cessantibus, de regulari & communi iure sufficientium fideiussorum, fideicommitti decernimus accusatos, vel non incarcerentur, propterea quod accusati sunt tantum, qui in nullo forsitan deliquerunt: & incarcerati etiam, qui incarcerationis tempore fideiussores idoneos dare non poterant, datis fideiussoribus liberentur. Contingebat enim aliquando, quod ob timorem carceris accusati, etiam innocentes se à iudiciis subtrahebant, & poenæ nocentium, qui carcerali custodiæ tenebantur, differebantur: interdum dum causam in vinculis non dicebant, contingebat hoc sæpe, propter accusatorum absentiam, qui ad victoriam sibi abunde sufficere credunt, quod adversarios suos faciunt carceri mancipari. Illud etiam præsenti adiungimus sanctioni, ut si quando accusati vel delati propterea in carcere teneantur, quod fideiussores dare non possint, & se defendere sint parati, soluti vinculis iudicio præsententur, nec ex vinculis causam dicant: & deinde post instantiam soluti iudicii, ad vincula deducantur. Accusatores instanter accusationem volumus prosequi institutam, à qua si forte in odium incarcerati destiterint, ut supplicio carceris affligant, desistentiæ poenam nostris constitutionibus stabilitam, ipsos decernimus sustinere. Custodiantur autem in curia iustitiarii incarcerati cum expensis suis, vel si nimium pauperes sint, cum expensis curiæ: in utroque casu cuilibet custodi per diem XIII. grana (secundum assisiam curiæ) tribuantur, ut in captivorum custodiis, sicut hactenus, homines non graventur. Eorum tamen causas, quos de conscientia nostra capi & detineri mandamus, inconsultis nobis examinari non volumus nec decidi. Maluimus enim aliquando reum criminis carcere detineri, quam perdere. Et vidimus aliquos iuste captos, & deinde misericorditer liberatos, postea factos bonos & frugi, dum ipsis vexatio præbuit intellectum. Ab illo potissime iustitiarii nostri prorsus abstineant, ut unum pro alio, velut patrem pro filio, vel econverso; seu fratrem pro fratre, vel quamcunque coniunctam personam pro reo, fideiussores forsitan non præstante, carceri non intrudant.

TITVLVS XI. DE EO QVI POST CRIMEN ADVLTERII INTENTATVM, VXOREM RECIPIT.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

QVi post crimen adulterii intentatum uxorem acceperit, destitisse videtur: ideoque suscitare quæstionem ultra non poterit.

TITVLVS XII. SI QVIS PETIERIT ALIQVEM CITARI, ET CITATVS IN TERMINO SIBI DATO COMPARVERIT, ACCVSATORE NON COMPARENTE CONDEMNATVR IN SEXTA PARTE MOBILIVM ACCVSATO.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

ACcusatorum temeritates, antiquis legum latoribus odiosam, tanto magis nos ipsi persequimur, quanto in nostra republica ipsam magis invenimus abundare. Hac igitur constitutione sancimus, ut si quis à curia nostra, vel iustitiario regionis, aliquem citari petierit, citatus tanquam obedientiæ filius in peremptorio sibi dato compareat, accusatori suo legitimè responsurus. Accusatore in accusati dispendium & in delusionem curiæ nostræ minimè comparente, accusatorem in sexta parte mobilium bonorum mulctari censemus, expensis nihilominus accusato, sacramento suo cum taxatione iudicis declarandis, integre restitutis. Quæ omnia per eum, qui reum ipsum coërceri mandaverit, perfectæ executioni mandentur. Abolitionem namque accusator, si voluerit ab accusatione desistere, à nobis poterat impetrare, quam iusta de causa petitam nostra serenitas non negasset.

TITVLVS XIII. DE DESISTENTIBVS AB ACCVSATIONE.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

ACcusator post litem super criminali accusatione in iudicio contestatam, in termino peremptorio sibi dato nisi venerit, accusationis solennia impleturus, tertia parte bonorum mobilium decernimus esse mulctandum. Et si in delicto alio sibi denuo destinato inchoatam accusationem detrectaverit exequi, contumaciam contumaciæ aggregando, quia secundum veterum legum scita destitisse videtur, in centum augustales condemnetur. Quam pœnam loco quinque librarum auri, in quibus desistentes hactenus damnabantur, succedere debere censemus. Eadem multa fortius obtinente, si accusator expressim accusationi renuntiaverit institutæ.

TITVLVS XIV. DE POENA CALVMNIÆ CONTRA CALVMNIANTES STABILITA.

I. Imperator Fridericvs.

Poenam calumniæ, contra calumniantes antiquis sanctionibus provide stabilitam, & de consuetudine quadam abolitam, innovantes, universis iudicibus, ad quorum cognitionem criminales causæ spectare noscuntur, iniungimus, ut ad accusandum, vel etiam defendendum accusatores vel delatores aliquos non admittant, nisi primitus cingulum inscriptionis arripiant accusatores, vel etiam deferentes, quo se ad poenam obligent per calumniam, non probantes quam exposcunt accusatis aut delatis infligi. Iudices autem huiusmodi iudiciis resistentes, nihil omninò gratiæ vel potentatui deferentes, accusatores vel delatores, quos in evidenti calumnia deprehenderint, eadem poena condemnent, quam accusatis imponi, si intentata probassent, obiecti criminis qualitas requirebat. Ita tamen, ut non ex hoc solo, quod accusantes vel delatores in probatione defecerint, calumniantes ipsos esse præsumant. Subesse namque potest causa probabilis, propter quam speratas probationes inducere nequeat accusator, vel forte delator, sed (ut dictum est) calumniam evidentem exigimus, ut accusator temerarius arguatur. Quanto enim durius nocentes prosequimur, tanto libentius absolvimus innocentes.

TITVLVS XV. SI ACCVSATOR ET REVS DOLO VEL FRAVDE DATO SIBI TERMINO A IVDICIBVS NON COMPARVERINT.

I. Imperator Fridericvs.

SÆpe contingit accusatorem cum accusato colludere, ut non in totum ab accusatione discedant, sed ut terminum iudicii prorogent, sine licentia curiæ neutro ad iudicium veniente: quem terminum ante vel ipsi sponte receperant, vel quem ipsis autoritas iudicialis indulsit. Nolentes igitur lites fieri aliquorum machinationibus immortales, statuimus, utrumque accusatorem & accusatum pro æqualibus portionibus eandem poenam in casu præscripto subire (centum augustalium scilicet) nostris utilitatibus applicandam; quam alter eorum subire deberet, si in statuto sibi termino prosecuturus accusationem non venisset ad curiam.

TITVLVS XVI. LITE NON CONTESTATA IN CRIMINALI IVDICIO, AN POSSIT ACTOR ET REVS INTER SE COMPONERE, NON DATO TERMINO ALIQVO VEL RETENTO.

I. Imperator Fridericvs.

POst citationem emissam, lite nondum in criminali iudicio contestata, nec aliqua partiũ comparente, si accusatꝰ & accusator voluerint inter se componere, transigendi eis licentiam impartimur. Quod si aliquid, ut ab

accusatione desistat, accusator acceperit, quia sine licentia curiæ hoc præsumpsit, duplum eius quod proinde eum accepisse constabit, absque diminutione aliqua curiæ nostræ solvat: nisi forte pro æstimatione damni commissi accusatorem aliquid accepisse constiterit, cum damnum rei familiaris instituenda accusatio continebat. Quod si usque adeo sit processum, ut ex citatione facta partes in iudicio sint præsentes, sine licentia & mandato curiæ componendi, partibus tunc concedimus potestatem; contra quod si factum fuerit, accusator decem augustales fisco nostro componat. Post litem vero contestatam si transigant aut componant, XXIIII. augustales accusator & accusatus ærario nostro se noverint illaturos: causâ nihilominus suo ordine peragendâ, si transactionem aut compositionem eandem curia non acceptat. Quæ omnia in illis criminibus locum habere censemus, quæ sanguinis pœnam imponunt, in quibus transactiones vel pactiones fieri vetera iura permittunt: aliis quæ sanguinis pœnam non irrogant, excepta falsi accusatione, in suo robore duraturis.

TITVLVS XVII. DE IVRE FRANCORVM IN IVDICIIS SVBLATO.

I. Imperator Fridericvs.

SPeciale quoddam Francorum ius, imò ut proprius loquamur iniuriam, quæ in iudiciis tam civilibus quam criminalibus hactenus obtinebat, de medio tollere cupientes, præsentis nostræ sanctionis programmate cunctis regni nostri fidelibus volumus esse notum, quod nos, qui singulorum iura iustitiæ libra pensamus, in iudiciis aliquam discretionem haberi non volumus personarum sed æqualitatem, sive sit Francus, sive Romanus, aut Longobardus, qui agit, seu convenitur, iustitiam sibi volumus ministrari. Cavillationes & captiones antiquas iure Francorum, qui noscentias & momenta temporum, quæ inter Francos litigantes in iudiciis hactenus servabantur, nec non quasdam alias subtiles observationes, tam in civilibus quam criminalibus causis submovemus; pœnam etiam, per quam Francus ante litem contestatam contumax bonis mobilibus omnibus privabatur, in pœnam tertiæ partis mobilium nostra constitutione contentam, volumus esse transfusam. Illud nihilominus, quod acerbius reputamus, præsenti lege corrigimus, videlicet quod Francus lite cum eo in pecuniaribus litibus, vel in causis criminalibus contestata, contumax, bonam vel malam causam habeat, ipsam amittat. Hoc enim & ab omni iustitiæ tramite discrepat, & hoc omnis ratio æquitatis abhorret, ut propter alicuius absentiam, quæ Dei debet repleri præsentia, firma iustitia vel etiam in sui perpetuitate deficiat, vel inconstantia varietur. Prædicto igitur tempore Francus contumax, qui non (ut olim) causam amittat, sed iuxta nuper editam nostri nominis sanctionem, videlicet possessionem & venditionem bonorum, aut perpetuo possessionis iacturam, vel decisionem principalis causæ, remedio appellationis excluso, secundum ius & iustitiam patiatur.

TITVL.

TITVLVS XVIII. DE DILATIONIBVS ET EXCEPTIONIBVS IN IVDICIO PRÆCEDENTIBVS ABBREVIANDIS.

I. Imperator Fridericus.

Dilationes in iudiciis hactenus observatas, quæ non tantũ iura nostrorũ fidelium differebant, verum etiam perimebant, præcidere disponẽtes præcipimus, utraq; parte præsente quocunq; iure agatur, sive etiam quis criminaliter privato aut publico iudicio accuset, statim oblato libello, quẽ in iudiciis omnibus offerri volumus, prout actionis qualitas vel accusationis forma deposcit, nisi causa valde sit modica, infra duos augustales scilicet, quæ ipsum non desiderat offerendum, litem contestatam, quæ in principalibus personis per negationem vel confessionem, in procuratoribus & defensoribus aliorum, per ignorantiæ verbũ fieri potest, sequi debere. Vt tamen in causis civilibus, quæ coram baiulis, vel locorum dominis aguntur, pridie ante futurus reus citari debeat, & in ipsa citatione contineatur expressim, à quo & de qua re, & de quo etiam impeditionis genere, impetratur: nisi dilatoria competens exceptio opponatur. Deliberatoriis tamen iudiciis omninò sublatis: sed incontinenti gaudiis datis in civilibus iudiciis, ut est iuris, & fideiussoribus post triduum præstitis (nisi conventus possessor rerum immobilium inveniatur, quo casu fideiussoriam cautionem iudicio sisti cessare debere censemus) in ipso loco iudicii cum amicis & advocatis suis, super principali causa conventus deliberet responsurus. Mobilium etiam rerum possessor, si fideiussores dare nequiverit, cautioni iuratoriæ committatur; nisi pauper, aut chirographus aliquis iniuriarum, aut de quolibet alio maleficio, cuius cognitio spectat ad baiulum, impeditus fideiussores dare nequiverit; qui usque ad finem litis per baiulum carceris custodiæ mencipetur.

TITVLVS XIX. DE EXCEPTIONIBVS ET DILATIONIBVS PROPONENDIS IN IVDICIO.

I. Imperator Fridericus.

Exceptiones dilatorias, prout communis iuris regulis est introductum, in ipso iudicii exordio proponendas, infra triduum à die oblati libelli, vel in civili vel in criminali iudicio, obiici posse censemus, in quibus si de eis incontinenti constare non possit, sed dilationem requirat is, qui eas obiicit, sacramento prius (si hoc iudex decreverit) præstito, quod non tantum causa differendi vel frustrandi iudicii, ipsas conventus opponat: sed quod eas ad levamen causæ suæ se probare posse confidit, ad probandum eidem octo dierum terminus concedatur. Nisi reus in longinquis probationes se habere iuraverit: quo quidem casu consideratis locorum distantiis, causarum qualitatibus, & conditionibus personarum, terminus longior debebit & poterit indulgeri. Et si in eorum probatione reus

defecerit, in omnes expensas sacramento actoris cum taxatione iudicis declarandas, ab eo occasione prædictæ dilationis factas ipsum decernimus condemnari.

TITVLVS XX. DE EXCEPTIONE HOSTICI PONENDA.

I. Imperator Fridericvs.

Hostici exceptionem, quam in iudiciis nostris frequentius audivimus, determinare volentes statuimus, si quando submonitus ad exercitum citatus extiterit, exceptionē prædictam per se vel per alium, corā eo qui ipsum citavit, opponat: quâ oppositâ & probatâ, quindecim diebus antequam iter arripiat, & quindecim postq̄ reversus fuerit, immunitatem responsionis habebit, ita quod nullus per se vel per procuratorē, quē teneatur relinquere, respondere cogatur. Quod inviolabiliter obtinere censemus, etiā cum litis cōtestatione sequutâ submonitione factâ reum reipublicæ causa prædicto modo abesse debere cōtingit. Si tamen ambæ partes (actor scilicet & reus) in exercitu inveniantur, exceptionem hostici alter alteri non opponat: dum tamen is qui voluerit alterū in exercitu convenire, munitus sit in exercitu competentibus equis & armis, & aliis omnibus opportunis & necessariis, quæ opportunitas & necessitas moris exercitalis inducunt. Illo etiam non omisso, ut si conventus in exercitu per se & suis expensis militat, is qui eum impetit, ut adversarium possit hostici exceptionē privare, eodem modo & suis expensis militare debebit: ne alterius tædio, sub cuius expensis & necessariis fuerit in exercitu sustentatus, eum qui cum expensis suis nobis laudabiliter servit, impugnet. Quæ omnia per Marescalcum nostrum, vel per alium qui exercitui de mandato nostro pro tempore præerit, cui omnes qui ad exercitum venerint, absq; discretione aliqua volumus præsentari, probari debebunt. Tamen si eorum amborum conditio sit æqualis, ut ambo scilicet alienis expensis in exercitu commorentur, alter alteri tenebitur respondere. Vt tamen occasione inchoati litigii, etiam si peremptorium fuerit, missum à servitio speciali, quod ei per nos vel per præfatum Marescalcum nostrum in exercitu fuerit iniunctum, is qui citatus est, nullatenus advocetur. Bannitos & forbannitos etiam securè in exercitu, & absque alicuius offensione volumus commorari: adeo etiam, ut dum in exercitu sint, privilegium habeant commune cum ceteris, quod à nemine valeant conveniri. Banniti tantummodo, non foriudicati ab accusatoribus suis, & his qui eodem modo muniti, equis & armis scilicet in exercitu fuerint, intra annum (iuxta pridem à nobis statutum modum) poterunt conveniri. In foriudicatis autem idcirco hoc non concedimus, quia cum ipsis nulla sit defensio, non esset aliud eos conveniri permittere, quam suspendi mandare. Salvis per omnia his, quæ in exercitu contrahuntur, aut committuntur, ad quæ præsentem non extendimus sanctionem: sed ea iuxta exercitalem ritum volumus terminari.

TITVLVS XXI. DE LITIS CONTESTATIONE IN CRIMINALI VEL IN CIVILI AB ADVERSARIO PROSEQVENDO.

I. Imperator Fridericus.

SI civiliter agens ab adversario criminaliter accusetur, vel criminaliter accusans ab adversario similiter de maiori crimine impetatur, non ut olim litis contestationem vel processum iudicii volumus impediri, sed absque præiudicio aliquo in utraque causa similiter procedendum esse censemus (etiamsi crimen maiestatis fuerit obiectum) & in utroq; iudicio, secundum quod iuris est & causarum qualitas exegerit, procedatur. Evidens enim videtur esse accusantis nequitia, & frustratio manifesta, quod non prius adversarium suum voluerit accusare, vel de maiori crimine convenire, nec etiam crimen, quod maiestatem nostram læserit, zelo fidelitatis accensus proponere voluerit, quam esset ab eo, qui iura vel iniuriam suam prosequitur, in iudicio lacessitus. Eadem censura servanda in quibuslibet præiudicialibus aliis, etiam si tales sint, ex quibus probatis nullum retro iudicium redderetur: dummodo petitorum iuris varietate decisa, super criminali causa tantummodo diffinitiva condemnationis vel absolutionis sententia proferatur. In emergentibus tamen quæstionibus, veluti super incompetentia iudicis allegata, aut super dilationibus dandis, vel super personis testium, qui interdum à dicendo testimonio repelluntur, & similibus quæstionibus terminandis, in quibus communis iuris altercatio conquievit, præsenti lege nihil volumus innovare.

TITVLVS XXII. DE ACCVSATO CORAM IVSTITIARIO, ET QVOMODO ACCVSATO.

I. Imperator Fridericus.

COntingit interdum aliquem de crimine capitali coram iustitiario accusatum, pendente causa ipsa per magistrum iustitiarium magnæ curiæ nostræ citari de pari crimine vel minori, aut etiam de quæstione civili castrorum, vel aliorum feudalium, quorum cognitio specialiter ad curiam nostram spectat: sicque prorogativa maioris auditorii causa, quæ aliquando coram iustitiario, usque ad calculum diffinitivæ sententiæ iam devenerat, necessario prærogatur, nec innocens absolvendus detegitur, nec puniendus debita pœna damnatur. Sancimus itaque priorem causam, coram iustitiario motam, terminari debere; quæ omnia (scilicet qualiter & in quantum sit in quæstione processum) per literas iustitiarii magistro iustitiario patefiant. Ac tunc demum, si hoc eventus prioris iudicii patiatur, puta quod ex priori sententia non sit mortuus accusatus, (quo casu iam pœnam aliam sufferre non potest) citatus ad curiam nostram venire debuit. Ceterum si de maiori crimine per magistrum iustitiæ citabitur accusatus, privilegio maioris auditorii cum maioritate iudicii

concurrente, nisi coram priori iudice usque ad diffinitivam sententiam si proventum, citatus si contumax videri noluerit, coram magistro iustitiæ se præsentet. In omnibus superioribus crimina læsæ maiestatis excipimus, de quibus convicti & damnati vitam cum bonis amittant: in quibus quovis alio capitali crimine corā iustitiariis accusati, vel citati per superiorem iudicem, ad evitandam contumaciæ poenam, sui copiam facere non detractent.

TITVLVS XXIII. DE LITIS CONTESTATIONE NON TARDANDA EXCEPTIONIS OBIECTV.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

EXceptione filiationis, generis, sive gentis, & quod heres non sit, qui actum vel accusationem intendit, tam in civilibus, quam in criminalibus causis contestationem litis continuo faciendam, nolumus retardari: sed eis propositis, in causa principali nihilominus procedatur, eo quod ipsas opponit ad probationem. Admissio cuius probationis eventus iudicii, qualiter in causa procedere debeat, demonstrabit.

TITVLVS XXIV. DE PROCESSV IVDICII.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

LIte legitimè contestatâ, sacramentum de calumnia volumus ab utraque parte præstari, iuxta divales veterum Principum sanctiones. Quo irremissibiliter subsecuto, principalis actoris aut accusatoris persona, simul omnia, quæ ad probationem seu adminiculum suæ probationis faciunt, per se vel per advocatum suum offerat, aut eodem die, vel sequenti ad plus, proponat in scriptis: ulterius autem de communi iure nullatenus audietur, nisi personæ minoris aut mulieris privilegium, vel causa alia superveniens allegetur. Reus similiter principaliter conventus aut accusatus, defensiones omnes sibi de iure competentes in iudicio proponere studeat simul & semel, aut in scriptis per se, vel per advocatum suum in prædicto spatio curiæ dare procuret: eundemque terminum ad oblata probanda recipiant ambæ partes. Quod si per procuratores aut defensores in his, in quibus intervenire possunt, causæ agantur, ea iura procurator alleget, aut defensor illas defensiones opponat, quæ principali parti competere non ignorat. Ceterum si ignorantiam forte prætendat, iura sua principalis partis conscientiæ poterit reservare; ut tamen infra prædictum terminum, quem ambæ partes ad probandum acceperint, procurator tam ea quæ primo opposuit probet, quam ea quæ per dominum postea ad ipsius scientiam pervenerunt. Terminum autem ad probandum in omnibus supradictis, & aliis quæ iudiciorum natura requirit, quantum sine causæ periculo, & rerum dispendio fieri potest, per iudices qui cognitionibus præsident, in causis omnibus breviari iubemus.

TITVL.

TITVLVS XXV. DE EXCEPTIONIBVS MALITIOSE OPPOSITIS.

I. Imperator Fridericvs.

SI exceptio peremptoria, replicatio, vel triplicatio etiam opponatur, quæ ex qualitate personæ opponentis vel causæ, iudici malitiosa vel frivola videatur, non prius obiicientem ad eam probandam admittat, quam sacramentum præbeat corporale, quod non malitiose, nec causa tantum prorogandi iudicium, eas opponat: sed quod ipsas pro firmo se credat posse probare. Quas postea si non probaverit ad terminum sibi datum, opponentem ad expensas omnes, sacramento partis cum taxatione iudicis declarandas, condemnandum esse censemus.

TITVLVS XXVI. DE INTERROGANDIS LITIGATORIBVS A IVDICE.

I. Imperator Fridericvs.

PArtes in iudicio litigantes, tam ante litem contestatam quam post, prout iuris ratio & æquitas iudicem moverit, de facto interrogari posse decernimus, & interrogatos per se vel per alium, cum advocatorum consilio respondere. Plerumque etiam vel pro qualitate personæ vel causæ, vel si iudex, quod falsum respondeat, suspectum habeat respondentem, ad sacramenti religionem adducere eum posse censemus.

TITVLVS XXVII. DE FIDE INSTRVMENTORVM TESTIVM.

I. Imperator Fridericvs.

INstrumenta de donationibus, aut concessionibus, vel quibuscunque contractibus, in quibus nomen alicuius hostis vel proditoris nostri, & generaliter cuiuslibet invasoris regni scriptum sit, cassa & inania reputantes, nullam ex eis volumus in iudiciis vel extra iudicia probationem assumi, sed ea igne cremari mandamus.

TITVLVS XXVIII. DE REVOCATIONE PRIVILEGIORVM.

I. Imperator Fridericvs.

PRivilegia & instrumenta proditorum nostrorum regni nostri quorumlibet nomina continentia, & quæ à iudicibus factis ab eis aut tabellionibus scripta & subscripta inveniuntur, usque ad annum à die insinuationis constitutionum nostrarum, declarari & renovari decernimus, ac appositione nostri nominis roborari; nullâ ex instrumentis prædictis, ex præsenti iussione nostra non declaratis, in iudiciis aut extra iudicia, fide imposterum assumendâ.

TITVLVS XXIX. DE PRIVILEGIIS A CVRIA CAPVANA TEMPORE TVRBATIONIS INDVLTIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

CVm concessiones & privilegia omnia, tam à divis augustis parentibus nostris, quam nobis, ante curiam Capuanam indulta, quæ per nos post eandem curiam confirmata non essent, nec non ea quæ proximæ turbationis tempore, post transfretationem nostram, usque ad festum Purificationis, à nobis aut Raynaldo Duce Spoleti, concessa fuerint, mandaverimus revocari, edicto præsentis legis edicimus, prædictis privilegiis & concessionibus nullam omnino fidem haberi; sed malevolum eorum propositum, qui ipsa post prohibitionē nostram retinent, prosequentes, iubemus prædictos omnes in tanta æstimatione damnari, nostræ cameræ applicanda, quanta id quod concessum fuerat, dignoscitur extitisse.

TITVLVS XXX. IN QVIBVS CASIBVS AVDIENTIA TESTIVM COMMITTATVR, ET DE POENA CONTRAVENIRE VOLENTIVM: ET DE DOLO EIVS, CVI AVDIENTIA COMMITTITVR.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

IN pecuniariis litibus omnibus, præterquam in quæstionibus castrorum & feudorum, quæ specialiter in curia nostra tractantur, audientiam testium permittimus delegari; in criminalibus autem, & prædictis civilibus causis, testes in curia nostra præcipimus præsentari, nisi testes adeo senes & valetudinarii sint, quod sine ipsorum periculo curiæ præsentari non possunt. Quo quidem casu, ipsorum audientia iudicibus electis à partibus, vel datis à curia, committatur; qui eos tantum testes recipient, quos ad curiam viderint venire non posse. Contra quos auditores, id est per electionem partium vel à curia approbatos, probationes in contrarium nullatenus admittantur; videlicet si pars receptos testes sanos & iuvenes fore contendat. Sanè si in termino ad probandum dato, pars quæ probare debuerat, in probatione deficiat, per defectum testium, qui sibi venire promiserant, vel ipsius iudicis aut coactoris alleget nequitiam, atque propterea terminum exigat prorogari, non aliter ad hoc ipsum audiri decernimus, quam si infra prædictum terminum hoc alleget, quod infra eundem diem iudex vel coactor alius dari poscatur. Tunc postquam parti alteri fuerit per cognoscentes literas intimatum, ex iusta causa & necessaria prorogatio termini poterit impetrari. Is tamen cui commissa est audientia seu coactio testium prædictorum, si in commisso sibi officio dolosus aut negligens inventus fuerit, curiæ nostræ in tertia parte mobilium condemnetur: & nihilominus parti læsæ omnem damni æstimationem satisfacere teneatur. Eadem pœna testibus irroganda, si per cogentem admoniti venire detractent; nisi certa pœna ab eo, cui hoc commissum fuerit, testibus sit inducta, quæ prædicta

pœna

pœna sit maior: quo casu pœna imposita exigetur. Hæc in civilibus causis vindicant sibi locum. In criminalibus autem, in quibus aliquando, videlicet cum quis capitaliter accusatur, æstimatio causæ haberi non potest, pœnâ tertiæ partis mobilium omnino curiæ nostræ solutâ, testes aut iudices impetrati parti læsæ in viaticis & sumptibus litis sacramento suo cum taxatione iudicis declarandis volumus esse damnandos: principali causâ nihilominus, non obstante lapsu termini, suo ordine peragendâ. Eodem etiam obtinente in civilibus causis, si testes aut coactores eorum non solvendo fuerint, ut parti læsæ per restituendæ causæ beneficium succurratur.

TITVLVS XXXI. DE LEGIBVS PARIBILIBVS SVBLATIS.

I. Imperator Fridericvs.

LEges, quæ à quibusdam simplicibus sunt dictæ paribiles, quæ nec rerum naturam respiciunt, nec veritatem attendunt, nos qui veram legum scientiam perscrutamur, & errores à nostris iudiciis separamus, præsentis nostri nominis sanctionis edicto in perpetuum inhibentes, omnibus regni nostri iudicibus, ut nullus ipsas leges paribiles, quæ absconsæ à veritate deberent potius nuncupari, aliquibus fidelibus nostris indicet; seu communibus probationibus sunt contenti, tam antiquis legibus quam nostris constitutionibus introductis. Eorum etenim sensum non tam corrigendum duximus, quam ridendum, qui naturalem candentis ferri calorem tepescere, imo (quod est stultius) frigescere nulla iusta causa superveniente confidunt: aut qui reum criminis constitutum, ob conscientiam læsam tantum asserunt ab aquæ frigidæ elemento non recipi, quem submergi potius aëris competentis retentio non permittit.

TITVLVS XXXII. DE PVGNIS SVBLATIS.

I. Imperator Fridericvs.

PRosequentes benevolum nostræ voluntatis propositum, quo pugnas à nostra republica, præterquam in quibusdam paucis admodum casibus perexceptis, prævidimus submovere, ingerente se casus præsentis materia circa Francos, qui personarum suarum plurimumq; rerum suarum omnium, aut maioris partis earum fortunam in monomachiam, quæ duellum vulgariter dicitur, reponebãt, quid de eis celsitudo nostra providerit statuendum, constitutioni præsenti manifestissimè declarantes. Prædictum igitur probationis modum, per pugnam videlicet, quo iure Francorum viventes hactenus utebantur, tam circa principales personas eam sibi invicem offerendo, quam circa personas testium invicem productorum, tam in civilibus quam in criminalibus causis, de cetero volumus esse sublatum. Sed si Francus aliquis Franco, vel etiam Longobardo, super aliqua quæstione civili vel etiam criminali extiterit impetitus, per proba-

tiones testium vel instrumentorum, & similium per quos posset plene probari veritas, convincatur. Probationes verumtamen testium, pro personarum qualitatibus videlicet & causarum, volumus esse amodo pinguiores. Præstituentes inprimis, quod nullus angariarius, vel villicus, seu quicunq; villanus, qui in villis & casis habitat, & postremo nullus vilis conditionis, contra Comites, aut Barones, aut etiam simplices milites, capitaliter accusatos, vel de personæ conditione, utpote de homagio aut de omnibus bonis, seu maiori parte eorum, vel etiam de uno castro conventos, in testem possit induci, aut inductus contra prædictos, fidem aliquam in iudiciis vel arbitrio, vel extra iudicia in contractibus, seu quasi contractibus fidem aliquam faciat; sed perinde habeatur, ac si non esset inductus. Sed contra prænominatas personas, milites tantummodo & Burgenses, bonæ & honestæ opinionis inducantur in testes: contra quos nulla omnino pugna de cetero offerri valeat ab eisdem. Numerum etiam testium in prædictis personis & causis volumus esse maiorem. Videlicet ut contra Comitem criminaliter accusatum, vel de statu personæ, aut de omnibus bonis suis, vel de maiori parte bonorum, seu etiam ad castrum conventum, duo Comites fidem faciant, vel quatuor Barones, aut octo milites, & sic per consequentiam sedecim Burgenses, probationem plenam inducant. Et sic gradatim, contra Baronem duo Barones, aut loco duorum Baronum, quatuor milites; & vice quatuor militum, octo Burgenses (& idem in milite, prout inferioris gradus se habeat conditio) inducantur in testes. Pauciores autem numero in personis prædictis & causis, nullam omnino fidem inducant, & contra prædictos aut plures nulla omnino pugnæ probatio vindicet sibi locum. In omnibus tamen prædictis crimen læsæ maiestatis excipimus, in quo omnium accusatorum & testium sit conditio exæquata. Militaribus tamen privilegiis in omnibus supradictis & aliis causis & casibus, in quibus prærogativæ militum aliquid indulgetur, eos tantummodo milites uti volumus, qui honorem dignitatis militaris & onus decenter observent, in equis & armis videlicet, & aliis militaribus signis, quibus Barones & milites condecet decorari. Consuetudinem autem, quæ in quibusdam regni partibus obtinebat, per quam hi qui Franci non sunt, sed de iure communi censentur, testibus contra se productis, in quocunque iudicio possint pugnam offerre, funditus extirpamus: sed personarum & causarum distinctione servata, in eorum causis iuxta novæ constitutionis nostræ statuta, iustitiâ præviâ & æquitate servatâ, ad diffinitivam sententiam procedatur.

TITVLVS XXXIII. IN QVIBVS CASIBVS PVGNA LOCVM NON HABEAT.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

Monomachiam, quæ vulgariter duellium dicitur, paucis quibusdam casibus exceptis, inter Barones regni nostræ ditioni subiectos, in perpetuū volumus locū non habere: quæ non tam vera probatio, quam quædam divinatio dici potest; quæ naturæ non consonans â iure communi

muni deviat, æquitatis rationibus non consentit. Vix enim aut nunquam duo pugiles inveniri poterunt sic æquales, ut vel in totum non sit alter altero fortior, vel in aliqua parte sui vigore, maiori & potiori virtute, vel saltem ingeniis alter alterum non excedat. Ab huius autem sanctionis humanitate præcludimus homicidas, qui veneficio vel quolibet genere furtivæ mortis alium extinxisse dicuntur; in quibus etiam à pugnæ probatione non permittimus inchoari, sed per probationes ordinarias, si supersint aliquæ, procedi primo debere iubemus. Et denique officio curiæ subtili prius inquisitione præmissa, si per probationes aliquas, vel per inquisitionem plenè non poterit facinus comprobari, tunc demum ad pugnæ iudicium indiciis præcedentibus descendatur. Quæ omnia per officium iudicis providè cognoscentis volumus explicari, ut inquisitionis probata cautè & diligenter discutiat. Et si probatum non invenerit (ut est dictum) offerendi pugnam licentiam tribuat accusanti, nullo ex eo, quod ipse ex officio suo fecit, accusatoris iuri præiudicium generando. Si tamen accusator in crimine prius offerat se probare per testes, & in eorum probatione deficiat; tunc inquisitionis & pugnæ probatione minimè locum habente, reus qui nocens non convincitur, & præsumitur innocens, absolvatur. Quod ius inter omnes, tam Francos quam Longobardos, & in causis omnibus volumus esse commune. Satis enim militibus & nobilibus regni nostri probationum impugnationes providimus, & aliis etiam qui poterunt pugnam offerre, prout novella constitutione nostra evidentius est statutum, crimen etiam læsæ maiestatis excipimus, in quo infra scriptis capitulis pugnæ iudicium reservamus. Nec mirum, si læsæ maiestatis reos, fortius homicidas furtivos, atque veneficos subiicimus, non tam iudicio quam terrori: non quod in ipsis nostra serenitas iustum æstimet, quod iniustum in aliis reputavit: sed quod in eorum pœnam & aliorum exemplum, publicè in conspectibus hominum, sub tremenda probationis specie, tales constitui volumus homicidas, qui occultas atque furtivas insidias vitæ hominum, quos sola potest creare divina potentia, parare minime timuerunt. Eos enim extra omnes modestiæ terminos stabilimus, qui adversus securitatem nostram, per quam omnibus aliis præstatur securitas, moliri aliquid non verentur.

TITVLVS XXXIV. DE CAVSA DEPOSITI.

I. Imperator Fridericus.

IN causa depositi, in qua olim pugna locum habebat, pugnæ prorsus interdicimus facultatem. Sed ut de ea dubietas oriri non possit, sub tali cautela volumus depositum amodo celebrari, videlicet ut in deposito, cuius quantitas infra unam libram auri subsistit, tres testes fide digni, & omni exceptione maiores, debeant interesse. Vltra libram autem auri si consistat depositum, debet fieri publicum instrumentum, per manus tabellionis, qui intersit tempori deposito, non qui iussione iudicis instrumentum fecisse se dicat, & trium iudicum in depositione præsentium subscriptione signatum; vel si unus iudex tantum intersit, simul cum eo de-

bent interesse tres testes, qui specialiter una cum iudice & tabellione prædictis, se instrumento subscribant.

TITVLVS XXXV. DE PROBATIONIBVS ET TESTIBVS ANTE LITEM CONTESTATAM PRODVCENDIS.

I. Imperator Fridericvs.

Probationum incursibus competenti remedio succurrentes permittimus, lite etiam nondum in iudicio contestata, testes valetudinarios & senes, de quorum proxima morte futura timetur, vel eos de quorum peregrinatione & longa absentia dubitatur, ab eo, qui sibi per depositiones eorum cavere desiderat, posse produci: præsente tamen eo, qui adversarius futurus speratur, si eius præsentia facilis possit haberi, vel eo se per contumaciam absentante, omni iure ei, qui præsens non fuerit, contra personas & dicta productorum testium reservato. Quarum depositionum vigorem intra annum tantum valere disponimus, & non ultra annum extendi, cum litis contestatio non intercesserit, nec præsens fuerit adversarius, vel absenti parti denuntiari potuit, ut receptioni testium interesset.

TITVLVS XXXVI. QVÆ PROBATIONES IN CAVSA HOMAGII EXIGANTVR.

I. Imperator Fridericvs.

Probationum defectum in causis, quas super homagiis movere contigerit, competenti munimine fulcientes statuimus, si quando aliquis fuerit ab aliquo de homagio impetitus, ipse autē hominem nostrum immediate se esse contendat: si quidem per privilegia prædecessorum nostrorum, aut nostra, vel alia legitima & authentica instrumenta, sive per testes fide dignos, & omni exceptione maiores, qui forte concessioni interfuerint, probare possit qualiter petitor aut prædecessores sui hominis petiti dominium, vel prædecessorum adepti fuissent; si nullas exceptiones conventus opponat, & probet, per quas possit se ab eius dominio liberare, pro actore iudex competens ferre sententiam non moretur. Quod si probationes legitimæ de dominio haberi non possint, sufficiat petitori probare, quod homo petitus temporibus Regum prædecessorum nostrorum, prædecessoribus nostris suis vel sibi fidelitatis & homagii præstiterit sacramentum; & quod ut vasallus eius ei servierit in omnibus, & per eum in curia sua de persona conventu iustitiam fecerit conquerentibus, & quod prædictorum Regum tempore, usque ad ea tempora, quibus de homagio retulerit quæstionem, terram ab actore tenuerit: ne alius recommendatus præsumatur potius, quam vasallus. Quæ omnia in militibus & Baronibus, de vasallagio conventis, volumus observari. Prædictis autem omnibus cessantibus, conventus immediate maiestatis

nostræ

nostræ communi dominio relinquatur. In omnibus tamen prædictis libertatis favorem ac interpretationem benignam pro libertate in dubiis faciendam, prout veteribus legibus est inductum, integre reservamus.

TITVLVS XXXVII. DE CAMPIONIBVS.

I. Imperator Fridericus.

NVllus campio si devictus fuerit, ad faciendum bellum denuo pro aliquo admittatur, nisi pro se; non cum ipse impetit alium, sed cum fuerit ab aliquo impetitus. Statuimus præterea, ut amodo campiones habeant clavas æquales, non spinosas, nec cum aguzonibus, nec habentes cornua, nec ex parte fustis ad modum unguis.

II. Idem.

PRæsenti lege decernimus, ut campiones amodo, postquam circulum pugnatorum fuerint (prout est moris) ingressi, corporalia subeant sacramenta, quod iuxta probabilem credulitatem eorum credunt, dominos pro quibus pugnam intraverint, veritatem fovere, & non per calumniam, seu per astum, ad accusationem propositam vel defensionem adhibitam processisse; & quod cum omni virtute & potentia, studio & vigore, partes, pro quibus pugnaverint, adiuvabunt. Pugilibus etiam expressius inhibemus, quod se non debeant invicem affidare, quod manibus vel dentibus, & modis quibuslibet poterunt, alter alterum non offendat, immò unus ad confusionem alterius toto posse conetur.

III. Idem.

SVmmo periculo, quod ex pugilum fraudibus, inertia, vel timore hactenus contingebat, provisione necessaria succurrentes decernimus, ut si is, qui pugnæ præerit, videat cum aliorum consilio, qui tunc temporis inveniantur esse præsentes, quod campio in pugnando fraudem adhibeat, aut segnitiem manifestam, vel quod melius potuerit se defendere, nec tam cito iure cedentis vocem erumpere debuisset: siquidem is, pro quo pugnat, excusatus extiterit, cum si pugnæ succumbat mori debeat (utpote reus habitus criminis maiestatis vel de homicidio absconso convictus) campio similiter periculum mortis incurrat. Ceterum si is pro quo pugna, accusat quia forte dolorem iustum prosequitur pater, vel forte mater, aut filius, de morte suorum, qui succumbit in pugna, mori non debet; cum nec ad pugnam fuisset admissus, nisi quia ipsum iusti doloris impetus, & indiciorum præce[illegible]tium probatio admiserunt. Campio tamen manum amittat, quam exigente legitima pœna periurii, quilibet alius scienter periurus amittat. Videbatur etenim impium in causa præsenti capitali supplicio subiacere campionem, cum is cuius causam principaliter agit, per casum suum periculo capitis non succumbat. In crimine tamen læsæ maiestatis accusatorem etiam, qui in pugna succumbit, sicut & reum, si succubuisset in ea, ultimo supplicio subiugamus.

IV. IDEM.

COnsuetudinem pravam, & à tramite rationis cuiuslibet alienam, quæ in regno nostro obtinuit hactenus, funditus extirpantes statuimus, ut is qui alii pugnam obtulerit in his casibus, in quibus est pugnæ iudicium reservatum, iuxta conditionem & qualitatem ipsius pugnare debeat, quem convincere per oblatam pugnam intendit, non ut olim ad electionem illius, qui ipsam pugnam obtulerit, fieri debere. Præmeditari namque deberet primitus accusator, & secum perpensa deliberatione pensare, quis & qualis conditionis existat is, cui pugnam intendit offerre: & reus qui favorem iure promeruit, & præter spem omnem ad pugnæ dispendium advocatur, cum se defendat ab alio propulsatus, suæ defensionis modum non debet admittere eum, qui antequam veniret ad pugnam, consilio forsitan fraudulento tractaverat impugnationis speciem, contra omnem veritatem, aliquando confundere valeat accusatum. Sed si miles fuerit is, qui pugna impetitur, & eques se voluerit defendere adversarius eius, quamvis miles non sit, eques similiter ipsum impugnet. Econtrario si pedes fuerit is qui se defendere nititur, licet is qui pugnam obtulerit, fuerit miles, non ut miles, sed ut quilibet alius pugil, accusatum impugnet. Defendentis namque debet esse electio, qualiter melius se defendere valeat, ab alio impetitus. Illud etiam præsenti sanctioni duximus annectendum: ut si is qui pugnam obtulerit, læsus fuerit in aliqua parte sui corporis, propterea is, qui pugna impetitur, in nullo se defendere auxilium minorabit. Ceterum si impetitus forte sit læsus in quacunque parte corporis, quæ necessaria sit ad pugnam, is qui eam obtulit, in ea parte se debilitare debebit, in qua debilitatus est, cui duellum offertur. Veluti si unum tantum oculum habeat impetitus, is qui pugnam offert, aliquibus diebus antea illum oculum apposito aliquo sibi claudet, in quo pati dignoscitur accusatus. Similiter & in digitis, & in membris aliis, hoc volumus obtinere, iuxta proborum virorum consilium, & discretionē providam iudicantis. Nec illud prætermittendum vidimus, quod necessario gratiam nostræ benignitatis exposcit, ut qui ætatis annum sexagesimum tetigerint, & qui nondum viginti quinque annorum curricula impleverunt, per se pugnare minimè teneantur, sed possint ad defensionem suam, non cum alios impetunt, subiicere campiones; ne vel ætates, in altero naturali frigescente calore, vel iuveniles, virtutum in altero robore non impleto, non tam incerto quam periculoso pugnæ iudicio, quod esset asperrimum, relinquamus.

TITVLVS XXXVIII. DE RESTITV- TIONE MVLIERVM.

I. REX ROGERIVS.

MVlieribus, ubi nōn modice læsæ sunt propter fragilem sexum, legum æquitatem sectantes, tam per nos, quam per officiales nostros, visceribus pietatis subveniendum esse decernimus, sicut & decet, quatenus & oportet.

II. IMP.

II. IMPERATOR FRIDERICUS.

OBscuritatem legis divi Regis Rogerii, avi nostri, de restituendis mulieribus editam declarantes, mulieres Longobardo seu Francorum iure viventes in iudiciis tantum restituendas esse sancimus, cum per negligentiam vel fraudem mundualdorum, seu procuratorum suorum enormiter læsæ probantur, & adversus prædictos mundualdos vel procuratores, dum fortè non sint solvendo, indemnes servari non possunt; item si propter nimiam simplicitatem ipsorum enorme damnum incurrant. Nam licet præscriptorum simplicitas ipsas excuset, simplicitas tamen eorum in damnum mulierum reverti non debet. In contractibus autem, in quibus non tam ipsæ præsentes esse possunt, quam & aliorum præsentiam iudicum, & mundualdorum, atque procuratorum habere, ipsis non vidimus succurrendum: nisi forte per circumventionem aut fragilitatem sexus, immoderatam dotem ultra patrimonium, vel ultra vires patrimonii sui, videlicet promisisse vel constituisse probentur. Casus etiam in quibus antiqua iura mulieribus ius ignorantibus succurrebant, in suo robore reservamus. Videlicet si per errorem, non pretio accepto ab accusatione desistant, si incestus crimen per ignorantiam iuris committant, vel si instrumenta edenda per fragilitatem sexus ignorantes non edant. Succurritur etiam eis, si in satisdationibus in iudiciis præstandis per iuris ignorantiam inveniantur esse deceptæ: item si solverint ex intercessione, ignorantes se beneficio Velleiani munitas. Quos omnes, & si quos alios probata iuris antiquitas introduxit, in suo robore volumus remanere.

TITULUS XXXIX. DE RESTITUTIONE MINORUM.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

MInorum iura, qui in iudiciis vel extra iudicia in modico læsi probantur, præcipimus inviolata servari. Quibus in illis casibus tantum succurrimus, beneficio in integrum restitutionis indulto, in quibus eisdem leges veteres succurrebant. Videlicet si facilitate sui, tutorum, curatorum, seu etiam procuratorum fraude vel negligentia, aut dolo adversariorum suorum læsi probantur. Eis autem delinquentibus, si delictum procedat ex animo, nisi quatenus miseratio ætatis iudicem moverit, minimè subvenimus. Illud etiam expressim constitutione præsenti duximus admittendum, ut in causis non tantum civilibus, verumetiam criminalibus & publicis, tutorum vel curatorum seu baiulorum autoritas ipsis assistat. Abundantiorem etiam providentiam de sinu gratiæ nostræ pupillis volumus impartiri, ut causas criminales & publicas, etiam per tutores aut accusatores eorum ad lites datos, in iudicibus deducere valeant, dum suam vel suorum iniuriam prosequuntur, sive accusent, sive ab aliis accusentur: pœnis exactionibus debitis, constitutionibus nostris & antiquo iure statutis, personis principalibus infligendis. Minores autem tam masculos quam fœminas intelligimus eos, qui vel quæ nondum ætatis suæ decimumoctavum annum excesserint, quo completo, ipsos tam in contractibus, quam in iudiciis, & in omnibus, perfectæ ætatis volumus reputari.

TITVLVS XL. DE RESTITVTIONE REIPVBLICÆ.

I. Imperator Fridericvs.

Beneficium restitutionis in integrum, nostræ reipublicæ in iudiciis & contractibus antiquis legibus reservatum, non ipsi præcidimus, sed illud nobis integre reservamus: sanctioni præsenti manifestius inserentes, ut ad petendam restitutionem eandem, speciale mandatum, quod in minoribus & mulieribus exigitur, quorum procuratores & defensores restitutionem implorant, à procuratoribus statutis à nobis, vel à magistro iustitiario nostro, aut regionum iustitiario, quibus in causis civilibus & criminalibus statuendi procuratores & defensores concedimus facultatem, nullatenus exigatur.

TITVLVS XLI. DE ALIENATIONIBVS RERVM IN IVDICIO DEDVCTARVM.

I. Imperator Fridericvs.

Eorum fraudibus occurrentes, qui res mobiles vel immobiles, seu etiam incorporales, ante litem contestatam, vel etiam ante citationem factam, in alium quemlibet potentiorem transtulerint, causa mutandi iudicii, decernimus ipsos non ut olim tantum ad interesse, cuius probatio est difficilis & incerta, sed in tertia æstimationis rei, quam transtulerint, condemnari, quam sacro nostro ærario præcipimus applicari. Quod si post litem motam res in iudicium litigiosi cadentes aliquis scienter transtulerit, ut processum iudicii valeat impedire, venditor pretio rei venditæ, emptor etiam sciens alio tanto pretio rei venditæ, utroque fisco nostro applicando, mulctetur. Si autem sciens emptor probari non possit, cum præsumatur ignorans, propter bonam fidem suam, pretium recuperare volumus, quod exoluit; & de toto pretio, in quo venditor, qui semper sciens invenitur, ut prædiximus est damnandus: quartam lucri facere volumus ignorantem emptorem, aliis tribus partibus fisci nostri iuribus sociandis. Quæ omnia non tantum in venditionibus, sed in quibuslibet contractibus locum habeant. Contractus tamen de donationibus dotium, & donationum propter nuptias, nec non divisionum rerum hereditararium, & alienationum legati vel fideicommissi causa factarum, excipimus: tenore etiam veteris legis excepto.

TITVLVS XLII. DE EXPENSIS.

I. Imp. Fridericvs.

NOVA CONSTITVTIO.

Divorum Principum prædecessorum nostrorum vestigiis inherentes, universaliter omnibus iudicibus nostris iniungimus, ut victoribus victos, quos ignorantiæ causa probabilis & evidens non excusat, condemnare debeant in expensis: sic ut eas volumus de facultatibus propriis elargiri. In victoris sanè iudicio ponimus, utrum expensarum ipsarum

rum quantitatem, nulla taxatione iudicis muniendam, probationibus dilucidare voluerit, vel proprio ſacramento firmare, proinde iudicialis taxationis arbitrio moderandas.

TITVLVS XLIII. DE SALARIO PRO SCRIPTVRIS SENTENTIARVM.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

PRo ſcripturis & ſcriptoribus ſententiarum recipiant baiulus, iudex, & notarius centeſimam partem æſtimationis rei in litem deductæ, pro iuribus eorum, æquis inter eos portionibus dividendam, & ſuis utilitatibus applicandam; quam à victore vel eo recipient, qui ſententiam ipſam ad ſui cautelam voluerit in ſcriptis habere. Salarium autem prædictum inter eas expenſas computari cenſemus, quas præſtandas fore præſcripſimus à victo victori.

TITVLVS XLIV. DE APPELLATIONIBVS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

APpellationum tempora, per quas diffinitivæ ſententiæ ſuſpenduntur, certo dierum ſpatio iuſſimus limitari; ſtatuentes ut in quacunque parte regni ſententia extiterit, per quoſcunque officiales ſeu iudices quoſcunque prolata, delegationis iure vel ex officio ordinario cognoſcentes, à qua fuerit ad audientiam noſtri culminis appellatum, quinquaginta dierum ſpatium à die appellationis interpoſitæ habeat appellator, infra quod proceſſum iudicii & appellationis noſtræ curiæ præſentet. Et ut omnis omnino allegandæ difficultatis occaſio in poſterum conquieſcat, appellationes ipſas magiſtro iuſtitiario, ſeu iudicibus magnæ curiæ noſtræ ſufficiat præſentari. Ceterum ſi ad alios maiores iudices à minorum ſententia fuerit appellatio interiecta, qui nobiſcum in curia commorantur, tunc pro locorum diſtantiis, & cauſarum qualitatibus, nec non & perſonarum pronuntiationibus, iudicibus præſentandarum appellationum tempora præſtitui volumus appellanti: dummodo prædictorum quinquaginta dierum ſpatium non excedat indulta dilatio. Quæ omnia in ipſo apoſtolorum tenore volumus contineri. Illud etiam præſenti coniungimus ſanctioni, quod ſi poſt appellationem præſentatam, appellator ſine licentia iudicis, ad quem appellavit, diſceſſerit, nec inſtanter inſtet, ut rurſum debitum conſequatur, quaſi nunquam appellaverit, rata ſententia permanebit, niſi ipſo iure nulla à iudice ſuperiore dicatur.

TITVLVS XLV. DE CAVSIS IN IVDICIO CITO DECIDENTIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

VNiverſos & ſingulos iudices regni noſtri volumus cum voto noſtro concurrere, ut cauſas in eorum examine ventilatas cito decidant, advocatorum allegationibus, qui philacteria ſua perorando

dilatant, nisi quatenus desideratæ instructionis necessitas exegerit, nullatenus indulgentes: sed post dicta testium publicatorum in iudicio, & ex eis rubricas assumptas, in qualibet causa duorum dierum spatium tantum habeant advocati, ad disputandum de iure, & concludendum in causa. Quorum segnitiem si iudex causæ fortè repererit evidentem, expensas omnes quas parti propter tarditatem ipsorum afflixerint, cum integritate persolvãt. Quod si per advocatos forte non steterit, sed per partes, quæ concludere forte non volunt, expensas omnes similiter pars conclusionem & renuntiationem differens, adversario suo in utroque casu sacramento partis cum taxatione iudicis manifestandas exolvat. Partibus autem concludentibus, iudices ad decisionem causæ, secundum Deum & iustitiam instanter intedant: quibus propter causarum multitudinem certum pronuntiandi tempus nequivimus diffinire, ita quod infra decem dierum spatium, à die conclusionis numerandum, & salubri nostræ constitutionis provisione iudicibus præstitutum, causam studeant sententiali calculo terminare.

TITVLVS L. DE POENA IVDICIS QVI MALE IVDICAVIT.

I. REX ROGERIVS.

SI iudex fraudulenter atque dolosè contra leges sententiam protulerit, ab autoritate iudiciaria irrecuperabiliter cadat, noteturque infamia, rebus suis omnibus publicatis. Quod si ignorantia iuris in sententia oberraverit, & per simplicitatem animi manifestam, pro nostræ voluntatis arbitrio puniatur.

II. IDEM.

IVdex si accepta pecunia reum aliquem criminis & mortis fecerit, periculo capitis subiacebit.

III. IMP. FRIDERICVS.
NOVA CONSTITVTIO.

COrruptelæ crimen præsenti sanctione publicũ omnibus esse decernimus, ut accusandi vel deferendi quomodolibet de donatione vel promissione corruptos, quibuslibet libera licentia concedatur. Promissa pecunia de corruptione legitima probatione convicta, in præmium detur deferentibus vel accusantibus corruptelas: videlicet, ut si certum quid officialem aliquem in corruptelam sui recepisse, vel pollicitum admisisse constiterit, denuntians vel accusans accusatione vel denuntiatione probata tantundem ab officiali recipiat, quantum sibi promissum fuisse constiterit, vel ab ipso receptum. Ceterum si incertum sit, quod sibi promissum extiterit vel receptum, pœnam pollicitationis incerti, pro qualitate personarum & causæ, arbitrio permittimus iudicantis. Verum si promissor aut dator infra triduum denuntiare data vel promissa distulerit, tantundem, quantum ab eo datum vel promissum constiterit, fisco nostro componat.

TITVL.

TITVLVS XLVII. DE POENA ILLORVM, QVI IVDICES CORRVPERINT, VEL CORRVMPERE VOLVERINT.

I. Imperator Fridericvs.

Litigator autem, qui iudicem dando corrumpit, vel corrumpere promittendo voluerit, etiamsi bonam causam habeat, in ipsa succumbat. Hoc idem in eisdem magistro iustitiæ & iustitiario, si contra prædictam prohibitionē nostram receperint aliquid, volumus observari. Et ut in talibus quælibet omnibus delinquendi materia subtrahatur, edicimus ut officialis, cui in corruptelam sui promissionem fieri contigerit, promittentis nomen, & promissi etiam quantitatem & modum, nobis vel alicui, per quem ad nos notitia facti perveniat, studeat nuntiare.

TITVLVS XLVIII. DE PROBATIONIBVS IN APPELLATIONIBVS PRODVCENDIS.

I. Imperator Fridericvs.

Iurisperitorum altercationes determinare volentes sancimus, si quando testes in principali causa producti fuerint, & etiam publicati, super eodem articulo à producente vel adversario testes amodò produci non posse, propter falsi fabricandi materiam. Propter cuius timorem, post publicationem testium, testes produci denuo, iura in principalibus iudiciis vetuerunt, in appellationibus etiam removentes. Quod si nulli testes fuerint in causa principali producti, ita demum in appellationum iudiciis eos appellanti producere liceat, si is qui terminum ad probandum in principali causa receperit, iusta ex causa impeditum se doceat, propter quam speratos testes producere nequivisset: alioquin ad probandum denuo nullatenus admittetur. Præsenti etiam sanctioni illud edicimus ascribendum, si quando in causis appellationum probationes inducendæ sunt, vel interrogationes & confessiones fieri desiderantur, in eis ambæ partes necessario sint præsentes, ut eis cominus constitutis, causa plenius instruatur. Quod si in termino peremptorio prius appellata citata non venerit, nihilominus appellatore præsente altera parte contumaciter absente, ad confirmationem sententiæ secundum ius & iustitiam procedatur.

EXPLICIT LIBER SECVNDVS.

CONSTITVTIONVM NEAPOLITANARVM SIVE SICVLARVM LIBER TERTIVS.

TITVLVS I. DE IVRIBVS RERVM REGALIVM, ET DE PERSONIS QVIBVSLIBET SERVILIS ET VILIS CONDITIONIS CLERICALI OFFICIO REMOVENDIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

SCire volumus Principes nostros, Comites, Barones, Archiepiscopos, universos Episcopos & Abbates, quod quicunque de regalibus nostris magnum vel parvum quid tenet, nullo modo, nullo ingenio, possit ad nostra regalia pertinens alienare, donare, vel vendere, aut in totum vel in partem minuere, unde iura nostra regalia minuantur aut subtrahantur, aut damnum aliquod patiantur.

TITVLVS II. DE VASALLIS NON ORDINANDIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

ADscriptios sine voluntate & assensu eorum, quorum iuri subditi sunt & potestati, nullus Episcoporum ordinare præsumat. Hi quorum ascriptitii sunt, si quod præmium ob licentiam ordinandi vel consecrandi suscepisse convicti fuerint, ius ascriptitium perdant, & qui dederit pecuniam, ab ordine motus fisco nostro cum rebus omnibus suis vindicetur. Ne tamen sinistrum aliquod aliquando possit nostris constitutionibus obviare, si forte in rure vel vico Ecclesia constituta assignatos habuerit sacerdotes, quibus decedentibus sunt aliqui subrogandi, & pertinaces domini ruris vel vici super ascriptitiis fieri subrogationem negaverint, præsertim cum ex ipsis ascriptitiis persona idonea sacerdotio ab Episcopo expetitur, dignum clementiæ nostræ videtur atque iustissimum, ad iustam petitionem Ecclesiæ, adscriptitiorum dominum iure cogendum. Filii vero adscriptitii ordinati ad ascriptitiorum conditionem redeant, omni occasione remota.

TITVL.

TITVLVS III. DE HIS QVI DEBENT ACCEDERE AD ORDINEM CLERICATVS.

I. REX ROGERIVS.

ERrores eorum, qui villanos quoslibet sine licentia dominorum ad ordinem clericalem accedere, regia constitutione dicunt esse prohibitum, interpretatione benevola corrigentes decernimus, villanos prædicta constitutione intelligi fore prohibitos clericos tantum villanos prædicta constitutione intelligi fore prohibitos clericari, qui personaliter intuitu personæ suæ scilicet servire tenentur; sicut sunt adscriptitii, & servi glebæ, & huiusmodi alii. Qui vero respectu tenementi alicuius beneficii servire debent, si voluerint ad ordinem clericatus accedere, liceat eis sine voluntate etiam dominorum, prius tamen his, quæ tenent à dominis suis, in eorum manibus resignatis.

TITVLVS IV. DE IVRE SVÆ CVRIÆ OBSERVANDO.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

DIgnum fore credimus, & consentaneum rationi, ut qui iustitiæ solio præsidemus, & constanter atque perpetuo iura sua quibuslibet conservamus, rationum nostrarum non simus immemores: sed eas ab aliis temeritate quadam, & (ut ita loquamur apertius) illicita præsumptione detentas, ad dominium nostrum atque demanium revocemus. Huius igitur legis edicto inviolabiliter observando, regni Siciliæ omnibus fidelibus nostris edicimus, ut omnes civitates, castra, munitiones, casalia, villas, & quidquid in eis intus aut foris esse demanium, vel de demanio consuevit, in nostras manus integrè debeant resignare. Redditus etiam & servitia nobis debita, detineri ab aliquibus amodò vel supponi prohibemus: scituris firmiter cuiuscunque conditionis hominibus, regni nostri fidelibus universis, quòd qui de prædictis tenuerit aliquid, de quo non habet privilegium divorum Regum Rogerii, & Guilielmi primi aut secundi, prædecessorum nostrorum, aut oraculum nostræ celsitudinis speciale, à nobis ex certa scientia impetratum, vel indultum à prædecessoribus nostris divis parentibus nostris, & ex certa scientia nostra confirmatum, & usque ad festum Nativitatis proximum, in manus nostras vel ordinatorum nostrorum, irrequisitus etiam, non resignaverit, quadruplum etiam fructuum vel reddit人 seu cuiuscunque utilitatis, quod de detentis sic iniustè perceperit, proculdubio curiæ nostræ cum integritate persolvet.

II. IDEM.

NOVA CONSTITVTIO.

PErsonas rebus aliis præferentes, quanto eas pretiosiores habemus, tanto ipsarum detentoribus, quæ ad demanium nostrum immediatè spectare

noſcuntur, pœnam imponimus duriorem. In hoc enim non tam nobis proſpicimus, quam libertatis favori favemus, cum omnes meritò liberi cenſeantur, qui nullo medio ad imperialem celſitudinem & regiam pertinent poteſtatem. Hoc igitur prohibitionis noſtræ decreto omnibus regni noſtri nobilibus expreſſim prohibemus, ut nullus Comitum vel Baronum, ad noſtrum demanium pertinens, vel Baroniam aliquam, quæ noſtri demanii ſit, ulterius detinere præſumat. Alioquin ſi quis de cetero ſub diſſimulatione tranſiens, hoc noſtræ curiæ non exponat, publicatione bonorum omnium mulctandum eſſe cenſemus, detentorem vero ſcientem alio æquavalenti puniri cenſemus.

TITVLVS V. DE PROCVRATIONE FEVDORVM ET RERVM FEVDALIVM.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

COnſtitutionem divæ memoriæ Regis Rogerii avi noſtri, ſuper prohibita diminutione feudorum & rerum feudalium, ampliantes decernimus, omnes alienationes, ſeu quoſcunque contractus, ſuper feudis & rebus feudalibus minuendis aut commutandis, nullam omninò firmitatem habere, niſi de ſpeciali noſtræ celſitudinis licentia confirmentur. Tranſactiones etiam, ſi quæ ſuper eis ſine mandato noſtræ curiæ factæ fuerint, iuſiurandum interpoſitum, ſeu etiam ſtipulationem pœnalem, nullius decernimus eſſe momenti. Eiſdemque contrahentibus & alienantibus concedimus poteſtatem, iure proprio prædicta omnia revocare. Arbitria etiam ex compromiſſo ſuper præmiſſis facta nulla cenſemus, cum de eis conſtitutione noſtra certis perſonis magiſtro iuſtitiario & iuſtitiæ tantum cognitio ſit delata. Excadentias autem Baronibus & militibus locare permittimus, dummodo ſub eo annuo ſervitio & redditu locentur, ſub quo antiquo locari conſueverunt: ita quod in nullo debitum ſervitium vel redditus minuantur.

II. IDEM.

NOVA CONSTITVTIO.

HAc edictali lege in perpetuum valitura in omnibus regni noſtri fidelibus expreſſius inhibemus, ut nullus Comes, Baro, vel miles, vel etiam quilibet alius, vel clericus, res qualitercunque ſervitutibus obligatas, de quibus redditus & ſervitia curiæ noſtræ debeantur, quocunque alienationis titulo, inter vivos vel in ultimis voluntatibus, in alium pro parte vel in totum transferre præſumat, vel etiam commutare, unde ſervitium ipſum aut reditus curia noſtra perdat.

TITVL

TITVLVS VI. DE REVOCANDIS TRANSEVNTIBVS AD ALIENAM HABITATIONEM.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

QVisquis de Burgensibus aut villanis, ad nostrum demanium pertinentibus, temporibus retroactis ad Ecclesiarum loca Comitum, seu Baronum, vel aliorum quorumlibet, quacunque occasione transierit, incolatu seu habitatione nostri demanii derelicta, intra tres menses, si in eadem provincia fuerit, & si extra provinciam fuerit intra sex menses, post requisitionem ordinatorum nostrorum, ad terram demanii quam deseruit, redire præcise cum tota familia compellatur. Quicunque autem huiusmodi homines receperint scienter, aut receptos ab initio forsitan ignoranter contempserint reddere, requisiti libram unam auri purissimi cameræ nostræ componant; & recepto nihilominus cum omni commodo, quod inde admiserint, curiæ nostræ restituantur. Æqua etiam lance sancimus, ut Ecclesiarum homines Comitum, Baronum, vel militum, qui tamen dominis suis de personalibus servitiis minimè teneantur, si à tempore nostræ felicis coronationis se ad terras nostri demanii, seu aliorum quorumlibet transtulerint, ab eodem tempore spatio trium vel sex mensium, scilicet à tempore requisitionis emissæ, redire ad terras dominorum suorum mora qualibet & occasione depositis, compellantur. Prælatus seu Comes, Baro, vel miles, seu quilibet alii supradictorum hominum detentores, si scientes extiterint vel ignorantes, & ipsos non reddiderint requisiti, post temporis spatium supradictum, in dimidiam libram auri purissimi sentiant se fore damnandos: cuius medietas nostro ærario, reliqua medietas damnum passis volumus applicari.

TITVLVS VII. DE HOMINIBVS DEMANII AFFIDATIS NON TENENDIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

CVm universis & singulis regni nostri fidelibus credamus in tantum sufficere præeminentiæ nostræ favorem, ut adversus quorumlibet impetus valeant clypeo nostræ defensionis defendi, gravè non immeritò ferimus & molestè, quod aliqui ad aliorum patrocinia transeuntes, à nobis & officialibus nostris in eorum præsertim iudiciis protegi se posse diffidunt. Nolentes igitur hæc sub dissimulatione transire, & quæ in nostram perpetrantur iniuriam æquanimiter tolerare, præsentis legis edicto firmiter inhibemus, ut in terris demanii nostri, nulli omninò liceat affidatos vel recommendatos habere, vel dudum non sine offensa nostræ celsitudinis habitos retinere, nisi de habitis à quocunque tempore retroacto, vel in posterum habendis à nobis, vel divis Regibus, vel augustis prædecessoribus nostris, privilegium vel scriptum debita solennitate munitum ostendat. Præscriptionem etenim aliquam eis prodesse non volumus, qui fidei debita sa-

cramento contempto, quo non usurpare fiscalia, sed defensare tenentur homines ad nostrum demanium pertinentes, vel qui si ab eis recepti non essent, in nostro demanio remansissent, quantolibet tempore tenuerunt. Quisquis autem temerario ausu recipere aliquos tentaverit in posterum, vel retinere receptos, post mensem à die insinuatæ sanctionis istius decem libras auri purissimi fisco nostro componat. Quod si iteratò alios vel eosdem affidatos susceperit, vel etiam commendatos, bona sua omnia mobilia & immobilia publicentur. Iterum si temeritatem eandem reiterare tentaverit, volentes acerbius prosequi consuetudinem delinquendi, puniri decernimus supplicio capitis contemptorem; contraria consuetudine, quæ hactenus in quibusdam locis regni nostri obtinuisse dicitur, omninò sublatâ.

TITVLVS VIII. DE PROBATIONE PER INSTRVMENTA PVBLICA SVPER QVÆSTIONE HOMAGII.

I. Imperator Fridericvs.

SI dubitatio aliqua super hominibus oriatur, quod eas Cæsariani nostri ad nostrum demanium pertinere contendant, qui possessiones, aut feuda in civitatibus tenent, vel hereditagia sua asserant pertinere, huiusmodi formam volumus observari, ut omnes omninò ad nostrum demanium pertinere noscantur, communi iure dominii pro nobis prima facie faciente quos possessor per privilegia, ut nostra lex sanxierit, aut per emptionis alia publica & authentica instrumenta ad se non probaverit pertinere, vel felicium Regum tempore prædecessorum nostrorum prædecessoribus suis, qui feudum ipsum retinuerunt, iuraverint & de feudo suo retinuerint, & hodie inveniantur de feudo ipso aliquid pro certo tenere. Duo igitur sunt necessario requirenda ad hoc, ut homines, quos aliquis in civitatibus & castris nostri demanii tenet, affidatorum vel recommendatorum iure ad nostrum demanium nequeant advocari; videlicet quod prædictis prædecessorum nostrorum temporibus homines ipsos ipsi vel antecessores sui tenuerint, & quod in eisdem temporibus, vel ab ipsis vel prædecessoribus suis, de feudo vel hereditagio suo tenuerint aliquid, propter quod homines ipsorum meritò censeantur.

TITVLVS IX. DE HOMINIBVS NON TENENDIS RATIONE TERRÆ VEL FEVDI.

I. Imperator Fridericvs.

QVia frequenter sub prætextu liciti illicita attentantur, viam omnem & materiam fraudibus præcludentes decernimus, nemini licere occasione alicuius terræ vel feudi, quod teneat vel recipiat à Comite, Barone, seu milite, vel persona Ecclesiastica, aut etiam seculari, conventione qualibet, quavis iuris solennitate vallata, personā propriam aliquibus servitiis obligare, & sic sub occasione huius ad alterius commendationem

nem seu dominium convolare: sed tantum redditus in pecunia, vel rebus aliis, pro eo quod receperit, agnoscat. Nos etenim, qui sumus domini personarum, absque nostræ serenitatis assensu personas servitiis perpetuis aut conditionibus nolumus obligari.

TITVLVS X. DE HOMINIBVS BARONVM POSSIDENTIBVS TERRAM HOMINIS DEMANII.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

SI quando contigerit aliquos Ecclesiarum homines, Comitum, seu Baronum, aut militum, sive etiam angariarii sint, sive etiam villani simpliciter, aut cuiuscunque conditionis esse noscantur, hereditagia (vel partē eorum) ab hominibus nostri demanii, aut quibuslibet aliis, qui ea in terra demanii aut pertinentiis eius possideant, comparare, aut aliter acquirere, sub ea conditione emptorem habere comparanda vel comparata disponimus, sub qua venditor ipse tenebat. Videlicet ut proinde domino suo in nullo penitus teneatur, & sine ipsius licentia & mandato ea eis vendere, donare, aut qualitercunque alienare inter vivos, vel ultima voluntate liceat, quæ sine ipsius licentia iure licito comparavit. Et si contigerit talem emptorem ab intestato decedere, hi ad successionem eius veniant in prædictis, qui alias possent ad successionem eiusdem ex descendenti, vel ascendenti, aut collaterali, in ea ab intestato venire. Quod si de prædictis nullus omnino supersit in eo, quod de feudo, tum ab eo dominus feudi succedat: in hereditagiis autem defuncti quolibet iure quæsitis fiscum nostrum esse decernimus, sicut & in omnibus aliis bonis vacantibus ultimum successorem. Postquam autē ad fiscum nostrum pervenerint res prædictæ, per nos, prout nostræ maiestati, & sub quibus conditionibus, vel redditibus, & servitiis placuerit, poterunt collocari. A tenore autem huius sacratissimæ sanctionis excipimus baiulos dominorum, qui res ipsas administrandas susceperint; quos non prius huiusmodi acquisita alienare volumus, aut quolibet modo transferre, quam de administratione sua satisfaciant dominis, vel per eos steterit, quominus satisfactionem recipiant requisiti.

TITVLVS XI. DE RECOMMENDATIS VEL REVOCATIS NON DETINENDIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

AD subiectorum nostrorum invidiam non convenit revocare, si privatis aliquando commodis nostris intendimus, si iura nostra non patimur ab aliis usurpari. Hinc est quod prælatis Ecclesiarum, Comitibus, Baronibus, seu quibuslibet aliis nostris fidelibus firmiter inhibemus, quod nullus recommendatos vel ad nostram revocationem in posterum retineat: sed ipsos in civitatibus nostri demanii baiulis, vel aliis officialibus nostris, sine difficultate assignent, vel ad loca ipsis revocatis destinata

remittant. Quod si huius constitutionis nostræ quispiam violator extiterit, vel eidem fraudem fecerit, bonorum suorum omnium mobilium publicatione damnetur. Ceterum ne prælati, Comites, vel Barones, seu quilibet alii detentores, occasione præsentis constitutionis contra iustitiam in possessionibus aggraventur, quas revocatos ab ipsis tenere contigerit, dummodo alibi commorantes possessionibus ipsis liberè perfruantur; & ne revocati prædicti per nos possessionum suarum emolumento priventur, dum ipsi uti non permittantur à dominis, vel uti nequiverint, ad remotiora forsitan loca translati: utrisque discreta provisione providimus, ut rigore iuris communionis in hac parte sopito, revocati possessiones easdem hominibus aliis vasallis pristini detentoris distrahere compellantur, & domini valallos suos emere iusto pretio distrahendo compellant.

TITVLVS XII. DE NON OPPRIMENDIS VASALLIS A DOMINIS.

I. Imperator Fridericvs.

PRæsenti constitutione decernimus, ut nullus dominorum vasallos suos contra iustitiam opprimat, vel ab eis contra constitutionem nostram illicitum auferat; quod qui fecerit, expensas vasallo suo victori resarciat, & ablati duplum curiæ nostræ componat. Vasallus autem qui dominum suum occasione prædicta contra iusticiam impetere calumniose tentaverit, in expensis victori dominus condemnetut. Sic enim utriq; consulimus, & nequitiam domini & vasalli calumniam condemnamus.

TITVLVS XIII. DE ADHIBENDA FIDEIVSSIONE DOMINORVM IN VASALLIS.

I. Imperator Fridericvs.

SI dominus vasallum suum, qui pro eo in criminali causa fideiusserit, à fideiussione non liberaverit, ipso iure homagium amittat. Si vero in civili causa, vel pro debito, ipsum fideiubentem liberare non curarit, ad omne damnum, quod proinde vasallus incurrerit, dominus teneatur: data licentia pignorandi vasallis dominos suos in mobilibus, aut deinde in hereditariis, & ultimo in feudalibus, & etiam vendendi mobilia, postquam pro dominis suis solverint, & hereditaria per annum à die solutionis & pignorationis ea tenuerint, ut ex prædictorum pretio suæ indemnitati provideant. Feudalia tamen capta pignori obligare non poterunt, sed ex eorum fructibus indemnitati suæ similiter prospicere curabunt. E contrario, si vasallus dominum pro criminali causa fideiubentem liberare neglexerit, quidquid ab eo tenet, amittat: in quæstione civili, seu pro debito, si dominum fideiussorem suum vasallus detractaverit expedire, datâ plenâ licentiâ domino pignorandi ad omne damnum, quod proinde incurrerit dominus, vasallus eius integrè teneatur.

TITVLVS XIV. DE DOTARIIS CONSTITVENDIS IN FEVDIS ET CASTRIS.

I. REX ROGERIVS.

SI quis Baro vel miles uxorem duxerit, & tria feuda habuerit, liceat ei unum dotarium uxori suæ de tribus feudis constituere. Si autem pauciora habeat, secundum qualitatem feudorum, dotarium ei in pecunia constituere permittimus. Ceterum si plura tribus habeat, proportione quæ superius statuta est habita, dotarium ipsum constituere licebit. Comes autem vel Baro, qui castra tenet, de castris ipsis dotarium constituere poterit: dum tamen castrum, unde Baronia vel Comitatus nomen assumpsit, in dotarium constituere non possit.

II. REX GVILELMVS.

MVlier quæ dotarium habuerit in terra, post mortem viri heredem vel dominum Baroniæ de dotario assecurare tenetur; videlicet de vita, membris, & captione corporis sui, & quod non quærat artem vel ingenium, qualiter prædictum dotarium de Baronia vel Comitatu subtrahatur: salvo per omnia mandato superioris domini. Filios tamen communis matrimonii mulier assecurare non tenetur. Ad submonitionem præterea domini Baroniæ, domina quæ dotarium tenet, tantum servitium curiæ tenetur præstare; quod si non præstiterit, ter submonita, per dominum poterit dissaisiri. Iniusta etiam gravamina hominibus dotarii illata domina per dominum Baroniæ vel feudi emendare tenetur. Homines dotarii debent assecurare dominam, salvo iure per omnia dominii Comitis vel Baronis: similiter & Comitem seu Baronem assecurare tenentur, salvo iure dotarii dominæ supradictæ.

III. IMPERATOR FRIDERICVS.

LIcentiam Baronibus & militibus impertimur, posse etiam de duobus feudis dotarium constituere: & si unum tantum & dimidium habeant, dimidium feudum ei in dotarium constituere licebit. Ceterum si unum tantummodo, non in terra, sed in pecunia uxori suæ, pro qualitate feudi, facultatem constituendi dotarium in posterum Barones & milites sibi noverint fore permissam.

TITVLVS XV. DE FRATRIBVS OBLIGANTIBVS PARTEM FEVDI PRO DOTIBVS SORORVM.

I. REX GVILELMVS.

FRatribus ob dotes sororum suarum, si mobilia vel hereditagia non habeant, sororibus suis partem feudi permittimus obligare: & si etiam tria feuda aut plura habeant, unum ex eis in dotem so-

rori dare possunt. Vt tamen in omnibus supradictis quando feudum alienatur, vel obligatur, aut in dotarium constituitur, matrimonium ipsum de speciali nostra licentia contrahatur. Aliter omnes conventiones nullas vires habebunt.

TITVLVS XVI. DE ASSECVRATIONE DOMINORVM A VASALLIS.

I. REX GVILELMVS.

Domini à vasallis suis assecurari debent, videlicet de vita, membris, & captione corporis sui, & terreno honore. Consilium quod eis crediderint, nulli revelent: & si aliquod sinistrum de eis audierint, quod per se vel per alium disturbare non possunt, eis aut aliis pro parte eorum, per se vel per alios, quam citius poterunt, nuntiare curabunt. Non erunt in arte, consilio, vel consensu, qualiter domini terram quam habent, amittant: imò eam ipsis contra omnem hominem defendere pro posse curabunt, salvo per omnia fidelitate, & mandato, & ordinatione nostra & heredum nostrorum.

TITVLVS XVII. DE FIDEIVSSIONE DOMINORVM A VASALLIS.

I. REX ROGERIVS.

SI vasallus à domino suo publicè requisitus, pro eo fideiubere noluerit, vel feloniam contra ipsum, filios, vel uxorem commiserit, vel servitium, quod ei debet, ter submonitus non præstiterit, vel rationem pro eo in curia sua conquerentibus, de eo quod ad dominum spectat, per sententiam iudicis facere noluerit, dominus potest de eo quod tenet ab ipso, ipsum per exguardium dissaisire. E contra, si dominus pro vasallo suo, qui sit in curia criminaliter accusatus, de eo quod ad regiam maiestatem non spectat, fideiubere noluerit, vel ipsum sine iusta causa verberaverit, vel cum uxore sua adulterium commiserit, vel filiam eius invitam defloraverit, homagium eius amittat, & homo prædictus immediatè ad curiam nostram pertineat.

TITVLVS XVIII. DE ADIVTORIIS EXIGENDIS AB HOMINIBVS.

I. REX GVILELMVS.

QVamplurium regni nostri fidelium ad nos querela pervenit, quod prælati Ecclesiarum, Comites, Barones, & milites in necessitatibus suis pro suæ voluntatis arbitrio ab hominibus suis adiutoria exigunt & extorquent. Volentes igitur tam duræ subiectorum nostrorum oppressioni misericorditer providere, statuimus dominos non nisi in subscriptis casibus ab hominibus eorum adiutorium petere: videlicet, in redimenda persona domini, si forte ab inimicis nostris in servitio nostro captus

ptus fuerit, pro faciendo filio milite, pro maritanda filia vel sorore, pro emenda terrâ, videlicet ea tantum vice, cum eam emerit pro servitio nostro vel exercitus nostri, moderatè tamen in his, quæ pro nostro corredo dantur. De prælatis tamen Ecclesiarum statuimus, ut in his tantum casibus ab hominibus suis adiutorium petant, videlicet pro consecratione sua, cum ad consilium à domino Papa fuerint vocati: pro servitio exercitus nostri (siquidem in exercitu fuerint) vel si vocemus eos, vel miserimus eos pro servitiis nostris, vel corredo nostro, cum in terris eorum nos hospitari, vel corredium ab eis recipere contigerit. In omnibus prædictis casibus, moderatè tamen, domini ab eis adiutorium exigant & requirant.

TITVLVS XIX. DE ADIVTORIIS PRO MILITIA FRATRIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

Comitibus, Baronibus, ac universis militibus regni nostri, qui feuda tenent, concedimus facultatem pro militia fratris, cum Comes, vel Baro, aut miles suis expensis militem fecerit, ab hominibus suis adiutorium exigere moderatum, pro facultatibus hominum & expensarum, etiam quantitatis; tamen pro faciendo fratre milite, non minus quam pro sororibus maritandis, occasione eorum, quæ à communi patre frater maior habere dignoscitur, ex debito teneatur. Et licet frater minor à familia fratris, fratre etiam contradicente, discesserit, dum forte ad fortunæ melioris compendium adspirat, rediens tamen quolibet tempore militiam sibi debitam, absque alicuius repulsæ timore, de bonis patris à fratre maiore petere poterit & habere.

TITVLVS XX. DE MATRIMONIIS PVBLICE CONTRAHENDIS.

I. REX ROGERIVS.

Sancimus lege præsenti volentibus omnibus contrahere matrimonium, necessitatem imponi universis hominibus regni nostri & nobilibus, maximè post sponsalia celebrata, solennitate debita, & sacerdotali benedictione præmissis, matrimonium solenniter & publicè celebrari. Alioquin noverint amodò, morientes contra nostrum regale edictum, neque ex testamento, neque ab intestato se habituros heredes legitimos, ex clandestino matrimonio & illicito, contra nostram sanctionem procreatos, mulieres etiam dotes aliis nubentibus legitimè debitas non habere. Rigorem cuius sanctionis omnibus illis remittimus, qui promulgationis huius tempore iam matrimonium contraxerunt. Viduis etiam volentibus ducere virum, huius necessitatis vinculum relaxamus.

TITVLVS XXI. DE VXORE NON DVCENDA SINE PERMISSIONE CVRIÆ.

I. Imperator Fridericvs.

HOnorem nostri diadematis debitum conservantes, præsenti constitutione sancimus ubique per regnum, ut nullus Comes, Baro, vel miles, vel quilibet alius, qui Baronias, castra, vel feuda in capite à nobis tenet, vel ab alio, quæ in quaternionibus doanæ nostræ inveniuntur in scriptis, sine permissione nostra uxorem ducere, aut maritare filias, sorores, aut neptes, vel quaslibet alias, quas ipsi possent aut debeant maritare, aut filios uxorare, cum immobilibus aut mobilibus præsumat; huic legi consuetudine, quæ in aliquibus regni partibus obtinuisse dicitur, non obstante.

II. idem.

NOVA CONSTITVTIO.

CVm hereditarium regnum nostrum Siciliæ, cuius præclara nobis hereditas laudabiles mores suorum incolarum consueverit enutrire, ac processu temporis habitatores ipsius servitii & fidei exhibitione claruerunt in necessitatibus dominorum: sæpè iam contigisse dolemus, quod post diversarum mixturam gentium, passa est ex alienis moribus regni sinceritas corruptelam. Itaque ex quo homines regni Siciliæ se cum alienarum filiis miscuerunt, denigrata est puritas hominum; & excrescente dierum malitia, & infirmitate mentium inquinata, conversationibus ac usibus ceterorum veritas decrevit in populis, & ab illorum fermento grex est fidelium maculatus. Ne timeatur ergo deinceps cohabitantium in regno diversitas nationum, magna illatura discrimina, vel ad regni magna incommoda progressura, volentes hominum diversitatibus competens adhibere remedium, præsertim ne in regno nostro gentium infirmitas nutriatur, edicto generali solenniter duximus statuendum, universis de regno & singulis inhibendo, ut nulli liceat amodo de filiis & filiabus regni matrimonium cum exteris & alienigenis, qui vel quæ non sunt de regno, absque speciali requisitione & mandato, ac consensu nostræ curiæ contrahere. Eo videlicet modo, ut nec aliqua de regno nubere alienigenis audeat, nec aliqui filias alienigenarum ducere in uxores. Eos qui contra præsumpserint, bonorum omnium spolatione mulctamus.

TITVLVS XXII. DE MORTE BARONIS NVNTIANDA IMPERATORI.

I. Imperator Fridericvs.

POst mortem Baronis vel militis, qui à Comite vel Barone alio Baroniam aliquam vel feudum tenuerit, quæ in quaternionibus doanæ nostræ inveniuntur in scriptis, defuncti mortem per Comitem vel Baronem, à quo prædicta tenuerit, excellentiæ nostræ volumus

nuntiari: & quid sive quantum sit illud, quod defunctus ab ipso tenebat, mobilia etiam decedentis scribi volumus seriatim. Et ea omnia in publica documenta redacta, ad nostram curiam destinari iubemus, ut ex iussione nostra, quibus prædicta assignari debeant, iniungantur. Baroniam etiam sive feudum, quod ad concessionem munificentiæ nostræ spectat, si quando à nobis concedi contigerit, ut est moris, literas nostras ad eum, à quo feudum tenetur, curabimus destinare. Et quod id quod tenet ab eo, sive sit castrum sive sit terra plana, ei cui nos concesserimus, debeat assignare: suscepto tamen mandato nostro, & nulla mora protracta, Comes vel Baro illud exequi procurabit. Recepto verumtamen aliquo relevio (ut est moris) quod quantitatem decem unciarum auri non excedat, pro assignanda possessione terræ concessæ.

TITVLVS XXIII. DE SVCCESSIONE FILIORVM COMITVM ET BARONVM.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

IN aliquibus regni nostri partibus consuetudinem pravam audivimus hactenus obtinuisse, quod in bonis Comitis, vel militis, qui decesserit, filiis masculis non relictis, filiæ non succedunt: sed consanguinei, quantumcunque remoti, masculini sexus, tam balium puellarum ipsarum post mortem patris accipiunt, quam successionem usurpant, & ipsas pro ipsorum dispositione maritant. Quod quidem & naturæ dignoscitur esse contrarium, quæ parentum votis absque discretione sexus, tam masculos quam fœminas commendavit, & iuri tam communi quam nostro specialiter derogatur. Hac igitur lege nostra per universas partes & singulas regni nostri valitura sancimus, patre mortuo tam filios quam filias, puberes aut maiores minoresve, ad parentum successiones absque sexus discretione vocari. Si autem filii masculini una cum filiabus fœminis, aut etiam sororibus, patri decedenti supersint, cuiuscunque conditionis pater fuerit, Francus videlicet, aut etiam Longobardus, vel miles Burgensis, in successione bonorum præferri volumus masculos fœminis; dum tamen sorores, aut amitas, fratres aut nepotes, pro modo facultatū suarum, & filiorum superstitum numero, secundum paragium debeant maritare. Ceterum si tantum fœminæ superstites fuerint, ipsas si maiores sint, exclusis aliis consanguineis, volumus ad successionem admitti. Si vero minores filiæ Comitum, Baronum, aut militum superstites fuerint, ipsarum balium nostra excellentia recipiat ipsum, vel sibi tenendum, vel alii, qui ex fide illud gerere debeat, iuxta approbatam regni consuetudinem concedendum. Ac deinde ipsas, quum ad nubilem ætatem pervenerint, & balium nostrum, vel alterius supervenientem, quindecimum annum excesserint, de provisione mansuetudinis nostræ, Deum habentes præ oculis, cum bonis omnibus, quæ patris fuerunt, secundum paragium curabimus maritare.

TITVLVS XXIV. DE SVCCESSIONE NOBILIVM IN FEVDIS.

I. Imperator Fridericvs.

Comite vel Barone viam universæ carnis ingresso, filii eorundem aut nepotes eorum recipere ab hominibus sacramenta non audeant, nisi prius de sacramentis ipsis recipiendis ab excellentia nostra, prout moris est, obtentis licentia & mandato. Quod qui contra fecerit, tam Baroniam prædictam & feudum, quam reliqua bona sua, tam mobilia quam stabilia, noverit publicanda.

II. idem.

VT de successionibus Comitum & Baronum, & eorum omnium, qui feuda à nobis in capite tenent, vel ab aliis etiam, nulla omninò in posterum dubietas possit oriri, dilucida constitutione sancimus, feuda tenenti filios, & nepotes, & ex eis pronepotes, trinepotes, & usque ad infinitum, ex descendenti linea descendentes, cuiuscunque sexus sint, liberè & absolutè posse succedere; servata tamen sexus prærogativâ, ut mulieri masculus præferatur. Nec non maioris ætatis inter eos, qui vivunt in regno specialiter iure Francorum, ex collaterali linea venientes, ut fratres, sive ex utroque parente, sive ex altero tantum, & sorores in capillo, excluso etiam communi patre superstite, omninò succedunt: coniugatæ autem & dotatæ à fratrum successionibus repelluntur. Filii autem fratrum in his, quæ communis patris fuerunt, avi eorum scilicet, idem ius, quod pater eorum, habeant. In acquisitis autem patruo ex largitione nostra, vel quolibet titulo, iure suo nepotes ex fratribus non succedunt. In ulteriori autem gradu positis, scilicet filiis nepotum ex fratribus, & sequentibus, in his etiam quæ communis proavi fuerunt, successio non defertur. Filiæ autem in capillo post mortem patris in domo manentes, maiores sorores coniugatas & dotatas, de bonis patris excludunt. Ceterum si de bonis paternis dotatæ non sunt maiores, minoribus præferuntur, si Francorum iure vivant: si autem vivant iure Longobardo, collatis dotibus in viriles partes successione divisa, portionem suam coniugata seu coniugatæ, quæcunque sint, poterunt vindicare. In omnibus autem, in quibus prædiximus aliquos velut ulteriores gradu, sive in communium prædecessorum rebus, sive in acquisitis, excludi debere, spem nostræ gratiæ petentibus non negamus: imò ipsos aliis in liberalitate nostra præferre disponimus, si eiusdem feudi ad nos rationabiliter devoluti simul competitores existant; dummodo à consanguineis tantum nostræ curiæ offeratur, quantum ab extraneo est oblatum. Si tamen nos, vel in demanio nostro feuda ipsa tenere velimus, vel aliis ex mera liberalitate donare, iniuriam nullus sibi fieri existimet, si quod ad ius nostrum iustè devolvitur, vel retineamus nobis, vel aliis, qui à nobis præstolantur beneficia, conferamus.

TITVLVS XXV. DE FILIIS CLERICORVM.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

SIcut accepimus nostrorum servitia subditorum, & ipsos quoties expedit ad nostra mandata & beneplacita nostra in personis & rebus expositos invenimus: ita spectat ad nostri culminis dignitatem, ipsorum commoda digna provisione pensare: ut si quis defectus impediat, autoritate nostri remotus edicti, commodum curiæ nostræ proveniat, unde nostrorum fidelium utilitas procuretur. De ordinatione igitur nostra procedit, ut quia filii clericorum in paternis & maternis bonis vel rebus, pro legitimo defectu natalium, ius successionis amittunt, beneficio curiæ de potestatis plenitudine, quam habemus, subveniatur eisdem: ut ea, quæ per successionem habere non possunt, iure locationis à nostra clementia recognoscant. Quare mandamus, quatenus per totam iurisdictionem tuam, in quibuslibet civitatibus, villis, & castris, super possessionibus, quæ paterno vel materno iure debentur filiis clericorum, obiectione prolis illicitæ non obstante, certum & annuum redditum, videlicet pro quantitate rerum, adiici facias, sicut commodius videris expedire. Deinde de autoritate nostræ curiæ filios clericorum in sarcinam paternarum & maternarũ rerum & possessionum immittas: salvo certo & annuo redditu, de quo teneantur annis singulis in festo Natalis Domini, nostræ curiæ respondere; ita quod si in constituto sensu defecerint, à paternis & maternis bonis penitus excludantur. Adiicimus insuper ut donec parentps ipsorum vixerint, nisi de bonis ex possessionibus suis censuerint spontanea voluntate, bona & possessiones suas libere teneant usque ad obitum eorundem, censu in quaternionibus curiæ nihilominus annotato, quem filii, postquam ad eos paterna & materna bona pervenerint, nostræ curiæ solvere teneantur; nec bona ipsa possint devolvi ad alios vel alias, vel alienare in præiudicium filiorum, per parentes eorum, nisi quatenus nostris legibus est permissum.

TITVLVS XXVI. DE REBVS STABILIBVS ECCLESIASTICIS NON ALIENANDIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

PRædecessorum nostrorum veterum Principum constitutionem, quam antiqua turbatio præteriti temporis antiquarat, nova provisione novantes edicimus, quod nulli subiectorum nostrorum clerico vel laico liceat de domibus templi vel hospitalis, seu quolibet alio loco religioso, de quo nostræ curiæ servitium minimè debeatur, possessiones hereditarias vel patrimoniales vendere, vel donare inter vivos, seu aliquo donationis modo, nisi ex æquali causa permutationis, transferre. Ceterum si in ultima voluntate aliquem de prædictis locis heredem instituerit, vel aliquod sibi legaverit, tunc domus, quæ institutionem vel legatum acceperit, teneatur infra annum alicui de proximioribus defuncti, vel de Bur-

gensibus nostris, relicta stabilia vendere vel locare. Quod si ultra annum facere prædicta distulerit, possessiones ipsas post anni lapsum fisci nostri iuribus volumus applicari. De rebus autem quibuscunque mobilibus, quantumcunque pretiosis, relinquendi prædictis domibus, & aliis religiosis locis, concedimus omnibus liberam facultatem.

TITVLVS XXVII. DE IVRE BALII.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

Minoribus, qui ætatis suæ suffragio iuvari non possunt, imperiali remedio providentes statuimus, si quando balium impuberum masculorum aut fœminarum gerendum alicui serenitas nostra concesserit, hi qui balium gesserint pupillorum, postquam balium pubertate superveniente dimiserint, de administratione balii reddere debeant rationem, præsente iustitiario regionum, aut alio, cui hoc specialiter duxerimus delegandum: ita videlicet, quod deducto eo, quod curia pro ipso balio (prout moris est) dederit, nec non deductis iustis & moderatis expensis, quas pro victu & vestitu suo, & quas in persona aut rebus pueri, vel pro servitio debito curiæ nostræ, de his quæ minor tenet, ipsum balium fecisse constabit, reliqua pupillo integrè reddere teneantur. Quod si fraudulenter cum res minoris administrasse fuerit manifestè comprobatum, omne damnum, quodcunque per fraudem ipsam pupillo contigerit, eidem de rebus suis resarcire cogatur, & tantundem sacris nostris largitionibus inferre: prava consuetudine, quæ hactenus balios à ratiociniis eximebat, in posterum quiescente.

TITVLVS XXVIII. DE ADMINISTRATIONIBVS RERVM ECCLESIASTICARVM POST MORTEM PRÆLATORVM.

I. REX ROGERIVS.

Pervenit ad audientiam nostram, quod baiuli, qui olim statuti fuerant super Ecclesiis, pastoribus carentibus, ad custodiendas & salvas faciendas res Ecclesiarum, quamdiu eisdem pastoribus providebatur, non ita fideliter & studiosè, sicut à nostra curia erat iniunctum, ipsum servitium peragebant: sed male tractabant & custodiebant res ipsarum Ecclesiarum. Verum, quia omnes Ecclesias regni nostri, & specialiter ipsas, quæ pastoribus carent, in manu & protectione nostra habemus, nolentes, ut res Ecclesiarum illarum in aliquo minuantur, vel defraudentur: statuimus & sancimus, ut deinceps si quis Archiepiscopus vel Episcopus regni nostri decesserit, res ipsius Ecclesiæ in custodia trium de melioribus & fidelioribus, nec non & sapientioribus ipsius Ecclesiæ, ad custodiendas & conservandas eas, ad opus Ecclesiæ, usque dum de pastore in eadem Ecclesia provideatur, committantur: & tantummodo de redditibus & proventibus ipsius Ecclesiæ, ad usum servientium ibidem morantium, necessaria rationabiliter & sufficienter ministrentur. Et

ex eis

ex eis ipsi Ecclesiæ multum benè & rationabiliter serviatur: residuum ab ipsis custodibus ad opus ipsius Ecclesiæ, salvè & integrè custodiatur, donec ibi pastor fuerit constitutus. Constituto autem in Ecclesia pastore, quidquid de rebus & introitibus ipsius Ecclesiæ remanserit, ipsi pastori eorum assignent, & ei rationem reddant.

TITVLVS XXIX. DE NOVIS ÆDIFICIIS.

I. REX ROGERIVS.

CAstra, munitiones, & turres, ab obitu divæ memoriæ Regis Gulielmi, consobrini nostri, erecta, super quibus minimè diruendis maiestatis nostræ licentia non præcesserit, prout in Capuana curia per nos extitit stabilitum, revocatâ constitutione nostra, denuò dirui debere mandamus; publicationis pœna ipsius castri vel novi ædificii, constitutionis nostræ contemptoribus imminente, si usque ad Nativitatem Domini proximam diruere ædificia contemnant. Illud etiam præsenti adiungimus sanctioni, ut nec munitiones alicui reficere dirutas liceat, sine nostri culminis iussione.

II. IDEM.

IN locis demanii nostri ædificia erigi in posterum prohibemus, per quæ ipsorum locorum defensio vel munimen, aut liber introitus aut exitus valeat impediri. In prædictis locis turres erigi amodò per privatos expressius inhibemus. Munitiones etenim nostras, & quod est securius, protectionis nostræ munimen, regni nostri fidelibus plenè sufficere credimus ad tutelam.

TITVLVS XXX. DE SERVIS ET ANCILLIS FVGITIVIS.

I. REX GVILELMVS.

SErvos & ancillas omnes fugitivos ab aliquo capi generaliter omnibus prohibemus; nisi captos, quam citius poterint, domino suo restituant: vel si dominum ignoraverint, baiulis curiæ nostræ assignent, & baiuli magnæ curiæ nostræ transmittant eosdem. Scituri quod quicunque amodò aliquo modo servum aliquem vel ancillam fugitivam capere, vel quomodolibet detinere præsumpserit, ipse cum omnibus bonis suis pœnæ curiæ subiacebit; baiulis, nisi magnæ curiæ nostræ transmiserint, eandem pœnam laturis.

II. IMPERATOR FRIDERICVS.

MAncipia fugitiva, quæ constitutio regia per baiulos ad magnam curiam nostram debere transmitti constituit, nec quid de eis fieri debebat statuit, per annum præcipimus dominorum commodis reservari: ut si intra annum, is, qui legitimis documentis dominium probare potuerit, appareat, supradicta mancipia ei restitui debere censemus: salvo iure, quod ex obtenta veteri consuetudine proinde curiæ nostræ debetur. Aliàs si domini non appareant

privatis nostris utilitatibus aggregentur. Statuimus etiam, ut inventas res & pecunias, quarum veri & legitimi domini non apparent, & quas per inventores earum constitutio regia ad magnam curiam debere deferri præscripsit, locorum baiulis sufficiat assignari. Nec enim æquum vidimus, ut is, qui zelo fidei, quo tenetur curiæ, totum quod invenit, assignet, propter fidem suam incommodum sentiat, ut cogatur invitus ad curiam remotam multis locorum distantiis forsitan laborare. Quicunque autem res inventas huiusmodi baiulis nostris non assignaverint, & baiulis etiam, qui assignatas ad curiam nostram non miserint, furti pœnâ nostro ærario inferendâ, pro certo se noverint fore damnandos.

TITVLVS XXXI. DE PECVNIA INVENTA, ET REBVS ALIENIS.

I. REX GVILELMVS.

PEcuniam si quis invenerit, aurum vel argentum, lapides pretiosos, vel quaslibet res alias, quæ suæ non sint (animalibus exceptis, de quibus fiat, sicut præordinatum est) inventor iustitiariis nostris, vel baiulis ipsarum partium statim ostendat, & sine dilatione ipsemet ad magnam nostram curiam deferat & assignet: alioquin & ipse furti pœna tenebitur. Scire etenim debet unusquisque inventiones omnes regni nostri, quarum dominus non apparuerit, ad fiscum specialiter pertinere. Pietas enim nostra propter absentes misericorditer statuit res ipsas, postquam ad manus nostræ curiæ pervenerint, usque ad annum completum per se conservare, ut si quis forte intra annum venerit, & de rebus ipsis aliquas suas fore probaverit, quod suum fuerit, consequatur: alioquin post transactum annum fiscalibus utilitatibus adscribantur.

TITVLVS XXXII. DE PRÆSCRIPTIONIBVS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

DVram & diram consuetudinem & iniquam, quæ circa præscriptiones in aliquibus regni nostri partibus obtinet, in posterum silere præcipimus, & præsentem legem circa ipsas inducimus, omnibus aliis ipsi contrariis inter regni nostri fideles omninò sublatis. Sancimus igitur præscriptionem anni, mensis, diei, & horæ, per quam aliquis de dominio suæ rei cadebat, & Francus de dissasina quæri non poterat, penitus amoveri: sed generales præscriptiones communis iuris locum habere, scilicet inter præsentes decennii, inter absentes vicennii, præcedente scilicet titulo, & bona fide ex utraque parte undique concurrente. Per tricennalem etiam præscriptionem inter privatos (excepta hypothecaria actione, cuius vita interdum in annos quadraginta protenditur) omne ius & omnem actionem volumus submoveri. Quadragenaria etiam præscriptione, inter fratres lege Longobardorum inducta, super adæquatione stantium partium minimè facienda, & super rebus, quas alter ex fratribus tempore prædictæ possessionis aliunde habere se iurat, in suo robore duratura, & ad omnes regni nostri fideles per præsentem constitutionem nostri culminis prorogata: usucapionibus, quæ in rebus mobilibus iuris communis inductæ sunt, in sua firmitate servatis.

II. IDEM.

II. IDEM.

Consuetudinem pravam hactenus in iudiciis obtinentem de medio tollere disponentes, per quam feuda quamvis magna temporum longinquitate possessa, præscribi non poterant, & sic possessio possessori, vel etiam petitori ad probandum dominiũ rerum, quas forsitan ipsi & antecessores sui, tempore cuius memoria non extabat, possederant, in nullo valebat: præcipimus eum, qui in posterum triginta annis feudum integrum, vel quotam partem feudi, de quo certum & designatum servitium nostræ curiæ vel cuilibet alii debeatur, continuè & sine interruptione civilis vel naturalis temporis, vel minoris ætatis adversarii, præsente etiam in regno adversario suo, possederit, in perpetuum fore securum: & actionem ei contra quemlibet possessorem, si à possessione ceciderit, exceptionem contra petentem quemlibet indulgemus. Quod etiam ad illos porrigimus, qui usque ad hæc tempora triginta annis præteritis tenuerunt; in quibus, etsi non plenè iustitiam potuerunt consequi conquerentes, in hoc saltem de evidenti desidia excusari non possint, quod interruptionem præscriptionis apud eos, qui à nobis administrationem habebant, per conventionem legitimam, aut contestationem litis, prout veteribus legibus est inductum, inducere potuerunt. Prædicta autem omnia ita sanè accipi volumus, ut tricennalis præscriptio in feudis integris, & eorum quotis partibus, locum habeat: ex quibus præscriptionibus nullum potest reipublicæ præiudicium irrogari, cum apud quemcunque resideat servitium designatum & debitum, quod non tam personæ, quam rei ipsi adscriptum esse dignoscitur, minimè amitti poterit, vel in aliquo minorari. Ceterum si super aliquo prædio, vel prædiis ad feudum seu partem feudi certam pertinentibus, quæ velut libera à servitiis, vel qualitercunque aliter quis præscribat, de quibus nullum est certum servitium prætaxatum, præscriptionem quanticunque temporis in nullo prodesse sibi censemus: cum his de feudo subtractis, de necessitate per consequens ipsum servitium minoretur.

III. IDEM.

Quadragenalem præscriptionem & sexagenariam, quæ contra fiscum in publicis hactenus competebat, usque ad centum annorum spatium prorogamus, minoribus præscriptionibus adversus fiscum inductis: quadriennii scilicet in rebus donatis à nobis, & triennii à sententiis contra nos latis, in suo robore duraturis.

TITVLVS XXXIII. DE INIVRIIS CVRIALIBVS PERSONIS SEV QVIBVSLIBET ALIIS IRROGATIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

Observent diligentissime iudices, ut in accusatione iniuriarum curialium personarum dignitatem considerent, & iuxta personarum qualitatem eorum, quibus fuerit facta iniuria, & eorum qui faciunt, & quando & ubi huiusmodi temeritates præsumuntur, sententiam ferant. Ipsis autem facta iniuria, non ipsis duntaxat, sed etiam ad regiæ dignitatis spectat offensam.

II. IMPERATOR FRIDERICVS.

EOs tamen officiales nostros officialium illatis ipsis iniuriis volumus prærogativa lætari, qui officium exercendo commissum, iniurias aliquas patiuntur, non qui inimicitiarum suar:m vindictas, vel sua privata negotia pertractando, dum aliquos subiectos nostros indebitè persequuntur, ipsorum exigente nequitia, à fidelibus nostris iniuriam patiuntur. Interdum vero nedum officiales huiusmodi in casu præsenti prærogativa officii gaudere velimus, imò in tanto ipsorum excessus velamento administrationis nostræ commissos persequi desideramus instantius, quanto in grave dispendium subiectorum, & nostræ maiestatis iniuriam, ipsorum dissimulata facinora, qui nostram effigiem repræsentant, reduci valeant, & experimento visibili nos ipsi persensimus iam reducta. Eos itaque, qui occasione officiorum quorumlibet, ipsis ab ordinatis nostris à nostra munificentia commissorum, aliquid per iniuriam à fidelibus nostris abstulerint, quibus diu forsitan ante susceptum officium deprædationis insidias præpararunt, eo quod acceperint primitus integrè restituto, passis iniuriam in quadruplum damnandos esse sancimus. Quod si aliter ipsos afflixerint, eos forte iniuriis propulsando, tertiæ partis bonorum omnium publicatione damnandos esse censemus. Et in utroque casu nihilominus cum perpetua infamia ab officio illos, qui sic officiis abutuntur, decernimus amovendos; ita quod nullo unquam tempore ad nostrarum administrationum officia à nobis, vel à nostris administratoribus admittantur.

III. IDEM.

VArietates pœnarum super compositionibus iniuriarum, secundum diversas hominum conditiones, ad unitatem iuris communis prævidimus reducendas; legibus & consuetudinibus, quæ super huiusmodi conditionibus hactenus obtinebant, omninò sublatis. Statuimus igitur providentiam iuris communis in omnibus observari debere, videlicet ut circa passos iniuriam habeatur discretio personarum, quæ iniuriam inferunt, & quæ iniuriam patiuntur, si sint publicæ vel privatæ, & in quo dignitatis speculo constitutæ. Temporis etiam commissæ iniuriæ consideratio est habenda: nec minus in quo loco, quibus præsentibus, an in iudicio, vel extra iudicium iniuria sit commissa. Illam etiam loci considerationem iubemus habendam, in qua parte corporis, is qui iniuriam patitur, iniuriam patiatur. Et sic omnibus diligenter attentis, & singulariter iustè pensatis, is qui in iudicio præsidet, sententiam ferre debebit; videlicet à passo iniuriam cum sacramento recepto, quod tantum voluisset de suo proprio amisisse potius, quam iniuriam sustinere voluisset illatam, & in eo quod actor prædicto modo iuraverit, condemnatio subsequatur. Appellationis remedio actori, qui in taxatione à iudice forsitan gravatus extiterit, & à reo, qui in quantitate taxationis condemnationis sententia comprehensa se senserit fore gravatum, à diffinitiva sententia ad superiores iudices non negando. Illud etiam nostræ providentissimæ sanctioni duximus inserendum, quod in quibusdam regni nostri provinciis correctione etiam necessaria indigebat, quod passus iniuriam nullam omninò partem compositionis habebat, sed totum fisco nostro, vel

ei cu-

ti cuius erat curia, quærebatur: quod corrigentes decernimus iniuriam pas-
sum, ubique per regnum eius, quod in condemnatione devenerit, sive per
sacramentum, sive per taxationem iudicis, sive per pœnas certas legibus
comprehensas, tertiam partem omnino habere debere, reliquis duabus par-
tibus domino facientis iniuriam, cuius est iurisdictio, relinquendis. Indi-
gnum namque fore credimus, passum iniuriam in recompensationem dolo-
ris nullam sibi partem compositionis accipere, quæ qer eum aliis est quæsita;
sed tantum illatis iniuriis aut convitiis esse contentum.

IV. IDEM.

VT dignitatum gradus, & hominum qualitates, iniuriis apertius distin-
guantur, statuimus, Burgensem seu rusticum, qui militem verberaverit,
nisi probabitur quod se defendendo hoc fecerit, manus detruncatione pu-
niri: eadem pœna valleto imminente, qui militem nobilioris gradus ver-
berare tentaverit. Ceterum si æquè nobilem verberare tentaverit, honore
militiæ ipsum in perpetuum volumus esse privatum, & ut nobilium iudiciis
non intersit, & quod per annum esse debeat extra regnum. Si verò minus
nobilem verberare tentaverit, eadem pœna privationis militiæ & iudicio-
rum scilicet teneatur. Æquum est enim, eum militiæ decore privari, qui mi-
litiæ dignitatis cuiuslibet fundamentum, pudicitiæ nescius & pudoris igna-
rus, dedecorare tentaverit. Deniq; si miles militem verberaverit, extra reg-
num spatio annali proscriptum iniurias inferentem, armorum & equorum
suorum omnium amissione mulctandum esse iubemus. Ceterum si Burgen-
sem aut rusticum, qui vasallus suus non sit, verberaverit miles, consideratis à
iudicibus singulis, quæ in examinatione iniuriarum consideranda esse prædi-
ximus, taxatione iudicis & sacramento iniuriam passi præcedentibus, pro
qualitate iniuriæ reum puniendum esse censemus.

TITVLVS XXXIV. DE PROBABILI EXPERIENTIA MEDICORVM.

I. REX ROGERIVS.

QVisquis amodo mederi voluerit, officialibus nostris & iudicibus
se præsentet, eorum discutiendum iudicio; quod si sua temeritate
præsumpserit, carceri constringatur, bonis suis omnibus publica-
tis. Hoc enim prospectum est, ne in regno nostro subiecti periclitentur ex
imperitia medicorum.

II. IMPERATOR FRIDERICVS.

VTilitati speciali prospicimus, cùm communi saluti fidelium providemus.
Attendentes igitur grave dispendium, & irrecuperabile damnum, quod
posset contingere ex imperitia medicorum, iubemus in posterum nullum
medici titulum prætendentẽ audere practicari aliter vel mederi, nisi Salerni
primitus & in conventu publico magistrorum iudicio comprobatus, cum
testimonialibus literis, de fide & sufficienti scientia, tam magistrorum quam
ordinatorum nostrorum, ad præsentiam nostram, vel nobis à regno absen-

tibus, ad illius præsentiam, qui vice nostra in regno remanserit, ordinatus accedat, & à nobis vel ab eo medendi licentiam consequatur: pœna publicationis bonorum, & annalis carceris imminente his, qui contra huiusmodi nostræ serenitatis edictum in posterum ausi fuerint practicare.

III. IDEM.

QVia nunquam sciri potest scientia medicinæ, nisi de scientia logicali præscribatur, statuimus, quod nullus studeat in medicinali scientia, nisi prius studeat ad minus triennio in scientia logicali: post triennium, si voluerit, ad studium medicinæ procedat: ita quod chirurgiam, quæ est pars medicinæ, infra prædictum tempus addiscat. Post quod, & non ante, concedatur sibi licentia practicandi, examinatione iuxta curiæ formam præhabita, & nihilominus recepto pro eo, de prædicto tempore studii testimonio magistrali. Iste medicus iurabit servare formam curiæ, hactenus observatam, eo adiecto, quod si pervenerit ad notitiam suam, quod aliquis confectionarius minus benè conficiat, curiæ denuntiabit; & quod pauperibus consilium gratis dabit. Iste medicus visitabit ægrotos suos ad minus bis in die, ad requisitionem infirmi, semel nocte: à quo non recipiet per diem, si pro eo non egrediatur civitatem vel castrum, ultra dimidium tarrenum auri. Ab infirmo autem quem extra civitatem visitat, non recipiet per diem ultra tres tarrenos, cum expẽsis infirmi; vel ultra quatuor tarrenos, cum expensis suis. Non contrahat societatem cum confectionariis, nec recipiat aliquem sub cura sua ad expensas suas, pro certa pretii quantitate; nec ipse etiam habebit propriam stationem. Confectionarii vero facient confectionem expensis suis, cum testimonio medicorum, iuxta formam constitutionis: nec admittentur ad hoc, ut teneant confectiones, nisi præstito iuramento, quod omnes confectiones suas secundum prædictam formam facient sine fraude. Lucrabitur autem stationarius de confectionibus suis secundum istum modum de cofectionibus & simplicibus medicinis, quæ non consueverunt teneri in apothecis ultra annum, à tempore emptionis; pro qualibet uncia poterit & licebit tres tarrenos lucrari. De aliis vero, quæ ex natura medicaminum, vel ex alia causa, ultra annum in apotheca tenentur, pro qualibet uncia licebit lucrari tres tarrenos. Nec stationes huiusmodi erunt ubique, sed in certis civitatibus per regnum, ut inferius describitur. Nec tamen post completum quinquennium practicabit, nisi per annum integrum cum consilio experti medici practicetur. Magistri vero infra istud quinquennium libros authenticos, tam Hippocraticos quam Galeni, in scholis doceant, tam in theorica quam in practica medicinæ. Salubri etiam constitutione sancimus, ut nullus chirurgicus ad practicam admittatur, nisi testimoniales literas offerat magistrorum, in medicinali facultate legentium, quod per annum saltem in ea parte medicinæ studuerit, quæ chirurgiæ instruit facultatem; & præsertim anatomiam humanorum corporum in scholis didicerit, & sit in ea parte medicinæ perfectus; sine qua nec incisiones salubriter fieri poterunt, nec factæ curari.

IV. IDEM.

IN terra qualibet regni nostri nostræ iurisdictioni subiecta, duos viros circumspectos & fide dignos volumus ordinari, & corporali per eos præstito

sacra-

sacramento teneri, quorum nomina ad curiam nostram mittentur, sub quorum testificatione, electuaria, & sirupi, ac aliæ medicinæ legaliter fiant, & sic factæ vendantur: Salerni maximè per magistros in physica hoc volumus approbari. Præsenti etiam lege statuimus, ut nullus in medicina vel chirurgia, nisi apud Salernum vel Neapolim legat in regno, nec magistri nomen assumat, nisi diligenter examinatus in præsentia nostrorum officialium, & magistrorum artis eiusdem. Conficientes etiam medicinas sacramento corporaliter præstito volumus obligari, ut ipsas fideliter iuxta artes & hominum qualitates, in præsentia iuratorum conficiant; quod si contra fecerint, publicatione bonorum suorum mobilium sententialiter condemnentur. Ordinati vero, quorum fidei prædicta sunt commissa, si fraudem in credito ipsis officio cõmisisse probentur, ultimo supplicio feriendos esse censemus.

TITVLVS XXXV. DE CONSERVATIONE AERIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

SAlubritatem aëris divino iudicio reservatam, studio provisionis nostræ, in quantum possumus, disponimus conservare: mandantes, ut nulli amodò liceat in aquis cuiuslibet civitatis vel castri vicinis, quantum miliare ad minus protenditur, linum vel canabum ad maturandum ponere, ne ex eo, prout pro certo didicimus, aëris dispositio corrumpatur: quod si fecerit, linum ipsum immissum & canabum amittat, & curiæ applicetur. Sepulturas etiam mortuorum, quæ urnas non continent, profundas, quantum mensura dimidiæ cannæ protenditur, esse iubemus. Si quis contra fecerit, unum augustalem curiæ nostræ componat. Cadavera etiam, & sordes, quæ fœtorem faciunt, per eos, quorum fuerint coria, extra terram ad quartam partem miliaris, vel in mari aut in flumine proiici debere mandamus. Si quis autem contra hæc fecerit, pro canibus aut magnis animalibus, quæ maiora sunt canibus, unum augustalem, pro minoribus vero dimidium curiæ nostræ componat.

TITVLVS XXXVI. DE FIDE MERCATORVM IN VENDENDIS MERCIBVS ADHIBENDA.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

MAgistros mechanicarum artium, quorum operibus homines carere non possunt, legaliter & fideliter sua opera exercere iubemus. Artifices autem, qui in auro & argento laborant, sellarios & scutarios, frenarios atque armerios, candelarios fabros, qui æris & ferri quæcunque opera formant, balistas etiam facientes & arcus, & generaliter omnes artifices, cum fide & studio, prout artificium uniuscuiusque melius noverit, volumus operari. Specialiter autem scutariis & sellariis iniungimus, ut emptores certiorare fideliter studeant, utrum argento vel auro suppositæ sint picturæ, & quod sellas & scuta munire debeant necessariis & fortibus guarnimentis. Buzerios autem & piscium venditores, qui vitæ huiusmodi necessaria subministrant, ex quorum fraudibus

magnum posset non rebus tantum, sed personis etiam damnum : inferri, in eorum mercibus & mercationibus volumus esse fideles, videlicet ut scrophas pro porcis, vel carnes morticinas, aut ab uno die in alium reservatas, si hæc emptoribus non prædixerint, seu qualitercunque corruptas vel infectas, in damnum & deceptionem emptorum vendere non præsumant. Venditores etiam piscium in corruptis piscibus non vendendis, & ab uno die in alium, sine prædictione similiter reservatis, fidem præcipimus observare. Et ut prædicti omnes & singuli superius nominati rerum vitium vendendarum ex fide prædicent; & ut cibos pridie præparatos, & in die altera calefactos, similiter sine prædictione non vendant. Venditores etiam candelarum eas fideliter facient, nec in eis in emptorum dispendium immisceant aliquid ceræ, nec in eis nisi bombacinum papyrum includant : vel si aliter fecerint, emptores exinde certiorare curabunt. Tabernariis autem & venditoribus vini quibuslibet prohibemus, ne vendere audeant vinum lymphatum pro puro. Sic nullus in regno nostro laboret aurum, quod per libram de puro auro minus teneat, quam octo uncias. Similiter argentum aliquis non laboret, quod minus uncias undecim puri argenti per libram habere noscatur. Quod obtinet sive venale opus huiusmodi artifices per se faciât, sive ab alio receptâ materiâ opus fingant; ut anulos, fibulas, parapsides, vel cuppas aureas, aut argenteas, in quibus aliquid, vel ultra prædictam quantitatem & formam à materiarum dominis immisceri minimè petatur. Et ut omnibus artificiis ipsis committendarum fraudium via & materia præcludatur, per loca quælibet duos eligi volumus fide dignos, per terræ baiulos ordinandos, quibus imminentibus prædicta omnia in statu conservare debeant, & debitæ executioni mandare, & contradicentibus se opponere; ac per eos artificum fraudes nostræ curiæ nuntientur. Quorum officialium nomina etiam per literas sub sigillis & subscriptionibus eligentium, & eorum qui in his consilium dederint eligendis, ad nos per locorum dominos volumus destinari : & ex approbatione nostra vel aliorum, quorum intererit, retineantur idonei, & non idonei refutentur, in eorum locum qui minus idonei visi fuerint, in subscripta forma idoneis subrogandis. Quos officiales, ut officium eis commissum fideliter & diligenter exerceant, tactis sacrosanctis Evangeliis sacramenti religione volumus obligari. Electorum etiam nomina prædictorum in quaternis nostræ curiæ volumus contineri, ut de eis in posterum dubitatio oriri non possit. Statuimus etiam constitutione præsente, ut baiuli nostri, qui pro tempore fuerint, operariorum operas, messorum scilicet, vindemiatorum, & similium sub certa mercede constituant. Cuius constitutionis metam transgredi operariis non licebit; quam si transgressi fuerint, & receptam mercedem amittant, & quadruplum curiæ nostræ solvant. Et ut fraudes artificum singulorũ pœna non careant, si contra prohibitionem & ordinationem nostram in eorum artificiis fuerint inventi dolosè versari; prima vice deprehensus in dolo, falsa opera faciens, vel cibaria prohibita vel corrupta, vel vinum lymphatum pro puro vendendo, libram unam auri purissimi fisco nostro componat : quam si propter inopiam forte dare non poterit, fustigetur. Iteratò vero deprehensus in simili, manum perdat : tertiò deprehensus talia perpetrare, suspensus in furcis, mortis periculum subeat, quod iusto iudicio

meruit

meruit toties illicita perpetrando, & non corrigendo commissa. Eadem poena præfatis officialibus imminente, si prece, vel pretio, amore delinquentium mercatorum vel artificum, aut timore corrupti, magnæ curiæ nostræ, vel regionum iustitiariis, commissa neglexerint nuntiare.

II. IDEM.

MErcatores quoslibet regni nostri sub eisdem ponderibus & mensuris, in rebus magnis & minimis, & sub eisdem cannis, quas ipsis curia nostra dederit, vendere volumus merces suas: ita tamen, ut ex mensuris maioribus, in iure, quod ex mensuris ipsis curiæ vel cuiuslibet loci domino debebatur, nullum collatoribus damnum seu præiudicium afferatur: sed proportione minoris mensuræ diligenter attenta, non plus proinde solvatur, nisi quantum primitus solvebatur. Illud etiam præsenti nostræ constitutioni coniungimus, ut vendentes pannos in posterum ipsos ultra non distrahant, nisi quantum canna protenditur: sed sine abstractionis alicuius violentia, sicut melius cum emptore poterint convenire, nulla alia fraude vel machinatione adhibita, pannos ipsos vendere procurabunt.

III. IDEM.

AD legitima pondera & mensuras merces quaslibet vendere volumus venditores. Quicunque vero falsitatem aut fraudem aliam in mensuris, seu ponderibus, vel cannis inventus fuerit commisisse, aut qui pannos extraxerit, libram unam auri purissimi fisco nostro componat; quam si dare non poterit, condemnatus cum pondere aut mensura ad collum eius appensis, in sui poenam & aliorum exemplum, per terram, in qua fraudem commiserit, publicè fustigetur. Manum eius deinde, si secundo fuerit deprehensus in simili, decernimus amputandam; & si tertio iteraverit, ipsum suspendi iubemus.

IV. IDEM.

POenas contra mercatores, corruptas merces & vetitas, seu ad falsas mensuras, cannas & pondera distrahentes, nostris constitutionibus præstitutas, peregrinis deceptis ab eis, volumus duplicari. Defensionem etenim conscientiam nostram succedere volumus loco imbecillitatis, & ignorantiæ prædictorum.

V. IDEM.

PEr universas provincias regni nostri volumus infrascriptas assisias inviolabiliter observari, quas in curia nostra de liberatione perpensa de salubri consilio nostrorum fidelium determinari mandamus, & singulorum ministeriis considerata qualitate taxari; quas etiam singulis camerariis regionum, sub sigillo nostræ celsitudinis præcipimus designari.

TITVLVS XXXVII. DE FVRTIS ET LATROCINIIS.

I. Imperator Fridericvs.

PErvenit ad aures nostri culminis, quod furta plurima & latrocinia in Apulia hactenus committebantur de animalibus, quæ quadam vana & inani excusatione velata remanebant pariter & inulta. Nam apud aliquos animalia reperiebantur, hanc excusationem prætendentes, videlicet quod ea invenerint oberrantia, vel de manu latronum arripuerant, cum non possent latrones ostendere, fures ipsi vel furti consentientes, de animalibus ab eorum dominis (quod erat iniquum) redemptionem extorquentes, fraudulenter cum lucro pœnam & maculam evadebant. Verum cum nostrum sit amplecti iustitiam, fovere pacem, & quæ paci contraria sunt resecare: placuit maiestati nostræ, ipsorum fraudulentam nequitiam constitutione nostra ex superabundāti iustitia reprimentes, huiusmodi velata furta detegere, & perpetua securitate delere. Præsenti itaque constitutione nostra in perpetuum valitura præcipimus & sancimus, nulli omninò licere aliena animalia, ubicunque invenerit, cuiuscunque sint, capere vel apud se modo quolibet detinere, nisi ea forte cum latrone cœperit; & tunc statim ea iustitiariis nostris, in illis partibus constitutis, cum eodem latrone assignet. Quod si non fecerit, apud quemcunque animalia ipsa inventa fuerint, quicunque sit, ipsum pro latrone & fure capi, & iudicari præcipimus. Satis enim constat ipsum furtum commisisse, qui aliena animalia invito domino usui suo detinuisse probatur: cum manifestum sit, neminem posse fugitiva animalia sua perdere, si à nemine capta fuerint vel detenta. Quod si quis in laboribus, vineis, & possessionibus suis damnosa animalia cuiuslibet intercepit, non liceat ipsa apud se detinere, sed tantum capere, & iustitiariis nostris assignare, ut de illicito damno, quod probare poterit, iustitiam consequatur. Quod si non fecerit, & animalia huiusmodi intercepta apud se detinuit, ipse sicut & ceteri, pœna furti terreatur. Illos autem qui animalia cum latrone cœperint, & ea cum eodem latrone (sicut præscriptum) iustitiariis nostris assignaverint, pro labore eorum & studio, quod ad ea capienda apposuerunt, in decima parte ipsorum animalium, ab ipsorum domino remunerari statuimus & iubemus.

TITVLVS XXXVIII. DE ANIMALIBVS IN PASCVIS AFFIDANDIS.

I. Imperator Fridericvs.

CVm per partes Apuliæ feliciter transiremus, communis undique clamor & querimonia proposita est celsitudini nostræ, videlicet quod foresterii gravissimas molestias, & iniusta gravamina plurima generaliter omnibus inferebant, & variis ac diversis exactionibus totam terram intolerabiliter opprimebant. Volentes igitur huiusmodi maleficia corrigere, & subiectorum paci ac tranquilitati misericorditer providere, ad coërcendam malitiam & iniquitatem eorum statuimus, sicut superius annotatum

tatum est, videlicet ut in unaquaque contrata, tam in terris demanii nostri, quam in terris Comitum, Baronum, ultra quatuor foresterii non statuantur; quibus non liceat animalia aliquarum (sicut hactenus) iniustè capere vel tractare: sed si oves vel alia animalia de una contrata in aliam ducta fuerint in transitu, si una die tantum vel una nocte, & non ultra, in terra alicuius pascua sumpserint, non liceat domino illius terræ, vel baiulo eiusdem loci, aliquid inde accipere, sed sine impedimento vel datione aliqua animalia ipsa dimittant transire. Si vero animalia alicuius in terra alterius longè à contrata sua per diætam unam vel duas inventa fuerint, siquidem laboribus vel fructibus damnum intulerint, iuxta æstimationem proborum hominum, dominus animalium domino laborum vel fructuum dan num restituat, & in nullo alio teneatur. Siquidem animalia inventa fuerint, non inferentia damnum, sed pascentia, & inventa fuerint cum pastore & custode eorum, si dominus terræ in qua inventa fuerint, voluerit eis pascua in terra inantea concedere, accipiat ab eis affidationem, iuxta affidaturam, quam recipiunt alii vicini eius, & nihil aliud. Si vero noluerit eis pascua impartire iuxta affidaturam; ad sacramentum illius, qui animalia custodierit, de tot diebus, quot ibi pascua acceperint, ad rationem totius anni affidaturam recipiat, & non aliud, & ea sine impedimento abire permittat. Si vero sine pastore inventa fuerint, siquidem animalia ipsa ultra decem dies in terra steterint, accepto sacramento à domino vel pastore, quod ipsi prædicta animalia in terram ipsam non duxerint, nec per conscientiam suam ibi inducta fuerint, sine aliqua donatione dominus de terra ipsa animalia in pace abire permittat. Si autem ultra decem dies ibi pascua sumpserint, sicut prædictum est, iuxta affidaturam quam recipiunt aliqui convicini sui, vel eorum qui affidaturam recipiunt, ad sacramentum illius, qui animalia ipsa custodierit, de tot diebus, quot ibi pascua susceperint, ad rationem totius anni affidaturam recipiat, & nihil aliud, & ea in pace abire permittat. Inter convicinos & convicinales statutum est, ut si animalia vicini in terra alicuius vicini & convicinalis sui in fraudem vicini in die ac nocte pascua sumpserint, vicini, in cuius terra pascuntur, ostendant illud vicino suo, cuius animalia fuerint, una vel duabus vicibus, coram viris bonæ opinionis, ut illud emendet. Quod si non emendaverit, & deinde in terra sua animalia invenerit (sicut prædictum est) & de aliis est statutũ, iuxta affidaturam quam recipiunt alii vicini eius; qui affidaturam recipiunt ad sacramentum illius, qui animalia custodierit, de tot diebus quot ibi pascua receperint, ad rationem totius anni affidaturam recipiat, & nihil aliud. Huius autem constitutionis nostræ quicunque temerarius violator extiterit, post iram nostri culminis amissionem personæ & publicationem bonorum omnium sustinere debebit. Si somarii, bordonarii, vel alii custodes aliquorum animalium, ducentes animalia in transitu aliquomodo in terram alicuius aut nemus diverterint, & damnum in eo non fecerint, sed forte de nemore tortam aliquam vel virgam inciderint: à domino ipsius terræ vel nemoris non impetantur, nec in aliquo inde teneantur, sed sine impedimento aliquo transire dimittat.

II. IDEM.

ANimalia in vineis & possessionibus cuiuslibet damnum facientia, intercepta, locorum batulis seu dominis, ut per eos illati damni restauratio subsequatur, sufficiat assignari: constitutione Regia, quæ ipsa provinciarum iustitiariis assignari debere mandabat, in hac parte remota. Notum dispendium esset, propter damnum forte modicum, provinciam circuire. Nec iustitiarii de talibus etiam, prout prædecessorum nostrorum & nostris constitutionibus est expressum, intromittere se debent.

III. IDEM.

VT delicti fines pœnæ crudelitas non excedat, capitalem pœnam & publicationem bonorum omnium statutam in eis, qui affidaturarum occasione etiam pascuorum homines in animalibus suis ultra licitum & in rebus aliis gravare noscuntur divæ memoriæ Regis Guilielmi prædecessoris nostri constitutione sancitam, competenti moderamine moderantes decernimus, eos qui occasione prædicta ultra licitum aliquid ab hominibus, vel animalibus, vel rebus aliis, homines, quorum animalia fuerint, gravare tentaverint, in quadruplum eius, quod taliter extorquere præsumpserint, fisco nostro solvendum, fore mulctandos: ita videlicet, ut dominis sic iniustè exacta restituant, & solitum quadruplum curiæ nostræ componant.

IV. IDEM.

SI quando necessitate cogente contigerit, aliquem cum equitaturis suis, aut quibuslibet animalibus, forsitan oneratis, & ex itinere (prout assolet) fatigatis, in alterius agrum frugibus plenum velle divertere, dum forte herbas alias, vel fœnum per loca ipsa non invenerit, unde animalia sua valeant confortari, omnem materiam sibi præcidimus malignandi: statuentes, prout in aliquibus imperii nostri partibus observatur, ut non nisi medietatem equi, vel cuiuslibet alterius animalis, in agrum ipsum intromittere audeat, ita quod posteriores pedes animal ipsum in via, vel in loco non laborato teneat, & anterieres in agro: ita tamen, ut nihil omninò de segetibus ipsis ad hospitium suum deferat, sed eo contentus sit tantũmodo, quod pascendo equum absumpsit.

TITVLVS XXXIX. DE NOVA MILITIA.

I. REX ROGERIVS.

DIvinæ iustitiæ consentientes probanda probamus, & contraria refutamus. Sicut enim nullatenus spernendi sunt boni, ita beneficio non sunt fovendi mali. Sancimus itaque, & tale præponimus edictum, ut quicunque novam militiam acceperit, sive quocunque tempore arripuerit, ad regni beatitudinem pacem atque integritatem à militiæ nomine & professione penitus decidat; nisi forte à militari

militari genere, per successionem duxit prosapiam. Idemque statuimus de sortientibus cuiuscunque professionis ordinem, utputa si autoritatem iudicis obtinuerint, sive notarii officium, ceterisque similibus.

II. IDEM.

COnstitutione præsenti in posterum valitura sancimus, ut amodò ad militarem honorem nullus accedat, qui non sit de genere militum, sine mansuetudinis nostræ licentia & mandato: militibus qui hactenus contra prohibitionem divæ memoriæ avi nostri dignitatem fuerint militarem adepti, ex serenitatis nostræ gratia suam retinentibus dignitatem, dummodo vivant militariter, ut dictum est. Præsenti etiam edicto illud edicimus, ut iudex vel notarius publicus aliquis, qui vilis conditionis sit, villanus aut angariarius forsitan, item filii clericorum spurii, aut modò quolibet naturales, in posterum dari non possint, aut aliquatenus promoveri.

TITVLVS XL. DE FALSARIIS.

I. REX ROGERIVS.

QVi literas Regias aut mutat, aut eos noto sigillo signat, capitali sententia feriatur.

II. IDEM.

ADulterinam monetam cudentibus, vel scienter accipientibus, pœnam capitis irrogamus, & eorum substantiam publicamus. Consentientes etiam hac poena ferimus.

III. IDEM.

QVi nummos aureos vel argenteos raserint, vel quocunque mōdo minuerint, tam personas eorum, quam bona omnia publicamus.

IV. IDEM.

QVi falso instrumento nescius utitur, falsi crimine non tenetur.

V. IDEM.

QVi falsitatem astruxerit testibus, falsi pœna coërcetur.

VI. IDEM.

TEstamentorum publicorum deletor, coelator, provisor, eadem pœna tenentur.

VII. IDEM.

SI quis patris testamentum aboleverit, ut quasi ab intestato succedat, patris hereditate privatur.

VIII. IDEM.

QValitas personæ gravat & relevat pœnam falsi.

TITVLVS XLI. DE VENEFICIS.

I. REX ROGERIVS.

MAla & obnoxia medicamenta ad alienandos animos, seu venena qui dederit, vendiderit, vel habuerit, capitali sententia feriatur.

II. IMPERATOR FRIDERICVS.

QVicunque toxicum aut malum venenum, quod ad confectionem utile vel necessarium non sit, habuerit vel vendiderit, suspendatur. Taxum etiam vel herbas huiusmodi, de quibus pisces mortificantur aut moriuntur, à piscatoribus in aquas proiici vetamus: propter quod etenim & ipsi pisces redduntur infecti, & aquæ, de quibus homines & bestiæ interdum, si sæpius potum adsumunt, nocivæ redduntur. Quod qui fecerit, per annum cum ferris operibus publicis deputetur.

TITVLVS XLII. DE CORRECTIONE POCVLVM AMATORIVM PORRIGENTIVM VEL EMENTIVM.

I. REX ROGERIVS.

POculum amatorium, vel quemlibet cibum nocivum, si quis instruxerit, etiamsi neminem læserit, impunis non erit.

II. IMPERATOR FRIDERICVS.

EAdem pœna ferire debet emptorem.

III. IDEM.

AMatoria pocula porrigentes, vel cibos quoslibet noxios, illicita vel exorcismata astruentes, tali decernimus pœna constringi, ut si hi quibus talia sunt porrecta, vitam proinde vel sensum amittant, mortis periculo subiici volumus talia perpetrantes. Si vero qui prædicta susceperint, in nullo lædantur, tunc voluntates inultas non volumus remanere, sed publicatis bonis ipsorum omnibus, carcerali per annum custodiæ ipsos decernimus mancipari. Et quamquam veritatem & rerum naturam intuentibus videri possit hoc frivolum, & ut propriè loquamur fabulosum, quod per cibos aut potus ad amores vel odia mentes hominum moveantur, nisi quatenus recipientur, læsa suspitio hoc inducat: ipsorum tamen præsumptionem temerariam, qua saltem nocere desiderant, etsi nocere non possint, relinquere nolumus impunitam.

TITVLVS XLIII. DE ADVLTERIIS ET LENOCINIIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

LEgum asperitate lenita non ut olim contra adulteratas & adulteros, ad aliorum coniuges accedentes, gladio est agendum, sed rerum ad eos pertinentium confiscatio inducetur, si filios legitimos ex eo matrimonio violato, vel alio non habuerit: periniquum enim eos successione fraudari, qui nati sunt eo tempore, quo huius thori lex legaliter servavatur. At viro tradenda est mulier, nullatenus vitæ periculum subitura, sed ultionem thori violati, nasi truncationis, quod sævius & atrocius inducitur, persequutura: ultra enim neque viro neque parentibus servire licebit. Quod si vir eius in eam vindictam dare noluerit, nos huiusmodi maleficium non sinemus inultum, sed ipsam præcipimus publicè flagellandam.

TITVLVS LXIV. DE POENA ADVLTERII.

I. REX ROGERIVS.

QVi coram, se spectante, alii permittit cum coniuge sua lascivire, non facile poterit eam iudicio accusare. Viam quippe mœchandi aperit, qui cum possit prohibere, consentit.

TITVLVS XLV. DE PROHIBITA QVÆSTIONE FOEMINÆ.

I. REX ROGERIVS.

QVamvis uxorem suam suspectam quis habeat, eum lenociniis non deputamus. Quis enim alieni thori iure inquietat quietem? Quod si patenter deprehenderimus, quempiam habere uxorem quæstuosam, digna nostris temporibus mox sequatur pœnæ vindicta, eum quoque infamiæ condemnamus.

TITVLVS XLVI. DE SVMMOTA CONVERSATIONE INTER BONAS FOEMINÆ QVÆSTVOSÆ.

I. REX ROGERIVS.

QVÆ passim venalem formam exhibuit, & vulgo prostitutam se prohibuit, huius criminis accusationem amovit: violentiam tamen ei ingeri prohibemus, & inter boni testimonii fœminas eius habitationem vetamus.

TITVLVS XLVII. DE REPVDIIS CONCEDENDIS.

I. REX ROGERIVS.

REpudium in hac accusatione semper est permittendum, neque violentia seu detentio adhibenda.

TITVLVS XLVIII. DE MATRIBVS SVAS FILIAS EXPONENTIBVS.

I. REX ROGERIVS.

MAtres, virgines filias prostituentes, & maritalia fœdera fugientes, ut lenas ipsas prosequimur, & nasus eis similiter abscindatur. Castitatem enim suorum viscerum vendere inhumanum est, & crudele. Quod si filia seipsam prostituerit, & mater solummodo consentit, iudicis arbitrio relinquatur.

TITVLVS XLIX. DE POENA VXORIS IN ADVLTERIO DEPREHENSÆ.

I. REX ROGERIVS.

SI maritus uxorem in ipso actu adulterii deprehenderit, tam adulterum quam uxorem occidere licebit: nulla tamen mora protracta.

TITVLVS L. DE POENA MARITI VBI ADVLTER AVFVGIT.

I. REX ROGERIVS.

MAritum lenocinii poena coërcet, qui uxorem in adulterio deprehensam retinuit, adulterumque dimisit: nisi forte sine sua culpa aufugit.

TITVLVS LI. DE ADVLTERIIS COERCENDIS PER ECCLESIAM.

I. REX GVILELMVS.

MAiestati nostræ quorundam prælatorum querimonia patefecit, quod Ecclesiæ suæ à iustitiariis, camerariis, & baiulis regni nostri privantur, & minuuntur iure suo; videlicet de adulteriis, quæ non permit-

tunt iudicari, & corrigi in curia Ecclesiæ, sicut debent; & de personis clericorum, quæ ab eis ut laici iudicantur, & incarcerantur. Quod si verum est, nobis displicet, & grave videtur; non enim decet neque volumus ut ea, quæ ab Ecclesia iudicari & coërceri debent, ab eis puniantur, & iudicentur, aut corrigantur. Quare mandamus & præcipimus firmiter, ut amodò de adulteriis iudicandis iustitiarii, camerarii, & baiuli non se intromittant: sed si quis de parochia alicuius Ecclesiæ de adulterio accusatus vel deprehensus fuerit, ad iudicium ipsius Ecclesiæ, in quo ipsa adulteria iudicare debet, consistat, & à curia ipsius Ecclesiæ iudicetur & corrigatur. Excepto si per insultum, vel per violentiam, adulterium committatur: quod si acciderit, iudicetur ab Ecclesia de adulterio, quod spectat ad iudicium Ecclesiæ: & hoc quod spectat ad iudicium seculare, videlicet de insultu & violentia, in curia iudicetur. Præterea mandamus omnibus nostris officialibus, ut adulteriis coërcendis omnibus prælatis, quibus opus fuerit, auxilium tribuant.

TITVLVS LII. DE LENONIBVS.

I. Imperator Fridericvs.

LEnas sollicitantes pudicitias uxorum, filiarum, sororum, & postremo quarumlibet virginum, vel aliarum honestarum mulierum, quas vir bonus aliquis intra septa domus suæ tenere noscitur, detruncatione nasi ipsas tanquam adulteras, iuxta divæ memoriæ Regis Rogerii aut nostri statuta puniri censemus. Aliarum tamen mulierum animos attrahentes, quæ velut sui arbitrii existentes, nemine custode virorum voluntatibus & voluptatibus se dederunt, aliquando, licet non esset iustè, credibile quod dare se vellent, prima vice quæ talia perpetrant, si fuerint legitima probatione convictæ, fustigari censemus, & ipsas in cognitionem semel attentati facinoris in fronte signari. Scituris firmiter lege huiusmodi, quod si tentaverint denuò reiterare commissa, detruncationis nasi pœna proculdubio subiacebunt.

TITVLVS LIII. DE POENA MATRIS FILIAM PVBLICE PROSTITVENTIS.

I. Imperator Fridericvs.

MAtres quæ publicè prostituunt filias, pœnæ nasi truncati à divo Rege Rogerio statutæ subiacere sancimus: alias etiam consentientes, & filias, quas forte propter inopiam nedum maritare, sed etiam nutrire non possunt, alicuius voluptatibus exponentes, à quo & sustentationem vitæ & gratiam præstolantur, pœnæ subiacere non tam iniustum credimus, quam severum.

TITVLVS LIV. DE VENDITIONE LIBERI HOMINIS.

I. REX ROGERIVS.

QVi sciens liberum hominem vendiderit, hac pœna legitima teneatur, ut ex bonis suis, si possibile est, venditus redimatur; ipse vero maleficus, curiæ servus fiat, bonorum suorum residuo publicato. Quod si non poterit redimi, pro servo tradatur parentibus venditi, bonis suis curiæ additis. Quocunque autem casu venditus redeat maleficus, curiæ servus fiat; filiis etiam post hunc casum nascentibus curiæ subiectis perpetuæ servitutis.

TITVLVS LV. DE INCENDIARIIS.

I. REX ROGERIVS.

QVi dolosè domum incenderint, capitis pœna plectentur, velut incendiarii.

TITVLVS LVI. QVI RAMVM DE ALTO PROIICIENS HOMINEM OCCIDERIT.

I. REX ROGERIVS.

QVI de alto seipsum præcipitat, & hominem ceciderit, & qui ramum incautus proiiciens, non proclamat, seu lapidem proiicit, hominemq; occiderit, pœna capitali succumbat.

II. IMPERATOR FRIDERICVS.

POenam præcedenti sanctione statutam imperialiter mitigantes decernimus, eum qui se de alto præcipitat, vel ex alto incaute aliquid proiicit, & proinde occiderit aliquem, siquidem in loco habitabili hoc contingat, per annum carceri mancipari: quod si hæc in campestribus acciderint, sacramento ab ipso præstito, quod transeuntem non viderit, omni calumnia absolutum ipsum esse censemus. Quod si ex prædictis percussus minimè moriatur, omnes expensas iustas & moderatas, quas in ipsa infirmitate fecerit, tam pro se, quam pro medicinis incautè proiiciens ei reddere teneatur. Absurdum istud prævidimus, punire æqualiter simplicem & dolosum.

TITVLVS LVII. DE HIS QVI LVDVNT AD DADOS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

MOres dissolutè viventium interpositæ pœnæ formidine ad frugem melioris vitæ reducere cupientes, statuimus, eos qui ad dados sic

ex quadam consuetudine ludunt, & in ludo ipso continuè conversantur, ut nulli alii vacent officio, de quo vivant: tabernarios etiam, qui tabernas vel ut naturales lares & proprios elegerunt; eos etiam qui aleas & dados tenent, ut ea prædictis ludentibus accommodent, inter infames haberi, ita ut nec ad testimonium, nec ad officium aliquod publicum admittantur. Iudices etiam, & advocatos, & notarios publicos, qui huiusmodi vilitatem & sordidam vitam ducunt, infamia prædicta notatos, à susceptis etiam officiis in perpetuum volumus admoveri. Postremo etiam milites, quos saltem equestris dignitatis decus deberet à talibus coërcere, si famæ suæ prodigi, & pudoris ignari, ad utilitatem huiusmodi deduxerint vitam suam, in perpetuum à testimonio submovemus, ab eis iudicia etiam, quæ viris militaribus sunt concessa, in perpetuum abdicantes.

TITVLVS LVIII. DE BLASPHEMANTIBVS DEVM ET VIRGINEM MARIAM.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

BLasphemantes Deum, & virginem gloriosam, linguæ maliloquæ mutilatione punimus.

TITVLVS LIX. DE PERIVRIIS.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

EOs qui scienter periurant in iudiciis, aut extra iudicia, detruncatiónem manus volumus sustinere, nisi ipsorum periurium in crimen læsæ maiestatis inciderit; in quo iura vetera & divorum Principum instituta servamus.

TITVLVS LIX. QVI HOMINEM MORTVUM SPOLIAVERIT.

I. IMPERATOR FRIDERICVS.

SI quis aliquem occisum, vel obitum forte repererit, vel ad quem specialiter se forte contulerit, spoliare tentaverit, aut nudum aut verendum reliquerit, mutilatione manus ipsum volumus esse plectendum. Pœna quæ in violatores sepulchrorum, & eis violatis cadavera spoliantes, veteribus legibus est statuta, in suo robore permanente.

EPILOGVS IMPERATORIS.

AD laudem & gloriam Dei nostri, sub spe divini favoris, opus inceptũ, & eiusdẽ gratia prosequente completum, universitas vestra recipiat, quæ augustalis nominis titulo præsignatur. In reverentiã serenitatis augustæ, & honorẽ Regiæ dignitatis, accipite gratanter, ô populi, Constitutiones istas

tam in iudiciis, quam extra iudicia, potituri; quas per magistrum Petrum de Vineis Capuanum, magnæ curiæ nostræ iudicem, & fidelem nostrum, mandavimus compilari. Nec subsequentis seculi posteritas præsentium Constitutionum librum compilasse nos existimet, ut famæ tantummodo serviamus, sed diebus nostris temporum præteritorum iniuriam, quibus iuris lingua subticuit, deleamus, ut in novi Regis victoria novella iustitiæ propago consurgat.

ACTVM SOLENNI CONSISTORIO MELFIENSI, ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS MILLESIMO DVCENTESIMO VIGESIMO PRIMO, MENSE AVGVSTI, INDICTIONIS QVARTÆ. INSINVATVM VERO MENSE SEPTEMBRI, SEQVENTIS QVINTÆ INDICTIONIS, AMEN.

CONSTITVTIONVM NEAPOLITANARVM SIVE SICVLARVM LIBER TERTIVS EXPLICIT.

KAROLI

KAROLI MAGNI
ET
HLUDOVICI PII,
CHRISTIANISSIMORUM REGUM ET IMPP. CAPITULA, SIVE LEGES ECCLESIASTICÆ ET CIVILES;

Ab Ansegiso Abbate & Benedicto Levita collectæ, LIB. VII.

Adiectis etiam aliis eorundem Regum, & KAROLI CALVI Capitulis.

INCIPIVNT CAPITVLA REGVM ET EPISCOPORVM MAXIMEQVE OMNIVM NOBILIVM FRANCORVM AD REPRIMENDAS NEOPHYTARVM QVASI FIDELIVM DIVERSAS ADINVENTIONES.

Legiloquum quisquis librum recitaveris istum,
PRINCIPIBVS NOSTRIS, dic, MISERERE DEVS.
Legem namque bonam dictarunt mente benigna:
Quapropter pro ipsis, quæso, precare Deum.

ANSEGISI PRÆFATIO.

DOMINANTE per secula infinita omnium dominatore Christo salvatore nostro, creatore universæ creaturæ, anno incarnationis ipsius DCCCVII. indictione V. anno verò XIII. imperii gloriosissimorum Principum domni Ludovici Aug. Christianæ religionis magni propagatoris, & Lotharij Cæsaris filij ipsius, Ansegisus nullis præcedentibus meritis, sed gratia omnipotentis Dei Abba, pro amore bonæ memoriæ domni Karoli magni Imperatoris Christianorum, atq; præcellentißimi ac piißimi domni Ludovici Augusti filij ipsius sincera dilectione, necnon & præclari Lotharij Cæsaris filij piißimi Ludovici Imperatoris, hæc subter descripta adunavi Capitula: quæ proculdubio, quia ad sanctæ Ecclesiæ profectum facta sunt, pro utili firmiter tenenda sunt lege. Fuerant namq; quondam tempore prædicti magni domni Karoli Imperatoris, necnon & nunc præfatorum Principum hoc in tempore domni piißimi Ludovici Augusti, & præclari Lotharii Cæsaris iussu, per intervalla temporum ad Christianam religionem conservandam, atq; ad concordiã pacis & dilectionis in Ecclesia Catholica tenendam edita. Sed quia in diversis sparsim scripta membranulis per diversorum spatia temporum fuerant, ne oblivioni traderentur, pro dilectione nimia, ut præfatus sum, prædictorũ gloriosißimorum Principum, & pro amore sanctißimæ prolis eorũ, sed & pro sanctæ Ecclesiæ statu, placuit mihi prædicta in hoc libello adunare, quæ invenire potui, Capitula prædictorum Principum iussu descripta: ut ad sanctæ Ecclesiæ statum longævis conservandum temporibus, atq; ad meritum præfatorum Principum gloriosius in vita perpetua augmentandum proficiant. Amen. Sed hoc notum sit lectori, quia prædicta Capitula, quæ per intervalla temporum à Præfatis sunt principibus edita, in quatuor distinxi libellis. Illa scilicet quæ domnus Karolus Imperator fecit, ad ordinem pertinentia Ecclesiasticum, in primo adunavi libello: ea verò Ecclesiastica, quæ domnus ac piissimus Ludovicus Imperator & Lotharius Cæsar filius ipsius ediderunt, in secundo descripsi. Illa autem quæ domnus Karolus in diversis fecit temporibus, ad mundanam pertinentia legem, in tertio adunavi. Ipsa verò quæ domnus Ludovicus præclarus Imperator & Lotharius Cæsar filius illius fecerunt, ad augmentum mundanæ pertinentia legis, in quarto congessi.

INDEX CAPITULORUM LIBRI PRIMI.

XXXIX. De

INCIPIT
LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO DOMNI KAROLI SERENISSIMI IMPERATORIS.

Regnante Domino nostro Iesu Christo in perpetuum, ego Karolus gratia Dei, eiusq; misericordia donante Rex & Rector regni Francorum, & devotus sanctæ Dei Ecclesiæ defensor, humilisq; adiutor, omnibus Ecclesiasticæ pietatis ordinibus, seu secularis potentiæ dignitatibus, in Christo Deo æterno perpetuæ pacis & beatitudinis salutem. Considerans pacifico piæ mentis intuitu una cum sacerdotibus & consiliariis nostris abundantem in nos nostrumquè populum Christi Regis clementiam, & quàm necessarium est non solum toto corde & ore eius pietati agere gratias incessanter, sed etiam continua bonorum operum exercitatione eius insistere laudibus, quatinus, qui nostro regno tantos contulit honores, sua protectione nos, nostrumq; regnum, in æternum conservare dignetur. Quapropter placuit nobis vestram rogare solertiam, ô pastores Ecclesiarum Christi, & ductores gregis eius, & clarissima mundi luminaria, ut vigili cura & sedula admonitione populum Dei per pascua vitæ æternæ ducere studeatis, & errantes oves bonorum exemplo operum seu adhortatione, humeris intra Ecclesiasticæ firmitatis muros reportare satagatis: ne lupus insidians aliquem canonicas sanctiones transgredientem, vel paternas traditiones universalium conciliorum excedentem, quod absit, inveniens devoret. Ideo magnæ devotionis studio admonendi & adhortandi sunt, imò compellendi, ut firma fide & infatigabili perseverantia, intra paternas sanctiones se contineant. In quo operis studio sciat certissimè sanctitas vestra nostram vobis cooperari diligentiam. Quapropter & nostros ad vos direximus missos, qui ex nostri nominis auctoritate, una vobiscum corrigerent quæ corrigenda essent. Sed & aliqua Capitula ex canonicis institutionibus, quæ magis vobis necessaria videbantur, subiunximus. Ne aliquis quæso huius pietatis admonitionem esse præsumptuosam putet vel iudicet, qua nos errata corrigere, superflua abscindere, recta coarctare studeamus: sed magis benivolo charitatis animo suscipiat. Nam legimus in Regnorum libris, quomodo sanctus Iosias Regnum sibi à Deo datum circumeundo, corrigendo, admonendo, ad cultum veri Dei studuit revocare. Non ut me eius sanctitati æquiparabilem faciam, sed quòd nobis sint ubiq; sanctorum semper exempla exsequenda & quoscunque poterimus ad studium bonæ vitæ, in laudem & in gloriam Domini nostri Iesu Christi, congregare necesse est. Quapropter, ut prædiximus, aliqua Capitula notare iussimus

dus, ut simul hæc eadem vos admonere studeatis, & quæcunque vobis alia necessaria esse scitis: ut & ista & illa æquali intentione prædicetis. Nec aliquid quod vestræ sanctitati populoq; Dei utile videtur, omittatis, sed pio studio nos admoneatis: quatinus & vestra solertia, & subiectorum obedientia, æterna felicitate ab omnipotente Deo remuneretur.

I. DE HIS QVI AB EPISCOPO PROPRIO EXCOMMVNICANTVR.

OMNIBVS.

SVnt enim aliqui, qui culpis exigentibus ab Episcopo proprio excommunicantur, & ab aliis Ecclesiasticis vel laicis præsumptuosè in communionem accipiuntur: quòd omninò sanctum Nicænum concilium, simul & Calchedonense, nec non & Antiochenum, atque Sardicense fieri prohibent.

II. *De his qui ad ordinandum veniunt.*

EPISCOPIS.

ITem habetur in eodem concilio, ut eorum, qui ad ordinandum veniunt, fides & vita prius ab Episcopo diligenter discutiatur, & postea ordinentur.

III. *De clericis & fugitivis peregrinis.*

OMNIBVS.

ITem in eodem concilio, nec non & in Antiocheno, simul & in Calchedonensi, ut fugitivi clerici, & peregrini à nullo recipiantur; nec ordinentur sine commendatitiis literis, & sui Episcopi vel Abbatis licentia.

IV. *De presbyteris, diaconibus, vel his qui in clero sunt.*

AD SOLOS SACERDOTES.

ITem in eadem synodo interdictum est presbyteris & diaconibus, vel omnibus qui in clero sunt, mulierem non habere in domo sua, propter suspitionem; nisi matrem aut sororem, vel eas tantum personas, quæ suspitiones effugiunt.

V. *De usuris.*

OMNIBVS.

ITem in eodem concilio, seu in decretis Papæ Leonis, nec non & in canonibus qui dicuntur Apostolorum, sicut & in lege ipse Dominus præcepit, omninò omnibus interdictum est, ad usuram aliquid dare.

VI. *De presbyteris missas cantantibus, & non communicantibus.*

AD SACERDOTES.

AVditum est aliquos presbyteros Missam celebrare, & non communicare, quòd omninò in canonibus Apostolorum interdictum esse legitur. Vel

quomodo dicere rectè potest, si non communicaverit: *Sumpsimus Domine Sacramenta?* Hæc verò per singula capitula in statutis Nicæni concilii legere potestis, seu & in aliis sanctorum patrum synodalibus institutis vel edictis.

VII. *De his qui à synodo vel suo Episcopo damnati sunt.*

OMNIBVS.

IN Antiocheno concilio, quòd his, qui damnati sunt à synodo vel à suo Episcopo, & postea ministrare præsumunt, præcipitur ut nullus audeat communicare. Si quis verò eis communicaverit, simili sententiæ subiaceat, sicut & damnatus.

VIII. *De suffraganeis Episcopis.*

EPISCOPIS.

ITem in eodem concilio, ut ad Metropolitanum Episcopum suffraganei respiciant, & nihil novi audeant facere in suis parochiis, sine conscientia & consilio sui Metropolitani: nec Metropolitanus sine eorum consilio.

IX. *De Chorepiscopis.*

SACERDOTIBVS.

ITem in eodem concilio, simul & in Ancyronensi, ut Chorepiscopi cognoscant modum suum, & nihil faciant absque licentia Episcopi, in cuius parochia habitant.

X. *De Episcopis, vel quibuslibet ex clero.*

OMNI CLERO.

ITem in eodem concilio, ut Episcopus vel quilibet ex clero, sine consilio vel literis Episcoporum vel Metropolitani non audeant ad regalem dignitatem pro suis causis clamare, sed in communi Episcoporum concilio causa examinetur.

XI. *De ordinationibus vel quibuslibet negotiis.*

EPISCOPIS.

ITem in eodem concilio, simul & in Sardicensi, necnon & in decretis Innocentii Papæ, ut nullus Episcopus in alterius parochia ordinationes aliquas facere, vel negotia peragere, quæ ad eum non pertinent.

XII. *De cura Episcoporum.*

EPISCOPIS.

ITem in eodem concilio, ut Episcopus eius Ecclesiæ curam habeat, ad quam ordinatus est.

XIII. *De provincialibus Episcopis.*

EPISCOPIS.

ITem in eodem concilio, necnon & in Calchedonensi, ut provinciales Episcopi cum suo Metropolitano bis in anno, propter causas Ecclesiæ, concilia celebrent.

XIV. De

XIV. De *monachis & clericis.*

EPISCOPIS.

IN concilio Laodicensi, necnon & in Africano præcipitur, ut monachi vel clerici tabernas non ingrediantur, edendi vel bibendi causa.

XV. De *die Dominica, qualiter servanda est.*

AD OMNES.

ITem in eodem concilio præcipitur, ut à vespera usque ad vesperam dies Dominica servetur.

XVI. De *ignotis Angelorum nominibus.*

OMNIBVS.

ITem in eodem concilio præcipitur, ut ignota Angelorum nomina nec fingantur nec nominentur, nisi illorum quos habemus in auctoritate: hi sunt Michael, Gabriel, Raphael.

XVII. *De mulieribus ne ad altare accedant.*

CLERICIS ET NONNANIS.

ITem in eodem concilio, quòd non oporteat mulieres ad altare ingredi.

XVIII. *De Episcopis ubi non oporteat eos constitui.*

OMNIBVS.

ITem in eodem concilio, necnon & in Sardicensi, quòd non oporteat in villulis vel in agris Episcopos constituere.

XIX. De *Episcopis ordinandis, vel quibuslibet ex clero.*

CLERICIS ET MONACHIS.

ITem in concilio Calchedonensi, ut non oporteat Episcopum, aut quemlibet ex clero per pecunias ordinari. Qui à utrique deponendi sunt, & qui ordinat, & qui ordinatur, necnon qui mediator est inter eos. Item de eadem re in canonibus Apostolorum legitur: *Si quis Episcopus, aut presbyter, aut diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, deiiciatur & ipse, & ordinator eius, & à communione abscindatur, quam hæresin iam ipse Princeps Apostolorum in Simone Mago terribiliter damnavit.*

XX. De *libris Canonicis.*

SACERDOTIBVS.

ITem in eodem concilio, ut canonici libri tantum legantur in Ecclesia.

XXI. De *maleficis vel incantatoribus.*

AD SACERDOTES.

ITem in eodem concilio, ut coclearii, malefici, incantatores & incantatrices fieri non sinantur, quos in Simone Mago Dominus terribiliter damnavit.

XXII. *De monachis, & clericis & presbyteris.*

OMNIBVS.

ITem in eodem concilio infra duo capitula, nec non & in decretis Leonis Papæ, ut nec monachi, nec clerici, nec presbyteri in secularia negotia transeant.

XXIII. *De servis alterius non sollicitandis.*

ET ut servum alterius nullus sollicitet, ad clericalem vel monachalem ordinem sine voluntate & licentia domini sui promovere.

XXIV. *De stabilitate Episcoporum vel clericorum.*

SACERDOTIBVS.

ITem in eodem concilio infra duo capitula, necnon & in Sardicensi, ut nec Episcopus nec clerici transmigrent de civitate in civitatem.

XXV. *De presbyteris non absolutè ordinandis.*

OMNIBVS.

ITem in eadem synodo: nullus absolutè ordinetur, & sine pronunciatione stabilitatis loci, ad quem ordinatur.

XXVI. *De proposito monachorum & clericorum.*

OMNIBVS.

ITem in eodem concilio, ut clerici & monachi in suo proposito & voto, quod Deo promiserunt, permaneant.

XXVII. *De monachis qui ad clericatum provehuntur.*

OMNIBVS.

ITem in decretis Innocentii Papæ de eadem re, ut monachus si ad clericatum provehatur, propositum monachicæ professionis non amittat.

XXVIII. *De negotio clericorum inter se.*

OMNIBVS.

ITem in eodem concilio, ut si clerici inter se negotium aliquod habuerint, à suo Episcopo diiudicentur, non à secularibus.

XXIX. *De conspiratione clericorum vel monachorum.*

OMNIBVS.

ITem in eodem concilio, ut nec clerici nec monachi conspirationem vel insidias contra pastorem suum faciant.

XXX. *De accusatione Laicorum contra Episcopos.*

AD OMNES.

ITem in eodem concilio, ut Laici Episcopos aut clericos non accusent, nisi prius eorum discutiatur existimationis opinio.

XXXI. De

XXXI. *De monasteriis Deo dicatis.*

OMNIBVS.

ITem in eodem, ut loca quæ semel Deo dedicata sunt, ut monasteria sint, maneant perpetuò monasteria, nec possint ultra fieri secularia habitacula.

XXXII. *De fide sanctæ Trinitatis prædicanda.*

OMNIBVS.

IN concilio Carthaginensi. Primò omnium necesse est, ut fides sanctæ Trinitatis & incarnationis Christi, passionis, resurrectionis, & ascensionis in cœlo, diligenter omnibus prædicetur.

XXXIII. *De avaritia.*

OMNIBVS.

ITem in eodem, de prohibenda avaritia, ut nullus alienos fines usurpet, vel terminos patrum transcendat.

XXXIV. *De his qui se convertunt ad Deum.*

OMNIBVS.

ITem in eodem, de his qui in priculo constituti sunt, & convertunt se ad Deum, ut canonicè inquirantur de reconciliatione, & canonicè reconcilientur.

XXXV. *De his qui non sunt bonæ conversationis.*

OMNIBVS.

ITem in eodem, ut illi qui non sunt bonæ conversationis, & eorum vita est accusabilis, non audeant Episcopos vel maiores natu accusare.

XXXVI. *De his qui excommunicato communicaverint.*

OMNIBVS.

ITem in eodem, ut qui excommunicato præsumptuosè communicaverit, excommunicetur & ipse.

XXXVII. *De subiectione presbyterorum.*

SACERDOTIBVS.

ITem in eodem concilio infra duo capitula, ut nullus presbyter contra suum Episcopum superbire audeat.

XXXVIII. *De clericis Ecclesiastici ordinis.*

OMNIBVS.

ITem in eodem, ut clerici Ecclesiastici ordinis, si culpam incurrerint, apud Ecclesiasticos iudicentur, non apud seculares.

XXXIX. *Vt clerici non sint usurarij.*

OMNIBVS.

ITem in eodem, ut qui commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat: si speciem aliam, eandem speciem quam dederit, accipiat.

XL. *De virginibus Deo dicatis.*

OMNIBVS.

ITem in concilio Africano præcipitur, ut virgines Deo sacratæ à gravioribus personis diligenti custodia serventur.

XLI. *De principali cathedra Episcoporum.*

EPISCOPIS.

ITem in eodem, ut non liceat Episcopo principalem cathedram suæ parochiæ negligere, & aliquam Ecclesiam in sua diœcesi magis frequentare.

XLII. *De falsis nominibus Sanctorum.*

EPISCOPIS.

ITem in eodem, ut falsa nomina martyrum, & incertæ sanctorum memoriæ, non venerentur.

XLIII. *De uxore à viro dimissa.*

OMNIBVS.

ITem in eodem, ut nec uxor à viro dimissa alium accipiat virum, vivente viro suo: nec vir aliam accipiat uxorem, vivente uxore priore.

XLIV. *De iudicibus à Metropolitano probatis.*

EPISCOPIS.

ITem in eodem, ut probati à Metropolitano iudices non spernantur.

XLV. *De accusatione vilium personarum.*

OMNIBVS.

ITem in eodē infra duo capitula, ut viles personæ non habeant potestatem accusandi: & si in primo crimine convicti sunt falsum dicere, in secundo non habeant potestatem dicendi.

XLVI. *De virginibus velandis.*

OMNIBVS.

ITem in eodem, ut virgines non velentur ante XXV. annos, nisi rationabili necessitate cogente.

XLVII. *De oblatis pauperum.*

OMNIBVS.

IN concilio Gangrensi, ut nulli liceat oblata, quæ ad pauperes pertinent rapere vel fraudare.

XLVIII. *De ieiuniis à sacerdotibus constitutis.*

OMNIBVS.

ITem in eodem, ut Ecclesiastica à sacerdotibus ieiunia constituta sine necessitate rationabili non solvantur.

XLIX. *De*

XLIX. *De his contra qui naturam peccant.*

SACERDOTIBVS.

IN concilio Acyronensi, *si inventi sunt inter vos qui cum quadrupedibus vel masculis contra naturam peccant, dura & districta pœnitentia coërcendi sunt.* Quapropter Episcopi & præsbyteri à quibus iudicium pœnitentiæ iniungitur, conentur omnimodis hoc malum à consuetudine prohibere vel abscindere.

L. *De præsbyteris, quo tempore ordinentur.*

EPISCOPIS.

IN concilio Neocæsariensi, ut nullatenuus presbyter ordinetur ante xxx. ætatis suæ annum, quia Dominus noster Iesus Christus non prædicavit ante xxx. annum.

LI. *De sponsa alterius.*

OMNIBVS.

IN Decretalibus Siritii Papæ, ut alterius sponsam nemo accipiat.

LII. *De monachis & virginibus propositum servantibus.*

EPISCOPIS, MONACHIS ET VIRGINIBVS.

ITem eiusdem, ut monachi & virgines suum propositum omnimodis observent.

LIII. *De pace danda.*

OMNIBVS.

IN Decretalibus Innocentii Papæ, ut pax detur ab omnibus, confectis Christi Sacramentis.

LIIII. *De nominibus recitandis.*

SACERDOTIBVS.

ITem eiusdem, ut nomina publicè non recitentur ante preces sacerdotales.

LV. *De Canonum institutis à Præsbyteris non ignorandis.*

EPISCOPIS ET SACERDOTIBVS.

ITem eiusdem ut nulli Sacerdoti liceat ignorare Sanctorum canonum instituta.

LVI. *De clerici alterius Episcopi*

EPISCOPIS.

IN decretis Leonis Papæ sancitum est, & in Sardicensi concilio, ut Episcopus alterius clericum ad se non sollicitet, nec ordinet.

LVII. *De Servis alterius.*

EPISCOPIS.

ITem eiusdem, ut nullus Episcopus servum alterius ad clericatus officium sine domini sui voluntate promovere præsumat, & hoc Gangrense concilium prohibet.

LVIII. *De sacerdotibus contra Decretalia agentibus.*

EPISCOPIS.

ITem eiusdem, ut si quis sacerdotum contra constituta decretalia presumptiose agat, & corrigi nolens, ab officio suo submoveatur.

LIX. *De viduis à quibus non velentur.*

EPISCOPIS.

IN decretis Gelasii Papæ, ut nullus Episcopus viduas velare præsumat.

ITEM ALIA CAPITVLA.

HÆC enim dilectissimi, pio studio & magna dilectionis intentione vestram unanimitatem admonere studuimus, quæ magis necessaria videbantur, ut sanctorum patrum canonicis institutis inhærentes, præmia cum illis æternæ felicitatis accipere mereamini. Scit namque prudentia vestra, quàm terribili anathematis censura feriantur, qui præsumtiosè contra statuta universalium conciliorum venire audent. Quapropter & vos diligentius admonemus, ut omni intentione illud horribile execrationis iudicium vobis cavere studeatis: & magis canonica instituta sequentes, & pacifica unitate nitentes, ad æterna pacis gaudia pervenire dignemini. Sunt quoque alia capitula, quæ vobis utilia huic præcedenti admonitioni subiungere visa sunt.

LX. *De fide catholica, & primo præcepto legis.*

OMNIBVS.

PRimò omnium admonemus, ut fides catholica ab episcopis & præsbyteris diligenter legatur omni populo, prædiceturque hoc primum præceptum Domini Dei omnipotentis in lege, *Audi Israël quia* Dominus Deus *tuus* Deus *unus est*, & ut ille diligatur ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima, & ex tota virtute.

LXI. *De pace & concordia servanda.*

OMNIBVS.

VT pax sit & concordia & unanimitas cum omni populo Christiano, inter Episcopos, Abbates, Comites, Iudices, & omnes ubique seu maiores seu minores personas: quia nihil Deo sine pace placet, nec munus sanctæ oblationis ad altare, sicut in Evangelio ipso Domino præcipiente legimus. Et ut est illud secundum mandatum in lege, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Item in Evangelio: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Et iterum: *In hoc cognoscent omnes: quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem*. In hoc enim præcepto discernuntur filii Dei, & filii diaboli. Quia filii diaboli semper dissensiones & discordias movere satagunt, filii autem Dei semper paci & dilectioni student.

LXII. *De iudicibus.*

OMNIBVS.

VT quibus data est potestas iudicandi, iustè iudicent, sicut scriptum est; *Iustè iudicate filii hominum. Non in muneribus, quia munera excæcant*

corda,

corda prudentium, & subvertunt verba iustorum. Non in adulatione, nec in consideratione personæ, sicut in Deuteronomio dictum est: *Quod iustum est iudicate, sive civis sit ille, sive peregrinus, nulla sit distantia personarum, quia Dei iudicium est.* Primum namque iudici diligenter discenda est lex à sapientibus populi composita, ne per ignorantiam à via veritatis erret. Et dum ille rectum intelligit iudicium, caveat ne declinet aut per adulationem aliquorum, aut per amorem cuiuslibet amici, aut per timorem alicuius potentis, aut propter præmium, à recto iudicio. Rectum autem & honestum videtur, ut iudices ieiuni causas audiant, & discernant.

LXIII. De *periuriis*.

OMNIBVS.

HAbemus in lege, Domino præcipiente: *Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, neque assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Ideo omninò admonendi sunt homines diligenter, ut caveant periurium, non solum in sancto Evangelio, vel in altari, seu in sanctorum reliquiis, sed & in communi loquela. Quia sunt aliqui, qui per charitatem & veritatem iurant, & cavent se à iuramento nominis Dei, & nesciunt quod idem est Deus, quod est charitas & veritas, dicente Ioanne Apostolo: *Quia Deus charitas est.* Item ipse Dominus in Evangelio: *Ego sum via & veritas.* Ideo qui in veritate & charitate iurat, in Deo iurat. Item cavendum est, ne Pharisaica superstitione aliquis plus aurum honoret, quàm altare, ne dicat ei Dominus: *Stulte, & quid est maius, aurum, an altare quod sanctificat aurum?* Sed & nobis honestum videtur, ut qui in sanctis habet iurare, hoc ieiunus faciat cum omni honestate & timore Dei: & sciat unusquisque vestrum, se rationem redditurum Deo ubicunque sit, sive intra Ecclesiam, sive extra Ecclesiam. Et ut parvuli, qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur iurare, sicut Gundebodingi faciunt. Et qui semel periuratus fuerit, nec testis sit post hæc, nec ad sacramentum accedat; nec in sua causa, vel alterius iurator existat.

LXIV. De *auguriis vel aliis maleficiis*.

HAbemus in lege Domini mandatum: *Non auguramini.* Et in Deuteronomio; *Nemo sit qui ariolos sciscitetur, vel somnia observet, vel ad auguria intendat.* Item; *Nemo sit maleficus, nec incantator, nec Pythonis consultor.* Ideo præcipimus, ut nec cauculatores, & incantatores, nec tempestarii, vel obligatores fiant; & ubicunque sunt, emendentur vel damnentur. Item de arboribus, vel petris, vel fontibus, ubi aliqui stulti luminaria vel alias observationes faciunt, omninò mandamus, ut istæ pessimus usus, & Deo execrabilis, ubicunque invenitur, tollatur & destruatur.

LXV. De *odio vel invidia*.

OMNIBVS.

PPrædicare necesse est, quantum malum sit odium vel invidia. In lege enim scriptum est: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum.* Item Ioannes Evangelista: *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Item in Evangelio; *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum,* & cætera quæ ibi leguntur.

LXVI. *De avaritia vel concupiscentia.*

DE avaritia autem Apostolum legimus dicentem: *Avaritia, quæ est idolorum servitus, est valde cavenda.* De concupiscentia verò legitur, quòd radix sit omnium malorum, & in lege, *Non concupisces rem proximi tui.*

LXVII. *De homicidiis.*

ITem, ut homicidia infra patriam sicut in lege Domini interdictum est, nec causa ultionis, nec avaritiæ, nec latrocinandi fiant: & ubicunque inventa fuerint, à iudicibus nostris secundum legem ex nostro mandato vindicentur & non occidatur homo, nisi lege iubente.

LXVIII. *De furtis, & iniustis connubiis, & falsis testimoniis.*

OMNIBVS.

ITem & furta, & iniusta connubia, nec non & falsa testimonia, sicut sæpe rogavimus, prohibere diligenter, sicut & lex Domini prohibet.

LXIX. *De honore parentum.*

OMNIBVS.

HOc cum magno studio admonendum est, ut filii honorent parentes suos: quia ipse Dominus dicit, *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

LXX. *De fide præsbytorum ab Episcopis discutienda.*

SACERDOTIBVS.

VT Episcopi diligenter discutiant per suas parochias præsbyterorum fidem, baptisma catholicum & Missarum celebrationes, ut fidem rectam teneant, & baptisma catholicum observent, & Missarum preces bene intelligant, & ut Psalmi dignè secundum divisiones versuum modulentur, & Dominicam orationem ipsi intelligant, & omnibus prædicent intelligendam, ut quisque sciat, quid petat à Deo, & ut GLORIA PATRI cum omni honore apud omnes cantetur: & ipse sacerdos cum sanctis angelis & populo Dei communi voce SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS decantet. Et omnimodis dicendum est præsbyteris & diaconibus, ut arma non portent, sed magis confidant in defensione Dei, quàm in armis.

LXXI. *De honore Ecclesiæ Dei.*

ALIQVID SACERDOTIBVS, ALIQVID OMNIBVS.

PLacuit nobis admonere reverentiam vestram, ut unusquisq; vestrum videat per suam parochiam, ut Ecclesia Dei suum habeat honorem: simul & altaria secundum suam dignitatem venerentur, & non sit domus Dei, & altaria sacrata pervia canibus: & ut vasa sacrata Deo cum magna veneratione habeantur: & ut sacrificia sanctificata cum magna diligentia ab eis colligantur, qui digni sunt, & cum honore serventur: & ut sæcularia negotia vel vaniloquia in Ecclesiis non agantur, quia domus Dei, domus orationis debet esse, non spelunca latronum, & intentos habeant animos ad Deum, quando veniunt ad Missarum solemnia: & ut non exeant ante completionem benedictionis sacerdotalis.

LXXII. *De ministris altaris Dei, & de Schola.*

SACERDOTIBVS.

SEd & hoc flagitamus vestram almitatem, ut ministri altaris Dei suum ministerium bonis moribus ornent, & alii canonici observent eorum ordines, atque monachi propositum consecrationis. obsecramus etiam, ut bonam & probabilem vitam & conversationem habeant, sicut ipse Dominus in Euangelio suo præcipit, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* Vt eorum bona conversatione multi attrahantur ad servitium Dei, & non solum servilis conditionis infantes, sed etiam ingenuorum filios aggregent, sibique socient. Et ut Scholæ legentium puerorum fiant, psalmos, notas, cantus, compotum, grammaticam per singula monasteria vel Episcopia discant. Sed & libros catholicos bene emendatos habeant, quia sæpe dum bene aliquid Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros malè rogant, & pueros vestros non sinatis eos vel legendo vel scribendo corrumpere. Et si opus est Euangelium, & psalterium, & Missale scribere, perfectæ ætatis homines scribant cum omni diligentia.

LXXIII. *De voto monachorum, & de clericatu.*

SImul & hoc rogare curavimus, ut omnes ubicunque, qui se voto monachiæ vitæ constrinxerunt monachi & regulariter omnimodis secundum votum suum vivant, secundum quod scriptum est, *Vota vestra reddite Domino Deo vestro.* Et iterum, *Melius est non vovere; quam vovere, & non reddere.* Et ut ad monasteria venientes, secundum regularem ordinē primo in pulsatorio probentur, & sic recipiantur. Et qui ex seculari habitu in monasteria veniunt, non statim foras ad ministeria monasterii mittantur, antequam intus bene erudiantur; & ut monachi ad secularia placita non vadant. Similiter qui ad clericatum accedunt, quod nos nominamus canonicam vitam, volumus ut illi canonicè secundum suam regulam omnimodis vivant: & Episcopus eorum regat vitam, sicut Abba monachorum.

LXXIIII. *De mensuris & ponderibus.*

OMNIBVS.

VT æquales mensuras & rectas, & pondera iusta & æqualia omnes habeant, sive in civitatibus, sive in monasteriis, sive ad dandum in illis, sive ad accipiendum, sicut in lege Domini præceptum habemus. Item in Salomone Domino dicente, *Pondus & pondus, mensuram & mensuram odit anima mea.*

LXXV. *De susceptione hospitum.*

OMNIBVS.

ET hoc nobis competens & venerabile videtur, ut hospites, peregrini, & pauperes susceptiones regulares & canonicas per loca diversa habeant: quia ipse Dominus dicturus erit in remuneratione magni diei, *hospes eram, & suscepistis me.* Et Apostolus hospitalitatem laudans dixit. *Per hanc quidem placuerant Deo, Angelis hospitio susceptis.*

LXXVI. De *Abbatissis contra morem Ecclesiæ Dei facientibus.*

EPISCOPIS ET ABBATIBVS.

AVditum est, aliquas Abbatissas contra morem sanctæ Dei Ecclesiæ benedictiones, & manus impositiones, & signacula sanctæ crucis super capita virorum dare, necnon & velare virgines cum benedictione sacerdotali, quod omninò à vobis, sanctissimi patres, in vestris parochiis illis interdicendum esse scitote.

LXXVII. De *clericis, qui se fingunt esse monachos.*

CLERICIS.

VT illi clerici, qui se fingunt habitu vel nomine monachos esse, & non sunt, omnimodis videntur corrigendi atque emendandi, ut illi veri monachi sint, vel veri canonici.

LXXVIII. De *Pseudographis & dubiis narrationibus.*

OMNIBVS.

Pseudographæ & dubiæ narrationes, vel quæ omninò contra fidem catholicam sunt, ut Epistola pessima & falsissima, quam transacto anno dicebant aliqui errantes, & in errorem alios mittentes, quòd de cœlo cecidisset, nec credantur nec legantur, sed comburantur, ne in errorem pro tali scripto populus mittatur. Sed soli canonici libri, & catholici tractatus, & sanctorum auctoritates, & dicta legantur & tradantur.

LXXIX. De *mangonibus, & nudis cum ferro.*

ALIQVID SACERDOTIBVS, ALIQVID OMNIBVS.

ITem, ut isti mangones, & cogciones, qui sine omni lege vagabundi vadunt, per i[illegible]m terram non sinantur vagari, & deceptiones hominibus agere. Nam isti nudi cum ferro, qui dicunt se data sibi pœnitentia ire vagantes, melius videtur, ut si aliquid inconsuetum, & capitale crimen commiserint, in uno loco permaneant laborantes, & servientes, & pœnitentiam agentes, secundum quod sibi canonicè impositum sit.

LXXX. De *cantu Romano à monachis peragendo.*

OMNIBVS CLERICIS.

MOnachi ut cantum Romanum pleniter & ordinabiliter per nocturnale vel gradale officium peragant, secundum quod beatæ memoriæ genitor noster Pipinus Rex decretavit ut fieret, quando Gallicanum cantum tulit, ob unanimitatem Apostolicæ sedis, & sanctæ Dei Ecclesiæ pacificam concordiam.

LXXXI. De *operibus servilibus, quæ diebus* Dominicis *non sunt agenda.*

OMNIBVS.

STatuimus quoque (secundum quod & in lege Dominus præcepit) ut opera servilia diebus Dominicis non agantur; sicut & bonæ memoriæ genitor

nitor meus in suis synodalibus edictis mandavit, quòd nec viri ruralia exerceant opera, id est, nec in vinea colenda, nec in campis arando, nec in metendo, vel fœnum secando, vel sepem ponendo: nec in sylvis stirpare, vel arbores cædere, vel in petris laborare, nec domos construere: neç in horto laborent, nec ad placita conveniant, nec venationes exerceant. Sed tria carralia opera licet fieri in die Dominico, id est, hostilia carra, vel victualia, vel angaria, & si fortè necessè erit corpus cuiuslibet duci ad sepulchrum. Item fœminæ opera textrilia non faciant, nec capulent vestitus, nec consuant, vel acupictile faciant: nec lanam carpere, nec linum battere, nec in publico vestimenta lavare, nec berbiees tondere habeant licitum: ut omnimodis honor & requies diei dominici servetur. Sed & ad Missarum solemnia ad Ecclesias undique conveniant, & laudent Deum pro omnibus bonis, quæ nobis in illo die fecit.

LXXXII. *De prædicatione Episcoporum & presbyterorum.*

OMNIBVS.

SVmmopere vobis videndum est, dilectissimi & venerabiles pastores & rectores Ecclesiarum Dei, ut presbyteri, quos mittitis per parochias vestras, ad regendum & prædicandum per Ecclesias populum Deo servientem, recte & honestè prædicent: & non sinatis nova vel non canonica aliquos ex suo sensu, & non secundum scripturas sacras fingere & prædicare populo: sed & vosmetipsi utila honestè & rectè, & quæ ad vitam ducunt æternam prædicate, aliosque instruite, ut hæc eadem prædicent.

Primò omnium prædicandum est omnibus generaliter, ut credant Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, unum esse Dominum omnipotentem, æternum, invisibilem, qui creavit cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt. Et unam esse Deitatem, & substantiam, & maiestatem in tribus personis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Item prædicandum est, quomodo filius Dei incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria semper virgine, pro salute & reparatione humani generis, passus, sepultus, & tertia die resurrexit, & ascendit in cœlos: & quomodo iterum venturus sit in maiestate divina, iudicare omnes homines, secundum merita propria: & quomodo impii propter scelera sua cum diabolo in ignem æternum mittentur, & iusti cum Christo & cum sanctis Angelis suis in vitam æternam.

Item diligenter prædicantum est, se resurrectionem mortuorum accepturos.

Item cum omni diligentia cunctis prædicandum est, pro quibus criminibus deponuntur cum diabolo in æternum supplicium. Legimus enim Apostolo dicente: *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, emulationes, animositates, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum* Dei *non consequentur.* Ideo hæc eadem, quæ magnus prædicator Ecclesiæ Dei singillatim nominavit, cum

omni ſtudio prohibeantur, intelligentes, quam ſit terribile illud quod dixit, *Quoniam qui talia agunt regnum Dei non conſequentur.* Sed & omni inſtantia admonete eos de dilectione Dei & proximi, de fide & ſpe in Domino, de humilitate & patientia, de caſtitate & continentia, de benignitate & miſericordia, de elemoſynis & confeſſione peccatorum ſuorum, & ut debitoribus ſuis ſecundum Dominicam orationem ſua debita dimittant, ſcientes certiſſimè, quod qui talia agunt, regnum Dei poſſidebunt. Et hoc ideo diligentius iniungimus veſtræ charitati, quia ſcimus temporibus noviſſimis pſeudoctores eſſe venturos, ſicut ipſe Dominus in Euangelio prædixit, & Apoſtolus Paulus ad Timotheum teſtatur. Ideo dilectiſſimi toto corde præparemus nos in ſcientia veritatis, ut poſſimus contra dicentibus veritati reſiſtere: & divina donante gratia verbum Dei creſcat, & currat, & multiplicetur in profectum ſanctæ Dei eccleſiæ, & ſalutem animarum veſtrarum, & laudem & gloriam nominis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Pax prædicantibus, gratia obedientibus, gloria Domino noſtro Ieſu Chriſto, Amen.

ANno Dominicæ incarnationis. DCCLXXXIX. *indictione* XII. *anno* XXI. *regni noſtri actum eſt huius legationis edictum in Aquiſgrani palatio publicè: data eſt hæc* XIIII. *die Kal. April.* TEMPORE *Adriani Papæ & Karoli magni Imperatoris, quando Paulinus epiſcopus tenuit vices Apoſtolicæ ſedis in Aquis fuit factum iſtud capitulum propter hoc, quia laici homines ſolebant dividere epiſcopia & monaſteria ad illorum opus, & non remanſiſſet ulli epiſcopo, nec abbati, nec Abbatiſſæ, niſi tantum ut velut canonici & monachi viverent.*

HÆC *capitula Domini Ludovici propriè ſunt ad epiſcopos vel ordines quoſque eccleſiaſticos pertinentia, qua non ſolum obſervare, ſed etiam ſibi ſubiectis vel commiſſis facienda perdocere debent.*

LXXXIII. *De rebus Eccleſiæ.*

QVia iuxta ſanctorum patrum, traditionem novimus res eccleſiæ vota eſſe fidelium, prætia peccatorum, & patrimonia pauperum, cuique non ſolum habita conſervare, verùm etiam multa Deo opitulante conferre optamus. Tamen ut ab ecccleſiaſticis de non dividendis rebus illius ſuſpitionem dudum conceptam penitus amoveremus, ſtatuimus, ut neq; noſtris, neque filiorum, & Deo diſpenſante ſucceſſorum noſtrorum temporibus, qui noſtram vel progenitorum noſtrorum voluntatem vel exemplum imitari voluerint, ullam penitus diviſionem aut iacturam patiatur.

LXXXIIII. *De epiſcopis eligendis.*

SAcrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine ſancta eccleſia ſuo liberius potiretur honore, ad ſenſum ordini eccleſiaſtico præbuimus, ut ſcilicet Epiſcopi per electionem cleri & populi ſecundum ſtatuta canonum de propria dioceſi, remota perſonarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo ſibi ſubiectis vſquequaque prodeſſe valeant.

LXXXV. *De dictis patrum congestis pro canonica professione quæ dehonestabatur.*

QVia verò canonica professio à multis partim ignorantia, partim desidia dehonestabatur, opere pretium duximus Deo annuente apud sacrum conventum ex dictis sanctorum patrum, velut ex diversis pratis quosdam vernantes flosculos carpendo, in unam regulam canonicorum & canonicarum congerere, & canonicis vel sanctimonialibus servandam contradere: ut per eam canonicus ordo absque ambiguitate possit servari. Et quoniam illam sacer conventus ita etiam laudibus extulit, ut usque ad unum iota observandam perceniseret, statuimus, ut ab omnibus, in eadem professione degentibus, indubitanter teneatur, & modis omnibus sive à canonicis, siue à sanctimonialibus canonicè degentibus, deinceps observetur.

LXXXVI. *De Abbatibus eligendis.*

MOnachorum siquidem causam qualiter Deo opitulante ex parte disposuerimus, & quomodo ex seipsis sibi eligendi abbates licentiā dederimus, & qualiter Deo opitulante quieti, vivere, propositumque indefessi custodire valerent, ordinaverimus, in alia schedula diligenter adnotare fecimus: & ut apud successores nostros ratum foret, & inviolabiter conservaretur, confirmavimus.

LXXXVII. *De collatis ecclesiæ dividendis.*

STatutum est, ut quicquid tempore imperii nostri à fidelibus ecclesiæ sponte collatum fuerit, in ditioribus locis duas partes in usus pauperum, tertiam in stipendia cedere clericorum aut monachorum, in minoribus verò locis æquè inter clerum & pauperes fore dividendum: nisi fortè à datoribus, ubi specialiter dandæ sint, constitutum fuerit.

LXXXVIII. *De ordinatione servorum.*

DE servorum verò ordinatione, qui passim ad gradus ecclesiasticos indiscretè promovebantur, placuit omnibus cum sacris canonibus concordari debere & statutum est ut nullus episcoporum deinceps eos ad sacros ordines promovere præsumat, nisi priùs à Dominis propriis libertatem consecuti fuerint. Et si quilibet servus Dominum suum fugiens, aut latitans, aut corruptis, aut qualibet calliditate, vel adhibitis testibus munere conductis, vel fraude ad gradus ecclesiasticos pervenerit, decretum est, ut deponatur, & Dominus eius eum recipiat. Si verò avus vel pater ab alia patria in aliam migrans in eadem provincia filium genuerit, & ipse filius ibidem educatus, & ad gradus ecclesiasticos promotus fuerit, & utrum servus sit ignoraverit, & postea veniens Dominus illius legibus eum acquisierit, sancitum est, ut si Dominus eius illi libertatem dare voluerit, in gradu suo permaneat. Si verò eum cathena servitutis à castris Dominicis extrahere voluerit, gradum amittat, quia iuxta sacros ordines vilis persona manens sacerdotii dignitate fungi non potest. De rebus verò illorū vel peculiari qui à propriis Dominis libertate donātur, ut ad gradus eccclesiasticos iure promoveantur, statutū est, ut in potestate dominorū consistat vtrū illis concedere, an sibi vindicare voluerint, Cæterū si post ordinationē aliquid acquisierit, illud

observetur, quod in Canonibus de consecratis nihil habentibus cõstitutum est. De Ecclesiarum verò servis communi sententia decretum est, ut Archiepiscopi per singulas provincias constituti nostram auctoritatem; suffraganei verò illorum, exemplar illius penes se habeant. Et quandocunque de familia Ecclesiæ utilis inventus aliquis ordinandus est, in ambone ipsa auctoritas coram populo legatur, & coram sacerdotibus, vel coram fidelibus laicis ante cornu altaris, sicut in nostra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate libertatem consequatur, & tunc demùm ad gradus Ecclesiasticos promoveatur. Similiter quoque de his agendum est, quos laici de familia Ecclesiarum ad sacros ordines promovere voluerint: sed & de his, quos præpositi canonicorum aut monachorum ordinandos expetiverint, eadem forma servanda est.

LXXXIX. *De personis à quibus non sunt res accipiendæ.*

STatutum est, ut nullus quilibet Ecclesiasticus ab his personis res deinceps accipere præsumat, quarum liberi aut propinqui hac inconsulta oblatione possint rerum propriarum exheredari. Quòd si aliquis deinceps hoc facere tentaverit, à synodali vel imperiali sententia modis omnibus feriatur.

XC. *De presbyteris constituendis.*

STatutum est, ut sine auctoritate vel consensu Episcoporum presbyteri in quibuslibet Ecclesiis nec constituantur, nec expellantur. Et si laici clericos probabilis vitæ & doctrinæ Episcopis consecrandos, suisque in Ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos reiiciant.

XCI. *De mansis uniuscuiusq; Ecclesiæ.*

SAncitum est, unicuique Ecclesiæ unus mansus integer absque ullo servitio adtribuatur, & presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus neque atriis vel hortis iuxta Ecclesiam positis, neque de præscripto manso aliquod servitium faciant, præter Ecclesiasticum. Et si aliquid amplius habuerint, inde senioribus suis debitum servitium impendant.

XCII. *De presbyteris uniuscuiusq; Ecclesiæ.*

STatutum est, postquam hoc impletum fuerit, ut unaquæque Eclesia suum presbyterum habeat, ubi id fieri facultas providente Episcopo permiserit.

XCIII. *De villis novis, & Ecclesiis in eis noviter constitutis.*

SAncitum est de villis novis, & Ecclesiis in eis noviter constitutis, ut decimæ de ipsis villis ad easdem Ecclesias conferantur.

XCIV. *De sacris vasis Ecclesiæ in pignus datis.*

DE sacris vasis Ecclesiæ, quæ in pignus à nonnullis in quibusdam locis dari comperimus, inhibitum est, ne deinceps à quoquam fieri præsumatur, nisi solummodo necessitate redimendorum captivorum compellente.

XCV. De

XCV. *De ecclesiis destructis, vel de nonis & decimis.*

DE ecclesiis sanè destructis, vel de nonis & decimis, sive de claustris canonicorum, qualiter constitui & ordinariè nobis placuerit, aliis capitulis subter adnotavimus.

XCVI. *De ecclesiarum honore.*

SEd & de ecclesiarum honore, quomodo Deo adiuvante (quantum in nobis est) vigeat similiter insubter adnotatis capitulis insertum esse dinoscitur.

XCVII. *De Episcopis Italiæ.*

DE episcopis verò in Longobardia constitutis, qui ab his, quos ordinabant, sacramenta & munera contra divinam & canonicam auctoritatem accipere vel exigere soliti erant, modis omnibus inhibitum est, ne ulterius fiat, quia iuxta sacros canones uterque gradu proprio talia facientes decidere debent.

XCVIII. *De præsbyteris qui fœminas in domibus habent.*

STatutum est ab episcopis de præsbiteris, qui fœminas secum indiscretè habitare permittunt, & propter hoc malæ opinionis suspitione denotantur. ut si deinceps admoniti non se correxerint, vel ut contemptores sacrorum canonum canonica invectione feriantur.

XCIX. *De præsbyteris qui pro chrismate in cœna Domini veniebant.*

DE præsbyteris, qui accipiendi chrismatis gratia, ad civitates in cœna Domni venire soliti erant, sancitum est, ut de his qui longe positi sunt, de octo vel decem unus ab episcopo eligatur, qui acceptum chrisma sibi & sociis diligenter perferat. Hi verò qui non longius à civitate quàm quatuor aut quinque millibus habitant, more solito ad accipiendum chrisma per se veniant. Discendi verò gratia, alio non quadragesimæ tempore ad civitates convocentur.

C. *De prædicatione & confirmatione episcoporum.*

NE verò Episcopi occasione prædicandi, aut confirmandi oneri essent pop. à nobis admoniti polliciti sunt se deinceps hoc cavere velle, & eo tempore suum ministerium, in quantum facultas dabatur, exequi, quo eorum profectio, quantum in illis erat, his quibus prodesse possunt & debent, non sit importuna vel onerosa.

CI. *De pueris tondendis, & puellis velandis.*

NE pueri verò sine voluntate parentum tonsurentur, vel puellæ velentur modis omnibus inhibitum est, & qui hoc facere tentaverit, multam, quæ in capitulis legis mundanæ à nobis cōstitutis continetur, persolvere cogatur

CII. *De fœminis viros amittentibus.*

DE fœminis, quæ viros amittunt, placet ne se, sicut hactenus, indiscretè velent, sed ut xxx. dies post decessum viri sui expectent, & post tricesimum diem per consilium Episcopi sui, vel si episcopus absens fuerit, consilio aliorum religiosorum sacerdotum, suorumque parentum atque amicorum id quod eligere debent, eligant. Et quia à sacro conventu rogati,

ut qui publicam gerebant pœnitentiam, & fœminæ quæ viros amittebant, nostra auctoritate, donec deliberent quid agant, tuerentur, specialiter pro his capitula fieri, & legis mundanæ capitulis inserenda decrevimus.

CIII. *De raptis, & eorum raptoribus.*

DE raptis verò, & de raptoribus, quanquam specialiter decrevissemus, quid pati debeant, qui hoc nefas deinceps facere tentaverint; quid tamen super his sacri canones præcipiant, hic inserendum necessarium duximus, quatinus omnibus pateat, quantum malum sit, & non solum humana, sed etiam divina auctoritate constricti. Ab hinc hoc malum caveatur.

CIIII. *De puellis raptis, nec dum desponsatis.*

DE puellis raptis nec dum desponsatis in concilio Calchedonensi, ubi DCXXX. patres affuerunt capitulo XXVII. ita habetur: *Eos qui rapiunt puellas sub nomine simul habitandi, cooperantes & conniventes raptoribus, decrevit sancta synodus, siquidem clerici sunt, decidant gradu proprio: si verò laici, anathematizentur.* Quibus verbis apertè datur intelligi, qualiter huius mali auctores damnandi sunt, quando participes & conniventes tanto anathemate feriantur. & iuxta canonicam authoritatem ad coniugia legitima raptas sibi iure vindicare nullatenus possunt.

CV. *De desponsatis & ab aliis raptis.*

DE desponsatis puellis, & ab aliis raptis, ita in concilio Ancyrano capitulo x. legitur. *Desponsatas puellas, & post ab aliis raptas placuit erui, & eis reddi, quibus ante fuerant desponsatæ, etiam si eis à raptoribus vis illata constiterit.* Proinde statutum est à sacro conventu, ut raptor publica pœnitentia mulctetur. Raptæ verò, si sponsus eam recipere noluerit, & ipsa eidem crimini consentiens non fuit, licentia nubendi alii non negetur. Quòd si & ipsa consensit, simili sententia subiaceat. Quòd si post hæc se coniungere præsumpserint, utrique anathematizentur.

CVI. *De his qui virginibus* Deo *dicatis se sociant.*

DE his verò, qui sacris virginibus se sociant ita in decretis Papæ Gelasii capitulo xx. continetur. *Virginibus sacris temerè se quosdam sociare cognovimus, & post dicatum* Deo *propositum incesta fœdera sacrilegaque miscere, quos protinus æquum est à sacra communione detrudi, & nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi: ut his certè viaticum de seculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negetur.* Si verò de copulatione sacrarum virginum tam severè feriuntur, quanto severius feriendi sunt qui eas rapiunt? Ideo sicut præmissum est, necesse est, ut ab omnibus in Christiana religione consistentibus, rigore auctoritatis divinæ vel humanæ hoc malum radicitus amputetur.

CVII. *De puellis quo tempore velentur*

NE verò puellæ indiscretè velentur, placuit nobis etiam de sacris canonibus qualiter observandum sit, hic inferre. De tempore velandarum puellarum in Africano concilio capitulo XVI. continetur, ut non ante XXV. annos

annos consecrentur. Item in eodem concilio, capitulo XCIII. de virginibus velandis ita continetur. *Item placuit, ut quicunque Episcoporum necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cum & vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si etiam aliquo mortis periculoso scrupulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velaverit virginem, seu velavit ante XXV. annos ætatis, non ei obsit concilium, quod de isto annorum numero constitutum est.* Vnde colligitur, quia iuxta priorem sanctionem virgines XXV. ætatis suæ annó ritè consecrandæ sint. Quod si præmissæ necessitates ante id fieri compellant, nullum possit Episcopo afferre præiudicium consecratio.

CVIII. *De examinatione sanctæ crucis non facienda.*

SAncitum est, ut nullus deinceps quamlibet examinationem crucis facere præsumat, ne Christi passio, quæ est glorificatio, cuiuslibet temeritate contemptui habeatur.

CIX. *De pabulo verbi divini nunciando.*

EPiscopos monemus, ut sive per se, sive per vicarios pabulum verbi divini sedulò populis annuntient: quia, ut ait beatus Gregorius, iram contra se occulti iudicis excitat sacerdos, si sine prædicationis sonitu incedit. Et ut ipsi clerum sibi commissum in sobrietate & castitate nutriant, divinisque officiis imbuant, qui ritè ad sacrosanctos Ecclesiasticos ordines promoveri possint. Et ut operam dent, quatinus presbyteri Missarium, & Lectionarium, sive ceteros libellos sibi necessarios bene correctos habeant. Et qualiter Ecclesias destructas ad se pertinentes iuxta vires emendent; qualiter etiam viduas diligenter instruant. Quomodo etiam secundum Apostolicam auctoritatem conversari debeant, edoceant: & ut superstitiones, quas quibusdam in locis in exequiis mortuorum nonnulli faciunt, eradicent: & ut exemplo suæ innocentiæ alios ad bene vivendum provocent. Et cunctis Ecclesiasticis negotiis, quantum Dominus iuverit, totis viribus consulere satagant, diligenter admonuimus: & ut id liberius exequi valeant, nos in quantum Dominus posse dederit, opem ferre modis omnibus optamus.

CX. *De incestis nuptiis, & de Ecclesiis non dividendis.*

NOnnulla verò Capitula, sicut de incestis nuptiis, necnon & de Ecclesiis quæ inter coheredes dividuntur, & tali occasione proprio honore carent, sive de his Ecclesiis quæ nimium rebus propriis sunt attenuatæ, vel certè de his rebus, quæ nuper necessitate compellente à nonnullis Ecclesiis sunt ablatæ, & si quæ sunt alia, sive in Ecclesiasticis, sive in publicis rebus emendatione digna, quæ pro temporis brevitate efficere nequivimus, in tantum differendum illud dignum iudicavimus, donec, domino favente, consulta fidelium facultas nobis id definiendi ab eo tribuatur. Inventa verò, ut Deo opitulante effectum obtineant per tempora, iam emendata atque correcta ac restituta scriptis confirmare optamus.

CXI. *De scriptoribus.*

DE scribis, ut non vitiosè scribant.

CXII. *De congregationibus.*

DE congregationibus superfluis, ut nullatenus fiant, sed tantos congreget quis, quantis consilium dare potest.

CXIII. *De servis propriis vel ancillis.*

DE servis propriis vel ancillis, ut non amplius tondeantur vel velentur, nisi secundum mensuram: & ut ibi satis fiat, & villæ non sint desolatæ.

CXIIII. *De pulsantibus.*

DE his, qui non fiunt secundum regulam pulsati, ut deinceps emendentur, & pulsentur secundum regulam.

CXV. *De infantulis puellis quando velentur.*

VT infantulæ ætatis puellæ non velentur, antequam illæ eligere sciant quid velint, & pulsentur salva canonica auctoritate.

CXVI. *De præpositis monachorum.*

VT laici non sint præpositi monachorum infra monasteria: nec archidiaconi sint laici.

CXVII. *De incestuosis.*

VT incestuosi canonicè examinentur, & nec propter alicuius amicitiam quidam relaxentur, quidam verò constringantur.

CXVIII. *De fame, clade, & pestilentia, si evenerit.*

DE hoc si evenerit fames, clades, pestilentia, & inæqualitas aëris, vel alia qualiscunque tribulatio, ut non expectetur edictum nostrum, sed statim deprecetur Dei misericordia. Et in præsenti anno de famis inopia, ut suos quisque adiuvet, prout potest, & suam annonam non nimis care vendat; & ne foris imperium nostrum vendatur aliquid alimoniæ.

CXIX. *De fugitivis clericis sive laicis.*

DE fugitivis clericis sive laicis, vel etiam fœminis, sicut iam in alio Capitulari præcipimus, ita servetur.

CXX. *De liberis hominibus ad servitium Dei se tradentibus.*

DE liberis hominibus, qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut prius hoc non faciant, quam à nobis licentiam postulent. Hoc ideo, quia audivimus aliquos ex illis non tam causa devotionis hoc fecisse, quàm pro exercitu, seu alia functione regali fugienda: quosdam verò cupiditatis causa ab his, qui res illorũ concupiscunt, circumventos audivimus, & hoc ideo fieri prohibemus.

CXXI. *De oppressione pauperum.*

DE oppressione pauperum liberorum hominum, ut non fiant à potentioribus per aliquod malum ingeniũ contra iustitiam oppressi, ita ut coacti res eorum vendant, aut tradant. Ideo hæc & supra & hic de liberis hominib9 diximus, ne forte parentes eorum contra iustitiam fiant exhereditati, & regale obsequium minuatur: & ipsi heredes propter indigentiam mendici, vel latrones, seu malefactores efficiantur. Et ut sæpius non fiant manniti ad placita, nisi sicut in alio Capitulari præcepimus, sed omnimodo ita servetur.

CXXII. De *missis, qui per civitates & monasteria mittuntur.*

VT missi per singulas civitates & monasteria virorum & puellarum prævideant, quomodo aut qualiter in domibus Ecclesiarum, & ornamentis Ecclesiæ emendatæ vel restauratæ esse videntur: & diligenter inquirant de conversatione singulorum, vel quo modo emendatum habeant, quod iussimus de eorum lectione, & cantu ceterisque disciplinis, ad ordinem ecclesiasticæ regulæ pertinentibus.

CXXIII. De *thesauris Ecclesiasticis.*

VT singuli Episcopi, abbates seu abbatissæ diligenter considerent thesauros Ecclesiasticos, ne propter perfidiam aut negligentiam custodum aliquid de gemmis, aut de vasis, vel de reliquo quoque thesauro perditum sit: quia dictum est nobis, quod negotiatores Iudæi, nec non & alii gloriantur, quia quidquid eis placeat, possint ab eis emere.

CXXIIII. De *mendicis discurrentibus.*

DE mendicis, qui per patrias discurrunt, volumus, ut unusquisque fidelium nostrorum suum pauperem de beneficio aut de propria familia nutriat, & non permittat aliubi ire mendicando. Et ubi tales inventi fuerint, qui sibi manibus laborent, nullus eis quidquam tribuere præsumat.

CXXV. De *usura.*

VSura est, ubi amplius requiritur, quam datur. Verbi gratia, si dederis solidum, & amplius requisieris: vel si dederis modium vini, frumenti, & iterum super aliud exegeris.

CXXVI. De *cupiditate in bonam partem.*

CVpiditas in bonam partem potest accipi, & malam. In bonam iuxta Apostolum; *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Et in Psalmo; *Concupivit anima mea in atria Domini.*

CXXVII. De *cupiditate in malam partem.*

CVpiditas verò in malam partem accipitur, si quis supra modum res quaslibet iniustè appetere vult, iuxta Salomonem; *Post concupiscentias tuas non eas.*

CXXVIII. De *avaritia.*

AVaritia est alienas res appetere, & adeptas nulli largiri; & iuxta Apostolum, hæc radix omnium malorum.

CXXIX. De *turpibus lucris.*

TVrpe lucrum exercent, qui per varias circumventiones lucrandi causa inhonestè res quaslibet congregare decertant.

CXXX. De *fœnore.*

FOEnus est qui aliquid præstat: iustum fœnus est, qui amplius non requirit, nisi quantum præstitit.

CXXXI. *De emptione tempore messis, causa cupiditatis & turpis lucri.*

QVicunque enim tempore messis, vel tempore vindemiæ, non necessitate, sed propter cupiditatem, comparat annonam aut vinum: verbi gratia, de duobus denariis comparat modium unum, & servat usque dum venumdare possit contra denarios quatuor, aut sex, seu amplius, hoc turpe lucrum dicimus. Si hoc propter necessitatem comparat, ut sibi habeat, & aliis tribuat, negocium dicimus.

CXXXII. *De hoc, si per plurima loca fames fuerit.*

COnsideravimus itaque quia per plurima loca fames valida esse videtur, ut omnes Episcopi, abbates, abbatissæ, optimates, & comites, seu domestici, & cuncti fideles, qui beneficia regalia, tam de rebus ecclesiasticis, quàm quæ & de reliquis habere videntur, unusquisque suo beneficio suam familiam nutricare faciat, & de sua proprietate propriam familiam nutriat. Et si Deo donante super se & super familia sua, aut in beneficio aut in alode annonam habuerit, & venumdare voluerit, non carius vendat, nisi modium de avena denar. II. modium de hordeo contra denar. IIII. modium unum de sigele contra denar. IIII. modium unum de frumento parato contra denarios VI. Et ipse modius sit, quem omnibus habere constitutum est: & unusquisque habeat æquam mensuram, & æquales modios.

CXXXIII. *De synodis qualiter fiant.*

VT per singulos annos synodus bis fiat.

CXXXIIII. De *Metropolitanis Episcopis.*

VT nequaquam inter duos Metropolitanos provincia dividatur.

CXXXV. De *Episcopis quot sint in una civitate.*

NE in una civitate duo sint Episcopi.

CXXXVI. De *ordinatione Episcoporum.*

QVòd non oporteat ordinationes Episcoporum diu differre.

CXXXVII. *De stabilitate Episcoporum vel clericorum.*

NE de uno loco ad alium transeat Episcopus sine decreto Episcoporum, vel clericus sine iussione Episcopi sui.

CXXXVIII. *De communicatione fidelium.*

VT omnes fideles communicent, & ad Missas semper expectent finalem deprecationem.

CXXXIX. *De presbyteris, diaconibus, & reliquis ex clero, ex decretis & canone sancti Sylvestri, &* LXXXIIII. *Episcoporum.*

FEcit hos gradus in gremio synodi, ut non presbyteri adversus Episcopum, non diaconus adversus presbyterum, non subdiaconus adversus diaconum, non acolytus adversus subdiaconum, non exorcista adversus acolytum, non lector adversus exorcistam, non ostiarius adversus lectorem, det accusationem aliquam, & non damnabitur præsul sine LXXII. testibus, neque

neque præsul summus à quoquam iudicabitur, quoniam scriptum est: *Non est discipulus super magistrum.* Presbyter autem nisi in XLIIII. testimoniis non damnabitur. Diaconus autem in cardine constitutus in urbe Roma nisi XXXVII. testibus non damnabitur. Subdiaconus, acolytus, exorcysta, lector, nisi sicut scriptum est in VII. testimoniis filios habentibus & uxores, & omnino Christum prædicantibus. Sic datur mystica veritas.

CXL. *De confugio ad ecclesiam.*

SI quis ad ecclesiam confugium fecerit, in atrio ipsius ecclesiæ pacem habeat, nec sit ei necesse ecclesiam ingredi, & nullus eum inde per vim abstrahere præsumat, sed liceat ei confiteri quod fecit: & inde per manus bonorum hominum ad discussionem in publico producatur.

CXLI. *De his qui ad casam Dei res suas tradere voluerunt.*

QVi res suas pro anima sua ad casam Dei tradere voluerit, domi traditionem faciat coram testibus legitimis: & quæ in hoste factæ sunt traditiones, de quibus nulla est quæstio, stabiles permaneant. Si verò aliquis alii res suas tradiderit, & in hostem profectus fuerit, & ille, cui res traditæ sunt, interim mortuus fuerit, qui res tradidit, cum reversus fuerit, adhibitis testibus coram quibus traditio facta est, res suas recipiat. Si autem & ipse mortuus fuerit, hæredes eius legitimi res traditas recipiant.

CXLII. *De ordinatione præsbyterorum.*

VT præsbyteri non ordinentur priusquam examinentur, & ut excommunicationes passim, & sine causa non fiant.

CXLIII. *De conversione liberi hominis.*

VT liber homo, qui in monasterio regulari comam deposuerit, & res suas ibidem delegaverit, promissionem factam secundum regulam firmiter teneat.

CXLIIII. *De non cogendo bibere.*

VT nemini liceat alium cogere ad bibendum, nisi quantum ei sufficit.

CXLV. *De mercato.*

VT mercatus die dominico in nullo loco habeatur.

CXLVI. *De presbyteris qualiter introitum ecclesiæ consequantur.*

VT nullus præsbiter ad introitum ecclesiæ xenia donet.

CXLVII. *De præsbyteris, à quibus per ecclesias constituantur.*

VT nullus laicus præsbytetum in ecclesiam mittere, vel eiicere præsumat, nisi per consensum Episcopi.

CXLVIII. *De honore pro ecclesiis dando.*

VT Episcopi provideant, quem honorem presbyteri pro ecclesiis suis senioribus tribuant.

CXLIX. *De decimis dispensandis.*

VT decimæ in potestate Episcopi sint, qualiter à presbyteris dispensentur.

CL. *De ecclesiis vel altaribus.*

VT ecclesiæ vel altaria melius construantur: & nullus presbyter annonam vel fœnum in ecclesia mittere præsumat.

CLI. *De ecclesiis vel altaribus ambiguis.*

VT ecclesiæ vel altaria, quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur.

CLII. *De linteis altaribus præparandis.*

VT presbyteri per parochias suas fœminis prædicent, ut linteamina altaribus præparent.

CLIII. *De parochianis alterius presbyteri.*

VT nullus presbyter alterius parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad missam recipiat.

CLIIII. *De parochia alterius presbyteri.*

VT nullus presbyter in alterius parochia missam cantare præsumat, nisi in itinere fuerit: nec decimam ad alterum pertinentem audeat recipere.

CLV. *De termino ecclesiarum.*

VT terminum habeat unaqueque ecclesia, de quibus villis decimas recipiat.

CLVI. *De rebus presbyterorum.*

VT unusquisque presbyter res, quas post diem consecrationis adquisierit, proprias ecclesiæ relinquat.

CLVII. *De pœnitentibus non cogendis.*

VT nullus presbyter aut laicus pœnitentem invitet vinum bibere, aut carnem manducare, nisi ad præsens pro ipso unum vel duos denarios uxta qualitatem pœnitentiæ dederit.

CLVIII. *De presbyteris à quibus se caveant.*

VT nullus nullus presbyter chartas scribat, nec conductor sui senioris existat.

CLIX. *De sepultura, ubi non fiat.*

VT nullus deinceps in ecclesia mortuum sepeliat.

CLX. *De prædicatione & Capitulis presbyterorum.*

VT unusquisque presbyter Capitula habeat de maioribus vel de minoribus vitiis, per quæ cognoscere valeat, vel prædicare subditis suis, ut caveant ab insidiis diaboli.

CLXI. *De*

CLXI. *De Eucharistia.*

VT presbyter semper Eucharistiam habeat paratam, ut quando quis infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur.

CLXII. *De ampullis tribus in cœna Domini habendis.*

VT presbyter in cœna Domini tres ampullas secum deferat, unam ad chrisma, alterum ad oleum ad catechumenos inungendum, tertiam ad infirmos, iuxta sententiam Apostolicam: *ut quando quis infirmatur, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum unguentes cum oleo in nomine Domini.*

CLXIII. De *nonis & decimis.*

VT qui ecclesiarum beneficia habent, nonam & decimam ex eis ecclesiæ, cuius res sunt, donent: & qui tale beneficium habent, unde ad medietatem laborent, de eorum portione proprio presbytero decimas donent.

CLXIIII. *De festivitatibus in anno.*

HÆ sunt festivitates in anno, quæ per omnia venerari debent: Natalis Domini, sancti Stephani, sancti Ioannis Evangelistæ, Innocentum, Octavæ Domini, Epiphania, Octavæ Epiphaniæ, Purificatio sanctæ Mariæ, Paschæ dies octo, Lætania maior, Ascensio Domini, Pentecoste, sancti Ioannis Baptistæ, sancti Petri & Pauli, sancti Martini, sancti Andreæ: de assumptione sanctæ Mariæ interrogandum relinquimus.

CLXV. De *admonitione sacerdotum.*

VT sacerdotes admoneant populum, ut eleemosynam dent, & orationes faciant pro diversis plagis, quas assiduè pro peccatis nostris patimur.

CLXVI. *De prædicatione ad plebem.*

VT ipsi sacerdotes unusquisque secundum ordinem suum prædicare & docere studeat plebem sibi commissam.

CLXVII. *De ebrietate.*

VT primò omnium seniores semetipsos de ebrietate caveant, & eorum iunioribus exemplum bonum sobrietatis ostendant.

CLXVIII. *De admonitione ad omnes.*

ADmonendi sunt omnes generaliter secundum Evangelicam auctoritatem, ut sic luceant opera eorum bona coram hominibus, ut glorificent Deum, qui in cœlis est.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

PRAEFATIO IN LIBRVM SECVNDVM.

SVPRA in primo libro capitula ecclesiastica, quæ domnus Imperator Karolus fecit, adunavi. in hoc verò ea ecclesiastica quæ domnus HLudovicus Cæsar piissimus, & HLotharius Imperator filius ipsius ediderunt, descripsi libello.

CAPITVLA.

XVII. De

INCIPIT
LIBER SECVNDVS.

PRÆLOCVTIO.

OMNIBVS vobis aut visu aut auditu notum esse non dubitamus, quia genitor noster, & progenitores, postquam à Deo ad hoc electi sunt, in hoc præcipuè studuerunt, ut honor sanctæ Dei Ecclesiæ, & status regni decens maneret. Nos etiam iuxta modum nostrum eorum sequentes exemplum, sæpè vestram devotionem de his admonere curavimus, & Deo miserante multa iam emendata & correcta videmus. Vnde & Deo iustas laudes persolvere, & vestræ bonæ intentioni multimodas debemus gratias referre.

II. *De divina providentia in constitutione domni Imperatoris: & de conservatione trium Capitulorum.*

SEd quoniam complacuit divinæ providentiæ nostram mediocritatem ad hoc constituere, ut sanctæ suæ Ecclesiæ & regni huius curam gereremus, ad hoc certare & nos & filios ac socios nostros diebus vitæ nostræ optamus, ut tria specialiter Capitula, & à nobis & à vobis, Deo opem ferente, in huius regni administratione specialiter conserventur; id est, ut defensio & exaltatio vel honor sanctæ Dei ecclesiæ, & servorum illius congruus maneat, & pax & iustitia in omni generalitate populi nostri conservetur. In his quippe maximè studere, & de his in omnibus placitis, quæ vobiscum Deo auxiliante habituri sumus, vos admonere optamus, sicut debitores sumus.

III. *De hoc quod admonitor fidelium domnus Imperator sit, & omnes fideles adiutores ipsius.*

SEd quamquam summa huius ministerii in nostra persona consistere videatur, tamen & divina auctoritate, & humana ordinatione ita per partes divisum esse cognoscitur, ut unusquisque vestrum in suo loco & ordine partem nostri ministerii habere cognoscatur. Vnde apparet, quod ego omnium vestrum admonitor esse debeo, & omnes vos nostri adiutores esse debetis. Nec enim ignoramus quid unicuique vestrum in sibi commissa portione conveniat; & ideo prætermittere non possumus, quin unumquemque iuxta suum ordinem admoneamus.

IV. *De sacro ministerio Episcoporum; & de admonitione domni Imperatoris ad Episcopos.*

SEd quoniam scimus quòd specialiter pertineat ad Episcopos, ut primum ad sacrum ministerium suscipiendum iustè accedant, & in eodem ministerio

sterio religiosè vivant, & tam benè vivendo, quam rectè prædicando populis sibi commissis iter vitæ præbeant: & ut in monasteriis in suis parochiis constitutis sancta religio observata fiat, unusquisque iuxta suam professionem veraciter vivat, curam impendant; Omnes vos in hoc sacro ordine constitutos, & officio pastorali functos monemus atque rogamus, ut in hoc maximè elaborare studeatis, & per vosmetipsos, & per vobis subiectos, quantum ad vestrum ministerium pertinet, nobis veri adiutores in administratione ministerii nobis commissi existatis, ut in iudicio non condemnari pro nostra & vestra negligentia, sed potius pro utrorumque bono studio remunerari mereamur. Et ubicunque per negligentiam abbatis aut abbatissæ, vel comitis, sive vassi nostri, aut alicuius cuiuslibet personæ, aliquod vobis difficultatis in hoc apparuerit obstaculum, nostræ dignoscentiæ id ad tempus insinuare non differatis, ut nostro auxilio suffulti, quod vestra auctoritas exposcit, famulante, ut decet, potestate nostra, facilius perficere valeatis.

V. De *admonitione domni Imperatoris ad Episcopos, de sacerdotibus ad eorum curam pertinentibus, & de scholis.*

DE sacerdotibus verò ad vestram curam pertinentibus magnum adhibete studium, ut qualiter vivere debeant, & quomodo populis ad suæ portionis curam pertinentibus exemplo & verbo prosint, à vobis cum magna cura edoceantur & admoneantur, & id ut facere studeant vestra pontificali auctoritate constringantur. Quidquid autem in illis à populis iustè reprehenditur in exemplo propriæ conversationis, vestra providentia corrigere non neglegat. Ne verò Ecclesiæ illis commissæ in restauratione, aut in luminaribus iuxta possibilitatem rerum ab illis neglegantur, vestra nihilominus inevigilare debet solertia. Et sicut alios prohibetis ne de mansis ad Ecclesiæ luminaria datis aliquid accipiant, sic & vos, & vestri archidiaconi de eisdem mansis nihil accipiendo aliis exemplum præbeatis: sed potius ad id, ad quod data sunt servire concedatur, ut totum, sicut dictum est, in restauratione Ecclesiarum, & luminaribus vestra auctoritate & studio cedere possit. Scholæ sanè ad filios & ministros Ecclesiæ instruendos vel edocendos, sicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promisistis, & vobis iniunximus, in congruis locis, ubi necdum perfectum est, ad multorum utilitatem & profectum à vobis ordinari non neglegantur.

VI. *De admonitione ad comites pro utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ.*

VObis verò comitibus dicimus, vosque commonemus, quia ad vestrum ministerium maximè pertinet, ut reverentiam & honorem sanctæ Dei Ecclesiæ exhibeatis, & cum Episcopis vestris concorditer vivatis, & eis adiutorium ad suum ministerium peragendum præbeatis; & ut vos ipsi in ministeriis vestris pacem & iustitiã faciatis, & quæ nostra auctoritas publicè fieri decernit, in vestris ministeriis studiosè perficere studeatis. Proinde monemus vestram fidelitatẽ, ut memores sitis fidei nobis promissæ, & in parte ministerii nostri vobis commissi, in pace scilicet & iustitia facienda, vosmetipsos coram Deo & coram hominibus tales exhibeatis, ut & nostri veri adiutores,

& po.

& populi conservatores iustè dici & vocari possitis, & nulla quælibet causa aut munerum acceptio, aut amicitia cuiuslibet, vel odium, aut timor, vel gratia ab statu rectitudinis vos deviare compellat, quin inter proximum & proximum semper iustè iudicetis. Pupillorum verò & viduarum & ceterorum pauperum adiutores, & defensores, & sanctæ Ecclesiæ vel servorum illius honoratores, iuxta vestram possibilitatem sitis. Illos quoque qui temeritate & violentia in furtis & latrociniis, sive rapinis communem pacem populi perturbare moliuntur, vestro studio & correctione, sicut decet, compescite. Et si aliqua persona in aliquo vobis impedimento fuerit, quin ea, quæ dicimus facere non valeatis, nobis ad tempus illud notum fiat, ut nostra auctoritate adiuti, ministerium vestrum dignè adimplere possitis.

VII. *De admonitione ad laicos pro honore Ecclesiastico conservando.*

OMnes verò laicos monemus, ut honorem Ecclesiasticum conservent, & dignam venerationem Episcopis & Dei sacerdotibus exhibeant, & ad eorum prædicationem cum suis devotè occurant, & ieiunia ab illis communiter indicta reverenter observent, & suos observare doceant & compellant. Et ut etiam dies dominicus, sicut decet, honoretur & colatur, omnes studeant: & ut liberius fieri possit, mercata & placita à comitibus, sicut sæpè admonitum fuit, illo die prohibeantur.

VIII. *De admonitione ad abbates & laicos pro monasteriis ex regali largitate sibi commissis.*

ABbatibus quoque & laicis specialiter iubemus, ut in monasteriis, quæ ex nostra largitate habent, Episcoporum consilio & documento ea, quæ ad religionem canonicorum, monachorum, sanctimonialium pertinent, peragant: & eorum salubrem admonitionem in hoc libenter audiant & obediant.

IX. *De admonitione ad Episcopos, abbates, & omnes fideles pro comitum adiutoriis.*

EPiscopis iterum, abbatibus, & vassis nostris, & omnibus fidelibus laicis dicimus, ut comitibus ad iustitias faciendas adiutores sitis.

X. *De admonitione ad Episcopos vel comites pro concordia ad invicem, & cum ceteris fidelibus.*

EPiscopi verò vel comites & ad invicem & cum ceteris fidelibus concorditer vivant, & ad sua ministeria peragenda vicissim sibi adiutoriũ ferant.

XI. *De admonitione ad omnes generaliter pro charitate & pace ad invicem.*

OMnibus etiam generaliter dicimus, ut charitatem & pacem ad invicem habeatis: & generalem iussionem nostram generaliter observare decertetis: & missis nostris pro qualicunque, scilicet aut Ecclesiastica aut publica utilitate vel opportunitate à nobis directis, nostri honoris causa hono-

honorem exhibeatis, & nostræ propter auctoritatis venerationem, ea quæ per illos iniugimus, agere non neglegatis.

XII. De *hoc, quod unusquisque Episcoporum vel Comitum partem ministerii regalis habeat: & de testimonio ipsorum adinvicem.*

ET quoniam sicut diximus, unusquisque vestrum partem ministerii nostri per partes habere dinoscitur, volumus studere & per clamatores, & per alia quælibet certa indicia, & per missos nostros, quos ad hoc ordinaverimus, qualiter unusquisque ad hoc certare studuerit, & per commune testimonium, id est, Episcoporum de Comitibus, Comitum de Episcopis comperire, qualiter scilicet Comites iustitiam diligant & faciant, & quam religiosè Episcopi conversentur & prædicent: & amborum relatu de aliorum in suis ministeriis consistentium æquitate & pace atq; concordia cognoscere. Similiter etiam volumus, ut omnes illis, & illi omnibus de communi societate & statu à nobis interrogati, verum testimonium sibi mutuò perhibere possint.

XIII. De *causa orta ad inhonorationem regni pertinente.*

ET si talis causa in qualibet provincia, aut in aliquo comitatu orta fuerit, quæ aut ad inhonorationem regni, aut ad commune damnum pertineat, quæ etiam sine nostra potestate corrigi non possit, nos diu latere non permittatis, qui omnia, Deo auxiliante, corrigere debemus. Quia quidquid hactenus in his, quæ ad pacem & iustitiam totius populi pertinent, & ad honorem regni & communem utilitatem, aut à nobis aut à vobis neglectum est, debemus Deo auxiliante certare, qualiter ab hinc nostro & vestro studio emendatum fiat.

XIIII. De *pace in itinere exercitali custodienda.*

DE pace verò in exercitali itinere servanda usq; ad marcham, hoc omnibus notum fieri volumus, quòd quicunque auctorem damni sibi præterito anno inlati nominatim cognoscit, ut iustitiam de illo quærat & accipiat.

XV. De *denuntiatione, ut qui in hostem pergunt, suos, qui in suo obsequio sunt, unusquisque cognoscat.*

DEinceps tamen omnibus denuntiare volumus, ut cognoscat unusquisque omnes, qui in suo obsequio in tali itinere pergunt, sive sui sint, sive alieni, ut ille de eorum factis rationem se sciat redditurum: & quidquid ipsi in pace violanda deliquerint, ad ipsius debet periculum pertinere. Ea scilicet conditione, ut pacis violator primùm iuxta facinoris qualitatem, sive coram nobis, sive coram misso nostro dignas pœnas persolvat: & senior, qui secum talem duxerit, quem aut constringere noluit, aut non potuit, vt nostram iussionem servaret, & insuper in regno nostro prædas facere non timeret, pro illius negligentia, si antè eum de his non admonuerit, & postquam neglegentia contemptoris ad eius notitiam pervenerit, eum corrigere, sicut decet neglexerit, honore suo privetur, ut scilicet neuter illorum sine iusta vindicta remaneat.

XVI. *De inhonoratione Regis, propter neglegentiam eorum, qui legationes malè recipiunt.*

DE inhonoratione quoq; Regis & regni, & mala fama in exteras nationes dispersa, propter neglegentiam eorum, qui legationes ad nos directas in suis mansionibus aut malè recipiunt, aut constitutam à nobis expensam non tribuunt, aut paravreda dare nolunt, aut furto aliquid eis subripiunt, aut (quod perpessimum est) apertas violentias, eos cædendo & res eorum diripiendo, in ipsis exercere non pertimescunt, hoc omnibus notum esse volumus, quòd quicunque ex his, qui honores nostros habent, abhinc neglegentiam hanc emendare non certaverit, & suos homines, qui eius vice hoc agere debent, ut id benè perficiant, non instruxerit, aut constrinxerit, ut ulterius illud neglegere non præsumant, & honorem nostrum, & regnum nobis commissum custodire contempserit, nec nostrum, nec regni nostri honorem ulterius volumus ut habeat: sed volumus, ut unusquisq; fidelium nostrorum procuratores rerum suarum de his specialiter instruat, ut quandocunque & undecunque legatio advenerit, & aut literas aut missum viderint, honorificè illam in omni loco imperii nostri propter nostrum & totius regni honorem omnes suscipere valeant.

XVII. *De locis in quibus legationes recipiendæ sunt.*

IN illis verò locis, ubi modò via & mansionatici à genitore nostro, & à nobis per Capitulare ordinati sunt, missos ad hoc specialiter constitutos, qui hoc iugiter prævideant, habeant, ut omnia, quæ ad easdem legationes suscipiendas pertinent, fideles nostri ad hoc constituti ad tempus præparare studeant, ut non tunc sit necesse de longè quærere vel adducere, quando tempus est illa dare vel persolvere. In ceteris verò locis per totum imperium nostrum unusquisque fidelium nostrorum, & per se & per ministros suos, sicut diximus, sedulam vigilantiam adhibeat.

XVIII. *De admonitione vnius monetæ.*

DE moneta verò, unde iam per tres annos & admonitionem fecimus, & tempus quando una teneretur, aliæ omnes cessarent, constituimus, hoc omnibus notum esse volumus, quoniam ut absque ulla excusatione citò possit emendari, spatium usque ad Missam S. Martini dare decrevimus, ut unusquisque Comitum in suis ministeriis de hoc iussionem nostram tunc possit habere adimpletam, quatinus ab illa die non alia, sed illa sola per totum regnum nostrum ab omnibus habeatur iuxta illam constitutionem, sicut in Capitulis, quæ de hac re illis comitibus dedimus, in quorum ministeriis moneta percutitur, constitutum est: quia tunc volumus missos nostros huius rei gratia dirigere per singulos comitatus, qui diligenter inquirant, qualiter comites in hoc nostram iussionē adimplere certaverint. Et quicunque neglegens inde inventus fuerit, volumus ut ante nostram præsentiam quantocius venire iubeatur, ut rationem reddat, utrum hoc, quod iussimus, facere noluerit, aut non potuerit: aut si aliqua re præpediente id facere non

potuit

potuit, cur nobis ipsam impossibilitatem ad tempus non annuntiavit. Quia si ipse aut non voluit, aut suæ negligentiæ causa non potuit, nos talem invenire volumus, qui hoc, quod iubemus, servare velit & possit. Vt autem iussio nostra in hac re citius impleatur, volumus, ut quicunque ab illa die alium denarium negotiandi causa protulerit, à Comite & ministris eius auferatur ab eo.

XIX. *De iniustis tholoneis.*

SImiliter quoque de iniustis tholoneis, de quibus qualiter ab omnibus observandum esset, & Capitulis constituimus, & creberrimas admonitiones fecimus, prædicti missi nostri volumus ut inquisitionem faciant, à quibus nostra iussio in hoc adimpleta, à quibus quoque sit neglecta, & eum qui implere neglexit aut distulit, ad nostram volumus ut veniat iussus præsentiam: ut citò rationem de his, sicut superius diximus reddat; & si culpabilis inventus fuerit, dignam correctionem accipiat, ut ceteris negligentibus exemplum terroris præbeat.

XX. *De pontibus, ubi antiquitus fuerunt, renovandis.*

VT ubi pontes antiquitus fuerunt, & in his locis, ubi tempore genitoris nostri ipso iubente diversarum necessitatum causa facti, omnino absque ulla dilatione ab his, qui eos tunc fecerunt, restituantur & renoventur, ita ut ad Missam sancti Andreæ restaurati fiant: nisi fortè aut ipsa operis magnitudo, aut aquarum in quolibet inundatio hoc prohibeat. Aliter verò nullus qualibet occasione hoc neglegere, aut differre præsumat, quin ad prædictũ tempus completum fiat. Et missi nostri, quorum superius mentionem fecimus, volumus ut renuntient, in quibus locis nostra iussio impleta, in quibus neglecta est: aut aliqua impossibilitate, vel certa ratione dilata.

XXI. *De nonis & decimis.*

DE nonis quidem & decimis, unde & genitor noster, & nos frequenter, & in diversis placitis admonitionem fecimus, & per Capitularia nostra qualiter hæc observentur ordinavimus, volumus atque iubemus, ut de omni conlaborato, & de vino, & fœno fideliter & pleniter ab omnibus nona & decima persolvatur. De nutrimine verò pro decima, sicut hactenus consuetudo fuit, ab omnibus observetur. Si quis tamen Episcoporum fuerit, qui argentum pro hoc accipere velit, in sua maneat potestate, iuxta quod ei & illi, qui hoc persolvere debet, convenerit.

XXII. *De operibus in restaurationem ecclesiarum adimplendis.*

SImiliter quidem de operibus in restaurationem ecclesiarum, sive in faciendo sive in redimendo, Episcopalis potius sequatur voluntas. Nullatenus tamen remaneat, quin sicut à nobis sæpe iussum est, hoc aut illud partibus ecclesiarum persolvatur. Et hoc omnibus notum sit, quia quicunque neglegenter exinde egerit, & coram nobis exinde neglegens repertus fuerit, illud volumus omnino ut subeat, quod in nostro Capitulari de hac re communi consultu fidelium nostrorum ordinavimus.

XXIII. *De Comitibus, ut ministris ecclesiæ in suis ministeriis adiutores sint.*

COmites verò ministris Ecclesiæ in eorum ministeriis, ut hoc plenius & de nostris, & de se, & de suis hominibus obtinere possint, adiutores in omnibus fiant, & quicunque prima & secunda vice de his à Comite admonitus non se correxerit, volumus ut per eundem Comitem eius neglegentia ad nostram notitiam perferatur, ut nostra auctoritate, quod in nostro Capitulari continetur, subire cogatur.

XXIIII. *De Capitulis à Cancellario palatii ab Archiepiscopis & Comitibus accipiendis.*

VOlumus etiam, ut Capitula, quæ nunc & alio tempore consultu fidelium nostrorum à nobis constituta sunt, à Cancellario nostro Archiepiscopi, & comites eorum de propriis civitatibus modo aut per se aut per suos missos accipiant, & unusquisque per suam diœcesim ceteris Episcopis, abbatibus, comitibus, & aliis fidelibus nostris ea transcribi faciant, & in suis comitatibus coram omnibus relegant, ut cunctis nostra ordinatio & voluntas nota fieri possit. Cancellarius tamen noster nomina Episcoporum & Comitum, qui ea accipere curaverint, notet, & ea ad nostram notitiam perferat, ut nullus hoc prætermittere præsumat. Vassi quoque & vassali nostri nobis famulantes, volumus, ut condignum apud omnes habeant honorem, sicut à genitore nostro & nobis sæpe admonitum est.

XXV. *De nominibus locorum, in quibus missi dominici legatione funguntur.*

IN Vesontio, quæ est diœcesis Bernoini Archiepisc. Heiminus Episc. & Monogoldus Comes. In Mogontia, quæ est diœcesis Heistulfi Archiepisc. idem Heistulfus Episcopus & Rhuotbertus Comes. In Treveris, Hetti Archiepiscopus, & Adalbertus Comes. In Colonia Hadaboldus Archiepiscopus, & Ermundus Comes. In Rhemis Erbo Archiepiscopus quando potuerit, & quando ei non licuerit, Rhuothadus Episcopus eius vice, & Rhuotfridus Comes sint super sex videlicet comitatus, id est, Remos, Cathalaunem, Suessionem, Sylvanectem, Beluacum, & Laudunum: super quatuor verò Episcopatus, qui ad eandem diœcesim pertinent, id est, Noviomacensem, Ambianensem, Tervanensem, & Cameracensem, Rangarius Episcopus & Berengarius Comes. Senones Hieremias Archiepiscopus, & Donatus Comes. Rothomagum Willebertus Archiepiscopus, & Ingobertus Comes. Turonem Landramnus Archiepiscopus, & Rhuotbertus Comes. Lugdunum, Tarentasia, & Vienna, Albericus Episcopus, & Richardus Comes.

XXVI. *De commemoratione ad legationem prædictorum missorum pertinente.*

COmmemoratio, quid ad prædictorum missorum legationem pertineat. Primò, ut conventum in duobus aut tribus congregent, ubi omnes ad eorum legationem pertinentes convenire possint, & omnibus generaliter

raliter notum faciant, qualis sit eorum legatio. Scilicet ad hoc esse se à nobis missos constitutos, ut si quilibet Episcopus aut comes ministerium suum propter quodlibet impedimentum implere non possit, ad eos recurrat: & cum eorum adiutorio ministerium suum adimpleat. Et si talis causa fuerit, quæ per eorum admonitionem emendari non possit, per eos ad nostram notitiam deferatur. Et si fortè Episcopus aut Comes aliquid neglegentius in suo ministerio egerit, per istorum admonitionem corrigatur: & omnis populus sciat, ad hoc eos esse constitutos, ut quicunque per neglegentiam, aut incuriam, vel impossibilitatem Comitis, iustitiam suam adquirere non potuerit, ad eos primùm querelam suam possit deferre, & per eorum auxilium iustitiam adquirere. Et quando aliquis ad nos necessitatis causa reclamaverit, ad eos possimus relatorum querelas ad definiendum remittere. Ipsi verò missi non sine certissima causa vel necessitate huc illucque discurrant, nisi fortè quando tale aliquid in cuiuslibet ministerio, ad legationem suam pertinente, ortum esse cognoverint, quod eorum præsentia indigeat, & sine illorum consilio vel adiutorio emendari non possit. Inde tamen debent esse solliciti, ut propter illorum neglegentiam nihil in sua legatione incorrectum remaneat: sed ubi certam & veram necessitatem cognoverint, nostram iussionem adimplere non neglegant.

XXVII. *Dè hoc quod per missos dominicos ea, quæ per Capitula statuta sunt, omnibus nota fieri debeant.*

VOlumus etiam, ut omnibus notum sit, qui ad hoc constituti sunt, ut ea, quæ per Capitula nostra generaliter de quibuscunque causis statuimus, per missos nota fiant omnibus: & in eorum procuratione consistant, ut ab omnibus adimpleantur. Et ubi fortè aliquo tali impedimento, quod per eos emendari non possit, aliquid de his, quæ constituimus ac iussimus, remanserit imperfectum, eorum relatu nobis ad tempus indicetur, ut per nos corrigatur, quod per eos corrigi non potuit.

XXVIII. *Admonitio ad eos, qui legatione funguntur.*

NOsse vos credimus, quanti sit ponderis legatio, quam vobis commisimus: & quam sit periculosum tantæ rei curam neglegere, quantam vos pro nostra omnium communi salute ex nostra obligatione suscepisse non ignoratis. De qua re cùm vos interrogassemus, non sic nobis responsum est, ut in eo responso sufficere potuisset ad eam dispositionem, quam rerum necessitas ad communem utilitatem pertinentium poscere videbatur: vel qua nobis aliquod securitatis solatium afferri potuisset. Et hoc ideo evenisse perspeximus, quia anno præterito, quando Capitula legationis vestræ vobis dedimus, cautè vos observare iussimus, ne sine causa his, quos honoratos esse volumus, aliqua fieret iniuria. Quapropter volumus vobis notum facere, qualiter nunc Domino adiuvante eandem iussionem nostram debeatis adimplere. Volumus ut missi nostri (quos ad hoc constitutos habemus) curam & solicitudinem habeant, quatinus unusquisque, qui rector à nobis populi nostri constitutus est, in suo ordine officium sibi commissum iustè

iustè ac Deo placitè ad honorem nostrum ac populi nostri utilitatem administret) in hunc modum cognoscendi diligentiam adhibeant, si ea, quæ in Capitulati nostro, quod eis anno præterito dedimus, continentur, secundum voluntatem Dei ac iussionem nostram fiant adimpleta. Itaque volumus, ut medio mense Maio conveniant iidem missi, unusquisque in sua legatione, cum omnibus Episcopis, abbatibus, comitibus, ac vassis nostris, advocatis nostris, ac vicedomnis abbtissarum, necnon & eorum, qui propter aliquam inevitabilem necessitatem ipsi venire non possunt, ad locum unum. Et si necesse fuerit propter opportunitatem conveniendi, in duobus vel tribus locis, vel maximè propter pauperes populi, idem conventus habeatur, qui omnibus congruat: & habeat unusquisque Comes vicarios, & centenarios suos secum, necnon & de primis scabineis suis tres aut quatuor. Et in eo conventu primum Christianæ religionis & Ecclesiastici ordinis collatio fiat: deinde inquirant missi nostri ab universis, qualiter unusquisque illorum, qui ad hoc à nobis constituti sunt, officium sibi commissum secundum Dei voluntatem ac iussionem nostram administret in populo, & quam concordes atque unanimes ad hoc sint, vel qualiter vicissim sibi auxilium ferant ad ministeria sua peragenda. Et tam diligenter ac studiosè hanc investigationem faciant, ut omnem rei veritatem per eos cognoscere valeamus. Et si aliqua talis causa ad eorum notitiam perlata fuerit, quæ illorum auxilio indigeat, secundum qualitates causarum, quæ in nostro Capitulari continentur, tunc volumus, ut illuc peragant, & ex nostra auctoritate illud corrigere studeant.

XXIX. *De rebus ad venerabiles locos pertinentibus non alienandis.*

NVlla sub Romana ditione constituta ecclesia, vel xenodochium, vel ptochotrophium, vel nosocomium, vel orphanotrophium, vel gerontocomium, vel brephotrophium, vel monasteriũ tam monachorum quam sanctimonialium, Archimandritam habens vel Archimandritissam, contra hæc agere præsumat. Ergo his omnibus non liceat alienare rem immobilem, sive domum, sive agrum, sive hortum, sive rusticum mancipium, vel panes civiles, neque creditoribus specialis hypothecæ titulo obligare. Alienationis autem verbum contineat venditionem, donationem, permutationem, & emphitheoseos perpetuum contractum: sed omnes omnino sacerdotes huiusmodi alienatione abstineant, pœnas timentes quas Leonina constitutio minatur: id est, ut is quidem, qui comparaverit, rem loco venerabili reddat, cuius & antea fuerat, scilicet cum fructibus aliisq; emolumentis, quæ in medio tempore facta sunt. Oeconomum autem ecclesiæ præstare omne lucrum, quod ex huiusmodi prohibita alienatione senserit, vel ecclesiam damno affecerit, ita ut in posterum œconomus non sit. Non solùm autem ipse, sed etiam successores eius hac lege teneantur, sive ipse Archiœconomus alienaverit, sive respiciens alienantem Episcopum non prohibuerit: multomagis si consenserit. Tabellionem autem, qui talia interdicta instrumenta conscripsit, perpetuo exilio tradi oportet. Magistratus autem, qui eadem instrumenta admiserunt, & ad officiales copiam dederunt, ut & monumentis

mentis intimentur donationes, vel ceteræ alienationes actis intervenientibus confirmentur, non solum magistratu, sed etiam dignitate & facultatibus suis cedant. Remittit autem constitutio ea, quæ in præterito tempore acta sunt. Excepit autem quosdam contractus, quos in sequentibus exponit Capitulis, per quos & ecclesiarum immobiles res alienari possunt. Xenodochium, id est locus venerabilis, in quo peregrini suscipiuntur. Ptochotrophium, id est locus venerabilis, in quo pauperes & infirmi homines pascuntur. Nosocomium, id est locus venerabilis, in quo ægroti homines curantur. Orphanotrophium, id est locus venerabilis, in quo parentibus orbati pueri pascuntur. Gerontocomium, id est locus venerabilis, in quo pauperes & propter senectutem solam infirmi homines curantur. Brephotrophium, id est locus venerabilis, in quo infantes aluntur.

XXX. *De hoc, quomodo liceat ad Imperatorem res sancti loci transferre.*

SI princeps voluerit rem immobilem sancto loco præstare, & accipere ab eo aliam immobilem rem, & eo modo permutationem contrahere, liceat hoc facere ei divina pragmatica sanctione ab eo promulgata.

XXXI. *Orphanis exheredatis subveniendum.*

PRopter istius itaque pacis concordiam conservandam, placuit nobis de orphanis & pauperibus, qui debitè vel indebitè dicuntur amisisse hereditatem paterni vel materni iuris, ad se legibus pertinentem, si alicubi inventi fuerint, quos patres vel matres propter traditiones illorum exheredes fecerunt, aliorum scilicet suasionibus aut petitionibus vel aliquo ingenio, omnino volumus atque decrevimus emendari, quantum ad nos vel ad nostram pertinet potestatem, iuxta voluntatem Dei & vestram sanctam admonitionem & considerationem: ut si fortè extra officium nostrum alicubi inventum fuerit, admonere vestram clementiam audeamus, ut emendetur.

XXXII. *De rebus pauperum vel minus potentum mala occasione non emendis.*

PRopter provisiones pauperum, pro quibus curam habere debemus, placuit nobis, ut nec Episcopi, nec Abbates, nec Comites, nec Vicarii, nec Iudices, nullusque omnino sub mala occasione vel malo ingenio res pauperum vel minus potentum nec emere, nec vi tollere audeat: sed quisquis ex iis aliquid comparare voluerit, in publico placito coram idoneis testibus, & cum ratione hoc faciat. Vbicunque autem aliter inventum fuerit factum, hoc omnino emendetur per iussionem nostram.

XXXIII. *Qualiter iustitiæ fiant pauperibus.*

DE causis viduarum, pupillorum, orphanorum, vel reliquorum pauperum, ut in primo conventu ante medium diem illorum ratio vel querela audiatur & definiatur: & post mediam diem causa regia, & ecclesiarum, vel potentum hominum. Quia ipsi pauperes non habent facultatem, unde substentare se possint, donec ad eorum perveniatur iustitiam: & ideo tantos clamores faciunt ad aures nostras.

XXXIIII. *De illis hominibus, qui iniustas querelas habent.*

DE illis hominibus, qui iniustè super alios homines querelas faciunt, de quibus volumus, si inventus fuerit aliquis, qui non habeat iustitiam causandi vel reclamandi, & revictus fuerit, propter illam calumniam, quam fecit, secundum legem & æquitatem iustitiam reddat.

XXXV. *De festivitatibus anni.*

FEstos dies in anno celebrare sanximus: hoc est, diem dominicum Paschæ cum honore & sobrietate venerari. Simili modo totam hebdomadam illam observare decrevimus, diem ascensionis Domini pleniter celebrare. In Pentecoste similer, ut in Pascha. In natali Apostolorum Petri & Pauli diem unum. Nativitatem sancti Ioannis Baptistæ, Assumptionem sanctæ Mariæ, Dedicationem sancti Michaëlis, Natalem sancti Remigii, sancti Martini, sancti Andreæ. In natali Domini dies IIII. Octavas Domini, Epiphaniam Domini, Purificationem sanctæ Mariæ, & illas festivitates Martyrum, vel Confessorum observare decrevimus, quorum in unaquaq; parochia sancta corpora requiescunt.

XXXVI. *De antiquis Ecclesiis, ut honorem suum habeant.*

ECclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis nec aliis possessionibus priventur, ita ut novis oratoriis tribuantur.

XXXVII. *De hoc, ut sacerdotes inreprehensibiles sint.*

VT iuxta Apostoli vocem, sacerdotes inreprehensibiles sint, & moribus ornati, & nequaquam turpibus lucris deserviant, iuxta illud quod ait scriptura; *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Et à turpibus lucris, & usuris non solùm ipsi abstineant, verum etiam plebes sibi subditas abstinere instruant.

XXXVIII. *De hoc, ut ab incestuosis, & ab his qui decimas non dant, & à presbyteris negligenter viventibus, wadii non dentur, nec accipiantur.*

DIctum est nobis, quòd in quibusdam locis Episcopi & Comites ab incestuosis, & ab his qui decimas non dant, wadios accipiant, & à presbyteris, pro quibusdam neglegentiis, & inter se pecuniam dividant: quod penitus abolendum decrevimus, ne fortè avaritiæ locus detur. Et constituimus, ut incestuosi iuxta canonicam sententiam poenitentia multentur. Qui verò decimas post crebras admonitiones & prædicationes sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur: iuramento verò eos constringi nolumus, propter periculum periurii.

XXXIX. *De spiritalibus filiolis.*

DEinde præcipimus, ut unusquisque compater, vel proximi, spiritales filios suos catholicè instruant.

XL. *De*

XL. *De discretione in corporis & sanguinis Dominici perceptione.*

IN perceptione corporis & sanguinis Dominici magna discretio adhibenda est. Cavendum est enim, ne si nimium in longum differatur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis vitam in vobis.* Si verò indiscretè accipiatur, timendum est illud, quod ait Apostolus: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Iuxta eiusdem ergo Apostoli documentum probare se debet homo, & sic de pane illo manducare, & de calice bibere, ut videlicet abstinens aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus, animamque suam, præparet se ad percipiendum tantum sacramentum: exemplo David, qui nisi se confessus fuisset, abstinuisse ab opere coniugali ab heri & nudius tertius, nequaquam panes propositionis à sacerdote accepisset.

XLI. *De hominibus diversarum conditionum, & de his qui eis prælati sunt.*

QVia ergo constat in ecclesia diversarum conditionum homines esse, ut sunt nobiles & ignobiles, servi, coloni, inquilini, & cetera huiuscemodi nomina, oportet, ut quicunque eis prælati sunt, clerici sive laici, clementer erga eos agant, & misericorditer eos tractent, sive in exigendis ab eis operibus, sive in accipiendis tributis & quibusdam debitis. Sciantque eos fratres suos esse, & unum secum patrem habere Deum, cui clamant: PATER NOSTER QVI ES IN COELIS: & unam matrem sanctam ecclesiam, quæ eos intemerato sacri fontis utero genuit. Disciplina igitur eis misericordissima, & gubernatio opportuna adhibenda est: disciplina, ne indisciplinatè vivendo auctorem suum offendant: gubernatio, ne in cotidianis vitæ commeatibus prælatorum adminiculo destituti fathiscant.

XLII. *De fœminis & abbatissis, quales sint, quæ monasteriis puellaribus præferri debent.*

MOnasteriis sanè puellaribus tales præferri debent fœminæ, & abbatissæ credi, quæ & se & subditum gregem cum magna religione & sanctitate custodire noverint: & his, quibus præsunt, prodesse non desinant. Sed & se & illas ita observent, utpote vasa sancta in ministerio Domini præparata. Tales enim se debent exhibere subditis in habitu, in veste, & in omni convictu, ut eis ad cœlestia regna pergentibus ducatum præbeant. Sciant etiam se pro his, quas in regimine acceperunt, in conspectu Domini rationem reddituras.

XLIII. *De incestuosis & homicidis sacerdotum admonitionibus aurem nolentibus accommodare.*

INcestuosi, parricidæ, homicidæ multi apud nos (proh dolor!) reperiuntur, sed aliqui ex illis sacerdotum nolunt admonitionibus aurem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus: quos oportet per secularis potentiæ disciplinam à tam prava consuetudine coërcere, qui per saluti-

salutifera sacerdotum monita noluere revocari: quorum aliquos iam excommunicavimus, sed illi hoc parvipendentes in iisdem perdurarunt criminibus. Quamobrem vestra decernat mansuetudo, quid de talibus deinceps agendum est.

XLIIII. De *dominis subditorum admonendis.*

ADmonendi sunt domini subditorum, ut circa suos piè & misericorditer agant, nec eos qualibet iniusta occasione condemnent, nec vi opprimant, nec illorum substantiolas iniustè tollant: nec ipsa debita, quæ à subditis reddenda sunt, impiè ac crudeliter exigantur.

XLV. *De corporis Domini & sanguinis communicatione laicorum.*

VT si non frequentius, vel ter laici homines in anno communicent: nisi fortè quis maioribus quibuslibet criminibus impediatur.

XLVI. De *eruditione filiorum à parentibus & patrinis.*

VT parentes filios suos & patrini eos, quos de fonte lavacri suscipiunt, erudire summopere studeant. Illi quia eos genuere, & eis à domino dati sunt: isti verò, quia pro eis fideiussores existunt.

XLVII. De *sepultura.*

VT de sepeliendis in basilicis mortuis illa constitutio servetur, quæ ab antiquis patribus constituta est.

EXPLICIT LIBER SECVNDVS.

PRÆFATIO IN LIBRVM TERTIVM.

Svperius in duobus libellis Capitula Ecclesiastica præfatorum Principum domni Karoli Imperatoris, & domni ac gloriosissimi Ludovici Augusti, necnon & Lotharii Cæsaris descripsi. Nunc autem illa ad mundanæ augmentum legis pertinentia, quæ domnus Karolus Imperator edidit, in hoc tertio adunavi libello.

CAPITVLA.

De

De

INCIPIT
LIBER TERTIVS.

I. *De Pace Conservanda.*

DE pace admonemus, ut omnes, qui per aliqua scelera ei rebelles sunt, constringantur.

II. *De iustitiis generalibus.*

DE iustitiis ecclesiarum Dei, viduarum, orphanorum, & pupillorum præcipimus, ut in publicis iudiciis non despiciantur clamantes, sed diligenter audiantur.

III. *De iustitiis regalibus.*

DE iustitiis regalibus, ut pleniter fiant inquisitæ.

IIII. *De armis non portandis.*

DE armis infra patriam non portandis, id est, scutis & lanceis & loricis. Si faidosus quis sit, discutiatur tunc, quis è duobus contrarius sit, ut pacati fiant, & distringantur ad pacem, etiam si noluerint: & si aliter se pacificare nolunt, adducantur in nostram præsentiam. Et si aliquis post pacificationem alterum occiderit, componat illum, & manum quam periuravit, perdat, & insuper bannum dominicum solvat.

V. *De armatura in hostem habenda.*

DE armatura in exercitu, sicut iam antea in alio Capitulari commendavimus, ita servetur: & insuper omnis homo de duodecim mansis bruniam habeat. Qui vero bruniam habens eam secum non tulerit, omne beneficium cum brunia pariter perdat.

VI. *De negotiatoribus quo adusque procedant.*

DE negotiatoribus qui partibus Sclavorum & Havarorum pergunt, quousque procedere cum suis negotiis debeant, id est, partibus Saxoniæ usque ad Bardenwich, & ad Magadeburg, & ad Erpesfurd, & ad Halaxstat, & ad Foracheim, & ad Breemberg, & ad Raginisburg, & ad Lauriacum: & ut arma & brunias non ducant ad venum dandum. Quòd si inventi fuerint portantes, omnis substantia eorum auferatur ab eis: dimidia quidem pars partibus palatii, alia verò medietas inter iam dictos missos, & inventorem dividatur.

VII. De

VII. *De clamatoribus vel causidicis.*

DE clamatoribus vel causidicis, qui nec iudicio scabineorum adquiescere, nec blasphemare volunt, antiqua consuetudo servetur, id est, ut in custodia recludantur, donec unum è duobus faciant. Et si ad palatium pro hac re clamaverint, & literas detulerint, non quidem eis credatur, nec tamen in carcere ponantur; sed cum custodia, & cum ipsis literis pariter ad palatium nostrum remittantur, ut ibi discutiantur sicut dignum est.

VIII. *De iuramento.*

VT nulli alteri per sacramentum fidelitas promittatur nisi nobis, & unicuique proprio seniori ad nostram utilitatem, & sui senioris: exceptis his sacramentis, quæ iustè secundum legem alteri ab altero debentur. Et infantes, qui antea non potuerunt propter iuvenilem ætatem iurare, modo fidelitatem repromittant.

IX. *De conspirationibus.*

QVicunque conspirationem facere præsumpserint, & sacramento quamcunque conspirationem firmaverint, ut triplici ratione iudicentur. Primò, ut ubicunque aliquod malum per hoc perpetratum fuit, auctores facti interficiantur: adiutores verò eorum singuli alter ab altero flagellentur, & nares sibi invicem præcidant. Vbi verò nihil mali perpetratum est, similiter quidem inter se flagellentur, & capillos sibi vicissim detundant. Si verò per dextras aliqua conspiratio firmata fuerit, si liberi sunt, aut iurent cum idoneis iuratoribus, hoc pro malo non fecisse; aut si facere non potuerint, suam legem componant. Si verò servi sunt, flagellentur. Et ut de cetero in regno nostro nulla huiusmodi conspiratio, nec per sacramentum nec sine sacramento fiat.

X. *De periuriis.*

DE periuriis ut caveantur, & non admittantur testes ad iuramentum, antequam discutiantur: & si aliter discuti non possint, separentur ab invicē, & singulariter inquirantur. Et non soli accusatori liceat testes eligere, absente suo causatore: & omnino nullus nisi ieiunus ad iuramentum, vel ad testimonium admittatur. Si verò aliquis refutatur, dicat ille, qui eum refutat, & probet quare illum recipere nolit. Et de ipso pago, aut de vicinis centenis eligantur, nisi fortè longius extra comitatum causa sit inquirenda. Et si quis convictus fuerit periurii, perdat manum, aut redimat.

XI. *De advocatis, vicedomnis, vicariis, & centenariis.*

DE advocatis, vicedomnis, vicariis, & centenariis pravis, ut tollantur: & tales eligantur, quales & sciant & velint iustè causas discernere & terminare. Et si comes pravus inventus fuerit, nobis nuncietur.

XII. *De tholoneis.*

PLacet nobis, ut antiqua & iusta tholonea à negotiatoribus exigantur, tam de pontibus, quamque de navigiis, seu mercatis. Nova verò seu iniusta,

iusta, ubi vel funes tenduntur, vel cum navibus sub pontibus transitur, seu his similia, in quibus nullum adiutorium itinerantibus præstatur, ut non exigantur. Similiter etiam nec de his, qui sine negotiandi causa substantiam suam de una domo sua ad aliam, aut ad palatium, aut in exercitum ducunt, tholoneum nullatenus ab eis exigatur. Si quid verò fuerit, unde dubitaretur, ad proximum placitum nostrum, quod cum ipsis missis habituri sumus, interrogetur.

XIII. *De falsis monetis.*

DE falsis monetis, quia in multis locis contra iustitiam & contra edictum fiunt, volumus, ut in nullo alio loco moneta sit, nisi in palatio nostro: nisi forte iterum à nobis aliter fuerit ordinatum. Illi tamen denarii, qui modo monetati sunt, si pensantes & meri fuerint, habeantur.

XIIII. *De heribanno.*

DE heribanno volumus, ut missi nostri fideliter exactare debeant, absque ullius personæ gratia vel blanditia seu terrore, secundum iussionem nostram. Id est, ut de homine habente libras VI. in auro, argento, bruniis, æramento, pannis integris, caballis, bobus, ovibus, vaccis, vel alio peculio: ita ut uxores eorum vel infantes non fiant despoliati pro hac re, sed de eorum vestimentis accipiant legitimum heribannum, id est, libras III. Qui verò non habuerit amplius in suprascripto precio valente, nisi libras III. solidi XXX. ab eo exigantur, id est, libra & dimidia. Qui autem non habuerit amplius nisi duas libras, solidos X. exolvat. Si verò unam habuerit, solid. V. ita ut iterum se valeat præparare ad Dei servitium, & ad nostram utilitatem. Et nostri missi caveant, & diligenter inquirant, ne per aliquod malum ingenium subtrahant nostram iustitiam, alteri tradendo aut commendando.

XV. *De censu regali.*

CEnsus regalis undecunque legitimè exibat, volumus, ut inde persolvatur, sive de propria persona hominis, sive de rebus.

XVI. *De liberis hominibus, uxores fiscalinas habentibus.*

DE liberis hominibus, qui uxores fiscalinas regias, & de fœminis liberis, quæ homines similiter fiscalinos regios accipiunt, ut nec de hereditate parentum, vel de causa sua quærenda, nec de testimonio pro hac re abiiciantur, sed talis etiam nobis in hac causa honor servetur, qualis & antecessoribus nostris, Regibus vel Imperatoribus, servatus esse cognoscitur.

XVII. *De cura missorum dominicorum.*

VNusquisque in suo missatico maximam habeat curam ad prævidendum, & ordinandum, ac disponendum secundum voluntatem Dei, & secundum iussionem nostram.

XVIII. *De æqualitate à missis dominicis facienda.*

VOlumus, ut æqualiter missi nostri faciant de singulis causis, sive de heribanno, sive de advenis, sive de ceteris quibuslibet causis. De advenis volu-

volumus, iam diu coniugati per singula loca, ut ibi maneant: & sine causa, & sine aliqua culpa non fiant eiecti. Fugitivi verò servi & latrones, redeant ad propria loca.

XIX. *De his, qui beneficia habent regalia.*

AVditum habemus qualiter & Comites & alii homines, qui nostra beneficia habere videntur, comparant sibi proprietates de ipso nostro beneficio, & faciunt servire ad ipsas proprietates servientes nostros de eorum beneficio, & curtes nostræ remanent desertæ, & in aliquibus locis ipsi vicinantes multa mala patiuntur.

XX. *De his, qui fraudem faciunt in regalibus beneficiis.*

AVdivimus, quod aliqui reddant beneficium nostrum ad alios homines in proprietatem, & in ipso placito dato precio comparant ipsas res iterum sibi in alodem: quod omnino cavendum est. quia qui hoc faciunt, non benè custodiunt fidem, quam nobis promissam habent. Et ne fortè in aliqua infidelitate inveniantur, qui hoc faciunt, deinceps caveant se omnino à talibus, ne à propriis honoribus, à proprio solo, à Dei gratia & nostra, extorres fiant.

XXI. *De his, qui propter propriam iustitiam dilatandam fugant.*

SVnt & alii, qui iustitiam legibus recipere debent, & in tantum fiunt in quibusdam locis fatigati, usque dum illorum iustitiam per fideiussorum manus tradant: ita ut aliquid vel parvum possint habere, & fortiores suscipiant maiorem portionem.

XXII. *De armis ad placitum non portandis.*

VT nullus ad mallum, vel ad placitum, infra patriam arma, id est, scutum & lanceam portet.

XXIII. *De latronibus.*

DE latronibus præcipimus, quicunque post missam sancti Ioannis latroni mansionem dederit, si Francus est, cum XII. similibus Francis iuret, quod ipse latronem eum fuisse non scisset, licet pater eius sit, aut frater, vel propinquus. Si hoc iurare non potuerit, & ab alio convictus fuerit, quod latronem in hospitio suscepisset, quasi latro & infidelis iudicetur: quia latro infidelis est nostro regno Francorum, & qui illum suscepit, similis est illi. Si autem audivit, quòd latro fuisset, & tamen non scit pro firmiter, aut iuret solus, quòd nunquam audisset, nec per veritatem, nec per mendacium eum latronem esse; aut sit paratus, si ille de latrocinio postea convictus fuerit, ut similiter damnetur.

XXIIII. *De animalibus, vel aliis rebus, à quibus emuntur.*

VT nullus comparet caballum, bovem, & iumentum, vel alia, nisi illum hominem cognoscat, qui ei vendit, aut de quo pago est, vel ubi manet, aut quis est senior.

XXV. De

XXV. *De homicidiis clericorum.*

QVi subdiaconum occiderit, ccc. solid. componat. Qui diaconum, cccc. Qui presbyterum, dc. solid. Qui Episcopum, dcccc. solid. Qui monachum, cccc. solid. culp. iud.

XXVI. *De immunitate, si aliquod damnum ibi factum fuerit.*

SI quis in immunitate damnum aliquod fecerit, dc. solidis componat. Si autem homo furtum, aut homicidium, vel quodlibet crimen foris committens, infra immunitatem fugerit, mandet Comes vel Episcopo, vel abbati, vel vicedomno, vel illi, quicunque locum Episcopi vel abbatis tenuerit, ut reddat ei reum. Si ille contradixerit, & eum reddere noluerit, in prima contradictione solid. xv. culp. iudicetur. Si ad secundam inquisitionem eum reddere noluerit, xxx. solid. culp. iudicetur. Si nec ad tertiam inquisitionem consentire voluerit, quidquid reus damni fecerit, totum ille, qui eum infra immunitatem retinet, nec reddere vult, solvere cogatur. Et ipse Comes veniens licentiam habeat ipsum hominem infra immunitatem quærendi, ubicunque eum invenire potuerit. Si autem statim in prima inquisitione Comiti responsum fuerit, quòd reus infra immunitatem quidem fuisset, sed fuga lapsus sit, iuret quòd ipse eum ad iustitiam cuiuslibet diffaciendam fugere non fecisset, & sit ei in hoc satisfactum. Si autem intranti in ipsam immunitatem Comiti collecta manu quislibet resistere tentaverit, Comes hoc ad Regem, vel ad Principem deferat, ibique iudicetur, ut sicut ille, qui in immunitate damnum fecit, dc. solid. componere debeat: ita qui Comiti collecta manu resistere præsumpserit, dc. solid. culp. iudicetur.

XXVII. *De eo, qui alium in iudicio iniuste contra aliquem altercantem adiuvare præsumpserit.*

SI quis hominem in iudicio iniustè contra alium altercantem adiuvare per malum ingenium præsumpserit, atque inde coram iudicibus vel Comite increpatus fuerit, & negare non potuerit, solid. xv. culp. iudicetur.

XXVIII. *De homine, qui per chartam libertatem consequutus est.*

SI quis per chartam ingenuitatis à domino suo legitimè libertatem est consecutus, liber permaneat. Si verò aliquis eum iniustè inservire tentaverit, & ille chartam ingenuitatis suæ ostenderit, & adversarium iniustè se inservire velle comprobaverit, ille, qui hoc tentaverit, mulctam quæ in charta descripta est, solvere cogatur. Si verò charta non paruerit, sed iam ab illo, qui eum inservire voluerit, disfacta est, weregildum eius componat: duas partes illi, quem inservire voluerat, tertiam Regi: & ille iterum per præceptum Regis libertatem suam conquirat.

XXIX. *De libero homine, qui se loco wadii tradidit.*

LIber qui se loco wadii in alterius potestate commiserit, ibique constitutus damnum aliquod cuilibet fecerit, qui eum in loco wadii suscepit, aut damnum solvat, aut hominem in mallo productum dimittat, perdens

dens simul debitum, propter quod eum pro wadio suscepit: & qui damnum fecit, dimissus iuxta qualitatem rei cogatur emendare. Si verò liberam fœminam habuerit, usque dum in pignore extiterit, & filios habuerint, liberi permaneant.

XXX. *De debitis regalibus, qualiter solvi debeant.*

OMnia debita, quæ ad partem Regis solvi debent, solidis XII. denariorum solvantur: excepta freda, quæ in lege Salica conscripta est, illa eodem solido, quo ceteræ compositiones solvi debent, componatur.

XXXI. *De eo, qui causam iudicatam repetere præsumit.*

SI quis causam iudicatam repetere præsumpserit in mallo, ibique testibus convictus fuerit, aut XV. solid. componat, aut XV ictus ab scabineis, qui causam prius iudicaverunt, accipiat.

XXXII. *De eo, qui in testimonium assumitur, qualis esse debeat.*

OPtimus quisque in pago vel civitate in testimonium assumatur, & cui ille, contra quem testimoniare debet, nullum crimen possit indicere.

XXXIII. *De scabineis, advocatis, notariis, à missis Dominicis eligendis.*

VT missi nostri scabinos, advocatos, notarios per singula loca eligant, & eorum nomina, quando reversi fuerint, secum scripta deferant.

XXXIIII. *De illis, qui legem servare contemnunt.*

DE his qui legem servare contempserint, ut per fideiussores ad præsentiam Regis deducantur.

XXXV. *De heribannatoris coniecto.*

VT illi, qui heribannum solvere debent, coniectum faciant ad heribannatorem.

XXXVI. *De colonis, & de fiscalinis.*

VT nec colonus, nec fiscalinus possint aliubi traditiones facere.

XXXVII. *De homine in iudicium non mittendo sine causa.*

VT nullus præsumat hominem in iudicium mittere sine causa, nisi iudicatum fiat.

XXXVIII. *De causa ebrii hominis, & de eius testimonio, & de placitis Comitum.*

VT nullus ebrius suam causam in mallo possit conquirere, nec testimonium dicere: nec placitum Comes habeat, nisi ieiunus.

XXXIX. *De missis dominicis, vel ceteris hominibus discurrentibus.*

DE missis nostris discurrentibus, vel ceteris hominibus propter utilitatem nostram iter agentibus, ut nullus mansionem contradicere eis præsumat.

XL. *De illis, qui ad placitum banniri debeant.*

VT nullus ad placitum banniatur, nisi qui causam suam quærit, aut si alter ei quærere debet: exceptis scabineis VII. qui ad omnia placita præesse debent.

XLI. *De falsis testibus.*

DE falsis testibus præcepimus, ut non recipiantur.

XLII. *De non iurando per vitam Regis.*

VT nullus præsumat per vitam Regis, & filiorum eius, iurare.

XLIII. *De eo, qui per chartam ingenuus est, si ad servitium interpellatus fuerit.*

SI quis per chartam ingenuus dimissus fuerit, & à quolibet homine ad servitium interpellatus fuerit, primum legitimum auctorem suæ libertatis proferat, & in sua libertate perseveret. Si verò legitimus auctor defuerit, testimonio bonorum hominum, qui tunc aderant, quando liber dimissus fuerat, se defensare permittatur. Si verò testes defuerint, cum duabus aliis chartis, quæ eiusdem cancellarii manu firmatæ sint vel scriptæ, cuiuscunque fuerint, suam chartam, quæ tertia est, veram & legitimam esse confirmet. Cancellarius tamen talis esse debet, qui pagensibus loci illius notus fuisset & acceptus. Si autem qui interpellatus fuerit ad servitium, nec auctorem, nec testimonia habuerit, neque alias duas chartas ad suam chartam confirmandam invenire potuerit, tunc is, qui eum interpellavit, secundum legem ipsam chartam falsam efficiat, & servum conquirat. Si verò interpellator auctore, aut testimoniis, aut chartarum collatione victus fuerit, ex hoc quod voluit efficere, & non potuerit, multam quæ in ipsa ingenuitatis charta continetur, cogatur exoluere.

XLIIII. *De servo, qui damnum quodlibet perpetrat.*

NEmini liceat servum suum propter damnum ab illo cuilibet inlatum dimittere, sed iuxta qualitatem damni dominus pro illo respondeat, vel eum in compositionem, aut ad pœnam petitori offerat. Si autem servus perpetrato scelere fugerit, ita ut à domino penitus inveniri non possit, sacramento se dominus eius excusare studeat, quòd hoc suæ voluntatis nec conscientiæ fuisset, quòd servus eius tale facinus commisit.

XLV. *De mannitione secundum legem ad mallum.*

SI quis ad mallum legibus mannitus fuerit, & non venerit, si eum sunnis non detinuerit, XV. solid. culp. iudicetur; sic ad secundum, & tertium. Si autem ad quartum venire contempserit, possessio eius in bannum mittatur, donec veniat: & sic de re, de qua interpellatus fuerit, iustitiam faciat. Si infra annum non venerit, de rebus eius, quæ in banno missæ sunt, Rex interrogetur: & quidquid inde iudicaverit, fiat. Prima mannitio, super noctes VII. Secunda super noctes XIIII. Tertia super noctes XXI. Quarta super XLII.

fiat.

tat. Similiter & de beneficio hominis, si fortè res proprias non habuerit, mittatur in bannum, usquequo Rex interrogetur.

XLVI. *De auctore rei.*

SI auctor venerit, & rem intertiatam recipere renuerit, campō vel cruce contendant.

XLVII. *De hominibus ad mortem diiudicatis, & postea eis vitā concessā, si iustitiam quæsierint.*

DE illis hominibus, qui propter eorum culpas ad mortem diiudicati fuerint, & postea eis vita fuerit concessa, si ipsi iustitiam ab aliis requisierint, aut ab eis iustitiam quærere voluerint, æqualiter inter illos iudicium terminetur. Et primum omnium de illis causis, pro quibus iudicatus fuerit ad mortem, nullam potest facere repetitionem: quia omnes res suæ, secundum iudicium Francorum, in publico fuerunt revocatæ. Et si aliquid in postmodum, postquam ei vita concessa est, cum iustitia adquirere potuerit, in sua libertate teneat, & defendat secundum legem. In testimonium non suscipiatur, nec inter scabineos ad legem iudicandam teneatur. Et si ad sacramentum aliquid ei iudicatum fuerit, quod iurare debeat, si aliquis ipsum sacramentum falsum dicere voluerit, cum armis contendat.

XLVIII. *De homine, cui post iudicium vita concessa est, si iustitiam reddere noluerit.*

SI alicui post iudicium scabineorum fuerit vita concessa, & ipse in postmodum aliqua mala perpetraverit, & iustitiam reddere noluerit, dicendo quod mortuus sit, & ideo iustitiam reddere non debeat, statutum est, ut superius iudicium sustineat, quòd antea sustinere debuit. Et si aliquis adversus eum aliqua mala fecerit, secundum æquitatis ordinem licentiam habeat, suam iustitiam requirendi. De causis perpetratis postquam ad mortem diiudicatus est, de præteritis maneat, sicut supra iudicatum fuit.

XLIX. *De latrone forbannito à libero homine suscepto.*

DE latrone forbannito, liber homo, qui eum suscepit, xv. solid. componat: & servus cxx. percussionibus vapulet.

L. *De Comite latronem in forbannum mittente.*

VT Comes, qui latronem in forbannum miserit, vicinis suis & aliis Comitibus notum faciat, eundem latronem à se esse forbannitum, ut illi eum non recipiant.

LI. *De liberis hominibus, qui ad mallum venire cogendi sint.*

VT nullus alius de liberis hominibus ad placitum vel ad mallum venire cogatur, exceptis scabineis & vassis Comitum, nisi qui causam suam quærit, aut si alteri quærere debet.

LII. *De testibus ad testimonium dicendum, qualiter adhibeantur.*

VT testes ad testimonium dicendum præmio non conducantur: & ut nullus testimonium dicat, aut sacramentū iuret, nisi ieiunus. Et ut testes prius-

quam iurent, separatim discutiantur quid dicere velint de illa re, unde testimonium reddere debent.

LIII. *De iustitia cuiuslibet à nullo quolibet dilatanda.*

VT nullus quilibet missus noster, neque Comes, neque iudex, aut scabinus cuiuslibet iustitiam dilatare præsumat, si statim adimpleta potuerit esse secundum rectitudinem: neque præmia pro hoc à quolibet homine per aliquod ingenium malum præsumat accipere.

LIIII. *De non cogendo ad pontem ire causa tholonei.*

VT nullus cogatur ire ad fluvium transeundum, propter tholonei causam, quando ille in alio loco compendiosius illud flumen transire potest. Similiter & in plano campo, ubi nec pons, nec traiectus est, ibi omnimodis præcipimus, ut tholoneum non exigatur.

LV. *De hoc, si presbyter sanctum chrisma dederit ad iudicium subvertendum.*

VT presbyter, qui sanctum chrisma donaverit ad iudicium subvertendum, postquam de gradu suo depositus fuerit, manum amittat.

LVI. *De iudicibus, advocatis, præpositis, & reliquis ministris, quales sint.*

VT iudices, advocati, præpositi, centenarii, vicarii, scabinei, quales meliores inveniri possint, & Deum timentes, constituantur ad sua ministeria exercenda. Cum Comite & populo eligantur mansueti & boni.

LVII. *De mallo publico.*

VT in locis, ubi mallos publicos habere solent, tectum tale constituatur, quod in hyberno & in æstate observatum esse possit.

LVIII. *De sacramentis ad palatium adrhamitis.*

VT sacramenta ad palatium fuerunt adrhamita, in palatio perficiantur. Et si consacramentales homines cum ipso venire renuerint, iussione dominica, aut indiculo, aut sigillo ad palatium venire cogantur.

LIX. *De impedimento clamatorum.*

DE clamatoribus, qui magnum impedimentum faciunt in palatio ad aures Domni Imperatoris, ut missi, seu Comites, illorum missos transmittant in contra illos, qui mentiendo vadunt, ut eos convincant.

LX. *De fugitivis contra præceptum Dominicum occultatis.*

DE fugitivis, qui per diversas provincias ducti & occultati sunt, contra præceptum Domni Imperatoris, ut qui eos post præteritum tempus suscepit aut retinuit, bannum dominicum componat.

LXI. *De*

LXI. *De nimium blasphemis latronibus.*

DE latronibus qui magnam habent blasphemiam, quicunque aliquem ex his comprehenderit, nullum damnum exinde patiatur.

LXII. *De pace infra patriam.*

DE pace & iustitia infra patriam, sicut sæpe per alia Capitula iussimus, adimpletum fiat.

LXIII. *De iunioribus in populo vulgari distringendis.*

DE vulgari populo, ut unusquisque suos iuniores distringat, ut melius ac melius obediant, consentiant mandatis & præceptis imperialibus.

LXIIII. *De hoc, si super missum dominicum cum collecta & armis quis venerit.*

SI quis super missum dominicum cum collecta & armis venerit, & missaticum illi iniunctum contradixerit, aut contradicere voluerit, & hoc ei adprobatum fuerit, quod sciens contra missum dominicum ad resistendum venisset, de vita componat. Et si negaverit, cum XII. suis iuratoribus se idoniare faciat; & pro eo quòd cum collecta contra missum dominicum armatus venit ad resistendum, bannum dominicum componat. Simili modo domnus Imperator de suis vassis iudicavit. Et si servus hoc fecerit, disciplinæ corporali subiaceat.

LXV. *De eo qui domum alienam cuiuslibet infringit.*

SI quis domum alienam cuiuslibet infregerit, quidquid exinde per vim abstulerit, aut rapuerit, vel furaverit, secundum legem & ewam illi, cui domus fuerit infracta & spoliata, in triplum componat, & insuper bannum dominicum solvat. Si servus hoc fecerit, sententiam superiorem accipiat: & insuper secundum suam legem compositionem faciat. Si quis liber homo aliquod tale damnum cuilibet fecerit, pro quo plenam compositionem facere non valeat, semetipsum in wadio pro servo dare studeat, usque dum plenam compositionem adimpleat.

LXVI. *De messibus, vel annonis in hoste raptis vel furatis.*

SI quis messes aut annonas in hoste super bannum dominicum rapuerit, aut furaverit, vel paverit, aut cum caballis vastverit, æstimato damno secundum legem in triplum componat. Et si liber homo hoc fecerit, bannum dominicum pro hac re componere cogatur. Servus verò secundum suam legem tripla compositione damnum in loco restituat, & pro damno disciplinæ corporali subiaceat.

LXVII. *De libero homine in hostem bannito.*

QVicunque liber homo in hostem bannitus fuerit, & venire contempserit, plenum heribannum, id est, solid. LX. persolvat. Aut si non habuerit vnde illam summam persolvat, semetipsum pro wadio in servitio Principis tradat, donec per tempora ipse bannus ab eo fiat persolutus: & tunc iterum ad statum libertatis suæ revertatur. Et si ille homo, qui propter heri-

bannum se in servitium tradidit, in illo servitio defunctus fuerit, heredes eius hereditatem, quæ ad eos pertinet, non perdant, nec libertatem: nec de ipso banno obnoxii fiant.

LXVIII. *De heribanno exactando.*

VT non per aliquam occasionem, nec pro wacta, nec de scara, nec de wardea, nec pro heribergare, nec pro alio banno heribannum Comes exactare præsumat: nisi missus noster prius heribannum ad partem nostram recipiat, & ei suam tertiam partem exinde per iussionem nostram donet. Ipse vero heribannus non exactetur neque in terris, neque in mancipiis: sed in auro & argento, palliis atque armis, & animalibus, atque pecudibus, sive talibus speciebus, quæ ad utilitatem pertinent.

LXIX. *De his, qui regales habent honores, & in hostem banniti ad condictum placitum non venerint.*

QVicunque homo nostros habens honores in hostem bannitus fuerit, & ad condictum placitum non venerit, quot diebus post placitum condictum venisse comprobatus fuerit, tot diebus abstineat à carne & vino.

LXX. *De his, qui sine licentia de hoste revertuntur.*

QVicunque absque licentia vel permissione Principis de hoste reversus fuerit, quod factum Franci herisliz dicunt, volumus, ut antiqua constitutio, id est, capitalis sententia erga illum puniendum custodiatur.

LXXI. *De his, qui beneficia Principum habent.*

QVicunque ex his, qui beneficium Principis habent, parem suum contra hostes communes in exercitu pergentem dimiserit, & cum eo ire vel stare noluerit, honorem suum & beneficium perdat.

LXXII. *De non cogendo bibere in hoste.*

VT in hoste nemo parem suum, vel quemlibet alterum hominem, bibere roget. Et quicunque in exercitu ebrius inventus fuerit, ita excommunicetur, ut in bibendo sola aqua utatur, quousque se malè fecisse cognoscat.

LXXIII. *De vassis adhuc in palatio servientibus, & tamen beneficia habentibus.*

DE vassis dominicis, qui adhuc intra casam serviunt, & tamen beneficia habere noscuntur, statutum est, ut quicunque ex eis cum domno Imperatore domi remanserit, vassallos suos casatos secum non retineat: sed cum Comite, cuius pagenses sunt, ire permittat.

LXXIIII. *De præparatione ad hostem, secundum antiquam consuetudinem.*

COnstitutum est, ut secundum antiquam consuetudinem præparatio ad hostem facienda indicetur & observetur; id est, victualia de marcha, ad tres

ad tres menses, & arma atque vestimenta ad dimidium annum. Quod tamen ita observari placuit, ut his, qui de Rheno ad Ligerim pergunt, de Ligere in antea ad tres menses computetur: & qui de Ligere ad Rhenum pergunt, de Rheno in antea ad tres menses victualia habere debeant. Qui autem trans Rhenum sunt, & ad Saxoniam pergunt, ad Albiam marcham esse sciant: & qui trans Ligerim manent, atque in Hispaniam proficisci debent, montes Pyrenæos marcham sibi esse cognoscant.

LXXV. *De hoc, ut non nisi permißione regali brunia vel gladius homini extraneo à quolibet detur & vendatur.*

COnstitutum est, ut neque Episcopus, neque Abbas aut Abbatissa, vel quilibet rector Ecclesiæ, bruniam vel gladium sine nostro permissu cuilibet homini extraneo aut dare aut vendere præsumat, nisi tantum vassallis suis. Et si evenerit, ut in qualibet ecclesia, vel sancto loco, plures brunias habeant, quam ad homines rectoris eiusdem ecclesiæ sufficiant, tunc Principem idem rector ecclesiæ interroget, quid de his facere præcipiat.

ITEM CAPITVLA QVÆ PROPTER IVSTITIAS INTRA PATRIAM FACIENDAS CONSTITVTA SVNT.

LXXVI. *De causarum & litium terminis.*

DE termino causarum & litium statuimus, ut ex quo bonæ memoriæ domnus Pipinus Rex obiit, & nos regnare cœpimus, causæ vel lites inter partes factæ atque exortæ discutiantur, & congruo sibi iudicio terminentur. Prius verò, id est, ante obitum prædicti domni Pipini Regis causæ commissæ vel omnino non moveantur, vel salvæ usque ad nostram interrogationem reserventur.

LXXVII. *De Episcopis, Comitibus, & potentioribus, si causam inter se habuerint.*

VT Episcopi, Abbates, Comites, & potentiores quique, si causam inter se habuerint, ac se pacificare noluerint, ad nostram iubeantur venire præsentiam: neque illorum contentio alíubi diiudicetur, ne propter hoc pauperum & minus potentium iustitiæ remaneant. Neque ullus Comes palatii nostri potentiorum causas sine nostra iussione finire præsumat, sed tantum ad pauperum, & minus potentium iustitias faciendas sibi sciat esse vacandum.

LXXVIII. *De testibus ad rem quamlibet discutiendam eligendis.*

VT quandocunque testes ad rem quamlibet discutiendam quærendi atque eligendi sunt, à misso nostro & Comite, in cuius ministerio de re qualicunque agendum est, tales eligantur, quales optimi in ipso pago inveniri possunt. Et non liceat, litigatoribus per præmia falsos testes adducere, sicut hactenus fieri solebat.

LXXIX. *De placito centenarij.*

VT nullus homo in placito centenarii neque ad mortem, neque ad libertatem suam amittendam, aut ad res reddendas vel mancipia iudicetur: sed ista aut in præsentia Comitis vel missorum nostrorum iudicentur.

LXXX. *De inquisitione & descriptione uniuscuiusque missi in suo missatico.*

VT missi nostri diligenter inquirant, & describere faciant unusquisque in suo missatico, quid unusquisque de beneficio habeat, vel quot homines casatos in ipso beneficio.

LXXXI. *De beneficiis, qualiter condricta sint.*

QVomodo eadem beneficia condricta sint, aut quis de beneficio suo alodem comparavit vel struxit.

LXXXII. *De beneficiis Episcoporum, Abbatum, & reliquorum: & de fiscis regalibus describendis.*

VT non solum beneficia Episcoporum, vel Abbatum, Abbatissarum, atq; Comitum, sive vassorum nostrorum, sed etiam fisci nostri, describatur in breve: ut scire possimus, quantum etiam de nostro in uniuscuiusque legatione habeamus.

LXXXIII. *De legationibus propter iustitias, quo tempore exerceantur.*

VOlumus ut propter iustitias, quæ usque modo de parte Comitum remanserunt, quatuor tantum mensibus in anno missi nostri legationes suas exerceant: id est, in hyeme, Ianuario; in verno, Aprili; in æstate, Iulio; in autumno, Octobrio. Ceteris verò mensibus unusquisq; Comitum placitum suum habeat, & iustitias faciat. Missi autem nostri quater in uno mense, & in quatuor locis habeant placita sua cum illis Comitibus, quibus congruum fuerit, ut ad eum locum possint convenire.

LXXXIIII. *De iussione dominica in quolibet missatico non adimpleta.*

VT quidquid ille missus in illo missatico aliter factum invenerit, quàm nostra sit iussio, non solum illud emendare iubeat, sed etiam ad nos ipsam rem, qualiter ab eo inventa est, deferat.

LXXXV. *De censu regali inquirendo.*

VT missi nostri census nostros perquirant diligenter, undecunque antiquitus ad partem Regis exire solebant: similiter & freda. Et nobis renuncient, ut nos ordinemus, quid de his in futurum fieri debeat.

LXXXVI. De

LXXXVI. *De rebus, de quibus census ad partem Regis exire solebat.*

VT de rebus, unde census ad partem Regis exire solebat, si ad aliquam ecclesiam traditæ sunt, aut reddantur propriis heredibus, aut qui eas retinuerit, illum censum persolvat.

LXXXVII. *De placitis à missis dominicis Comitibus notum faciendis.*

VT unusquisque missorum nostrorum in placito suo notum faciat Comitibus, qui ad eius missaticum pertinent, ut in illis mensibus, quibus ille legationem suam non facit, conveniant inter se, & communia placita faciant, tam ad latrones distringendos, quàm ad ceteras iustitias faciendas.

LXXXVIII. *De fidelitate Regis promittenda.*

VT missi nostri populum nostrum iterum nobis fidelitatem promittere faciant, secundum consuetudinem iamdudum ordinatam: & ipsi aperiant & interpretentur illis hominibus, qualiter ipsum sacramentum & fidelitatem erga nos servare debeant.

LXXXIX. *De pace in hoste, vel infra patriam.*

COnstituimus, ut si in hoste, aut infra negnum nostrum litigatio aut scandalum inter quascunque personas, videlicet maiores & minores ortum fuerit, quòd frequenter insidiante diabolo contingere solet, ut ibi fideles sanctæ Dei ecclesiæ & nostri, ob resistendam impietatis malitiam armati veniant, id est, qui potest habere, cum lorica & scuto ancipite, atque fuste. Et si aliquis quælibet persona adversus eum quamlibet querelam habere voluerit, liceat ei secundum legis ordinem cum sacramento, quod posuimus, manu propria singula se idoneum facere, ut propter quodquod libet negotium aut odium ibi non advenisset, nisi ob concordiam & pacem ferendam, & ipsam litigationem mitigandam. Et si quislibet renuerit venire, & semetipsum idoneum facere nequiverit, cum supradicto iam sacramento bannum nostrum componat, & ad partem nostram persolvat.

EXPLICIT LIBER TERTIVS.

PRÆFATIO
IN LIBRVM QVARTVM.

QVIA supra in duobus Ecclesiastica, quæ præfati Principes domnus Imperator Karolus, & piissimus Hludovicus Augustus, necnon & Hlotharius Cæsar filius ipsius edidere Capitula, descripsi libellis: in tertio verò ad mundanam pertinentia legem, quæ domnus Karolus Imperator fecit, congessi: nunc iam in quarto illa ad mundanæ augmentum legis pertinentia, quæ præclarissimus domnus Hludovicus Augustus & Hlotharius Cæsar fecerunt, Capitula adunavi libello.

CAPITVLA.

INCIPIT

LIBER QVARTVS.

I. *De Servis Per Contumaciam alicui Vim Inferentibus.*

SI servi per contumaciam collecta multitudine alicui vim intulerint, id est, aut homicidium, aut incendium, aut qualiumcunque rerum direptiones fecerint, domini, quorum negligentia hoc evenit, pro eo quòd eos constringere noluerunt, ut talia facere non auderent, bannum nostrum, id est, LX. solid. solvere cogantur.

II. *De rebus vel mancipiis à fisco regali occupatis.*

DE rebus sive mancipiis, quæ dicuntur à fisco nostro esse occupata, volumus, ut missi nostri inquisitionem faciant sine sacramento, per veraciores homines pagi illius circamanentes: & quidquid de hac causa verius ac certius investigare potuerint, ad nostram faciant pervenire notitiam, ut nos tunc definiamus, quidquid nobis iustum esse videatur.

III. *De servis vel Ecclesiasticis, vel quorumlibet hominum, in fiscum regalem confugientibus.*

SI servi vel ecclesiastici, vel quorumlibet liberorum hominum, in fiscum nostrum confugerint, & à dominis vel advocatis eorum repetiti fuerint, si actor fisci nostri intellexerit, quòd eos iustè non possit tenere ad nostrum dominium, eiiciat illos de eodem fisco, & recipiant eos domini eorum. Et si eidem actori visum fuerit, quod ad nostrum debeant pertinere dominium, expellat eos de eodem fisco. Et postquam ab eisdem repetitoribus fuerint recepti, habeat cum eis legitimam actionem: & sic eos, si poterit, ad nostram evindicet possessionem.

IIII. *De vaßis dominicis ad marcham custodiendam constitutis.*

DE vassis nostris, qui ad marcham nostram constituti sunt custodiendam, aut in longinquis regionibus sua habent beneficia, vel res proprias, vel etiam nobis assiduè in palatio nostro serviunt, & ideo non possunt assidua custodire placita: quam rem volumus, ut missi nostri, vel Comes, nobis notam faciant, & nos faciemus, ut ad eorum placita veniant.

V. *De Comitibus ad custodiendam maritimam deputatis.*

VOlumus ut Comites, qui ad custodiendam maritimam deputati sunt, quicunque ex eis in suo ministerio residet, de iustitia facienda se non excuset, propter illam custodiam: sed ibi secum suos scabineos habeat, si ibi placitum teneat, & iustitiam faciat.

VI. *De his, qui propter incestum res proprias amiserunt.*

DE his, qui se dicunt propter incestum res proprias amisisse, constitutum est, ut si ante proximum quinquennium, quando placitum nostrum habuimus in Compendio, easdem res amiserint, non eis restituantur.

VII. *De coniurationibus servorum in Flandris, & in Mempisco, & in ceteris maritimis locis.*

DE coniurationibus servorum, quæ fiunt in Flandris, & in Mempisco, & in ceteris maritimis locis, volumus, ut per missos nostros indicetur dominis servorum illorum, ut constringant eos, ne ultra tales coniurationes facere præsumant. Et ut sciant ipsi eorundem servorum domini, quod cuiuscunque servi huiuscemodi coniurationes facere præsumpserint, postquam eis hæc nostra iussio fuerit indicata, bannum nostrum, id est, LX. solid. ipse dominus persolvere debeat.

VIII. *De his, qui in littore maris salem faciunt.*

DE terra in littore maris, ubi salem faciunt, volumus, ut aliqui ex eis veniant ad placitum nostrum, & ratio eorum audiatur, ut tunc secundum æquitatem inter eos definire valeamus.

IX. *De uxoribus defunctorum, quam partem conlaborationis post obitum maritorum accipere debeant.*

VOlumas, ut uxores defunctorum post obitum maritorum tertiam partem conlaborationis, quam simul in beneficio conlaboraverunt, accipiant: & de his rebus, quas is, qui illud beneficium habuit, aliunde adduxit, vel comparavit, vel ei ab amicis suis collatum est, has volumus tam ad orphanos defunctorum, quàm ad uxores eorum pervenire.

X. *De aggeribus iuxta Ligerim faciendis.*

DE aggeribus iuxta Ligerim faciendis, ut bonus missus eidem operi præponatur: & hoc Pipino per nostrum missum mandetur, ut & ille ad hoc missum ordinet, quatinus prædictum opus perficiatur.

XI. *De duodecim pontibus super Sequanam restaurandis.*

DE duodecim pontibus super Sequanam volumus, ut hi pagenses, qui eos facere debent, à missis nostris admoneantur, ut eos celeriter restaurent. Et ut eorum vanæ contentioni non consentiant, quando dicunt, se non alibi eosdem pontes facere debere, nisi ubi antiquitus fuerant: sed ibi ubi nunc necesse est, eosdem pontes facere iubeantur.

XII. De

XII. *De omnibus pontibus faciendis.*

DE omnibus pontibus per regnum nostrum faciendis in commune missi nostri admoneant, ut ab ipsis restaurentur, qui eos facere solebant.

CAPITVLA QVÆ CONSTITVIT DOMNVS LVDOVICVS IMPERATOR, SALICIS LEGIBVS ADDENDA, QVÆ ET MISSI ET COMITES HABERE, ET CETERIS NOTA FACERE DEBENT.

XIII. *De honore ecclesiarum.*

SI quis aut ex levi causa, aut sine causa hominem in ecclesia interfecerit, de vita componat. Si verò foris rixati fuerint, & unus alterum in ecclesia fugerit, & ibi se defendendo eum interfecerit, & si huius facti testes non habuerit, cum duodecim coniuratoribus legitimis per sacramentũ affirmet, se defendendo eum interfecisse, & post hæc DC. solid. ad partem ecclesiæ, quam illo homicidio polluerat, & insuper bannum nostrum solvere cogatur: is verò, qui interfectus est, absque compositione iaceat: ac deinde interfector secundum iudicium canonicum congruam facinori, quod admisit, pœnitentiam accipiat. Si proprius servus hoc commiserit, iudicio aquæ ferventis examinetur, utrum hoc sponte, an se defendendo fecisset. Et si manus eius exusta fuerit, interficiatur: si autem non fuerit, dominus eius iuxta quod wirgildus eius est, ad ecclesiam persolvat, aut eum, si voluerit, eidem ecclesiæ tradat. De ecclesiastico & fiscalino, & beneficiario servo, volumus, ut pro una vice wirgildus eius pro eo componatur: altera vice ipse servus ad supplicium tradatur. Hereditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuerit iudicatus, ad legitimos heredes illius perveniat. Si in atrio ecclesiæ, cuius porta reliquiis sanctorum consecrata est, huiusmodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur vel componatur. Si verò porta ecclesiæ non est consecrata, eo modo componatur, quod in atrio committitur, sicut componi debet, quod in immunitate violenter committitur.

XIIII. *De iniuriis sacerdotum, vel quorumlibet ex clero in ecclesia factis.*

SAnguinis effusio in ecclesia facta cum fuste, si presbyter fuerit, triplo componatur: duæ partes eidem presbytero, tertia pro fredo ad ecclesiam, & insuper bannus noster. Similiter de diacono, iuxta compositionem eius in triplo, cum banno nostro componatur. De subdiacono similiter in triplo, secundum suam compositionem. Et de uniuscuiusque ordinis clerico, secundum suam compositionem in triplum persolvatur, & insuper bannus noster. Similiter & de ictu sine sanguinis effusione de uniuscuiusque ordinis clerico secundum suam compositionem in triplo, & bannus noster. Et qui non habet unde ad ecclesiam persolvat, tradat se in servitium eidem ecclesiæ, usque dum totum debitum persolvat.

XV. *De solutione occisi presbyteri.*

PResbyteri interfecti Episcopo, ad cuius parochiam pertinent, solvantur, secundum Capitulare gloriosi Karoli genitoris nostri: ita videlicet, ut medietatem wirgildi eius Episcopus utilitatibus ecclesiæ, cui præfuit, tribuat, & alteram medietatem in eleemosyna illius iustè dispertiat. Quia nullus nobis eius heres proximior videtur, quàm ille, qui ipsum Domino sociavit.

XVI. *De viduis, pupillis, & pauperibus.*

PRæcipimus, ut quandocunque in mallum ante Comitem viduæ, pupilli, & pauperes venerint, primò eorum causa audiatur & definiatur. Et si testes per se ad causas suas quærendas habere non potuerint, vel legem nescierint, Comes illos vel illas adiuvet, dando eis talem hominem, qui rationem eorum teneat, vel pro eis loquatur.

XVII. *De raptu viduarum.*

QVi viduam intra primos xxx. dies viduitatis vel invitam vel volentem sibi copulaverit, bannum nostrum, id est, LX. solid. in triplo componat. Et si invitam eam duxit, legem suam ei componat: illam verò ulterius non attingat.

XVIII. *De homine, publicam pœnitentiam agente, interfecto.*

QVi hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum nostrum in triplo componat, & wirgildus eius proximis eius persolvatur.

XIX. *De homine libero, ut potestatem habeat ubicunque voluerit res suas dare: & qualiter hoc facere debeat.*

SI quis res suas pro salute animæ suæ, vel ad aliquem venerabilem locum, vel propinquo suo, vel cuilibet alteri tradere vòluerit, & eo tempore intra ipsum Comitatum fuerit, in quo res illæ sunt, legitimam traditionem facere studeat. Quòd si eodem tempore, quo illas tradere vult, extra eundem Comitatum fuerit, id est, sive in exercitu, sive in palatio, sive in alio quolibet loco, adhibeat sibi vel de suis pagensibus, vel de aliis qui eadem lege vivunt, qua ipse vivit, testes idoneos, vel si illos habere non potuerit, tunc de aliis quales ibi meliores inveniri possint, & coram eis rerum suarum traditionem faciat: & fideiussores vestituræ donet ei, qui illam traditionem accipit, ut vestituram faciat. Et postquam hæc traditio ita facta fuerit, heres illius nullam de prædictis rebus valeat facere repetitionem. Insuper & ipse per se fideiussionem faciat eiusdem vestituræ; nec heredi ulla occasio remaneat hanc traditionem immutandi, sed potius necessitas incumbat illam perficiendi. Et si nondum res suas cum coheredibus suis divisas habuit, non ei hoc sit impedimento: sed coheres eius, si sponte noluerit, aut per Comitem, aut per missum eius distringatur, ut divisionem cum illo faciat, ad quem defunctus hereditatem suam voluit pervenire. Et si cuilibet ecclesiæ eam tradere rogavit, coheres eius eam legem cum illa ecclesia de prædicta hereditate habeat, quam cum alio coherede suo habere debeat.

Et hoc

Et hoc obſervetur erga patrem, & filium, & nepotem, uſque ad annos legitimos. Poſtea ipſæ res ad immunitatem ipſius eccleſiæ redeant.

XX. *De homicidiis prohibendis.*

QVicunque hominem aut ex levi cauſa, aut ſine cauſa interfecerit, wirgildus eius his, ad quos ille pertinet, componatur. Ipſe verò propter talem præſumptionem in exilium mittatur, ad quantum tempus nobis placuerit: res tamen ſuas non amittat.

XXI. *De hoc, quod in compoſitionem wirgildi dari debeat.*

IN compoſitionem wirgildi volumus ut ea dentur, quæ in lege continentur, excepto accipitre & ſpatha: quia propter illa duo aliquoties periurium committitur, quando maioris pretii, quam illa ſint, eſſe iurantur.

XXII. *De raptu alienarum ſponſarum.*

SI quis ſponſam alienam rapuerit, aut patri eius, aut ei qui legibus eius defenſor eſſe debet, cum ſua lege eam reddat: & quidquid cum ea tulerit, ſemotim unamquamque rem ſecundum legem reddat. Et ſi hoc defenſor eius perpetrari conſenſerit, & ideo raptori nihil quærere voluerit, Comes ſingulariter de unaquaque re freda noſtra ab eo exactare faciat. Sponſo verò legem ſuam componat, & inſuper bannum noſtrum, id eſt, LX. ſolid. vel in præſentiam noſtram Comes eum advenire faciat, & quanto tempore nobis placuerit, in exilio maneat, & illam fœminam ei habere non liceat.

XXIII. *De falſis teſtibus convincendis.*

SI quis cum altero de qualibet cauſa contentionem habuerit, & teſtes contra eum per iudicium producti fuerint, ſi ille falſos eſſe ſuſpicatur, liceat ei alios teſtes, quos meliores potuerit, contra eos opponere, ut veracium teſtimonio falſorum teſtium perverſitas ſuperetur. Quòd ſi ambæ partes teſtium ita inter ſe diſſenſerint, ut nullatenus una pars alteri cedere velit, eligantur duo ex ipſis, id eſt, ex utraque parte unus, qui cum ſcutis & fuſtibus in campo decertent, utra pars falſitatem, utra veritatem ſuo teſtimonio ſequatur. Et campioni qui victus fuerit, propter periurium, quod ante pugnam commiſit, dextera manus amputetur. Ceteri verò eiuſdem partis teſtes, qui falſi apparuerunt, manus ſuas redimant. Cuius compoſitionis duæ partes ei, contra quem teſtati ſunt, dentur; tertia pro fredo ſolvatur. Et in ſeculari quidem cauſa huiuſcemodi teſtium diverſitas campo comprobetur. In eccleſiaſticis autem cauſis, ubi de una parte ſeculare, de altera verò eccleſiaſticum negotium eſt, idem modus obſervetur. Vbi verò ex utraque parte eccleſiaſticum fuerit, rectores earundem eccleſiarum, ſi ſe familiariter pacificare velint, licentiam habeant. Si autem de huiuſcemodi pacificatione inter eos convenire non poſſint, advocati eorum in mallo publico ad præſentiam Comitis veniant, & ibi legitimus terminus eorum contentionibus imponatur. Teſtes verò de qualibet cauſa non aliunde quærantur, niſi de ipſo comitatu, in quo res, unde cauſa agitur, poſitæ ſunt:

quia non credibile, ut vel de statu hominis, vel de possessione cuiuslibet per alios melius rei veritas cognosci valeat, quam per illos qui viciniores sunt. Si tamen contentio, quæ inter eos exorta est, in confinio duorum comitatuum fuerit, liceat eis de vicina centena adiacentis comitatus ad causam suam testes habere.

XXIIII. *De proprio in bannum misso.*

CViuscunque hominis proprietas ob crimen aliquod, quod idem habet commissum, in bannum fuerit missa, & ille re cognita, ne iustitiam faciat, venire distulerit, annumque ac diem in eo banno illam esse permiserit, ulterius eam non adquirat, sed ipsa fisco nostro societur. Debitum verò, quod is, cuius ea fuit, solvere debuit, per Comitem ac ministros eius iuxta æstimationem damni de rebus mobilibus, quæ in eadem proprietate inventæ fuerint, his quibus idem debitor fuit, exsolvatur. Quòd si rerum mobilium ibidem inventarum quantitas ad compositionem non suffecerit, de immobilibus suppleatur: & quod superfuerit, sicut dictũ est, fiscus noster possideat. Si nihil super compositionem remanere potuerit, totum in illud expendatur. Si autem homo ille nondum cum suis coheredibus proprium suum divisum habuit, convocet eos Comes, & cum eis legitimam divisionem faciat, & tunc, sicut iam dictum est, partem eius fisco nostro addicat: & compositionem de ea iuxta modum superius comprehensum, his, ad quos illa legibus pertinet, exsolvat. Quòd si non de alia re, sed de ipsa proprietate, quæ in bannum missa fuit, ac per hoc in nostram potestatem redacta fuerat, interpellatur Comes, in cuius ministerio eam esse constiterit, hoc ad notitiam nostram perferre curet, ut nos eandem proprietatem, quæ secundum supradictum modum in nostrum dominium redacta est, per præcepti nostri auctoritatem in ius & potestatem hominis, qui eam quærebat, si sua debet esse, faciamus pervenire.

XXV. *De mannire.*

SI quis de statu suo, id est, de libertate vel de hereditate compellendus est, iuxta legis constitutionem manniatur. De ceteris verò causis, unde quis rationem est redditurus, non manniatur, sed per Comitem banniatur. Et si post unam & alteram Comitis admonitionem aliquis ad mallum venire noluerit, rebus eius in bannum missis venire & iustitiam facere compellatur.

XXVI. *Qualiter de statu suo pulsatus evindicet libertatem suam.*

HOmo de statu suo pulsatus, si is, qui eum pulsat, ad convincendum illum procinctum habuerit, adhibeat sibi octo coniuratores legitimos, ex ea parte unde pulsatur, sive illa paterna sive materna sit: & quatuor aliunde, non minus legitimos, & iurando vindicet libertatem suam. Quòd si procinctus defuerit, adsumat undecunque XII. liberos homines, & iurando ingenuitatem suam defendat. Omnis controversia coram centenario definiri potest, excepta redditione terræ & mancipiorum, quæ non nisi coram Comite fieri potest.

XXVII. De

XXVII. *De faidis coërcendis.*

SI quis aliqua necessitate cogente homicidium commisit, Comes, in cuius ministerio res perpetrata est, & compositionem solvere, & faidam per sacramentum pacificare faciat. Quòd si una pars ei ad hoc consentire noluerit, id est, aut ille qui homicidium commisit, aut is, qui compositionem suscipere debet, faciat illum Comes, qui ei contumax fuerit, ad præsentiam nostram venire, ut eum ad tempus, quod nobis placuerit, in exilium mittamus, donec ibi castigetur, ut Comiti suo inobediens esse ulterius non audeat, & maius damnum inde non adcrescat.

XXVIII. *De sacramentis vbi iuranda sint.*

VBi antiquitus consuetudo fuit de libertate sacramenta adrhamire vel iurare, ibi mallum habeatur, & ibi sacramenta iurentur. Mallus tamen neque in ecclesia neque in atrio eius habeatur: minora verò placita Comes sive intra suam potestatem, vel ubi impetrare potuerit, habeat. Volumus utique, ut domus à Comite in loco, ubi mallum tenere debet, constituatur, ut propter calorem solis, & pluviam publica utilitas non remaneat.

XXIX. *De his qui de furto accusati fuerint.*

SI liber homo de furto fuerit accusatus, & res proprias habuerit, in mallo ad præsentiam Comitis se adrhamiat: & si res non habet, fideiussores donet, qui eum adrhamire, & in placitum adduci faciant. Et liceat ei prima vice per sacramentum se secundum legem idoneare, si potuerit: at si alia vice duo vel tres eum de furto accusaverint, liceat ei contra unum ex his cum scuto & fuste in campo contendere. Quòd si servus de furto accusatus fuerit, dominus eius pro eo emendet, aut eum sacramento excuset: nisi tale furtum perpetratum habeat, propter quod ad supplicium tradi debeat.

XXX. *De despectu literarum dominicarum.*

SI quis litteras nostras despexerit, id est tractoriam, quæ propter missos recipiendos dirigitur, aut honores quos habet amittat, aut in eo loco, ubi prædictos missos suscipere debuit, tamdiu resideat, & de suis rebus legationes illuc venientes suscipiat, quo usque animo nostro satis factum habeat. Qui verò epistolam nostram quocunque modo despexerit, iussu nostro ad palatium veniat, & iuxta voluntatem nostram congruam stultitiæ suæ castigationem accipiat. Et si homo liber vel ministerialis Comitis hoc fecerit, honorem, qualemcunque habuerit, sive beneficium amittat. Et si servus fuerit, nudus ad palum vapulet, & caput eius tondeatur.

XXXI. *De iniustis tholoneis & consuetudinibus.*

VT ubi tempore avi nostri domini Pipini consuetudo fuit tholoneum dare, ibi & in futurum detur: nam ubi noviter inceptum est, ulterius non agatur. Et ubi necesse non est, fluvium aliquem per pontem transmeare, vel ubi navis per mediam aquam aut subter pontem ierit, & ad ripam non

appropinquaverit, neque ibidem aliquid emptum vel venumdatum fuerit, ulterius tholoneum non detur. Et nemo cogat alium ad pontem ire, ubi iuxta pontem aquam transmeare potest. Et qui ulterius in talibus locis, vel de eis, qui ad palatium seu in hostem pergunt, tholoneum exactaverit, cum sua lege ipsum tholoneum reddat, & bannum nostrum, id est, LX. solid. componat.

XXXII. *De his qui bonos denarios accipere nolunt.*

QVicunque liber homo denarium merum & benè pensantem recipere noluerit, bannum nostrum, id est, LX. solid. componat. Si verò servi ecclesiastici, aut Comitum, aut vassallorum nostrorum hoc facere præsumpserint, LX. ictibus vapulent. Aut si magister eorum, vel advocatus, qui liber est, eos vel Comiti vel misso nostro iussus præsentare noluerit, prædictum bannum LX. solid. componat.

XXXIII. *De adulteratoribus monetæ.*

DE falsa moneta iubemus, ut qui eam percussisse comprobatus fuerit, manus ei amputetur. Et qui hoc consensit, si liber est, LX. solid. componat: si servus est, LX. ictus accipiat.

XXXIIII. *De proprio dominico sine iussione illius reddito.*

SI quis proprium nostrum, quod in vestitura genitoris nostri fuit, alicui quærenti sine nostra iussione reddiderit, aliud tantum nobis de suo proprio cum sua lege componat. Et quicunque illud scienter per malum ingenium adquirere tentaverit, pro infideli teneatur, quia sacramentum fidelitatis, quod nobis promisit, irritum fecit: & ideo secundum nostram voluntatem & potestatem diiudicandus est.

XXXV. *De pueris invitis parentibus detonsis, aut puellis velatis.*

SI quis puerum invitis parentibus totonderit, aut puellam velaverit, legem suam in triplo componat, aut ipsi puero vel puellæ, si iam suæ potestatis sunt, aut illi, in cuiuslibet potestate fuerint. Illi verò potestatem habeant capitis sui, ut in tali habitu permaneant, qualis eis complacuerit.

XXXVI. *De forcapiis.*

SI mancipia dominos suos fugerint in alienam potestatem, præcipimus, ut propter hoc nullum præmium accipiat ille, in cuius potestate fuerint inventa, pro eo quod ea vel reddiderit, vel foras eiecerit: & non solum hoc, sed etiam si ea nec reddere nec foras eiicere voluerit, & legitimo domino ea contradixerit, & illa inde postea effugerint, secundum legem ea solvere cogatur.

XXXVII. *De terra tributaria.*

QVicunque terram tributariam, unde tributum ad partem nostram exire solebat, vel ad ecclesiam, vel cuilibet alteri tradiderit, is qui eam susceperit, tributum, quod inde solvebatur, omni modo ad partem nostram persol-

persolvat: nisi fortè talem firmitatem de parte dominica habeat, per quam ipsum tributum sibi perdonatum possit ostendere.

XXXVIII. *De beneficiis destructis.*

QVicunque suum beneficium occasione proprii desertum habuerit, & intra annum, postquam ei à Comite vel misso nostro notum factum fuerit, illud emendatum non habuerit, ipsum beneficium amittat.

XXXIX. *De terra censali.*

SI quis terram censalem habuerit, quam antecessores sui vel ad aliquam ecclesiam, vel ad villam nostram dederunt, nullatenus eam secundum legem tenere potest, nisi ille voluerit, ad cuius potestatem vel illa ecclesia, vel illa villa pertinet: nisi fortè filius, aut nepos eius sit qui eam tradidit, & ei eadem terra ad tenendum placitata sit. Sed in hac re considerandum est, utrum ille qui hanc tenet, dives an pauper sit: & utrum aliud beneficium habeat, vel etiam proprium. Et qui horum neutrum habet, erga hunc misericorditer agendum est, ne ex toto dispoliatus in egestatem incidat: ut aut talem censum inde persolvat, qualis ei fuerit constitutus, vel portionem aliquam inde in beneficium accipiat, unde se sustentare valeat.

XL. *De nonis & decimis.*

COnsideratum est, ut de frugibus terræ & animalium nutrimine, nonæ & decimæ persolvantur. De opere verò vel restauratione ecclesiarum Comes, & Episcopus, sive Abbas unà cum misso nostro, quem ipsi sibi ad hoc elegerint, considerationem faciant, ut unusquisque eorum tantum inde accipiat ad operandum & restaurandum, quantum ipse de rebus ecclesiarum habere cognoscitur. Similiter & vassi nostri aut in commune tantum operis accipiant, quantum rerum ecclesiasticarum habent: vel unusquisque per se iuxta quantitatem, quam ipse tenet. Aut si inter eos convenerit, ut pro opere faciendo argentum donent, iuxta æstimationem operis in argento persolvant, cum quo precio rector Ecclesiæ ad perdictam restaurationem operarios conducere, & materiam emere possit. Et qui nonas & decimas dare neglexerit, primum quidem illas cum lege sua restituat, & insuper bannum nostrum solvat: ut ita castigatus caveat, ne sæpius iterando beneficium amittat.

XLI. *De mancipiis in villas dominicas confugientibus.*

SI cuiuslibet mancipia in villam nostram confugerint, actor eiusdem villæ quærenti domino ea non contradicat, sed statim ea foras de eadem villa eiiciat. Et si se putat ad ea repetenda iustitiam habere, repetat illa, & secundum legem adquirat. Si verò tempore domni Karoli genitoris nostri in villam illam confugerunt, & dominus ea quærit, actor eiusdem villæ aut ea legitimè contendat, aut quærenti domino reddat. Et actor propter vestituram domni Karoli genitoris nostri eadem mancipia contradicere non audeat, si illius propria esse noscuntur.

XLII. *De forestibus noviter institutis.*

VT quicunque illas habet, dimittat: nisi fortè iudicio veraci ostendere possit, quòd per iussionem sive per permissionem domni Karoli genitoris nostri eas instituisset: præter illas, quæ ad nostrum opus pertinent, unde nos decernere volumus, quidquid nobis placuerit.

XLIII. *De pontibus per diversa loca emendandis.*

VOlumus ut missi nostri per singulas civitates unà cum Episcopo & Comite missos vel nostros homines ibidem commanentes eligant, quorum curæ sit, pontes per diversa loca emendare, & eos, qui illos emendare debent, ex nostra iussione admonere, ut unusquisque iuxta suam possibilitatem & quantitatem eos emendare studeat.

HÆC SUNT CAPITULA PRÆCIPUE AD LEGATIONEM MISSORUM NOSTRORUM OB MEMORIÆ CAUSAM PERTINENTIA.

XLIIII. *De legatione omnium missorum dominicorum, de quibus videlicet causis agere debeant.*

LEgatio omnium missorum nostrorum hæc est. Primò, ut sicut iam aliis missis iniunctum fuit, iustitiam faciant de rebus & libertatibus iniustè ablatis: & si Episcopus, aut abbas, aut vicarius, aut advocatus, aut quislibet de plebe hoc fecisse inventus fuerit, statim restituantur. Si verò vel Comes, vel actor dominicus, vel alter missus palatii nostri hoc perpetravit, & in nostram potestatem redegerit, res diligenter investigata & descripta ad nostrum iudicium reservetur.

XLV. *De illis libertatibus, & rebus reddendis, quæ in dominica vestitura sunt, qualiter inquirantur.*

VOlumus autem, ut de his libertatibus, & rebus reddendis, quæ in nostra vestitura sunt, primò per optimos quosque inquiratur. Et si per illos inveniri non possit, tunc per eos, qui post illos in illa vicinia meliores sunt. Et si nec per illos rei veritas inveniri potest, tunc liceat litigantibus ex utraque parte testes adhibere: & si discordaverint, secundum constitutionem à nobis promulgatam examinentur.

XLVI. D*e oppressione pauperum, viduarum, & pupillorum.*

DE pauperibus, viduis, & pupillis iniustè oppressis volumus, ut adiuventur & releventur.

XLVII. D*e iniustis consuetudinibus noviter institutis.*

DE iniustis occasionibus & consuetudinibus noviter institutis, sicut sunt tributa & tholonei in media via, ubi nec aqua, nec palus, nec pons, nec aliquid tale fuerit, unde iustè census exigi possit, vel ubi naves subter pontes transire solent, sive in medio flumine, ubi nullum obstaculum est, ut auferantur: antiquæ autem ad nostram notitiam deferantur.

XLVIII. De

XLVIII. De *honore ecclesiarum.*

DE honore ecclesiarum, ut per omnia eis exhibeatur, sicut nuper à nobis cum consensu omnium fidelium nostrorum constitutum est: & ut hoc missi nostri omnibus in sua legatione constitutis notum efficiant.

XLIX. De *nonis & decimis.*

DE nonis & decimis, ut secundum iussionem nostram dentur.

L. De *locis ad claustra canonicorum facienda.*

DE locis dandis ad claustra canonicorum facienda, si terra de eiusdem ecclesiæ rebus fuerit, reddatur ibi. Si de alterius ecclesiæ, vel liberorum hominum, commutetur. Si autem de fisco nostro fuerit, nostra libertate concedatur.

LI. De *observatione præceptorum dominicorum.*

DE observatione præceptorum nostrorum, & immunitatum, ut ita observentur, sicut à nobis & ab antecessoribus nostris constitutum est.

LII. De *his, qui occasione immunitatis iustitiam facere renuunt.*

DE his qui per occasionem immunitatis iustitiam facere renuunt, ut hoc observetur, quod à nobis constitutum est.

LIII. De *locis iamdudum sacris, & nunc spurcitia fœdatis.*

DE locis iamdudum sacris, & nunc spurcitia fœdatis, ut iuxta possibilitatem in antiquum statum reformentur.

LIIII. De *beneficiis dominicis destructis.*

DE beneficiis nostris, quæ destructa inveniuntur, hoc impleatur, quod nuper à nobis constitutum est.

LV. De *falsa moneta, & de aliis diversis causis prohibendis.*

DE nova moneta, & de falsa moneta, & de despectu literarum nostrarum, & de latronibus coërcendis, vel puniendis, & de faidis pacandis, de homicidiis prohibendis, de periuriis & falsis testibus compescendis, de his omnibus vel ceteris his similibus hoc, quòd modò constituimus, omnibus annuncietur, & in futurum observetur.

LVI. De *missorum dominicorum observatione.*

HOc volumus, ut missi nostri observent, ut quidquid de his causis, vel simul, vel singulatim emendare potuerint, emendent; & ea, quæ emendaverint, diligenter scriptis notent: & hoc sic peragere curent, quatinus iustè reprehendi à quoquam nullatenus possint. Et quæ facere debent, aut possunt, nullatenus prætermittant: imò caveant, ne, quod absit, aut gratia

alicuius, aut honoris, aut timoris, sive odii causa illud, quod agere debent, omittant. Et summoperè studeant, ut hoc, quod per se efficere non possunt, nobis notum faciant: & omnimodis prævideant, ut per singula Capitula tam verbis, quam scriptis, de omnibus quæ illic peregerint, nobis rationem reddere valeant.

LVII. *De placitis à liberis hominibus observandis.*

DE placitis siquidem, quos liberi homines observare debent, constitutio genitoris nostri penitus observanda atque tenenda est, ut videlicet in anno IIII. solummodò generalia placita observent: & nullus eos amplius placita observare compellat, nisi fortè quilibet aut accusatus fuerit, aut alium accusaverit, aut ad testimonium perhibendum vocatus fuerit. Ad cetera verò, quæ centenarii tenent, non alius venire iubeatur, nisi qui aut litigat, aut iudicat, aut testificatur.

LVIII. *De debito ad opus dominicum rewadiato.*

VT de debito, quod ad opus nostrum fuerit rewadiatum, talis consideratio fiat, ut is qui ignoranter peccavit, non totum secundum legem componere cogatur, sed iuxta quod possibile visum fuerit. Is verò, qui tantum mala voluntate peccavit, totam legis compositionem cogatur exsolvere.

LIX. *De his, qui ad palatium, vel in hostem pergunt, vel inde redeunt.*

VT nullus ad palatium, vel in hostem pergens, vel de palatio vel de hoste rediens, tributum, quod transituras vocant, solvere cogatur.

LX. *De pontibus publicis.*

VT pontes publici, qui per bannum fieri solebant, anno præsente in omni loco restaurentur.

LXI. *De clericis, monachis, & servis fugitivis.*

VT clerici, & monachi, & servi fugitivi ad loca sua redire iubeantur.

LXII. *De advocatis Episcoporum, Abbatum, Comitum, & Abbatissarum.*

VT nullus Episcopus, nec Abbas, nec Comes, nec Abbatissa centenarium Comitis advocatum habeat.

LXIII. *De vicariis, vel centenariis, si latrones cœlaverint,*

VT vicarii vel centenarii, qui fures & latrones vel cœlaverint vel defenderint, secundum sibi datam sententiam diiudicentur.

LXIIII. *De Comitibus & vicariis admonendis de constitutione legis.*

VT Comites, & vicarii, & centenarii de constitutione legis admoneantur, qua iubetur, ut propter iustitiam pervertendam munera non accipiant.

LXV. *De*

LXV. *De forestibus dominicis.*

DE forestibus nostris, ut ubicunque fuerint diligentissimè inquirant, quomodo salvæ sint & defensæ: & ut Comitibus denuncient, ne ullam forestem noviter instituant, & ubi noviter institutas sine nostra iussione invenerint, dimittere præcipiant.

LXVI. *De missis dominicis, & de his qui iustitiam facere renuunt.*

VT ubicunque ipsi missi aut Episcopum, aut Abbatem, aut alium quemlibet quocunque honore præditum invenerint, qui iustitiam facere vel noluit, vel prohibuit, de ipsius rebus vivant, quamdiu in eo loco iustitias facere debent.

LXVII. *De missis dominicis, ubi diutius non debeant immorari.*

VT in illius Comitis ministerio, qui bene iustitias factas habet, iidem missi diutius non morentur, neque illic multitudinem convenire faciant: sed ibi moras faciant, ubi iustitia vel minus vel negligenter facta est.

LXVIII. *De missis dominicis, & de Comite in aliquod missaticum directo.*

VT in illius Comitis ministerio iidem missi nostri placitum non teneant, qui in aliquod missaticum directus est, donec ipse reversus fuerit: ut causa, quæ adhuc coram Comite nôn fuit, & is qui reclamat propter suam stultitiam aut contumaciam Comitem inde appellare noluit, iterum Comiti commendetur.

LXIX. *De missis dominicis, qualiter coniectum accipere debeant.*

VT missi nostri, qui vel Episcopi, vel Abbates, vel Comites sunt, quamdiu propè suum beneficium fuerint, nihil de aliorum coniecto accipiant. Postquam verò inde longè recesserint, tunc accipiant secundum quod in sua tractoria continetur. Vassi verò nostri & ministeriales, qui missi sunt, ubicunque venerint, coniectum accipiant.

LXX. *De vassis dominicis & Episcoporum, vel reliquorum, qui in hoste non fuerunt.*

VT vassi nostri, & vassi Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, & Comitum, qui anno præsente in hoste non fuerunt, heribannum rewadient, exceptis his, qui propter necessarias causas, & à domno ac genitore nostro Karolo constitutas, domi dimissi fuerunt: id est, qui à Comite propter pacem conservandam, & propter coniugem ac domum eius custodiendam, & ab Episcopo vel Abbate vel Abbatissa similiter propter pacem conservandam, & propter fruges colligendas, & familiam constringendam, & missos recipiendos dimissi fuerunt.

LXXI. De *Episcopis, Abbatibus, & Comitibus, & de placito missorum dominicorum.*

VT omnis Episcopus, Abbas, & Comes, excepta infirmitate, vel nostra iussione, nullam excusationem habeat, quin ad placitum missorum nostrorum veniat: aut talem vicarium suum mittat, qui in omni causa pro illo reddere rationem possit.

LXXII. De *non exigendo heribanno, antequam iussio dominica nota fiat.*

VT missi & unusquisque in suo ministerio hæc Capitula relegi faciant coram populo, ut nota sint omnibus, ne aliquis excusationem habere possit. Et non prius bannum exigant à quoquam homine, donec omnibus hæc nota fiant.

LXXIII. De *dispensa missorum dominicorum.*

DE dispensa missorum nostrorum, qualiter unicuique, id est, propter coniugem ac domum eius custodiendam, iuxta suam qualitatem dandum vel accipiendum sit. Videlicet Episcopo panes XI. friscingæ III. de potu modii tres, porcellus unus, pulli tres, ova XV. annona ad caballos modii quatuor. Abbati, Comiti, atque ministeriali nostro unicuique dentur quotidie panes triginta, friscingæ duæ, de potu modii duo, porcellus unus, pulli tres, ova XV. annona ad caballos modii tres. Vassallo nostro panes X. & VII. friscinga una, porcellus unus, de potu modius unus, pulli duo, ova decem, annona ad caballos modii duo.

LXXIIII. De *eo, qui in aliena patria de qualibet causa fuerit interpellatus.*

SI quis in aliena patria, ubi vel propter beneficium, vel propter aliam quamlibet occasionem assiduè conversari solet, de qualibet causa fuerit interpellatus, verbi gratia, ut de conquisitu suo, vel de mancipiis suis ibi secundum suam legem iustitiam faciat: & cum talibus coniuratoribus, quales in eadem regione vel provincia secum habere potuerit, legitimum sacramentum iuret, excepto si quis eum de statu suo, id est, de libertate sua, vel de hereditate, quam ei pater suus moriens dereliquit, appellaverit. De his duobus liceat illi sacramentum in patria sua, id est, in legitimo sui sacramenti loco iurandum offerre. Et is, qui cum eo litigat, si velit, sequatur illum in patriam suam, ad recipiendum illud sacramentum. Ipse tamen primo in eodem loco, id est, ubi interpellatus est, satisfaciat tam Comiti & iudicibus, quam adversario suo, testibus probando, quod rem, quæ ab eo quæritur, pater suus ei dereliquit.

LXXV. De *solutione atque compositione.*

VT omnis solutio atque compositio, quæ in lege Salica continetur, inter Francos per XII. denariorum solid. componatur: excepto ubi contentio inter Saxones & Frisiones exorta fuerit. Ibi volumus, ut XL. denariorum quantitatem solidus habeat.: quem vel Saxo vel Frisio ad partem Salici Franci, cum eo litigantis, solvere debet.

APPEN-

APPENDIX PRIMA.

Capitula domni Karoli Imperatoris, patris videlicet domni Hludovici, Ecclesiastica, quæ ideo suprascriptis non coniunxi Capitulis, quia alia ex istis quasi causa memoriæ scripta fuerant, & non videntur plenum explere sensum. Alia sunt geminata, cum aliis videlicet mixta Capitulis, alia penitus finita, atque ad perfectionem perducta.

I. De lectionibus, ut in ecclesia distincta legantur.

II. De cantu, ut secundum ordinem & morem Romanæ ecclesiæ fiat.

III. De notariis, ut unusquisque Episcopus, & Abbas, & singuli Comites suum notarium habeant.

IIII. De ceteris disciplinis ecclesiæ, ut secundum canones & regulas fiant.

V. De computo, ut partes discant omnes.

VI. De medicinali arte, ut infantes hanc discere mittantur.

VII. De Ecclesiis sine honore manentibus, absque officiis & luminaribus: & de his qui decimas sumunt, & de ecclesiis non curant: & de altaribus, ut non superflua sint in ecclesiis.

VIII. De laicis noviter conversis, ne antequam suam legem pleniter vivendo discant, ad alia negotia mittantur.

IX. De relinquentibus seculum, ut unum è duobus eligant, aut pleniter secundum canonicam, aut secundum secularem institutionem vivere debeant.

X. De ecclesiis, seu sanctis noviter inventis sine auctoritate, nisi Episcopo probante minimè venerentur, salva etiam de hoc, & de omnibus ecclesiis canonica auctoritate.

XI. De ordinatis Episcopis, nec receptis.

XII. Quòd non oporteat absolutè quoslibet ordinare.

XIII. De servo, si nesciente domino suo fuerit ordinatus.

XIIII. Quòd non liceat clericum in duabus civitatibus ministrare, nec Abbatibus plurima monasteria aut cellas habere.

XV. De peregrinis Episcopis & clericis.

XVI. De litteris peregrinorum, & clericis sine litteris ambulantibus.

XVII. Qualis vel pro qualibus culpis quisque secundum canonicam institutionem degradetur de officio sacerdotali.

XVIII. De expulso ab ecclesia, & excommunicato, vel damnato ab officio suo.

XIX. De ordine Ecclesiastico, & officio missæ.

XX. De reliquiis sanctorum, & oratoriis villaribus.

XXI. De altari non consecrando, nisi lapideo.

XXII. De confirmatione cum chrismate.

XXIII. De baptismo.

XXIIII. De pascha, & die dominico, & de reliquis festivitatibus.

XXV. De ieiunio, & de quadragesima, vel lætaniis.

XXVI. Vt festivitates præclaræ non nisi in civitatibus, aut in vicis publicis teneantur.

XXVII. De hoc officio.

XXVIII. De Ecclesiis emendandis, ut ubi in uno loco plures sunt, quàm necesse est, destruantur quæ necessariæ non sunt, & aliæ construantur.

XXIX. De Ecclesiis non benè constructis.

XXX. De iudicio pœnitentiæ, ad interrogandum reliquimus, per quem pœnitentialem, vel qualiter iudicentur pœnitentes: & de incestibus, quibus liceat iniungere, quibus non.

XXXI. De eleemosyna mittenda in Hierusalem, propter ecclesias Dei restaurandas, proximo natali Domini.

XXXII. Vt nullus homo malignis consentiat, sed magis in quantum potest resistat, ut pauperes, orphani, & viduæ, & ecclesiæ Dei pacem habeant.

XXXIII. De concordia fidelium nostrorum.

APPENDIX SECVNDA.

ITEM Capitula domni Karoli Imperatoris mundana, quæ suprascriptam videntur habere causam.

I. De latronibus, sicut iam antea in alio Capitulari commendavimus, ita maneat.

II. De adventitiis, ut cum missi nostri ad placitum venerint, habeant scriptum, quanti adventitii sunt in illorum missatico, aut de quo pago sunt, & nomina eorum, & qui sunt eorum seniores.

III. Si quis de libertate sua fuerit interpellatus, & timens, ne in servitium cadat, aliquem de propinquis suis, per quem se in servitium casurum timet, occiderit, id est, patrem, matrem, patruelem, avunculum, vel quamlibet huiusmodi propinquitatis personam, ipse, qui hoc perpetraverit, moriatur: agnatio eius & consanguinitas in servitutem cadat. Et si negaverit se illum occidisse, ad novem vomeres ignitos iudicio Dei examinandus accedat.

IIII. De fugitivis ac peregrinis, ut distringantur; ut scire possimus qui sint, aut unde venerint.

V. Vt

V. Vt bauga, & bruniæ non dentur negotiatoribus.

VI. De mensuris, ut secundum iussionem nostram æquales sint.

VII. Vt non mittantur testimonia super vestituram domni Pipini Regis.

VIII. Vt omnia, quæ wadiari debent, iuxta quod in lege continetur, pleniter secundum ipsam legem rewadiata fiant: & in postmodum vel domnus Rex, vel ille, cuius causa est, iuxta quod ei placuerit, perdonet.

IX. Vt missi nostri, qui iam breves detulerunt de adnuntiatione, volumus ut adhuc adducant de opere.

X. Quantam moram facient in uno quoque loco, & quot homines secum habeant.

XI. De prudentia & constantia missorum nostrorum.

XII. De falsis monetariis requirendum est.

XIII. De illis Saxonibus qui uxores non habent.

XIIII. De signatis qui mentiendo vadunt.

XV. Si aliæ res fortuitu non præoccupaverint, VIII. Kalen. Iul. id est missa sancti Ioannis Baptistæ ad Magontiam, sive Cabillonem generaliter placitum habere volumus.

XVI. Vt nemo propter cupiditatem pecuniæ, aut propter avaritiam suam prius det precium, aut futuram conventionem sibi præparet, ut duplum vel triplum tunc recipiat: sed tunc tantum, quando fructus præsentes sunt, illos comparet.

XVII. De causis, quæ quotidie non cessant.

XVIII. De fugitivis qui non cessant recipere & abscondere.

XIX. De vagis peregrinis.

XX. De homicidiis.

XXI. De commendatis mensuris modiorum, & sextariorum.

XXII. De beneficiis nostris non bene constructis.

XXIII. De hospitalitate & susceptione itinerantium, tam missorum nostrorum, quam reliquorum bonorum hominum.

XXIIII. Quòd missos ad vicem nostram mittimus.

XXV. De his, qui vinum & annonam vendunt, antequam colligant, & per hanc occasionem pauperes efficiuntur, ut fortiter constringantur, ne deinceps fiat.

XXVI. Vt ante vicarium, & centenarium, de proprietate aut libertate iudicium non terminetur, aut adquiratur: nisi semper in præsentia missorum imperialium, aut in præsentia Comitum.

XXVII. De homicidiis factis anno præsenti inter vulgares homines, quasi propter pulverem mortalem.

XXVIII. De heribanno, ut diligenter inquirant missi nostri, qui hostem facere potuit, & non fecit, ut bannum nostrum ipse componat, si habet unde componere possit. Et si tantum non habuerit, unde componere valeat, rewadiatum fiat & inbreviatum: & nihil ex hoc exactum fiat, usque dum ad notitiam domni Imperatoris veniat.

XXIX. Qui herisliz factum habent, per fideiussores mittantur.

XXX. De beneficiis destructis, & alode restaurata.

XXXI. De freda exigenda.

XXXII. De materiamine ad naves faciendum.

XXXIII. Si aliquis Saxo hominem comprehenderit absque furto, aut absque sua propria aliqua re, dicens, quod illi sit damnum factum, & hoc contendere voluerit in iudicio, aut in campo, aut ad crucem, licentiam habeat. Si verò hoc noluerit, cum suis iuratoribus ipse liber homo se idoniare faciat. Et si servum cuiuslibet absque aliqua comprobatione comprehenderit, ipse servus aut ad aquam ferventem, aut ad aliud iudicium se idoniare faciat.

XXXIIII. Si aliquis Saxo caballos in sua messe invenerit, & ipsos caballos inde ducere pro suo damno ad comprobandum voluerit, si quis liber homo ei hoc contradixerit, aut aliquod malum pro hoc ei fecerit, tripla compositione secundum legem & secundum ewam ea emendare studeat, & insuper bannum dominicum solvat, & manum perdat, pro eo quòd inobediens fuit contra præceptum domni Imperatoris, quod ipse prò pace statuere iussit. Si servus hoc fecerit, secundum suam legem omnia in triplum restituat, & disciplinæ corporali subiaceat.

XXXV. Quicunque liber homo inventus fuerit anno præsente cum seniore suo in hoste non fuisse, plenum heribannum persolvere cogatur. Et si senior vel Comes eum domi dimisit, ipse pro eo eundem heribannum persolvat: & tot heribanni ab eo exigantur, quot homines domi dimisit. Et quia nos anno præsente unicuique seniori duos homines, quos domi dimitteret, concessimus, illos volumus, ut missis nostris ostendat, quia his tantummodo heribannum concessimus.

XXXVI. Vt quandocunque navigium mittere volumus, ipsi seniores in ipsis navibus pergant, & ad hoc sint præparati.

APPEN-

APPENDIX TERTIA.

ITem Capitula Principum præclarißimorum, Ecclesiastica simul & mundana, domni Hludovici Augusti, & Hlotharii Cæsaris, quæ suprascriptam videntur habere rationem.

I. Benedictus de sua reclamatione in perpetuum sileat.

II. De manso, quem Gehirfredus Episcopus à Liutrico Comite requirit, ut si missi nostri invenerint eum iustitiam habere, non permittant Liutricum per vestituram domni Karoli iustitiam eius impedire.

III. De foreste, quam Autharius Comes habere vult, ubi ea prius non fuisse dicitur, volumus, ut missi nostri rei veritatem inquirant, & iuxta quod iustum invenerint, ex nostra auctoritate definiant.

IIII. De causa Hruotmundi Comitis, ut ei liceat hic in palatio sacramentum suum iurare, quia propter nostrum servitium sibi constitutum placitum intra patriam observare non licuit.

V. De duabus fœminis, quæ indiculos attulerunt, interrogandi sunt Heiminus & Manoldus, utrum ecclesiasticæ, an fiscales fuissent.

VI. Odo buticularius de foreste sua interrogandus est.

VII. De rebus quas Marchio tradidit filio Bosonis, vel aliis hominibus, volumus ut hi, quibus traditæ fuerunt, vestituram suam accipiant, & insuper confirmationem.

VIII. De rebus, quas quædam fœmina Hildegardi Reginæ tradidit, & portionem quam sibi servavit, iniustè amisisse dicitur, volumus, ut charta traditionis quæratur, & inspiciatur, & tunc quid illa habere debeat, definiatur.

IX. Querelam, quam Helizachar & Heiminus contra Maginarium habent, volumus, ut missi nostri secundum iustitiam & æquitatem definiant.

X. De querela Hildebrandi Comitis, quòd pagenses eius paravreda dare recusant, volumus, ut hoc missi nostri ab his hominibus, qui in eodem comitatu manent, & ea dare non debent, necnon & à vicinis Comitibus inquirant, & si invenerint, quod ipsi ea dandi debitores sunt, ex nostra iussione dare præcipiant.

DE CONGLVTINATIONE ISTORVM, ET COMMVNIONE SEPTEM LIBRORVM, CAPITVLORVM VIDELICET DOMINICORVM, QVALITERQVE, QVIBVS, ET A QVIBVS COLLECTI, ORDINATI, ATQVE CONSCRIPTI ESSE MONSTRANTVR, SEQVENS INDICAT LECTIO: ET QVÆDAM ISTIS PANDVNTVR VERSICVLIS.

QVatuor explicitis Lector venerande libellis,
Qui canonum recitant iura tenenda ſatis.
Quoſque pater quondam collegit nobilis aptè,
Anſegiſus ovans, ductus amore Dei.
Autcario demum, quem tunc Magontia ſummum
Pontificem tenuit, præcipiente pio.
Poſt Benedictus ego ternos Levita libellos
Adnexi, legis queîs recitatur opus.
Quos patet iuventos præfatio pandit ut ipſa,
Diſtinctim titulis ſubpoſitoſque ſuis.
Hos igitut relegens devoto pectore biblos,
Gratanter ſtudeas fundere poſco preces:
Quatenus æterno donentur munere cœlo,
Hæc pia ſanxerunt qui quoque iura piè.

BENEDICTI LEVITÆ IN SEQVENTIA CAPITVLA PRÆFATIO.

PRæcedentes quatuor libelli nonnulla glorioſiſsimorum Karoli atque Hludovici Imperatorum continent Capitula, quæ eorum tempore ab Anſegiſo abbate ſunt collecta, atq; in prædictis coacta libellis, ſicut in eorundem proœmio continetur. Sed quia ab eo nec media, ut rati ſumus, ſunt forſitan inventa vel collecta, neceſſe erat, ut à fidelibus ubicunque inveniri potuiſſent, quærerentur, & ob recordationem tantorum Principum, vel eorundem Capitulorum utilitatem coadunarentur, & membranis insererentur, atque à fidelibus memoriæ commendarentur. Quapropter ea, quæ ille aut invenire nequivit, aut inſerere fortaſſe noluit, & illa quæ poſtmodum à fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ, & Pipini ac Karoli atque Hludovici didicimus in iam dictis libellis minimè eſſe inſerta, pro Dei omnipotentis amore, & ſanctæ Dei eccleſiæ, ac ſervorum eius, atque totius populi utilitate, fideliter inveſtigare curavimus: & in tribus ſubſequentibus libellis diſtinctè cum titulis ſuis coadunare. Ac Hludovico, Hlotharioq;,

rioq;, atque Karolo nobilissimis Regibus, filiis videlicet Hludevici piissimi Imp. habenda, & omnium Christianorum fidelibus tradenda scribere non distulimus: ut scirent qualiter iuxta normam avi, proavi, ac genitoris, secundum Domini scilicet voluntatem, sicut & illi fecerunt, clerum & populum sibi commissum Domino opem ferente regere mererentur. Hæc verò Capitula, quæ in subsequentib. tribus libellis coadunare studuimus, in diversis locis, & in diversis schedulis, sicuti in diversis synodis, ac placitis generalibus edita erant, sparsim invenimus: maximè in sanctæ Magontiacensis metropolis Ecclesiæ scrinio, à Riculfo eiusdem sanctæ sedis metropolitano reconditas, & demum ab Autbario secundo, eius successore atq; consanguineo, inventa reperimus: quæ in hoc opusculo tenore suprascripto inserere maluimus. Monemus ergo Lectores, ut si eadem Capitula duplicata vel triplicata repererint, non hoc nostræ imperitiæ reputent: quia ut diximus, diversis ea in schedulis invenimus. Et ob id tam citò hæc emendare nequivimus: sed cunctis scientia repletis Lectoribus hæc corrigenda dimisimus. Invenimus insuper quædam ex his paria initia habentia, & imparem finem: quædam verò pares fines, sed non paria initia. In quibusdam autem minus, & in quibusdam plus. Et propterea illa sic dimisimus, sicut invenimus. Precamur etiam omnes, ut si deinceps plura ex his invenerint, quæ memoratus Ansegisus non inseruit, nec nos potuimus hactenus invenire, ut ea illis in quarto aut quinto libello distinctè inserere non pigeat: quatinus ipsi ex hoc gratiam Dei habeant, & clerus ac populus eorum utilitatibus non careat. Quoniam valde sunt utilia hæc Capitula, & scire volentibus oppido profutura: quæ pro lege tam Ecclesiastica, quam & seculari iure firmissimo sunt tenenda. Primo igitur in loco posuimus nonnullos versiculos in laudem prædictorum Principum metrice compositos: deinde sequuntur Capitula primi libelli, subiectis numeris suis, ut facilius inveniri possit sententia quæ quæritur. His ita peractis, est in fronte primi libelli posita Zachariæ Papæ epistola, omnibus Episcopis, ac reliquis ecclesiastici ordinis gradibus, & cunctis Ducibus atq; Comitibus, omnibusq; Deum timentibus per Gallias, & Francorum provincias constitutis directa, sicut in ea continetur. Quam sequuntur duo synodales conventus, quos sanctæ Romanæ & Apostolicæ ecclesiæ legatus Bonifacius, memoratæ Magontiacensis ecclesiæ Archiepiscopus, vice supradicti Zachariæ Papæ, una cum Carlomanno Francorum Principe canonicè tenuit: ut agnoscant omnes, hæc prædictorum Principum Capitula maximè Apostolica auctoritate fore firmata. Post ista quoque quæ sequuntur, eadem auctoritate maxima, ut diximus, ex parte, & omnium Francorum utriusque ordinis virorum assensu sunt roborata. Secundo verò in libello post Capitulorum numerum, prima fronte posita sunt quædam ex lege divina excerpta Capitula, sicut ea sparsim in eorum mixta Capitulis reperimus, ut omnes hæc Capitula legibus divinis, regulisque canonicis concordare non ignorent. Tertio siquidem in libello, post eiusdem libelli Capitulorum numerum, quædam ex canonibus à Paulino Episcopo, & Albino magistro, reliquisque iussione Karoli invictissimi Principis magistris sparsim collecta, sunt inserta Capitula, & quibusdam interpositis sequuntur alia regulæ monasticæ congruentia, & demum ea quæ sequuntur ad sanctæ Dei Ecclesiæ, servorumque eius, atque totius Christiani

populi utilitatem sunt conscripta Capitula, sicut in eodem continentur libello. Precamur quoque lectores omnes, cunctosque iudices & sapientes, ut non ea sinistra interpretatione ullo unquam tempore dignentur exponere, aut quemquam iniustè iudicare, vel eo quòd non sint quaedam ex his iuxta regulam Grammaticae artis composita reprehendere: sed pro ipsis Principibus, eorumque & sanctae Dei ecclesiae fidelibus, qui haec eadem simul cum eis tractaverunt, atque pro nobis, qui ea colligere ac describere certavimus, orare studeant, & iam dicta Capitula pariter nobiscum & cum illis amplecti, venerari, amare, legibusque tenere decertent, annuente Domino, ut parem omnes ex hoc mercedem habere mereamur. Amen.

VERSVS DE PRÆDICTIS PRINCIPIBVS.

AVrea progenies felici stemmate pollens,
    Francorum virtus, perpetuumque decus.
Pipinus quondam micuit sublimiter, atque
    Carlomannus agens quae placuêre Deo.
Censores etenim veri pietatis amore
    Ecclesiæ leges instituêre sacras.
Quas dum Lector ovans descriptas legerit isthic,
    Nec minus & iura posteriora legat.
Hinc Cæsar Karolus divino munere fretus,
    Nobiliter proceres rexit in orbe suos.
Quorum sceptra piis unà moderatus habenis,
    Cunctorum vicit inclyta gesta patrum.
Virtutum gemmis David, reliquosque secutus,
    Insigni fama fulsit ubique sui.
Quid memorem multas domuit quas denique gentes,
    E queîs & remeans clara trophæa tulit.
Nec mirum: coluit dum Regis iussa superni,
    Decernens sanctis iura tenenda viris.
Ob quæ promeruit cœlestia scandere regna:
    Quà quoque percepit præmia larga satis.
Inde Hludovicus regno successit avito,
    Eximius Princeps, divus, & orbis apex.
Augusto nituit sub quo Germania cultu,
    Cultori tribuens commoda multa sua.
Pacis amator enim Cæsar, pietatis & almæ,
    Consuluit populis, plebibus atque suis.
Scilicet ut Regum renovans sancita priorum,
    Prudenter titulos adderet ipse pios.
Quapropter moriens penetravit sydera cœli,
    Solvens præcelso cantica digna Deo.
Hinc etiam sequitur suboles veneranda per orbem,
    Ipsius insigni nomine digna patris.

Hludo-

Hludovicus enim fluvii cis littora Rheni
Imperat, & gentes comprimit ecce feras.
Necnon Hlotharius parili ditione potitus,
Francorum Cæsar sceptra tremenda vehit.
Tum Karolus regnum Gallorum sorte retentat,
Nomen avi referens auxiliante Deo.
Nos quibus illa tenent terni quæ iura libelli,
Obtulimus scripta semper habenda sibi.
Quorum norma docet iugiter nos vivere rectè,
Et studiis Domino ritè placere piis.
Hæc resecant pravos æquo moderamine mores,
Vivendi normam contribuendo piis.
Namque patrant multi funestas sæpe rapinas,
Nonnulli violant templa dicata Deo.
Sunt alii scelerum fœdati labe suorum,
Fistula quos omnes commemorare nequit.
Sed cohibet tales legum censura sacrarum,
Decretisque vetat ista patrare piis.
Ergo duces laudare decet per carmina fortes,
Munere virtutum qui micuêre sacro.
Francia sub quorum sceptris tutissima mansit
Libertate vigens, colla superba terens.
Quam variæ gentes dominam timuêre severam:
Vtpote quas armis cæpit ovando suis.
Vnde sibi nomen meruit, decus atque perenne,
De victis populis celsa trophæa ferens.
Cœlestis patriæ donati munere Reges
Exultant iugiter, & sine fine canunt:
Alta poli cuius subierunt culmina læti,
Quos devota chelys iam resonavit ovans.
Felices nimium, quos aula beata receptans
Cœlicolis iunxit civibus ipsa libens.
Non ibi iam metuunt furvas nocuasque tenebras,
Quin potius veræ lucis amœna vident.
Sic Euangelici testatur pagina bibli,
Quod mundi lumen sit Deus altitonans.
Hoc iubar exhilarat superorum corda virorum,
Irradiansque procul nubila tetra fugat.
Hoc etiam vatum cecinit pulcherrimè quidam
Olim, quòd Dominus lux sit amanda Deus.
Cui decus & virtus, laus & veneratio semper,
Imperiumque manet cuncta per æva sacrum.
Ipse tibi tribuat prolixæ tempora pacis,
Credita qui plebi fersque talenta tibi.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI QUINTI.

XXV. *De*

LVI. *Item de pœnitentium absolutione, ut per manus impositionem Episcoporum, vel sacerdotum precibus fiat.*

LVII. *Vt pœnitens ostensis pœnitentiæ fructibus communionem recipiat.*

LVIII. *Vt pœnitentes tempore, quo pœnitentiam petunt, super caput cilicium à sacerdote consequantur.*

LIX. *Vt omni tempore ieiunii manus pœnitentibus à sacerdote imponatur.*

LX. *Vt lapsi per manus impositionem Episcopi absolvantur.*

LXI. *Vt pœnitentes communicent, qui ante reconciliationem moriuntur.*

LXII. *Vt criminalia peccata multis ieiuniis, & crebris manus impositionibus à sacerdotibus purgentur.*

LXIII. *Vt pœnitentibus iuxta canonicam authoritatem pœnitentia detur, & ante suspensos à communione excubare faciant ad Ecclesiæ officium.*

LXIIII. *De his, qui separati à communione fuerint, pœnitentibus.*

LXV. *Ne in confinio mortis pœnitens à reconciliatione diutinè suspendatur: & ut oblatio eius, qui pœnitens necdum reconciliatus de hac vita exierit, ab Ecclesia receptetur.*

LXVI. *De presbyteris, vel diaconibus graviori noxa convictis.*

LXVII. *De pœnitentibus, qui ex gravioribus levioribúsve commissis pœnitentiam gerunt.*

LXVIII. *De his, qui convivio solo gentilium, & escis immolatitiis usi sunt.*

LXIX. *Vt pœnitentes, qui ex gravioribus peccatis pœnitentiam gerunt, tribus annis sint inter audientes, si veram pœnitentiam gesserint.*

LXX. *De catechumenis non prætereundis.*

LXXI. *Vt qui pœnitentiam publiee gerunt, uno anno cum concilio sint inter audientes.*

LXXII. *De pœnitentibus transgressoribus.*

LXXIII. *Vt pœnitentibus absque personarum acceptione pœnitentia detur.*

LXXIIII. *De negligentioribus pœnitentibus.*

LXXV. *De eo, qui pœnitentiam in infirmitate petit.*

LXXVI. *Vt pœnitentes non se credant absolutos, nisi per manus impositionem.*

LXXVII. *De pœnitentibus, qui antequam leges pœnitentiæ exsequantur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint.*

LXXVIII. *De loco monasteriorum, vel ædificiis providendis.*

LXXIX. *Vt Episcopi sciant qualiter canonici, qui sunt cum abbatibus, vivant.*

LXXX. *Vt presbyteri chrisma diligenter custodiant.*

LXXXI. *Vt presbyteri utantur assiduè orariis.*

EXPLICIVNT CAPITVLA.

INCIPIT
LIBER QVINTVS.

EPISTOLA ZACHARIÆ PAPÆ FRANCIS ET GALLIS DIRECTA.

ZACHARIAS Papa universis Episcopis, presbyteris, diaconibus, Abbatibus, cunctis etiam Ducibus, Comitibus, omnibusque Deum timentibus per Gallias, & Francorum provincias constitutis. Referente nobis reverendissimo atq; sanctissimo fratre nostro Bonifacio Episcopo, quòd dum synodus aggregata esset in provincia vestra iuxta nostram commonitionem, mediantibus filiis nostris Pipino & Carlomanno Principibus vestris, peragente etiam vice nostra metropolitano Bonifacio, Dominus illuminasset corda vestra cum Principibus vestris in prædicationem eius, ut omnibus commonitionibus eius obediretis & falsos, & schismaticos, & homicidas, & fornicarios à vobis expelleretis sacerdotes, omnipotenti Deo nostro gratias egimus: & pro vobis incessanter sumus orantes, ut qui cœpit in vobis opus bonum, perficiat usque in finem. Obsecro enim omnes vos coram Deo, ut eius commonitionibus firmiter obediatis. Ipsum enim vice nostra in partibus illis ad prędicandum constitutum habemus, ut vos Deo propitio ad viam perducat rectitudinis, & à cunctis facinoribus salvi esse possitis. Habuistis enim peccatis facientibus nunc usq; falsos & erroneos sacerdotes: unde & cunctæ paganæ gentes vobis pugnantibus prævalebant, quia non erat differentia inter laicos & sacerdotes, quibus pugnare licitum non est. Qualis enim victoria datur, ubi sacerdotes una hora dominica pertractant mysteria, & Christianis dominicum porrigunt corpus, pro suarum animarum redemptione: & post Christianos, quibus hoc ministrare debuerant, aut paganos quibus Christum prædicare, propriis sacrilegisq; manibus necant? præcipuè dicente eis Domino: *Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo condietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Et dum hæc ita sint, & tales in vobis fuerint sacerdotes, quomodo victores contra vestros inimicos esse poteritis? Nam si mundos & castos ab omni fornicatione & homicidio liberos habueritis sacerdotes, ut sacri præcipiunt canones, & nostra vice prædicat præfatus Bonifacius, frater noster, & ei in omnibus obedientes extiteritis, nulla gens ante conspectum vestrum stabit: sed corruent ante faciem vestram omnes paganæ gentes, & eritis victores, insuper benè agentes vitam possidebitis æternam.

Vos autem charissimi fratres, qui estis veri sacerdotes, vel sub regulari disciplina constituti, sic vosmetipsos exhibete, ut decet ministros Dei, & dispensatores ministeriorum Dei, ut non vituperetur ministerium nostrum: ne fiat in vobis sicut scriptum est. *Erit sicut populus, sic & sacerdos.* Nam si hoc fuerit, qualis vobis erit ab hominibus laus? aut qualis à Deo expectabitur retributio? Sed sic vos corrigite, ut veri sacerdotes: & tales ad sacerdotium provehite, ut & vobis, & illis testimonium maneat bonum ab his, qui foris sunt: quatinus ab hominibus vobis acquiratis laudem, & à Deo mercedis præmium in æterna beatitudine percipere mereamini, eo quòd per vos ad Christi perducti sunt rectam fidem populi multi, innoxios habentes sacerdotes. Ad synodum quoque omni anno convenite, ad pertractandum de unitate Ecclesiæ: ut si quid adversi acciderit, radicitus amputetur, & Dei Ecclesia maneat inconcussa. Benè valete.

II. *Incipit Synodus cum actibus suis iussione Apostolica à sancto Bonifacio, & Francorum Episcopis, sub Carlomanno Duce habita, anno incarnationis Dominicæ* DCCXLII.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi, ego Carlomannus Dux & Princeps Francorum, anno ab incarnatione Christi septingentesimo quadragesimo secundo, XI. Kal. Maias, cum consilio servorum Dei & optimatum meorum, Episcopos qui in regno meo sunt cum presbyteris ad concilium & synodum pro timore Christi congregavi: id est, Bonifacium Archiepiscopum, & Burchardum, & Regenfridum, & Gaintanum, & Witbaldum, & Dadanum, & Eddanum, ac reliquos Episcopos cum presbyteris eorum, ut mihi consilium dedissent, quomodo lex Dei & Ecclesiastica religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum dissipata corruit: & qualiter populus Christianus ad salutem animi pervenire possit, & per falsos sacerdotes deceptus non pereat. Et per consilium sacerdotum & optimatum meorum ordinavimus per civitates Episcopos, & constituimus super eos Archiepiscopum Bonifacium, qui est missus sancti Petri. Statuimusque per annos singulos synodum congregare, ut nobis præsentibus canonum decreta, & ecclesiæ iura restaurentur, & religio Christiana emendetur. Fraudatas pecunias Ecclesiarum ecclesiis restituimus, & reddidimus: falsos verò presbyteros, & adulteros, vel fornicatores diaconos & clericos, de pecuniis ecclesiarum abstulimus, & degradavimus, & ad pœnitentiam coëgimus. Servis Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum, & in hostem pergere omnino prohibemus: nisi illis tantummodo, qui propter divinum ministerium, missarum scilicet sollemnia adimplenda, & sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt. Id est, unum vel duos presbyteros cum capellanis presbyteris Princeps secum habeat: & unusquisq; præfectus unum presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus indicere pœnitentiam possit. Necnon & illas venationes, & syl-

& sylvaticas vagationes cum canibus, omnibus servis Dei interdiximus: similiter ut acceptores & falcones non habeant. Decrevimus quoque iuxta sanctorum canones, ut unusquisque presbyter in parochia habitans, Episcopo subiectus sit, & semper in quadragesima rationem & ordinem ministerii sui, sive de baptismo, sive de fide catholica, sive de precibus, & ordine missarum Episcopo reddat & ostendat. Et quandocunque iure canonico Episcopus circumeat parochiam ad populos confirmandos, presbyter semper paratus sit ad suscipiendum Episcopum, cum collectione & adiutorio populi, qui ibi confirmari debet. Et in cœna Domini semper novum chrisma accipiat ab Episcopo: & ut Episcopo testis adsistat castitatis, & vitæ, & fidei, & doctrinæ illius. Statuimus etiam, ut secundum canonicam cautelam omnes undecunque supervenientes ignoti Episcopi vel presbyteri ante probationem synodalem in Ecclesiasticum ministerium non admittantur. Decrevimus quoque, ut secundum canones unusquisque Episcopus in sua parochia sollicitudinem habeat, adiuvante graphione, qui defensor Ecclesiæ eius est, ut populus Dei paganias non faciat; sed ut omnes spurcitias gentilitatis abiiciat & respuat, sive profana sacrificia mortuorum, sive sortilegos, vel divinos, sive phylacteria, & auguria, sive incantationes, sive hostias immolatitias, quas stulti homines iuxta ecclesias ritu pagano faciunt, sub nomine sanctorum Martyrum vel Confessorum, Deum & sanctos suos ad iracundiam provocantes: sive illos sacrilegos ignes, quos nodfyrs vocant, sive omnes, quæcunque sunt paganorum observationes diligenter prohibeant. Statuimus similiter ut post hanc synodum, quæ fuit xi. Kalen. Maias, ut quisquis servorum Dei, vel ancillarum Christi, in crimen fornicationis lapsus fuerit, in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua: & si ordinatus presbyter sit, duos annos in carcere permaneat, antea flagellatus & scorticatus, & post Episcopus adaugeat. Si autem clericus, aut monachus in hoc peccatum ceciderit, post tertiam verberationem in carcerem missus, vertentem annum ibi pœnitentiam agat. Similiter & nonnæ velatæ eadem pœnitentia contineantur, & radantur omnes capilli capitis earum. Decrevimus quoque, ut presbyteri vel diaconi non sagis laicorum more, sed casulis utantur ritu servorum Dei: & nullus in sua domo mulierem habitare permittat. Et ut monachi, & ancillæ Dei monasteriales, iuxta regulam sancti Benedicti ordinate vivere studeant, & vitam propriam gubernare, secundum prædicti patris ordinationem non neglegant.

III. *Item altera synodus à supradictis Episcopis ac Principe, Apostolica authoritate Kal. Mart. ad Liptinas habita.*

Modo in hoc synodali conventu, qui congregatus est Kal. Mart. in loco, qui dicitur Liptinæ, omnes venerabiles sacerdotes Dei, & Comites, & præfecti, prioris synodi decreta consentientes firmaverunt, seq; ea implere velle & observare promiserunt. Et omnis Ecclesiastici ordinis clerus, Episcopi, & presbyteri, & diaconi cum reliquis clericis, suscipientes antiquorum patrum canones, promiserunt se velle Ecclesiastica iura moribus, &

doctrinis, & ministerio recuperare. Abbates verò & monachi receperunt regulam sancti Patris Benedicti, ad restaurandam normam regularis vitæ. Fornicatores namque, & adulteros clericos, qui sancta loca vel monasteria antè tenentes coinquinaverunt, præcepimus inde tollere, & ad pœnitentiam redire. Et si post hanc diffinitionem in crimen fornicationis vel adulterii ceciderint, prioris synodi iudicium sustineant. Similiter & monachi, & nonnæ. Statuimus quoque cum consilio servorum Dei & populi Christiani, propter imminentia bella & persecutiones multarum gentium, quæ in circuitu nostro sunt, ut sub precario & censu aliquam partem ecclesialis pecuniæ in adiutorium exercitus nostri cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus ea conditione, ut annis singulis de unaquaque casata solidus, id est, duodecim denarii ad ecclesiam vel monasterium reddantur: eo modo, ut si moriatur ille, cui pecunia commendata fuit, ecclesia cum propria pecunia revestita sit. Et iterum si necessitas cogat, aut Princeps iubeat, precarium renovetur, & rescribatur novum; & omnino observetur, ut Ecclesiæ vel monasteria penuriam & paupertatem non patiantur, quorum pecunia in precario præstita sit: sed si paupertas cogat, Ecclesiæ & domui Dei reddatur integra possessio. Similiter præcipimus, ut iuxta decreta canonum, adulteria, & incesta matrimonia, quæ non sunt legitima, prohibeantur & emendentur Episcoporum iudicio: & ut mancipia Christiana paganis non tradantur. Decrevimus quoque, quod & pater meus antè præcipiebat, ut qui paganas observationes in aliqua re fecerit, mulctetur & damnetur quindecim solid.

IIII. *De eo, qui à presbytero non baptizato baptizatus est.*

SI quis baptizatus est à presbytero non baptizato, & sancta Trinitas in ipso baptismo invocata fuit, baptizatus est, sicut Sergius Papa dixit. Impositione verò manus indiget. Gregorius Episcopus Romanus, & Ioannes Sacellarius sic senserunt.

V. *De eo, qui filiastrum aut filiastram ante Episcopum tenuerit.*

SI quis filiastrum ac filiastram suam ante Episcopum ad confirmationem tenuerit, separetur ab uxore sua, & alteram non accipiat. Similter & mulier alterum non accipiat. Gregorius sensit.

VI. *De his, qui propter faidam in alias patrias fugiunt.*

QVi propter faidam fugiunt in alias patrias, & dimittunt uxores suas: nec ille vir, nec illa fœmina accipiant alterum coniugium. Gregorius sensit.

VII. *De incestis.*

SI homo incestum commiserit cum Deo sacrata, aut cum matre sua, aut cum matrina sua de fonte aut confirmatione, aut cum matre & filia, aut cum duabus sororibus, aut cum matris filia, aut cum sororis filia, aut cum nepte, aut cum consobrina, aut cum amita, vel matertera, aut cum his, quibus canones prohibent copulare, de istis criminibus pecuniam suam perdat, si ha-

si habuerit. Et si hæc emendare noluerit, nullus eum recipiat, nec cibum donet: & si fecerit, LX. solidos componat domno Regi, usq; dum ipse homo se correxerit. Et si pecuniam non habuerit, si liber est mittatur in carcerem usque ad satisfactionem. Si autem servus, aut libertus est, vapuletur plagis multis. Et si dominus suus eum permiserit amplius in talem lapsum cadere, ipse LX. solidos domno Regi componat. De reliquis verò propinquis, iuxta constituta sanctorum patrum, & iuxta decreta canonum iudicetur.

VIII. *De Ecclesiasticis viris.*

SI Ecclesiastici viri supradicta facinora commiserint, si honorabilis persona fuerit, perdat honorem suum: minores verò vapulentur, aut in carcerem mittantur.

IX. *De presbyteris & clericis, ut archidiaconus eos convocet ad synodum.*

DE presbyteris & clericis sic ordinavimus, ut archidiaconus Episcopi eos ad Synodum convocet: & si quis ire contemserit, tunc Comes iussione Episcopi monitus eum distringere faciat, ita ut ipse presbyter, aut defensor suus, LX. solidos componat, & ad synodum post ea, velit nolit veniat: & Episcopus ipsum presbyterum vel clericum iuxta canonicam auctoritatem diiudicare faciat. Solidi verò LX. de ipsa causa in sacellum domini Regis veniant.

X. *De eo, qui misso Episcopi contradixerit, vel presbytero aut clerico, incestuosum.*

SI aliqua persona per violentiam presbytero, aut clerico, vel misso Episcopi incestuosum contradixerit, tunc Comes ipsam personam per fideiussores positam ante Regem faciat venire, una cum missis Episcopi, ut domnus Rex ita eos distringat, ut ceteri emendentur.

XI. *De his, qui res Ecclesiasticas verbo domni Regis tenent.*

DE illis hominibus qui res Ecclesiasticas per verbum domni Regis tenent, sic ordinatum est, ut illas ecclesias unde sunt, vel illas domos Episcopii vel monasterii, cuius esse noscuntur, iuxta quod de ipsis rebus tenent, emendare debeant: & illos census, vel illas decimas, ac nonas ibidem dare pleniter debeant, sicut eis ad vernum ordinavimus, & qui hoc non fecerit, ipsas res perdat.

XII. *Ut presbyteri qui vicos vel ecclesias tenent, ceram vel alios census ad matrem civitatis ecclesiam persolvant, sicut consuetudo fuit.*

VT hi, qui illos vicos vel illas ecclesias tenent, illos census vel illam ceram, quæ longo tempore ad illud Episcopium reddiderunt, modo sic ordinavimus, ut sic faciant: & qui hoc non fecerit, LX. solid. componat.

XIII. *De immunitatibus servandis.*

VT immunitates pleniter conservatæ sint.

XIIII. *De iustitiis faciendis.*

VT omnes iustitias faciant, tam publici, quam Ecclesiastici. Et si aliquis homo ad palatium venerit pro causa sua, & antea suo Episcopo, suisque ministris, quæ Ecclesiastica sunt, & quæ secularia suo Comiti non innotuerit in mallo ante Rachinburgios, aut si causa sua ante Comitem in mallo fuit, & ante Rachinburgios, & hoc sustinere noluerit, quòd ipsi legitime iudicaverint, si pro istis causis ad palatium venerit, vapuletur: & si maior persona est, legem exinde faciat.

XV. *De ecclesiasticis viris, qui se reclamantes ad palatium veniunt.*

SI ecclesiastici viri ad palatium venerint de eorum causis se reclamare, nisi super eorum seniore, vapulentur: nisi senior suus eos pro causa sua transmiserit.

XVI. *De muliere, quæ sine licentia viri sui velum in caput miserit.*

MVlier si sine comiatu viri sui velum in caput suum miserit, si viro suo placet, recipiat eam iterum ad coniugium.

XVII. *De eo, qui filiastram suam contra voluntatem ipsius dederit viro ingenuo vel servo.*

SI quis homo filiastram suam contra voluntatem ipsius, & matris, & parentum dederit viro ingenuo, aut Ecclesiastico, vel servo, & illa noluerit habere ipsum, & reliquerit eum, potestatem habeant parentes illius, dare illi alium maritum: & si iam maritum habet, non separetur.

XVIII. *De fœmina ingenua, quæ servum accepit.*

SI fœmina ingenua accipit servum, sciens quòd servus esset, habeat eum. Vna enim lex erit & viro & fœminæ.

XIX. *De eo, qui habet mulierem legitimam, si frater eius adulteraverit cum ea.*

SI quis homo habens mulierem legitimam, si frater eius adulteraverit cum ea, ille frater vel illa fœmina, qui quæve adulterium perpetraverunt, interim quo ad vivunt, nunquam habeant amplius coniugium: ille verò, uxor cuius fuit, si vult potestatem habet uxorem accipere aliam.

XX. *Vt sacerdotes vel clerici ad secularia negotia relicto Episcopo suo non convolent.*

QVòd non oporteat sacerdotes vel clericos, habentes adversus invicem negotia, proprium Episcopum relinquere, & ad secularia negotia convolare.

XXI. *Vt presbyteri & diaconi præter Episcopum nihil agant.*

PResbyteri & diaconi præter Episcopum nihil agere pertentent.

XXII. *De eo, qui oblata dederit, vel acceperit, præter Episcopi iussionem.*

SI quis oblata dederit vel acceperit præter Episcopum, vel eum qui cõnstitutus est ab eo, ad dispensandam misericordiam pauperibus, & qui dat, & qui accipit, anathema sit.

XXIII. *Cum excommunicatis non licere communicare.*

CVm excommunicatis non licere communicare: nec cum his, qui per domos conveniunt, devitantes orationes Ecclesiæ, simul orandum esse. Ab alia Ecclesia non suscipiendum, qui in illa minimè congregatur.

XXIIII. *De eo, qui ecclesiam Dei conturbat.*

SI quis Ecclesiam Dei conturbare & sollicitare persistit, tanquam seditiosus per potestates exteras opprimatur.

XXV. *De monachis in civitate vel regione qualibet positis, ut Episcopo suo subiecti sint.*

MOnachos per unamquamque civitatem aut regionem subiectos esse Episcopo suo, & quietem diligere, & intentos esse tantummodo ieiunio & orationi, in locis quibus renuntiaverunt seculo permanentes. Nec ecclesiasticis verò, nec secularibus negotiis communicent, vel in aliquo sint molesti, propria monasteria deserentes: nisi fortè eis præcipiatur, propter opus necessarium ab Episcopo civitatis.

XXVI. *Vt clericus in ecclesia, in qua prætitulatus est, permaneat.*

CLericum permanere oportet in Ecclesia, cui in initio ab Episcopo prætitulatus ac sortitus est, & ad quam confugit quasi ad potiorem. Hoc autem refutantem revocari debere ad suam Ecclesiam, in qua primitus ordinatus est, & ibi tantummodo ministrare. Si quis hanc diffinitionem transgressus fuerit, decrevit sancta synodus à proprio gradu recedere.

XXVII. *Vt Episcopus curam monasteriorum gerat.*

EPiscopum convenit civitatis competentem monasteriorum providentiam gerere.

XXVIII. *De eo qui excommunicatus pro suo neglecto fuerit.*

SI quis excommunicatus fuerit pro suo neglecto, & tempore excommunicationis suæ ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationis iudicetur protulisse sententiam.

XXIX. *Vt presbyteri rem ecclesiæ non vendant.*

PLacuit, ut presbyteri non vendant rem Ecclesiæ, ubi sunt constituti, nescientibus Episcopis suis.

XXX. *Vt manumißiones in ecclesia celebrentur.*

MAnumissiones in Ecclesia sunt celebrandæ.

XXXI. De *defensoribus ecclesiarum ab Imperatore poscendis.*

DEfensores Ecclesiarum adversus potentias secularium vel divitum ab Imperatore sunt poscendi.

XXXII. *Vt nullus sacerdos canones ignoret.*

NVlli sacerdoti liceat canones ignorare.

XXXIII. *Quid de presbyteris criminosis, de quibus approbatio non est, agendum sit.*

ET hoc nobiscum magno studio pertractandum est, quid de illis presbyteris criminosis unde adprobatio non est, & semper negant, faciendum sit. Nam hoc sæpissimè à nobis, & progenitoribus atque antecessoribus nostris ventilatum est, sed non ad liquidum hactenus definitum. Vnde ad consultandum patrem nostrum Leonem Papam sacerdotes nostros mittimus, & quidquid ab eo, vel à suis perceperimus, vobis unà cum illis, quos mittimus, renuntiare non tardabimus. Vos interdum vicissim tractate attentius, quid ex his vobiscum constituamus, una cum prædicti sancti patris institutionibus, ut murmur cesset populi, & nos in satisfacientes illæsi, Domino auxiliante, ab utrisque maneamus. Sequitur constitutio memorata.

XXXIIII. *De sacerdotum purgatione ex Capitulari domni Karoli.*

OMnibus vobis visu aut auditu notum esse non dubitamus, quod sæpissimè suadente antiquo hoste sacerdotibus crimina diversa obiiciantur, sed quoniam qualiter ex eis ab his rationabilis examinatio & satisfactio fiat, licet tempore bonæ memoriæ domni genitoris nostri Pipini, sive priscis temporibus à sanctis patribus, & reliquis bonæ devotionis hominibus sæpissimè ventilatum fuerit, nos tamen pleniter & ad liquidum definitum reperire minimè quivimus. Nostris quippe temporibus idipsum à sanctis Episcopis, & reliquis sacerdotibus, & ceteris Ecclesiasticæ dignitatis ministris nostris in regnis, seu in aliis Deo degentibus, nobisque una cum eis agentibus, sæpissimè propter multas & nimias reclamationes, quæ ex hoc ad nos ex diversis partibus venerunt, ventilatum est: sed qualiter consultu domni & patris nostri Leonis Apostolici, cæterorumque Romanæ Ecclesiæ Episcoporum, & reliquorum sacerdotum, sive orientalium & Græcorum Patriarcharum, & multorum sanctorum Episcoporum & sacerdotum, necnon & nostrorum Episcoporum, omniumque ceterorum Sacerdotum ac Levitarum auctoritate & consensu, atque reliquorum fidelium, & cunctorum consiliariorum nostrorum consultu definitum est, vobis omnibus utriusque ordinis ministris scire volumus. Statutum est namque ratione & necessitate aut auctoritate prædicta consultu omnium, ut quotiescunque cuiquam sacerdoti crimen imponitur, si ipse accusatot talis fuerit, ut recipi debeat.

debeat. Quia quales ad accusationem sacerdotum admitti debeant, in canonibus pleniter expressum est. Si autem, ut dictum est, ille accusator, qui canonicè est recipiendus, eum cum legitimo numero verorum & bonorum testium approbare in conspectu Episcoporum poterit, tunc canonicè diiudicetur: & si culpabilis inventus fuerit, canonicè damnetur. Si verò eum suprascripto prætextu approbare ipse accusator minimè poterit, & hoc canonicè definiatur. Ipse ergo sacerdos, si suspitiosus, aut incredibilis suo Episcopo, aut reliquis suis consacerdotibus, sive bonis & iustis de suo populo, vel de sua plebe hominibus fuerit, ne in crimine aut in prædicta suspitione remaneat, cum tribus aut quinque vel septem bonis ac vicinis sacerdotibus, exemplo Leonis Papæ, vel eo amplius, si suo Episcopo visum fuerit, aut necesse propter tumultum populi inesse prospexerit, & cum aliis bonis & iustis hominibus se sacramento coram populo super quatuor Euangelia dato, purgatum Ecclesiæ reddat. Si quis autem scire desiderat, quales testes ad accusationem sacerdotum recipi debeant, & quidquid de accusatore faciendum sit, pleniter in canonibus reperire poterit.

XXXV. *De eo, qui confitetur de crimine.*

MAnifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto & delegato iudicio purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest, utrum in præsenti examine omnia, quæ dicta sunt de eo, comprobentur, cum ipsa absentia pro confessione constat.

XXXVI. *De usuris.*

VSuram non solum clerici, sed nec laici Christiani exigere debent.

XXXVII. *De ordinatione presbyterorum.*

VT presbyteri non ordinentur, priusquam examinentur. Et ut ante ordinationem pleniter & studiosissimè instruantur, qualiter se à vitiis cavere debeant, & qualiter subditos doceant, ne torpentes vel hebetes in doctrina sancta, vel vitio malæ famæ eorum neglectu vel aliqua mala similitudine, quod absit, aspergantur: quoniam detractio sacerdotum ad Christum pertinet, cuius & ministri vel nuntii esse noscuntur. Quia nimis graviter peccant, qui sacerdotes & ministros Christi detrahunt: quoniam testante Euangelica tuba, *melius est unicuique, ut suspendatur mola asinaria collo eius, & demergatur in profundum maris, quam scandalizet unum de pusillis*, Christi videlicet ministris. Et alibi: *qui vos recipit, me recipit: & qui vos spernit, me spernit.* Et ut hoc detractionis & scandali peccatum omnes summopere caveant, obnixè monemus, & coram Deo testamur, & sicut Dei fideles rogamus, ne Christi detrahant ministros. Similiter & Christi Domini nostri ministros, & sacerdotes, nostrosque magistros monemus, ne locum subditis tribuant detrahendi: quia qui detrahit fratrem suum, homicida est: & peior legitur esse detractio, quam fornicatio. Ideo monemus, & præcipuè rogamus, ne fiat: ne absque gladio, aut vulnere corporis aliquo, quisquam homicida inveniatur. Et sicut de

hominibus corporaliter occisis iudicare decrevimus, sic & de illis, qui ex hoc detractionis scelere detecti coram nobis fuerint, peragi Domino annuente decernimus: ut pax Ecclesiarum, inquantum Dominus auxilium dederit, in finibus & regionibus nobis à Deo commissis nulla turbetur tempestate detractionum atque bellorum.

XXXVIII. *De presbyteris, qui agenda in domiciliis celebraverint.*

STatutum est, ut si quis presbyter in domiciliis agenda celebraverit, sine licentia & consilio sui Episcopi, honore sacerdotali privetur.

XXXIX. *Vt omnes clerici Episcopis suis subiecti sint.*

VT omnes presbyteri, diaconi, & subdiaconi sub potestate Episcopi maneant.

XL. *De ordine sacerdotum.*

VT nullus presbyter præsumat in alia parochia baptizare, nec missas celebrare sine iussione Episcopi, in cuius parochia est. Et omnes presbyteri ad concilium Episcopi conveniant. Et si hoc quod superius comprehensum est, facere contempserint, secundum suam canonicam institutionem iudicentur tàm ipsi, quam & defensores eorum.

XLI. *De eo, qui non confitetur Dei verbum passum carne.*

SI quis non confitetur Dei verbum passum carne, & crucifixum carne, & mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis, secundum quod vita est, & vivificatur ut Deus, anathema sit.

XLII. *De modis excommunicationis: tàm de clericis, quàm de laicis.*

SI quis presbyter ab Episcopo suo degradatus, vel excommunicatus fuerit, & ipse per contemptum postea aliquid de suo officio sine comiatu facere præsumpserit, & postea ab Episcopo correptus, & excommunicatus fuerit, qui cum ipso communicaverit scienter, sciat se esse excommunicatum similiter. Quicunque clericus, vel laicus, aut fœmina incestum commiserit, & ab Episcopo suo correptus se emendare noluerit, & ab ipso excommunicatus fuerit, qui postea cum ipso communicaverit, similiter excommunicetur. Et ut sciatis, qualis sit modus istius excommunicationis: in Ecclesiam non debet intrare, nec cum ullo Christiano cibum vel potum sumere: nec eius munera quisquam accipere debet, vel osculum porrigere, nec in oratione se iungere, nec salutare, antequam ab Episcopo suo sit reconciliatus. Quòd si aliquis se reclamaverit, quòd iniustè sit excommunicatus, licentiam habeat ad metropolitanum Episcopum venire, ut ibidem secundum canonicam institutionem diiudicetur: & interim suam excommunicationem custodiat. Quòd si aliquis ista omnia contempserit, & Episcopus hoc minimè emendare potuerit, Regis iudicio exilio condemnetur.

XLIII. De

XLIII. *De his, qui sine consensu Episcopi presbyteros in Ecclesiis constituunt, vel de Ecclesiis eiiciunt.*

DE his, qui sine consensu Episcopi presbyteros in Ecclesiis suis constituunt, vel de Ecclesiis eiiciunt, & ab Episcopo, vel quolibet misso dominico admoniti obedire noluerint, ut bannum nostrum rewadiare cogantur, & per fideiussores ad palatium nostrum venire iubeantur: & tunc nos decernemus, utrum nobis placeat, ut aut illum bannum persolvat, aut aliam armiscaram sustineat.

XLIIII. *De Ecclesiis inter coheredes divisis.*

DE Ecclesiis quæ inter coheredes divisæ sunt, consideratum est, quatinus si secundum providentiam & admonitionem Episcopi ipsi coheredes eas voluerint tenere, & honorare faciant. Sin autem hoc contradixerint, ut in Episcopi potestate maneat, utrum eas ita consistere permittat, aut reliquias exinde auferat. Et ubi ad nostrum beneficium Ecclesiæ pertinentes ita divisæ inventæ fuerint, ut describantur, & nobis renuntietur.

XLV. *De manso ad Ecclesiam dato.*

DE uno manso ad Ecclesiam dato, de quo aliqui homines contra statuta sibi servitium exigunt, quicunq; pro hac causa accusatus fuerit, Comes vel missi, hoc quod inde subtractum est, presbyteris cum lege sua restituere faciant.

XLVI. *De his, qui decimas dare nolunt, nisi à se redimantur.*

DE decimis quas populus dare non vult, nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est, ne fiat. Et si quis contemptor inventus fuerit, & nec Episcopum, nec Comitem audire voluerit, si noster homo fuerit, ad præsentiam nostram venire compellatur: ceteri verò distringantur, ut inviti Ecclesiæ restituant, qui voluntariè dare neglexerunt.

XLVII. *De commutationibus utilibus permanendis, inutilibusq; delendis.*

VBicunq; cõmutationes tam tempore nostro, quam quæ genitoris nostri, legitimæ & rationabiles, atque utiles Ecclesiis Dei factæ sunt, permaneant. Vbicunque verò inutiles & incommodæ atque irrationabiles factæ sunt, dissolvantur, & recipiat unusquisque quod dedit. Vbi verò mortua manus interiacet, aut alia quælibet causa, quæ rationabilis esse videatur, inventa fuerit, diligenter describatur, & ad nostram notitiam perferatur.

XLVIII. *De Ecclesiæ consecratione, in qua mortuorum cadavera sunt sepulta.*

ECclesiam, in qua mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet; sed si apta videtur ad consecrandum, inde evulsis corporibus, & rasis vel lotis lignis eius reædificetur. Si hæc consecrata prius fuit, missas in ea celebrare licet; si tamen fideles fuerint, qui in ea sepulti sunt.

XLIX. *De officio laicorum.*

LAicus non debet in Ecclesia lectionem recitare, nec Alleluia dicere, sed Psalmum tantum, aut Responsoria sine Alleluia.

L. *De stultorum voto solvendo.*

EPiscopo licet votum solvere, si vult.

LI. *De non prodendo à presbyteris crimine Episcopi.*

PResbytero non licet peccatum Episcopi prodere, qui super eum est.

LII. *De manus impositione, & resolutione canonica.*

VT nemo sacerdotum populi sibi peccata confitentium sine auctoritate canonum iudicare præsumat, & ut quando unicuiq; quisquam sacerdos sibi scelera sua confitenti iuxta prædictum canonicum modum poenitentiam tribuit, nisi comam dimiserit, aut habitum mutaverit, manus ei secundum canonicam auctoritatem imponat, cum orationibus quæ in sacramento ad dandam poenitentiam continentur. Si verò occultè & spontè confessus fuerit, occultè fiat. Et si publicè ac manifestè convictus aut confessus fuerit, publicè ac manifestè fiat: & publicè coram Ecclesia iuxta canonicos poeniteat gradus. Post peractam verò secundum canonicam institutionem poenitentiam, occultè vel manifestè canonicè reconcilietur, & manus ei cum orationibus, quæ in sacramentario ad reconciliandum poenitentem continentur, imponatur, ut divinis precibus & miserationibus absolut[illegible] à suis facinoribus esse mereatur: quoniam sine manus impositione nemo absolvitur ligatus. Et ideo Dominus & magister noster discipulis suis, ac successoribus eorum ligandi ac solvendi dedit potestatem, ut peccatores ligandi habeant potestatem, & poenitentiam condignè agentes absolvi, atque peccata cum divina invocatione dimitti queant. Nec mirum hoc. Quia si homines servis suis dent potestatem de subdictis ligandi & solvendi, vel nocendi, & adiuvandi apud se, quanto magis Dominus omnium hominum hanc potestativè potestatem præpositis sanctæ Ecclesiæ dedit, dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt.*

LIII. *De poenitente, cuius crimen pervulgatum est.*

IN concilio Carthaginensi de eadem re præcipitur, ut si cuiusquam poenitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod universam commoverit Ecclesiam, ante absidem manus ei imponatur. Et alibi in canonibus, vel in decretalibus Leonis Papæ præcipitur de eadem re, ut absolutio poenitentum per manus impositionem Episcoporum supplicationibus fiat, & reliqua multa talia, & horum similia.

LIIII. *De poenitentibus, qui Eucharistiam acceperint in infirmitate positi.*

POEnitentes qui in infirmitate viaticum eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint.

LV. De

LV. *De remedio pœnitentiæ: & quod absolutio pœnitentium per manus impositionem Episcoporum supplicationibus fiat. Propter quod necesse est, ut reatus peccatorum ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur, etiamsi periculo mortis urgente statim post acceptionem pœnitentiæ & reconciliatio subsequatur.*

Exemplar Papæ Leonis ad Theodorum Foroiuliensem Episcopum.

MVltiplex misericordia Dei ita lapsis humanis subvenit, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ. Et qui regenerationis dona violarunt, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum perveniant, sic divinæ voluntatis præsidiis ordinatis, ut indulgentiam Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeant obtineri. Mediator enim Dei & hominum Dominus IHS. XPS. hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus pœnitentiæ sanctionem darent, & ab eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Cui utique operi incessabiliter ipse salvator intervenit, qui nunquam his abest, sicut ipse ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Qua de re innuitur, ut si quid per servitutem nostram bono ordine & grato impletur effectu, non ambigamus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum. Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus, quocunque interceptus obstaculo, munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit. Idcirco necesse est, nos eorum qui obierint merita actusque discutere, cum Dominus noster, cuius iudicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotum impleri ministerio non sivit, suæ iustitiæ reservavit; ita potestatem suam timeri volens, ut hic error omnibus prosit, & quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur. His autem qui tempore necessitatis periculis urgentibus præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda. Quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras conversio, dicente Dei spiritu per Prophetam: *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.* Et alibi: *Dic iniquitates tuas prior, ut iustificeris.* Item: *Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio.* In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec se accusantium gemitus lachrymasque negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo: *Ne forte det illis Deus pœnitentiam, ut resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.*

LVI. *Item de pœnitentium absolutione, ut per manus impositionem Episcoporum, vel sacerdotum precibus fiat.*

SI quis in periculo vel pace, aut infirmitate pœnitentiam acceperit, si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius eucharistia.

LVII. *Vt pœnitens ostensis pœnitentiæ fructibus communionem recipiat.*

VT pœnitens ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiat.

LVIII. *Vt pœnitentes tempore, quo pœnitentiam petunt, super caput cilicium à sacerdote consequantur.*

POEnitentes tempore, quo pœnitentiam petunt, impositionem manus super caput, & cilicium à sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur.

LIX. *Vt omni tempore ieiunii manus pœnitentibus à sacerdote imponatur.*

OMni tempore ieiunii manus pœnitentibus à sacerdotibus imponatur.

LX. *Vt lapsi per manus impositionem Episcopi absolvantur.*

NEc absolvendos lapsos in fide credamus, nisi per impositionem manus Episcopi.

LXI. *Vt pœnitentes communicent, qui ante reconciliationem moriuntur.*

PLacuit his, qui accepta pœnitentia ante reconciliationem migrant ad Dominum, communicari pro eo, quod honoraverunt pœnitentiam. Qui si supervixerint, stent in ordine pœnitentum, ut legitimam communionem statuto tempore, reconciliatione & manus impositione Episcopi, vel eius iussu presbyteri, recipiant.

LXII. *Vt criminalia peccata multis ieiuniis, & crebris manus impositionibus à sacerdotibus purgentur.*

CRiminalia peccata multis ieiuniis, & crebris manus sacerdotum impositionibus, eorumque supplicationibus, iuxta canonum statuta placuit purgari, ita ut nemo sine manus impositione Episcopi, aut eius iussu alicuius presbyteri se credat esse à suis facinoribus absolutum. Non est mirandum, si absolutio peccatorum per manus impositionem precibus fit sacerdotum, cum Dominus in veteri lege super caput hostiæ manum sacerdotis præceperit imponi. Etenim sicut tunc per illam hostiam, ita nunc invocatione sancti Spiritus, qui est remissio peccatorum, per manus Episcoporum, vel eorum auctoritate reliquorum sacerdotum, impositionem, supplicationibus eorum remittuntur peccata. Nam quando Dominus Lazarum suscitavit, ait suis discipulis, *Tollite lapidem*; subauditur, ut mortuus surgat: dans

dans exemplum, ut sicut ipsi manibus tollunt lapidem, ut mortuus surgat, ita ipsi & successores eorum manus pœnitentibus imponant: ut per impositionem manuum suis precibus mortuum à sepulchro, id est, peccatorē de vitiis surgere & relevare faciant. Et sicut illi prædictum Lazarum institis, id est, funibus colligatum, iubente Domino solvunt, qui ait: *Solvite illum, & sinite abire:* ita isti eorum supplicationibus auxiliante Domino, & comitante Spiritu sancto, qui in his semper operatur, per manus impositionem peccatorum solvant vincula; eosque tempore à sanctis patribus constituto sacra Eucharistia communicent, & absolutos ire permittant.

LXIII. *Vt pœnitentibus iuxta canonicam authoritatem pœnitentia detur, & ante suspensos à communione excubare faciant ad Ecclesiæ officium.*

VT secundum formam canonum pœnitentibus detur pœnitentia, & prius eos à communione suspensos ad ostium ecclesiæ excubare faciant, & inter reliquos pœnitentes ad manus impositionem crebro recurrere. Expleto autem satisfactionis tempore sacerdotali prece per manus impositionem iuxta ordinem sacramentorum & canonum reconcilient pœnitentes, & sacra communione confirment.

LXIIII. *De his, qui separati à communione fuerint, pœnitentibus.*

QVi à communione separantur in locis, quibus seclusi fuerant, per manus impositionem recipiant communionem. Nec se quisque à peccatis absolutum sine reconciliatoria manus impositione credat: sed per manus impositionem precibus sacerdotum reconcilietur, sicut auctoritas habet ecclesiastica.

LXV. *Ne in confinio mortis pœnitens à reconciliatione diutinè suspendatur: & ut oblatio eius, qui pœnitens necdum reconciliatus de hac vita exierit, ab Ecclesia receptetur.*

QVi pœnitentiam in mortis agit periculo, non diutinè à reconciliationis gratia differendus est. Sed si pro certo mortis urget periculum, pœnitentia per manus impositionem accepta, statim & reconciliatio adhibenda est: ne prius ab humanis rebus æger abscedat, quàm donum reconciliationis accipiat. Sicque superstitibus quodammodo doloris videtur esse perpetuum, si precisum ab Ecclesiæ membris eum, qui utique reconciliationis non meruit gratiam, raptim à præsenti vita mortis natura subduxerit. Vnde iuxta Papæ Leonis edictum his, qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia, pręsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis remedium implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire. De his autem, qui accepta pœnitentia antequam reconcilientur ab hac vita recesserint, quamquam diversitas præceptorum de hoc Capitulo

habeatur, illorum tamen nobis sententia placuit, qui multiplices numero de huiusmodi humanius decreverunt, ut & memoria talium in Ecclesiis commendetur, & oblatio pro eorum dedicata spiritibus accipiatur.

LXVI. *De presbyteris, vel diaconibus graviori noxa convictis.*

ITem confirmatum est, ut si quando presbyteri vel diaconi in aliqua graviore culpa convicti fuerint, qua eos à ministerio necesse sit removeri, non eis manus tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laicis, imponatur. Neque permittendum, ut rebaptizati ad clericatus gradum promoveantur.

LXVII. *De pœnitentibus, qui ex gravioribus levioribusve commissis pœnitentiam gerunt.*

DE pœnitentibus, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus, pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum, Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Ceterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est iudicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lachrymas corrigentis, ac tum iubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. Sanè si quis ægritudinem inciderit, atque usque desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschale relaxandum, ne de seculo absque communione discedat.

LXVIII. *De his, qui convivio solo gentilium, & escis immolatitiis usi sunt.*

QVi convivio solo gentilium, & escis immolatitiis usi sunt, possunt ieiuniis & crebris manuum impositionibus purgari: ut deinceps ab idolothytis abstinentes, sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem aut idola adoraverunt, aut homicidiis, vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos, nisi per pœnitentiam publicam, & per manus impositionem, sacerdotali prece sint reconciliati, non oportet admitti. Tempora pœnitudinis habita moderatione sunt constituenda, prout conversorum animos sacerdotes inspexerint esse devotos, pariter etiam habentes ætatis senilis intuitum, & periculorum quorumque aut ægritudinum respicientes necessitates. In quibus si quis ita graviter urgeatur, ut dum adhuc pœnitet, de salute ipsius desperetur, oportet ei per sacerdotalem sollicitudinem, id est, per manus impositionem, absolutione precum sacerdotalium communionis gratia subveniri.

LXIX. *Vt pœnitentes, qui ex gravioribus peccatis pœnitentiam gerunt, tribus annis sint inter audientes, si veram pœnitentiam gesserint.*

POEnitentes, qui ex gravioribus peccatis pœnitentiam gerunt, si ex corde pœniteant, sicut Nicæna synodus de lapsis constituit, tribus annis sint inter audientes: quinque verò vel septem annis subiaceant inter pœnitentes manibus sacerdotum. Duobus etiam oblationes modis omnibus non sinantur

nantur offerre, sed tantummodò populis in oratione socientur: nec confundantur Deo colla submittere, qui eum non timuerunt abnegare. Quòd si utpote mortales intra metas præscripti temporis cœperit vitæ finis urgere, subveniendum est implorantibus, seu ab Episcopo qui pœnitentiam dedit, seu ab alio, qui tamen datam esse probaverit: aut similiter à presbytero, iussu tamen aut permissu proprii Episcopi, per manus impositionem absolutione precum sacerdotalium viaticum abeuntibus de seculo non negetur. Pueris autem, quibus à puritate vocabulum est, seu clericis, seu laicis, aut etiam similibus puellis, quibus ignorantia suffragatur ætatis, aliquandiu sub manus impositione detentis, reddenda communio est. Quòd si ante præfinitum pœnitentiæ tempus desperati à medicis, aut evidentibus mortis pressi indiciis, recepta quiquam communionis gratia convaluerint, servemus in eis, quod Nicæni canones ordinarunt, ut habeantur inter illos, qui in oratione sola communicant, donec impleatur spatium temporis eisdem præstitutum.

LXX. *De catechumenis non prætereundis.*

NEc catechumeni prætereundi sunt: quia non est causa dissimilis, sicut idem sancti canones ordinaverunt. *Hi, qui quolibet modo Christum, quem semel confessi sunt, abiurarint, tribus annis inter audientes sint, & postea cum catechumenis permittantur orare, per manus impositionem communionis Catholicæ gratiam recepturi.*

LXXI. *Vt qui pœnitentiam publicè gerunt, uno anno cum cilicio sint inter audientes.*

QVi pœnitentiam publicè gerunt, debent unum annum esse cum cilicio inter audientes, vel usque ad magnum diem, & populo, quando intrat in Ecclesiam, perfusi lachrymis veniam postulare, precariq; qualiter septem annorum pœnitentia agatur cum humilitate, ut pro eis dignentur orare. Tribus verò annis subiaceant inter pœnitentes, manibus sacerdotum in loco retro ostium Ecclesiæ pœnitētibus constituto, & seorsum infra ipsam tamen Ecclesiam secluso: populo tamen iam non in terram prostrati, sed vultu & capite humiliato, humiliter & ex corde, ut supra dictum est, veniam postulent, & pro se orare exposcant. Duobus etiam annis oblationes modis omnibus non sinantur offerre: sed populo tantummodo in oratione socientur, ut perfectionem septimo in cœna Domini consequantur anno, id est, per Episcopi vel eius iussu, si ipse abest, aliorum sacerdotum manus impositionem absolutione, sacerdotalium precum, communionis catholicæ gratiam recepturi. In his verò septem annis multipliciter ieiuniis & orationibus, fletibus & eleemosynarum, prout melius potuerint, exhibitionibus, & lachrymis persistant. Et ne ulterius eis talia contingant, admodum caveant, dicente Domino: *Vade, & amplius noli peccare.*

LXXII. *De pœnitentibus transgressoribus.*

VT hi, qui frequēti prævaricatione pœnitentiā iterant, frequēti sentētia nisi

per satisfactionem, quæ prævaricati sunt, emendare nitantur, coërceantur vel condemnentur: ut hæc, quæ voluntariè non diluerunt, invitò emendent. Quòd si hæc aliquis renuerit, & præceptis sui sacerdotis inobediens apparuerit, secundum modum culpæ excommunicetur. Si quis autem his ante reconciliationem, & eorum satisfactionem absque proprii Episcopi licentia communicare præsumpserit, simili excommunicationi subiaceat. Sacerdotes autem ad quos pertinere noscuntur, si eos quolibet munere vel favore aut negligentia admonere noluerint, aut per satisfactionem revertentes non susceperint, aut contemnentes de Ecclesia non reiecerint, simili sententia plectantur, quousque vel emendationis vel eorum damnationis sententia promulgetur.

LXXIII. *Vt pœnitentibus absque personarum acceptione pœnitentia detur.*

VT sacerdos pœnitentiam imploranti absque personæ acceptione pœnitentiæ leges iniungat.

LXXIIII. *De neglegentioribus pœnitentibus.*

VT neglegentiores pœnitentes tardius recipiantur.

LXXV. *De eo, qui pœnitentiam in infirmitate petit.*

IS qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitarus venit, oppressus iufirmitate obmutuit, vel in frenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia. Si supervixerit, admoneatur à supradictis testibus petitioni suæ satisfactum, & subdatur statutum pœnitentiæ tempus, quamdiu sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit.

LXXVII. *De pœnitentibus, qui antequam leges pœnitentiæ exsequantur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint.*

POEnitentes, qui antequam leges pœnitentiæ exsequantur, casu in itinere vel in mari mortui fueriut, ubi eis sacerdos subvenire non potuerit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commenderur.

LXXVIII. *De loco monasteriorum, vel ædificiis providendis.*

DIgnum & necessarium est, ut missi nostri per quæque loca directi, simul cum Episcopis, uniuscuiusq; diœcesis perspiciant loca monasteriorum, canonicorum pariter & monachorum, similiterque puellarum, si in apto & in congruo loco sint posita, ubi commodum ac necessarium possit acquiri, quod ad utilitatem pertinet monasteriorum, sicut in sancta regula dicitur. Monasterium autem ita debet constitui, ut omnia necessaria infra monasterium exerceantur, ut non sit necessitas monachis vel clericis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. Similiter quoque ædifica-

ædificationes monasteriorum supradicti missi, & cum eis Episcopi per diversa loca prævideant, sicut aptæ sint & congruenter sanctæ professioni compositæ, vel si claustrum firmum habeant, in quo salvari possint animæ in eis commorantium sub disciplina canonica vel regulari. Vbi autem aliter inventa fuerint, hoc omnimodis Episcopus loci ipsius faciat emendari, ita ut condignam professioni eorum custodiam habeant canonici, vel monachi, atque nonnanes, ne detur eis occasio malefaciendi, quod absit.

LXXIX. *Vt Episcopi sciant, qualiter canonici, qui sunt cum abbatibus, vivant.*

PRæcipimus ut unusquisque Episcopus sciat, per singula monasteria quantos quisque Abba canonicos in monasterio suo habeat. Et hoc omnino ambo pariter provideant, si monachi fieri voluerint, regulariter vivant: sin autem, canonicè vivant omnino.

LXXX. *Vt presbyteri chrisma diligenter custodiant.*

PResbyteri sub sigillo custodiant chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ vel maleficii donare inde præsumant: quòd si fecerint, honore priventur.

LXXXI. *Vt presbyteri utantur assiduè orariis.*

PResbyteri sine intermissione utantur orariis, propter differentiam sacerdotii dignitatis.

LXXXII. *Ne laici presbyteros eiiciant de Ecclesiis, eosve in eis constituant, absque proprio Episcopi consensu.*

VT laici presbyteros non eiiciant de Ecclesiis, neque constituant sine consensu Episcoporum suorum.

LXXXIII. *Ne laici à presbyteris munera exigant.*

VT laici omnino munera iniusta non exigant à presbyteris, propter commendationem Ecclesiæ cuique presbytero.

LXXXIIII. De *fugitivis clericis.*

VT unusquisque Episcopus in sua parochia diligenter presbyteros clericos inquirat, unde sint: & si aliquem fugitivum invenerit, ad suum Episcopum redire faciat.

LXXXV. De *letania maiore.*

PLacuit nobis, ut letania maior observanda sit à cunctis Christianis, diebus tribus.

LXXXVI. De *quatuor temporibus observandis.*

COnstituimus, ut quatuor tempora anni ab omnibus cum ieiunio observentur: id est, in mense Martio hebdomada prima, feria IIII. & VI. & sabbato veniant omnes ad Ecclesiam hora nona cum letaniis ad missarum sollemnia. Similiter in mense Iunio hebdomada secunda, feria IIII. & VI.

& sabbato ieiunetur usque ad horam nonam, & à carne ab omnibus abstineatur. Similiter in mense Septembri hebdomada III. & in mense Decembri hebdomada, quæ fuerit plena ante vigiliam natalis Domini, sicut in Romana Ecclesia traditum est.

LXXXVII. *De indicto ieiunio.*

QVòd si quis indictum ieiunium superbiendo contempserit, & observare cum ceteris Christianis noluerit, in Gangrensi concilio præcipitur, ut anathematizetur, nisi emendare se studeat.

LXXXVIII. *De dominicis diebus.*

OMnes dies dominicos cum omni veneratione observare decrevimus, & à servili opere abstinere: & mercatus in eis minimè sit, nec placitum, ubi aliquis ad mortem vel ad pœnam iudicetur.

LXXXIX. *De decimis.*

ADmonemus atq; præcipimus, ut decima in Deo omnino dare non negligatur, quam Deus ipse sibi dari constituit. Quia timendum est, ut quisquis Deo suum debitum abstrahit, ne fortè Deus per peccatum auferat ei necessaria sua. Et qui decimam dare neglexerit, novem partes auferentur ab eo.

XC. *Vt Ecclesiæ pacem habeant.*

REum confugientem ad Ecclesiam nemo abstrahere audeat, neque inde donare ad pœnam vel ad mortem, ut honor Dei & sanctorum eius conservetur, sed rectores Ecclesiarum pacem & vitam ac membra ei obtinere studeant: tamen legitimè componat, quod iniquè fecit.

XCI. *Iterum de pace Ecclesiarum.*

PRæcipimus, ut in Ecclesiis, aut in domibus Ecclesiarum, vel in atriis placita secularia minimè fiant.

XCII. *De beneficiis Ecclesiasticis.*

QVicunque beneficium Ecclesiasticum habent ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel in ipsas Ecclesias emendandas, omnino adiuvent, & nonam & decimam reddant.

XCIII. *Ne presbyter missam solus cantet.*

NVllus presbyter, ut nobis videtur, solus missam cantare rectè valet. Quomodo enim dicet: DOMINVS VOBISCVM, vel SVRSVM CORDA admonebit habere, & alia multa his similia, cum nemo cum eo sit?

XCIIII. *De oblatione & pace in Ecclesia facienda.*

OBlationem quoque, & pacem in Ecclesia facere iugiter admoneatur populus Christianorum, quia ipsa oblatio sibi & suis magnum est remedium animarum: & in ipsa pace, vera unanimitas & concordia demonstratur.

XCV. *De Symbolo, & oratione Dominica.*

SYmbolum, quod est signaculum fidei, & orationem Dominicam discere semper admoneant sacerdotes populum Christianum. Volumusque ut disciplinam condignam habeant, qui hæc discere negligunt, sive in ieiunio, sive in alia castigatione. Propterea dignum est, ut filios suos donent ad scholam, sive ad monasteria, sive foras presbyteris, ut fidem catholicam rectè discant, & orationem Dominicam, ut domi alios edocere valeant. Qui verò aliter non potuerit, vel in sua lingua hoc discat.

XCVI. *Vt malum ebrietatis omnino vitetur.*

MAgnum malum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, modis omnibus cavere præcipimus. Qui autem hoc vitare noluerit, excommunicandum eum esse decrevimus, usque ad emendationem congruam.

XCVII. *Vt canticum luxuriosum circa Ecclesias deseratur.*

CAnticum turpe atque luxuriosum circa Ecclesias agere omnino contradicimus, quod & ubique vitandum est.

XCVIII. De *incestuosis.*

VT Episcopi incestuosos puriter investigare studeant omnino præcipimus, & si pœnitere noluerint, de Ecclesia expellantur, donec ad pœnitentiam revertantur.

XCIX. *Ne in quarta, vel quinta, aut sexta generatione coniugium copuletur.*

COntradicimus quoque, ut in quarta vel quinta sextaque generatione nullus amplius coniugio copuletur. Vbi autem prius interdictum factum inventum fuerit, separetur.

C. *Ne proprius filius de baptismo suscipiatur, vel ad confirmationem teneatur.*

NVllus igitur proprium filium vel filiam de fonte baptismatis suscipiat: nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem: nec illam cuius filium vel filiam ad confirmationem tenuerit. Vbi autem factum fuerit, separentur.

CI. De *damnatis nuptiis.*

SI quis viduam uxorem duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu duabus sororibus nupserit: aut si qua duobus fratribus nupserit, seu cum patre, & filio, tales copulationes anathematizari, nec unquam amplius coniugio sub magna districtione copulari.

CII. De *cura & prædicatione sacerdotum erga populum sibi commissum: & ut facinorosos extra Ecclesiam eiiciant.*

VT sacerdotes populi sibi commissi curam habeant, & instanter de eorum animarum salute prædicent. Et ut facinorosos secundum Euangelicam institutionem arguant.

CIII. *Vt presbyteri omnes suos subiectos orationem Dominicam, & Symbolum doceant.*

QVòd presbyteris prævidendum sit, ut omnes, qui Christiano nomine censentur, orationem Dominicam & Symbolum memoriter teneant & intelligant.

CIIII. *Quibus temporibus baptizandum sit.*

VT baptismum non fiat nisi statutis temporibus, id est, Pascha & Pentecoste: nisi infirmitas intercesserit. Et ut alibi non baptizetur, nisi in vicis publicis, nisi sicut iam dictum est, ob infirmitatis causam.

CV. *Quod nullum precium pro baptismo accipi debeat.*

VT nemo presbyterorum pro baptismo precium accipere præsumat: quod si fecerit, sciat se canonica regula esse damnandum.

CVI. De *decimis, ut fideliter à fidelibus dentur, & canonicè à presbyteris dividantur.*

VT decimæ fideliter sanctæ Ecclesiæ reddantur, & presbyteri secundum canonicam regulam fideliter eas dividant.

CVII. De *presbyteris, ut seculares non exerceant curas, neque iudices villarum fiant.*

VT presbyteri curas seculares nullatenus exerceant; id est, ut neque iudices, neque maiores villarum fiant.

CVIII. *Vt in titulis, quibus presbyteri consecrantur, ante suam promotionem, stabilitatem promittant.*

VT presbyteri, qui in titulis consecrantur, secundum canones, antequam ordinentur, promissionem stabilitatis loci illius faciant.

CIX. *Ne fœminæ cum presbyteris habitent.*

VT presbyteri secum fœminas licentiam non habeant habitandi: & ut suspitiones effugiant.

CX. De *presbyteris, vel clericis fugitivis.*

DE presbyteris vel clericis fugitivis canonica auctoritas observetur: id est, ut nemo vestrum clericum alterius parochiæ ordinet, neque ordinatum suscipiat, sine permissione sui pontificis. Et hoc considerandum est, quid de talibus faciendum sit.

CXI. *Vt in domibus non consecratis nequaquam missa celebretur.*

SAncitum est, ut nullus presbyterorum in domibus ab Episcopis non consecratis oblationem offerre quoquomodo præsumat.

CXII. *Vt presbyteri, diaconi, subdiaconi, nec arma portent, nec venationes exerceant.*

ET hoc cavendum est, ut presbyteri, vel diaconi, sive subdiaconi arma portare non præsumant, neque venationes aliquas exercere.

CXIII. *Quòd*

CXIII. *Quòd non liceat mulieri sanctum velum acceptum dimittere.*

QValicunque modo mulier, permittente canonicè virō suo, aut eo defuncto, velum sanctum in caput acceperit, aut spontè aut invita, in eo permaneat omnino, nec dimittat.

CXIV. *De potestate Episcoporum pro rebus Ecclesiasticis, ac de convenientia Episcoporum cum laicis.*

VT Episcopi potestatem habeant res Ecclesiasticas prævidere, regere, & gubernare atque dispensare secundum canonicam auctoritatem volumus. Et ut laici in eorum ministerio obediant Episcopis, ad regendas Ecclesias Dei, viduas & orphanos defensandos. Et ut obedientes sint eis ad eorum Christianitatem servandam: & Episcopi consentientes sint comitibus & iudicibus ad iusticias faciendas. Et ut nullatenus per aliquorum mendacium, vel falsum testimonium, neque per periurium, atque per præmium lex iusta in aliquo depravetur.

CXV. *De vita Canonicorum.*

IN omnibus igitur quantum humana permittit fragilitas decrevimus, ut canonici clerici canonicè vivant, observantes divinæ scripturæ, doctrinam & documenta sanctorum patrum, & nihil sine licentia Episcopi sui, vel magistri eorum, compositè agere præsumant. In unoquoque Episcopatu ut simul manducent & dormiant, ubi his facultas id faciendi suppetit: vel qui de rebus ecclesiasticis stipendia accipiunt, in suo claustro maneant, & singulis diebus mane primo ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad mensam verò similiter lectionem audiant, & obedientiam secundum canones suis magistris exhibeant.

CXVI. *De accusatione Episcopi.*

VT Episcopum nulli criminoso liceat accusare.

CXVII. *Quòd non liceat monasteria Deo sacrata, diversoria fieri secularia.*

VT deinceps monasteria, quæ Deo sacrata esse noscuntur, diversoria secularia, secundum canonicam institutionem, in quantum hoc cavere possumus, non fiant: sed religiosis & Deum timentibus, hominibusque sacratis tribuantur.

CXVIII. *Vt coniurationes & conspirationes non fiant.*

VT coniurationes vel conspirationes non fiant: quia hæc facientes sacri canones graviter damnant.

CXIX. *De illis, qui res Ecclesiæ tenent.*

SI quis ecclesiasticam rem tenet, & admonitus iudicium declinaverit, quoadusque ad discussionem veniat, aut rem restituat Ecclesiasticam, à communione privetur.

CXX. *De servo Ecclesiæ in furto comprehenso.*

SI servus Ecclesiæ in furto comprehensus fuerit, à iudice publico sicut & reliqui distringatur. Et si iudex publicus servum Ecclesiæ super furto non præsumentem sine audientia vice domni, aut archidiaconi, detinere, aut iniuriare præsumpserit, anno integro ab Ecclesiæ liminibus arceatur.

CXXI. *Ex concilio Antissiodorensi, de his qui clericum iniuriaverint.*

QVicunque iudex aut secularis adversus presbyterum, aut diaconum, aut quemlibet de clero, aut de iunioribus, absque audientia Episcopi, vel archidiaconi, vel archipresbyteri iniuriam inferre præsumpserit, anathema ab omnium Christianorum consortio habeatur.

CXXII. *Ex Capitulis domni Karoli Regis, anno regni eius XI. actis.*

VT homicidæ vel cæteri rei, qui legibus mori debent, si ad Ecclesiam confugerint, non excusentur, neque eis ibidem victus detur.

CXXIII. *De decimis per iussionem Episcopi dispensandis.*

VT unusquisque suam decimam donet, atque per iussionem Episcopi dispenset.

CXXIIII. *Qualiter de latronibus faciendum sit.*

VT latrones de infra immunitate à iudice ipsius immunitatis in Comitis placito præsententur: & qui hoc non fecerit, beneficium & honorem perdat. Similiter vassi nostri, nisi hoc adimpleverint, beneficium & honorem perdant: & qui beneficium non habent, bannum solvant.

CXXV. *De periuriis.*

DE eo qui periurium fecerit, ut nullam redemptionem solvat, sed manum perdat. Quòd si accusator contendere voluerit de ipso periurio, stent ad crucem: & si iurator vicerit, legem suam accusator emendet. Hoc verò de minoribus causis observandum. De maioribus verò rebus, aut de statu ingenuitatis, secundum legem custodiant.

CXXVI. *De latronibus iustè peremptis, & de hominibus iniustè punitis.*

DE vindicta & iudicio iusto in latrones facto testimonio Episcoporum, absque peccato Comites esse dicuntur. Ita tamen, ut absque invidia aut occasione mala nihil aliud ibi interponatur, nisi vera iustitia ad perficiendum. Ille verò qui per odium vel malum ingenium, & nisi propter iustitiam faciendam, hominem punierit, honorem suum perdat, & legibus contra quem iniustè fecit, secundum pœnam, quam intulerit, emendet.

CXXVII. De

CXXVII. *De nonis & decimis, vel censu Ecclesiarum.*

DE rebus verò Ecclesiarum, unde nunc census exeunt, decima & nona cum ipso censu solvantur, & unde antea non exierunt, similiter & nonæ & decimæ dentur. De casatis verò L. solid. I. de XXX. dimidius solid. de XX. tremissis unus. Et ut precariæ modò renoventur; & ubi non sunt scriptæ, fiat descriptio inter conventores de verbo nostro.

CXXVIII. *De tributariis Ecclesiarum.*

DE cerariis, & tabulariis, ac chartulariis ita fiat, sicut à tempore longò decretum est.

CXXIX. *Vt sacramentum pro gildonia non fiat.*

DE sacramentis pro gildonia invicem coniurantibus, ut nemo præsumat facere. Alio verò modo de eleemosynis illorum, aut de incendiis, aut de naufragiis, quamvis cohibentiam faciant, nemo in hoc iurare præsumat.

CXXX. *Vt itinerantibus nullus impedimentum faciat.*

DE itinerantibus, qui ad palatium aut aliubi pergunt, ut eos per collectam nemo sit ausus adsallire. Et nemo herbam defensionis tempore præsumat tollere, nisi in hostem pergat, aut missus noster sit.

CXXXI. *De tholoneis forbannitis.*

DE tholoneis qualiter antea forbanniti fuerunt, observetur, ut nullus tollat, nisi quod ab antiquo tempore statutum fuerit.

CXXXII. *Vt mancipia non sine testibus vendantur.*

DE mancipiis, ut non vendantur, nisi aut in præsentia archidiaconi, aut centenarii, aut vicedomni, aut iudicis Comitis, aut ante benè nota testimonia. Et ut foris Marcha nemo mancipium vendat: & qui fecerit, tantas vices bannum solvat, quanta mancipia vendidit. Et si non habet precium, in Wadium seipsum pro precio tradat Comiti, usq; dum ipsum bannum solvat.

CXXXIII. *Qualiter de Comitibus vel vassis dominicis, iustitias non facientibus, agendum sit.*

SI Comes in suo ministerio iustitias non fecerit, missis nostris de sua casa, vel de suis xeniis serviat, usque dum iustitiæ ibi factæ fuerint. Et si vassus noster iustitias non fecerit, tunc & Comes & missus noster ad ipsius casam sedeant, & de suo vivant, quo usque iustitias faciat.

CXXXIV. *De his, qui precium pro faida recipere, & iustitiam facere nolunt.*

SI quis pro faida precium recipere non vult, & iustitiam exinde facere, in talem locum eum mittere volumus, ut maius damnum non crescat.

CXXXV. *De latronibus bis per membra, & tertiò per vitam puniendis.*

DE latronibus ita præcipimus observandum, ut pro prima culpa non moriatur, sed unum oculum perdat. De alia verò culpa, nasus ipsius latronis truncetur. De tertia culpa, si non emendaverit, moriatur.

CXXXVI. *Decretale precum quorundam Episcoporum.*

CApitulare qualiter institutum est in hoc Episcoporum conventu: id est, ut unusquisque Episcopus tres missas, & tria psalteria, unum pro domno Rege, & aliud pro exercitu Francorum, tertium pro præsenti tribulatione faciat. Presbyter missas III. Monachi, & monachæ, & canonici unusquisque psalteria III. Et biduanas omnes faciant, tam Episcopi, monachi & monachæ, quam canonici, atque eorum infra casati homines, vel qui potentes sunt. Et unusquisque Episcopus, abbas & abbatissa, qui facere potest, libram donet de argento, aut eam valente, in eleemosyna. Mediocres verò dimidiam libram: minores verò sol. v. Episcopi, abbates, & abbatissæ pauperes famelicos IIII. pro ista strictitate nutrire debeant, usque tempore messium. Et qui tantum non possunt, iuxta quod posibilitas est, aut III. vel II. aut I. Comites fortiores libram de argento aut valente donent in eleemosyna. Mediocres verò mediam libram. Vassus dominicus de casatis CC. mediam libram. De casatis C. solid. v. de L. unicam I. & faciant biduanas, & eorum homines, atque eorum casati, vel qui hoc facere possunt. Et qui redimere ipsam triduanam voluerit, fortiores Comites uncias III. minores denariôs XXX. minores sol. I. & de pauperibus famelicis, sicut supra scriptum est, ipsi faciant. Hæc omnia, si Domino placuerit, pro domno Rege, & exercitu Francorum, & præsenti tribulatione missa sancti Ioannis sint completa.

CXXXVII. *Ut nullus presbyter aliqua cupiditate quemquam tonsurare suadeat.*

STatutum est, ut nullus in canonica aut regulari professione constitutus aliquem tonsurare propter res adipiscendas deinceps persuadeat: & qui hoc facere tentaverit, synodali vel imperiali sententia modis omnibus feriatur.

CXXXVIII. *De concordia Episcoporum & Comitum.*

UT Episcopi cum Comitibus stent, & Comites cum Episcopis, ut uterque pleniter suum ministerium peragere posit.

CXXXIX. *De latronibus, homicidis, adulteris, & incestuosis sub magna districtione coërcendis.*

UT latrones seu homicidæ, seu adulteri, vel incestuosi, sub magna districtione & correctione sint correpti.

CXL. *De invasione alienarum rerum.*

DE rebus proprisis, ut ante missos & comites & iudices nostros veniant, & ibi accipiant finitivam sententiam. Et antea nullus præsumat alterius

res

res proprindere, sed magis suam causam quærat ante iudices nostros, ut diximus, & ibi recipiant quod iustum est.

CXLI. *Pro qua re in præsentiam Regis venire quis debeat.*

VT si aliquis voluerit dicere, quod iustè ei non iudicetur, tunc in præsentiam nostram veniat: aliter verò non præsumat in præsentiam nostram venire, pro alterius iustitia dilatanda.

CXLII. *Quid de his agendum sit, qui gratia fugiendi debitum servitium, seculum relinquunt.*

DE his, qui seculum relinquunt propter servitium impediendum, & tunc neutrum faciunt, ut unum è duobus eligant, aut pleniter secundum canonicam, aut secundum regulæ institutionem vivant: aut servitium dominicum faciant.

CXLIII. *Vt oratio Dominica, Symbolum, Lex, & Capitula Regum, diligenter ab omnibus intelligantur.*

VT laici Symbolum & orationem Dominicam pleniter ediscant. Comites quoque, & centenarii, & ceteri nobiles viri, legem suam pleniter discant, sicut in alio loco decretum est. Præcipimus autem missis nostris, ut ea quæ à multis iam annis per Capitularia nostra in toto regno nostro mandavimus, agere, discere, observare, vel in consuetudinem habere debeant, ut hæc omnia diligenter inquirant, & omnino ad servitium Dei, & ad utilitatem nostram, vel ad omnium Christianorum hominum profectum innovare studeant, & quantum Domino donante prævalent, ad perfectum usque perducant. Et nobis omnino annuncient, quis inde certamen bonum hoc adimplere habuisset, ut à Deo & à nobis gratiam habeat. Qui autem neglegens inde fuerit, ut talem disciplinam percipiat, qualem talis sit contemptor recipere dignus, ita ut ceteri metum habeant amplius.

CXLIIII. *De Ecclesiis destructis.*

DE Ecclesiis destructis, ut Episcopi & missi inquisitionem faciant, utrum per neglegentiam aut impossibilitatem destructæ sint: & ubi neglegentia inventa fuerit, Episcopali auctoritate emendare cogantur ab his, qui eas restaurare debuerunt. Si verò per impossibilitatem contigit, ut aut plures sint quam necesse sit, aut maioris magnitudinis, quàm ut ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, Episcopus modum inveniat, qualiter congruè emendari & consistere possint.

CXLV. *De his, qui nonas & decimas dare neglexerunt.*

DE his, qui nonas & decimas iam per multos annos aut ex parte aut ex toto dare neglexerunt, volumus, ut per missos nostros constringantur, ut secundum Capitularem priorem solvant nonas & decimas cum sua lege, & insuper bannum nostrum. Et hoc eis denuncietur, quod quicunque hanc neglegentiam iteraverit, beneficium unde hæc nona & decima persolvi debuit, amissurum se sciat. Ita enim continetur in Capitulari bonæ

memoriæ genitoris nostri in libro primo cap. CLXIII. *Quicunque decimam abstrahit de Ecclesia, ad quam per iustitiam dari debet, & eam præsumptiosè vel propter munera, aut amicitiam, vel aliam quamlibet occasionem ad alteram Ecclesiam dederit, à Comite vel à Misso nostro distringatur, ut eiusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat.*

CXLVI. *De his, qui restaurationes Ecclesiarum facere neglegunt.*

QVicunque de rebus Ecclesiarum, quas in beneficium habent, restaurationes earum facere neglexerint, iuxta auctoritatis nostræ Capitulare, in quo de operibus, ac nonis & decimis constitutum est, sic de illis adimpleatur, sicut in libro IIII. cap. XL. continetur. *De opere & restauratione Ecclesiarum constitutum est, ut de frugibus terræ, & animalium nutrimine, & cunctis censibus, exceptis hortilensibus, persolvantur. De opere verò & restauratione Ecclesiarum* &c.

CXLVII. *De his qui agros dominicatos ideo neglegunt ut nonas exinde non persolvant.*

DE his, qui agros dominicatos propterea neglexerunt excolere, ut nonas exinde non persolvant, & alienas terras ad excolendum propter hoc accipiunt, volumus ut de tribus annis ipsam nonam cum sua lege persolvant. Et si quis contemptor aut Comitum aut vassallorum nostrorum propter hoc extiterit, per fideiussores ad palatium venire compellatur.

CXLVIII. *Vt intelligatur in quo facto immunitas frangatur.*

PErvenit ad nos, quod quædam Ecclesiæ ac monasteria nostras ac prædecessorum nostrorum immunitates habentia, multa præiudicia & infestationes à quibusdam patiantur, ut nec per easdem immunitates ullam defensionis tuitionem habere valeant, propter hoc quod ab eisdem immunitatum temeratoribus dicatur, non plus immunitatis nomine complecti, quam claustra monasterii: cetera quoque quamvis ad easdem Ecclesias vel monasteria pertineant, extra immunitatem esse. Propter hoc volumus atq; decernimus, ut omnes intelligant non solum claustra monasterii vel Ecclesiæ atque castitia Ecclesiarum sub immunitatis defensione consistere, verùm etiam domus & villas, & septa villarum, & piscatoria manu facta, & quidquid fossis aut sepibus, vel etiam alio clausarum genere præcingitur, eodem immunitatis nomine contineri. Et quidquid intra huiusmodi monumenta ad ius earundem Ecclesiarum vel monasteriorum pertinentia à quolibet homine nocendi, vel damnum inferendi causa, spontanea voluntate committitur, in hoc facto immunitas fracta iudicatur. Quòd verò in agros & campos ac sylvas, quæ sine laborationibus sunt, & nullo modo munitione cinguntur, casu, sicut fieri solet, à quibuslibet hominibus aliquid damnum factum fuerit, quamvis idem ager aut campus vel sylva ad Ecclesiam vel monasterium præceptum immunitatis pertineat, non tamen in hoc immunitas fracta iudicanda est. Et ideo non sexcentorum solidorum compositione,

tione, sed secundum legem, quæ in eodem loco tenetur, is mulctandus est, qui scandalum vel damnum in tali loco fecisse convictus fuerit.

CXLIX. *De eo, qui propriam dereliquit uxorem, vel sine culpa interficit, & aliam ducit.*

QVicunque propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam duxerit, armis depositis publicam habeat pœnitentiam: & si contumax fuerit, comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur, & in custodiam mittatur, donec res ad nostram notitiam deducatur.

CL. *De liberis hominibus, qui proprium non habent, sed in terra dominica resident, ad testimonium non recipiendis.*

DE liberis hominibus, qui proprium non habent, sed in terra dominica resident, ut propter res alterius testimonium non recipiantur: coniuratores tamen aliorum hominum ideo esse possunt, quia liberi sunt. Illi verò qui & proprium habent, & tamen in terra dominica resident, propterea non abiiciantur, quia in terra dominica resident; sed propter hoc ad testimonium recipiantur, quia proprium habent.

CLI. *Ex Capitulis domni Karoli, qualiter ex factis, aut mansis, vel quartis manopera, & census, ac tributa, ac reliqua servitia exigantur vel agantur.*

PRo nimia reclamatione, quæ ad nos venit de hominibus Ecclesiasticis seu fiscalinis, qui non erant adiurnati, quando in Cœnomanico pago fuimus, visum est nobis unà cum consultu fidelium nostrorum statuere, ut quicunque de prædictis hominibus quartam facti tenet cum suis animalibus, seniori suo pleniter unum diem cum suo aratro in campo dominico aret: & postea nullum servitium ei manuale in ipsa hebdomada à seniore suo requiratur. Et qui tanta animalia non habet, ut in uno die hoc explere valeat, perficiat prædictum opus in duobus diebus. Et qui solummodò ita invalida, ut per se non possit arare, quatuor animalia habet, cum eis sociatis sibi aliis aret uno die in campo senioris, & uno die postmodum in ipsa hebdomada opera manuum faciat. Qui nihil ex his facere potest, neque animalia habet, per tres dies seniori suo à mane usque ab vesperam operetur, & senior suus ei amplius non requirat. Diversis namque modis hæc agebantur, à quibusdam tota hebdomada operabatur, à quibusdam dimidia, & à quibusdam duobus diebus. Idcirco hæc statuimus, ut ne familia se à prædictis operibus subtrahere possit, neque à senioribus amplius eis requiratur. Et qui minus quartæ optimæ de terra habet, secundum æstimationem suæ telluris opera faciat. Hæc ab Adalardo Comite palatii nostri ad eorum satisfactionem unà cum aliis fidelibus nostris præcipi nostra vice, & publicè annuntiari iussimus.

CLII. *Vt Episcopi incestuosos emendent & corrigant.*

VT Episcopi incestuosos homines emendent, & magnam diligentiam habeant ex eis: seu & de viduis, infra suam parochiam potestatem habeant ad corrigendum.

CLIII. *Vt ea conserventur, quae in placitis & synodis Pipinus Rex constituit.*

EA vero, quæ bonæ memoriæ genitor noster in suis placitis & synodis constituit, conservari præcipimus.

CLIIII. *De eo qui à servo alieno aliquid comparaverit.*

SI quis à servo alieno aliquid comparaverit, nesciente domino suo, si dominus firmam noluerit esse emptionem, reddat precium emptori, ut emptio nihil habeat firmitatis. Si ipsum non habet, simile reddat.

CLV. *Vt Ecclesiarum negotia à iudice continuò audiantur.*

PLacuit ut Ecclesiarum negotia absque ulla dilatione continuò à iudice audiantur, & proficuè incremententur.

CLVI. *Vt iudex criminosum discutiens, non ante sententiam proferat capitalem, quàm aut reus ipse confiteatur, aut per innocentes testes convincatur.*

PLacuit, ut iudex criminosum discutiens, non antè sententiam proferat capitalem, quàm aut reus ipse confiteatur, aut per innocentes & veraces testes vel socios criminis sui manifestius convincatur. Et de maioribus nostra ac successorum nostrorum expectetur sententia.

CLVII. *Vt qui socii criminis sunt, non admittantur testes.*

PLacuit ut testes non admittantur, qui sunt socii criminis: nec infames, neque calumniatores, vel ceteri quos canon & lex prohibet.

CLVIII. *De nuptiis incestis prohibendis.*

NVptias prohibemus incestas, id est, usque adfinitatis lineam, vel quamdiu inter se hereditare potuerint, non coniungantur: quia hæc potius incestiva, quàm coniugia sunt iudicanda.

CLIX. *Vt de absentibus non iudicetur.*

PLacuit, ut adversus absentes non iudicetur: quòd si factum fuerit, prolata sententia non valebit.

CLX. *Vt clementior severiori præferatur sententia.*

PLacuit inter pares sententias, clementior semper severiori præferatur.

CLXI. *Vt qui de se confessus est, super alium non credatur.*

PLacuit, ut qui de se confessus est, super alium non credatur.

CLXII. *De testimonio unius hominis non accipiendo.*

VT testimonium unius hominis non accipiatur. Nam si ex utraque parte plures sint, veraciores atque religiosiores & honestiores eligantur, qui sacramento suum confirment testimonium, nihilque se falsi esse dicturos.

CLXIII. *Vt*

CLXIII. *Vt contra Episcopos nullus graviter at leviter agat.*

PRæcipimus atque iubemus, ne fortè, quod absit, aliquis circa Episcopos leviter aut graviter agat, quod ad periculum totius imperii nostri pertinet: & ut omnes cognoscant nomen, potestatem, vigorem, & dignitatem sacerdotalem. Quod ex verbis Domini facilè intelligi potest, quibus beato Petro, cuius vicem Episcopi gerunt, ait: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlo: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlo.* Et alibi discipulis generaliter dicit. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Illud etiam ad exemplum reducendum est, quòd in Ecclesiastica historia Constantinus Imperator Episcopis ait. *Deus*, inquit, *constituit vos sacerdotes, & potestatem vobis dedit, de nobis quoque iudicandi. Et ideo nos à vobis rectè iudicamur: vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quòd Dei solius inter vos expectate iudicium, ut vestra iurgia, quæcunque sint, ad illud divinum reserventur examen; vos etenim nobis à Deo dati estis dii. Et conveniens non est, ut homo iudicet deos: sed ille solus, de quo scriptũ est: DEVS STETIT IN SYNAGOGA DEORVM, in medio autem deos discernit.* Sed & hoc illis ad memoriam reducendum est, qualiter beatus Prosper in libro, quem de contemplativa & actuali vita scripsit, laudem sacerdotum comprehenderit. *Ipsis enim*, inquit, (id est, sacerdotibus) *propriè animarum curandarum sollicitudo commissa est, qui pondus populi sibi commissi viriliter sustinentes, pro peccatis omnium, velut pro suis, infatigabiliter supplicant Deo: ac velut quidam Aaron incensum contriti cordis & humiliati spiritus offerentes, quo placatur Deus, avertunt iram futuræ animadversionis à populo. Qui per Dei gratiam fiunt divinæ voluntatis iudices, Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores, fidelis populi duces, veritatis assertores, pravæ doctrinæ hostes, omnibus bonis amabiles, & malè sibi consciis etiam ipso visu terribiles, vindices oppressorum, patres in fide Catholica regeneratorum, prædicatores cœlestium præmiorum, exempla bonorum, documenta virtutum, & forma fidelium. Ipsi sunt decus Ecclesiæ, in quibus fulget Ecclesia. Ipsi columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo credentium. Ipsi ianuæ civitatis æternæ, per quos omnes, qui credunt, ingrediuntur ad Christum. Ipsi ianitores, quibus claves datæ sunt regni cœlorum. Ipsi etiam dispensatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula regis æterni dividuntur gradus & officia singulorum.*

CLXIV. *Quòd per Spiritum sanctum remissio fiat peccatorum.*

SCiendum est omnibus atque credendum, quòd per Spiritum sanctum remissio peccatorum in baptismate conferatur. Et quòd fidelibus in Ecclesia Christi, eiusdem sancti Spiritus domo, per ministerium sacerdotale, & per pœnitentiam & absolutionem, manusque impositionem, remissio peccatorum indubitanter attribuatur.

CLXV. *De quatuor vitiis, quæ fidem catholicam commaculant.*

PLacuit sciri omnibus, quòd quatuor sunt vitia, quæ nostram fidem inter cætera mala commaculant: quæ quanto sunt occultiora, tanto perniciosiora. Id est, superbia, per quam Angelus, diabolus effectus, de cœlo est eiectus: invidia, per quam idem diabolus hominem de paradiso eiecit: odium & discordia, quæ charitatem inter proximos extinguunt, & dilectionem evacuant, & omnia bona pervertunt, & non sinunt proximos in mutua dilectione consistere, nec quietam tranquillamque, ut deceurat Christianos, vitam ducere, *& reliqua.*

CLXVI. *Quòd universalis sancta Dei Ecclesia unum corpus, eiusq́ caput Christus sit.*

PRimùm igitur, quòd universalis sancta Dei Ecclesia unum corpus manifestè esse credatur, eiusque caput Christus, Apostolicis oraculis approbamus. Vnde Paulus, *Vos autem estis,* inquit, *corpus Christi, & membra de membro.* Itemque: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo.* Item: *Cuius caput Christus, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum crescit in templum sanctum in Domino.* Sunt & alia huiusce rei innumera exempla, quæ hîc ob prolixitatem evitandam prætermittuntur. Quisquis ergo per aliqua illicita ex membro Christi se fecit membrum diaboli, noverit se in corpore Christi non esse, sed in corpore diaboli. Proinde necesse est, ut corpori Christi, à quo astutia diabolica separatus est, se incunctanter, dum tempus pœnitentiæ in promptu habetur, restituere non neglegat.

CLXVII. *Quod eiusdem Ecclesiæ corpus in duabus principaliter dividatur eximiis personis.*

PRincipaliter itaque totius sanctæ Dei Ecclesiæ corpus in duas eximias personas, in sacerdotalem videlicet & regalem, sicut à sanctis patribus traditum accepimus, divisum esse novimus. De qua re Gelasius, Romanæ sedis venerabilis Episcopus, ad Anastasium Imperatorem ita scribit. *Duæ sunt quippe,* inquit, *Imperatrices, Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacrata pontificum, & regalis potestas. In quibus tantò gravius pondus est sacerdotum, quantò etiam pro ipsis regibus hominibusq́ in divino reddituri sunt examine rationem.* Fulgentius quoque in libro de veritate prædestinationis & gratiæ ita scribit: *Quantum pertinet,* inquit, *ad huius temporis vitam, in Ecclesia nemo pontifice potior, & in seculo Christiano Imperatore nemo celsior invenitur.*

CLXVIII. *Vt chorepiscopi modum mensuræ, qui in sacris canonibus præfixus est, non excedant.*

EMersisse reprehensibile & valde inoletum usum comperimus, eò quòd quidam chorepiscopi ultra modum suum progredientes, & donum sancti Spiri-

cti Spiritus per impoſitionem manuum tradant, & alia quæque, quæ ſolis pontificibus debentur, contra fas peragant: præſertim cum nullus ex ſeptuaginta diſcipulis, quorum ſpeciem in Eccleſia gerunt, legatur donum ſancti Spiritus per manus impoſitionem tradidiſſe. Quòd autem ſolis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, proprii ſit officii tradere Spiritum ſanctum, liber actuum Apoſtolorum docet. In concilio verò Neocæſarienſi ita de chorepiſcopis habetur ſcriptum. *Chorepiſcopi quoque ad exemplum quidem & formam ſeptuaginta videntur eſſe, ut comminiſtri autem propter ſtudium, quod erga pauperes exhibent, honorentur.*

CLXIX. De *chorepiſcopis, qui in vicis commorantur, in concilio Antiocheno habetur ita.*

QVi in vicis vel poſſeſſionibus chorepiſcopi nominantur, quamvis manus impoſitionem Epiſcoporum perceperint, & ut Epiſcopi conſecrati ſint, tamen ſanctæ ſynodo placuit, ut modum proprium recognoſcant, & gubernent ſubiectas ſibi Eccleſias, earumque moderamine curaque contenti ſint.

CLXX. *De honore & obedientia Epiſcoporum, & reliquorum ſacerdotum.*

IGitur quia conſtat religionem Chriſtianam per ſucceſſores Apoſtolorum ſalubriter adminiſtrari, populiſque ad vitam æternam ducatum exhiberi debere, primò neceſſarium iudicavimus omnibus præcipere, ut honorem debitum venerabiliter Epiſcopis abſque ulla ſimulatione aut detractione impendant, eiſque in omnibus, ut patribus obediant: & quidquid pro ſalute animarum monuerint, prout melius potuerint, adimplere ſatagant, ſicut Dei & noſtram gratiam habere voluerint. Nam Dominus ait, *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Et iterum. *Si te non audierit, dic Eccleſiæ: Et ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Et alibi. *Si quis ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis*, (id eſt, ex meis diſcipulis vel Apoſtolis, quorum locum Epiſcopi nunc in Eccleſia tenent,) *melius eſt illi, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris, quam ſcandalizet unum de iſtis minimis.* Hæc omnia fidelibus admonenda & perpendenda ſunt, ne in hoc, quod abſit, incidant ſcandalum: ſed magis eis obediendo non filii perditionis, ſed filii Dei efficiantur: & non cum ſtultis pœnam, ſed cum iuſtis præmia percipiant ſempiterna. Nam Epiſcopos & ſacerdotes, quibus omnis terra caput inclinat, per quos & noſtrum pollet imperium, admodum honorari & venerari omnes monemus, nec eos lacerari, aut blaſphemari, aut detrahi à quoquam volumus: quia detractio ſacerdotum ad Chriſtum pertinet, cuius vice legatione funguntur in Eccleſia. Nam qui detrahit alium hominem, ſicut homicida reputabitur. Quid erit de illis, qui ſacerdotes detrahunt? Quoniam & ipſi ſeipſos occidunt, & audientes interimunt. Dupla enim pœna digni ſunt, qui duplant ſcelera ſua. Qui his ſanctis monitis rebelles & inobedientes extiterint, ſciant ſe à liminibus ſanctæ Eccleſiæ fore alienos.

CLXXI. *De quatuor negligentiis sacerdotum.*

DE presbyteris, & eorum Ecclesiis, unde multa negleguntur, & scandala sæpe generantur, in nostra discussione quatuor nobis pericula apparuerunt. Primò, quia nonnulli ex nostris sacerdotibus quadam securitate accepta, nec ea, quæ ad cultum divinum pertinent, faciunt, neque in restauratione & luminaribus Ecclesiæ studium habent, nec etiam senioribus suis debitam reverentiam exhibent, & insuper Ecclesias suas expoliant, & in prædiola sua propria transferunt; quæ omnia ad neglegentiam Episcoporum pertinere deprehendimus. Ob id verò quadam occasione accepta seniores eorum permoti in tantam audaciam prorumpunt, ut eos etiam illicitè & inhonestè atque irreverenter tractare præsumant. Vnde summoperè omnibus nobis abhinc providendum iudicavimus, ut ea, quæ à domno Imperatore consensu Episcoporum ob honorem & amorem Dei Ecclesiis concessa sunt, non in avaritiam presbyterorum, aut in rapacitatem Episcopalium ministrorum cedant, sed in utilitatem Ecclesiæ, & in usus clericorum & pauperum deveniant.

CLXXIX. *De presbyteris, qui in suis domibus fœminas habent.*

ILlud non minus periculosum esse didicimus, quod in quorundam Episcoporum parochiis quosdam presbyteros contra interdicta sanctorum canonum fœminas in domibus suis non solum habitare, sed etiam ministrare faciunt: quas & laqueum sacerdotibus persæpe extitisse, & multos occasione in scandalum & in detractionem corruisse cognovimus. Quæ transgressio & tempore genitoris nostri & nostro, in conventibus Episcoporum, secundum auctoritatem canonicam prohibita, sed necdum ad correctionem plenè est perducta. Vnde in commune censuimus, ut hi qui tantæ transgressionis incorrectores hactenus extiterint, si ab hinc huius rei correctores esse neglexerint, iuxta Apostoli sententiam, quasi consentientes malorum coërceantur.

CLXXIII. *De presbyteris, qui contra statuta canonum villici fiunt.*

SImiliter de illis presbyteris, qui contra statuta canonum villici fiunt, tabernas ingrediuntur, turpia lucra sectantur, & diversissimis modis usuris inserviunt, & aliorum domos inhonestè & impudicè frequentant, & comessationibus & ebrietatibus deservire non erubescunt, & per diversos mercatus indiscretè discurrunt, observandum iudicavimus, ut ab hinc districtè severiterque coërceantur, ne per eorum illicitam & indecentem actionem & ministerium sacerdotale vituperetur, & in quibus debuerant esse in exemplum, deveniant in opprobrium.

CLXXIV. *Quòd conversatio sacerdotalis testes vitæ probabiles habeat.*

PAri ergo consensu nobis visum est, ut pontifices sanctorum præcedentium patrum exempla sequentes, religiosos conversationis suæ testes habeant,

beant, quatinus detrahere volentibus locum minimè præbeant. Vt ergo sacerdos discipulis suis de seipso exemplum bonum debeat præbere, Apostolus scribens ad Titum docet dicens: *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in charitate, in castitate, & reliquis.* Beatus quoque Gregorius in decretis suis ita ait: *Verecundus mos inolevit, ut huius sedis pontificibus ad secreta cubilis sui servitia laici pueri & seculares obsequantur. Et cum pastoris vita esse discipulis semper debeat in exemplum, plerumq; clerici, qualis in secreto sit vita sui pontificis nesciunt, & ut dictum est, seculares pueri sciunt. De qua re præsenti decreto constituto, ut quidem ex clericis, vel etiam ex monachis, electi ministerio cubilis pontificalis obsequantur, ut is qui in loco est regiminis, habeat tales testes, qui eius in secreto conversationem videant, & ex visione sedula exemplum profectus sumant.* Hæc igitur beatus Gregorius scripsit. Ceterum si quis de hac re copiosiora exempla quærere voluerint, vitas beati Augustini, & Ambrosii, & ceterorum aliorum sanctorum virorum legant, & perspicuè invenient, quòd vita & conversatio Pontificis, semper testes vitæ probabilis habere debeat.

CLXXV. *Vt Episcopi in rebus Ecclesiæ circa propinquos suos exponendis reprehensionem caveant, & discretionis modum teneant.*

QVoniam multi Episcoporum amore propinquorum suorum de rebus sibi commendatis, suo aut quolibet amicorum nomine, prædia & mancipia emunt, & ut in propinquorum suorum ius cedant statuunt: & ob hoc & iura Ecclesiastica convelluntur, & ministerium sacerdotale fuscatur, immò à subditis detrahitur & contemnitur, placuit omnibus, ut deinceps hoc avaritiæ genus caveatur: fixumque abhinc, & perpetuò mansurum esse decrevimus, ut Episcopus de rebus sui iuris, quas aut ante Episcopatum, aut certè in Episcopatu, hereditaria successione acquisivit, secundum auctoritatem canonicam, quidquid vult, & faciat, & cui vult conferat. Postquam autem Episcopus factus est, quascunque res de facultatibus Ecclesiæ aut suo aut alterius nomine qualibet conditione comparaverit, decrevimus, ut non propinquorum suorum, sed in Ecclesiæ, cui præest, iura deveniant. Similiter & de presbyteris, qui de Ecclesiarum rebus, quibus præsunt, prædia eo modo emunt, faciendum statuimus. Quoniam multos presbyterorum occasione taliter emptarum rerum Ecclesias, quibus præsunt, expoliasse, & à suo ministerio multimodis exorbitasse, & se diabolo mancipasse, & hac occasione multos laicorum in scandalum damnationis & perditionis provocasse comperimus.

CLXXVI. *Quòd nonnulli Episcopi sibi subiectos canonicos, monachos, & sanctimoniales neglegant.*

DIdicimus sanè nonnullos Episcopos in gubernandis congregationibus sibi subiectis, canonicis videlicet, monachis, & sanctimonialibus hactenus valde neglegentes extitisse, & ob id multos in sui detractionem & contemptum provocasse, ita ut nonnulli alii prælati in eorum parochiis constituti, eorum prava exempla secuti, suas similiter congregationes neglexe-

sint, quos & fraterno & synodali conventu admonendos esse necessariò duximus, ut ab hac neglegentia deinceps se cohibeant, & ceteris se imitabiles præbeant, ne fortè propter illorum incuriam, & divinæ servitutis contemptus, & pericula proveniant animarum, & auribus excellentiæ nostræ molestia ingeratur, & sacerdotali mediocritati in conventibus tædium & opprobrium inferatur.

CLXXVII. *De Episcopis, Abbatibus, & sacerdotibus, qui propria loca relinquunt.*

COmperimus quosdam Episcopos, & Abbates, atque sacerdotes non causa necessitatis aut utilitatis, sed potius avaritiæ & propriæ delectationis, sæpissimè propria civitatis suæ sede, vel monasterii septa aut Ecclesiæ propriæ derelicta, cleroque neglecto remotiora loca frequentare. Pro qua re & destitutio divini cultus, & prædicatio in plebibus, & cura subiectorum postponitur, & hospitalitas neglegitur. Quod ne ulterius à quoquam sine inevitabili necessitate aut aliqua utilitate fiat, pari consensu inhibuimus.

CLXXVIII. *De laicorum clericis.*

DE clericis laicorum, unde nonnulli eorum conqueri videntur, eo quòd quidam Episcopi ad eorum preces nolint in Ecclesiis suis eos, cum utiles sint, ordinare: visum nobis fuit, ut in utriusque partibus pax & concordia servetur, & cum charitate & ratione utiles & idonei eligantur. Et si laicus idoneum utilemque clericum obtulerit, nulla qualibet occasione ab Episcopo sine certa ratione repellatur. Et si reiiciendus est propter scandalum vitandum, evidenti ratione manifestetur.

CLXXIX. *De monachis & presbyteris sive clericis qui passim palatium adeunt.*

PLacuit ut monachi, & presbyteri, necnon & clerici, qui postposita canonica auctoritate passim palatium adeunt, & nostris sacris auribus importunissimam molestiam inferunt, ut non hoc facere præsumant. Quoniam in huiuscemodi facto & vigor Ecclesiasticus contemnitur, & religio sacerdotalis, & professio monastica vilior efficitur.

CLXXX. *Vt non sit sanguinis Christianorum temeraria effusio.*

VOlumus atque præcipimus nostra auctoritate annuntiari omnibus, immò & à sacerdotibus prædicari, ne tam temeraria Christianorum sanguinis effusio in regno nostro fieri sinatur: semper illud attendentes, quod Dominus post diluvium dixit, famulo suo Noe: *De manu hominis, & de manu viri, & fratris eius requiram animam eius. Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Ad imaginem, quippe Dei factus est homo.* Et in lege: *Qui occiderit hominem, morte moriatur.* Et Apostolus: *Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bono. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium*

gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. De illo enim specialiter divina auctoritas dicit: *Gladium Dei portat ad vindictam malorum*, non de quolibet alio. Et contra verò nescimus, qua pernoxia inventione à nonnullis usurpatum est, ut hi qui nullo ministerio publico fulciuntur, propter sua odia & diversissimas voluntates pessimas in debitum sibi usurpant in vindicandis proximis, & interficiendis hominibus vindictæ ministerium: & quod Rex saltem in uno exercere debuerat, propter terrorem multorum, ipsi impudenter in multis perpetrare non metuunt, propter odium. Et putant sibi licere ob inimicitiarum vindictas, quod nolunt ut Rex faciat propter Dei vindictam.

CLXXXI. *De Abbatibus, canonicis, & regularibus, vel abbatissis.*

ABbatibus, canonicis, & regularibus, & abbatissis, quæ sanctimonialibus præesse videntur, sive laicis, qui monasteria habent, omnimodo præcipimus, ut de seipsis magnam curam habeant, & ceteris bonum exemplum præbeant, & religiosè, sicut decet, conversentur. Et quod uniuscuiusque professioni inconveniens est, & in sacris canonibus prohibetur, omnino caveant, & loca sibi à nobis propter aliquam necessitatem concessa deperire & destrui propter neglegentiam non dimittant. Et congregationes sibi commissas sive spiritualiter sive temporaliter paterno affectu gubernare, eisque necessaria stipendia administrare non neglegant: ne fortè propter aliquam inopiam & divina officia negligantur, & ipsæ congregationes irreligiosius vivere compellantur. Et qui hæc agere neglexerint, sciant se ea illis auferre, & religiosioribus dare.

CLXXXII. *Vt capellæ absque iussu sive permissu Episcopi non fiant.*

PLacuit nobis, ut sicut ab Episcopis & reliquis sacerdotibus ac Dei servis admoniti fuimus, ne capellæ in nostro palatio vel aliubi sine permissu Episcopi, in cuius est parochia, fiant. Et ut omnes per dies dominicos & festivitates præclaras sacra eucharistia communicent, nisi quibus abstinere præceptum est. Et ut observatio omnium dierum dominicorum à mane usque ad vesperam secundum canonicam auctoritatem ab omnibus fiat.

CLXXXIII. *Vt omnes, qui in fide catholica suspecti sunt, in testimonio humano dubii habeantur.*

OMnes qui in fide Christi vel catholica suspecti sunt, in testimonio humano dubii habeantur. Infirmari ergo oportet eorum testimonium, qui in fide falsi docentur: nec eis esse credendum, qui veritatis fidem ignorant.

CLXXXIII. *Vt si quis ministros ecclesiæ iniuriaverit, hoc tripliciter componat.*

SI quis ministros Ecclesiæ, id est, subdiaconum, lectorem, exorcistam, acolytum, ostiarium, iniuriaverit, aut percusserit, vel plagaverit, componat

hoc tripliciter, ſicut ſolent componere parentes eius. Diaconi verò, presbyteri, atque Epiſcopi iniuria in quadruplum componatur. Reliquorum autem clericorum iniuria componatur, ſicut parentum eorum. Monachorum quoq; qui ſecundum regulam in monaſterio vivunt, iniuria dupliciter componatur, ſecundum genealogiam ſuam, ut reverentia ſit Deo, & Eccleſiæ, & pax eis, qui illi deſerviunt.

CLXXXV. *Vt ſi quis contumax reverentiam Eccleſiarum non habet, ſolidos quingentos componat.*

SI quis homo contumax vel ſuperbus timorem Dei, vel reverentiam Eccleſiarum ſanctarum non habuerit, & fugientem ſervum ſuum, vel quem perſecutus fuerit de Eccleſia, vel de porticu eius per vim abſtraxerit, & Deo honorem non dederit, componat ad ipſam Eccleſiam pro neglectu ſuo ſolidos D. & pro fredo ad fiſcum, ſolid. cc. ipſe verò publica pœnitentia iuxta iudicium Epiſcopi multetur, ut ſit honor Dei, & reverentia ſanctorum, & ut Eccleſia Dei ſemper invicta permaneat.

CLXXXVI. *Vt cuncta quæ circa Eccleſias earumq; miniſtros vel olim ordinavit antiquitas, vel anteceſſorum auctoritas noſtrorum ſtatuit, inviolata perſiſtant.*

CVncta, quæ circa ſanctarum loca Eccleſiarum, eiuſque miniſtros, vel olim ordinavit antiquitas, vel anteceſſorum noſtrorum auctoritas religioſa conſtituit, vel noſtra roboravit ſerenitas, illibata cuſtodiri nunc & in futurum præcipimus.

CLXXXVII. *De prædiis Deo dicatis.*

PLacuit ne prædia cœleſtium ſecretorum dicata Deoque tradita, à quibuſdam aliqua occaſione vexentur, aut invadantur, ſed ſub immunitatis tuitione, perpetua firmitate perdurent. Similiter & homines earum, & omnia quæ eis ſubiecta eſſe noſcuntur. Si quis contravenerit, componat ſicut de immunitate conſtituimus: & pœnitentia publica à ſacerdotibus uſque ad ſatisfactionem multetur.

CLXXXVIII. *De eo, qui die dominico opera ſervilia fecerit.*

SI quis die Dominico opera ſervilia fecerit, liber homo, ſi bovem iunxerit, & cum carro ambulaverit, dextrum bovem perdat. Et ſi alia, quæ canonica auctoritate prohibita ſunt, ſervilia fecerit opera, ſacerdotibus illa emendet, ſicut de reliquis neglegentiis iudicibus emendari ſolet: & ab ipſis ſacerdotibus pœnitentiam iuxta modum culpæ accipiat. Similiter & de præcipuis feſtivitatibus obſervari placuit. Quòd ſi ſacerdotes eos nequiverint corripere, tunc à iudicibus ad ſacerdotes adducantur, eiſque obedire omnibus faciant.

CLXXXIX. *De his, qui infra regnum per vim aliquid rapuerint.*

SI quis in exercitu infra regnum sine iussione dominica per vim hostilem aliquid prædare voluerit, aut fœnum tollere, aut granum, sive pecora maiora vel minora, domosque infringere vel incendere, hæc ne fiant omnino prohibemus. Quòd si ab aliquo præsumptioso factum fuerit, LX. solid. si liber est, sit culpabilis, & omnia similia restituat, aut cum duodecim testibus se purget. Si verò servus hoc fecerit, capitali crimini subiaceat: & dominus omnia similia restituat, quia servum suum non correxit, nec custodivit, ut talia non perpetraret. Quoniam si nos ipsos comedimus, citò deficiemus. Vnusquisque tamen custodiat exercitum suum, ne aliqua deprædatio infra regnum fiat.

CXC. *De eo, qui alienum servum ad furtum suaserit.*

SI quis alienum servum ad furtum suaserit, aut aliquid damnosum in fraudem domini sui, ut posset accusare eum, & fraus ipsa fuerit detecta per investigationem iudicis, dominus nec servum perdat, nec pro hoc aliquam faciat compositionem. Sed ille, cuius conclusione vel exhortatione admissum est, tanquam fur damnetur: & servus quod tulit reddat, & insuper CXX. ictus accipiat.

CXCI. *De fure nocturno tempore capto.*

FVr nocturno tempore captus in furto, dum res furtivas secum portat, si fuerit occisus, nulla ex hoc homicidio querela nascatur.

CXCII. *De eo, qui de fure nesciens aliquid comparaverit.*

SI quis de fure nesciens aliquid comparaverit, quærat accepto spacio venditorem. Quem si non potuerit invenire, probet se cum sacramento & testibus innocentem, & quod apud eum cognoscitur, restituat, & furem quærere non desistat. Quòd si furem cœlare voluerit, & periurans postea detectus fuerit, tanquam fur, ita iste in crimine damnetur.

CXCIII. *De eo, qui occultè in nocte vel in die alterius animal occiderit.*

SI quis in nocte occultè, vel in die alterius animal occiderit, & negaverit, & postea exinde probatus fuerit, tanquam furtivum componat.

CXCIV. *De eo, qui occiderit alienum animal, & non negavit.*

SI quis causa faciente occiderit alienum animal, & non negaverit, simile dare non tardet, & cadaver mortui accipiat.

CXCV. *De eo, qui furtivam rem scienter emerit.*

SI quis furtivam rem scienter emere præsumpserit, & exinde probatus fuerit, similem rem reddat illi, cuius pecuniam comparaverit, salva videlicet eius iustitia in altero.

CXCVI. *De eo, qui de latrone furtivam rem scienter ad custodiendum accipit.*

SI quis de latrone furtivam rem scienter ad custodiendum acceperit, quasi fur componat.

CXCVII. *De sacramentis leviter non iurandis.*

VOlumus ut sacramenta citò non fiant, sed unusquisque iudex prius causam veraciter cognoscat, ut eum veritas latere non possit, nec facile ad sacramenta veniant.

CXCVIII. *De eo, qui contra caput alterius falsa suggesserit.*

SI quis contra caput alterius falsa suggesserit, vel pro quacunque invidia aut iniusta accusatione aliquem commoverit, ipse pœnam vel damnum, quod alteri intulit, excipiat. Neminem damnes, antequam inquiras veritatem, quia scriptum est; *Omnia autem probate, quod bonum est, tenete.*

CXCIX. *De eo, qui per invidiam vel dolum liberi vel servi domum incenderit.*

SI quis per aliquam invidiam vel dolum in nocte vel in die ignem imposuerit, & incenderit liberi vel servi domum, primò omnia ædificare statuat, & quidquid ibi arserit, componat, & insuper LX. sol. sit culpabilis: & publica pœnitentia secundum iudicium sacerdotum multetur, & quanti homines de ipso incendio evaserint, unicuique secundum legem componat, & omnia, quæ ibi perdiderint, restituat.

CC. *Vt si quis servum iniustè accusaverit alienum, domino simile mancipium pro hoc facto reddat.*

SI quis servum iniustè accusaverit alienum, & innocenti tormenta pertulerit, domino simile mancipium pro hoc facto reddat. Si verò innocens in tormento mortuus fuerit, duos servos eiusdem meriti sine dilatione domino restituat.

CCI. *De via publica.*

SI quis viam publicam, aut lithostratum, vel viam communem alicui clauserit contra legem, cum sua lege componat: & clausuram, quam ibi fecit, tollat. Quòd si negare voluerit, cum duodecim sacramentalibus iuret.

CCII. *De via convicinali.*

SI quis viam convicinalem vel pastoralem clauserit, cum sua lege componat, & ipsam viam aperiat. Similiter & de semita faciendum est.

CCIII. *De eo, qui fontem coinquinaverit.*

SI quis fontem quacunque invidia coinquinaverit, vel maculaverit, emendet eum primò, ut nulla sit coinquinationis in eo suspicio, & cum lege sua vicinis

vicinis hoc emendet. Si autem plurimorum in vicinio puteus fuerat, compositione inter se mulctetur.

CCIV. *De eo, cui aurum vel argentum aut ornamenta commendata fuerint.*

SI cui aurum, vel argentum, aut ornamenta, vel quæcunque species commendatæ fuerint, sive custodiendæ traditæ sint, sive vendendæ, & in domo ipsius cum rebus suis forsitan fuerint incendio crematæ, una cum testibus, qui commendata susceperat, præbeat sacramenta nihil exinde suis profuisse compendiis, & nihil cogatur exsolvere, excepto auro & argento, quod ardere non potuit. Si verò quæ commendata fuerant, furto probantur ablata, ei qui commendata perdiderat spatium tribuatur, donec furem sua investigatione perquirat. Et si eum invenerit, commendatori res proprias tantummodò reformare procuret: compositio verò ad eum, qui habuit commendata, pertineat. Quòd si fur non fuerit intra statutum tempus inventus, medietas rerum commendatarum domino suscipiente reddatur, damnum verò medium utrique sustineant: & si postmodum dominus apud eum, cui commendaverit, quæcunque fuerint suppressa repererit, sicut furtiva ab eo exigantur.

CCV. *Vt rem in contentione positam, non liceat vendere.*

REm in contentione positam non liceat donare nec vendere.

CCVI. *De eo, qui servum suum vendiderit.*

SI quis servum suum vendiderit, forsitan eius nesciens facultates, habeat dominus eius potestatem, qui eum vendidit, requirendi res eius ubicunque invenire poterit.

CCVII. *De eo, qui de peculio suo fuerit redemptus, servo.*

SI quis servus de peculio suo fuerit redemptus, & hoc dominus eius fortè nescierit, de domini potestate non exeat: quia non precium, sed res servi sui, dum ignorat, accipit.

CCVIII. *De eo, qui causam alterius tulerit de loco suo.*

SI quis causam alterius tulerit de loco suo, ipsam illæsam reddat, aut similem. Si verò foras aliqua traxerit, & absconderit, atque negaverit interrogatus, furtivam componat.

CCIX. *De eo, qui alicuius mortuum repererit.*

SI quis alicuius mortuum repererit, & eum humanitatis causa humaverit, ut neque à porcis inquinetur, neque à bestiis seu canibus laceretur, seu liber sit, seu servus, nullam ex hoc calumniam sustineat, sed magis à parentibus eius remunerationem condignam accipiat. Et si à parentibus mercedem noluerit recipere, recipiat à Domino, qui præcepit mortuos sepelire.

CCX. *De venditionibus vili precio distractis, vel vitiosis.*

PLacuit in venditione hanc formam servari, ut seu res, seu mancipia, vel quodlibet genus animalium venumdetur, nemo propterea venditionis firmitatem irrumpat, quod dicit se vili precio vendidisse: sed postquam factum est negotium, non sit mutatum, nisi fortè vitium sibi à venditore cœlatum invenerit. Si autem venditor dixerit vitium, stet emptio, & non sit immutata. Si autem non dixerit, mutari potest in illa die, & in alia, sive in tertia die: & si amplius de tribus noctibus illis habuerit, postea non potest mutare, nisi fortè eum invenire infra tres dies non poterit. Tunc quando invenerit, recipiat, qui vitium vendidit: & si noluerit recipere, iuret cum suis sacramentalibus, quod vitium ibi nullum sciebat in illa die, quando negotium fecit. & stet factum.

CCXI. *Vt qui arras dederit pro quacunque re, precium reddere compellatur.*

QVi arras dederit pro quacunque re, precium cogatur implere, quod placuit emptori.

CCXII. *Vt peregrinos transeuntes nemo inquietet.*

PLacuit ne peregrinos transeuntes quisquam inquietare præsumat, eisve nocere audeat: quia alii propter domini, alii propter suas discurrunt necessitates. Quòd si aliquis præsumptiosus fuerit, qui peregrino nocuerit, vel eum adsallierit, aut despoliaverit, læserit, plagaverit, ligaverit, vendiderit, vel occiderit, ipse peregrino singulatim dupliciter, sicut de alio homine solet componi, aut suo seniori vel socio cum sua lege componat. Quòd si mortuus fuerit, & seniorem ibi vel socium non habuerit, tunc Episcopus, aut sacerdotes eiusdem pagi ipsam compositionem in duplo, sicut de indigena distringente iudice accipiant, & in suam eleemosynam illam tribuant, & insuper LX. solid. fisco cogatur persolvere. Et si peregrinum viventem reliquerit, omnem iniuriam ei factam, & quidquid ei tulit, dupliciter, ut prædictum est, per singula illi componat, sicut solet de infra provinciam aliquem componere. Si autem eum occiderit, ut liberum hominem de ipsa provincia in duplo componat, & ipsa pecunia à memoratis sacerdotibus in sua detur eleemosyna: quoniam Dominus ait, *Peregrinum & advenam non contristabis.*

CCXIII. *De eo, qui res alienas vendiderit.*

SI quis vendiderit res alienas sine voluntate domini sui, aut servum, aut ancillam, aut quamcunque rem, ipsam legibus reddat, & similem aliam addat: & si ipsum non potest invenire, duos cõsimiles & æqualis meriti reddat.

CCXIV. *De eo, qui alicuius quadrupedi unum oculum excusserit.*

SI quis alicuius caballo, vel bovi, vel cuilibet de quadrupedibus, unum oculum excusserit, adprecietur illud pecus, quod valet, & tertiam partem componat.

CCXV. *De*

CCXV. *De eo, qui iussu Regis vel ducis aliquem occiderit.*

SI quis iussione Regis vel ducis illius, qui ipsam provinciam regit, hominem occiderit, non requiratur ei, nec propterea faidosus sit: quia lex & iussio dominica occidit eum, & ipse non potuit contradicere. Princeps verò & successores eius defendant eum, & totam progeniem eius, ne ob hoc pereat, aut malum patiatur. Quòd si propterea ipse aut eius progenies aliquid mali passi fuerint, aut occisi, dupliciter componantur.

CCXVI. *De eo, qui scripturam protulerit, ut veritatem eius testibus probet.*

SI quis scripturam profert, veritatem eius testibus probare debet: quia in omnibus caussis constitutum est, ut scripturam prolator adfirmet.

CCXVII. *Vt quidquid provincialibus fuerit relaxatum per beneficium Principis, ab exactore non requiratur.*

QVidquid provincialibus per beneficium Principis tributorum fuerit relaxatum, ab exactore non requiratur.

CCXVIII. *Vt presbyteri criminosi ad synodum venientes in medio collocentur.*

PResbyteros criminosos canonicè ad synodum venientes, iubemus iuxta decreta Papæ Innocentii, cap. XXXIII. in medio collocari. Discussisque obiectionibus, quæ ipsis presbyteris impinguntur, si convinci potuerint, à sacerdotali removeantur officio, quia qui sancti non sunt, sancta tractare non possunt: atque alieni efficiantur à ministerio, quod vivendo inlicitè polluerunt. Et si convinci non potuerint, secundum anterius Capitulum, consultu Leonis Papæ & multorum Episcoporum statutum, cum aliis presbyteris, & fidelibus iustisq; hominibus satisfaciant Episcopo suo & populo.

CCXIX. *Vt unusquisque presbyter Missam cum sandaliis celebret.*

VT unusquisque presbyter Missam ordine Romano cum sandaliis celebret. Et hoc populo nuncietur, quòd per omnes dies dominicos oblationes Deo offerant, & ut ipsa oblatio foris septa altaris recipiatur.

CCXX. *Vt presbyter die Dominico cum benedicta aqua procedat.*

VT omnis presbyter die Dominico cum psallentiò circumeat Ecclesiam suam unà cum populo, & aquam benedictam secum ferat: & ut scrutinium, more Romanò, tempore suo ordinatè agatur.

CCXXI. *De hospitalitate & cura pauperum.*

VT de hospitalitate, & cura pauperum memores sitis, & propter quod res ecclesiasticæ à fidelibus oblatæ, & ab Ecclesia receptæ sint: & eo modo illas distribuatis, ut ab illo, cui de his rationem reddituri estis, non damnationem, sed æterni gaudii mercedem accipere mereamini.

CCXXII. *Vt adiutorium à Rege impendatur his, qui ministerium Ecclesiasticum adimplent.*

VOlumus vos scire voluntatem nostram, quod nos parati sumus vos adiuvare ubicunque necesse est, ut ministerium vestrum adimplere valeatis: simulque vos admonemus, ut propter humilitatem nostram & obedientiam, quam monitis vestris propter Dei timorem exhibemus, honorem nobis à Deo concessum conservetis, sicut antecessores vestri nostris antecessoribus fecerunt.

CCXXIII. *Vt nullus Episcopus, vel Abba, per præmia suis hominibus beneficia det vel auferat.*

ADmonemus etiam Episcopos & Abbates, ut per præmia beneficia hominibus suis nec auferant, nec donent: quia multæ reclamationes, & querelæ de hac causa ad nostras aures solent pervenire.

CCXXIIII. *Vt consiliarii Regis munera non accipiant, ob beneficium aliis impetrandum.*

VT nullus de consiliariis nostris, propter beneficium cuilibet à nobis impetrandum, munera accipiat: quia nos volumus illi beneficium dare, qui nobis bene servierit.

CCXXV. *Vt clericus, vel monachus, vel sanctimonialis, non accusetur ad iudicium civile.*

NEmo audeat clericum, aut monachum, vel sanctimonialem fœminam, ad civile iudicium accusare, sed ad Episcopum: & ipse ex lege vel canonibus consentaneam ac iustam sententiam proferat. Hæc omnes Episcopi custodiant, & omnes fideles sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostri provinciarum præsides procurent, quorumcunq; clericorum, vel monachorum, & sanctimonialium lites dirimere. Si quis hanc constitutionem violaverit, in magistratu positus, x. librarum auri pœna multabitur. Si executor est, in decanicis Ecclesiarum recludatur pœnas luiturus, & officium perdat.

CCXXVI. *De monacho, qui monasterium suum dimiserit.*

SI monachus monasterium suum dimiserit, omnia bona ipsius, & quæ in monasterium introduxit, & quæ non introduxit, Domino monasterii sint, & ipse officio præsidis servire cogatur. Si verò monachus ad alium monasterium migraverit, substantiam eius prius monasterium possideat, & in alio monasterio ipse non recipiatur.

CCXXVII. *De servo in monasterium recepto.*

SI aliquis incognitus in monasterium ingredi voluerit, ante triennium monachi habitus ei non præstetur. Et si intra tres annos aut servus, aut libertus, vel colonus quæratur, Domino suo reddatur cum omnibus, quæ adtulit; fide tamen accepta de impunitate. Si autem intra triennium requisitus non fuerit, postea quæri non potest: sed tantum ea, quæ in monasterium adduxit, Dominus servi recipiat.

CCXXVIII. *De*

CCXXVIII. *De monachis laicis factis.*

SI autem monachus laicus factus fuerit, honore & cingulo spolietur, & res eius monasterio adiiciantur. Quòd si monasticam vitam reliquerit, præses provinciæ eum teneat, & curiæ suæ connumeret.

CCXXIX. *De ecclesia ædificanda.*

NEmo Ecclesiam ædificet antequam civitatis Episcopus veniat, & ibidem crucem figat publicè: & antè præfiniat qui ædificare vult, quod ad luminaria, & ad custodiam, & stipendia custodum sufficiat, & facta donatione sic domum ædificet.

CCXXX. *De eo, qui in domo sua oratorium fecerit.*

QVi in domo sua oratorium habuerit, orare ibi potest: tamen non audeat in eo sacras facere missas, sine permissu Episcopi loci illius: quod si fecerit, domus illius fisci iuribus addicatur. Comes & ministri eius qui hoc cognovit, & non prohibuit, libra auri mulctabitur, & ab Episcopo loci illius canonicam suscipiat excommunicationem vel exclusionem.

CCXXXI. *De electione abbatissæ.*

ABbatissa eligatur à cuncta congregatione, non secundum ordinem, sed quam melioris opinionis esse constiterit, & quam meliores elegerint. Et qui eam eligunt, proponant sanctis Euangeliis dicentes, quòd non propter amicitias vel gratiam humanam, sed scientes eam fide rectam, & vita castam, & administratione dignam, ad omnemque statum monasterii utilem: & tunc confirmetur ab Episcopo, cui monasterium subiectum est.

CCXXXII. *De diaconissa vel Deo devota.*

SI quis rapuerit, vel sollicitaverit, vel corruperit religiosam fœminam, bona amborum Ecclesia vindicet, in qua talis mulier habitavit: ipsi tamen capitali periculo subiiciantur. Quòd si hæc mulier consensit, cum suis rebus monasticæ cautioni tradatur: si verò liberos habet, pars legitima eis reservetur. Quòd si intra annum post cognitum tale scelus à religiosis locis non vindicetur, Comes loci illius hæc nostro fisco addicat. Si verò Comes provinciæ vindictam tali crimini imponi neglexerit, honore careat, & duas libras auri fisci iuribus dare compellatur.

CCXXXIII. *De restituendo monasterio.*

NEmini Regum aut cuiquam hominum in proprium liceat monasterium tradere, vel commutare, vel quocunque commento vendere, hoc etiam divina & Apostolica atque canonica sub anathematis pœna sanxit auctoritas. Quòd si factum fuerit, non valebit: sed is, qui accipit, precium amittat. Et qui distraxit, precium quod accipit, in ipso monasterio amittat, & una cum precio monasterium perdat, & ipsum monasterium in pristinum reformetur statum.

CCXXXIIII. *De litigatoribus.*

IN civitatibus, in quibus præsides præsunt, ipsi audiant causas, seu & defensores. Qui autem Episcopos, vel sacerdotes, aut clericos iudicare sibi maluerint, hoc quoque fieri non permittimus.

CCXXXV. *De scænicis.*

SI quis ex scænicis vestem sacerdotalem, aut monasticam, vel mulieris religiosæ, vel qualicunque Ecclesiastico statu similem indutus fuerit, corporali pœnæ subsistat, & exilio tradatur.

CCXXXVI. *De præscriptione* XL. *annorum.*

NEc decem anni, neque viceni, vel XXX. annorum præscriptio, religiosis domibus opponatur, sed sola XL. annorum curricula: & non solum in ceteris rebus, sed etiam in legatis, & hereditatibus.

CCXXXVII. *Vt nemo audeat Episcopum, aut sacerdotem, vel clericum apud publicos iudices accusare.*

SAncitum est, ut nullus Episcopum, aut sacerdotem, vel clericum apud iudices publicos accusare præsumat, sed apud Episcopos.

CCXXXVIII. *Ne ullus sacerdos iudicetur, nisi præsentes sint ipsius accusatores, iidemque legitimi.*

A sancta Rōmana & Apostolica Ecclesia olim statutum est, & à nobis synodali sententia confirmatum, ut nullus ex sacerdotali catalogo iudicetur, aut damnetur, nisi accusatus accusatores legitimos præsentes habeat, locumque defendendi ad abluenda crimina accipiat.

CCXXXIX. *Vt vita accusantium primò discutiatur.*

ITem à prædicta sancta Romana & Apostolica Ecclesia sancitum est, & ab omnibus synodali auctoritate decretum, ut semper primò persona, fides, vita, & conversatio accusantium enucleatim perscrutetur: postea, quæ obiiciuntur, fideliter pertractentur. Quia non aliter fieri quidquam debet, nisi prius impetitorum vita discutiatur.

CCXL. *De testibus requirendis in accusatione clericorum.*

PLacuit, ut si quis aliquem clericorum in accusatione fornicationis impetierit, secundum præceptum Pauli Apostoli legitima testimonia requirantur ab illo. Quòd si non potuerit datis testimoniis adprobare quod dixit, excommunicationem accusati accusator accipiat.

CCXLI. *De culpabili persona non recipienda.*

SI accusatoris persona in iudicio Episcoporum culpabilis appuerit, ad arguendum non admittatur, nisi de propriis causis.

CCXLII. *De*

CCXLII. *De non iudicando quemquam ante nominatam causam.*

NOn est iustum iudicare aut condemnare virum, cuius causa ad liquidum non est examinata.

CCXLIII. *De non iudicando maiorem à minore.*

MAior à minore non potest iudicari.

CCXLIIII. *De non iudicando quemquam absque legitimo accusatore.*

IVdicis non est quemlibet iudicare vel condemnare, absque legitimo accusatore: quoniam & Dominus Iudam furem esse sciebat, sed quia non est accusatus, ideo non est eiectus.

CCXLV. *De eo, qui frequenter litigat, ut non suscipiatur absque examine.*

EIus qui frequenter litigat, & ad accusandum est facilis, accusationem absque grandi examine nemo recipiat.

CCXLVI. *De rimando enucleatim causam in iudicio, & sæpe ventilando.*

IVdicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plana inquisitione discutere, interrogandi ac proponendi adiiciendique patientia præbita ab eo, ut ibi actio partium limitata sit pleniter. Nec prius litigantibus sua velit sententia obviare, nisi quando ipsi peractis omnibus iam nihil amplius habuerint in quæstione, quod proponat: & tam diu actio ventiletur, quousque rei veritas perveniat. Frequenter interrogari oportet, ne aliquid prætermissum fortè remaneat, quod adnecti conveniat.

CCXLVII. *De his, qui se putant per testes redemptos ad sacerdotum accusationem admitti, ut non admittantur, nisi omni suspicione caruerint.*

SVnt quidam qui contra Ecclesiasticam regulam pugnare videntur, & per testes redemptos putant se ad accusationem admitti debere, hi omnino non admittantur, nisi actis publicis docuerint, omni se suspicione carere.

CCXLVIII. *Vt nullus contra religionem faciat.*

NOn liceat Imperatori vel cuiquam pietatem custodienti aliquod contra mandata divina præsumere.

CCXLIX. *Quòd laicis non sit de religione præsumendum.*

LAicis quamvis religiosis, nulli tamen de Ecclesiasticis facultatibus, vel de Deo dicatis hominibus, aliquid ad disponendum attribuatur facultas.

CCL. *Vt liceat maiores iudices appellare, quotiens necessitas ingruerit.*

QVandócunque à quibuslibet iudicibus Ecclesiasticis ad alios iudices Ecclesiasticos, ubi est maior auctoritas, fuerit provocatum, non eis denegetur, qui provocaverint.

CCLI. *De iniusto iudicio, Principis metu vel iussu terminato, cassando.*

INiustum iudicium, & definitio iniusta, regio metu vel iussu à iudicibus ordinata, non valeat.

EXPLICIT LIBER QVINTVS.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SEXTI.

XXV. *De patre puellæ, si eam dare noluerit, ut reddat pecuniam iuxta morem dotis.*

XXVI. *De maleficis.*

XXVII. *De his, qui cum iumento coierint.*

XXVIII. *De his, qui diis immolant, vel advenas affligunt.*

XXIX. *De decimis & primitiis Domino offerendis.*

XXX. *De deposito vel pignore dato.*

XXXI. *De turpitudine proximi non revelanda.*

XXXII. *De homine qui dormierit cum muliere ancilla.*

XXXIII. *Non debere augurari, nec observare magos & ariolos.*

XXXIIII. *De honorando sene.*

XXXV. *Nihil agendum contra æquitatem.*

XXXVI. *De eo, qui mœchatur cum uxore proximi sui.*

XXXVII. *De eo, qui dormierit cum noverca sua.*

XXXVIII. *De eo, qui propter Deum furtum confessus fuerit.*

XXXIX. *De eo, qui ferro percusserit hominem.*

XL. *Vt propter unius testimonium nullus condemnetur.*

XLI. *De decimis separandis.*

XLII. *De eo, qui ambulans per viam nidum avis invenerit.*

XLIII. *Vt cum ædificatur domus nova, fiat murus per circuitum domus.*

XLIIII. *De vinea altero semine non serenda.*

XLV. *Vt non aretur in bove simul & asino.*

XLVI. *Non induendum vestimentum quod ex lana & lino contexitur.*

XLVII. *De puella virgine desponsata.*

XLVIII. *De desponsata virgine in agro reperta.*

XLIX. *Vt eunuchus attritis testiculis Ecclesiam Domini non intret.*

L. *De pecunia ad usuram non fœneranda.*

LI. *De voto non differendo.*

LII. *Vt homo, qui uxorem acceperit, non accedat ad bellum.*

LIII. *Vt non occidantur patres pro filiis, nec filii pro patribus.*

LIIII. *De eo, qui vim à persecutoribus patitur, ut suscipiatur.*

LV. *De muliere, quæ cum viro suo non potest nubere.*

LVI. *Vt absque consensu Episcopi oblationes non accipiantur.*

LVII. *Vt presbyteri civitatis sine iussu sui Episcopi nihil iubeant.*

LVIII. *Ne presbyteri rem Ecclesiæ absque licentia Episcopi sui vendant.*

LIX. *Si presbyter vel diaconus deseruerit Ecclesiam suam, deponatur.*

LX. *De presbyteris, vel diaconibus, aut subdiaconibus, à propriis Episcopis exauctoratis.*

LXI. *Si quis Episcopus, presbyter, diaconus vel subdiaconus ad bellum processerit, deponatur.*

LXII. *Vt presbyteri alterius regionis non sacrificent, præsentibus presbyteris ipsius regionis.*

LXIII. De

CXLIX.	*Ne quisquam accusetur, vel puniatur, nisi manifestis indiciis scelus patuerit..*
CL.	*Vt ita valeat commutatio, sicut & emptio.*
CLI.	*Si timore compulsus quisquam se servum esse dicat.*
CLII.	De *presbyteris vel diaconibus sine Episcopi sui epistolis ambulantibus.*
CLIII.	*Vt unus Abba duobus monasteriis minimè præsideat.*
CLIIII.	De *presbyteris vel reliquis clericis non distringendis à secularibus iudicibus, sed à suis Episcopis.*
CLV.	*Vt clerici iudices seculares non adeant.*
CLVI.	De *secularibus, qui per calumniam Ecclesiam vel clericos fatigare præsumunt.*
CLVII.	*Ne testificentur manumissi.*
CLVIII.	De *his, qui cum furibus conscii fuerint.*
CLIX.	*Si possessor per violentiam expellatur.*
CLX.	*Vt fideles fidem sanctæ Trinitatis discant.*
CLXI.	De *contumacibus presbyteris vel clericis.*
CLXII.	De *iudicibus clericis, calumniam vel iniuriam inferentibus.*
CLXIII.	*Vt orationem Dominicam omnes discant fideles.*
CLXIIII.	*Vt nullus Episcopus alterius Episcopi, vel presbyter etiam alterius presbyteri parochiam invadat.*
CLXV.	*Vt monasteriis vel reliquis Ecclesiis res non auferantur, vel ipsæ à quoquam inquietentur.*
CLXVI.	*Vt nullus Episcopus sine cõsensu aliorum se præferat anteriori.*
CLXVII.	*Vt populi oblationes sacerdotibus in Ecclesia offerant: & ut omni die Dominica communicent.*
CLXVIII.	*Vt sacerdotes signa tangant horis canonicis.*
CLXIX.	De *stolis gestandis.*
CLXX.	*Vt secreta non incipiatur, nisi post hymnum finitum.*
CLXXI.	*Vt adnuntietur Symbolum fidelibus à sacerdotibus.*
CLXXII.	*Vt presbyteri adnuntient viris & fœminis, nisi memoriter Symbolum & orationem Dominicam tenuerint, de sacro fonte filiolos vel filiolas non suscipiant.*
CLXXIII.	*Vt silentium in Ecclesia teneatur, & devotè verbum Dei audiatur.*
CLXXIIII.	*Vt Episcopis infantuli ad confirmandum præsententur.*
CLXXV.	*Vt presbyteri sine sacro chrismate, oleoq; benedicto non proficiscantur.*
CLXXVI.	*Vt presbyteri oleum infirmorum ab Episcopo expetant.*
CLXXVII.	*Vt nullus presbyter parochianus alibi præsumat chrisma accipere, nisi ab Episcopo suo in cœna Domini.*
CLXXVIII.	*Vt baptizari non præsumatur, nisi in vigilia Paschæ & Pentecostes.*
CLXXIX.	*Vt instruantur fideles, qui parvulos de sacro fonte suscipere cupiunt.*

CCXXXVII.

CCLXXXVII.

EXPLICIVNT CAPITVLA.

INCIPIT LIBER SEXTVS.

NONNVLLA CAPITVLA LEGIS DIVINÆ.

De effusione sanguinis.

QVICVNQVE effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.

II. *Quòd hi, qui nomen Domini in vanum assumpserint, graviter feriantur.*

NOn assumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.

III. *De honorando patre & matre.*

HOnora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram.

IIII. *Vt qui vendiderit filiam suam in famulam, non egrediatur sicut ancilla.*

SI quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur, sicut ancillæ exire consueverunt. Si placuerit domino suo, cui vendita est, dimittat eam liberam: & ad alium populum non licet ipsam vendere.

V. *Vt qui hominem percusserit, morte moriatur.*

QVi hominem percusserit, volens occidere, morte moriatur.

VI. *De eo, qui per industriam proximum voluerit occidere.*

SI quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias: ab altari meo evelles eum, ut moriatur.

VII. *De eo, qui percusserit patrem aut matrem.*

QVi percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur.

VIII. *Non maledicendum patri vel matri.*

QVi maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur.

IX. *De eo, qui hominem furatus fuerit, & vendiderit.*

QVi furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, & convictus fuerit, morte moriatur.

X. *De his, qui rixati inter se fuerint, & percusserit alter alterum.*

SI rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, & iacuerit in lecto, si surrexerit & ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit; ita tamen ut operas & impensas eius in meditos restituat.

XI. *De eo, qui percusserit servum suum vel ancillam lapide vel virga, & mortui fuerint.*

QVi percusserit servum suum vel ancillam lapide vel virga, & mortui fuerint in manibus eius, reus erit. Si autem uno die supervixerit, vel duobus, non subiacebit pœnæ, quia pecunia eius est.

XII. *Vt si aliqui inter se fuerint rixati, & percusserit ex eis aliquis mulierem prægnantem.*

SI rixati fuerint homines, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum fecerit, si ipsa vixerit, subiacebit damno, quantum expetierit maritus mulieris, & arbitri iudicaverint.

XIII. *Quòd si mulier mortua fuerit, reddet percussor animam pro anima.*

SI autem mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.

XIIII. *Vt quicunque oculum servo vel ancillæ eruerit, liberos eos dimittat.*

SI percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittat eos liberos pro oculo, quem eruit. Dentem verò si excusserit servo vel ancillæ suæ, simili sententiæ subiaceat.

XV. *De bove cornupetá, qui virum vulneraverit, vel mulierem; & de domino illius.*

SI bos cornupeta virum aut mulierem occiderit, lapidibus obruatur, & non comedetur. Dominus cuius bos est, innocens erit. Quòd si bos cornupeta fuerit ab heri & nudius tertius, & contestati sunt dominum illius, nec reclusit eum, occideritque virum aut mulierem, & bos lapidibus obruatur, & dominum illius occidant. Quòd si pretium ei fuerit impositum, dabit pro anima sua quidquid fuerit postulatus.

XVI. *De eo, qui cisternam aperuerit, & foderit.*

SI quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos vel asinus in eam, dominus cisternæ reddet precium iumentorum. Quod autem mortuum est, ipsius erit.

XVII. *De*

XVII. *De bove alieno, si alterius bovem vulneraverit.*

SI bos alienus bovem alterius vulneraverit, & ille mortuus fuerit, vendent bovem vivum, & divident pretium & cadaver. Si autem dominus eius sciebat, quòd bos vitiosus erat, & noluerit eum custodire, reddet bovem pro bove, & cadaver integrum accipiat.

XVIII. *De eo, qui bovem aut ovem furatus fuerit.*

QVi furatus fuerit bovem aut ovem, quinque boves pro uno restituat, & quatuor oves pro una ove.

XIX. *De fure, qui domum suffodiens repertus fuerit.*

SI effregerit fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis: quòd si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur. Si inventus fuerit apud eum, qui furatus est, vivens sive bos sive asinus restituatur.

XX. *De eo, qui læserit agrum vel vineam.*

SI læserit quispiam agrum vel vineam, & dimiserit iumentum suum, ut depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro vel in vinea, pro damni æstimatione restituat.

XXI. *De eo, qui ignem succenderit in agris, ut damnum restituat.*

SI egressus ignis invenerit spicas, & comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris; reddet damnum, qui ignem succenderit.

XXII. *De eo, qui commendaverit amico pecuniam.*

SI quis commendaverit amico pecuniam aut vas in custodiam, & ab eo, qui susceperit, furto ablatum fuerit: si invenitur fur, duplum reddat. Si latet, dominus domus applicabitur ad deos, & iurabit quod non extenderit manum in rem proximi sui, ad perpetrandam fraudem in bove vel asino, & ove ac vestimento, & quidquid damnum inferri potest, ad deos utriusq; causa perveniat: & si illi iudicarint, duplum restituat proximo suo.

XXIII. *De asino, bove, ove, omnique iumento, amico ad custodiendum tradito.*

SI quis commendaverit amico asinum, bovem, ovem, & omne iumentum ad custodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit, iusiurandum erit in medium, quòd non extenderit manum in rem proximi sui: suscipiatque dominus iuramentum, & ille reddere non cogetur. Si verò furto sublatum fuerit, restituat damnum domino suo. Si comestum à bestia, deferat ad eum quod occisum est, & non restauretur. Qui à proximo suo quidquam horum mutuò postulaverit, & debilitatum aut mortuum fuerit domino non præsente, reddere cõpellatur.

Quòd si inpræsentiarum dominus fuerit, non restituatur, maximè si conductus venerit pro mercede operis sui.

XXIIII. *De eo, qui seduxerit virginem necdum desponsatam, & dormierit cum ea.*

SI seduxerit quis virginem necdum desponsatam, & dormierit cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem.

XXV. *De patre puellæ, si eam dare noluerit, ut reddat pecuniam iuxta morem dotis.*

SI pater noluerit virginem dare, reddat pecuniam iuxta morem dotis, quam virgines accipere consueverunt.

XXVI. *De maleficis.*

MAleficos non patiaris vivere.

XXVII. *De his, qui cum iumento coierint.*

QVi coierit cum iumento, morte moriatur.

XXVIII. *De his, qui diis immolant, vel advenas affligunt.*

QVi immolat diis, occidatur. Advenam non contristabis, neque affliges eum.

XXIX. *De decimis & primitiis Domino offerendis.*

DEcimas tuas & primitias non tardabis offerre Domino, de filiis tuis primogenitis. De bobus quoque & de ovibus similiter facies. Septem diebus sit cum matre sua, die octavo reddes illum Domino.

XXX. *De deposito vel pignore dato.*

DEpositum tuum, aut pignore datum, aut si aliquis sibi commendata cœlaverit, aut si rem perditam invenerit, & iuraverit non invenisse, convictus delicti reddet omnia, quæ per fraudem voluerit obtinere: tertiam & quintam insuper partem domino, cui fraudem intulerit.

XXXI. *De turpitudine proximi non revelanda.*

OMnis homo ad sanguinem proximi sui non accedat, ut revelet turpitudinem: & nullam discooperies turpitudinem mulieris, quia vestra turpitudo est.

XXXII. *De homine, qui dormierit cum muliere ancilla.*

HOmo si dormierit cum muliere coitu seminis, quæ fuerit ancilla etiam nobilis, & tamen pretio non redempta, sed libertate donata, vapulabunt ambo, & non moriantur.

XXXIII. *Non debere augurari, nec observare magos & ariolos.*

NOn auguramini, nec observabitis ad magos, nec ad ariolos, nec aliquid sciatis per eos. Ego Deus vester.

XXXIIII. De

XXXIIII. *De honorando sene.*

COram cano capite consurgite, & honorate personam senis, & timete Deum.

XXXV. *Nihil agendum contra æquitatem.*

NOlite iniquum aliquid facere in iudicio, in regula, in pondere, in mensura: statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquusque sextarius.

XXXVI. *De eo, qui mœchatur cum uxore proximi sui.*

QVi mœchatus fuerit cum uxore alterius, & adulterium fecerit cum coniuge proximi sui, morte moriantur & mœchus & adultera.

XXXVII. *De eo, qui dormierit cum noverca sua.*

QVi dormierit cum noverca sua, & revelaverit ignominiam patris sui, moriantur ambo: sanguis eorum super eos.

*XXX*VIII. *De eo, qui propter Deum furtum confessus fuerit.*

SI propter Deum confessus fuerit homo furtum, quod fecit, reddet capitale, & quintam partem desuper ei, in quem peccavit.

XXXIX. *De eo, qui ferro percusserit hominem.*

SI quis ferro percusserit hominem, & mortuus fuerit; qui percussit, reus erit homicidii, & ipse morietur.

XL. *Vt propter unius testimonium nullus condemnetur.*

AD unius testimonium nullus condemnabitur.

XLI. *De decimis separandis.*

SEparabis decimas ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore, & repones inter ianuas tuas, fœnerabisque ea sacerdotibus & Levitis, advenis & peregrinis, pupillis & viduis, & benedicat te Dominus Deus tuus cunctis diebus vitæ tuæ.

XLII. *De eo, qui ambulans per viam nidum avis invenerit.*

SI ambulas per viam, & nidum avis inveneris in arbore vel in terra, & matrem pullis desuper incubantem, non tenebis eam cum filiis, sed abire patieris, captos tenens pullos suos, ut benedicat te Dominus.

XLIII. *Vt cum ædificatur domus nova, fiat murus per circuitum domus.*

CVm ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domum tuam, & sis reus labente alio, & in præceps ruente.

XLIIII. De *vinea altero semine non serenda.*

NOn seres vineam tuam altero semine: nisi quæ nascuntur & vinea, pariter sanctificentur.

XLV. *Vt non aretur in bove simul & asino.*

NOn arabis in bove simul & asino.

XLVI. *Non induendum vestimentum, quod ex lana & lino contexitur.*

NOn indues vestimentum, quod ex lana & lino textum est.

XLVII. De *puella virgine desponsata.*

SI quis puellam virginem desponsaverit, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum ea, adducas utrosque ad portam civitatis illius, & lapidibus obruentur: puella, quia non reclamavit, cum esset in civitate; & vir, quia humiliavit eam.

XLVIII. De *desponsata virgine in agro reperta.*

SI autem in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est, & dormierit cum illa, ipse moriatur solus: puella nihil patiatur.

XLIX. *Vt eunuchus attritis testiculis Ecclesiam Domini non intret.*

NOn intrabit eunuchus attritis vel amputatis testiculis, & abscisso veretro, Ecclesiam Domini: nec ingrediatur eam manzer, hoc est, de scorto natus.

L. De *pecunia ad usuram non fœneranda.*

NOn fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec frugem, nec quamlibet aliam rem.

LI. De *voto non differendo.*

CVm voveris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, donec facies, quod ore proprio Domino promisisti.

LII. *Vt homo, qui uxorem acceperit, non accedat ad bellum.*

CVm acceperit homo uxorem, non accedat ad bellum, nec ei ullæ iniungantur necessitates publicæ: sed vacabit absque culpa Domini sui, & ut uno anno lætetur cum uxore sua.

LIII. *Vt non occidantur patres pro filiis, nec filii pro patribus.*

QVod non occidantur patres pro filiis, nec filii pro patribus; sed unusquisque pro peccato suo morietur.

LIIII. De *eo, qui vim à persecutoribus patitur, ut suscipiatur.*

SI quis vim à persecutoribus passus fuerit, suscipiatur: & requiem inveniat, ad quamcunque Ecclesiam venerit.

LV. De

LV. *De muliere, quæ cum viro suo non potest nubere.*

SI vir & mulier coniunxerint se in matrimonium, & postea dixerit mulier de viro, non posse nubere cum eo; si poterit probare, quòd verum sit, accipiat alium, eo quòd iuxta Apostolum non potuit illi reddere suum debitum.

LVI. *Vt absque consensu Episcopi oblationes non accipiantur.*

VT præter consensum Episcopi oblationes fructuum Ecclesiæ debitas nullus vel dare vel accipere audeat.

LVII. *Vt presbyteri civitatis sine iussu sui Episcopi nihil iubeant.*

VT presbyteri civitatis sine iussu sui Episcopi nihil iubeant, nec in unaquaque parochia aliquid agant.

LVIII. *Ne presbyteri rem Ecclesiæ absque licentia Episcopi sui vendant.*

VT presbyteri rem Ecclesiæ sine licentia vel scientia sui Episcopi non vendant, nec cuiquam tribuant.

LIX. *Si presbyter vel diaconus deseruerit Ecclesiam suam, deponatur.*

VT presbyter vel diaconus, qui deserit Ecclesiam suam, & ad aliam transierit, deponatur.

LX. *De presbyteris, vel diaconibus, aut subdiaconibus, à propriis Episcopis exauctoratis.*

VT presbyter, vel diaconus, aut subdiaconus, si à proprio Episcopo exauctoratus sanctum ministerium incipiat prærumpere, spem restitutionis non habeat.

LXI. *Si quis Episcopus, presbyter, diaconus, vel subdiaconus, ad bellum processerit, deponatur.*

SI quis Episcopus, presbyter, aut diaconus, vel subdiaconus ad bellum processerit, & arma bellica indutus fuerit ad belligerandum, ab omni officio deponatur, in tantum, ut nec laicam communionem habeat.

LXII. *Vt presbyteri alterius regionis non sacrificent, præsentibus presbyteris ipsius regionis.*

VT presbyteri alterius regionis, præsentibus ipsius regionis presbyteris, non sacrificent.

LXIII. *De uxoribus & viris se dimittentibus.*

VT hi vel hæ, qui uxores aut viros dimittunt, non nubant: sed aut continentes maneant, aut sibimet reconcilientur.

LXIIII. *De Episcopis litigantibus, vel iudicatis.*

SI litem habuerit Episcopus cum alio Episcopo, non alterius, sed suæ provinciæ iudices quærat: & ut iudicato in aliqua causa Episcopo, liceat iterare iudicium, & si necesse fuerit, liberè Episcopum adire Romanum.

LXV. *Ab hæretico nullus benedictionem accipiat.*

VT ab hæretico benedictionem nullus accipiat.

LXVI. *De orationibus ad Patrem dirigendis.*

VT nullus in precibus nisi ad Patrem dirigat orationem: & ut prius eas cum instructioribus vel eruditioribus tractet.

LXVII. *De presbytero ab alio Episcopo ordinato.*

ORdinatus clericus ab alio Episcopo, non deprecante vel consentiente suo, in clero non maneat.

LXVIII. *De illis presbyteris, qui nesciunt iuxta præceptum Salvatoris baptizare.*

ILlos homines, quos illi presbyteri baptizaverunt, qui nescierunt iuxta præceptum Domini Salvatoris nostri Iesu Christi baptizare, neque sanctæ Trinitatis mystica verba invocare. Propterea iubemus eos baptizari, quia sine fide sanctæ Trinitatis sunt baptizati.

LXIX. *De missis nostris, qualiter cum Episcopis singularum regionum circa Ecclesias Dei, eiusq; sacerdotes agere debeant.*

VT missi nostri unà cum Episcopis propriis magnam curam habeant, quatenus dirutæ Ecclesiæ pleniter restaurentur atque ornentur. Et quæ dotatæ non sunt, vel quæ dotem suam perditam vel subtractam habent, pleniter & canonicè dotentur: ut quòd iniustè perdiderunt, iustè recipiant. Et si eas dotare noluerint quorum sunt, aut subtracta reddere noluerint, Episcopus proprius ad dominum suæ sedis Ecclesiæ eas revocet, futuris temporibus possidendas. Quod si aliquis liberorum his resultaverit, ab Episcopo eiusdem loci reliquiæ ex his auferantur, & in meliori loco ponantur, & ipsæ destruantur vel crementur.

LXX. *De eo, qui semetipsum occidit, aut laqueo se suspendit.*

DE eo qui semetipsum occidit, aut laqueo se suspendit, consideratum est, ut si quis compatiens velit eleemosynam dare, tribuat, & orationes in psalmodiis faciat: oblationibus tamen & missis ipsi careant, quia incomprehensibilia sunt iudicia Dei, & profunditatem consilii eius nemo potest investigare.

LXXI. *Vt incestuosi & parricidæ canonicè coërceantur.*

DE incestuosis & parricidis, ut canonicè coërceantur, sicut de illo iudicatum est, qui materteræ suæ filiam stupravit, ut coniugium ultra non petat,

petat, & militiæ cingulum derelinquat, & aut monasterium petat, aut si foris remanere voluerit, tempora pœnitentiæ secundum canones pleniter desolvat.

LXXII. *Vt nec à clerico phylacteria, nec ab ullo fiant Christiano.*

VT à clericis vel laicis phylacteria, vel falsæ inscriptiones, aut ligaturæ, quæ imprudentes pro febribus aut aliis pestibus adiuvare putant, nullo modo vel ab illis vel à quoquam Christiano fiant, quia magicæ artis insignia sunt: sed pro infirmitate illud quod Apostoli & canones sanxerunt, id est, orationes, & sacri olei unctio fiat.

LXXIII. *Vt nullus presbyter amplius quam unam Ecclesiam sibi vindicet.*

PLacuit omni synodali conventui, ut nullus presbyterorum amplius quàm unam Ecclesiam sibi vindicare præsumat. Quia sicut quisque secularis non amplius quàm unam habere debet uxorem, ita & unusquisque presbyter non amplius, quàm unam habere debet Ecclesiam.

LXXIIII. De *letania maiore, ut more Romano celebretur.*

VT letania maior more Romano ab omnibus in VII. Kalend. Maij celebretur.

LXXV. *Vt nullus vitam sine communione finiat, nec unctione benedicti olei careat.*

SI infirmitate depressus quis fuerit, vitam sine communione non finiat, nec unctione sacrati olei careat: & si finem perspiciat, sacrosancto corpore, Deo anima eius à sacerdote precibus commendetur.

LXXVI. De *presbyteris degradatis, & post degradationem multis sceleribus implicatis.*

PResbyteri degradati, & post degradationem multis sceleribus implicati, ad pœnitentiam publicam secundum canones redigantur.

LXXVII. De *his, qui volunt aquam consecratam accipere.*

QVòd in sabbato sancto Paschæ, vel in sabbato Pentecostes, si qui velint aquam consecratam ad aspersionem ad domos suas recipere, ante chrismatis infusionem accipiant.

LXXVIII. De *clericis & presbyteris, si Episcopis suis obedire nolint, ut excommunicentur.*

CLerici & populi si Episcopis suis canonicè obedire noluerint, excommunicentur.

LXXIX. De *Episcopo Metropolitano.*

DIgnum est ut metropolitanus, qui est pallio sublimatus, honoretur, & ceteros admoneat.

LXXX. *Vt unusquisque progeniem suam usque ad septimam generationem observet.*

PRogeniem suam unumquemque usque ad septimam observare decernimus generationem: & quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad huius copulæ non accedant societatem.

LXXXI. *De presbyteris ab ignotis Episcopis ordinatis.*

PResbyteros, quos unusquisque Episcopus in sua parochia reperit, si incogniti fuerint viri illi, à quibus sunt ordinati, & dubium est eos Episcopos fuisse an non, qui eos ordinaverunt, si bonæ actionis & catholici viri sunt ipsi presbyteri, & in ministerio Christi, omnique lege sancta edocti & apti, ab Episcopo suo benedictionem presbyteratus suscipiant, & consecrentur, & sic ministerio sacro fungantur.

LXXXII. *Vt si quis homini aliquo iteranti mansionem vetaverit, LX. solid. componat.*

SI quis homini aliquo pergenti in itinere mansionem vetaverit, LX. solid. componat in publico.

LXXXIII. *Vt omnibus maxima cura sit, ne sine confirmatione Episcopi vitam finiat aliquis.*

VT omnes maximam curam habeant, ne sine confirmatione Episcopi quis vitam finiat, animaque periclitetur.

LXXXIIII. *De his, qui fidelium oblationes auferunt, vel vastant, aut sine proprii Episcopi iussione dant, vel accipiunt.*

QVi fidelium oblationes ab Ecclesiis, vel à iure sacerdotum auferunt, vel ablatas accipiunt, non solum aliena vota disrumpunt, sed & sacrilegium operantur: nec non & Ecclesiæ Dei fraudatores existunt. Quia Ecclesiæ aliquid fraudari vel auferri, sacrilegium esse à maioribus approbatur.

LXXXV. *Vt presbyteri vel diaconi non migrent de loco ad locum, sine Episcopi proprii iussione.*

PResbyteri qui sine iussione proprii Episcopi de Ecclesiis ad alias Ecclesias migraverint, tamdiu à communione habeantur alieni, quamdiu ad easdem redierint Ecclesias, in quibus primitus sunt instituti.

LXXXVI. De *Episcopis & clericis peregrinis, ut contenti sint hospitalitatis munere: & nulli eorum liceat officium sacerdotale in alterius parochia agere, absque licentia Episcopi, in cuius parochia esse noscuntur.*

VT Episcopi atque clerici peregrini contenti sint hospitalitatis munere oblato, nullique eorum liceat ullum officium sacerdotale absque permissu Episcopi, in cuius parochia esse cognoscitur, agere.

LXXXVII. *Vt*

LXXXVII. *Vt nullus habeat nisi legitimum connubium.*

VT nulli liceat nisi legitimum habere connubium, nullus incestum faciat, nullus coniugem propriam, nisi ut sanctum Euangelium docet, fornicationis causa relinquat. Quod si quisque propriam expulerit coniugem legitimo sibi matrimonio coniunctam, si Christianus esse rectè voluerit, nulli alteri copuletur, sed aut ita permaneat, aut propriæ reconcilietur coniugi.

LXXXVIII. De *his, qui Episcoporum vocationem vel correctionem contempserint.*

SI quis secularium tam maioris ordinis quam inferioris peccatum fecerit, & vocatus sui Episcopi auctoritate ad emendationem ac pœnitentiam venire distulerit, tamdiu sit ab Ecclesia extorris, & Catholicorum consortio sequestratus, quousque quod commisit emendet, ac reatum suum usque ad satisfactionem canonicè diluat, atque reconciliatione proprii Episcopi divinis precibus indulgentiam consequatur & veniam: Ecclesiæque gremio, à cuius utero deviaverat, peracta satisfactione ab eodem immelioratus Episcopo canonicè reddatur.

LXXXIX. *Vt nullus laicorum ex prædiis Episcoporum quidquam accipiat.*

PRæcipimus, ut nullus laicorum vel clericorum ex prædiis vel rebus, quæ ad sedes pertinent Episcoporum, sive de illis Ecclesiarum rebus, quæ in eorum parochiis sitæ esse noscuntur, sine illorum iussione aut consensu Episcoporum, ad quorum pertinent curam, quidquam ambiant, concupiscant, atque accipiant: ne cupidos sanctarum rerum ignis, qui in eis est, illos favillosius exurat. Similiter omnes monemus, à cuncta Ecclesiarum omnium vastatione coërcere se suosque, ac compescere totis viribus studeant. Nam qui devastant Ecclesias, quid aliud intelligimus, quàm contra illum æterni imperii Deum & maiestatis, homines movere certamen, cum illæ ædes illi die noctuque famulentur, & illi sint consecratæ? Videant vastantes, pronuntiamus, ne ab illo, si se commoveat, vastentur, cuius percussionem montium dorsa ferre non possunt.

XC. De *eo, qui occiderit monachum aut clericum, ut arma relinquat.*

QVi occiderit monachum aut clericum, arma relinquat, & Deo in monasterio serviat cunctis diebus vitæ suæ, nunquam ad seculum reversurus, & septem annos publicam pœnitentiam gerat.

XCI. *Vt puella desponsata non detur alteri viro.*

PVellam desponsatam non licet parentibus dare alteri viro, tamen ad monasterium licet ire si voluerit.

XCII. *Vt baptizati cum catechumenis non manducent.*

NOn liceat baptizatis cum catechumenis manducare, nec osculum eis dare, vel ave illis dicere, quantò magis cum excommunicatis ab Episcopo, aut cum gentilibus?

XCIII. *De presbytero ordinato, qui se deprehenderit non esse baptizatum.*

SI quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, & ordinetur iterum, & omnes quos prius baptizavit.

XCIIII. *Si liber ancillam in matrimonium acceperit.*

SI quis liber ancillam in matrimonium acceperit, non habet licentiam dimittere eam, si prius consensu amborum convicti sunt.

XCV. *De raptoribus, & raptis virginibus vel viduis.*

SI quis alterius sponsam virginem aut viduam necdum desponsatam rapuerit, vel furatus fuerit, placuit, ut sive eam postea sponsaverit, sive dotaverit, seu non, sive cum parentum eius voluntate quocunque commento ipsam accipere vel tenere potuerit, nunquam illam uxorem habeat, sed raptori aut furi auferatur, & proximis suis alio viro tempore congruo, si ipsa hoc malum non consenserit, nuptura legibusque acceptura reddatur. Raptor verò sive fur, omnesque eius consentientes, publica pœnitentia iuxta canonicam auctoritatem mulctentur. Et proximi illius quidquid iniustè in tam nefando scelere egerunt, in triplo componant, & unamquamque rem semotim legibus in triplo restituant. Ipsa namque quæ rapitur, si aut primo aut postmodum tam nefario sceleri libens consenserit, nunquam posteà nubat, sed publica pœnitentia mulctetur: & sub tali custodia ponatur, ut ei nullatenus luxuriari cum quoquam liceat. Taliter enim memorata flagitia puniantur, ut omnes cognoscant, quoniam nec seculi leges tam nefandis coniunctionibus consentiant, nec sacri Canones consilium ullum præbeant: sed tales seculi leges, cooperatoresque eorum, capite feriri præcipiunt. Et sacri Canones spiritu Dei conditi non solum raptores, sed etiam omnes eorum cooperatores eisque consentientes anathemate feriunt, sicut in Calchedonensi concilio, in quo DCXXX. patres adfuerunt, Capitulo XXVII. cunctis legentibus patet.

XCVI. *De his, qui rapinas infra regnum faciunt. Ex Capitulis domni Hludovici in Inghilhaim Apostolica auctoritate & synodali sanctione, omnium videlicet clericorum ac laicorum generaliter consensu atque hortatu decretis.*

SI quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli, eique homini aliquid vi abstulerit in triplo, cui aliquid abstulerit, legibus componat, & insuper bannum nostrum, id est, LX. solidos nobis persolvat: postmodum verò ante nos à Comite adducatur, ut in bastonico retrusus, usque

usque dum nobis placuerit, pœnas luat. Nam si publicè actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam, iuxta sanctorum Canonum sanctionem. Si verò occultè, sacerdotum consilio ex hoc agat pœnitentiam: quoniam raptores, ut ait Apostolus, nisi veram egerint pœnitentiam, regnum Dei non possidebunt. Qui verò de rebus Ecclesiarum aliquid abstulerit, gravius inde iudicetur, quia sacrarum rerum ablatio sacrilegium est; & sacrilegus vocatur, qui ex his aliquid aut abstulerit, aut rapuerit. Infames quoque tales personæ usque ad satisfactionem Ecclesiæ, quam læserint, sunt habendæ.

XCVII. *De sacerdotibus, & Levitis, atque monachis interfectis, vel debilitatis.*

SI quis sacerdotem, vel Levitam, aut monachum interfecerit, vel debilitaverit, iuxta statuta priorum Capitulorum, quæ legi Salicæ sunt addita, componat: & insuper bannum nostrum, id est, LX. solid. nobis persolvat. Et arma relinquat, atque in monasterio diebus vitæ suæ sub ardua pœnitentia Deo serviat, nusquam postmodum seculo vel secularibus militaturus, neque uxori copulaturus.

XCVIII. *De his, qui Episcopo aliquam iniuriam vel dehonorationem fecerint.*

SI quis Episcopo aliquam iniuriam aut iniustam dehonorationem fecerit, de vita componat: & omnia quæ habere visus fuerit, Ecclesiæ cui præesse dinoscitur, integerrimè socientur. Et nobis in triplo bannus noster, id est, LX. solidi persolvantur: aut ipse in servitio fisco nostro serviturus semper societur, usque se redimere in triplo iuxta wirgildum suum potuerit. Sancta verò Ecclesia in sacerdotibus constat: idcirco magna pœna plectendi sunt, qui Episcopis vel reliquis sacerdotibus iniuriam vel contumeliam fecerint. Nam detractio sacerdotum ad Christum pertinet, cuius vice legatione in Ecclesia funguntur.

XCIX. *De religiosa muliere decepta, id est, veste mutata, vel religionem professa.*

SI quis rapuerit, aut sollicitaverit, vel corruperit religiosam fœminam, bona amborum Ecclesia vindicet, in qua talis mulier habitavit: ipsi tamen capitali periculo subiiciantur. Quòd si hoc mulier non consensit, cum suis rebus monasterii ditionibus tradatur. Si verò Comes ipsius pagi unà cum consilio sui Episcopi, in cuius parochia tale scelus commissum est, hoc vindicare neglexerit, honore careat, & cingulum amittat, atque publica pœnitentia mulctetur: & insuper wirgildum suum fisci iuribus dare compellatur.

C. *De blasphemia in Deum.*

SI quis quolibet modo blasphemiam in Deum iactaverit, ab Episcopo vel Comite pagi ipsius carceri usque ad satisfactionem tradatur: & publica pœnitentia mulctetur, donec precibus proprii Episcopi publicè reconcilietur, Ecclesiæque gremio canonicè reddatur.

CI. *De his, qui in domo sua oratorium fecerint.*

QVi in domo sua oratorium habuerit, orare ibidem potest: missas tamen in eo celebrare non audeat, nec agere cuiquam permittat, sine permissu vel dedicatione Episcopi loci illius. Quòd si fecerit, domus illius fisci iuribus addicatur. Comes verò qui hoc cognovit, & non prohibuit, publica pœnitentia mulctetur, vel honore privetur.

CII. *De privilegiis Ecclesiarum, & clericorum non corrumpendis.*

VT privilegia, quæ Ecclesiis & clericis ab antecessoribus nostris, vel nobis concessa sunt, semper maneant incorrupta.

CIII. *Ne Episcoporum vel reliquorum sacerdotum vita turbetur.*

NVllis vita præsulum perturbetur excessibus; quia valde indignum est, ut qui throni Dei vocantur, aliqua motione turbentur, aut iniquè tractentur. Vnde est illud: *Qui vos tangit, quasi pupillam oculi mei tangit.* Et illud: *Qui vos audit, me audit.* Et: *Qui vos spernit, me spernit.* Et rursus: *qui scandalizaverit unum de pusillis istis, melius est illi, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris*; & reliqua.

CIIII. *De clericis vel sacerdotibus, qui accipiunt Ecclesias sine licentia Episcopi sui, vel de una ad aliam transeunt.*

VT nemo accipiat Ecclesiam infra parochiam sine consensu Episcopi sui, nec de una ad aliam transeat.

CV. *De incestuosis, & criminosis, ac de infirmis, & pœnitentibus, atque de ieiunio quatuor temporum.*

VT de incestuosis & criminosis magnam curam habeant sacerdotes, ne in suis pereant sceleribus, & animæ eorum à districto iudice Christo eis requirantur. Similiter de infirmis ac pœnitentibus, ut morientes sine sacrati olei unctione, & reconciliatione, & viatico non deficiant: & ut quatuor temporum ieiunia à fidelibus diligenter custodiantur.

CVI. *Vt Episcopi iudices publicos moneant, ut rei carceribus reclusi Nativitate Domini, Pascha, & Pentecoste absolvantur, & missas illis audiant diebus, ac refecti fiant.*

VT Episcopus iudices publicos commoneat, ut in diebus celeberrimis, hoc est, nativitate Domini nostri Iesu Christi, & sancta resurrectione, & Pentecoste, quicunque miserrimi vinculis detinentur, relaxari debeant: ut propter ipsam reverentiam Domini nostri Iesu Christi ipsi debeant absolutionem promereri. Et si pastorem commonentem despexerit, quamdiu loci illius Episcopo visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.

CVII. De

CVII. *De possessionibus ad religiosa loca pertinentibus.*

POssessiones, ad religiosa loca pertinentes, nullam descriptionem agnoscant, nisi ad constitutionem viarum vel pontium; si tamen intra eadem loca habuerint possessiones. In aliis verò omnibus habeant integram immunitatem.

CVIII. *De monacho vel monacha.*

QVicunq; monachus vel monacha in monasterium sunt ingressi, nihil de rebus suis habeant potestatem faciendi, quamvis liberos habeant: sed omnia eorum sint monasterii, quæ eadem die iustè possidebant, quando ingressi sunt monasterium.

CIX. *De his, quæ à singulis Principibus Ecclesiis sunt concessa, & quæ singuli Antistites impetraverint, quòd sacrilegium sit hæc auferentibus: & de clericis, ut non accusentur ad iudices seculares, sed ad Episcopos proprios.*

QVæcunque à singulis Regibus circa sacrosanctas Ecclesias sunt constituta, vel singuli quiq; antistites pro causis Ecclesiasticis impetrarunt, sub pœna sacrilegii iugi solidata æternitate serventur. Clerici etiam non secularibus iudicibus, sed Episcopali audientiæ reserventur. Fas enim non est, ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.

CX. *De privilegiis Ecclesiarum.*

VT privilegia, quæ Ecclesiis & clericis à singulis Regibus, vel Episcopis, ceterisque rectoribus sunt concessa, semper maneant incorrupta.

CXI. *Vt ea, quæ ad religionem pertinent, locis suis & à suæ diœceseos synodis audiantur.*

QVæcunque sunt ad religionis observantiam pertinentia, locis suis, & à suæ diœceseos synodis audiantur.

CXII. *Vt privilegia Ecclesiarum semper maneant incorrupta.*

QVæcunque circa sacrosanctas Ecclesias à Principibus diversis sunt statuta, manere inviolata præcipimus.

CXIII. *Quòd sacrilegium sit, Ecclesiæ aliquid auferre, aut sacerdotibus, vel ministris, aut ipso sancto cultui locoq; iniuriam inferre.*

SI quis in hoc genus sacrilegii proruperit, ut in Ecclesias earumque res irruens sacerdotibus, & ministris, vel ipso cultui locoque aliquid, quod non oportet, iniuriæ inferat, divini cultus iniuriam in convictos sive confessos reos capitali sententia noverit vindicandum; nec expectetur, ut Episcopus iniuriæ propriæ ultionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi soli gloriam derelinquit. Sitque cunctis non solum liberum, sed etiam laudabile, factas atroces sacerdotibus aut ministris iniurias, veluti publicum crimen persequi, ac de talibus reis ultionem mereri.

CXIIII. *De his, qui Ecclesiastica privilegia violant, vel dissimulant.*

SI Ecclesiæ venerabilis privilegia cuiusquam fuerint temeritate violata, vel dissimulatione neglecta, commissum hoc in triplo, iuxta legum sanctionem, Ecclesiæ cui factum est, componatur: nobisque bannus noster in triplo, hoc est, LX. solid. persolvantur.

CXV. *Quòd hi, qui prædia Ecclesiastica diripiunt, vel vastant, sacrilegi sint, exilioq; damnandi.*

AB omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia sibi cœlestium secretorum dicata, à quibusdam intuentibus vexentur: quòd si quis præsumpserit, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos iure promenda est, exilio perpetuæ deportationis damnetur.

CXVI. *Vt Episcopi & reliqui sacerdotes ab omnibus nexibus sint liberi.*

COnsecratio Episcopos & reliquos domini sacerdotes tam à servilibus, quàm & à ceteris adscriptitiis conditionibus semper liberos facit. Idcirco præcipimus, ut nullus ab eis alia, nisi divina requirat servitia.

CXVII. *Ne Iudæis adhæreant vel deserviant Christiani.*

PLacuit ne Iudæis mancipia deserviant vel adhæreant Christiana.

CXVIII. *De sacrificiis per singulas missas à sacrificantibus sumendis.*

PLacuit, ut quotiescunque sacrificans corpus & sanguinem Christi Iesu Domini nostri in altario immolat, toties perceptionis corporis & sanguinis Christi se participem præbeat.

CXIX. *De chorepiscopis, ne deinceps fiant.*

PLacuit, ne chorepiscopi à quibusdam deinceps fiant: quoniam hactenus à nescientibus sanctorum patrum, & maximè Apostolicorum decretis, suisque quietibus ac delectationibus inhærentes, facti sunt. Idcirco & olim persæpe, & nostro à sancta Apostolica sede tempore sunt prohibiti, & ne deinceps à quoquam, tam ordinante quàm ordinari cupiente, talis præsumptio assumatur, à cunctis nostri regni Episcopis est synodo canonicè prohibitum.

CXX. *Ne Iudæi super Christianos magistri vel ministri ponantur.*

NE Iudæi administratorio usu sub ordine villicorum atque actorum Christianam familiam regere audeant, nec eis hoc à quoquam fieri præcipiatur. Si quis verò contra hæc agere præsumpserit, si Episcopus, aut presbyter, aut diaconus fuerit, proprio submoveatur à gradu; si verò monachus aut laicus fuerit, communione privetur: & si perseveraverint inobedientes, anathematizentur.

CXXI. De

CXXI. *De clericis falsariis.*

SI presbyter vel diaconus in causa pecuniaria falsum testimonium dixerint, per tres annos separentur à sacro ministerio; si in criminali causa falsum dixerint, deponantur, & legitimis poenis subiiciantur. Ceteri verò clerici, si in quacunque falsitate convicti fuerint, degradentur, & legitimis subiiciantur disciplinis.

CXXII. *Vt clerici non habeant actiones seculares.*

CLericus vel monachus neque exactor publicarum, neque conductor, aut vectigalium magister, vel curator domus, vel procurator litis, vel fideiussor in talibus causis fiat. Si quis contra hæc statuta fecerit, si Episcopus est, omnes istorum res ex quacunque causa vel persona, sive ante Episcopatum sive postea ad eum pervenerint, Ecclesiæ suæ eas vindicare sancimus: si verò alii clerici hoc fecerint, poenam pecuniarum, quam Episcopus existimaverit exigere, Ecclesiæ vindicandam. Hi verò qui actiones suas eis commiserint, vel fideiussores eos pro supradictis causis acceperint, nullam contra Ecclesiam, vel administratores eius, vel adversus ipsas personas, quas crediderunt, habeant actionem. Si verò quis eos publico debito vel actione crediderit, vel fideiussores eos receperit, de sua substantia fisci debitum compellatur exoluere.

CXXIII. *De clericis, qui de Ecclesia desistunt.*

CLericis de Ecclesia desistentibus, & aliis in loco revocatis, si redierint discessi, nihil eius præstetur: Hoc verò quod discedentes reliquerunt, non in usu rectorum, sed succedentibus cedat.

CXXIIII. *Quales sint clerici.*

NEmo fiat clericus, nisi qui bonum testimonium habet, & literatus est.

CXXV. *De multitudine clericorum.*

NE passim Episcopus multitudinem clericorum faciat, sed secundum meritum vel reditum Ecclesiarum numerus moderetur.

CXXVI. *De ordinationibus sacris.*

LEctor, subdiaconus, diaconus, presbyter, si clericatus honorem contempserint, curiali conditioni cum suis facultatibus subiiciantur.

CXXVII. *De iniuria Episcopi, & letania subversa.*

SI quis Episcopo, vel aliis ministris sanctæ Ecclesiæ, iniuriam fecerit, iubemus eum tormentis subiectum in exilio mori. Sed & si ipsa sancta oratoria, vel divina ministeria conturbaverit, vel letaniam everterit, capitali periculo subiaceat: si autem contumeliam tantum fecerit, tormentis & exilio tradatur.

CXXVIII. *Ne fideles ex propria consanguinitate uxores ducant, nec illi qui dudum minimè nupserint, sine benedictione sacerdotis nubere præsumant.*

CHristiani ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum connubia non ducant: neque sine benedictione sacerdotis, qui antè innupti erant, nubere audeant.

CXXIX. *De non recipiendis alienis pœnitentibus.*

QVi pro delicto suo à communione separantur, placuit, ut in quibuscunque locis fuerant exclusi, eisdem locis communionem consequantur.

CXXX. *Vt non liceat clericum vel monachum sine epistola Episcopi sui proficisci.*

CLericis vel monachis sine commendatitiis epistolis Episcopi licentia non pateat evagandi.

CXXXI. *De dotibus & publicis nuptiis.*

NVllum sine dote fiat coniugium, nec sine publicis nuptiis quisquam nubere præsumat.

CXXXII. *De rebus Ecclesiæ ablatis, aut fraudatis, vel retentis.*

SI quis cuiuscunque munuscula, Ecclesiæ sanctis scripturarum titulis conlata, nefaria calliditate abstulerit, fraudaverit, invaserit, retentaverit, atque suppresserit, & non statim à sacerdote commonitus Deo conlata reddiderit, ab Ecclesiæ catholicæ communione pellatur.

CXXXIII. *Vt nemo res Ecclesiæ, nisi cui iure debentur, in quibuslibet regionibus coniacentes, competere audeat vel tenere.*

VT nullus Episcoporum, aut cuiuslibet ordinis clericus, vel alia quæcunque persona, quibuslibet conditionibus, seu in uno regno seu in alio positas, alterius cuiuscunque Ecclesiæ res aut petat, aut præsumat accipere: quòd si fecerit, tamdiu habeatur à communione Ecclesiæ, vel ab omnium fratrum ac filiorum charitate suspensus, donec ipsi Ecclesiæ, cuius directo ordine iuris est, ablata legibus restituat.

CXXXIIII. *De his, qui facultates Ecclesiæ delegatas auferunt, vel retentant.*

NE cui liceat res vel facultates Ecclesiis, aut monasteriis, vel xenodochiis, pro quacunque eleemosyna cum iustitia delegatas retentare, alienare, atque subtrahere. Quòd si quis fecerit, tanquam necator pauperum, antiquorum Canonum sententiis constrictus, ab Ecclesiæ liminibus excludatur, quamdiu ab ipso ea, quæ sunt ablata aut retenta, reddantur.

CXXXV. Vt

CXXXV. *Vt socios suos nominet, apud quem pars rapinæ fuerit inventa.*

APud quem scelus agnoscitur, & pars rapinæ fuerit inventa, statim socios suos nominare cogatur: quòd si nominare noluerit, teneatur ad vindictam.

CXXXVI. *De his, qui diripienda indicare reperiuntur.*

QVicunque ingenuus vel servus aliquid diripiendum indicaverit, ut cuiuscunque res evertatur, aut pecora vel iumenta diripiantur, & ex hoc ceteris probationibus publicè convictus inveniatur, pro eo quod indicaverit, centum viginti flagella publicè extensus accipiat.

CXXXVII. *Vt Abbates in eius Episcopi, in cuius parochia sunt, potestate persistant.*

ABbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant. Et si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur: qui semel in anno, in loco ubi Episcopus elegerit, accepta vocatione conveniant.

CXXXVIII. *Vt nullus monachus relinquat suum monasterium, & cellas construat sine Episcopi vel Abbatis sui licentia.*

VT nullus monachus congregatione monasterii derelicta, ambitionis aut vanitatis impulsu cellam construere, sine Episcopi permissione, vel Abbatis sui voluntate, præsumat.

CXXXIX. *De apostatis.*

QVicunque post sanctæ religionis professionem apostatant, & ad seculum redeunt, & postmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, communionem penitus non accipiant: quos etiam iubemus ad clericatus officium non admitti.

CXL. *De excommunicatis.*

SI quis à communione sacerdotali fuerit auctoritate suspensus, hunc non solum à clericorum, sed etiam à totius populi colloquio atque convivio placuit excludi, donec resipiscens ad sanitatem redire festinet.

CXLI. *Ne iudices perfidorum excessus absque propriorum sacerdotum consilio iudicent.*

NE iudices quidquam de perfidorum excessibus extra sacerdotum conhibentiam iudicare præsumant.

CXLII. *De expositis infantibus, ac collectione eorum.*

SI expositus ante Ecclesiam cuiuscunque fuerit miseratione collectus, contestationis ponat epistolam. Et si [illegible] collectus est, intra decem dies quæsitus agnitusque non fuerit [illegible]s habeat qui collegit. Sane qui post prædictum tempus eius calumniator extiterit, ut homicida Ecclesiastica districtione damnabitur, sicut patrum sanxit auctoritas.

CXLIII. *De clericis relinquentibus officium suum, & ad seculares confugientibus.*

PLacuit, ut clericus, si relicto officio suo propter districtionem ad secularem fortasse confugerit, & solatium ei defensionis impenderit, cum eodem ab Ecclesiæ communione pellatur.

CXLIIII. *Vt servo non credatur, si super dominum suum, vel super alium liberum crimen iniecerit.*

SErvo penitus non credatur, si super aliquem crimen obiecerit, aut si etiam dominum suum in crimine impetierit. Nam etiamsi in tormentis positus exponat, quod obiicit, credi tamen illi nullo modo oportebit.

CXLV. *Vt testes ea tantum testificentur, quæ in conspectu eorum acta esse noscuntur.*

TEstes non absentes, neque per epistolam testimonium dicant, sed præsentes quam noverunt & viderunt, non taceant veritatem: nec de aliis causis testimonium dicant, nisi de his tantummodò, quæ sub præsentia eorum acta esse noscuntur. Super qua re sacra scriptura testatur dicens: *Damus,* inquiunt Pharisæi ad milites, *vobis pecuniam: & dicite, quia vobis dormientibus venerunt discipuli Iesu, & abstulerunt eum.* Vnde ait Augustinus: *Dormientes testes adhibes: verè tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti. Si dormiebant, quid videre potuerunt? Si nihil viderunt, quomodo testes sunt? Sed defecerunt scrutantes scrutationes.*

CXLVI. *Quales debeant scripturæ valere.*

SCripturæ, quæ diem & annum habuerint evidenter expressum, atque secundum legis ordinem conscriptæ esse noscuntur, seu conditoris vel testium fuerint signis aut subscriptionibus roboratæ, omni habeantur stabiles firmitate.

CXLVII. *De pactis, & placitis conservandis.*

PActa vel placita, quæ per scripturam legitimè ac iustissimè facta sunt, dummodo in his dies vel annus sit evidenter expressus, immutari non permittimus.

CXLVIII. *Contra priorum definitionem filio vel heredi non licere venire.*

FIlio vel heredi contra priorum iustam aut legitimam definitionem venire non liceat, quia iustè repellitur præsumptio illius, qui facta seniorum iniustè conatur inrumpere.

CXLIX. *Ne quisquam accusetur, vel puniatur, nisi manifestis indiciis scelus patuerit.*

Non passim damus accusandi vel puniendi licentiam, nisi aut manifestis indiciis patuerit scelus, aut legitimè fuerit idipsum malum accusatum atque convictum. Quatenus nulla videantur intentione vel ordine patrum transgredi præcepta sanctorum, aut obviari sacris regulis antiquorum.

CL. *Vt*

CL. *Vt ita valeat commutatio, sicut & emptio.*

COmmutatio si non fuerit per vim & metum extorta, talem qualem & emptio habeat firmitatem.

CLI. *Si timore compulsus quisquam se servum esse dicat.*

QVi timore compulsus servum se esse extra iudicium dixerit, nullum præiudicium libertatis incurrat, donec iudicio præsentetur; ut libertatem suam, [illegible]am probaverit, præsente iudice obtineat, aut si servus convincitur, statim domino reformetur.

CLII. *De presbyteris vel diaconibus sine Episcopi sui epistolis ambulantibus.*

PResbytero vel diacono sine antistitis sui epistolis ambulanti communionem nullus impendat.

CLIII. *Vt unus Abba duobus monasteriis minimè præsideat.*

VNum Abbatem duobus monasteriis interdicimus præsidere.

CLIIII. *De presbyteris vel reliquis clericis non distringendis à secularibus iudicibus, sed à suis Episcopis.*

VT nullus iudicum neque presbyteros, neque diaconos, neque reliquos clericos, vel iuniores Ecclesiæ, sine licentia proprii Episcopi per se distringat, aut condemnare præsumat. Quòd si fecerit, tamdiu communione privetur, quamdiu reatum suum agnoscat, & per satisfactionem emendet Ecclesiæ, quod commisit.

CLV. *Vt clerici iudices seculares non adeant.*

NVllus ex ordine clericorum inconsulto proprio Episcopo ad iudicem secularem pergat, neque apud eum, suo Episcopo non permittente, quemquam pulsare, aut cuiquam ante eum respondere, aut quidquam præponere præsumat, neque criminale negotium in iudicio seculari proponere audeat.

CLVI. *De secularibus, qui per calumniam Ecclesiam vel clericos fatigare præsumunt.*

SI quis secularium per calumniam, Ecclesiam vel res eius, aut clericos cuiuslibet ordinis fatigare tentaverit, & ex hoc convictus fuerit, ab Ecclesiæ liminibus, & catholica communione, nisi dignè pœnituerit, & per satisfactionem Ecclesiæ emendaverit, pellatur, & clericus ordine suo purgetur.

CLVII. *Ne testificentur manumissi.*

LIbertus vel liberta in nullis negotiis contra quemquam testimonium dicere admittantur, excepto in aliquibus causis, ubi ingenuitas

deesse dignoscitur: sicut permissum est & de servis. Quia indignum nostra pensat clementia, ut libertorum testimonia ingenuis damna concutiant. Qui verò de eisdem fuerint progeniti ad testimonium à tertia generatione admittantur.

CLVIII. *De his, qui cum furibus conscii fuerint.*

NOn solum ille, qui furtum fecerit, sed etiam & quicunque conscius fuerit, vel furto ablata sciens susceperit, in numero furantium habeatur, & simili vindictæ subiaceat.

CLIX. *Si possessor per violentiam expellatur.*

QVicunque violenter expulerit possidentem, priusquam pro ipso iudicis sententia præcedat, si causam meliorem habuerit, ipsam causam, de qua agitur, perdat. Ille verò qui violentiam pertulerit, universa in statu, quo fuerant, recipiat: & quæ possedit, securus teneat. Si verò illud invadit, quod per iudicium obtinere potuit, & causam amittat, & aliud tantum quantum invasit, reddat expulso.

CLX. *Vt fideles fidem sanctæ Trinitatis discant.*

VT fideles fidem sanctæ Trinitatis discant, in qua inter cetera credere oportet, quòd per Spiritum sanctum remissio peccatorum in baptismate, confirmatione, pœnitentia, & in ceteris canonicis decretis, sicut scriptum est, conferatur. Et quòd fidelibus in Ecclesia per Christum eiusdem sancti Spiritus dono per ministerium sacerdotale, & per pœnitentiam remissio peccatorum indubitanter adtribuatur: & quòd gentium omnium in vera carne in adventu Christi resurrectio futura sit; *& cetera.* Quam fidem memoriter teneant, & suis sacerdotibus eam reddant, & exponant per singula verba: & ipsi sacerdotes eam fideliter & pleniter atque veraciter populum doceant. Quoniam primum fundamentum Christianæ religionis, fides catholica est; & hæc fides tunc vera est, & fructuosa, si bonis operibus exornetur, id est, charitate, humilitate, castitate, continentia, sobrietate, unanimitate, concordia, iustitia, pietate, misericordia, innocentia, simplicitate, & ceteris his similibus, quæ omnia in dilectione Dei & proximi consistunt. Sine his enim nemo potest Deo placere, nec salvus esse.

CLXI. *De contumacibus presbyteris vel clericis.*

SI quis presbyterorum, diaconorum, vel reliquorum clericorum contumax, aut superbus, vel inobediens, aut rebellis Episcopo suo extiterit, gradum habentes proprio gradu careant: reliqui verò clerici, vel monachi, aut laici usque ad satisfactionem communione priventur.

CLXII. *De iudicibus clericis calumniam vel iniuriam inferentibus.*

SI iudex cuiuslibet ordinis clericum publicis actionibus inclinare, aut distringere, aut calumniare, vel iniuriare absque Episcopi sui permissu præsumpserit, usque ad Ecclesiæ satisfactionem cum omnibus tantis sceleribus auxili-

auxiliantibus aut faventibus communione privetur. Episcopus tamen non dimittat, ut iniuriam patientibus plenam de præfatis clericis iustitiam canonicè non faciat.

CLXIII. *Vt orationem Dominicam omnes discant fideles.*

VT fideles orationem Dominicam discant, & intelligant, & suis sacerdotibus eam verbo ex verbo reddant, & aliis fidelibus, qui eam nesciunt, doceant.

CLXIIII. *Vt nullus Episcopus alterius Episcopi, vel presbyter etiam alterius presbyteri parochiam invadat.*

VT nullus Episcoporum vel presbyterorum parochiam alterius invadat, sed contentus sit gubernatione creditæ sibi plebis.

CLXV. *Vt monasteriis vel reliquis Ecclesiis res non auferantur, vel ipsæ à quoquam inquietentur.*

VT monasteria, quæ Deo consecrata sunt, nulli liceat in aliquo inquietare, nec quidquam de eorum rebus violenter abstrahere.

CLXVI. *Vt nullus Episcopus sine consensu aliorum se præferat anteriori.*

VT nullus Episcoporum se præferat alteri per ambitionem, sed omnes agnoscant tempus & ordinem suæ ordinationis.

CLXVII. *Vt populi oblationes sacerdotibus in Ecclesia offerant: & ut omni die Dominica communicent.*

PLacuit ut fideles oblationes eorum sacerdotibus quotidie, si fieri potest, in Ecclesia offerant: & si quotidie non potest, saltem Dominica die absque ulla excusatione fiat. Et ut prædicationem audiant, & si fieri potest omni Dominica die communicent, nisi criminali peccato & manifesto impediantur: quia aliter salvi esse non possunt. Quoniam Dominus dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: & qui manducat me, vivit propter me.* Et cetera exempla, quæ prolixa sunt hic scribere.

CLXVIII. *Vt sacerdotes signa tangant horis canonicis.*

VT sacerdotes signa tangant horis canonicis, & illorum officium agant sive diurnale sive nocturnale. Quia scriptum est: *Sine intermissione orate:* & idcirco non dimittat horas canonicas.

CLXIX. De *stolis gestandis.*

VT sacerdotes stolas portent propter signum castitatis, sicut decretum est.

CLXX. *Vt secreta non incipiatur, nisi post hymnum finitum.*

TE DEUM igitur, non inchoënt sacerdotes, nisi post angelicum hymnum finitum.

CLXXI. *Vt adnuntietur Symbolum fidelibus à sacerdotibus.*

VT adnuntient presbyteri omnibus fidelibus sibi subiectis Symbolum & orationem Dominicam, ut sancto Spiritu inlustrante salventur.

CLXXII. *Vt presbyteri adnuntient viris & fœminis, nisi memoriter Symbolum & orationem Dominicam tenuerint, de sacro fonte filiolos vel filiolas non suscipiant.*

ADnuntient presbyteri, ut neque viri neque fœminæ de sacro fonte filiolos vel filiolas suscipiant, nisi memoriter Symbolum & orationem Dominicam tenuerint.

CLXXIII. *Vt silentium in Ecclesia teneatur, & devotè verbum Dei audiatur.*

PLacuit ut fideles silentium in Ecclesia teneant, & devotè verbum Dei audiant, & confessi veraciter de omnibus sceleribus suis sacerdotibus fiant, & mundent corpora & corda eorum, in quibus condignè habitare dignetur. Quoniam illis dictum est: *Templum Dei estis, in quibus habitare desidero.* Et ut eorum sacerdoti in omnibus obediant, & instruantur pro quibus missi, vel sacerdotes constituti sint, & intellegant vim & mysterium Dominici corporis & sanguinis, & Missæ sive precum, quæ in ea à sacerdote fiunt. Dicitur enim in ipsa oratione: *MEMENTO DOMINE FAMVLORVM FAMVLARVMQVE TVARVM, ET OMNIVM CIRCVMSTANTIVM, QVORVM TIBI FIDES COGNITA EST, ET NOTA DEVOTIO: QVI TIBI OBFERVNT HOC SACRIFICIVM LAVDIS PRO SE SVISQVE OMNIBVS, PRO REDEMPTIONE ANIMARVM SVARVM, PRO SPE SALVTIS ET INCOLVMITATIS SVÆ: TIBIQVE REDDVNT VOTA SVA ÆTERNO DEO, VIVO ET VERO, & reliqua.* Instruantur etiam, ut cognoscant potestatem Pontificum in ligando atque solvendo, & cetera, quæ ad illos pertinent, atque reliquorum sacerdotum, ut timeant & venerentur secundum Deum præceptum eorum sacerdotes: & qualiter in his offendere solent, eis adnuntietur.

CLXXIIII. *Vt Episcopis infantuli ad confirmandum præsententur.*

ADnuntient presbyteri populis, ut quàm citius potuerint, suos infantulos ad confirmandum Episcopo præsentare faciant.

CLXXV. *Vt presbyteri sine sacro chrismate, oleoq; benedicto non proficiscantur.*

VT presbyteri sine sacro chrismate, oleoque benedicto, & salubri Christi eucharistia alicubi non proficiscantur: sed ubicunque vel fortuitu requisiti fuerint, ad officium suum veniant parati reddendo debito.

CLXXVI. Vt

CLXXVI. *Vt presbyteri oleum infirmorum ab Episcopo expetant.*

VT omnes presbyteri oleum infirmorum ab Episcopo expetant, secumq; habeant, & moneant fideles infirmos illud exquirere, ut eodem oleo peruncti à presbyteris gratia Dei sanentur: quia oratio fidei salvabit infirmos.

CLXXVII. *Vt nullus presbyter parochianus alibi præsumat chrisma accipere, nisi ab Episcopo suo in cœna Domini.*

VT nullus presbyter parochianus aliubi præsumat chrisma accipere, nisi à suo Episcopo in cœna Domini.

CLXXVIII. *Vt baptizari non præsumatur, nisi in vigilia Paschæ & Pentecostes.*

VT baptizare nullus præsumat, nisi per duo tempora, id est, vigilia Paschæ & vigilia Pentecostes, nisi immineat mortis periculum.

CLXXIX. *Vt instruantur fideles, qui parvulos de sacro fonte suscipere cupiunt.*

PLacuit ut instruantur fideles, qui parvulos de sacro fonte sucipere cupiunt, ut intellegant vim eiusdem sacramenti, & quid pro aliis spoponderunt, vel pro quo fideiussores extiterunt: & sciant se nullo modo antea aliorum patres efficere, quàm supradicta discant & intellegant, seu credant. Et si fideiussores pro terreno lucro damnari solent, quantò magis pro divino iure ne damnentur cavere oportet? Illi tamen ab his officiis removendi sunt, ne alios de sacro fonte in baptismate suscipiant, nec etiam ad percipiendum Spiritus sancti donum aliorum patrini existant, qui & communione canonica privati, & publicæ pænitentiæ sunt subacti donec per pœnitentiam satisfactionis, reconciliationem mereantur: vel etiam illi, qui tale peccatum comissum habent, pro quo publicè pœnitentia plectendi & ligandi sint.

CLXXX. *Vt nulla pretia de baptizandis consignandisque fidelibus exigantur.*

VT nulla pretia de baptizandis consignandisque fidelibus exigantur: quod si perpetraverint, honoris sui sint periculum subituri.

CLXXXI. De *quorum baptismate absque dissimulatione dubitatur, ut rebaptizentur preceptum est.*

DE quibus dubium est, utrum sint baptizati an non, omnimodis absq; ullo scrupulo baptizentur. His tamen verbis præmissis; *Non Te Rebaptizo, Sed Si Nondum Baptizatus Es, Baptizo Te In Nomine Patris, Et Filii, Et Spiritus Sancti.*

CLXXXII. *Vt presbyteri in Ecclesia fidem sanctæ Trinitatis doceant.*

NOtum est omnibus, impossibile esse sine fide placere Deo. Nullus sit presbyter, qui in Ecclesia publicè non doceat lingua, quam auditores intellegant, fidem omnipotentis Dei in unitate & trinitate simpliciter cre-

dere: & ea, quæ omnibus generaliter dicenda sunt, de malis evitandis, sive bonis faciendis, & iudicio in resurrectione futuro. Si verò ipse verbis manifestè explicare non poterit, petat sibi ea à doctiore taliter transcribi, qualiter apertè legat, quod qui audiant, intellegant: & qui amplius non poterit, vel his verbis admoneat, *Pœnitentiam agite, adpropinquavit enim regnum cælorum*.

CLXXXIII. *Vt presbyteri adnuntient populo quatuor legitima temporum ieiunia.*

DOceant presbyteri populo quatuor legitima temporum ieiunia observare, hoc est, mense Martio, Iunio, Septembrio, & Decembrio, quando sacri ordines iuxta statuta Canonum distribuuntur,

CLXXXIIII. *Vt ieiunia tria legitima in anno agantur.*

ITerum admoneant sacerdotes, ut ieiunia tria legitima in anno agantur, id est, XL. dies ante Nativitatem Domini, & XL. ante Pascha, ubi decimas anni solvimus, & post Pentecosten XL. dies. Quamquam enim nonnulla ex his canonica priventur auctoritate, nobis tamen omnibus simul propter consuetudinem plebis & parentum nostrorum morem hunc observare, ut superius comprehensum est, convenit. Et licet omnibus diebus orare, & abstinere conveniat, his tamen temporibus amplius ieiuniis & pœnitentiæ servire oportet. Præter hæc autem legitima tempora ieiuniorum omni VI. feria propter passionem Domini ieiunetur. Sed & sabbati dies à plerisque, propter quod in eo Christus iacuit in sepulchro, ieiunio consecratus habetur.

CLXXXV. *Vt populus nisi duobus temporibus infantes suos ad baptismum non adferat.*

PLacuit ut populus ad baptismum eorum infantes non afferat, nisi duobus temporibus, si infirmitas non occupaverit: & quomodo in hoc offendunt, instruantur.

CLXXXVI. *Vt dies Dominicus reverenter colatur.*

DIem Dominicum secundum reverentiam colite. Opus servile, id est, agrum, pratum, vineam, vel si qua graviora sunt, in eo non faciatis, nec causas nec calumnias inter vos dicatis, sed tantum divinis cultibus serviatis: & à vespera usque ad vesperam dies Dominicus servetur. Has siquidem præcipuas festivitates adnuntient presbyteri, & diebus Dominicis sabbatizare, id est, in natali Domini dies IIII. VIII. Kalen. Ianuariarum. In circumcisione Domini Kalen. Ianuar. diem unum. In Epiphania VIII. Id. Ianuar. diem unum. In purificatione sanctæ Mariæ IIII. Non. Febr. diem unum. In Pascha Domini usque in octavas Paschæ, post Dominicam dies III. In ascensione Domini diem unum. In natali sancti Ioannis Baptistæ VIII. Kal. Iul. diem unum. In passione sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. III. Kalen. Iul. diem unum. In assumptione sanctæ Mariæ XVIII. Kalen. Septemb. diem unum. In transitu sancti Martini III. Id. Novemb. diem unum. In passione sancti Andreæ Apostoli. II. Kal. Decemb. diem unum.

CLXXXVII. Vt

CLXXXVII. *Vt adnuntient presbyteri eodem modo, sicut sabbatum Pascha cum suo Pascha, sabbatum Pentecostes unà cum suo die Dominico celebrare.*

VT annuntient presbyteri eodem modo, sicut vesperascente sabbato sanctum Pascha celebratur, & ipsum diem Pentecostes similiter celeberrimum habeant, ut sanctum Paschæ, & ieiunium, & missam, & baptismum.

CLXXXVIII. *Vt adnuntient presbyteri populo, se ab inlicitis abstinere connubiis.*

ADnuntiet unusquisque presbyterorum publicè plebi ab inlicitis connubiis abstinere, & secundum Domini mandatum legitimum coniugium nequaquam posse ulla occasione separari, excepta causa fornicationis, nisi consensu amborum, & hoc propter servitium Dei.

CLXXXIX. *Vt publicè presbyteri adnuncient plebi decimas & primitias omnium frugum ad benedicendum afferre.*

ADnuntient presbyteri plebi publicè, ut primitias omnium frugum terræ ad benedicendum afferant, & sic postea inde manducent: & decimas ex omnibus fructibus & pecoribus terræ annis singulis ad Ecclesias reddant, & de novem partibus, quæ remanserint, eleemosynas faciant, & ex ipsis peccata illorum redimant, sicut scriptum est: *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa purgat peccata.* Sicut in Sapientia legitur: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.*

CXC. *Vt fideles intelligant pactum, quod cum Deo in baptismate fecerunt.*

PLacuit ut fideles intelligant pactum, quod cum Deo in baptismate fecerunt. Multis ergo ex toto & à multis ex parte transgreditur, quid sit ABRENVNCIARE DIABOLI OPERIBVS, ET POMPIS EIVS, ET OMNIBVS OPERIBVS EIVS, instruantur fideles. Si verò iura humanæ pactionis firma conseruantur, quantò magis ferventius iura tanti pacti, quæ cum Deo facta sunt, irrevocabiliter sunt servanda?

CXCI. *Vt sacerdotes admoneant viros & mulieres, ut luminaria ad basilicas deportent.*

VT sacerdotes admoneant viros & mulieres, ut ad basilicas luminaria, & incensum, & bucellas, & primitias afferant, sicut scriptum: *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum da pauperibus.*

CXCII. *Vt admoneant presbyteri plebem, ne in Ecclesia contentionibus, & verbositatibus deserviant.*

ADmoneant presbyteri plebem, ut in Ecclesiis verbositate non præsumant, sed cum fletu & cum compunctione cordis Dei implorent auxilium, tam pro se, quàm & pro proximis suis. Et quando presbyter celebrat missam, corda illorum semper ad cœlestia adtendant. Et quando sanctæ lectiones

vel Evangelia recitata fuerint, cum silentio & devota mente pariter audiant, sicut Deus dixit per Moysem: *Audi Israël, & tace.* Et oblationes offerant & communicare faciant.

CXCIII. *Vt presbyteri sollicitè curent, ne inhonesta & turpia quælibet fiant in Ecclesiis.*

QVando populus ad Ecclesias venerit, tam per dies dominicos, quàm & per solemnitates sanctorum, aliud non ibi agat, nisi quod ad Dei pertinet servitium. Illas verò balationes & saltationes, canticaque turpia ac luxuriosa, & illa lusa diabolica non faciat, nec in plateis, nec in domibus, neque in ullo loco: quia hæc de paganorum consuetudine remanserunt. Et qui ipsa fecerit canonicam sententiam accipiat.

CXCIIII. *Ne in mortuorum funeribus iuxta paganorum ritum agatur.*

ADmoneantur fideles, ut ad suos mortuos non agant ea, quæ de paganorum ritu remanserunt: sed unusquisque devota mente, & cum compunctione cordis pro eius anima, Dei misericordiam imploret. Et quando eos ad sepulturam portaverint, illum ululatum excelsum non faciant, sed sicut superius diximus, devota mente & cum compunctione cordis, in quantum sensum habuerint, pro eius anima implorare Dei misericordiam faciant. Et illi qui psalmos non tenent, excelsa voce *Kyrieleison, Christeleison* viris inchoantibus, mulieribusque respondentibus alta voce canere studeant pro eius anima. Et super eorum tumulos nec manducare, nec bibere præsumant. Quod si fecerint canonicam sententiam accipiant.

CXCV. *Vt pro defunctis amicorum parentes eorum* xxx. *dies adimplere faciant.*

Fideles pro defunctis amicorum & parentibus eorum ieiunia & oblationes xxx. dies adimplere faciant: & mortuum super mortuum non ponant, nec ossa defunctorum super terram dimittant: quod si fecerint, canonicæ sententiæ subiaceant.

CXCVI. *De his, quos Episcopus aut sacerdos excommunicaverit, ne eos fideles recipiant.*

PLacuit ut fideles eos, quos Episcopus aut sacerdos propter eorum peccata excommunicaverit, non recipiant antequam pœnitentiam accipiant, & ad confessionem veniant.

CXCVII. *Vt nullus presbyter suam Ecclesiam sine consensu Episcopi sui derelinquat.*

COmpellimur statuta Canonum & in hoc servare, ut nullus presbyter creditam sibi Ecclesiam sine consensu sui Episcopi derelinquat, & laicorum suasione ad aliam transeat.

CXCVIII. *Vt*

CXCVIII. *Vt sacra mysteria nullus presbyter, nisi in loco consecrato agat.*

VT nullus presbyter sacra mysteria nisi in locis ab Episcopo consecratis agere præsumat.

CXCIX. *Ne aliud altare in Ecclesia consecrata, nisi quod ab Episcopo consecratum est, aliquis presbyter erigat.*

VT nullus presbyter in Ecclesia consecrata aliud altare erigat, nisi quod ab Episcopo sanctificatum est, ut sit discretio inter sacratum & non sacratum.

CC. *Vt Episcopus, presbyter, & diaconus non sint aleatores & ebriosi.*

QVòd Episcopus, & presbyter, & diaconus, aleator & ebriosus esse non debeat. Similiter clerici & laici si permanserint in alea, communione priventur.

CCI. *Vt nemo clericorum usuras accipiat.*

QVoniam venerandi Canones, & divina prohibet auctoritas usuras accipere; ideo nullus hoc clericorum facere præsumat, & inquantum poterunt, laicis vetare studeant.

CCII. *Vt diem Dominicum, in quo Dominus resurrexit, cuncti venerabiliter colant.*

PLacuit, ut fideles diem Dominicum, in quo Dominus resurrexit, omnes venerabiliter colant. Nam, si pagani ob memoriam & reverentiam Deorum suorum quosdam dies colunt, & Iudæi more carnali sabbatum carnaliter observant, quantò magis à Christianis iste dies honorificè colendus est, ne in illo sancto die vanis fabulis, aut locutionibus, sive cantationibus, vel saltationibus, aut derisionibus, stando in biviis & plateis, ut solet, inserviant: sed ad sacerdotem aut ad aliquem sapientem hominem & bonum veniant, & eorum prædicationibus & bonis locutionibus, quæ ad animam pertinent, utantur: & illo die seu sabbato ad vesperas, & ad matutinas, sive ad missam cum eorum oblationibus, si fieri potest, omnes canendo Kyrie eleison decantent. Similiter & pastores pecorum eundo & redeundo in campum, & ad domum faciant, ut omnes eos veraciter Christianos, & devotos esse cognoscant.

CCIII. *De reconciliandis pœnitentibus.*

QVia varia necessitate præpedimur Canonum statuta de reconciliandis pœnitentibus pleniter observare, propterea omnino non dimittatur, ut unusquisque presbyter iussione Episcopi de occultis tantum, quia de manifestis Episcopis semper convenit, iudicet, & statim post acceptam confessionis pœnitentiam singuli data oratione reconcilientur; morientibus verò sine cunctamine communio, & reconciliatio præbeatur.

CCIIII. *Quot sint dies purificationis mulieris.*

CVm enixa fuerit mulier, post quot dies debeat Ecclesiam intrare, testamenti veteris præceptione didicimus; ut pro masculo diebus XXXIII. pro fœmina autem LXVI. debeat abstinere: quod tamen, ut ait sanctus Gregorius, sciendum est, quia in mysterio accipitur. Nam si hora eadem, qua genuerit, actura gratias intret Ecclesiam, nullo peccati pondere gravatur. Voluptas etenim carnis, non dolor in culpa est. In carnis autem commixtione voluptas est: in prolis verò prolatione gemitus. Vnde & ipsi primo matrimonio dicitur: *In doloribus paries.* Si itaque enixam mulierem prohibemus Ecclesiam intrare, ipsam ei pœnam suam culpam deputamus.

CCV. *Vt missarum celebrationes locis incongruentibus non fiant.*

PLacuit, ut fideles missarum celebrationes in locis non consecratis & incongruentibus fieri omnino non debeant, nisi causa hostilitatis, vel longinqui itineris, & id in altaribus ab Episcopo consecratis fieri necessitas compellat. Sacerdotes tamen, qui in locis inlicitis & non consecratis missas canere præsumunt, gradum se sciant amissuros. Melius est enim missam non audire, quàm eam ubi non licet, nec oportet celebrare aut audire. Et de usura, ut non fiat, omnes admoneantur.

CCVI. *De propinquitate.*

IN quarta propinquitate carnis, quinta, sextaque non licet nubere, sicut in lege scriptum est: *Omnis homo ad propinquam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem eius*; id est, usque septimum gradum. Legitimum coniugium non licet separari sine consensu amborum, ita tamen, ut ambo Deo serviant innupti. Potest autem alter alteri licentiam dare, accedere ad servitutem Dei; si ipse tamen innuptus vel innupta permanserit. Mulier quæ succubuerit cuilibet iumento, simul interficiatur cum eo. In novo illa; sicut & ille qui cum pecoribus coierit, XV. annis, alias XI. pœniteat. Animalia talia coitu hominum polluta, occidantur, carnesque canibus proiiciantur, sed crura eorum absumantur. Vbi autem dubium est, non occidantut.

CCVII. *De eo, qui filios non habuerit, & in eorum loco alium sibi heredem facere voluerit.*

QVi filios non habuerit, & alium quemlibet heredem sibi facere voluerit, coram Rege, vel coram Comite & scabinis, vel missis dominicis, qui ab eo ad iustitias faciendas in provincia fuerint ordinati, traditionem faciat.

CCVIII. *De denarialibus qualiter possint hereditare.*

HOmo denarialis non antea hereditare in sua agnatione poterit, quam usq; ad tertiam generationem perveniat. Homo chartularius similiter faciat.

CCIX. *Vt omne sacramentum in Ecclesia iuretur.*

OMne sacramentum in Ecclesia, & super reliquias iuretur. Et quod in Ecclesia iurandum est, vel cum VI. electis, vel si XII. esse debent, quales potue-

potuerit invenire, *Sic illum Deus adiuvet, & illi sancti, quorum istæ reliquiæ sunt, ut veritatem dicat.* Si res intertiata furto ablata fuerit, liceat ei, super quem res intertiata fuerit, sacramento se excusare de furto, quod nec suæ voluntatis aut conscientiæ fuisset, quòd ablatum est: & aliud tantum sine damno restituat.

CCX. *Vt vitia, quæ remanserunt ex ritu gentilium, fideles caveant.*

PLacuit ut fideles caveant vitia, quæ ritu gentilium remanserunt, id est, magi, arioli, sortilegi, venefici, divini, incantatores, somniatores, coniectores, quos divina lex inretractabiliter puniri iubet: & ne eos inter se sinant esse, providendum illis est.

CCXI. *Vt fideles se à vitiis abstineant, quæ quasi naturaliter in usu habentur.*

PLacuit ut fideles à vitiis detestandis, quæ habentur quasi naturaliter in usu, se abstineant, quæ Apostolus apertè dinumerat: id est, ebrietates, commessationes, contentiones, iræ, rixæ, dissensiones, detractiones, invidiæ, inimicitiæ. De quibus Apostolus ait: *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et alibi: *non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus.* Et de illis dici potest: *Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis.*

CCXII. *De armillis & bruniis negotiatoribus non dandis.*

VT armillæ & bruniæ non dentur negotiatoribus.

CCXIII. *Vt Christiani ab ocioso sermone se caveant, vel à ceteris vitiis.*

PLacuit ut fideles de ocioso sermone se caveant, pro quo in die iudicii secundum Domini sententiam rationes omnes reddituri sumus: & de scurrilitate, & stultiloquio, & maledictionibus, (quoniam iuxta Apostolum, *maledicentes regnum Dei non poßidebunt*) & de mendacio, sive de periculo noxio, assiduoque iuramento, & obscœnis turpibusque canticis. Ab his omnibus cuncti Christiani se fortiter cavere debent, ne his studentes per neglegentiam detrimentum suarum patiantur animarum.

CCXIIII. *De coniugio, quòd à Deo sit constitutum: & quod non sit causa luxuriæ, sed causa potius appetendorum filiorum.*

PLacuit ut fideles scirent coniugium à Deo esse constitutum, eò quod non sit causa luxuriæ, sed causa potius filiorum appetendorum: & ut virginitas usque ad nuptias fideliter servetur. Et uxores habentes neque pellicem neque concubinam habere debeant: quomodo etiam in castitate uxores suas diligere, eisque, utpote vasi infirmiori, honorem debitum impendere. Et quod coniunctio carnalis cum uxoribus gratia fieri debeat prolis, non voluptatis.

CCXV. *Vt à coitu prægnantium fideles se abstineant.*

PLacuit ut fideles se abstineant à coitu prægnantium uxorum, nec non menstruo tempore. Et ut causa fornicationis non sit uxor secundum Domini sententiam dimittenda, sed potius sustinenda: & quòd hi, qui causa fornicationis dimissis uxoribus suis alias ducunt, Domini sententia adulteri esse notentur.

CCXVI. *De canibus, qui in dextro armo tonsi sunt.*

DE canibus qui in dextro armo tonsi sunt, ut homo qui eum habuerit, cum ipso cane in præsentiam Regis veniat.

CCXVII. *De Capitulis, quæ in legem noviter addita sunt.*

VT populus interrogetur de Capitulis, quæ in legem noviter addita sunt: & postquam omnes consenserint, scriptiones & manufirmationes suas in ipsis Capitulis faciant.

CCXVIII. *Qualiter fidelibus Christianis incesta cavenda sint.*

PLacuit ut fideles agnoscant, qualiter incesta Christianis cavenda sint. Et quòd loca Deo dicata frequentius devotiusque ad Deum exorandum, sibique propitium faciendum, sæpius quàm hactenus fecissent, frequentent. Et quòd in basilicis Deo dicatis non sit fabulis ociosis, turpibusque & obscœnis sermocinationibus vacandum, & negotia secularia, publicaque placita habenda: & quòd hi, qui hæc in Ecclesiis Dei faciunt, maiora sibi peccata accumulent.

CCXIX. *Vt nullus præsumat tholoneum rodaticum vel pulveraticum recipere.*

VT nullus homo præsumat tholoneum per vias nec per villas rodaticum, vel pulveraticum recipere.

CCXX. *Vt fideles iusta iudicia iudicent.*

PLacuit ut fideles iusta iudicia iudicent, & munera pro hoc non accipiant: & ut falsum testimonium vitent, & à detractione se abstineant, necnon à ceteris malis, quæ longum est dinumerare.

CCXXI. *Vt Ecclesiæ earum iustitiam obtineant.*

IN primis omnium iubendum est, ut habeant Ecclesiæ eorum iustitias, & in vita illorum qui habitant in ipsis Ecclesiis & post tam in pecuniis, quàm & in substantiis earum.

CCXXII. *Vt potestatem Episcopi omnes intellegant: & instruantur, qualiter sive secundum canonicam, sive secundum monasticam regulam eis vivendum sit.*

VT omnes Episcopi potestatem intellegant, & instruantur, ut vel secundum canonicam vel secundum monasticam regulam regantur eorum ministe-

ministerio, tam in monasteriis virorum, quàm & in puellarum, & in forensibus presbyteris, seu reliquo populo Dei.

CCXXIII. *De viduis, & orphanis, & minus potentibus.*

VT viduæ, orphani, & minus potentes sub Dei defensione, & nostro mundeburde pacem habeant, & eorum iustitias acquirant.

CCXXIIII. *De non parvipendenda excommunicatione sacerdotum.*

PLacuit ut fideles ne parvipendant excommunicationem sacerdotum illorum: quoniam si hoc fecerint, iustè segregabuntur à cœtu Christianorum.

CCXXV. *Capitularium dominicum, datum anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi. DCCCVI. ad Theodonis villam, anno imperii domni Karoli VI.*

VT lectiores in Ecclesia distinctè legantur. II. de cantu, ut secundum ordinem & morem Romanæ Ecclesiæ fiat cantatus. III. De notariis. Vt unusquisque Episcopus, & Abba, & singuli Comites suum notarium habeant. IIII. De ceteris disciplinis Ecclesiæ, ut secundum canones vel regulam fiant. V. De medicinali arte, ut infantes hanc discere mittantur. VI. De Ecclesiis sine honore manentibus, absque officiis & luminariis: & de his, qui decimas assumunt, & de Ecclesiis non curant, ut omnimodis emendetur: & de altaribus, ut non superflua sint in Ecclesiis.

CCXXVI. *Vt computus discatur.*

DE computo, ut veraciter discant omnes.

CCXXVII. *De libris canonicis, ut veraces habeantur.*

VOlumus, & ita missis nostris mandare præcipimus, ut in Ecclesiis libri canonici veraces habeantur, sicut iam in alio Capitulari sæpius mandavimus.

CCXXVIII. *De his, qui terrenis mercimoniis insistunt, ut magis ob supernæ vitæ desiderium, quam pro humana ambitione faciant.*

PLacuit ut admoneantur omnes fideles, qui negotiis aut mercationibus rerum invigilant, ut non plus terrena lucra, quàm vitam accipiant sempiternam. Nam qui plus de rebus terrenis, quàm de animæ suæ salute cogitat, valde à via veritatis aberrat, & iuxta quendam sapientem, in vita sua perdit intima sua. Sequendus est enim in hac parte, sicut & in ceteris, Apostolicus sermo, qui ait: *Et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negocio fratrem suum: vindex est enim Deus de his omnibus.* Sicut ab his qui labore agrorum, & ceteris laboribus victum atque vestitum & necessaria usibus humanis adquirere inhiantes instant, decimæ & eleemosynæ dandæ sunt: ita his quoque, qui pro necessitatibus negociis insistunt, faciendum est. Vnicuique homini Deus dedit artem, qua pascitur: & unusquisque de arte sua, de qua corporis necessaria vel subsidia habet, animæ quoque, quod magis nessarium est, subsidium administrare debet.

CCXXIX. *Ne Episcopus quilibet alterius plebem Episcopi vel fines usurpet.*

VT Episcopus alterius Episcopi plebes vel fines non usurpet.

CCXXX. *De clericis superbis, ut coërceantur.*

VT clerici, qui superbi vel contumaces sunt, coërceantur, ut minores qui maioribus inrogaverunt iniurias, metum habeant. Quia manifestum est illos non esse Dei, qui humilitatem contemnunt: sed diaboli, qui superbiæ inventor & princeps est. Vnde si quis tumidus vel contumeliosus extiterit in maiorem natu, contemptus debet contumacia & superbia in omnibus frangi.

CCXXXI. *De his, qui statuta patrum violant: si laicus fuerit communione privetur, si clericus, honore.*

SI quis statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit: si laicus est, communione: si clericus, honore privetur.

CCXXXII. *De his, qui contra suam professionem vel subscriptionem venerint, quid agendum sit.*

QVi contra professionem vel subscriptionem suam venerit, in concilio deponatur.

CCXXXIII. *De presbytero qui se ab Episcopo suo diviserit.*

SI quis presbyter contra Episcopum suum inflatus schisma fecerit, anathema sit. Quòd si superbia, quod absit, inflatus secernendum se ab Episcopi sui communione duxerit, ac separatim cum aliquibus schisma faciens, sacrificium Deo obtulerit, loco amisso anathema habeatur. Nihilominus & de civitate & congregatione in qua fuerit, longius repellatur, ne vel ignorantes vel simpliciter viventes serpentina fraude decipiat.

CCXXXIIII. *De presbyteris qui absque Episcopi sui conscientia agendam celebraverint.*

SI quis presbyter inconsulto Episcopo agendam in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius extitit.

CCXXXV. *Vt Episcopus lapsum incurrens, si plures congregare nequiverit, a duodecim audiatur.*

SI quis Episcoporum, qnod non optamus, in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, à XII. Episcopis audiatur.

CCXXXVI. *Vt Episcopi plebes alienas non usurpent, ut nemo ex eis collegam suum in diœcesi supergrediatur.*

PLacuit ut à nullo Episcopo usurpentur plebes alienæ: nec aliquis Episcoporum supergrediatur in diœcesi collegam suum.

CCXXXVII. *De*

CCXXXVII. *De Episcopo, qui ab aliquo impetitur, vel si ipse quæstionem aliquam retulerit, ut per Episcopos iudices causa terminetur.*

SI quis Episcopus à quoquam impetitur, vel ille aliquam quæstionem retulerit, per Episcopos iudices causa finiatur, sive quos eis primates dederint, sive quos ipsi vicinos ex consensu delegerint.

CCCXXXVIII. *Vt nullus Episcopus alium Episcopum conculcet, aut impediat.*

VT nullus Episcopus alium conculcet Episcopum, vel supergrediatur, aut aliquod ei incommodum in sua parochia vel alicubi faciat.

CCXXXIX. *Ne presbyteri vel diaconi sine conscientia Episcoporum suorum aliquid agant.*

VT presbyteri vel diaconi sine conscientia Episcoporum suorum nihil agant.

CCXL. *De loco dando peregrino Episcopo, in quo sacrificet.*

VT peregrino Episcopo locus sacrificandi detur, atq; benigne suscipiatur.

CCXLI. *De his, qui falsa fratribus capitalia obiiciunt.*

EOs qui falsa fratribus capitalia obiecisse convicti fuerint: placuit usque ad exitum non communicare, & infames semper existere.

CCXLII. *De deponendo sacerdote vel Levita, si crimen aliquod confessus fuerit.*

VT sacerdos, vel Levita, si de se crimen aliquod confitetur, deponatur.

CCXLIII. *De his, qui libellos famosos inventi fuerint in Ecclesia posuisse, ut anathematizentur.*

SI qui inventi fuerint, libellos famosos in Ecclesia ponere, anathematizentur.

CCXLIIII. *Vt delator nisi se correxerit, communionem nec in finem accipiat, si inventus fuerit quilibet per delationem eius proscriptus vel interfectus.*

DElator si quis extiterit fidelis, & per delationem eius aliquis fuerit proscriptus vel interfectus, placuit eum nec in fine accipere communionem. Si levior causa fuerit intra quinquennium accipere poterit communionem. Si catechumenus fuerit, post quinquennii tempora admittatur ad baptismum.

CCXLV. *Ne aliquis Episcopus vel inferior gradu Dominico die quemquam iudicare præsumat.*

VT nullus Episcopus, vel quis infra positus, die Dominico causas iudicare præsumat. Ceteris verò diebus conhibentibus personis illa quæ iusta sunt habeant licentiam iudicandi, excepto criminali negotio.

CCXLVI. *De potente si pauperem expoliaverit, & non reddiderit admonente Episcopo, ut excommunicetur.*

SI quis potentum quemlibet expoliaverit, & admonente Episcopo non reddiderit, excommunicetur.

CCXLVII. *Ut nullus clericus ab Episcopo suo recedere præsumat, & ad alium transire.*

VT nullus clericus ab Episcopo suo recedat, & ad alium se transferat.

CCXLVIII. *Ut clerici, qui arma præsumpserint, in monasterium ad agendam pœnitentiam tradantur.*

VT clerici qui in quacunque seditione arma volentes præsumpserint, reperti, amisso ordinis suo gradu, in monasterio pœnitentiæ contradantur.

CCXLIX. *Ut nullus Regum huius Canonis censuram in aliquo violare permittat.*

HVius constitutionis forma servetur, ut execrandum anathema fiat, & velut prævaricator catholicæ fidei semper à Domino reus existat, quicunque Regum deinceps Canonis huius censuram in quocunque crediderit aut permiserit violandam.

CCL. *Ut unusquisque alterius ruinis succurrat, & iram Dei per suam compassionem à se removeat.*

OCcurrere certè miserorum ruinis debet subsidio unusquisque, quo valeat ex relevatione alienæ vindictæ à se Dei removere vindictam. Libat enim Domino prospera, qui ab afflictis pellit adversa.

CCLI. *Quod lex, quam Rex qui prior fuit instituit, ab illo qui ei successerit, pari sententia roborata sit.*

LEgem quam noster edidit Princeps, stabili robore firmamus: atque ut futuris temporibus observetur, pari sententia definimus.

CCLII. *Ut in metropolitana sede ad synodum agendam omnes Pontifices se conferant.*

PLacuit definire, ut paternis institutionibus obsequentes in metropolitana sede, tempore quo omnes comprovinciales elegerint, Pontifices ad synodum faciendam devotis studiis conferantur.

CCLIII. *Ut dignitatem amittant omnes, qui ad expeditionem exercitus non pergunt, aut de exercitu fugiunt.*

PLacuit ut omnis, qui aut in expeditionem exercitus absque gravi necessitate non progreditur, aut de exercitu fugit, testimonio dignitatis suæ sit inrevocabiliter carens: ita ut in quibusdam villulis, seu territoriis, sive vicis, pestis huius infamationis habitatores ipsorum locorum sint degeneres, & testificandi vel accusandi nullam habeant licentiam.

CCLIIII. *Ut*

CCLIIII. *Vt non varientur, quæ propter utilitatem sunt instituta.*

QVæ ad perpetuam utilitatem sunt instituta, nulla commutatione varientur: nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa. Et manentibus terminis, quos statuerunt patres, nemo damnet alienus: sed intra fines proprios atque legitimos, prout quis voluerit, in latitudine se charitatis exerceat.

CCLV. *De fide Nicæna servanda, & ut privilegia Ecclesiarum integra maneant.*

VT fides Nicæna servetur, & privilegia Ecclesiarum inlibata permaneant.

CCLVI. *Quod contra caput non sit agendum.*

COntra caput etiamsi faciendum est, non libenter admittimus.

CCLVII. *De presbyteris, qui contra canones ad Comitatum ire voluerint, susceptis, qui dominico decreto à communione alieni decernuntur.*

ET relatione quorundam didicimus, qualiter presbyteri qui contra Canones adversum nos ad Comitatum, nescio qua audaci temeritate ire voluerint, suscepti sunt. Vnde has ad nos literas destinamus, in quibus decreto nostro sancimus, memoratos perturbatores à communione esse alienos debere. Et illos qui effrenato hunc facto consilio assensum commodare voluerunt, vestræ charitatis est æstimare, qualiter habeatur: quibus obiicere debetis, quod iuxta Canones fortiter incurrere, & qualiter presbyteros non decebat, rebelles existere tentaverunt. Vos autem monemus in speculis esse debere, neque in eorum prorupta audacia devenire, quos anathematizatos scit sancta & Apostolica Ecclesia.

CCLVIII. *De sacerdotum Domini causis non terminandis, priusquam ex utraque parte fideliter audiantur, & puriter ac diligenter perscutentur.*

NOs qui sacerdotum Domini matura volumus esse iudicia, nihil possumus in incognitis rebus in cuiusquam partis præiudicium definire, priusquam universa, quæ gesta sunt, veraciter audiamus.

CCLIX. *Quod Dominus, qui animas hominum salvat, imitatores nos velit suæ esse pietatis.*

DOminus qui venit animas hominum salvare, non perdere, imitatores nos vult esse suæ pietatis, ut peccantes quidem iustitia coërceat, conversos autem à misericordia non repellat.

CCLX. *De religionis periculo ab uniuscuiusque pietatis conscientia removendo.*

REmovete quæsumus à vestræ pietatis conscientia periculum religionis, & fidei: & quod in secularibus negociis vestræ æquitati conceditur, in

rerum divinarum pertractatione præstate, ut Christi Euangelio vim non inferat humana præsumptio.

CCLXI. *Vt suarum rerum & omnium Ecclesiarum sint communione contenti, quorum causa adhuc terminanda est.*

ILlud quod ab antecessoribus nostris constitutum est, & nos approbamus, ut suarum rerum omniumque Ecclesiarum communione sint interim contenti, quousque à nobis causa terminetur.

CCLXII. *Vt non sinantur incurri, quorum causa incerta est.*

NE cuiusquam procaci impudentique versutia, quasi incertum quid sequendum sit, sinatis incurri, cum ab Euangelica Apostolicaque doctrina, nec in uno quidem verbo liceat discedere, aut aliter de scripturis divinis habere, quàm beati Apostoli & patres nostri didicerunt atque docuerunt.

CCLXIII. *De his qui à sedibus suis fuerunt pulsi, & alii in illorum locum sunt ex epistola Leonis Papæ Calchedonensi concilio directa substituti.*

PLurimos fratres sedibus suis pulsos, & in exilia audivimus deportatos, atque in loco superstitum alios substitutos, his primitus vulneribus adhibeatur medecina iustitiæ, ne quisquam ita careat propriis, ut alter utatur alienis; quem errorem omnes relinquant, ut nemini quidem perire honor debeat. Sed illis, qui pro fide laboraverunt, prius cum omni privilegio oportet ius proprium reformari.

CCLXIIII. *De his qui non debent redire ad militiam secularem.*

QVod ad militiam secularem post poenitentiam redire nemo debeat, nec eis iustam superesse querimoniam, qui se ab inchoatis disceptationibus sponte subtraxerint.

CCLXV. *De his quos oportet maiori auctoritate curari.*

SI extiterint aliqui fratres desides vel negligentes, quos oporteat maiori auctoritate curari, sic tamen est adhibenda correctio, ut semper sit salva dilectio. Vnde Apostolus Timotheum imbuens dicit: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Quæ moderatio si quibuscunque inferioribus membris ex Apostolica institutione debetur, quanto magis fratribus & coëpiscopis nostris reddenda est?

CCLXVI. *Vt non imponat aliquis alicui pondus, quod ipse ferre non valet.*

SIcut non vult aliquis gravis oneris sarcinam ferre, ita non audeat aliis grave pondus imponere.

CCLXVII. *Vt nullus Apostolicas sanctiones temerare præsumat.*

ITa unanimes divinis & Apostolicis constitutionibus serviatis, ut in nullo patiamini pia Canonum decreta violari. Vt nulli fas sit sine status sui periculo vel divinas constitutiones, vel Apostolicæ sedis decreta temerare.

CCLXVIII. De

CCLXVIII. *De amicitiæ familiaritate servanda, quam qui non contendunt, facilè servant.*

OMnis qui non contendit, protegit amicitiam. Nam & Apostolus ad Corinthios scribit: *Cum sint inter vos æmulationes, & contentiones, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humanitate mentis invicem æstimantes semetipsos, non sua singuli respiciunt, sed aliorum.

CCLXIX. *Vt alienæ gentis homines ad exercitium imbuantur legibus.*

ALienæ gentis homines legibus ad exercitium imbui & permittimus & optamus: ad negotiorum verò discussionem, & refutamus & prohibemus. Quamvis enim eloquiis polleant, tamen difficultatibus hærent.

CCLXX. *Quod hæc sit vera charitas, qua Deus proximusque diligitur, & idcirco admonendi sunt omnes fideles, ut hanc observare curent.*

PLacuit ut admoneantur omnes fideles, quod hæc sit vera charitas, qui Deum diligit plus quam se, & proximum tanquam se, & qui nihil vult aliis facere, nisi quod sibi vult fieri; & plura quæ recenseri longum est. Nam quicunque in potu & cibo, & dandis atque accipiendis rebus charitatem putant, non mediocriter errant, dicente Apostolo: *Regnum Dei non est cibus & potus.* Nam & ipsa quando cum charitate fiunt, bona sunt, & inter virtutes computanda.

CCLXXI. *Vt contra extraneos parentela aut propinquitas testimonium minimè dicat.*

FRatres, sorores, uterini, patrui, avunculi, materteræ, seu eorum filii, item nepos, neptis, consobrini, vel amitini, seu etiam quidam ex propria consanguinitate, in iudicio adversus extraneos testimonium dicere non permittimus, nisi forsitan parentes eiusdem cognationis inter se litem habuerint, aut in causa de qua agitur, aliam omnino ingenuitatem deesse constiterit.

CCLXXII. *Si de fure quis nesciens aliquid comparaverit.*

VNiversam rem nulli ingenuo liceat de incognito homine comparare, nisi certe fideiussorem adhibeat, cui credi possit, ut excusatio ignorantiæ auferatur. Quod si aliter fecerit, qui comparaverit, à iudice districtus auctorem præsentet infra tempus sufficienter à iudice constitutum: quem si non potuerit invenire, adprobet se aut sacramento, aut testibus innocentem, quod eum furem nescierit. Et quod apud eum agnoscitur, accepta pretii medietate restituat: atque ambo datis invicem sacramentis promittant, quod furem fideliter quærent. Quod si omnino furem invenire nequiverint, rem tantum quantum empta est, Domino rei emptor ex integritate reformet. Si verò Dominus rei furem noverit, & eum publicare noluerit, rem ex toto amittat, quam emptor quietè possideat. Hæc & de servis forma servabitur.

CCLXXIII. *Si ad diripiendum quisque alios invitasse reperiatur.*

SI quis ad diripiendum alios invitaverit, ut cuiuscunque rem evertat, aut pecora vel animalia quæcunque diripiat; illi cuius res direpta est, in septuplum, quæ sublata sunt restituat. Hi verò qui cum ipso fuerint, si ingenui sint, quinos solidos componere cumpellantur: aut si non habuerint unde componant, CL. flagella suscipiant. Si verò servi hoc sine domini voluntate commiserint, CL. flagellis verberentur, & ab eis res omnes integro in statu reddantur.

CCLXXIIII. *De non suscipienda criminatione adversus doctorem, neque accusatorem adversus eum audiendum.*

CRiminationes adversus doctorem nemo suscipiat, nemo audiat: quia indignum est, ut hi qui throni Dei vocantur, aliqua monitione turbentur.

CCLXXV. *Ne unus Episcopus cognitionem sibi vindicet.*

PLacuit, ut unus Episcopus non vindicet sibi cognitionem.

CCLXXVI. *Vt hi quorum libertas nescitur, nequaquam accusent sacerdotes.*

QVorum fides, vita, & libertas nescitur, non possint accusare sacerdotes liberos & legitimos.

CCLXXVII. *De his qui falsa aliis inrogant.*

OMnis qui falsa aliis intulerit, puniatur, & pro falsitate ferat infamiam.

CCLXXVIII. *Ne viles personæ ad accusandum sacerdotes admittantur.*

VILES personæ nullatenus admittantur ad accusationem sacerdotum.

CCLXXIX. *Ne iudices causam personæ absentis sua sententia præsumant.*

CAveant iudices Ecclesiæ, ne absente eo cuius causa ventilatur, sententiam ferant; quia irrita erit, immo & causam in synodo pro facto dabunt.

CCLXXX. *Quòd qui Episcopum accusat, Dei ordinationem accusat.*

DEi ordinationem accusat, in qua constituitur, si quis Episcopum accusat, vel condemnat, dum minus spiritualia, quàm terrena sectatur.

CCLXXXI. *Vt litem habentes sive petitor sive possessor, si antistitum iudicium elegerint, ad eos dirigantur.*

VOlumus atque præcipimus, ut omnes ditioni nostræ Deo auxiliante subiecti, tam Romani, quam Franci, Alamani, Baiovarii, Saxones, Thuringii, Fresones, Galli, Burgundiones, Brittones, Langobardi, Wascones, Beneventani, Gothi, Hispani, ceterique nobis subiecti omnes, licet quocunque

cunque videantur legis vinculo constricti, vel consuetudinario more connexi, hanc sententiam quam ex XVI. Theodosii Imperatoris libro, Capitulo videlicet XII. ad interrogata Ablavii Ducis illi & omnibus rescriptam sumpsimus, & inter nostra Capitula pro lege tenendam, consultu omnium fidelium nostrorum, tam clericorum quam & laicorum posuimus, lege cunctis perpetua tenendam; id est. *Quicunque litem habens, sive possessor, sive petitor fuerit, vel in initio litis, vel decursis temporum curriculis, sive cum negotium peroratur, sive cum iam cœperit promi sententia, si iudicium elegerit sacrosanctæ legis antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiam si alia pars refragatur, ad Episcoporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur. Multa enim quæ in iudicio captiosæ præscriptionis vincula promi non patiuntur, investigat & promit sacrosanctæ religionis auctoritas. Omnes itaque causæ quæ vel Prætorio iure vel civili tractantur, Episcoporum sententiis terminatæ, perpetuo stabilitatis iure firmentur. Nec liceat ulterius retractari negotium, quod Episcoporum sententia deciderit. Testimonium etiam ab uno licet Episcopo perhibitum, omnes iudices indubitanter accipiant. Nec alius audiatur, cum testimonium Episcopi à qualibet parte fuerit repromissum. Illud est enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod à sacrosancto homine conscientia mentis inlibatæ protulerit. Hoc nos edicto salubri aliquando censuimus, hoc perpetua lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes, ut miseri homines longis ac pene perpetuis actionum laqueis implicati ab improbis petionibus, vel à cupiditate perpera, maturo fine discedant. Quidquid itaque de sententiis Episcoporum clementia nostra censuerat, & iam hac sumus lege complexi, gravitatem tuam & ceteros, pro utilitate omnium latum, in perpetuum observare conveniet.*

CCLXXXII. *Vt ea inlibata serventur, quæ patrum auctoritas catholicorum lege instituit.*

EA quæ circa Catholicam legem vel olim ordinavit antiquitas, vel parentum nostrorum auctoritas religiosa constituit, vel nostra serenitas roboravit, novellâ superstitione submotâ, integra & inviola custodiri præcipimus.

CCLXXXIII. *Vt privilegia quæ propter religionem instituta sunt, nulla interminatione nova mutilentur.*

NOn novum aliquid præsenti sanctione præcipimus, sed illa, quæ olim videntur indulta, firmamus. Privilegia igitur quæ olim reverentia religionis obtinuit, mutilari sub pœnæ etiam interminatione prohibemus. Ita quoque ut qui Ecclesiæ obtemperant, hiis, quibus Ecclesia, beneficiis perfruantur.

CCLXXXIIII. *Vt si chorepiscopi aliquam consecrationem aut firmationem fecerint, ab Episcopis canonicè reformentur.*

HOminum confirmatio, Ecclesiarum, altarium, virginum, chrismatum, presbyterorum, diaconorum, & subdiaconorum consecrationes à

chorepiscopis actæ, ab Episcopis canonicè ordinatis sunt reformandæ, canoniceque peragendæ: quia chorepiscopi hæc contingere non debuerunt, nec agere potuerunt. Non enim ea tribuere valuerunt, quæ non habuerunt. Nequaquam enim talis ordinatio vel consecratio, reiteratio esse à prudentibus & recte sapientibus videtur, sed irrita talis ordinatio, & confirmatio, ac consecratio indubitanter fore agnoscitur. Si quis autem chorepiscoporum aliquid ex prædictis agere tentaverit, non acta, sed imperfecta atque irrita erunt; & ipse omni ecclesiastico inrevocabiliter careat gradu.

CCLXXXV. *De generali totius populi supplicatione apud Principem pro sacerdotum causa, ne in hostem aut pugnam pergerent: & quale eis omnibus ex hoc immineat periculum, ex Capitulis domni Karoli Imperatoris Wormatiæ generaliter decretis, atque ab omnibus & cunctis pro lege tenendis, contraditis.*

FLexis omnes precamur poplitibus maiestatem vestram, ut Episcopi deinceps, sicut hactenus, non vexentur hostibus; sed quando vos nosque in hostem pergimus, ipsi propriis resideant in parochiis, Deoque fideliter famulari studeant, & earum sacrosancta mysteria canonicè, & Deo placitè peragere satagant, atque pro vobis & cuncto exercitu vestro, unà cum omnibus sibi commissis, orare viriliter, missasque decantare, & letanias atque eleemosynas facere decertant. Quosdam enim ex eis in hostibus & præliis vulneratos vidimus, & quosdam periisse cognovimus. Hæc verò valde periculosa, & oppidò sunt cavenda: quæ idcirco suggerimus ne pro talibus vos & nos simul pereamus. Novit Dominus, quando eos in talibus videmus, terror apprehendit nos: & quidam ex nostris timore perterriti propter hoc fugere, & inimicis terga vertere solent. Plures enim potestis habere præliatores, si illi propriis resident in parochiis, quàm si vobiscum pergunt. Quoniam illi qui eos prævident, omnes tunc pugnabunt: quod modò nequaquam faciunt, sed eos tantummodò custodiunt. Nam sine dubio potius vobis nobisque proficere possunt, si remanserint, quàm si in hostem, vel ad pugnam perrexerint: quia tunc eorum precibus adiuvamur, & modò eorum pressuris gravamur. Quando verò Moyses expansis ad cœlum manibus orabat, vincebat Israël: & quando à precibus cessabat, & manus eius gravabantur, priusquam sustentatæ fierent, & ipse precibus insisteret, vincebatur, & terga vertebat. Talibus ergo & multis aliis exemplis fulti, quorum prolixitatem vitantes modò non dicimus, quia sapienti semel dicta sufficiunt prædicta, obnixè omnes precamur, & ut concedantur rogamus, quia nullatenus volumus adsentire, ut nobiscum ad talia pergant, nisi duo aut tres benè docti, electione videlicet ceterorum, ad benedictionem dandam, & ad periclitantium reconciliationem faciendam, ne vos & nos simul cum pluribus pereamus, sed eorum precibus, ut iam memoratum est, fulciamur. Quam formam & de sacerdoribus tenere optamus: id est, ut nec illi in hostem nisi benedicti, & ipsi electione atque permissione propriorum Episcoporum, qui tamen tales sint, de quorum scientia & vita ac conversatione omnes securi esse possimus. Illud tamen vobis & omnibus scire

scire cupimus, quod non propterea hæc petimus, ut eorum res, aut aliquid ex eorum pecuniis, nisi ipsis aliquid sponte nobis dare placuerit, aut eorum Ecclesias viduari cupiamus. Sed magis eis, si Dominus posse dederit, augere adesideramus, ut & ipsi & vos & nos salviores simus, & Deo potius ipso adminiculante placere mereamur. Scimus enim res Ecclesiæ Deo esse sacratas, scimus eas esse oblationes fidelium, & pretia peccatorum. Quapropter si quis eas ab Ecclesiis, quibus à fidelibus collatæ Deoque sacratæ sunt, aufert, proculdubio sacrilegium committit. Cœcus enim est, qui ista non videt. Quisquis ergo nostrum suas res Ecclesiæ tradit, Domino Deo illas offert atque dedicat, suisque sanctis & non alteri, dicendo talia, & agendo ita. Facit enim scripturam de ipsis rebus, quas Deo dare desiderat, & ipsam scripturam coram altari, aut supra, tenet in manu dicens eiusdem loci sacerdotibus atque custodibus; *Offero Deo, atque dedico omnes res, quæ hac in chartula tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum, ac parentum, & filiorum* (aut pro quocunq; illas Deo deliberare voluerit) *ad serviendum ex his Deo in sacrificiis, Missarumq́; solenniis, orationibus, luminariis, pauperum ac clericorum alimoniis, & ceteris divinis cultibus, atque illius Ecclesiæ utilitatibus. Si quis autem eas inde, quod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub pœna sacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas offero atque dedico, districtissimas reddat rationes.* Ponit etiam in ea alias coniurationes, quas enumerare longum est. Nam qui eas inde postea aufert, quid agit nisi sacrilegium? Si ergo amico quippiam rapere furtum est, Ecclesiæ vero fraudari vel auferri indubitanter sacrilegium est. Vnde & in sacris Canonibus, spiritu Dei conditis, habetur ita: *Si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere, vel dare voluerit, præter Episcopi conscientiam, vel eius cui huiuscemodi sunt officia commissa, nec cum eius voluerit agere consilio, anathema sit.* Absit enim, ut rerum Ecclesiarum cupiditate vel ablatione sacrilegi aut anathema efficiamur, aut talibus laqueis unquam devinciamur. Quoniam scimus anathematizatos homines, vel sacrilegos, non solum infames, & à consortio fidelium, priusquam hæc per publicam satisfactionem Ecclesiæ & Episcoporum reconciliationem, manusque impositionem emendent, alienos esse, sed etiam à regno Dei extorres fieri, si in talibus defecerint non dubitamus. Vt ergo omnis suspicio à nobis cunctis sacerdotibus, & omnibus Christi & sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus funditus auferatur, profitemur omnes, stipulas dextris in manibus tenentes, easque propriis è manibus eiicientes, coram Deo & Angelis eius, ac vobis cunctisque sacerdotibus, & populis circumstantibus, nec talia facere, nec facere volentibus consentire, sed magis Deo auxiliante resistere. Et hoc vobis omnibusque fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris notum esse cupimus, quod cum his, qui absque voluntate, aut consensu, vel datione rectoris illius Ecclesiæ, cui ipsæ res iustè esse debentur, & maximè proprii Episcopi res Ecclesiæ à Regibus petere, aut retentare, vel auferre, aut invadere, vel vastare præsumpserint, nec in hostem, nec ad pugnam ire, nec cibum sumere, nec ad Ecclesiam, vel ad palatium, aut in itinere pergere, nec etiam nostros homines cum eorum hominibus, aut caballos, vel reliqua pecora nostra cum eorum pecoribus,

aut ad pastum ire, aut simul habitare vel manere, nec ullam participationem cum eis, nisi pro emendatione ante publicam emendationem, & Ecclesiæ satisfactionem unquam scienter aut libenter habere debeamus, ne pro eorum iniquitatibus atque flagitiis unà cum eis nos & nostri, quod absit, pereamus. Scimus enim quia perit iustus pro impio. Tales verò à nobis, si nos fideles habere vultis, segregate, & in ergastulum sub publica pœnitentia redigite, & postulata concedite. Vt ergo hæc omnia à vobis, & à nobis, sive à successoribus vestris & nostris, futuris temporibus absque ulla dissimulatione conserventur, scriptis Ecclesiasticis inserere iubete, & inter vestra Capitula interpolare præcipite.

CCLXXXVI. *Ne Episcopi ad bella pergant, concessio domni Karoli Imperatoris.*

OMnibus notum esse volumus, quia non solum ea quæ super Episcoporum & presbyterorum hostium vexationibus & precibus, pro nobis & vobis fieri rogitastis, concedere optamus, sed quidquid pro sanctæ Dei Ecclesiæ, & sacerdotum, sive totius populi & vestra utilitate inveneritis, concedere paratissimi sumus, & modò ista sicut petistis concedimus: & quando vita comite, Deo auxiliante, ad generale placitum venerimus, sicut petistis consultu omnium fidelium nostrorum scriptis firmare nostris nostrorumq;, atque futuris temporibus inrefragabiliter manenda firmissimè Domino adminiculante cupimus. Modò ea quæ generalia sunt, & omnibus conveniunt ordinibus statuere, ac cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque fidelibus, ob Dei omnipotentis amorem & recordationem tradere parati sumus: & ad proximum synodalem nostrum conventum ac generale placitum, ubi plures Episcopi & Comites convenerint, ista sicut postulastis, firmabimus.

CCLXXXVII. *Ex quibus supra.*

SACERDOTIBVS OMNIBVS.

STudendum est Episcopis, ut dissidentes fratres magis ad pacem, quàm ad iudicium cohortentur.

Auctoritas Ecclesiastica atque canonica docet, non debere absque sententia Romani Pontificis concilia celebrari.

Episcopi intercessionem præstent his, qui iniqua vi opprimuntur.

Nullus Episcopus nisi in legitima synodo, & suo tempore Apostolica atque canonica vocatione congregata, super quibusdam criminibus pulsatus audiatur.

Variis detractionibus & accusationibus non decet labefactari primatem, sed magis patrum regulis roborari. Nam & Liberius Papa pro Athanasio duobus annis in exilio trusus est: & multi alii Episcopi, qui eum damnare noluerunt, exilio sunt damnati, quorum exemplum omnes convenit sequi sacerdotes.

Multum derogatio prævalet, quando derogator creditur fide dignus: ideo non omnes admittendi sunt, sed viri probatissimi.

Omnis accusatio intra provinciam audiatur, & à comprovincialibus terminetur: ultra provinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur.

Episco

Episcopos eiectos, atque suis rebus expoliatos, in sedes proprias recipi, & sua omnia legaliter primo eis reddi, sancti Canones decreverunt. Et postea si quis eos accusare vellet, æquo periculo facere sanciverunt: iudices esse decernentes Episcopos, recta sapientes, in Ecclesia convenientes, ubi testes essent singulorum, qui oppressi esse videbantur.

Placuit, ut si quæcunq; persona contra Episcopum, vel actores Ecclesiæ, proprium crediderit habere negocium, prius ad eum recurrat charitatis studio, ut familiari colloquio commonitus ea sanare debeat, quæ in querimoniam deducuntur: quam rem si differre voluerit, sententiam suscipiat excommunicationis.

Si quæ causæ vel contentiones inter clericos & laicos, tam maioris ordinis quam etiam inferioris, fuerint exortæ, placuit ut secundum synodum Nicænam congregatis omnibus eiusdem provinciæ Episcopis iurgium terminetur (nec cui liceat: sine præiudicio tamen Ecclesiæ Romanæ, quæ in omnibus causis debet reverentia custodiri) relictis his sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Ecclesias nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias, vel aliarum provinciarum Episcoporum iudicium expetere vel pati, nisi fuerit provocatum. Quod si quis præsumpserit, & ab officio cleri depositus, & iniuriarum reus ab omnibus iudicetur. Si autem maiores causæ in medio fuerint devolutæ, ad sedem Apostolicam, ut sancta synodus statuit, & beata consuetudo exigit, post iudicium Episcopale referatur. Prudentissimè iustissimeque decreta Nicæni concilii atque Africani decreverunt, quæcunque negocia in suis locis, ubi orta sunt, finienda: maximè, quia unicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad concilia suæ provinciæ, vel etiam universale provocare.

Servatâ quæ scripta est de gubernationibus regulâ, manifestum est, quòd illa quæ sunt per unamquamque provinciam ipsius provinciæ synodus dispenset, sicut Nicæno constat decretum esse concilio.

Quæcunque sunt ad religionis observantiam pertinentia, locis suis & à suæ diœceseos synodis audiantur. Vnaquæq; provincia suo metropolitano, & suis comprovincialibus Episcopis sit contenta. Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui, & dixit omnis populus, Amen: & reliqua. Qui sunt supra diœcesin Episcopi, nequaquam ad Ecclesias, quæ sunt extra præfixos sibi terminos, accedant, nec eas aliqua præsumptione confundant. Non oportet transferri terminos à patribus constitutos, ut alter alterius parochiam invadat, atque illuc celebrare divina mysteria inconsulto eo, cui commissa est, præsumat.

CCLXXXVIII. *De eo, qui facultatem deprædationis dederit malitiosa factione, ut vivus comburatur.*

SI quis scelerata factione facultatem deprædationis dederit, vel si quis factam diviserit, vivus comburatur.

CCLXXXIX. *Vt capitale supplicium excipiat, qui violentiam commisisse dignoscitur.*

QVi manifestam detegitur commisisse violentiam, non iam relegatione aut deportatione insulæ plectatur, sed supplicium capitale excipiat. Nec

interposita provocatione sententia, quæ in eum fuerit dicta, suspendatur, quoniam multa facinora sub uno violentiæ nomine continentur. Cum aliis vim inferre tentantibus, aliis cum indignatione resistentibus, verbera, cædesque crebrò detegantur admissæ. Vnde placuit, ut si fortè quis vel ex possidentis parte, vel ex eius qui possessionem temerare tentaverit, interemptus sit, in eum supplicium exeri, qui vim facere tentaverit, & alterutri parti causam malorum præbuit.

CCXC. *De eo, qui sibi indebitum locum usurpaverit.*

SI quis indebitum sibi locum usurpaverit, nulla se ignoratione defendat, sitque sacrilegii reus, qui hoc agere tentaverit.

CCXCI. *Vt si Ecclesiæ privilegia alicuius temeritate fuerint corrupta, piaculum v. librarum auri pœna mulctetur.*

SI Ecclesiæ venerabilis privilegia cuiusquam fuerint temeritate violata, vel dissimulatione neglecta, commissum quinq; librarum auri condemnatione plectatur.

CCXCII. *De privilegiis Ecclesiarum quatenus incorrupta persistant.*

PRæcipimus ut privilegia, quæ Ecclesiis & clericis lege concessa sunt, maneant incorrupta.

CCXCIII. *Quòd servari debeat potius quàm auferri, quod sanctæ Dei Ecclesiæ fuerit collatum.*

INiquum est, & sacrilegii instar, ut quæ pro salute vel requie animarum suarum unusquisque venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certè reliquerit ab his, quibus maximè servari convenerat, auferri, & in aliud transferri.

CCXCIIII. *Vt laicis quamlibet religiosis, nulla sit disponendi de rebus Ecclesiæ data facultas.*

LAicis quamvis religiosis nulla de Ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur unquam adtributa facultas.

CCXCV. *Quòd prædones Ecclesiæ sacrilegi sint, sicut scripturæ testimonio comprobatur.*

SAcrilegi sunt Ecclesiæ prædones. Vnde & in concilio Agatensi sub IIII. cap. decretum habetur ita: *Amico quidpiam rapere furtum est: Ecclesiæ verò fraudari, vel abstrahi, surripiq; , sacrilegium.* Omnes enim contra legem facientes, resque Ecclesiæ diripientes, vel Ecclesias sacerdotesque contra divinas sanctiones vexantes, sacrilegi vocantur, atque indubitanter infames sacrilegique habendi sunt.

CCXCVI. *Quòd ea quæ Domino consecrantur, ad ius Ecclesiasticum pertineant.*

EA quæ Domino offeruntur vel consecrantur, ad ius pertinent sacerdotum, & sacrilegi sunt omnes, qui ea auferunt, vel in aliud transferunt.

CCXCVII. *Vt*

CCXCVII. *Vt si quis dignitatem præsumpserit, quam non meruit à Principe vel iusto seniore, sacrilegus habeatur.*

SI quis præsumpserit, quam non meruit à Principe vel seniore dignitatem, sacrilegus habeatur.

CCXCVIII. *Vt illi, qui diversis sceleribus implicati sunt, ad accusationem vel ad testimonium non admittantur.*

HOmicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri, & qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos magosque cucurrerint, nullatenus erunt ad accusationem vel ad testimonium admittendi.

CCXCIX. *De Episcopo deposito, qui se ad Romanum Pontificem reclamaverit.*

SI quis Episcopus depositus agendum sibi negocium in urbe Roma proclamaverit, alter Episcopus in eius cathedra, post appellationem eius qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit iudicio Romani Episcopi determinata.

CCC. *Ne in prædicatores Ecclesiæ detractiones seu vituperationes fiant, quod canonica scriptura damnat.*

QVòd omnibus fidelibus omnibusq; ordinibus summopere cavendum sit, ne clanculò aut publicè unctum Domini detractionibus & vituperationibus dilanient: perpendentes illud exemplum Mariæ, quæ eo quòd Moysi famulo Domini propter Æthiopissam detraxit, immunditia lepræ multata sit. Et aliud Psalmistæ: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Et Dominus per Moysen ait: *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* Et si David Regum iustissimus in Saül, quem constabat iam à Domino reprobatum & abiectum esse, manum mittere non præsumpsit, multò magis cavendum est, ne manum detractionis, aut vituperationis, sive indiscretionis, aut dehonorationis quiddam mittant in unctum Domini, vel in prædicatores sanctæ Dei Ecclesiæ.

CCCI. *Quòd Episcopi inter se corrigere, si quid ortum fuerit, debent.*

COnstantinus Imperator de accusationibus Episcoporum ait: *Hæ quidem accusationes tempus habebunt proprium, id est diem magni iudicii: iudicem verò illum, qui tunc futurus est omnes iudicare. Mihi ergo homini constituto de huiuscemodi rebus non licet habere auditorium sacerdotum, scilicet accusantium & simul accusatorum, quos minimè convenit tales debere monstrari, qui iudicentur ab aliis.* Imperator quoque Valentinianus de Episcoporum causis sic ait: *Supra nos*, inquit, *est vestrum negotium, & ideo vos de vestris inter vos agite causis, quia supra nos estis.* Et reliqua.

CCCII. *De sacrilegis quod fures sint, teste scriptura.*

OMnibus sciendum est, quod sacrilegi fures sint cuncti, qui res Ecclesiæ diripiunt, vastant, invadunt, vexantque, aut à iure Ecclesiarum, quibus traditæ fuerant, iniustè alienant. Vnde & B. Augustinus in Homilia XLVIII. Euangelii Ioannis ita dicit: *Ecce inter sanctos est Iudas, ecce fur est Iudas, & ne contemnas. Fur sacrilegus non qualiscunque fur, fur loculorum, sed dominicorum loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernuntur in foro qualiscunque furti & peculatus (peculatus enim dicitur furtum de republica) & non sic iudicatur furtum rei privatæ, quomodo publicæ, quanto vehementius iudicandus est sacrilegus fur? non undecunque tollere, sed de Ecclesia tollere. Qui aliquid de Ecclesia aufert, vel furatur, Iudæ proditori comparatur.* Nota quod aliquid de Ecclesia tollere, furtum esse beatus Augustinus asseveret, & patratorem tanti furti, furem sacrilegum appellet, nec non & Iudæ perdito æquiparet. Et post pauca: *Quare,* inquit, *loculos habuit, cui Angeli ministraverunt? nisi quia Ecclesia ipsius loculos suos habitura erat.* Ecce quibus tanti doctoris documentis instruimur! quia quod in capite præcessit, in corpore eius, quod est Ecclesia, videtur impletum. Porrò Christum & Ecclesiam unam personam esse, non nescimus: & ideo quæ Ecclesiæ sunt, Christi sunt, & quæ Ecclesiæ offeruntur, Christo offeruntur, & quæ ab Ecclesia eius tolluntur, proculdubio Christo tolluntur. Esto, futurum erat ut Ecclesia Christi nummos haberet. Si nummos, utique & prædia, & mancipia, & diversarum specierum innumera ornamenta. Et quia illicitum sit ea quæ conferuntur Ecclesiæ, auferri, beati Hieronymi scribentis in expositione Matthæi Euangelistæ, verba ita testantur: *Omnis,* inquit, *qui stipe templi, & his quæ conferuntur in usus Ecclesiæ, abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt scribarum & sacerdortum, redimentium mendacium & sanguinem salvatoris.*

CCCIII. *Quòd quidquid offertur Domino, sanctum sacrorum sit, & ad ius pertineat sacerdotum.*

NVlli liceat ignorare, quòd omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, vel quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sacrorum erit Domino, & ad ius pertinet sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui ea, Domino & Ecclesiæ quæ competunt, aufert, vastat, invadit, vel diripit, usque ad emendationem, Ecclesiæque satisfactionem; quòd sit sacrilegus, & non tantum sacrilegus, sed etiam fur sacrilegus.

CCCIIII. *De his sacrilegis, qui Ecclesiæ eiusque sacerdotibus iniurias inferunt.*

SI quis in hoc genus sacrilegii proruperit, ut in Ecclesias, earumque res inruens, sacerdotibus & ministris, vel ipso cultui locoque aliquid importet iniuriæ vel inferat, ad divini cultus iniuriam, in convictos sive confessos reos capitali sententia noverit vindicandum. Nec expectetur ut

Episcopus iniuriæ propriæ ultionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi soli gloriam derelinquit. Sitque cunctis non solum liberum, sed etiam laudabile, factas atroces sacerdotibus aut ministris iniurias, veluti publicum crimen persequi, ac de talibus reis ultionem mereri.

CCCV. *Quòd omnia quæ Domino offeruntur, proculdubiò & consecrantur.*

OMnia quæ Domino offeruntur, proculdubio Domino consecrantur: & non solum sacrificia, quæ à sacerdotibus super altare Domino consecrantur, oblationes fidelium dicuntur, sed quæcunque ei à fidelibus offeruntur, sive in mancipiis, sive in agris, vineis, sylvis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, artificiis, libris, utensilibus, petris, ædificiis, vestimentis, pellibus, lanificiis, pecoribus, pascuis, membranis, mobilibus & immobilibus, vel quæcunque de his rebus, quæ ad laudem Dei fiunt, vel supplementum sanctæ Dei Ecclesiæ eiusque sacerdotibus, atque ornatum præstare possunt, Domino Ecclesiæque, sive à quibuscunque ultrò offeruntur, Domino indubitanter consecrantur, & ad ius pertinent sacerdotum. Et quia Christum & Ecclesiam unam personam esse veraciter agnoscimus, quæcunque Ecclesiæ sunt, Christi sunt. Et quæ Ecclesiæ vel in supradictis vel in quibuscunque speciebus, sive pollicitationibus, sive pignoribus, sive scriptis, sive corporalibus rebus offeruntur, Christo offeruntur, & quæ ab Ecclesia eius quocunque commento alienantur vel tolluntur, sive alienando, sive vastando, sive invadendo, sive minorando, sive diripiendo, Christo tolluntur. Et si ab amico quippiam rapere furtum est, præcipuè Christo Domino nostro, qui est Rex Regum & Dominus dominantium, aliquid auferre, alienare, subripere, vel vastare sacrilegium est. Omnes namque Ecclesiæ prædones, manifestissimè sunt sacrilegi, & nullus sacrilegus nisi per puram, probatamque, atque publicam pœnitentiam, & per Ecclesiæ satisfactionem, Episcoporumque per manus impositionem, iuxta canonicas sanctiones reconciliationem, regnum Dei possidebit: & non solum à regno Dei fit alienus, sed etiam à liminibus sanctæ Ecclesiæ, & præcipue ab illius quam læsit, usque ad prædictam satisfactionem, extorris efficitur. Talium verò scelerum patratoribus, nisi post prædictam satisfactionem, nec vivis nec mortuis communicare minimè debemus. Quia qui rapuit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit; qui sacrilegi, non solum fures, sed etiam lupi atque homicidæ, pauperumque necatores sunt, & insuper anathematis vinculo damnati, coram Deo & sanctis eius efficiuntur.

CCCVI. *De eo qui se incestuoso ordine his personis, quibus à divinis regulis probibitum est, coniunxerit.*

SI quis sine gradu se incestuoso ordini cum his personis, quibus à divinis regulis pohibitum est, coniunxerit, usquequo pœnitentiam sequestratione testentur, utrique communione priventur: & neque in palatio habere militiam, neque in foro agendarum causarum licentiam habebunt. Nam qui modo prędicto se incesto coniunxerint, Episcopi seu presbyteri, in

quorum diœcesi vel pago actum fuerit, Regi vel iudicibus scelus perpetratum denuntient: ut cum ipsis denuntiatum fuerit, se ab eorum communione & cohabitatione sequestrent. Res autem eorum ad primos parentes, usque ad sequestrationem perveniant: sub ea conditione, ut antequam segregentur, per nullum ingenium, neque per parentes, neque per emptionem, neq; per auctoritatem regiam ad proprias perveniant facultates, nisi præfatum scelus sequestrationis separatione & pœnitentia fateantur.

CCCVII. *Ex libro legum Theodosii III. cap. XII. de incestis.*

QVod incesti non sint legitimi heredes, sed infamia sint notatæ utræque personæ.

CCCVIII. *Vt nullus devotam Deo virginem vel viduam coniugem accipiat.*

VT deinceps, sicut Canones Ecclesiastici prohibent, nullus Deo devotam virginem, nullus sub religionis habitu consistentem, sive viduitatis continentiam professam, vel sui proximam generis, aut etiam de cuius admixtione incestivæ notam possit subire infamiæ, illicito connubio, aut vi aut consensu, accipiat coniugem. Quia nec verum poterit esse coniugium, quod à meliori proposito deducitur ad deterius, & sub falsi nominis copula, incestiva pollutione & fornicationis immunditia perpetratur. Hoc verò nefas si agere amodò cuiuslibet gentis homines sexus utriusque tentaverint, insistente sacerdote vel iudice, etiam si nullus accusator, omnimodis separati exilio perpetuo relegentur: nec aliqua indè finitione sui quousque vixerint, longitudine temporis excusentur.

CCCIX. *Quòd blasphemiam Deo inferat, qui se cum Deo sacrata commiscuerit.*

SCire vos convenit, quia blasphemiam Deo irrogat, qui cum Deo sacrata, vel cum velata fœmina se commaculat.

CCCX. *Vt clericus proprio honore privetur, si cum fœmina Deo sacrata, vel velata se commiscuerit.*

SI clericus cum velata fœmina, vel cum Deo sacrata se maculaverit, proprio honore privetur.

CCCXI. *Quòd sacrilegi & violatores iuxta Apostolicum sint, qui violant sacratarum fœminarum corpora.*

SCiendum est omnibus, quòd Deo sacratarum fœminarum corpora per votum propriæ sponsionis, & verba sacerdotis, Deo consecrata templa esse scripturarum testimoniis comprobantur: & ideo violatores earum sacrilegi, ac iuxta Apostolum, filii perditionis esse noscuntur.

CCCXII. *Quòd fornicatio omnibus peccatis periculosior esse perhibetur.*

QVòd penè omnibus peccatis gravior & deterior sit fornicatio, & ut veraciter dici potest, laqueus mortis, & puteus inferni, ac vorago perditionis; eo quòd

quod adulteri vel luxuriosi, propter cordis inopiam, perdunt animas suas. Nam, ut ait scriptura, *Pretium scorti vix unius est panis: & qui se iungit meretrici, unum corpus efficitur: & qui luxuriatur, mortuus est in corpore vivente.*

CCCXIII. *De excommunicandis iudicibus & potentibus, qui non se emendaverint.*

VT iudices aut potentes qui pauperes opprimunt, si commoniti à Pontifice suo se non emendaverint, excommunicentur.

CCCXIIII. *Vt Episcoporum iudicio incesta matrimonia emendentur.*

PRæcipimus ut iuxta decreta Canonum adulteria & incesta matrimonia, quæ non sunt legitima, prohibeantur, & Episcoporum iudicio emendentur.

CCCXV. *Quòd in eo loco unicuique manendum sit, ubi votum voverit.*

VT unusquisque in eo loco, ubi constitutus fuit, & ubi votum vovit, ibi maneat, & ibi reddat vota sua.

CCCXVI. *Quòd maximum peccatum sit spiritualis commatris coniunctio.*

SCiendum est omnibus, quod coniunctio spiritalis commatris, maximum peccatum sit, & divortio separandum, atque capitali sententia multandum, vel peregrinatione perpetua delendum.

CCCXVII. *De eo, qui paganas observationes fecerit.*

DEcrevimus, sicut & antecessores vel parentes nostri olim decreverunt, ut qui paganas observationes in aliqua re fecerit, multetur & damnetur quindecim solidis.

CCCXVIII. *Præceptio, ut mancipia Christiana paganis vel Iudæis non tradantur.*

PRæcipimus generaliter omnibus, ut mancipia Christiana paganis vel Iudæis non tradantur.

CCCXIX. *Vt omnes noverint, quantum malum sit Deo sacratas vel reliquas incestare.*

IVbemus omnes scire, omnibusque populis sacerdotes prædicare, atque sub poena sacrilegii denunciare, quantum malum & quàm maximum flagitium sit, cum Deo devotis foeminis, viduis vel virginibus, sive cum velatis, sive cum Deo devotis, maximeque cum sanctimonialibus, & sacratis Deo virginibus, vel viduis, tam in monasteriis quàm extra commisceri. Nam hoc peccatum duplex esse non dubium est. Vt verbi gratia dicamus, cuius vindictæ reus sit puer ante dominum suum, qui uxorem domini sui adulterio violaverit; quanto magis ille, qui sponsam Christi, creatoris cœli & terræ, putredine suæ libidinis commaculaverit? dicente beato Paulo Apostolo: *An nescitis quia corpora vestra templa sunt Spiritus sancti?* Et alibi: *Nescitis*

quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et iterum idolatriæ servituti adulteros & fornicatores in sermone & numero peccatorum iungit, dicens: *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? nolite errare; quia neque fornicarii, neq; idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

CCCXX. *Vt Ecclesiarum privilegia vel facultates, sive quidquid ad easdem pertinet, nullus invadere præsumat.*

PRæcipimus omnibus ditioni nostræ subiectis, ut nullus privilegia monasteriorum infringere, resque Ecclesiarum invadere, vel vastare, aut alienare, vel facultates earum diriperere præsumat, nec sine precaria possidere pertentet. Quia sicut à sanctis patribus instructi sumus, gravissimum peccatum hoc esse dignoscitur, testante sacra scriptura, quæ ait: *Qui abstulerit aliquid patri vel matri, & dicit hoc non esse peccatum, homicidii particeps est.* Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit, mater nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritualiter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias & Ecclesiæ fraudat vel rapit, sive vastat vel alienat, homicida ante conspectum iusti iudicis esse deputabitur. De quo quidam sapientum dicit: *Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit; qui autem pecuniam Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit.*

CCCXXI. *Vt neque Rex, neque secularium quisquam, per vim prædia Ecclesiarum rapiat, quas Episcopi, Abbates, vel Abbatissæ possident.*

OMnibus nos ipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, generaliter interdicimus, ut nullus laicus homo, vel Imperator, vel Rex, aut aliquis præfectorum, vel Comitum seculari potestate fultus, sibi per violentiam rapiat, aut à nobis competere, vel quocunque modo invadere præsumat monasterium, aut prædia, vel quascunque res de potestate Episcopi, vel Abbatis, aut Abbatissæ; & incipiat ipse vice Abbatis regere, & habere sub se monachos, & pecuniam possidere, quæ fuit Christi sanguine comparata. Talem hominem antiqui patres nominabant raptorem, & sacrilegum, & homicidam pauperum, & lupum diaboli, intrantem in ovile Christi, & maxime anathematis vinculo damnandum ante tribunal Christi. De talibus memores estote scripturæ sancti Pauli Apostoli ad Timotheum, dicentis; *Divitibus huius seculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo qui præstat omnia.* Tales si Ecclesiæ correctionem non recipiunt, ethnicis & publicanis sunt similes; quibus nec vivis nec mortuis communicat Ecclesia Dei. Talibus, quia & hic & ibi reperiuntur, cum tuba Dei clangamus, ne tacentes damnemur, aut simul cum eis pereamus. Si autem impietas horribibilis est Deo, ille qui impiè agit, certe separatus est talis à Deo, & anathemati iustè subiicitur. Anathema enim nihil aliud significat, nisi à Deo separationem: sicut in veteri & novo testamento iudicium de anathemate significat.

CCCXXII. *De*

CCCXXII. *De his, qui non solum de rebus suis aliquid Ecclesiæ conferunt, sed etiam ab aliis conlatas iniustè possident.*

PLacuit nobis, & ab omnibus observari convenit, ut quia nonnulli memores sui, per quaslibet scripturas, pro remedio animæ suæ, de facultatibus suis Ecclesiis quid contulisse probantur, quod à diversis, Deum minus timentibus, hactenus mortifera calliditate tenetur; ita ut aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam, nec intueri corde possunt diem iudicii Domini, qui hoc cupiditatis delectantur ardore. Quicunque immemor interitus sui res Ecclesiis, ut supra diximus, delegatas iniustè possederit, præsumpseritque retinere, & veritate comperta res Dei servis dissimulaverit reformare, ab omnibus Ecclesiis segregatus, à sancta communione habeatur extraneus: nec aliud mereatur habere remedium, nisi cum culpam propriam rerum emendatione purgaverit. Indignè enim ad altare Domini properare permittitur, qui res Ecclesiasticas aut audet rapere, aut iniustè possidere. Qui verò in hac iniqua defensione perdurant, ut necatores pauperum omnes iudicandi sunt, quod eorum taliter alimenta subtraxerint. Sacerdotalis tamen debet esse provisio, ut vindictam admonitio manifesta præcedat, & res usurpatas iniustè qui abstulit, adhibita æquitate restituat. Quod si neglexerit, & necessitas compulerit, posteà prædonem sacerdotalis districtio maturata percellat. Neque quisquam per regna absque proprii Episcopi auctoritate res dispensare nitatur, quia Dei potentia cunctorum regnorum terminos singulari dominatione concludit. Qui vero his nostris sanctionibus contraierit, & quæ neglexit, legibus emendare tardaverit, vel deinceps in prædicta nequitia perdurare voluerit, omnes honores, quos habere videbatur, perdat, & à nobis seculariter & legaliter strictim fortiterque puniatur, & à sacerdotibus cœlesti gladio feriatur. Et si se non correxerit, non solum excommunicatus, sed etiam anathematizatus moriatur.

CCCXXIII. *De rebus Ecclesiæ, quæ sibi iure debentur, ne in aliud transferantur.*

SCiendum est omnibus, quòd sacrilegium sit res Ecclesiæ, quocunque modo iniustè ab Ecclesiis, quibus iure debentur, auferri, & in aliud transferri.

CCCXXIIII. *Quòd homicidæ ante Deum deputentur, qui res Ecclesiæ vastant.*

VOlumus omnes scire, quod qui Christi & Ecclesiæ pecunias auferunt, resque eius fraudant, rapiunt, vastant, vel diripiunt, homicidæ ante Deum esse deputantur, quia res pauperum, quos Ecclesia pascere debet, diripiunt.

CCCXXV. *Vt capitali pœna mulctentur, qui sacrilegia, adulteria, prædationes, aut devastationes exercuerint.*

SVb pœna capitali sacrilegia, adulteria, prædationes, vastationesque, in regno nostro à quibuscunque fieri prohibemus. Ita ut si voluntariè quis

ex his unum vel aliquid fecerit, de vita componat; & omnes res eius, tam mobiles quam & immobiles, fisco nostro socientur, vel Ecclesiæ, cuius res vastaverit, vel alienaverit, aut abstulerit tradantur. Maximum enim sacrilegium est, oblationes fidelium, quæ sunt res Ecclesiarum, auferre, vastare, alienare, invadere, vel surripere. Nam ut ait sacra scriptura: *Neque sacrilegi, neque adulteri, neq; prædones, vel vastatores, qui sunt raptores, regnum Dei possidebunt.* Et si hi, qui res fratrum diripiunt, à regno Dei alieni fiunt, quid super his fieri putatis, qui res Deo dicatas diripiunt vel auferunt? Nam quantò gravius quis in præsenti seculo peccat, tanto gravius in inferno torquebitur.

CCCXXVI. *De viris, quòd in castitate uxores suas diligere, eisque vasi infirmiori custodiam, & reliquam necessitatem debeant impendere.*

OMnes scire volumus, quod iubente Deo, viri uxores suas in castitate debeant diligere, & eis, ut pote vasi infirmiori, honorem & custodiam, atque cuncta quæ necessaria sunt, prout quisque potuerit, ministrare fideliter debebit. Quod & nos, qui ministri Domini sumus, nec sine causa Dei gladium portamus, Episcopali (in vice omnium Episcoporum) atque regali auctoritate, pro viribus cunctos agere iubemus.

CCCXXVII. *De conservanda fide inter virum & uxorem.*

SCire omnes volumus, sicut & sæpius à Domini Episcopis, & reliquis Dei servis admoniti sumus, quod viri uxoribus suis, & uxores similiter viris suis veraciter fidem & dilectionem servare debent, & non in aliquo ab his declinare; & quod liceat coniugatis, neque pellicem neque concubinam habere.

CCCXXVIII. *Ne clerici cuiuslibet ordinis à quibuslibet laicis iniurientur, vel apud alios, quam apud Episcopos, accusentur.*

ET neque presbyteri, neque diaconi, neque subdiaconi, de Ecclesiis trahantur, aut iniuriam aliquam eorum inscio Episcopo patiantur: sed quidquid quis adversus eos habuerit, in notitiam Episcopi proprii perducat, & ipse causam, iustitia præeunte, discutiẽs animo, clericos accusanti satisfaciat.

CCCXXIX. *Vt hi, qui innocentes apud Principem, vel apud alios accusaverint, damnentur.*

DE his qui innocentes apud Principes, aut iudices, accusare convicti fuerint, si clericus honoratior fuerit, ab officii sui ordine degradetur; si vero secularis, pœnam quam ipsi si convicti essent, passuri erant, patiantur: & insuper si talis causa fuerit, unde vivere debeant, à sacerdotibus publica pœnitentia multentur, ut spiritus salvus sit in die Domini.

CCCXXX. *Vt clerici de his causis, quæ [illegible]uli leges non admittunt, minimè impetantur.*

NVllæ causæ à iudicibus Ecclesiasticis audiantur, quæ legibus non continentur, vel quæ prohibitæ esse noscuntur.

EXPLICIT LIBER SEXTVS.

INCIPIUNT TITULI LIBRI SEPTIMI.

XXX. *De non negligendis praeceptis canonum, sed viriliter exercẽdis.*
XXXI. *De non studendo novitati.*
XXXII. *Vt nullus sacerdos in alterius parochia aliquid praesumat.*
XXXIII. *De docendo populo.*
XXXIIII. *Vt aliqua obligatus conditione absque petitione Domini sui non ordinetur.*
XXXV. De *malis funditus abscindendis.*
XXXVI. *De pravis persequendis.*
XXXVII. *De plebe adversus sacrilegos custodienda.*
XXXVIII. *De unitate gregis & pastoris.*
XXXIX. *De tepidis Doctoribus.*
XL. *Quomodo dubia vel obscura teneantur.*
XLI. *De uxoribus & concubinis.*
XLII. *De concubinis relinquendis.*
XLIII. *De abstinendo à licitis.*
XLIIII. *Quòd poenitentibus nulla lucra negotiationis exercere conveniat.*
XLV. De *reatu potentum.*
XLVI. *Vt pravi non consecrentur.*
XLVII. *Vt iniusta populi petitio effectu careat.*
XLVIII. De *potestate data non abutenda.*
XLIX. *Vt nemo poenitentem alterius parochiae absolvat.*
L. De *criminosis non promovendis.*
LI. De *his qui variis passionibus irretiti sunt.*
LII. De *mortuis temere non iudicandis.*
LIII. De *contentione vitanda.*
LIIII. *Quòd mali bona ministrando noceant.*
LV. *Vt vivente viro vel uxore, nemo eorum alteri coniugio copuletur.*
LVI. De *potestate Episcopi in parochia sua.*
LVII. *Vt nemo clericorum absq; cõsensu Episcopi sui Principem adeat.*
LVIII. De *potestate Episcopi in rebus Ecclesiasticis.*
LIX. *Vt clericus extra suam parochiam absque Pontificis sui permissu non proficiscatur.*
LX. *Qualiter Episcopi provebantur.*
LXI. *Quòd turbis electiones Episcoporum non concedantur.*
LXII. *Vt Episcopi nisi vocati extra suam dioecesim nullas ordinationes faciant.*
LXIII. De *potestate primatis dioecesios.*
LXIIII. *Vt accusatores clericorum sine probatione non recipiantur.*
LXV. *Vt criminosus vocem accusandi non habeat.*
LXVI. *Vt accusato locus unde ipse est concedatur, ubi testes habere queat.*
LXVII. *Vt Episcopus ante iustam definitionem nullatenus propria potestate privetur.*
LXVIII. De *primatibus in accusatione Episcopi expetendis.*

LXIX. *Vt*

CXLV. *De causis in iudicio convincendis, & de sententia adversus absentes infirmanda, & de causis in iudicio non revolvendis, & ut absentes non damnentur, & quòd absentes nec accusare poßint.*

CXLVI. *De sacerdotibus vel clericis, qui per pecunias aliorum sacerdotum Ecclesias aut beneficia subripiunt vel subvertunt.*

CXLVII. *Vt seculares de viris Deo dicatis Ecclesiæque facultatibus ad se nihil putent pertinere, præter reverentiam tantum.*

CXLVIII. *De servis dominorum facinora confeßis non audiendis.*

CXLIX. *De his qui sine iußione Episcopi iudices seculares adeunt, aut sine licentia & litteris Episcopi sui proficiscuntur, & de laicis Ecclesiis vel laicis calumniam facientibus.*

CL. *De laicis vitiosis à clericis, nisi sponte voluerint, non recipiendis: similiter & de clericis.*

CLI. *Vt hi qui sponte hominem occidere voluerint, & non potuerint perpetrare, ut homicidæ habeantur.*

CLII. *Vt nulli sacerdotes eorum decimas, aut aliquid de rebus vel facultatibus Ecclesiæ, sine licentia proprii Episcopi vendere præsumant.*

CLIII. *De anathematizatis hominibus repellendis.*

CLIIII. *De sententia adversus absentes vel minores iudicata non valenda.*

CLV. *De his qui inebriantur, aut à communione nisi se correxerint suspendantur, aut corporali supplicio subdantur.*

CLVI. *De his qui apud extraneos iudices causam suam proponunt, & de his qui prius in proprio foro iurgaverint, & de iudicibus qui sua negligentia causas differunt.*

CLVII. *Quid de vaticinatoribus falsis agendum sit.*

CLVIII. *Quid de Episcopo, qui alium conculcare, vel calumniari, aut iniuriare præsumpserit, Episcopum faciendum sit.*

CLIX. *Vt nullus presbyter in Ecclesia benedictiones publicas super populum fundere, aut altare consecrare vel reconciliare præsumat.*

CLX. *Vt absentibus, quod ablatum est, pleniter restituatur.*

CLXI. *De neglegentibus officia divina, & non venientibus ad matutinalia, vel vespertinalia, sive reliqua divina officia.*

CXLII. *De his qui in captivitatem ducti sunt, quid agendum sit.*

CLXIII. *Vt presbyteri per singulas hebdomadas, sicut ab Episcopo, vel ab illo qui constitutus est ab eo, vocantur, ad civitatem conveniant absque ulla dilatione discendi gratia.*

CLXIIII. *Quid de cõvictis in iudicio de evidenti violentia agendum sit.*

CLXV. *De his qui relinqunt Ecclesiastica officia, & ad seculare confugiunt: & de clericis furtum Ecclesiæ facientibus, sive de clericis comam nutrientibus, vel habitum aut vestimenta clericalia mutantibus.*

CLXVI. De

CXC. *Quòd non conveniat catechumenis vel pœnitentibus in Pascha vel Pentecoste, aut nativitate Domini, ante baptismum vel canonicam reconciliationem sacramentum Dominici corporis dare, sed tantum sal benedictum.*

CXCI. *Ut in synodo prius quales causæ, quæ ad normam Ecclesiæ pertinent, finiantur, & postea spirituales ventilentur.*

CXCII. *De his qui res Ecclesiæ à Principibus petunt, ut irrita habeantur quæ obtinent, & ipsi communione priventur.*

CXCIII. *Ut nullus Episcopus de alterius Episcopi diœcesi quidquam præsumat.*

CXCIIII. *Ut posteriores Episcopi non se præponant prioribus.*

CXCV. *Ut clerici qui sine epistolis Episcopi sui extra propriam parochiam profecti fuerint, communione priventur: & si incorribiles apparuerint, verberibus arceantur.*

CXCVI. *Ut laici non ordinentur, nisi religione præmissa: & ut monasteriis puellarum probatæ vitæ homines præfigantur.*

CXCVII. *De his qui districtionem Episcoporum circa se austeriorem putarint, quid agendum sit.*

CXCVIII. *De conspiratione clericorum, vel monachorum, aut laicorum.*

CXCIX. *De his qui res Ecclesiæ traditas invadunt vel vastant, aut absque proprii Episcopi consensu accipiunt, quid agendum sit.*

CC. *De his quæ die Dominico agere prohibentur vel permittuntur.*

CCI. *De his qui ante finitam Missam de Ecclesia egredi præsumunt.*

CCII. *De his qui in Ecclesia cum armis intrare præsumunt.*

CCIII. *Ut laici in Ecclesia infra cancellos stare non præsumant.*

CCIIII. *De his qui sabbato sancto Paschæ hora nona ieiunium solvunt.*

CCV. *De purgatione sacerdotum, qualiter Wormatiæ secunda vice à domno Karolo & à suis tractata, atque sopita est.*

CCVI. *De recto iudicio ab omnibus iudicando, & litibus & contentionibus cavendis.*

CCVII. *Ut testes, priusquam de causa interrogentur, sacramento constringantur.*

CCVIII. *Ut Episcopos vel sacerdotes aut clericos in iudiciis secularibus nullus accuset.*

CCIX. *Ut mancipia quæ Iudæi emerint, aut circumciderint, ab eorum potestate auferantur.*

CCX. *De integra restitutione.*

CCXI. *De his quæ iniuste ablata sunt, ut iustis legibus in integrum restituantur.*

CCXII. *Ut Ecclesiarum vel clericorum servos à iudicibus non liceat vexari.*

CCXIII. *Ut dotes Ecclesiarum simul cum ipsis Ecclesiis semper ad proprii Episcopi pertineant dispositionem.*

CCXIIII. *Ut Episcopi semper prævideant, qualiter iudices cum omnibus sibi commissis agant.*

CCXV. *De*

CCXCIIII. *De confeßionibus fidelium accipiendis & diiudicandis, & consilium dandis, qualiter pro modulo & quantitate peccati sit pœnitentiæ temporis institutio.*

CCXCV. *De his qui prius non habentes odium, sed se defendentes, aliquem occiderint, qualiter corrigenda sit temporis institutio.*

CCXCVI. *De muliere, quæ duobus fratribus nupserit, & de viro eius.*

CCXCVII. *De mulieribus & viris infantes opprimentibus quid agendũ sit.*

CCXCVIII. *De muliere quæ adulteravit virum suum: similiter & de viro, qui uxorem suam adulteravit, qualiter de ambobus agendum sit.*

CCXCIX. *Vt ad confirmationem Episcopi omnes devote conveniant, eiq; quæ necessaria sunt, ministrare non negligant.*

CCC *De parvulorum instructione tam fidei & baptismatis ministerio, quàm sancti Spiritus dono.*

CCCI. *De frequenti peccatorum confeßione.*

CCCII. *De manifestatione alienorum peccatorum: & quod ea cœlare peccatum sit.*

CCCIII. *Quòd gravius delinquunt qui fidem perceperunt, quàm alii si tamen in bono opere persistant.*

CCCIIII. *De coniugio, quod à Deo sit institutum.*

CCCV. *De castitate eorum qui coniugio sunt copulandi.*

CCCVI. *Vt omnes à maiore usque ad minorem suis sacerdotibus sicut Episcopo Domino obedientes existant, cuius vice legationem in Ecclesia funguntur, ex Capitulis domni Karoli Theodonis villa firmatis.*

CCCVII. *De infantium baptismo, Ecclesiarum vel altarium, seu fidelium consignandorum dubitatione, quid agendum sit.*

CCCVIII. *De advocatis vel defensoribus Ecclesiarum à Principe postulandis.*

CCCIX. *Vt ubi quisque ordinatus, ibi pertineat.*

CCCX. *De presbyteris & ministris Ecclesiæ, ut à suis & non ab aliis Episcopis chrisma petant vel accipiant: & de chorepiscoporum cassanda superstitione.*

CCCXI. *De his qui rapiunt fœminas, ut eas non habeant uxores, & qualiter de raptu agendum sit.*

CCCXII. *Quòd in omnibus locis Deus orandus sit, & non in aliis quàm in Deo dicatis ab Episcopis locis Missa sit celebranda.*

CCCXIII. *De secularibus qui Episcopis suis inobedientes existunt, & ad emendationem sui tardant venire, quid agendum sit.*

CCCXIIII. *De clericis, ut non utantur armis vel sagis.*

CCCXV. *Vt ea quæ Episcopus in sua diœcesi corrigere non valet, ad alios referat Præsules, vel si necesse fuerit, Regi intimet.*

CCCXVI. *De his qui Deo famulantur, si in baratrum fornicationis inciderint, qualiter corrigendi sint.*

CCCLXVI. Vt

EXPLICIVNT CAPITVLA.

INCIPIT
LIBER SEPTIMVS.

NONNVLLA HÆC CAPITVLA PRO BREVITATE LIBRI CANONVM ATQVE LEVITATE, A DOMNO KAROLO ET A SVIS SAPIENTISSIMIS EXCERPTA SVNT: QVÆDAM DE CAPITE SENTENTIÆ, QVÆDAM VERO DE MEDIO, QVÆDAM AVTEM DE FINE; QVÆ VALDE NECESSARIA HABENDA SVNT, ATQVE MEMORITER RETINENDA. RELIQVA VERO TAM AB EISDEM, QVAM ET POSTEA A DOMNO HLVDOVICO EIVS FILIO, SVISQVE PROCERIBVS AVCTA SVNT.

De Primatu Ecclesiarum et Sacerdotum.

VT unaquæque Ecclesia, sive unusquisque sacerdos, suum primatum teneat, sicut antiquis Canonibus constitutum est.

II. *Vt omnis ordo clericorum vel laicorum Episcopo suo subiectus maneat.*

CLerici qui præficiuntur in pthochiis, vel qui ordinantur in monasteriis, vel basilicis martyrum, sub Episcoporum qui in unaquaque civitate sunt, secundum sanctorum patrum traditiones, potestate permaneant, nec per contumaciam ab Episcopo suo dissiliant. Quicunque verò audent evertere huiuscemodi formam quocunque modo, nec proprio subiiciuntur Episcopo, si quidem clerici sunt, Canonum correptionibus subiaceant, si verò laici vel monachi fuerint, communione priventur.

III. *Vt tempus pœnitentum in consideratione Episcopi consistat.*

PEnes Episcopos erit potestas, modum conversationis pœnitentum probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adiicere. Ante omnia verò præcedens eorum vita & posterior inquiratur, & ità eis impertiatur humanitas.

IIII. *De pœnitentum conversatione & fide.*

COnversatio pœnitentum & fides tempus abbreviat.

V. *De*

V. *De fructuum oblationibus, quæ ministris Ecclesiæ conferuntur.*

SI quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere, vel dare voluerit, præter Episcopi conscientiam, vel eius cui huiuscemodi sunt officia commissa, nec cum eius voluerit agere consilio, anathema sit.

VI. *Vt quicunque synodalem excommunionem transgressus fuerit, in alia synodo spem recuperationis non habeat.*

SI quis Episcopus damnatus à synodo, vel presbyter aut diaconus à suo capitulo, ausi fuerint de sacro ministerio aliquid contingere, sive Episcopus iuxta præcedentem consuetudinem, sive presbyter aut diaconus, nullo modo liceat ei nec in alia synodo, restitutionis spem aut locum habere satisfactionis: sed & communicantes ei omnes abiici de Ecclesia, & maximè si postquam didicerint hoc factum esse, communicare tentaverint.

VII. *De suscipiendis his qui persecutionem patiuntur.*

STatuimus per omnia, ut hi qui persecutionem patiuntur à pravis quibusque vel infidelibus, suscipiantur à iustis & fidelibus.

VIII. *De lege & consuetudine.*

ALiqua canone & ordine tenentur: aliqua consuetudine firmata sunt.

IX. *De alienis finibus non usurpandis.*

INhibitum est ne quis alienos fines usurpet, aut per premium vel favorem alicuius terminos patrum statutos transcendat. Quamquam novellæ suggestiones, quæ vel obscuræ sunt, vel sub genere latent, inspectæ à nobis formam accipiant; & quod in laicis reprehenditur, id multò magis debet in clericis prædamnari. Vniversum concilium dixit: *Nemo contra Prophetas, nemo contra Euangelium, vel contra Apostolum facit aliquid absq; periculo.*

X. *Vt transgressores Canonum excommunicentur.*

TRansgredientem Canonum definitionem, excommunicatum esse præcipimus.

XI. *De monendis his qui ordinantur.*

SI quis clericus ordinatur, moneri debet constituta servare.

XII. *De satisfactione pœnitentiæ.*

SAtisfactio pœnitentiæ non est tam temporis longitudine, quam cordis compunctione pensanda.

XIII. *De malorum ordinatione vitanda.*

QVI tales ordinant sacerdotes, quales esse non debent, non est hoc consulere populis, sed nocere, nec præstare regimen, sed augere discrimen.

XIIII. *De Episcopis qui inutiles ordinaverint.*

QVI in ordinandis sacerdotibus sanctorum patrum statuta neglexerunt, & quos refutare debuerant, consecrarunt. Vnde si qui Episcopi talem ordinaverint sacerdotem, qualem esse non liceat, etiamsi aliquo modo damnum proprii honoris evaserint, ordinationis tamen vim ulterius non habebunt, nec ei sacramento unquam intererunt, quod neglecto iudicio præstiterunt.

XV. *De cavendis illicitis ordinationibus.*

AB illicitis ordinationibus est abstinendum, & si quæ factæ sunt ordinationes illicitæ, removeantur. Nec tantum putemus petitiones valere populorum, ut cum his parere cupimus, contra voluntatem Domini Dei nostri, quæ nos peccare prohibet, aliquid agamus.

XVI. *Vt absque licentia Episcopi ad virgines vel viduas clerici non accedant.*

CLerici vel continentes ad viduas vel virgines, nisi ex iussu Episcoporum vel presbyterorum, non accedant: & hoc non soli faciant, sed cum conclericis, vel cum his quibus Episcopus aut presbyter iusserit. Nec ipsi Episcopi vel presbyteri soli habeant accessum ad huiuscemodi fœminas, sed ubi clerici præsentes sunt, aut graves aliqui Christiani.

XVII. *De appellatione primæ sedis.*

VT primæ sedis Episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiuscemodi, sed tantum primæ sedis Episcopus.

XVIII. *De arbitrio Episcopi erga pœnitentes.*

POenitentibus secundum differentiam peccatorum Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.

XIX. *Vt nemini sit facultas, relicta principali cathedra in Ecclesia in sua diœcesi vel in re propria diutius residere.*

PLacuit, ut nemini sit facultas, relictâ principali cathedrâ ad aliam Ecclesiam in diœcesi constitutam se conferre, vel in re propria diutius, quàm oportet, constitutum, curam vel frequentationem agere, & propriam plebem negligere.

XX. *De occursu clericorum ad Concilium.*

PLacuit, ut quotiescunque concilium congregandum est, Episcopi & presbyteri, qui neque ætate, neque ægritudine, aut alia graviori necessitate impediuntur, competenter occurrant. Quod si occurrere non potuerint, excusationes suas in tractoria subscribant.

XXI. *De lectore unius Ecclesiæ in alia Ecclesia non promovendo.*

PLacuit, ut qui semel in Ecclesia legerit, ab alia Ecclesia ad clericatum non teneatur, aut promoveatur; & ut ab electis iudicibus non sit provocandũ.

XXII. *De*

XXII. *De non invadenda alterius parochia.*

NOn oportet transferri terminos à patribus constitutos, ut alterius parochiam alter invadat, atque illic celebrare divina mysteria, inconsulto eo cui commissa est, præsumat.

XXIII. *De iusto baptismate non iterando.*

RItè baptizatos illo dono iterari non posse, & aliter sola aqua lotos baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti necesse est provideri.

XXIIII. *De ultione peccatorum.*

IN Ecclesia peccata populi inulta remanere non debere.

XXV. *De probibitis non despiciendis.*

SI quis interdicta despexerit, gradus sui periculo subiacebit.

XXVI. *De prævaricatoribus Canonum submovendis.*

QVisquis sacerdotum contra interdicta Canonum fecerit, à suo est officio submovendus, & veniam sibi deinceps noverit denegari.

XXVII. *De dilatione temporum erga eos, qui ad sacros ordines promoventur.*

QVi se divinæ militiæ desiderat mancipari, sive inter lectores, sive inter exorcistas, quinquennio teneatur; exinde acolytus vel subdiaconus quatuor annis, & sic ad benedictionem diaconatus, si meretur accedat. In quo ordine quinque annis, si inculpatè gesserit, adhærere debebit, & postea si probus fuerit, sacerdos efficiatur.

XXVIII. *Vt doctoribus contraria non doceantur.*

NOn debere quenquam ad iniuriam doctorum vindicare doctrinam, quia timeo ne connivere sit, hoc tacere. Et alibi: *Merito causa nos respicit, si silentio faveamus errori.*

XXIX. *De profundioribus quæstionibus.*

PRofundiores quæstiones nec contemnendæ sunt, nec pœnitus asserendæ.

XXX. *De non negligendis præceptis canonum, sed viriliter exercendis.*

NEc otiosa nobis esse patitur, qui exercenda non negligenda donavit.

XXXI. *De non studendo novitati.*

SI studere incipiamus novitati, traditum nobis à patribus ordinem calcabimus.

XXXII. *Vt nullus sacerdos in alterius parochia aliquid præsumat.*

SIt unusquisque sacerdos concessis sibi contentus limitibus, nec in alterius parochia quidquam præsumat, ne usurpatione locus alicuius in alterius concedatur iniuriam.

XXXIII. *De docendo populo.*

DOcendus est populus, non sequendus.

XXXIIII. *Vt aliqua obligatus conditione absque petitione domini sui non ordinetur.*

QVI originali aut alicuius conditione obligati sunt, non debent ab Episcopis ordinari; nisi fortè eorum petitio aut voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eos vindicant potestatis. Debet enim esse immunis ab aliis, qui divinæ militiæ fuerit aggregandus.

XXXV. *De malis funditus abscindendis.*

EA quæ male pullulant, radicitus evellantur, & messem dominicam zizania nulla corrumpat.

XXXVI. *De pravis persequendis.*

ALiter nobis commissos regere non possumus, nisi eos qui sunt perditores aut perditi, zelo fidei dominicæ persequamur, & sanis mentibus, ne pestis hæc latius divulgetur, severitate qua possumus abscindamus.

XXXVII. *De plebe adversus sacrilegos custodienda.*

ANte tribunal Domini de reatu negligentiæ se non poterit excusare, qui plebem suam contra sacrilegos persuasionis auctores noluerit custodire.

XXXVIII. *De unitate gregis & pastoris.*

ALiter unus grex & unus pastor non sumus, nisi quemadmodum Apostolus docet, dicens: *Simus autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sapientia.*

XXXIX. *De tepidis Doctoribus.*

INteriorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesque doctores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam.

XL. *Quomodo dubia vel obscura teneantur.*

IN his quæ vel dubia vel obscura fuerint, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum invenitur adversum.

XLI. *De uxoribus & concubinis.*

NOn omnis mulier viro iuncta uxor est viri, neque omnis filius heres est patris. Itaque aliud est uxor, aliud concubina: sic & aliud ancilla, aliud libera. Et alibi. *Non est dubium eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse ministerium.*

XLII. *De concubinis relinquendis.*

NOn est coniugii duplicatio, quando ancillâ relictâ uxor assumitur, sed profectus est honestatis.

XLIII. De

XLIII. *De abstinendo à licitis.*

OPortet eum, qui pro illicitis veniam poscit, etiam multis licitis abstinere.

XLIIII. *Quòd pœnitentibus nulla lucra negotiationis exercere conveniat.*

NVlla lucra negotiationis pœnitentibus exercere convenit, quia difficile est inter vendentis ementisq; commercium, non intervenire peccatum.

XLV. *De reatu potentum.*

REatu maiore delinquit, qui potiore honore perfruitur, & maiora facit vitia delictorum sublimitas dignitatum.

XLVI. *Vt pravi non consecrentur.*

QVisquis pravorum consecrator extiterit sacerdotum, factum suum ipse dissolvat, & quod commisit illicitè, aut à decessoribus suis invenit admissum, si proprium periculum vult vitare, damnabit.

XLVII. *Vt iniusta populi petitio effectu careat.*

NEc tantum putemus petitiones valere populorum, ut cum his parere cupimus, contra voluntatem Domini Dei nostri, qui peccare prohibet, aliquid agamus.

XLVIII. *De potestate data non abutenda.*

PRivilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.

XLIX. *Vt nemo pœnitentem alterius parochiæ absolvat.*

NVllus sacerdos in alterius civitate vel diœcesi pœnitentem, vel sub manu positum sacerdotis, vel qui reconciliatum se esse dixerit, sine consensu & litteris Episcopi vel presbyteri, in parochia presbyter aut Episcopus in civitate suscipiat.

L. *De criminosis non promovendis.*

AD clerum criminosi nequeant promoveri, & in clero positi si in aliquibus criminibus inventi fuerint, à suis officiis arceantur.

LI. *De his qui variis passionibus irretiti sunt.*

DÆmoniis aliisque passionibus irretitis ministeria sacra tractare non licet.

LII. *De mortuis temere non iudicandis.*

NOn est temere iudicandum de his, qui ad Deum migraverunt.

LIII. *De contentione vitanda.*

SVmmoperè contentio est vitanda.

LIIII. *Quòd mali bona ministrando sibi noceant.*

MAli bona ministrando sibi tantummodò nocent, nec Ecclesiæ sacramenta commaculant.

LV. *Vt vivente viro vel uxore, nemo eorum alteri coniugio copuletur.*

QVi interveniente repudio alio se matrimonio copularunt, eos in utraq; parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse coniugium, ad aliam copulam festinarunt, nec possunt adulteri non videri; in tantum, ut etiam hæ personæ, quibus coniuncti sunt, adulteri esse monstrentur.

LVI. *De potestate Episcopi in parochia sua.*

VT unusquisque Episcopus habeat suæ parochiæ potestatem, & regat iuxta reverentiam singulis competentem, & providentiam gerat omnis possessionis, quæ sub eius est potestate.

LVII. *Vt nemo clericorum absque consensu Episcopi sui Principem adeat.*

SI quis adire Principem necessaria causa deposcit, hoc agatur cum consilio & tractatu metropolitani, & ceterorum Episcoporum ipsius provinciæ.

LVIII. *De potestate Episcopi in rebus Ecclesiasticis.*

EPiscopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem, ad dispensandum erga omnes qui indigent, cum summa reverentia & timore Dei: participet autem & ipse quibus indiget, si tamen indiget.

LIX. *Vt clericus extra suam parochiam absque Pontificis sui permissu non proficiscatur.*

NOn oportet sacerdotem vel clericum sine iussione sui proficisci Pontificis.

LX. *Qualiter Episcopi provehantur.*

EPiscopi iudicio metropolitanorum, & eorum Episcoporum, qui circumcirca sunt, provehantur ad Ecclesiasticam potestatem.

LXI. *Quòd turbis electiones Episcoporum non concedantur.*

NOn est permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad sacerdotium provehendi.

LXII. *Vt Episcopi nisi vocati extra suam diœcesin nullas ordinationes faciant.*

NOn vocati Episcopi extra suam diœcesim accedant propter ordinationes faciendas, vel propter alias dispensationes Ecclesiasticas.

LXIII. *De potestate primatis diœceseos.*

SI quis à metropolitano læditur, apud primatem diœceseos iudicetur.

LXIIII. *Vt accusatores clericorum sine probatione non recipiantur.*

CLericos vel laicos accusantes Episcopos aut clericos, passim & sine probatione ad accusationem recipi non debere, nisi prius eorum discutiatur existimationis opinio vel suspicio.

LXV. *Vt criminosus vocem accusandi non habeat.*

IS qui in aliquibus criminibus irretitus est, vocem adversus maiorem natu non habeat accusandi. Ab universis Episcopis dictum est: *Si criminosus est, non admittatur, placet.*

LXVI. *Vt accusato locus unde ipse est concedatur, ubi testes habere queat.*

PLacuit ut accusatus vel accusator in eo loco, unde est ille qui accusatur, si metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes eius perducere, ubi causa finiatur.

LXVII. *Vt Episcopus ante iustam definitionem nullatenus propria potestate privetur.*

ADimi Episcopo Episcopatum antequam causæ eius exitus appareat, nulli Christiano videri iure potest.

LXVIII. *De primatibus in accusatione Episcopi expetendis.*

SI quis Episcopus accusatur, ad primates ipsius provinciæ causam eius deferat accusator.

LXIX. *Vt nemo Ecclesiasticus testificari compellatur.*

VT nulla ad testimonium dicendum Ecclesiastici cuiuslibet pulsetur persona.

LXX. *De concilio universali.*

COncilium universale non nisi necessitate faciendum.

LXXI. *De causis specialibus.*

CAusæ quæ communes non sunt in suis provinciis iudicentur.

LXXII. *Vt metropolitanus in alterius provincia nihil præsumat.*

VNaquæque provincia suo metropolitano, & suis comprovincialibus Episcopis sit contenta: nec aliquis in limitibus alterius provinciæ quidquam præsumat.

LXXIII. *Vt contradicentibus non ordinetur Episcopus.*

NOlentibus clericis vel populis nemo debet Episcopus ordinari. Sit facultas clericis renitendi, si se viderint prægravari, & quos ex transverso cognoverint, non timeant refutare.

LXXIIII. *Quòd tres Episcopi praecepto Archiepiscopi ordinare possint Episcopum.*

SI necessitas fuerit, tres Episcopi in quocunque loco sint, archiepiscopi præcepto ordinare possunt Episcopum.

LXXV. *De contradictione ordinationis Episcopi.*

SI de ordinatione Episcopi fuerit contradictio oborta, non præsumant ad purgandum eum qui ordinandus est, tres iam, sed postuletur ad numerum unus vel duo in eadem plebe, cui ordinandus est. Discutiantur ergo primo personæ contradicentium, postremò verò illa quæ obiiciunt pertractentur, & cum purgatus fuerit sub conspectu publico, ita demum ordinetur Episcopus.

LXXVI. *Quales personæ ad accusationem non admittantur.*

PLacuit ut omnes servi vel liberti, omnesque infames personæ, ad accusationem non admittantur, vel omnes quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt.

LXXVII. *Vt si unum crimen accusatores approbare nequiverint, de ceteris non admittantur.*

PLacuit, ut quotiescunque clericis ab accusatoribus multa crimina obiiciuntur, & unum ex ipsis, de quo prius egerunt, adprobare non valuerint, ad cetera non admittantur.

LXXVIII. *Vt testes infra quatuordecim annos ætatis non recipiantur.*

TEstes ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel quos ipse accusator de sua domo produxerit; ad testimonium autem infra XIIII. ætatis suæ annos nullus admittatur.

LXXIX. *Vt Episcopus accusatus ab omnibus comprovincialibus Episcopis videlicet suis audiatur vel iudicetur.*

SI quis Episcopus super certis criminibus accusatus fuerit, ab omnibus audiatur, qui sunt in provincia Episcopis.

LXXX. *Quòd legitima uxor sit nuptialiter ducenda.*

DVbium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Igitur quicunque filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam coniugato dederit: nisi forte illa mulier & ingenua facta, & dotata legitimè, & publicis nuptiis honestata videatur. Paterno arbitrio viris iunctæ carent culpa, si mulieres quæ à viris habebantur, in matrimonio non fuerant; quia aliud est nupta, aliud concubina.

LXXXI. *De*

LXXXI. *De metropolitanis, ne comprovincialium causas absque proprio Episcopo audiant, neque alterius coëpiscoporumque regulam vel crimen, præter ceterorum omnium comprovincialium Episcoporum præsentiam, discutere præsumant.*

VT nullus metropolitanus absq; ceterorum omnium comprovincialium coëpiscoporum instantia aliquorum audiat causas eorum, clamante Canonum tuba. *Metropolitanus præter omnium conscientiam* (subauditur comprovincialium coëpiscoporum) *non faciat aliquid, nisi quantum ad propriam pertinet parochiam.*

LXXXII. *De accusatoribus sacerdotum calumniosis vel suspectis.*

ACcusatores calumniosos vel suspectos nemo suscipiat, nemo audiat.

LXXXIII. *De accusatoribus & accusationibus submovendis.*

ACcusatores & accusationes, quas seculi leges non admittunt, & nos submovemus.

LXXXIIII. *De accusatoribus in maiorum natu iudicio requirendis.*

QVærendum in iudicio, cuius sit conversationis & fidei is qui accusat, & is qui accusatur.

LXXXV. *De Episcopis damnare volentibus eum, à quo sunt consecrati.*

EPiscopi Pontifici à quo consecrati probantur, præiudicium inferre nullum possunt: quòd si præsumptum fuisse cognoscitur, viribus carere non dubium est, nec posse inter Ecclesiastica ullo modo statuta censeri.

LXXXVI. *De Episcopis eiectis, vel suis rebus expoliatis, ut antè non accusentur, quàm legibus pleniter restituantur.*

SI quis Episcopus suis fuerit rebus expoliatus, & accusatione pulsatus, ordinatione Pontificum oportet prima fronte cedere, ut omnia quæ per suggestiones inimicorum amiserat, legaliter potestati eius ab honorabili concilio redintegrentur, & præsul prius statui pristino reddatur: ipseque demùm potestativè non subito, sed diu dispositis ordinatisque suis, tunc ad tempus veniat ad causam, & si iustè videtur, accusantium propositionibus respondeat.

LXXXVII. *De his quos leges seculi non admittunt, in clericorum causis non admittendis.*

QVos leges seculi non admittunt, his dicendi in cognitionem vel adsequendi aliquid deneganda est licentia.

LXXXVIII. *De non cogendo clericos in publicum dicere testimonium.*

CLerici de iudicii sui cognitione, non cogantur in publicum dicere testimonium.

LXXXIX. *Ne interventor Episcopus cathedram, ubi intercessor est, sedeat*

ITem constitutum est, ut nulli interventorum licitum sit cathedram, cui intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis vel seditionibus retinere.

XC. *De Apostolicis & Canonicis decretis minimè violandis.*

PRovidendum est in omnibus, ne in aliquo Apostolica vel canonica decreta violentur.

XCI *Decretum domni Karoli Regis Francorum, ut servi Dei neque in hostem pergant, neque armaturam baiulent.*

KAROLVS GRATIA DEI REX, regnique Francorum rector, & devotus sanctæ Ecclesiæ defensor, atque adiutor in omnibus. Apostolicæ sedis hortatu, omniumque fidelium nostrorum, & maximè Episcoporum, ac reliquorum sacerdotum consultu, servis Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum & in hostem pergere, omnino prohibemus; nisi illi tantummodò, qui propter divinum ministerium missarum scilicet solemnia adimplenda, & sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt. Id est unum vel duos Episcopos, cum capellanis presbyteris Princeps secum habeat, & unusquisque præfectus unum presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus iudicare, & indicere pœnitentiam possit.

XCII. *Non esse fundendum sanguinem Christianorum vel paganorum à sacerdotibus.*

VT sacerdotes, neque Christianorum, neque paganorum sanguinem fundant.

XCIII. *De sacerdotibus qui plures uxores habuerint.*

SI sacerdotes plures uxores habuerint, vel sanguinem Christianorum vel paganorum fuderint, aut Canonibus obviaverint, sacerdotio priventur: quia deteriores sunt secularibus.

XCIIII. *Vt parochiam suam unusquisque Episcopus singulis circumeat annis.*

STatuimus ut singulis annis unusquisque Episcopus parochiam suam sollicitè circumeat: populum confirmare, & plebes docere, & investigare, & prohibere paganas observationes, divinosque vel sortilegos, auguria, phylacteria, incantationes, vel omnes spurcitias gentilium, studeat.

XCV. *Vt presbyteri Episcopis suis subiecti sint: & ut quadragesimæ tempore ministerii sui rationem reddant.*

PResbyter semper paratus sit ad suscipiendum Episcopum cum collectione & adiutorio populi, qui ibi confirmari debet, & in cœna Domini semper novum chrisma ab Episcopo suo quærat, & de vetere nullus baptizare præsumat, sed ardere in luminaribus Ecclesiæ vetus non tardet.

XCVI. *Vt duabus vicibus in annum ad mallum omnes liberi veniant.*

VT ad mallum venire nemo tardet, unum circa æstatem, & alterum circa autumnum: ad aliud verò si necessitas fuerit, vel si denunciatio Regis urgeat, vocatus venire nemo tardet.

XCVII. *Vt nullus negligens sit, quando pro Rege vel fidelibus suis orandum fuerit.*

VT quando denunciatum fuerit pro Rege, vel pro fidelibus suis qualibet causa orationes facere, nemo ex hoc negligens appareat.

XCVIII. *De ieiunio quatuor temporum, & à sacerdote plebi denunciando, & ab omnibus observando.*

VT ieiunium quatuor temporum & ipse sacerdos observet, & plebi denunciet observandum.

XCIX. *Vt nullus sacerdos nisi in locis consecratis missam celebret.*

NVllus sacerdos nisi in locis Deo dicatis, vel in itinere in tabernaculis & mensis lapideis, ab Episcopis consecratis, missam celebrare præsumat: quod qui præsumpserit, gradus sui periculo subiacebit.

C. *De sacerdotibus qui ministerium suum adimplere non valent.*

SAcerdotes qui ritè non sapiunt adimplere ministerium suum, nec discere iuxta præceptum suorum Episcoporum pro viribus satagunt, vel contemptores Canonum existunt, ab officio proprio sunt submovendi, quousque hoc pleniter emendatum habeant.

CI. *De his qui pœnitentia accepta moriuntur.*

DE his qui recedunt de corpore pœnitentiâ acceptâ, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicare: quod morientis sufficit consolationi, secundum definitiones patrum, qui huiuscemodi communionem congruenter VIATICVM nominaverunt. Quòd si supervixerint, stent in ordine pœnitentum, ut ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant.

CII. *Vt nullus Episcoporum vel secularium alterius Episcopi res retinere præsumat.*

VT nullus Episcoporum vel secularium cuiuscunque alterius Episcopi sive Ecclesiæ sive privati res, aut regnorum divisione aut provinciarum sequestratione, competere aut retinere præsumat: quod si quis hoc facere tentaverit, tamdiu sit ab omnium charitate suspensus, & à communionis gratia sequestratus, quoadusque res ablatas cum fructuum satisfactione restituat.

CIII. *De hoste & pugna, atque armis sacerdotibus prohibitis, nisi electis.*

SEcunda vice propter ampliorem observantiam Apostolica auctoritate, & multorum sanctorum Episcoporum admonitione instructi, sanctorumq; Canonum regulis edocti, consultu videlicet omnium nobilium nostrorum nosmetipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, volumus ut nullus sacerdos in hostem pergat, nisi duo vel tres tantum Episcopi electione ceterorum, propter benedictionem & prædicationem, populiq; reconciliationem; & cum illis electi sacerdotes, qui bene sciant populis pœnitentias dare, missas celebrare, de infirmis curam habere, sacratique olei cum sacris precibus unctionem impendere, & hoc maxime providere, ne sine viatico quis de seculo recedat. Hi verò nec arma ferant, nec ad pugnam pergant, nec effusores sanguinum, vel agitatores fiant: sed tantum sanctorum pignora & sacra ministeria ferant, & orationibus pro viribus insistant, ut populus qui pugnare debet, auxiliante Domino victor existat, & non sit sacerdos sicut populus. Reliqui verò qui ad Ecclesias suas remanent, suos homines bene armatos nobiscum, aut cum quibus iusserimus, dirigant, & ipsi pro nobis, & cuncto exercitu nostro Missas, Letanias, oblationes, eleemosynas faciant, orantes Deum cœli, ut proficiamus in itinere quo pergimus, victoresque Deo adminiculante existamus. Gentes enim & Reges earum, quæ sacerdotes secum pugnare permiserunt, nec prævalebant in bello, nec victores extiterunt: quia non erat differentia inter laicos & sacerdotes, quibus pugnare non est licitum. Hæc verò Galliarum, Spaniarum, Longobardorum, nonnullasque alias gentes & Reges earum fecisse cognovimus, qui propter prædictum nefandissimum scelus, nec victores extiterunt, nec patrias retinuerunt. Quam foveam caventes malumus cum paucis & licitis Domino opem ferente victores existere, quam cum multis & illicitis terga, quod absit, vertere, & cum prædictis gentibus perire. Qualis enim victoria datur, ubi sacerdotes una hora Dominica pertractant ministeria, & Christianis Dominicum porrigunt corpus, pro suarum animarum redemptione; & post Christianos, quibus hoc ministrare debuerant, aut paganos, quibus Christum prædicare, propriis sacrilegisque manibus necant? Præcipuè dicente eis Domino: *Vos estis sal terræ: quod si sal evanuerit, in quo condietur? ad nihilum valet ultrà, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Et dum hæc ità se habeant, elegimus potius Domino adminiculante, nobisque illis & cunctis eorum Ecclesiis opem ferente, nec quidquam eis pro hoc de honoribus, vel Ecclesiarum rebus minuente, ut gradus eorum & sanctorum Canonum decreta custodiant, quam illi aut nobis imperantibus, aut consentientibus, contra hæc faciant, aut gradibus careant, aut pereant, & nos simul (quod absit) cum eis & victoria careamus, vel pereamus. Quoniam peccatis exigentibus, timemus si talia & tam illicita aut imperemus, aut agere consentiamus, ut una cum eis pereamus. Quia non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, æquo piaculo rei sunt in conspectu Dei & sanctorum eius. Si verò ista veraciter ex utraque parte fuerint custodita, credimus quia corruent antè

antè nos omnes paganæ gentes, & erimus victores: insuper & bene agen-
tes, Domino auxiliante, vitam possidebimus sempiternam.

CIIII. *De his qui putaverunt idcirco præceptum fuisse, non ire ad pugnam sacerdotes, ut honor eis minueretur.*

QVia instigante antiquo hoste audivimus, quosdam nos suspectos habere
propterea, quòd concessimus Episcopis & sacerdotibus, ac reliquis Dei
servis, ut in hostes, nisi duo aut tres à ceteris electi, & sacerdotes similiter
perpauci ab eis electi non irent, sicut in prioribus nostris continetur Capi-
tularibus, nec ad pugnam properarent, nec arma ferrent, nec homines tam
Christianos quam paganos necarent, nec agitatores sanguinum fierent, vel
quidquam contra canones facerent, quod honores sacerdotum, & res Ec-
clesiarum auferre vel minorare eis voluissemus, quod nullatenus facere
velle, vel facere volentibus consentire, omnes scire cupimus. Sed quanto
quis eorum amplius suam normam servaverit, & Deo servierit, tantò eum
plus honorare, & cariorem habere volumus. Et ut hæc certiùs credantur,
& per futura tempora conserventur, præcipimus ut nullus res Ecclesiæ nisi
precariò possideat. Et postquam ipsæ precariæ finitæ fuerint, faciant potesta-
tive speculatores Ecclesiæ utrum elegerint, aut ut ipsas res recipiant, aut
posteris eorum sub precario & censu habere permittant: ita tamen ut ipsi
proprias & utiles res eisdem Ecclesiis, de quarum iure esse videntur, legali-
ter tradant, & sic à rectoribus earundem Ecclesiarum precariæ, si renovan-
dæ sunt, canonicè renoventur. Novimus ergo multa regna & Reges eo-
rum propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliaverunt, resque earum vasta-
verunt, abstulerunt, alienaverunt, vel diripuerunt, Episcopisque & sacer-
dotibus, atque quod magis est, Ecclesiis eorum abstulerunt, & pugnantibus
dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec
victores extiterunt: sed terga multi vulnerati & plures interfecti verterunt,
regnaque & regiones, & quod peius est, regna cœlestia perdiderunt, atque
propriis hereditatibus caruerunt, & hactenus carent. Quæ omnia vitantes,
nec talia facere, nec consentire, nec infantibus aut successoribus nostris
exemplum dare volumus: sed quantum valemus & possumus (adiuncto
Leonis Papæ & omnium Episcoporum, quorum consilio usi hoc egimus,
spiritu nostro spiritui) per Deum & omnium sanctorum merita con-
testamur, prohibemusque, ne talia faciant, vel facere volentibus consen-
tiant; sed adiutores & defensores, atque sublimatores Ecclesiarum, & cun-
ctorum servorum Dei, pro viribus existant, ne in foveam, in quam prædicti
Reges & regna ceciderunt, cadant, aut in profundum, quod absit, inferni
demergantur. Et ut hæc devotius per futura tempora conserventur, præci-
pientes iubemus, ut nullus tam nostris quam futuris temporibus, à nobis
vel successoribus nostris, ullo unquam tempore, absque consensu & volun-
tate Episcoporum, in quorum parochiis esse noscuntur, res Ecclesiarum
petere, aut invadere, vel vastare, aut quocunque ingenio alienare præsu-
mat. Quod si quis fecerit, tam nostris, quam & successorum nostrorum
temporibus, pœnis sacrilegii subiaceat, & à nobis atque successoribus

nostris, nostrisque iudicibus vel Comitibus, sicut sacrilegus, & homicida vel fur sacrilegus legaliter puniatur, & ab Episcopis nostris anathematizetur; ita ut mortuus etiam sepultura, & cunctis Dei Ecclesiæ precibus & oblationibus careat, nec eleemosynam suam quispiam recipiat. Quod autem maximum sacrilegium sit res Ecclesiæ auferre, alienare, vastare, vel subtipere, maximè omnes scripturæ divinæ testantur. Et beatus Symmachus Papa synodali sententia cunctos feriendo dicit: *Iniquum est*, inquit, *& sacrilegii instar, ut quæ vel pro salute, vel pro requie animarum suarum unusquisque venerabili Ecclesiæ pauperum contulerit, aut certè reliquerit, ab his quibus maximè servari convenerat, auferri aut in aliud transferri.* Et multa sanctorum canonum decreta, & sanctorum patrum edicta hæc eadem testantur, quæ scrutari & scire cupientibus perfacile patent.

CV. *De sceleribus nefandis, ob quæ regna percussa sunt, ut penitus caveantur.*

PRohibemus omnino sub pœna sacrilegii generaliter omnibus, cunctarum Ecclesiarum rerum invasiones, vastationes, alienationes, sacerdotumq; & reliquorum servorum Dei oppressiones, vexationes, atq; cunctorum generum iniurias, nec non & cunctis utriusque sexus hominibus adulteria, fornicationes, Sodomiticasque luxurias, atque incesta, vel cuncta illicita coniugia, homicidia iniusta, periuria, falsa testimonia, & omnia illicita, pro quibus non solum regna vel Reges, sed etiam homines in eis commanentes perire cognovimus. Sed quia Deo auxiliante per merita, & incessiones sanctorum servorumque Dei, quos sublimare & honorare curavimus, atque curamus, hactenus nos & successores nostri, regna & regiones adquisivimus, & victorias multas habuimus, deinceps summopere omnibus nobis providendum est, ne pro prædictis illicitis, & spurcissimis luxuriis, his, quod absit, careamus. Nam multæ regiones, quæ rerum Ecclesiarum invasiones, vastationes, alienationes, vexationesque, & sacerdotum, reliquorumque servorum Dei oppressiones, vel quascunque iniurias, quæ iam dicta illicita, & adulteria vel Sodomiticam luxuriam, vel commixtionem meretricum sectatæ fuerunt, nec in bello seculari fortes, nec in fide stabiles perstiterunt, & qualiter Dominus talium criminum patratoribus ultrices pœnas, per Sarracenos & alios populos venire & servire permisit, cunctis earum gesta legentibus liquet: & nisi nos ab his caveamus, similia nobis supervenire non dubitamus, quia vindex est Deus de his omnibus. Quapropter sciat unusquisque nobis subiectus, quia in uno ex his repertus, atque convictus fuerit, & honores si habet, omnes perdere, & incarcerem se usque ad iustam emendationem, atque per publicæ pœnitentiæ satisfactionem, retrudi, & ab omni fidelium consortio fieri alienum. Valde enim cavenda est illa fovea, in quam alios cecidisse cognovimus.

CVI. *De his presbyteris, qui contra Episcopos suos seculares defensores habere noscuntur.*

QVod illi presbyteri, qui sine Episcopo proprio arbitrio viventes, seculares defensores contra Episcopos, & seorsum populos congregant, eorum-

eorumque erroneum ministerium, non in Ecclesia, sed per agrestia loca & mansiunculas agunt, & Ecclesiam conturbant, tales sacerdotes vitandi, & honore proprio sunt privandi, carceribusque vel monasticæ vitæ sub pœnitentia diebus vitæ suæ tradendi, mala quæ egerunt luituri.

CVII. *Vt cuiuspiam gradus clericus sine Pontificis sui consensu nullum ad seculare iudicium adtrahere præsumat.*

CLericus cuiuslibet gradus sine Pontificis sui permissu nullum ad seculare iudicium præsumat adtrahere, nec laico quemlibet clericum in seculari iudicio liceat accusare: cum privatorum Christianorum causas magis Apostolus ad Ecclesias deferri, atque ibidem terminari præcipiat.

CVIII. *Vt omni anno ministerii sui rationem presbyteri Episcopo suo reddant.*

VT unusquisque presbyter per singulos annos Episcopo suo rationem ministerii sui reddat, tam de fide catholica, quàm de baptismo, atque de omni ordine ministerii sui.

CIX. *Vt omnes Episcopi parochias suas annis singulis circumeant.*

VT singulis annis unusquisque Episcopus parochiam suam circumeat, populumque confirmet, ac doceat, & ea quæ vitanda sunt, prohibeat; & quæ agenda sunt, utiliter agere suadeat.

CX. *De non iudicando vel testificando quemquam in sua causa.*

VT nullus in sua causa iudicet, aut testimonium dicat.

CXI. *Vt Episcopus eiectus, vel suis carens rebus, ante plenam restitutionem non accusetur: nec ille qui suis liberè & integerrimè fruens bonis, antequam familiariter conveniatur, neque respondere compellatur, nisi canonicè venerit vocatus.*

CAnonica testante tuba didicimus, quòd Episcopus eiectus, aut suis rebus exspoliatus, nequaquam debet accusari vel iudicari, antequam legaliter & pleniter restituatur. Si quis verò liberè suis Ecclesiæque sibi commissæ, & integerrimè fruens rebus ac honoribus, super certis accusatur criminibus, prosequi ante non licet, quàm ab accusatoribus familiariter, ut ea emendare debeat, super quibus res agitur, admonitus fuerit. Si inter sese minimè ante pacaverint, canonicè ad synodum convocentur, ut ab omnibus qui hæc prætermiserint, ex utraque parte publicè arguantur & corrigantur, qui familiariter se & secretè corrigi noluerunt. Quod si sponte aut aliqua necessitate compulsus, aut in fratrum conventu, aut in quolibet loco, non canonicè vocatus, nec olim familiariter commonitus venerit, à nullo compellatur, antequam hæc fiant, ut respondeat. Sed prius ut prælibatum est, familiariter conveniatur, ut de se & de suis ea sanet, unde querimonia agitur. Deinde, tempore in Nicænis canonibus præfixo, ut canonicè respon-

deat, ad synodalem convocetur conventum. Et ut Episcopum apud iudices publicos nemo audeat accusare: sed aut apud primates dioecesarum, aut apud sedem Apostolicam, nec aliorum nisi suorum aut certè electorum iudicum sententia impetatur vel teneatur. Sane si circa hæc secus actum fuerit, viribus carere in omnibus haud dubium est.

CXII. *Vt nullus clericus vel Abbas ad iudicia secularia sine iussione proprii Episcopi ire præsumat, & nullus suo Episcopo contumax aut inobediens existat.*

STatutum est in synodis à sanctis patribus, ut nullus clericus ad iudicia laicorum publica conveniat, nisi per iussionem Episcopi sui vel Abbatis, iuxta canonum Carthaginensium cap. VIIII. ut ibi scriptum est: *Qui relicto Ecclesiastico iudicio, publicis iudiciis purgari voluerit, etiamsi pro illo fuerit prolata sententia, locum suum amittat: hoc in criminali iudicio. In civili verò perdat quod evicit, si locum suum obtinere voluerit.* Cum enim ad eligendos iudices undique Ecclesiæ patet auctoritas, quia se indignum fraterno consortio iudicat, qui de universa Ecclesia malè sentiendo quidem, de seculari iudicio poscit auxilium, cum privatorum Christianorum causas Apostolus magis ad Ecclesiam deferri, atque ibidem terminari præcipiat. Simul & hoc statutum est, ut nullus presbyter, aut diaconus, vel subdiaconus, aut fidelis laicus, vel quicunque regulæ mancipatur, suo Episcopo inflatus, aut scisma faciens, aut contumax vel inobediens appareat. Quoniam in canonibus scriptum est: *Presbyteri & diaconi præter Episcopum nihil agere pertentent; & per inobedientiam primus homo occidit. Quicunque vero audent evertere huiusmodi formam quocunque modo, nec proprio subiiciuntur Episcopo, siquidem clerici sunt, canonum correctionibus subiacebunt: si vero laici vel monachi fuerint, communione priventur.*

CXIII. *De Episcopis non accusandis nisi ad summos primates, quia non omnes metropolitani summi sunt primates: & hoc summopere ab eis prævideatur, ne aliqua cupiditate vel invidia fiat.*

SI quis Episcoporum accusatur, ad summos primates causam deferat accusator, qui attentius discutiant, si causa pietatis hoc fiat, necne. Quòd si alicuius invidia, aut inimicitia, vel prava cupiditate, aut mala voluntate actum fuerit, nullo modo tale recipiatur negotium. Quoniam inconveniens est, ut hi qui throni Dei vocantur, & immobiles esse debent, pravorum accusationibus moveantur vel perturbentur. Nam si causa pietatis agi inventum fuerit, patienter audiantur: minus ne, reiiciantur, & canonicè corrigantur.

CXIIII. *Quid de advocato agendum sit, qui in dolo, vel fraude, repertus fuerit.*

SI advocatus in causa suscepta iniqua cupiditate fuerit repertus, à conventu honestorum, & à iudiciorum communione separetur, & videat ne iudicis & assertoris personam accipiat.

CXV. De

CXV. *De clericis, monachis, aut laicis conspirantibus.*

VT nec clerici, nec monachi, vel laici conspirationem, vel insidias contra pastorem suum faciant: quòd si fecerint, canonicis subiaceant increpationibus.

CXVI. *De pervasoribus finium aliorum.*

SI quis pervasor approbatus fuerit, tantum spatii restituat, quantum præsumpsit invadere, cum fructibus duplis.

CXVII. *Vt presbyteri indiscretè ab Episcopo, vel ab aliis, aut laicis, non mittantur.*

STatutum est ut presbyteri, sicut hactenus factum est, indiscretè per diversa non mittantur loca ab Episcopis, nec ab aliis prælatis, nec etiam à laicis, ne fortè propter eorum absentiam, & animarum pericula, & Ecclesiarum in quibus constituti sunt, negliganter officia.

CXVIII. *De criminibus definitis minimè refricandis.*

DE his criminibus, de quibus absolutus est accusatus, refricari accusatio non potest.

CXIX. *De approbanda accusatione.*

SI quis adversarium suum ita apud iudicem crediderit accusandum, ut se asserat violentiam pertulisse, ad probationem rei eum convenit attineri.

CXX. *Vt presbyteri in Ecclesiis inconsulto Episcopo non constituantur, vel ab Ecclesiis expellantur ab aliquo.*

SAncitum est, ut sine auctoritate vel consensu Episcoporum presbyteri in quibuslibet Ecclesiis ne constituantur, nec expellantur. Et si quis deinceps hoc facere tentaverit, synodi sententia districtè feriatur.

CXXI. *De homicidis infantum.*

SI quis infantem necaverit, ut homicida teneatur.

CXXII. *De his qui rapinam fecerint, aut iter agentes adsallierint, aut domorum nocturni spoliatores fuerint, quid agendum sit.*

SI quis ad faciendam rapinam adgreditur, aut iter agentem in prædiis adsederit, aut domum alterius nocturnus spoliator intraverit, & occisus fuerit, mors latronis ipsius à nemine requiratur.

CXXIII. *De his qui viduas vel virgines inconsulto Episcopo velare præsumunt.*

STatutum est, viduas inconsultis Episcopis velare non debere. Simul & hoc constitutum est, ut si quispiam presbyterorum deinceps huius constitutionis normam contumaciter transgressor extiterit, scilicet ut aliquas

viduas inconsulto Episcopo velare præsumpserit, gradus sui periculum incurrat. Similiter & de puellis virginibus, à presbyteris non velandis statutum est, ut si quis hoc facere tentaverit, tanquam transgressor Canonum damnetur.

CXXIIII. *De accusato Episcopo, si comprovinciales suspectos habuerit, ut Romanum appellet Pontificem.*

PLacuit, ut quandocunque accusatur Episcopus, si comprovinciales aut vicinos suspectos habuerit, sanctæ & universalis Romanæ Ecclesiæ appellet Pontificem, ut ab eo quidquid iustum & Deo placitum fuerit, terminetur.

CXXV. *De reis ad Ecclesiam vel atria earum confugientibus, ut non abstrahantur.*

VT reos timoris necessitas non constringat circa altaria manere, & loca veneratione digna polluere, depositis armis qui fugerint: quòd si non deposuerint, sciant se armatorum viribus extrahendos. Et quicunque eos de porticibus, & de atriis, de hortulis, de balneis, vel adiacentiis Ecclesiarum abstrahere præsumpserit, capite puniatur.

CXXVI. *Quid sint delatores, vel quid de eis faciendum sit.*

DElatores dicuntur, qui aut facultates prodiderint alienas, aut caput impetunt alienum: qui si conventi fuerint, continuò strangulentur. Si servus super dominum fuerit delator, etiam si obiecta probaverit, puniatur.

CXXVII. *Vt nullus occultas nuptias aut raptum faciat, vel propinquam suam, aut quam suus propinquus habuit, ducat uxorem: sed dotatam, & à parentibus traditam, per benedictionem sacerdotum accipiat, qui vult nubere, uxorem.*

SAncitum est, ut publicæ nuptiæ ab his, qui nubere cupiunt, fiant: quia sæpe in nuptiis clam factis, gravia peccata, tam in sponsis aliorum, quàm & in propinquis, sive adulterinis coniugiis, & quod peius est dicere, consanguineis accrescunt vel accumulantur. Ex his autem procreari solent cæci, claudi, gibbi, & lippi, sive aliis turpibus maculis adspersi: & hoc ne deinceps fiat omnibus cavendum est. Sed prius conveniendus est sacerdos, in cuius parochia nuptiæ fieri debent in Ecclesia coram populo, & ibi inquirere unà cum populo ipse sacerdos debet, si eius propinqua sit an non, aut alterius uxor vel sponsa, vel adultera. Et si licita aut honesta omnia pariter invenerint, tunc per consilium & benedictionem sacerdotis, & consultu aliorum bonorum hominum, eam sponsare, & legitimè dotare debet. Scribit namque de legitimo matrimonio beatus Augustinus ita: *Talis esse debet quæ uxor habenda est, ut secundum legem sit casta in virginitate & dotata legitimè, & à parentibus tradita sponsa, & à paranymphis accipienda: & ita secundum legem & Euangelium publicis nuptiis honestata, in coniugio licitè sumenda, & omnibus diebus vitæ suæ, nisi ex consensu & causa vacandi Domi-*

Domino, nunquam propter hominem separanda. Et si fornicata fuerit, & vir eius voluerit, dimittenda, sed illa vivente, altera non ducenda; quia adulteri regnum Dei non possidebunt, & pœnitentia illi accipienda. Nolite vos viri habere uxores, quorum priores mariti vivunt; adulterina enim sunt ista coniugia, & hoc (ut diximus) omnino providendum est, ne eius sit propinqua. Quia scriptum est: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem eius.* Similiter scriptum est: *Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis eius commixtione commaculaberis.* Et in decretalibus Papæ Gregorii legitur: *Si quis diaconam, aut monacham, aut commatrem spiritalem, aut fratris uxorem, aut neptem, aut novercam, aut nurum suam, aut consobrinam, aut de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, anathema sit.* Item: *Si quis viduam rapuerit vel furatus fuerit in uxorem, vel consentientes ei, anathema sit: & responderunt omnes tertiò, anathema sit. Si quis virginem, nisi desponsaverit eam, rapuerit, vel furatus fuerit in uxorem, vel consentientes ei, anathema sit: & responderunt omnes tertiò, anathema sit.* Et alibi in Canonibus præceptum est, ut nemo usque affinitatis lineam ex propinquitate sui sanguinis connubia ducat: neque virginibus sine benedictione sacerdotis quis nubere præsumat. Oppidò enim ista omnia cavenda sunt ne fiant, sed postquam ista omnia probata fuerint, & nihil impedierit, tunc si virgo fuerit cum benedictione sacerdotis, sicut in Sacramentario continetur, & cum consilio multorum bonorum hominum publicè & non occultè ducenda est uxor, ut boni ex eis filii Domino miserante procreentur, & non tales, sicut superius dictum est.

CXXVIII. *Quòd excommunicati à sacerdote, antequam canonicè reconcilientur, non possint maiores natu accusare.*

VT excommunicatus à sacerdote, quamdiu in ipsa est excommunicatione, maiores natu vel Episcopos accusare non præsumat. Quod si præsumpserit, non recipiatur; sed aut maiori excommunicationi subiaceat, aut ab Ecclesia pellatur.

CXXIX. *De homicidis, maleficis, veneficis convictis, appellare volentibus non audiendis.*

IN civilibus causis vel levioribus criminibus, legibus dilatio præstanda est: homicidæ, adulteri, malefici convicti, si appellare voluerint, non audiantur.

CXXX. *De accusatoribus in iudicium præsentandis, & accusatis non modicum spatium accipiendis, ad abluenda crimina.*

NEmo debet iudicari aut damnari, priusquam accusator præsens habeatur: & spatium non modicum defendendi accipiat accusatus ad abluenda crimina.

CXXXI. *De clericis nullo fiscali aut publico subdendis officio.*

VT clerici nullo fiscali aut publico subdantur officio, sed liberi ab omni humano servitio Ecclesiæ deserviant.

CXXXII. *De testibus vel accusatoribus qui cum inimicis morantur, in sacerdotum accusatione non recipiendis.*

NOn sunt illi testes suscipiendi, neque accusatores, qui cum inimicis morantur, vel quos ipsi de domo produxerint: quia corrumpunt mores bonos colloquia mala.

CXXXIII. *De testibus non recipiendis, qui Christianæ religioni infesti extiterint.*

VT testandi vel accusandi licentia denegetur, qui Christianæ religionis & nominis dignitatem neglexerint.

CXXXIIII. *Vt illicitus accessus fœminarum ad altare non fiat, nec ullæ fœminæ vasa sacra, aut corpus & sanguinem Domini contrectare præsumant.*

STatutum est, ut illicitus fœminarum accessus ad altare non fiat, quia contra omnem auctoritatem divinam & canonicam institutionem est, fœminas sanctis altaribus se ultrò ingerere, aut sacrata vasa impudenter contingere, sive indumenta sacerdotalia presbyteris ministrare, aut corpus & sanguinem Domini contingere, populisque porrigere, quod omni ratione & auctoritate caret, & ne ulterius fiat omnimodis prohibitum est: & quæcunque fœminæ deinceps hoc facere præsumpserint, iudicio canonico usque ad satisfactionem subdentur. Quod autem mulieres ingredi ad altare non debeant, in concilio Calchedonensi, & in decretis Gelasii Papæ copiosissimè invenitur.

CXXXV. *De accusatis sacerdotibus, ut non prius in iudicium decidant, quàm accusatores secundum canonicas & legales sanctiones pleniter inquirantur.*

SI quis criminatur, non ante in iudicium decidat, quàm accusator præsentetur, atq; secundum legem & canonicam sententiam exquiratur. Quòd si indigna ad accusandum persona invenitur, ad accusationem non admittatur; quia indignum est, ut vita innocentis ulla maculetur pernicie.

CXXXVI. *De violatoribus sepulchrorum.*

QVi sepulchra violaverint, puniantur tam ingenui quàm servi. Si maior persona in hoc scelere fuerit deprehensa, amissa medietate bonorum suorum, perpetua notetur infamia: si clericus, depositus omni honore clericali, perenni exilio deputetur. Si iudex hoc persequi aut implere distulerit, facultatibus & honore privetur: & cuicunq; qui hoc scelus accusare voluerit, licentia tribuatur.

CXXXVII. *Vt sacerdotes suam non relinquant Ecclesiam.*

VT ne quis qualibet necessitate suam relinquat Ecclesiam.

CXXXVIII. *De*

CXXXVIII. *De presbyteris gradum amittentibus, qui adeo deteriorari solent, ut filii Belial efficiantur, quid agendum sit.*

SAncitum est de presbyteris gradum amittentibus, ut unusquisq; Episcoporum, tam per se quàm & per ministros suos, vitam & conversationem morumq; emendationem eorum cognoscat, eosque canonicè pœnitentiæ subdere non negligat, iuxta quod in concilio Cæsariensi Tit. 1. scribitur: *Si presbyter uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si vero fornicator fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.* Nonnulli enim amisso gradu adeo filii Belial efficiuntur, ut nec publicis, quia fas non est, nec canonicis, propter iniuriam & neglegentiam rectorum, legibus constringantur.

CXXXIX. *De laicis de religione disputare præsumentibus.*

NVlli egresso ad publicum disputandi de religione, vel tractandi, vel consilii alquid deferendi, vel maiores natu accusandi, pateseat occasionis aditus. Si quis post hac contra hæc veniendum crediderit, vel insistere motu pestiferæ persuasionis tentaverit, competenti pœna & digno supplicio coërceatur.

CXL. *De his qui falsa Principum rescripta detulerint, & nonnullis aliis causis.*

QVi falsa Principum rescripta detulerint, ut falsarii puniantur. Qui falsum nesciens allegavit, falsi pœna non teneatur. In caput Domini patronivè nec servus nec libertus interrogari potest. Vt prægnantem nemo torqueat. Qui de se confessus est, ei super alium credi non potest.

CXLI. *Vt nullus de alterius presbyteri parochia, populo persuadere audeat, ut relictâ propriâ parochiâ ad suam Ecclesiam conveniant, aut sibi eorum decimas dent.*

STatutum est ut nullus presbyter fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ de alterius presbyteri parochia persuadeat, ut ad suam Ecclesiam relicta propria Ecclesia, conveniant, & suas decimas sibi dent. Sed unusquisque sua Ecclesia & populo sit contentus, & quod sibi non vult fieri, alteri nequaquam faciat, iuxta illud Euangelii: *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, hæc eadem facite illis.* Quisquis autem contra hæc constituta venerit, aut hæc infringere tentaverit, tanquam contemptor gradus sui periculo subiacebit.

CXLII. *De his qui in blasphemiam alterius aliquam scripturam vel cantica composuerint vel cantaverint.*

IS qui in blasphemiam alterius cantica composuerit, vel qui cantaverit ea, extra ordinem vindicetur. Nam lex exiliari iubet eos, qui libellos famosos excogitant, aut proponunt. Notatur infamia quicunque, dum appellat, in iudicem convitium dixerit. Non tantum is qui maledictum, aut convitium dixerit, famosus efficitur, sed & is cuius consilio factum esse patuerit.

CXLIII. *Vt nullus presbyter pœnitentes inconsulto Episcopo reconciliare audeat: & ut omnes publicè pœnitentes in cœna Domini ad Episcopum proprium conveniant, ut ab eo canonicè absolvantur vel diiudicentur.*

STatutum est, & in sanctis canonibus prohibitum, ut nullus presbyter pœnitentem publicè inconsulto Episcopo reconciliare præsumat, nisi morte fortè periclitantem. Sed omnes publicè pœnitentes quinta feria ante Pascha, quæ est cœna Domini, ad civitatem in cinere & cilicio in præsentiam Episcopi prostrato vultu conveniant, & ibi ab Episcopo canonicè & ordinabiliter, sicut in Sacramentario & in Romano ordine continetur, reconcilientur, atque diiudicentur, consolenturque: & prædicentur, quid deinceps agere, quidve vitare debeant instruantur, atque insuper divinis precibus per manus impositionem ab Episcopo sanentur. Nullo namque tempore presbytero in publica missa pœnitentem reconciliare, sine licentia Episcopi concessum est. Si quis hoc facere præsumpserit, canonica correctione multetur.

CXLIIII. *De clericis vel laicis qui suo Episcopo calumniatores extiterint.*

SI quis clericus vel laicus exprobator vel calumniator suo Episcopo extiterit, ut homicida habeatur.

CXLV. *De causis in iudicio convincendis, & de sententia adversus absentes infirmanda, & de causis in iudicio non revolvendis, & ut absentes non damnentur, & quòd absentes nec accusari possint.*

COnvinci nemo potest in iudicio, sine testibus aut scriptura. Sententia absente parte alia à iudice data, nullam obtinet firmitatem. Causa inter præsentes iudicata per decennium, revolui non potest; nec inter absentes post vicennium. In causa capitali absens nemo damnetur; neque absens per alium accusatorem accusari potest.

CXLVI. *De sacerdotibus vel clericis, qui per pecunias aliorum sacerdotum Ecclesias aut beneficia subripiunt vel subvertunt.*

SAncitum est atque omnibus modis prohibitum, ut si quis presbyter præventus fuerit, alieno clerico aut laico munera dare aut dedisse, aut aliquam pecuniam tribuere, ut alterius presbyteri Ecclesiam subripiat, pro hac cupiditate seu rapina turpis lucri gratia deiiciatur à clero, & alienus exstat à regula. Nam si pro misericordia Episcopo placuerit, longo tempore eum pœnitendo quæ gessit, in carceris ærumna recludere, & usque ad satisfactionem ibi detinere liceat: & postea si se correxerit, & talia deinceps minimè se facere promiserit, humanius erga eum agere poterit, si voluerit, & ipse dignus inventus fuerit.

CXLVII. *Vt*

CXLVII. *Vt seculares, de viris Deo dicatis, Ecclesiæque facultatibus ad se nihil putent pertinere, præter reverentiam tantum.*

SYnodali decreto sancitum est, ne laici vel seculares de viris Deo dicatis Ecclesiæque facultatibus aliquid ad se putent vel præsumant, præter reverentiam, pertinere; quorum quarumque sacerdotibus disponendi indiscusse à Deo cura commissa docetur. Si quis contra hæc venire præsumpserit, anathemate feriatur.

CXLVIII. *De servis dominorum facinora confessis non audiendis.*

SI servi facinora dominorum confessi sunt, nullo modo audiantur: nisi fortè eos reos deferant maiestatis.

CXLIX. *De his qui sine iussione Episcopi iudices seculares adeunt, aut sine licentia & litteris Episcopi sui proficiscuntur, & de laicis Ecclesiasticis vel laicis calumniam facientibus.*

SAncitum est ut presbyter, vel diaconus, sive quilibet clericus regulæ subiectus, inconsulto Episcopo ad iudicem secularem non pergat. Nec non & hoc sancitum est, ut sine epistola Episcopi sui non liceat clericum vel monachum proficisci. Et alibi in canonibus legitur ita: *Presbyter, aut diaconus, vel clericus, sine antistitis sui epistolis ambulans, communionem ei nullus impendat.* Simulque statutum est, ut si quis secularium per calumniam Ecclesiam aut clericum fatigare tentaverit, & convictus fuerit, Ecclesiæ liminibus, & catholica communione, nisi dignè pœnituerit, coërceatur.

CL. *De laicis vitiosis à clericis, nisi sponte voluerint, non recipiendis: similiter & de clericis.*

OMnes Episcopi in tertia sessione acclamaverunt: *Sane dignum est, ut sicut sacerdotes vel clericos sua in accusatione vel secularibus iudiciis laici non recipiunt, ita ipsi in sacerdotum vel clericorum accusationibus seu Ecclesiasticis negotiis nisi sponte non recipiantur.* Quoniam inconveniens est, ut hi qui hos respuunt, ab his recipiantur.

CLI. *Vt his qui sponte hominem occidere voluerint, & non potuerint perpetrare, ut homicidæ habeantur.*

QVi hominem voluntariè occidere voluerit, & perpetrare non potuerit, ut homicida habeatur.

CLII. *Vt nulli sacerdotes eorum decimas, aut aliquid de rebus vel facultatibus Ecclesiæ, sine licentia proprii Episcopi vendere præsumant.*

STatutum est ut nullus presbyter vel diaconus eorum decimas, vel aliquid de rebus Ecclesiæ, sine consilio proprii Episcopi irreverenter ven-

dere præsumat: quia in canonibus decretum est ita: *Placuit ut presbyteri vel diaconi non vendant rem Ecclesiæ ubi sunt constituti, nescientibus Episcopis suis.* Et ne deinceps fiat cavendum est, sicut à quibusdam in aliquibus locis impudenter factum audivimus, eo quod quidam sacerdotes, antequam messes maturæ vel collectæ essent, eorum decimas vendere causa ebrietatis tentaverunt. Quod ne deinceps fiat, pariter omnes inhibemus. Sed ut prius cum gratiarum actione à sacerdotibus recipiantur, & si necessitas fuerit pro restauratione Ecclesiarum, vel pro redemptione captivorum eas vendere, cum consilio proprii Episcopi, & aliorum bonorum sacerdotum hoc faciant: ne qualibet occasione occultè, & sine testimonio fraudentur oblationes fidelium, & unde pauperes recreari debent, vel Ecclesiæ restaurari, seu clerici vivere, sive Episcopi recipi, hospites & peregrini pasci, ac venerari presbyteri vel diaconi, aut quilibet fidelium, in suis nimiis potationibus vel commessationibus, seu carnalibus desideriis, quæ multis modis aguntur, inflectere non præsumant. Sed in prædictis rebus eas fideliter subministrent, & sciant se non suarum, sed dominicarum rerum esse dispensatores. Propterea quasi dominicas res fideliter eas conservare, & utiliter dispensare Domini sacerdotes oportet, & si (quod absit) aliter fecerint, canonica invectione districtè feriantur.

CLIII. *De anathematizatis hominibus repellendis.*

OMnium anathematum vox in accusatione, vel testimonio, aut humano iudicio, penitus non audiatur, nec hi accusare quemquam permittantur. Sed si quis anathematis pœnam parvi duxerit, aut in insula relegetur, aut exilio deputetur, ne possit Ecclesiam Dei eiusque famulos perturbare.

CLIIII. *De sententia adversus absentes vel minores iudicata non valenda.*

ADversus absentes vel minores sententia iudicata non valebit.

CLV. *De his qui inebriantur, ut à communione, nisi se correxerint, suspendantur, aut corporali supplicio subdantur.*

SAncitum est ut à presbyteris, vel diaconibus, seu à reliquis clericis, omnimodo vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est. Itaque eum, quem ebrium fuisse constiterit, ut ordo patitur, aut quadraginta dierum spatio communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum supplicio.

CLVI. *De his qui apud extraneos iudices causam suam proponunt, & de his qui prius in proprio foro iurgaverint, & de iudicibus qui sua negligentia causas differunt.*

SI quis alium crediderit accusandum, apud provinciæ illius iudicem negocium suum proponat, & omnem iacturam litis incurrat, qui non antè in proprio foro iurgaverit. Quod si per neglegentiam iudicis causa definita non fuerit, tantum eum fisco nostro iubemus exsolvere, quantum res ipsa

res ipsa de qua agitur valuisse cognoscitur, & qui consiliis suis adhærent, exilio deputentur.

CLVII. *Quid de vaticinatoribus falsis agendum sit.*

VAticinatores, qui se futura scire dicunt, cæsi de civitate iactentur.

CLVIII. *Quid de Episcopo, qui alium conculcare, vel calumniari, aut iniuriare, præsumpserit Episcopum, faciendum sit.*

VT nullus Episcopus alium Episcopum conculcet, eumque calumniari, vel iniuriare præsumat: quod si fecerit, gradus sui periculo subiacebit.

CLIX. *Vt nullus presbyter in Ecclesia benedictiones publicas super populum fundere, aut consecrare, vel reconciliare præsumat.*

STatutum est, ut presbyteri benedictionem in Ecclesia super plebem fundere, aut altare consecrare, aut reconciliare, aut submovere, vel collocare ullo modo non præsumant. Simul & hoc statutum est, ut altare erigere, vel de loco in locum transmutare, ut à quibusdam factum audivimus, sine Episcopi sui licentia vel consilio (cuius est & ipsum altare consecrare, & post motionem vel violationem reconciliare) presbyteri non pertentent: quod si aliter fecerint, gradus sui periculo subiacebunt.

CLX. *Vt absentibus quod ablatum est pleniter restituatur.*

PRopter absentes legem volumus iterare, ut quidquid fuerit eis à qualibet persona ablatum, totum amicis eorumque proximis vel servis, cum iudicem interpellaverint, sine dilatione reddatur: ut res quas discedens dominus in sua proprietate dimisit, integra ab actoribus domini, quocunque sedeat, vindicentur. Quæcunque autem in militia constitutis, vel absentibus perversa fuerint, sine aliqua iubemus dilatione restitui.

CLXI. *De neglegentibus officia divina, & non venientibus ad matutinalia vel vespertinalia sive reliqua divina officia.*

STatutum est, ut si quis presbyter, vel diaconus, aut quilibet clericus Ecclesiæ deputatus, si intra civitatem fuerit, aut in quolibet loco, in quo Ecclesia est, & ad quotidianum psallendi sacrificium matutinis vel vespertinis horis ad Ecclesiam non convenerit, deponatur à clero: si tamen castigatus veniam ab Episcopo post per satisfactionem voluerit promereri.

CLXII. *De his qui in captivitatem ducti sunt, quid agendum sit.*

QVicunque necessitate captivitatis ducti sunt, & non sua voluntate, sed hostili deprædatione ad adversarios transierunt, quæcunque in agris vel in mancipiis ante tenuerunt, sive à fisco possideantur, sive aliquid ex his per Principem cuicunque datum est, sine ullius contradictione personæ tempore quo redierint, vindicent ac præsumant: si tamen cum adversariis non sua voluntate fuerint, sed captivitate se detentos esse probaverint.

CLXIII. *Vt presbyteri per singulas hebdomadas, sicut ab Episcopo vel ab illo qui constitutus est ab eo vocentur, ad civitatem conveniant absque ulla dilatione discendi gratia.*

STatutum est, ut omnes presbyteri parochiæ ad civitatem, per turmas & per hebdomadas, ab Episcopo sibi constituas, conveniant discendi gratia, ut aliqua pars in parochiis presbyterorum remaneat, ne populi & Ecclesiæ Dei absque officio sint, & aliqua utilia in civitate discant, ut meliores ad parochias demum & sapientiores atque populis utiliores absoluti revertantur. Et ibi ab Episcopo idest in civitate, sive à suis benè doctis ministris bono animo instruantur de sacris lectionibus, & divinis cultibus, & sanctis canonibus, sive de baptismatis sacramento, atque Missarum solemniis, & precibus & de reliquis officiis omnibus sibi necessariis pleniter & distinctè ac sigillatim imbuantur. Et omnia quæ illi per parochias docere, prædicare, facere debent, eos Episcopus & sui bene docti ministri veraciter & discretè doceant, ut quid facere vel quid vitare debent, sciant, quatenus eorum vitam bene & condignè, atque irreprehensibiliter ducant, & aliis bene vivendo bonum exemplum absque ulla offensione præbeant, & eorum ministeria sapienter, & rationabiliter adimpleant, ut in nullam (quod absit) offensionem incidant, sed Dei gratiam promereri valeant.

CLXIIII. *Quid de convictis in iudicio de evidenti violentia agendum sit.*

COnvictus in iudicio de evidenti violentiæ crimine, reus capite ponatur.

CLXV. *De his qui relinquunt Ecclesiastica officia, & ad seculares confugiunt: & de clericis furtum Ecclesiæ facientibus: sive de clericis comam nutrientibus, vel habitum aut vestimenta clericalia mutantibus.*

SAncitum est, ut quisquis clericus relicto officio suo propter districtionem ad secularem quemlibet confugerit, & is ad quem recurrit, solatium ei defensionis impenderit, cum eodem de Ecclesiæ communione pellatur. Simulque sancitum est, ut si quis clericus furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur. Simili modo decretum est, ut clerici qui comam nutriunt, ab archidiacono, etiamsi noluerint, inviti detundantur. Vestimenta verò vel calceamenta eis, nisi quæ religionem deceant, uti aut habere non liceat.

CLXVI. *De servis insciis vel consciis dominis violentiam facientibus, & qualiter hæc corrigantur.*

SErvi si inscio domino confessi vel convicti fuerint violentiam commisisse, addicti tormentis gravibus puniantur: si verò iubentibus dominis violentiæ crimen admiserunt, domini qui illicita præceperunt, notentur infamia, ut nobilitatis vel honoris sui dignitatem tenere non possint. Servi autem qui talibus dominorum iussionibus paruerunt, in metallo detru-

detrudantur: cæterum non liceat iudicibus discussionem violentiæ differre, vel dimittere, vel donare. Si autem probaverint violentiam, & non statim vindicaverint, noverint se periculum subituros. Viles autem personæ, quæ frequenter admisisse violentiam comprobantur, constituta legibus pœna supra scripta omnimodis feriantur.

CLXVII. *Ut clerici contumaces vel inflati contra Episcopum suum non sint, nec parvipendant eius excommunicationem: & qualiter hoc facientes suam recipere debeant dignitatem.*

STatutum est, ut contumaces clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur. Et si qui priores gradus elati superbia communionem fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur: ita ut cum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum dignitatemque recipiant.

CLXVIII. *Quòd accusatoribus ante discussionem utriusque partis non sit credendum.*

QVotiens quilibet accusator aliquid de adversario suo eo absente suggesserit, ei ante discussionem utriusque partis penitus non credatur.

CLXIX. *De sacerdotibus non extrahendis.*

PRæcipimus, ut nullo vel falso insimulatus crimine, extrahatur sacerdos.

CLXX. *Ut qui iudices suspectos habuerint, vocem appellationis exhibeant.*

SI quis iudicem pro quibuscunque causis adversum sibi senserit, aut habuerit fortè suspectum, vocem appellationis exhibeat, ut cum ei concessum fuerit, integro negotio apud alium iudicem amotis dilationibus possit audiri.

CLXXI. *Ut discordantes ad altare sive ad gratiam sanctæ communionis non accedant: & si unus eorum se correxerit, & alter discordans inventus fuerit, quid de his agendum sit.*

SAncitum est ut personarum discordantium nemo, antequam reconcilietur, ad altare Domini accedere audeat, vel gratiam communionis sanctæ percipere; sed geminato tempore per pœnitentiam compensabitur, in quo discordiæ servierant. Quod si unus eorum alio contemnente ad satisfactionem charitatis occurrerit, ex eo tempore ut pacificus in Ecclesiam recipiatur, ex quo ad concordiam festinasse convincitur.

CLXXII. *Quòd pœnitentes à conviviis & ornamentis, atque alba veste abstinere debeant.*

QVi luget, abstinere debet à conviviis, ac ornamentis, & ab alba veste.

CLXXIII. *De his sacerdotibus qui de Ecclesiis ad Ecclesias irrationabiliter transeunt, & de illis qui in loco eorum sunt ordinati.*

SAncitum est, ut illi sacerdotes, qui de Ecclesiis ad Ecclesias migrant vel migraverunt, & suos titulos absque licentia & consensu Episcopi dimittunt vel dimiserunt, tamdiu à communione habeantur alieni, quamdiu ad eas redierint Ecclesias, in quibus primò sunt constitui. Quòd si alius alio transmigrante in locum viventis ordinatus est, tamdiu vacet sacerdotii dignitate, qui suam deseruit Ecclesiam, quamdiu successor eius quiescat in Domino.

CLXXIIII. *Quòd iniuriarum actores non nisi præsentes accusare possunt.*

INiuriarum actiones non nisi præsentes accusare possunt. Crimen enim quod vindictæ aut calumniæ iudicium expectat, per alios intendi non potest.

CLXXV. *Vt quod Ecclesia tricennali vice possederit, nullo liceat pro hoc deinceps appellare. Et de raptoribus viduarum vel virginum: & ut fœminæ sacris altaribus non ministrent.*

STatutum est, ut facultates Ecclesiæ nec non diœceses, quæ ab aliquibus possidentur sacerdotibus, iure sibi vindicent, quod tricennalia lex conclusit: & ultra triginta annos nulli liceat pro id appellare, quod legum tempus exclusit. Simulque sancitum est, ut raptores viduarum vel virginum ab Ecclesiæ communione pellantur, & ut fœminæ sacris altaribus non ministrent, vel alquid ex his, quæ virorum sunt officiis deputata, præsumant.

CLXXVI. *De iudicibus contra legem iudicantibus: & legem audire volentibus.*

QVicunq; iudex oblatas sibi in iudicio leges vel iuris species audire noluerit, & cum ira eas iudicaverit, ex hac re cōvictus in carcere deportetur.

CLXXVII. *De imperitis ut peritis non præferantur.*

VAlde iniquum est, ut imperiti magistris, novi antiquis, vel rudes præferantur emeritis.

CXXVIII. *Vt liceat litigatoribus vitiatam causam appellationis remedio sublevare, & ut appellatores in nullam custodiam redigantur.*

IVdices observare debent, ut liceat litigatori vitiatam causam appellationis remedio sublevare. Et appellatores nec in carcerem redigantur, nec à militibus faciant custodire, sed agendum negotium suum liberi observent; nec etiam in supplicium destinatis appellandi vox denegetur.

CLXXIX. *Vt*

CLXXIX. *Vt nullus falsum testimonium dicat: & de periculo falsorum testium, seu pœnitentia, vel abiectione eorum.*

VOlumus atque præcipimus, ut omnes à falso testimonio se abstineant, scientes & hoc gravissimum scelus esse, & ab ipso Domino in monte Synai prohibitum, dicente eo: *Non falsum testimonium dixeris.* Sive; *testis falsus non erit impunitus.* Sciat etiam se quisquis hoc perpetraverit, aut tali pœnitentia purgandum, sicut de periurio, aut tali damnatione & excommunicatione feriendum, sicut de homicidio vel periurio. Summa enim stultitia & nequitia est, ut aliquis homo, qui Christiano nomine censetur, pro cupiditate argenti, vel auri, aut vestimentorum, sive agrorum, vel cuiuslibet rei, sicut sæpe contingere solet, propter ebrietatem, aut ventris ingluviem, in tam grande scelus corruat, ut aut septem annis in arcta ærumna sit, aut ab Ecclesia sit repulsus, dicente Domino: *Quid prodest homini si lucretur universum mundum, animæ verò suæ detrimentum faciat.*

CLXXX. *Quòd eandem pœnam passurus sit accusator, si convincere accusatum non potuerit, quam reus passurus erat.*

POenam quam reus passurus erat, accusator excipiat, si convincere eum non potuerit. Nemo potest debitorem plus agnoscere, quàm ille qui iniuriæ sustinuit nequitiam.

CLXXXI. *Quod prolator semper scripturam affirmare debeat.*

STatutum est, ut scripturam prolator adfirmet. Nam si is qui scripturam protulit, eius non adstruxerit veritatem, ut falsitatis reum esse detinendum.

CLXXXII. *Vt omnes fideles suis Episcopis fideliter obediant.*

QVi Episcopum suum noluerit audire, & excommunicatus fuerit & renuerit, perennem condemnationem Episcoporum apud Deum sustineat, & insuper palatio nostro sit omnino extraneus, & omnes facultates eius ad legitimos parentes perveniant.

CLXXXIII. *De homicidis quid agendum sit.*

DE homicidis ita iussimus observari, ut quicunque ausu temerario alium sine causa occiderit, vitæ periculo feriatur, & precio nunquam se redimere valeat. Et si convenerit ut ad compositionem quisq; descendat, nullus de parentibus aut amicis eum quidquam adiuvet; quod si fecerit, suum wirgildum omnino componat.

CLXXXIIII. *Quid de furibus & malefactoribus sit agendum.*

DE furibus & malefactoribus hoc decrevimus observari, ut si quinque aut septem bonæ fidei homines, absque inimicitia præposita, criminosum cum sacramenti interpositione esse dixerint, quomodo contra legem furtum perpetravit, sic secundum legem moriatur. Et si iudex compre-

hensum latronem laxaverit, vitam suam amittat, & ut ceteri disciplinam omnibus observent.

CLXXXV. *De incestis quid agendum.*

VT incestum nullus sibi unquam societ coniugium: quod si contingerit, ab Episcopo loci illius separentur, & publicam septem annorum, iuxta canonicos gradus, ambo agant pœnitentiam. Qui autem hoc agere noluerint, ab omnibus ut anathema habeantur.

CLXXXVI. *De accusatoribus non facile recipiendis, nec absque certa probatione quosquam iudicandis, vel damnandis.*

OMnia primo diligenter cunctos oportet inquirere, ut cum iustitia definiantur. Nullus quemquam ante iustum iudicium damnet, nullum suspicionis arbitrio iudicet: prius quidem probet, & sic iudicet. Non enim qui accusatur, sed qui convincitur reus est: pessimum namque & periculosum est, quenquam de suspicione iudicare. In ambiguis Dei iudicio semper reservetur sententia: quòd quoniam non potest humano condemnari examine, quem Deus suo iudicio reservavit. Incerta namque non debemus iudicare, quousque veniat Dominus, qui latentia producet in lucem, & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Quamvis enim vera sint, non tamen credenda sunt, nisi quæ certis indiciis comprobantur, nisi quæ manifesto iudicio convincuntur, nisi quæ iudiciario ordine publicantur.

CLXXXVII. *De chorepiscoporum superstitione atque damnatione.*

OMnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus & nostris notum esse volumus, quia non parva quæstio de chorepiscoporum superstitione ad nos non semel aut bis vel ter venerat, sed sæpissime nostris auribus molestiam intulerat. Ipsa enim quæstio non solum inter clericos, sed etiam inter laicos crebrius ventilabatur. Dicebant ergo presbyteri, diaconi, & subdiaconi, à regularibus Episcopis ordinati, non eos esse presbyteros vel diaconos aut subdiaconos, qui à chorepiscopis videbantur quasi sacrati: nec sacerdotale eos debere peragere officium, nisi forent à canonicè ordinatis Episcopis consummati. Sumentes quoque de canonica auctoritate sanctionem, affirmabant à chorepiscopis ordinatos, vulneratum potiùs, quam Episcopaliter sanctificatum, per illam manus impositionem habere caput. Vbi autem vulnus inflictum est, medicina est adhibenda, qua possit recipere sanitatem. Similiter & laici dicebant, quòd talium ministrorum vel sacerdotum, id est, qui à chorepiscopis erunt quasi ordinati, officia audire nollent, nec eorum infantes maiores vel minores, aut familiam eorum per manus impositionem consignari vel confirmari usquam vellent, ne magis vulnus quàm benedictionem acciperent. Quod iurgium cum enucleatius discutere voluissemus, placuit nobis ex hoc Apostolicam sedem consulere, iubente canonica auctoritate, atque dicente: *Si maiores causæ in medio fuerint devolutæ, ad sedem*

ſedem Apoſtolicam, ut ſancta ſynodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, incunctanter referatur. Quapropter Arnonem Archiepiſcopum miſimus ad Leonem Apoſtolicum, ut inter cetera quæ ferebat, etiam eum & hoc interrogaret, ut quidquid ſuper his definiendum eſſet, Apoſtolica auctoritate à noſtris Epiſcopis regulariter ſopiretur. Qui nobis verbis & ſcriptis ab eo renuncians hæc non eſſe neceſſe iterare vel definire, quia ſæpiſſime à ſuis prædeceſſoribus, & à multis ſanctis Epiſcopis, atque ſynodalibus ſanctionibus eos eſſe prohibitos atque damnatos, & ideo non eſſe neceſſe ventilare, ſed definita tenere. Dixit enim nullum fore presbyterum, vel diaconum, aut ſubdiaconum, ab eis ordinatum, nec Eccleſiam ab eis dedicatam, nec virginem conſecratam, nec quenquam confirmatum, neque quidquam quod de Epiſcopali miniſterio præſumpſere, eſſe peractum: ſed quidquid ex his ab eis illicitè erat præſumptum, omnia à canonicè ordinatis Epiſcopis debere ritè peragi, & in meliorem ſtatum reformari. Quia quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit ut videatur iteratum. Prædictos autem chorepiſcopos omnes præcepit damnari, & in exilio detrudi. Iſta verò omnes maximè regni nobis à Deo commiſſi Epiſcopi cum eodem Arnone permittente præfato Apoſtolico mitiùs tractantes, iam dictos villanos Epiſcopos inter presbyteros ſtatuerunt, ita ut amplius nihil de Epiſcopali miniſterio præſumerent, nec ipſi deinceps à quoquam fierent, qui gradus ſui periculum vitare vellent. Decretum namque eſt in illa ſynodo, quam Regiſburg, pro eadem vel pro aliis cauſis Apoſtolica auctoritate præfato prætexto habuimus, nihil ex prædictis à quoquam eorum agere nec facere volentibus conſentire, ſed quidquid ab his Epiſcopaliter præſumptum eſt, à canonicè ordinatis Epiſcopis peragi debere; nec ullum uſquam de Epiſcopali miniſterio à chorepiſcopis aliquid accepiſſe, quia nihil in dante erat, quod aliquis horum accipere potuiſſet. Quoniam quod non habuit quis eorum, dare non potuit. Nam Epiſcopi non erant, quia nec ad quandam civitatis Epiſcopalem ſedem titulati erant, nec canonicè à tribus Epiſcopis ordinati. Ideo de Epiſcopali miniſterio nihil agere potuerunt, & idcirco non oſtenditur geſtum, quod præfixi agere putaverunt: quia quod non habuerunt, nullatenus dare potuerunt. Ideo namque nulla cauſa permittit, ut videatur iteratum, quod de cauſis memoratis à canonicè ordinatis Epiſcopis cognoſcitur regulariter peractum. Vnde & cum ſæpe quæſtio de malè accepto honore naſcatur, quis ambigat, nequaquam eſſe tribuendum, quod non docetur fuiſſe collatum. Scimus enim, ſicut & in antiquis patrum legimus decretis, poſſe vera ac iuſta legitimi Epiſcopi benedictione auferri omne vitium, quod à vitioſo fuerat iniectum.

CLXXXVIII. *De rebus Eccleſiaſticis abſq; iuſſione Epiſcopi diſpenſandis.*

PLacuit ut Epiſcopi rerum Eccleſiaſticarum in omnibus iuxta ſanctorum canonum ſanctiones plenam ſemper habeant poteſtatem; nullus eas dare vel accipere abſque proprii Epiſcopi audeat iuſſione, nullus eas invadere, vel vaſtare, aut quomodo deteriorare præſumat. Nam de vaſtantibus Ec-

clesias earumque res, nihil aliud intelligimus, quàm contra illum æterni imperii Dominum, eiusque maiestatis homines, movere certamen: cùm illæ ædes illi die noctuque famulentur, & illi sint consecratæ. Videant ergo vastantes easque invadentes prænuntiamus, ne ab illo, si se commoveat, vastentur & disperdantur, cuius percussionem montium dorsa ferre non possunt. Nos verò ista nec agere volumus, nec facere volentibus consentire, ne nosipsos (quod absit) perdamus, aut se perdere volentibus consentiamus. Quapropter præcipimus, ut si quis ex iure Ecclesiastico hactenus nostra largitate aliquid possedit, si illa deinceps habere voluerit, ut ad proprios Episcopos veniat, & ab eis, & à præpositis Ecclesiarum, unde esse videntur, quocunque modo iustè potuerit, hæc impetrare satagat, & nihil ex eis aliter ambiat, aut concupiscat, vel accipiat, ne cupidos sanctarum rerum ignis, qui in eis est, favillosius exurat. Vnde & in sacris canonibus spiritu Dei conditis, decretum habetur ita: *Si quis oblata dederit, vel acceperit præter Episcopum, vel eum qui constitutus est ab eo, ad dispensandam misericordiam pauperibus, & qui dat, & qui accipit, anathema sit.* Scimus enim anathematizatos homines, & in præsenti seculo infames esse ac perditos, & à consortio fidelium in omnibus absque pane & aqua fieri alienos, atque si absque Ecclesiæ satisfactione de hac vita recesserint, à regno Dei fore extorres. Quam foveam cavere dissimulans vel recusans, nostra se sciat per omnia carere societate: quia non solum qui faciunt, sed qui facientibus prava consentiunt, rei sunt. Satius enim nobis est regnum non habere terrenum, quam æternum perdere. Plus verò me credo Deum posse per sanctorum suorum merita adiuvare, quàm omnem militiam secularem. Quapropter omnes scire cupimus, si super his quibus fruimur bonis, universum mundum lucrari potuissemus, nostram vestrasque animas perdere noluissemus, nec se pro prædictis cupiditatibus perdere volentibus assentiri. Testante namque Euangelica tuba didicimus: *Nihil prodesse homini universum mundum lucrari, si animæ suæ detrimentum patiatur.* Et iterum: *Quam dabit homo commutationem pro anima sua.* Et iterum: *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.*

CLXXXIX. *Vt mulieres non ingrediantur ad altare: & ut baptizati fidei sacramento instruantur, & post baptismum chrisma cœleste per Episcoporum manus impositionem omnes percipiant fideles.*

NOn oportet mulieres ingredi ad altare. Baptizandos verò oportet fidei symbolum discere, & quinta feria septimanæ maioris Episcopo vel presbyteris reddere. Et qui in ægritudine constituti baptismum perceperint, sani facti fidei symbolo doceantur, ut noverint quanta honoratione digni sunt habiti. Oportet etiam baptizatos post baptismum chrisma cœleste percipere, & regni Christi participes fieri.

CXC. *Quòd*

CXC. *Quòd non conveniat catechumenis vel pœnitentibus in Pascha vel Pentecoste, aut nativitate Domini, ante baptismum vel canonicam reconciliationem sacramentum Dominici corporis dare, sed tantum sal benedictum.*

VT per solemnissimos (nisi mos) Paschales dies sacramentum catechumenis non detur, nec eis qui à liminibus Ecclesiæ sunt exclusi, neque eis ante canonicam reconciliationem, qui publicam gerunt pœnitentiam, sed tantum benedictum sal à sacerdotibus pro communione tribuatur. Et quia apud fideles per illos dies sacramenta non mutantur, nec apud catechumenos vel publicè pœnitentes oportet mutare.

CXCI. *Vt in synodo priusquam generales causæ, quæ ad normam Ecclesiæ pertinent, finiantur, spirituales ventilentur.*

PLacuit ut quotiens secundum statuta patrum synodus congreta fuerit, nullus Episcoporum vel presbyterorum aliquam prius causam suggerere audeat, quàm ea, quæ ad emendationem vitæ, & ad severitatem regulæ animæque remedia pertinent, finiantur.

CXCII. *De his qui res Ecclesiæ à Principibus petunt, ut irrita habeantur quæ obtinent, & ipsi à communione priventur.*

QVI reiculam Ecclesiæ petunt à Regibus, & horrendæ cupiditatis impulsu egentium substantiam rapiunt, irrita habeantur quæ obtinent, & à communione Ecclesiæ, cuius facultatem auferre cupiunt, excludantur.

CXCIII. *Vt nullus Episcopus de alterius Episcopi diœcesi quidquam præsumat.*

NE parochias cuiuslibet Episcopi alterius civitatis Episcopus canonum temerator invadat, & vesanæ cupiditatis facibus inflammatus suis non contentus, rapiat aliena.

CXCIIII. *Vt posteriores Episcopi non se præponant prioribus.*

VT nullus Episcopus prioribus suis se audeat anteponere.

CXCV. *Vt clerici qui sine epistolis Episcopi sui extra propriam parochiam profecti fuerint, communione priventur: & si incorribiles apparuerint, verberibus arceantur.*

CLericis sine commendatitiis Episcopi sui licentia non pateat evagandi, & in omni loco, ad quem sine epistolis sui Episcopi, ut dictum est, venerint, à communione habeantur alieni. In monachis quoque par forma servetur, quos si verborum increpatio non emendaverit, etiam verberibus statuimus coërceri.

CXCVI. *Vt laici non ordinentur, nisi religione præmissa: & ut monasteriis puellarum probatæ vitæ homines præfigantur.*

PRæcipimus ne laicus, nisi religione præmissa, clericus fiat. In monasterium verò puellarum homines non nisi probatæ vitæ & ætatis profectæ, ad quascunque earum necessitates vel ministrationes permittantur intrare. Ad faciendas verò Missas clerici qui ingressi fuerint, statim peracto ministerio regredi festinent. Aliter autem nec clericus nec monachus iuvenis ullum ad puellarum congregationem habeat accessum, nisi hoc aut paterna aut germana necessitudo probetur admittere.

CXCVII. *De his qui districtionem Episcoporum circa se austeriorem putaverint, quid agendum sit.*

SI quis clericorum circa se aut districtionem, aut retractationem Episcopi sui putat iniustam, iuxta antiquas constitutiones recurrat ad synodum.

CXCVIII. *De conspiratione clericorum, vel monachorum, aut laicorum.*

SI qui clericorum, ut in multis locis diabolo instigante actum fuisse perpatuit, rebelli auctoritate se in unum coniuratione intercedente collegerint, aut sacramenta inter se data, aut chartulam conscriptam fuisse patuerit, nullis excusationibus hæc præsumptio præveletur: sed res detecta, cùm ad synodum ventum fuerit, in præsumptoribus, iuxta personarum & ordinum qualitatem, à Pontificibus, qui tunc in unum collecti fuerint, vindicetur. Quia sicut charitas ex præceptis dominicis corde, non chartulæ conscriptione vel coniuratione est exhibenda; ita quod supra sacras admittitur scripturas, auctoritate & districtione Pontificali est reprimendum.

CXCIX. *De his qui res Ecclesiæ traditas invadunt vel vastant, aut absque proprii Episcopi consensu accipiunt, quid agendum sit.*

SI quis res Ecclesiæ debitas vel proprias sacerdotis horrendæ cupiditatis instinctu occupaverit, retinuerit, aut à potestate ex competitione perceperit, si eas non restituat, nullis se rebus excuset. Quod si agnito iure Ecclesiastico, non statim Ecclesiæ vel sacerdoti reformaverit, aut ut ipsum ius agnoscere possit in iudicium electorum venire distulerit, tamdiu à communione Ecclesiastica suspendatur, quamdiu restitutis rebus tam Ecclesiam quàm sacerdotem reddat indemnem. Similis etiam his qui oblationes defunctorum Ecclesiis vel sacerdotibus legaliter dimissas, quolibet ordine adsignare tardaverint, vel retinere præsumpserint, districtionis Ecclesiasticæ iuxta priores Canones forma servetur. Cui etiam sententiæ subiacebit, quisquis sibi quolibet ordine, quod pro devotione sua Ecclesiis dedit, renovare præsumpserit. Abbatibus, presbyteris, ceterisque ministris de rebus Ecclesiasticis, vel sacro ministerio traditis, nihil alienare, vel obligare, absque permissione & subscriptione Episcopi sui liceat; quod si præsumpserint, degradentur communione concessa: & quod temerè præsumptum, aut alienatum est, ordinatione Episcopi revocetur.

CC. *De his quæ die Dominico agere prohibentur vel permittuntur.*

AVdivimus persuasum esse populis, die Dominico agi cum caballis, aut bubus, vel vehiculis itinerare non debere, neque ullam rem ad victum reparare, vel ea quæ ad nitorem domus vel ad hominis pertinent, nullatenus exercere: quæ res ad Iudaicam superstitionem magis, quam Christianam observantiam pertinere probatur. Quapropter id statuimus, ut die Dominico, quod ante fieri licuit, liceat. A rurali tamen opere, id est, aratro, vel vinea, vel sectione messis, excussione, exarto, vel sepe, censuimus, abstinendum, quòd facilius ad Ecclesiam venientes orationis gratia, vacent. Quòd si inventus fuerit aliquis in operibus suprascriptis, aut quæ interdicta sunt exercere præsumpserit, qualiter hæc emendare debeat, non in laicorum districtione, sed in sacerdotis castigatione consistat.

CCI. *De his qui ante finitam Missam de Ecclesia egredi præsumunt.*

DE Missis nullus laicorum ante discedat, quàm Dominica dicatur oratio: & si Episcopus præsens fuerit, eius benedictio expectetur, neque ante Missam expletam quis egredi præsumat.

CCII. *De his qui in Ecclesia cum armis intrare præsumunt.*

SAcrificia matutina Missarum, sive vespertina, ne quis cum armis pertinentibus ad bellorum usum expectet: quod qui fecerit, in sacerdotis potestate consistat, quali eum districtione debeat castigare.

CCIII. *Vt laici in Ecclesia infra cancellos stare non præsumant.*

VT laici secus altare quo sancta mysteria celebrantur, intra clericos tam ad vigilias quàm ad Missas stare penitus non præsumant. Sed pars illa quæ à cancellis versus altare dividitur, choris tantum psallentium pateat clericorum: ad orandum verò & communicandum laicis, & fœminis, sicut mos est, pateant sancta sanctorum.

CCIIII. *De his qui sabbato sancto Paschæ hora nona ieiunium solvunt.*

QVi dum sabbato sancto ab hora nona ieiunium solvunt, conviviis utuntur, & dum sol ipse eadem die tenebris palliatus lumina subduxerit, ipsaque elementa turbata mœstitiam totius mundi ostenderint, ieiunium tamen diei polluunt, epulisque inserviunt: & quia totum eundem diem universalis Ecclesia propter passionem Domini, in mœrore & abstinentia peragit, quicunque in eo ieiunium, præter parvulos, senes, & languidos, ante peractas indulgentiæ preces persolverint, à Paschali gaudio depellantur, nec in eo sacramentum corporis & sanguinis Domini percipiant, qui diem passionis eius per abstinentiam non honorant.

CCV. *De purgatione sacerdotum, qualiter Wormatiæ secunda vice à domno Karolo & à suis tractata, atque sopita est.*

OMnibus vobis tam præsentibus quàm futuris scire cupimus, quia ideo consultu sedis Apostolicæ, & omnium nostrorum Episcoporum, ac reliquorum sacerdotum, atque maximè cunctorum fidelium nostrorum, de purgatione criminatorum sacerdotum tanta tractavimus, eamque cum testibus, sicut in anteriori Capitulari nostro continetur, fieri decrevimus, quoniam nesciebamus eandem causam à beato Gregorio Papa esse definitam. Nam cum Wormatiæ generalem conventum habuissemus, allata est nobis à Riculfo Moguntiacensi metropolitano epistola beati Gregorii Papæ, in qua inter cetera continebantur hæc: *De presbytero verò vel quolibet sacerdote à populo accusato, si certi non fuerint testes, qui crimini illato approbent veritatem, iusiurandum erit in medio, & illum testem proferat de innocentiæ suæ puritate, cui nuda & aperta sunt omnia, sicque maneat in proprio gradu.* Ista verò omnia quia vires nostras excedunt, in iudicio Episcoporum, iuxta canonicam sanctionem definienda reliquimus, ut hæc quando orta fuerint, ita definire satagant, ut nec secundum seculum iustam reprehensionem, nec penes Deum (quod absit) damnationem, sed æternæ beatitudinis ipso auxiliante, qui omnia infucata præstat, præmia consequantur.

CCVI. *De recto iudicio ab omnibus iudicando, & de litibus & contentionibus cavendis.*

OMnes monemus, ut lites vel contentiones non rectè iudicatas, ad pœnitentiæ culmen perducere studeant, sicut Dominus Iesus Christus in mandatis suis nos admonet dicens: *Iustè iudicate filii hominum.* Et: *In quocunque iudicio iudicaveritis, iudicabitur de vobis.* Et iterum: *Munera excæcant oculos sapientum, & tollunt verba iustorum, qui consentit, non rectè iudicat.* Sic docent præcepta Domini: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.* Væ vobis iudices & Principes, qui ab impio accipitis munera, & iustitiam iusti aufertis ab eo, & rememoramini quod dicitur: *Reddet Deus unicuique secundum opera sua, vel secundum iustitiam suam.*

CCVII. *Vt testes, priusquam de causa interrogentur, sacramento constringantur.*

TEstes priusquam de causa interrogentur, sacramento debere constringi, ut iurent se nihil falsi esse dicturos. Hoc etiam iubemus, ut honestioribus magis, quam vilioribus testibus fides potius admittatur. Vnius autem testimonium, quamlibet splendida & idonea videtur esse persona, nullatenus audiendum.

CCVIII. *Vt Episcopos vel sacerdotes aut clericos in iudiciis secularibus nullus accuset.*

MAnsuetudinis nostræ lege prohibemus, in iudiciis Episcopos accusare, nedum adfutura ipsorum beneficio impunitas æstimatur, libera sit ad arguen-

arguendos eos animis furialibus copia. Si quid est igitur querelarum, quod quispiam defert, apud alios potissimum Episcopos convenit explorari, ut oportuna atq; commoda cunctorum quæstionibus audientia commodetur.

CCIX. *Vt mancipia quæ Iudæi emerint, aut circumciderint, ab eorum potestate auferantur.*

SI quis Iudæorum Christianum servum, vel cuiuslibet alterius sectæ, emerit & circumciderit, à Iudæi ipsius potestate sublatus in libertate permaneat.

CCX. *De integra restitutione.*

INtegra restitutio dicitur, si quando res quælibet, aut causa quæ perierat, in priorem statum reparatur, vel id quod alicui sublatum est, reformatur. Ita ut eorum causæ vel res in integrum revocentur, qui aut per timorem potestatis alicuius compulsi sunt, aut fraude vel errore decepti sunt, aut per captivitatem vel quamcunque iniustam necessitatem, substantiam suam, aut statum ingenuitatis perdidisse noscuntur: aut si qui pro necessitate longæ peregrinationis se absentant, vel restauranda ea, quæ in damnis minorum gesta esse probantur.

CCXI. *De his quæ iniuste ablata sunt, ut iustis legibus in integrum restituantur.*

QVotiens de revocanda re vel causa integri restitutionis beneficium petitur, aut in rem, aut in personam agendum est, ut res ipsa quæ sublata est, recipiatur. Et cum in persona actio cœperit intendi, is qui rem indebitè abstulisse convincitur, id quod sublatum est intra annum in quadruplum reformetur, post annum verò in duplum reddendum est.

CCXII. *Vt Ecclesiarum vel clericorum servos à iudicibus non liceat vexari.*

ECclesiarum servos, & Episcoporum, vel omnium clericorum, à iudicibus vel actoribus publicis in diversis angariis non fatigari, divina præcipitur auctoritate. Vnde omne concilium à pietate gloriosissimi Domini nostri poposcitur, ut tales deinceps ausus inhibeat, sed servi supra scriptorum officiorum, in eorum usibus vel Ecclesiæ laborent. Si quis verò iudicum aut actorum, clericum, aut servum clerici vel Ecclesiæ, in publicis ac privatis negotiis occupare voluerit, à communione Ecclesiastica, cui impedimentum facit, efficiatur extraneus.

CCXIII. *Vt dotes Ecclesiarum simul cum ipsis Ecclesiis semper ad proprii Episcopi pertineant dispositionem.*

MVlti contra canonum statuta Ecclesias, quas ædificaverint, postulant consecrari, ut dotem, quam eidem Ecclesiæ contulerint, non censeant ad Episcopi ordinationem pertinere, quod factum est in præterito displicet, & in futuro prohibetur; sed omnia secundum constitutionem antiquam ad Episcopi ordinationem & potestatem pertineant.

CCXIIII. *Vt Episcopi semper prævideant, qualiter iudices cum omnibus sibi commissis agant.*

OPortet ut Episcopi sint semper perspectores, secundum Regis admonitionem, qualiter iudices cum populis agant, & aut ipsos præmonitos corrigant, aut insolentias eorum auditibus Principum innotescant. Quod si correptos emendare nequiverint, & ab Ecclesia, & à communione eos suspendant.

CCXV. *De devotis peccantibus non recipiendis, nisi peccare desierint.*

DEvotam peccantem non recipiendam in Ecclesia, nisi peccare desierit: & si desinens egerit aptam pœnitentiam decem annis, recipiat communionem. Prius autem quam in Ecclesia admittatur ad orationem, ad nullius convivium Christianæ mulieris accedat. Quod si admissa fuerit, etiam hæc quæ eam receperit habebitur absens, corruptorem etiam par pœna constringat. Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad pœnitentiam, nisi adhuc vivente marito ipsa castè vivere cœperit, aut postquam ipse decesserit

CCXVI. *De his qui excommunicantur à sacerdotibus, ut nullus ad eos accedat.*

SI quis laicus per excommunicationem abstinet, ad domum eius clericorum vel religiosorum nullus accedat. Similiter & clericus si abstinet, à clericis devitetur: si quis cum illo colloqui, aut convivari fuerit deprehensus, etiam ipse abstineatur. Sed hoc pertineat ad eos clericos, qui eius sunt Episcopi, & ad omnes qui commoniti fuerint de eo qui abstinet, sive laico quolibet, sive clerico.

CCXVII. *De vagis & levibus sacerdotibus ac clericis quid agendum sit.*

HOc etiam placuit, ut vagus atque instabilis clericus, sive etiam in diaconali ministerio vel presbyteri officio constitus, si Episcopi à quo ordinatus est præceptis non obedierit, ut in delegata sibi Ecclesia officium dependat assiduum, quousque in vitio permanserit, & communione, & honore privteur.

CCXVIII. *De tenendis ad solutionem, qui debitum promittunt.*

SI quis pro alterius debito se pecuniam promiserit redditurum, ad solutionem statutæ promissionis est retinendus.

CCXIX. *De his qui ad vendendum alterius rem accesserint, quid agendum sit.*

SI facto pretio rem vendendam aliquis cuicunque tradiderit, & dum ab eo vendenda profertur, quacunque occasione perierit, ei perit, qui eam dederat distrahendam. Ceterum si rem acceptam non rogante Domino, sed

ſed promittente eo qui accepit, dum vellet venumdare, perdiderit, ſibi rei perditæ ingerit detrimentum.

CCXX. *Vt creditor rem debitoris prius non vendat, quam eum de ſolutione ter conveniat.*

CReditor ſi ſine conditione pignus ſibi depoſitum tenens ter debitorem convenerit, ut ſoluto debito pignora ſua recipiat, & ſibi debitor noluerit poſt tres admonitiones ſoluto debito pignora ſua recipere, creditor diſtrahendi pignoris habebit liberam poteſtatem.

CCXXI. *Vt cum rebaptizatis fideles non communicent.*

CVm rebaptizatis fideles religioſi nec in cibo participent.

CCXXII. *De his qui iubente ſacerdote de Eccleſia exire contemſerint, quid agendum ſit.*

QVi iubente ſacerdote pro quacunque culpa ab Eccleſia exire contempſerint, pro noxa contumaciæ tardius recipiantur ad veniam.

CCXXIII. De *clericis increpationi inobedientibus verberandis.*

CLerici quos increpatio non emendaverit, verberibus coërceantur.

CCXXIIII. De *his qui aliis aliquid debent, & ipſis ab eis aliquid debetur, ut in ſolutionem computentur.*

SI quis debeat alicui ſolidos decem, & illi qui debet de quacunque ratione debeantur à creditore ſuo ſolidi quinque, & veniens creditor totos decem ſolidos à debitore petat, ſi probaverit ille debitor ſibi ab eo quinque ſolidos deberi, qui illum in ſolidum pro totis decem ſolidis convenit, cauſam perdat, qui noluit debitum compenſare. Similis ratio eſt de frumento, vel de aliis ſpeciebus.

CCXXV. De *his qui filiis familias aliquid commendaverint, quid agendum ſit.*

QVi filio familias contra interdicta legum inſcio patre pecuniam commendavit, eam nec vivente nec mortuo patre ab eodem poterit poſtulare.

CCXXVI. De *ſecularibus qui ſuas uxores derelinquunt.*

HI verò ſeculares, qui coniugale conſortium adſque culpa graviore dimittunt, vel etiam dimiſerunt, & nullas cauſas diſſidii probabiliter proponentes, propterea ſua matrimonia dimittunt, ut aut illicita, aut aliena præſumant. Si antequam apud Epiſcopos comprovinciales diſſidii cauſas dixerint, & priuſquam uxores iudicio damnentur abiecerint, & à communione Eccleſiæ & ſancti populi cœtu, pro eo quod fidem & coniugium maculant, excludantur.

CCXXVII. *Vt stipendia clericis iuxta meritum distribuantur.*

CLerici etiam omnes, qui Ecclesiæ fideliter vigilant atque serviunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundum servitii sui meritum, vel ordinationem canonum sacerdotibus consequantur.

CCXXVIII. *De accusatoribus & accusationibus, quas seculi leges non admittunt, à clericorum causis repellendis.*

ACcusationes & accusatores, atque earum negotia, quæ seculares non adsciscunt leges, divina ac synodica funditus à clericis repellere auctoritate censemus. Quia indignum est superioribus, pati ab inferioribus, quæ inferiores ab eis despiciunt.

CCXXIX. *De Episcopo qui alterius parochianum præsumit retinere, vel ordinare, seu iudicare.*

NVllus Episcopus alienum parochianum præsumat retinere, aut ordinare, vel iudicare, absque proprii Episcopi voluntate. Quia sicut irrita erit eius ordinatio, ita & diiudicatio. Quoniam censemus nullum alterius iudicis nisi sui, sententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec iudicare ullatenus poterit.

CCXXX. *De peregrinis iudiciis non recipiendis.*

PEregrina iudicia generali sanctione prohibemus. Quia indignum est ut ab externis iudicetur, qui provinciales & à se electos debet habere iudices.

CCXXXI. *De pœnitentibus qualiter pœnitentiam debeant accipere.*

POenitentes tempore, quo pœnitentiam petunt, impositionem manus & cilicium à sacerdote consequantur. Et si aut comas non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abiiciantur, & nisi dignè pœnituerint, non recipiantur. Iuvenibus etiam non facile pœnitentia committenda est, propter ætatis fragilitatem: viaticum tamen omnibus in morte positis non denegandum.

CCXXXII. *De his qui alienam pecuniam sibi commodatam adtrectare præsumunt.*

SI quis sacculum vel argentum signatum deposuerit, & is penes quem depositum fuit, illud invito eo contrectaverit, & depositi & furti actio in eum competit.

CCXXXIII. *De creditore, qui debitore tardante ad solutionem, pignus quod penes se retinet vendiderit, quod amplius acceptum est, debitori reddendum.*

SI quis creditor debitore in solutionem tardante rem sibi pro debito positam distraxerit, si quid amplius acceptum fuerit, quam quod debebatur, quod plus acceptum est, restituatur debitori.

CCXXXIIII. *Vt*

CCXXXIIII. *Vt Episcopus ultra suam provinciam ad iudicium minime devocetur, nisi fuerit provocatum: sed ab omnibus suis comprovincialibus Episcopis infra suam provinciam audiatur.*

NVllus Episcopus extra suam provinciam ad iudicium devocetur, sed vocato eo canonice in loco omnibus congruo, tempore synodali, ab omnibus comprovincialibus Episcopis audiatur, qui concordem super eum canonicamque proferre debent sententiam; quia si hoc minoribus tam clericis quam laicis concessum est, quanto magis de Episcopis servare convenit? Nam si ipse metropolitanum aut iudices suspectos habuerit, aut infestos senserit, apud primatem dioeceseos, aut apud Romanæ sedis Pontificem iudicetur.

CCXXXV. *De Episcopis qui ad Romanum appellant Pontificem.*

PLacuit, ut si Episcopus accusatus appellaverit ad Romanum Pontificem, id statuendum quod ipse censuerit.

CCXXXVI. *De presbyteris qui in suis parochiis aliquid paganismi agere permittunt: & de agris in quibus hæc acta esse noscuntur, quid agendum sit.*

SI in alicuius presbyteri parochia infideles aut faculas accenderint, aut arbores, aut fontes, aut saxa venerantur, si hoc eruere neglexerit, sacrilegii reum se esse cognoscat. Dominus aut ordinator rei ipsius, si admonitus hoc emendare noluerit, communione privetur.

CCXXXVII. *De pœnitentibus quæ defunctis viris aliis nubere præsumunt.*

POenitens quæ defuncto viro alio nubere præsumpserit, & quæ vel suspecta vel interdicta familiaritate cum extraneo convixerit, cum eodem ab Ecclesiæ liminibus arceatur. Hæc etiam & de viro in pœnitentia posito placuit observari.

CCXXXVIII. *De his qui rem alterius vendendam acceperint, si eam minus vendiderint, pretium quod ei mandatum fuerat, solvere cogantur.*

SI quis cuilibet mandet, ut rem suam decem solidis vendat, & ille eam octo vendiderit, pretium quod ei mandatum est, quidquid minus ab emptore percepit, mandatori compleri compellitur: venditio tamen rescindi non potest.

CCXXXIX. *De eo qui servum bona fide comparaverit, si servus ex priori vitio fugerit, quid agendum sit.*

SErvus bona fide comparatus, si ex veteri vitio fugerit, non tantum precium dominus, sed & ea quæ perfugam abstulit, reddere cogetur.

CCXL. *De his qui indiscussos potestate tyrannica damnare præsumunt: & de Episcopis vel sacerdotibus, quod non debeant ab illis iudicari, nisi & à quibus ordinari.*

SVnt nonnulli, qui indiscussos potestate tyrannica non canonica auctoritate damnant: & sicut nonnullos gratia favoris sublimant, ita quosdam odio invidiaque permoti humiliant, & levi opinionis aura condemnant, quorum crimina non approbant. Ideoque communi decreto censemus, ut quandocunque aliquis Episcoporum criminatur, congregatis omnibus eiusdem provinciæ Episcopis causa eius audiatur, ut non occultè iudicetur vel damnetur: quia ab aliis iudicari prius non potest, nisi ab his, à quibus ordinari potuit. Quod si aliter factum fuerit, nullas vires habebit.

CCXLI. *De his qui habent causas adversus Episcopos proprios, vel adversus alios, apud synodum provinciæ audiendis, exceptis his qui adversus suum metropolitanum querelam habuerint.*

SI clericus vel laicus habuerit causam adversus Episcopum proprium, vel adversus alterum, aut Episcopus adversus quemquam, apud synodum provinciæ iudicetur. Quod si adversus eiusdem provinciæ Metropolitanum Episcopus vel clericus habuerit querelam, petat primatem diœceseos, & apud ipsum iudicetur, aut apud sedem Apostolicam.

CCXLII. *De ore eorum in accusatione vel testimonio obstruendo, qui divinis vocibus mortui esse noscuntur.*

PLacuit eorum accusandi sacerdotes & testificandi in eos vocem obstruere, quos non humanis, sed divinis vocibus mortuos esse scimus: quia vocem funestam potius intercidi, quam audiri oportet.

CCXLIII. *De non negenda appellatione accusati.*

PLacuit ut accusato si iudices suspectos habuerit, liceat appellare: quia non oportet negare audientiam roganti.

CCXLIIII. *Quòd reis qui de se confessi sunt, super alios non sit credendum.*

NOn est credendum contra alios eorum confessioni, qui criminibus implicantur, nisi se prius probaverint innocentes: quia periculosa est & admitti non debet rei adversus quemcunque professio.

CCXLV. *De pervasoribus finium priusquam causa iudicio terminetur.*

SI quis pervasor finium fuerit approbatus, eo quod priusquam aliquid iudicio terminetur, id quod alter tenuerat invasisset, non solùm illud quod malè præsumpserit, amittat; sed ut non unus qui rem alienam occupet, cum fuerit in causa convictus pervasor iuris alieni, tantum spatii restituat, quantum præsumpserit invadere.

CCXLVI. *De*

CCXLVI. *De his qui contra voluntatem defuncti faciunt, ut perdant hereditatem.*

OMnibus qui contra voluntatem defuncti faciunt, ut indignis auferatur hereditas.

CCXLVII. *De his quibus per testamentum aliquid delegatum est, quod nihil contra voluntatem defuncti liceat agere.*

QVi per testamentum sibi aliquid derelictum acceperit, & vindicaverit, & voluerit contra voluntatem defuncti agere, licentiam penitus non habebit.

CCXLVIII. *Quòd voluntas defuncti ab heredibus in omnibus sit peragenda.*

NVlli quidem de bonis usurpandis virorum, nec dividendis contra bonos mores concessa licentia est: sed præcipiente patre, divisionem ab eo factam durare, si modo usque ad extremum eius vivendi spatium voluntas eadem perseverasse doceatur.

CCXLIX. *De filiis qui patrem læserint donationibus carendis.*

SI quis filius donatione patris aliquid fuerit consecutus, & eum postmodum læserit, probata in iudicio læsionis causa, donationem pater (si voluerit) in integrum revocet.

CCL. *De donatione in filio à patre facta, si ab eo læsus fuerit, revocanda.*

DOnatio in filio à patre facta, si læsum se pater esse probaverit, revocetur.

CCLI. *Quòd omnibus, qui lite pulsati fuerint, non alibi quàm in proprio foro iurgandum sit.*

CLericus vel laicus si crimine aut lite pulsatus fuerit, non aliubi quàm in foro suo vocatus audiatur.

CCLII. *Vt adpellantes nulla arceantur detentione.*

APpellantem non debet afflictio ulla, aut carceris aut detentionis iniuriare custodia; sed liceat appellatori vitiatam causam appellationis remedio sublevare.

CCLIII. *De his qui contempto fideiussore ad solutionem potius debitorem delegerint.*

SI quis contempto fideiussore, debitorem suum tenere maluerit, fideiussor vel heres eius à fideiussionis vinculo liberatur. Si verò procurator litis victus fuerit, mandator eius ad solutionem teneatur.

CCLIIII. *Quòd liberi homines statum suum & deteriorare & immeliore poßint.*

HOmo liber, qui statum suum in potestate habet, & peiorare eum, & meliorem facere potest, atque ideo operas suas diurnas nocturnasq; locat.

CCLV. *De concubinis non habendis.*

QVi uxorem habet, eo tempore concubinam habere non potest, ne ab uxore eum dilectio separet concubinæ.

CCLVI. *De monachis, qui monasteria sua contemnunt, ab Episcopo revocandis.*

ILlud etiam unanimi consensu convenit observari, ut si qui monachorum in congregatione positi, religiosam conversationem elegerint, & postea aut ad parentes aut quamcunque proprietatem se de congregatione ipsa subtraxerint, & ab Episcopo suo per epistolam admoniti ad septa monasterii sui redire distulerint, sint usque ad exitum vitæ à communione suspensi, nec prius ad Eucharistiæ gratiam admittantur, quam ad ovile suum, de quo se vagationis insolentia visi sunt subtraxisse, cum humillima supplicatione debeant & satisfactione reverti.

CCLVII. *De fœminis quæ religionis vestem in domibus propriis mutaverint, si postea concubitum elegerint, quid agendum sit.*

DE viduis & puellis quæ habitum religionis in domibus propriis, tam à parentibus, quam per se, & vestem mutaverint, & se postea contra instituta patrum, vel præcepta canonum, coniugio crediderint copulandas, tamdiu utrique habeantur à communione suspensi, quousque quod illicitè perpetraverint, emendent. Quod si emendare neglexerint, à communione vel omnium Christianorum convivio in perpetuo sint sequestrati.

CCLVIII. *Quot quatuor personæ iudiciis semper adesse debeant.*

QVot personæ solent in iudiciis esse? quatuor. Accusator causæ, defensor causæ, testes, & iudex. Quo quisque utitur officio? Iudex æquitate: testes veritate: accusator intentione, ad amplificandum causam: defensor extenuatione, ad minuendam causam. Sæpe enim fit causa ratiocinationis, aut metu, aut gloria, aut pecunia, id est, aut commodi aliquid appetendi, vel incommodi aliquid vitandi.

CCLIX. *Quòd non solùm qui furtum fecerint, sed & qui ad hoc perficiendum adiutorium aut consilium dederint, furti actione sint tenendi.*

NOn tantum qui furtum fecerit, sed etiam is, cuius opera & consilio furtum factum fuerit, furti actione tenebitur.

CCLX. *Qui sint agnati, & qui sint cognati.*

AGnati sunt, qui per virilem sexum descendunt: cognati autem, qui per fœmineum. Et ideo patrui, vel patruorum filii, & agnati sunt, & cognati. Avunculi verò, & avunculorum filii, cognati sunt, non agnati.

CCLXI. *De*

CCLXI. *De his qui se metu aut terrore servos esse mentiti sunt.*

QVi metu & impressione alicuius terroris apud acta præsidis servum se esse mentitus est, postea statum suum defendenti non præiudicat.

CCLXII. *De his qui domos effregerint, vel villas expoliaverint aut expugnaverint, vel rapinas fecerint, quid agendum sit.*

HI qui ædes aliquas villasque expoliaverint, effregerint, expugnaverint, siquidem id turba cum telis coacta fecerint, capite puniantur. Telorum autem appellatione, omnia ex quibus saluti hominis noceri possit, accipiuntur.

CCLXIII. *De his qui latrones vel reliquos malefactores susceperint*

REceptores aggressorum, itemque latronnm, eâdem pœnâ afficiuntur, quâ ipsi latrones; sublatis enim susceptoribus, grassantium cupido conquiescit.

CCLXIIII. *De his qui incendium fecerint.*

SI aliquis malitiæ studio incendium miserit, de hoc crimine convictus pœnis gravissimis iubetur interfici. Quod si per neglegentiam factum incendium probatur, damnum quod cuicunque illatum fuerit, res quæ incendio perierit, dupli satisfactione sarciatur.

CCLXV. *De non valendis constitutionibus, contra canones vel decreta præsulum, aut bonos mores conditis.*

COnstitutiones contra canones, & decreta præsulum Romanorum, seu reliquorum Pontificum, vel bonos mores, nullius sint momenti.

CCLXVI. *Vt non constringat clericum sententia non à suo iudice dicta.*

IN clericorum causa huiusmodi forma servetur, ut ne quemquam eorum sententia non à suo iudice dicta constringat.

CCLXVII. *De comprovinciali synodo retractanda per vicarios urbis Romæ Episcopi.*

VT comprovincialis synodus retractetur per vicarios urbis Romæ Episcopi, si ipse decreverit.

CCLXVIII. *Vt nullus Episcopum aut actores Ecclesiæ apud alios prius accuset, quàm eum familiariter conveniat, atque ab eo familiarem iustitiam petat.*

SI quis adversus Episcopum causam habuerit, non prius alios Episcopos vel alios iudices adeat, ut eum accuset, quàm familiariter ei suam indicet querelam, & ab eo aut iustam emendationem, aut rationabilem percipiat excusationem. Ipsa nos instruente veritate: *Si peccaverit in te*

frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te non audierit, adbibe duos vel tres tecum: & si vocem non audierit, dic Ecclesiæ, id est, accusa eum publicè tunc, & non prius. Et reliqua.

CCLXIX. De *infamibus vel sacrilegis, quòd religiosos accusare non possunt.*

NVlli infami atque sacrilego de quocunque negotio liceat quandoque adversus religiosum Christianum, quamvis humilis aut servilis persona sit, testimonium dicere, nec de quacunque re, actione vel inscriptione Christianum impetere.

CCLXX. *Quòd hi qui pro iniuria medioeri damna subire compelluntur, infames efficiantur.*

QVi pro iniuria mediocri æstimatæ iniuriæ damna subire compellitur, quamvis civiliter videatur addictus, tamen infamis efficitur.

CCLXXI. De *absentibus non damnandis.*

IN causa capitali absens nemo damnetur, neque absens per alium accusare aut accusari potest.

CCLXXII. *Vt hi qui res alienas violenter occupant, quidquid ibi perditum vel alienatum fuerit, eos quibus competebant pleniter restaurent.*

SI ex rebus quas violenter aliquis occupavit, quælibet sub quacunque occasione perierint, aut arserint, vel servi violenter occupati mortui fuerint, quamlibet fraude illius qui occupavit, id quod perit, factum non videatur, tamen ab ipso quæcunque perierint, reddenda sunt, qui rem iuris alicui violenter visus est occupasse.

CCLXXIII. De *his qui cum pecoribus coitu mixti sunt, aut more pecorum usque affinitatis lineam cum consanguineis incestum commiserunt, sive cum masculis concubuerunt.*

IN hoc titulo Græca verba posita sunt, περὶ τῶν ἀλογευομένων, quod nos Latinè possumus dicere, *de his qui irrationabiliter versati sunt sive versantur.* In qua sententia sensus triplex est. Id est, de his qui cum pecoribus coitu mixti sunt, aut more pecorum cum consanguineis usque affinitatis lineam incestum commiserunt, aut cum masculis concubuerunt. Quisquis autem ex his unum egerit, aut capite puniatur, aut si ei vita concessa fuerit, iuxta Ancyrani concilii sententiam, quæ in cap. xv. & xvi. continetur, pœnitentiam veraciter agat.

CCLXXIIII. *Quòd in causa capitali, vel in causa status, non per advocatos, sed per ipsos sit agendum.*

SI quando in causa capitali, vel in causa status, interpellatum fuerit, non per procuratores, sed per ipsos est agendum.

CCLXXV. *Vt*

CCLXXV. *Vt Metropolitani Episcoporum comprovincialium causas non præsumant audire, nisi præsentes omnes fuerint Episcopi comprovinciales.*

SI quis Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parochiam, sine consilio & voluntate omnium comprovincialium Episcoporum extra aliquid tentaverit, gradus sui periculo subiacebit, & quod egerit irritum habeatur & vacuum. Sed quidquid de provincialium coëpiscoporum causis, suarumque Ecclesiarum & clericorum atque secularium necessitatibus agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omnium consensu comprovincialium agatur Pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humilima & concordi administratione, sicut Dominus ait: *Non veni ministrari, sed ministrare.* Et alibi: *Qui maior est vestrum, erit minister vester.* & reliqua. Similiter & ipsi comprovinciales Episcopi cum eius consilio, nisi quantum ad proprias pertinet parochias, agant iuxta sanctorum constituta patrum, ut uno animo, uno ore, concorditer sancta glorificetur Trinitas in secula.

CCLXXVI. *Vt reprehensio qua laici arguuntur, à clericis respuatur.*

NOtum sit omnibus, quia quod in laicis reprenditur, id multo magis debet in clericis prædamnari.

CCLXXVII. De *delatoribus quid agendum sit, vel qui sint delatores.*

DElatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur. Delatores autem sunt, qui invidia produnt alios.

CCLXXVIII. De *his qui in alterius famam, aut scripturam aut verba contumeliosa confinxerint.*

QVi in alterius famam publicè scripturam aut verba contumeliosa confinxerit, & repertus scripta non probaverit, flagelletur. Et qui ea prius invenerit, rumpat, si non vult auctoris facti causam incurrere.

CCLXXIX. De *his qui unam rem duobus dominis donaverint.*

SI aliquis unam rem duobus per legitimas scripturas donaverit, uni prius & alteri postea, non quærendus est in his donationibus, qui primus, qui posterior sit; sed qui rem tradente donatore possederit, is eam cui est tradita, possidebit: nec interest utrum in parentes, an in extraneos talis sit facta donatio.

CCLXXX. De *servis in caput domini à quoquam non interrogandis.*

SErvi in caput domini, neque à præside, neque à procuratore, tam in pecuniariis, quam in capitalibus causis interrogari possunt.

CCLXXXI. De *his qui irati crimen aliquod cuilibet dixerint, si postea resipiscentes hoc perficere noluerint, quid agendum sit.*

SI quis iratus crimen aliquod cuilibet temerè obiecerit, convicium non est pro accusatione habendum, sed permisso tractandi spatio, id quod iratus dixerit, per scripturam se probaturum esse fateatur: aut si fortasse resipiscens post iracundiam iterare ac scribere noluerit, non ut reus criminis teneatur.

CCLXXXII. *Vt hi qui crimen obiecerint, scribant se probaturos: & ut ibi causa agatur, ubi crimen admissum esse dignoscitur.*

QVi crimen obiicit, scribat se probaturum revera, & ibi causa agatur, ubi crimen admittitur; ut qui non probarit quod obiecit, pœnam quam intulerit, ipse patiatur.

CCLXXXIII. *De his, qui ante alterius iudicem fuerint pulsati, quid agendum sit.*

PVlsatus ante suum iudicem causam dicat: & non ante suum iudicem pulsatus, si voluerit taceat: & ut pulsato quotiēs appellaverit, induciæ dentur.

CCLXXXIIII. De *his qui famosos libellos legere, aut cantica famosa cantare præsumunt.*

HI qui inventi fuerint libros famosos legere vel cantare, excommunicentur.

CCLXXXV. De *his qui divinos vel mathematicos consulere præsumunt.*

QVi de salute Principis vel summa reipublicæ mathematicos, ariolos, aruspices, vaticinatores consulit, cum eo qui responderit, capite puniatur.

CCLXXXVI. De *auctoribus vel concitatoribus seditionum vel tumultuum.*

AVctores seditionis & tumultus, vel concitatores populi, pro qualitate dignitatis aut in crucem tollantur, aut bestiis obiiciantur, aut in insulam deportentur.

CCLXXXVII. De *periculo iudicantium, & providentia eorum.*

MAius periculum est iudicantis, quam eius qui iudicatur: unde unicuique providendum est, ne aliquem iniustè iudicet aut puniat.

CCLXXXVIII. De *accusatione adversus doctorem submovenda.*

ACcusationes adversus doctorem nemo suscipiat: quia non potest humano condemnari examine, quem Deus suo reservavit iudicio.

CCLXXXIX.

CCLXXXIX. *Quòd hi qui adversus patres armantur, Deo existant odiosi.*

SIc ōdit Deus eos, qui adversus patres armantur, ut patrum invasores, qui in omni mundo infamia notantur.

CCXC. *Qualiter decimæ & oblationes fidelium à sacerdotibus sint dispensandæ.*

INstruendi sunt presbyteri pariterque admonendi, quatenus noverint decimas & oblationes, quas à fidelibus accipiunt, pauperum & hospitum & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis, sed quasi commendatis uti debere: de quibus omnibus sciant rationem se reddituros in conspectu divinæ maiestatis, & nisi eas fideliter pauperibus, & his quibus permissum est administraverint, condemnationem patiendos. Qualiter verò dispensari debeant, canones sacri instituunt. Scilicet ut quatuor partes ex omnibus fiant, una ad fabricam Ecclesiæ relevandam, altera pauperibus distribuenda, tertia presbytero cum suis clericis habenda, quarta Episcopo reservanda: & quidquid exinde Pontifex iusserit, prudenti consilio est faciendum.

CCXCI. *Quòd fœminæ cum presbyteris vel reliquis clericis non debeant habitare, nec eis ministrare, nec infra cancellos stare, neque ad altare accedere.*

INhibendum & modis omnibus tenendum est, ut nullus sacerdos eas personas fœminarum, sicut in canonibus insertum continetur, de quibus suspitio potest esse, in domo sua habeat: & non solum illas, sed neque eas quas antiqni Canones concedunt, quia instigante diabolo etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedisequis earum. Nam si qua de his habuerit talem necessitatem, cui sit necessaria sustentatio presbyteri, habeat in villa aut in vico domum longè à presbyteri conversatione, & ibi ei subministret, quæ necessaria sunt. Sed & hoc secundum auctoritatem Canonum modis omnibus prohibendum, ut nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut presbytero ministrare, vel infra cancellum stare aut sedere.

CCXCII. *Vt incesti à sacerdotibus per veraces & Deo timentes homines fideliter perquirantur, & canonicè puniantur.*

DE incestis omni studio perquirendum est sacerdotibus per homines veraces, & timorem Dei ante oculos habentes: & si reperti fuerint, statim aut per se emendare studeāt, aut cum adiutorio archidiaconi sui vel Episcopi hoc ipsum extirpare satagant, ne tanto flagitio & scelere & illi polluantur & pereant, & alii in eorum vicinitate omnipotentis Dei iram incurrant.

CCXCIII. *Vt presbyteri & reliqui clerici ab omnibus vitiis se caveant, & subiectos sibi fideliter instruant, atque bonis operibus omnibus ducatum præbeant.*

ADmonendi sunt clerici & instruendi, ut primum ipsi ab omni fornicatione & immunditia, & luxuria, & ab omni pollutione carnis sint alieni, &

tunc plebem sibi subiectam & verbis prædicent, & exempla ostendant: ut à fornicatione & ab omni irrationabili, veluti pecudum luxuria & pollutione abstineant, & mundo se corpore & mente Deo præparent.

CCXCIIII. *De confessionibus fidelium accipiendis & diiudicandis, & consiliis dandis, qualiter pro modulo & quantitate peccati sit pœnitentia.*

QVærendum namque est sacerdoti, cum accipit cuiuslibet fidelis confessionem peccatorum, qualiter primo peccatum perpetratum, aut si postea iteratum, aut frequenter actum sit, si sponte, si coactè, si per ebrietatem, aut per quodlibet ingenium factum sit, & cum viderit vnde radix illius peccati processit, tunc congruam adhibeat medicinam. Qualis verò peccati adhibenda sit medicina, secundum canonum authenticorum sanctorum patrum esse debet, & non secundum placitum hominis, sed secundum Dei voluntatem: nec in hac parte voluntas aut gratia hominis sequenda est, sed voluntas Dei in omnibus exquirenda: quatenus dignis precibus, ut pœnitudine digna placari possit omnipotentis Dei vindicta, omnes concurrant, quam suo vitio provocavit.

CCXCV. *De his qui prius non habentes odium, sed se defendentes, aliquem occiderint, qualiter corrigenda sit temporis institutio.*

SI quis quietè gradiens per viam, aut si etiam in domo sua fuerit, aut in platea civitatis, aut villa, subito aut ab alio superventus, aut litis commotione volens se defendere, non habens contra illum antea odium, interfecerit hominem, septem annis secundum canonicam institutionem pœniteat, tres verò communione privetur, quatuor autem in communione orationum & oblationum susceptus, in sacerdotis pendeat arbitrio, utrum dignus sit corpus Christi accipere, aut usque ad plenitudinem pœnitentiæ ab eo separari. Abstinentia ciborum in providentia sacerdotis erit, secundum possibilitatem pœnitentis, & devotionis afflictum & lacrymarum.

CCXCVI. *De muliere, quæ duobus fratribus nupserit, & de viro eius.*

MVlier quæ duobus fratribus nupserit, abiici debet usque ad diem mortis, sed propter humanitatem, in extremis suis sacramentis reconciliari oportet: ita tamen ut prius solvatur coniugium & maneat innupta, & vir eius absque uxore simili pœnitentiæ sit subditus. Quòd si duo fratres cum una fœmina fornicati fuerint, nescientes alter alterius fornicationem, statim ut cognoverint adulterium, qui eam habet uxorem, dimittat. Et ille quidem post actam pœnitentiam, si uxor defuncta fuerit potest alteri sociari: illa vivente, nequaquam. Illa verò nunquam ulterius poterit in coniugium assumi: sed iugi pœnitentiæ submissa, ad extremum vitæ communionis gratiam percipiat.

CCXCVII. De

CCXCVII. *De mulieribus & viris infantes opprimentibus quid agendum sit.*

MVlier quæ dormiens filium suum oppresserit, & mortuus fuerit, sex annis pœniteat. Vir eius, si in domo illius fuerit, quatuor. Si verò in uno lecto, simili modo pœniteat, duos in pane & aqua, reliquos quatuor, secundum quod sacerdos illos viderit posse, abstinentiam imponat ciborum.

CCXCVIII. *De muliere quæ adulteravit virum suum: similiter & de viro, qui uxorem suam adulteravit, qualiter de ambobus agendum sit.*

MVlier habens virum, si adulterium perpetraverit, & occultè ad confessionem venerit, septem annos pœniteat, tres in pane & aqua, ceteros quatuor in providentia erit sacerdotis, qualiter eam viderit posse: & ita ei ciborum abstinentia imponatur. Similiter & vir habens uxorem, si adulterium perpetraverit, faciat, id est, per triennium non communicet. Si cuius uxor adulterium perpetraverit, & hoc à viro deprehensum fuerit & publicatum, dimittat uxorem si voluerit, propter fornicationem. Illa verò, secundum quod superius insertum est, publicè agat pœnitentiam: vir verò eius, illa vivente, nullatenus habebit licentiam aliam ducere uxorem. Quod si voluerit post adulterium sibi reconciliari, licentiam habeat: ita tamen ut pariter cum illa pœnitentiam agat, & exacta pœnitentia, ad communionis gratiam, sicut superius continetur insertum, utrique accedant. Similis forma & in muliere servabitur. Si eam vir eius adulteraverit, habet potestatem dimittendi virum propter fornicationem: maneat tamen innupta, quamdiu vir eius vixerit. Quia nec ille habet potestatem aliam accipere prima vivente, nec illa, primo: habent tamen potestatem semetipsos reconciliare.

CCXCIX. *Vt ad confirmationem Episcopi omnes devotè conveniant, eiq; quæ necessaria sunt, ministrare non negligant.*

PRæcipimus ut ad accipiendum per manus Pontificis impositionem Spiritus sancti donum, sollicite & devote omnes concurrant, & Episcopo suo ea quæ necessaria sunt, fideliter ministrent, eique ab omnibus per omnia obediatur.

CCC. *De parvulorum instructione, tam fidei & baptismatis ministerio, quàm sancti Spiritus dono.*

SCiendum est omnibus, quòd parvuli instituendi sint cum ad intelligibilem ætatem venerint, & fidei sacramento, & baptismatis mysterio, & septiformis gratiæ sancti Spiritus dono.

CCCI. *De frequenti peccatorum confessione.*

NOtum esse omnibus volumus, quòd confessio peccatorum, excepta ea quæ sacerdotibus ad consilium accipiendum Deumque placandum fit, Deo frequenter in oratione sit facienda.

CCCII. *De manifestatione alienorum peccatorum: & quod ea cœlare peccatum sit.*

OMnibus fidelibus notum fore desideramus, quod quorundam peccatorum alienorum conscii, nisi ea emendationis & salutis causa prodiderint, delinquant. Unde scriptum est: *Nihil prodest illi suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti.* Et alibi: *Non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus rei sunt.*

CCCIII. *Quòd gravius delinquunt qui fidem perceperunt, quàm alii si tamen in bono opere persistant.*

SCiendum est omnibus, & sine oblivione retinendum, quòd gravius puniantur qui fidem Christi perceperunt, & in malis vitam finierunt, quàm illi qui sine fide mortui sunt, & tamen bona egerunt opera: quoniam melius est fidem non percipere, quàm post eius perceptionem retrorsum abire.

CCCIIII. *De coniugio, quòd à Deo sit institutum.*

NOtum sit omnibus quòd coniugium à Deo sit constitutum, & non sit appetendum causa luxuriæ, sed procreatione filiorum, & quòd bonorum coniugatorum vita per Iob sit designata.

CCCV. *De castitate eorum qui coniugio sunt copulandi.*

SCiendum est omnibus, & firmiter retinendum, quod hi qui uxores ducere voluerint, sicut eas castas & incorruptas cupiunt invenire, sic ad eas casti & incorrupti debent accedere, easque cum benedictione sacerdotis, sicut in Sacramentario continetur, accipere; sed prius eas dotali titulo debent conligare.

CCCVI. *Ut omnes à maiore usque ad minorem suis sacerdotibus sicut ipsi Domino obedientes existant, cuius vice legationem in Ecclesia funguntur, ex Capitulis domni Karoli in Theodonis villa firmatis.*

VOlumus atque præcipimus, ut omnes suis sacerdotibus, tam maioris ordinis, quàm & inferioris, à minimo usque ad maximum, ut summo Deo, cuius vice in Ecclesia legatione funguntur, obedientes existant. Nam nullo pacto agnoscere possumus qualiter nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles, & suis sacerdotibus inobedientes apparuerint: aut qualiter nobis obedientes, nostrisque ministris ac legatis obtemperantes erunt, qui illis in Dei causis & Ecclesiarum utilitatibus non obtemperant. Potius namque, iuxta veritatis vocem, ille metuendus est, qui potest animam & corpus perdere in gehennam, quam ille qui corpus torquere, & honores temporales potest auferre. De illis dictum est: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Et alibi: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Et rursus: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, melius est illi ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Et iterum: *Qui vos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Et multa alia horumque similia.

His

His ergo fulti oraculis, iubemus ut omnes eis pro viribus ad eorum peragenda ministeria, & ad malos & peccatores atque negligentes homines distringendos summopere obedientes existant. Qui autem in his (quod absit) aut negligentes, eisque inobedientes fuerint inventi, sciant se nec in nostro imperio honores retinere, licet etiam filii nostri fuerint, nec in palatio locum, neque nobiscum aut cum nostris societatem aut communionem ullam habere: sed magis sub magna districtione & ariditate pœnas luere. In his namque omnium nostrorum fidelium volumus agnoscere fidem, ac benevolentiam: quoniam si hæc fideliter & utiliter impleverint, tunc Deo & nobis fideles erunt. Si autem (quod absit) secus egerint, tunc non solum infideles, sed etiam infames atque reprobi manifestè apparentes notabuntur, eorumque domus publicabuntur, & ipsi exiliabuntur.

CCCVII. De *infantum baptismo, & Ecclesiarum vel altarium, seu fidelium consignandorum dubitatione, quid agendum sit.*

PLacuit ut infantes, quando non inveniuntur certissimi testes, qui eos sine dubitatione baptizatos esse testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei, de traditis sibi sacramentis respondere, absque ullo scupulo legitimo baptizari. Similiter & de Ecclesiis vel altaribus, atque de consignandis fidelibus, quotiens super his dubitatur, agendum est: id est, ut sine ulla trepidatione consecrentur, & fideles confirmentur. Quoniam quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum.

CCCVIII. De *advocatis vel defensoribus Ecclesiarum à Principe postulandis.*

PRo Ecclesiarum causis ac necessitatibus earum, atque servorum Dei, executores vel advocati seu defensores, quotiens necessitas ingruerit, à Principe postulentur, & ab eo fideliter atque libenter iuxta canonicas sanctiones fidelissimi dentur.

CCCIX. *Vt ubi quisque ordinatus, ibi pertineat.*

CLerici cuiuslibet gradus, in quibuscunque locis ordinati fuerint ministri, ad eadem loca pertineant, atque in ipsis locis perseverent.

CCCX. De *presbyteris & ministris Ecclesiæ, ut à suis & non ab aliis Episcopis chrisma petant vel accipiant: & de chorepiscoporum cassanda superstitione.*

IN singulis Episcoporum parochiis presbyteri eorumq; ministri non à quibuslibet Episcopis, sed à suis propriis chrisma petant vel accipiant: nec alio unquam tempore, iuxta sanctos canones, vel secundum morem Romanum, nisi in cœna Domini sanctum chrisma cõficiatur. Quibus etiam diebus presbyteris vel eorum ministris canonicè dispensandum est, sed non aliis tradendum nisi solũmodo presbyteris vel diaconis aut subdiaconis bene fidelibus.

Indignum enim est, ut alii illud suscipiant, nisi illi qui hoc in tradendo usuri sunt. Similiter & hoc statutum est, ut à chorepiscopis, qui iuxta sanctorum canonum decreta locum LXX. discipulorum, id est presbyterorum tenent, vel ab ipsis presbyteris, nec virginum consecratio, nec sancti Spiritus traditio, nec Ecclesiarum vel altarium consecratio, vel illa quæ solis Episcopis debentur, fiant. Nam si à duobus Episcopis Episcopus non potest consecrari, quomodo ille Episcopus erit, aut aliquid de Episcopali ministerio, nisi quantum presbyter, cuius locum in Ecclesia tenet, agere poterit? Omnia ergo quæ isti præsumptuosi de Episcopali ministerio egerint, irrita esse comprobantur, & effectu carere: atque per omnia tam Apostolica sede, quàm & omnium Episcoporum decreto irrita esse, & potius nocumenta quàm aliqua adiumenta sunt iudicata, ac sæpius interdicta. Ideoque ne fiant omnino sub anathematis vinculo interdicimus, atque qui ab eis sunt polluti, potius quam sanctificari, in meliorem statum canonicè, id est, à tribus ordinatis Episcopis ut reformentur iubemus; quia hæc reformatio non est iteratio, sed Ecclesiastica & canonica perfectio.

CCCXI. *De his qui rapiunt fœminas, ut eas non habeant uxores: & qualiter de raptu agendum sit.*

PLacuit ut hi qui rapiunt fœminas, vel furantur aut seducunt, ut eas nullatenus habeant uxores, quamvis eis postmodum conveniat, aut eas dotaverint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint. Si quis autem uxorem habere voluerit, canonicè & legaliter eam accipiat, & non rapiat: qui verò eam rapuerit, vel furatus fuerit, aut seduxerit, nunquam eam uxorem habeat, sed propinquis suis eam legibus reddat, & in triplo plenum bannum dominicum componat, & insuper canonicè publicam pœnitentiam gerat. Ad quod omnes una voce clamaverunt dicentes, Ista omnes firmiter tenere volumus, & in perpetuum ab omnibus conservari optamus.

CCCXII. *Quòd in omnibus locis Deus orandus sit, & non in aliis, quàm in Deo dicatis ab Episcopis locis Missa sit celebranda.*

SCiendum est omnibus, quod in aliis competentibus locis, si locus basilicæ procul fuerit, oratio ad Deum, & confessio peccatorum fieri debeat & possit. Missarum verò celebratio non nisi in locis ab Episcopis Deo dicatis, excepto tempore hostilitatis, & hoc non nisi in altaribus, & tabernaculis ab Episcopis Deo dicatis, ullatenus ritè fieri possit aut debeat.

CCCXIII. *De secularibus qui Episcopis suis inobedientes existunt, & ad emendationem sui tardant venire, quid agendum sit.*

SI quis secularium tam maioris ordinis, quàm & inferioris, peccatum egerit, & vocatus sui Episcopi auctoritate, ad emendationem ac pœnitētiam venire distulerit, tamdiu sit ab Ecclesia extorris, & à catholicorum consortio sequestratus, quousq; quod illicitè commisit, emendet, ac reatum suum usque ad satisfactionem canonicè diluat, atque reconciliatione proprii Episco-

Episcopi divinis precibus indulgentiam consequatur & veniam, Ecclesiæque gremio, à cuius utero deviaverat, peracta satisfactione ab eodem emendatus Episcopo canonicè reddatur.

CCCXIIII. *De clericis, ut non utantur armis vel sagis.*

VT clerici pampis, aut tzangis, vel armis non utantur.

CCCXV. *Vt ea quæ Episcopus in sua diœcesi corrigere non valet, ad alios referat præsules, vel si necesse fuerit, Regi intimet.*

VT ea quæ in sua diœcesi Episcopus per se suosque corrigere vel emendare nequiverit, coram reliquis Episcopis ad corrigendum insinuet, vel Regi indicare non tardet: ut qui Ecclesiasticis regulis inobediens apparuerit, per potestates exteras corrigatur.

CCCXVI. *De his qui Deo famulantur, si in baratrum fornicationis inciderint, qualiter corrigendi sint.*

STatuimus ut quisquis servorum Dei, vel ancillarum Christi, in crimen fornicationis lapsus fuerit, quòd in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua: & si ordinatus presbyter sit, duos annos in carcere permaneat, & ante flagellatus & scorticatus videatur, & post Episcopus adaugeat. Si autem clericus vel monachus in hoc peccatum inciderit, post tertiam verberationem in carcerem missus vertentem annum ibi pœnitentiam agat. Similiter & nonnanes velatæ eâdem pœnitentiâ teneantur, & radantur omnes capilli capitis eius.

CCCXVII. *De his qui à paganis baptizati fuerint.*

PRæcipimus ut qui à paganis baptizati sunt, denuo à Christi sacerdotibus in nomine sanctæ Trinitatis baptizentur, & postea ab Episcopis chrismentur; quia aliter Christiani nec dici, nec esse possunt.

CCCXVIII. *De his qui à chorepiscopo confirmati fuerint.*

SI quis ab Episcopo & non à chorepiscopo, qui non Episcopus sed vicarius Episcopi, priusquam prohibiti essent, & erant & dicebantur, fuerit confirmatus, reiterari talis confirmatio non debet. Nam chorepiscopi ante Apostolicam atque synodalem prohibitionem non ex LXX. discipulorum, ut sacri Canones testantur, ordine erant, quos nunquam Spiritum paracletum tradidisse novimus. Sed quia olim, ut dictum est, iam dicti chorepiscopi prohibiti sunt, ideo modo nihil sunt, nec Spiritum paracletum ullo unquam tempore tradere non potuerunt, nec modo possunt. Quapropter non apparet iteratum, quod olim canonicè non agnoscitur patratum.

CCCXIX. *Vt qui ab hæreticis baptizatus fuerit in nomine sanctæ Trinitatis, non baptizetur, sed sola manus impositione perficiatur.*

QVicunque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine Patris & Filii &

Spiritus sancti, nullo modo rebaptizari debet, sed per solam manus impositionem purgandus est.

CCCXX. *Vt hi de quibus dubitatur utrum baptizati sint an non, vel à presbytero diis immolanti, vel immolaticiis carnibus vescenti, sunt baptizati, ut rebaptizentur.*

QVod hi qui dubitant utrum sint baptizati an non, vel à presbytero diis mactanti, vel immolaticiis carnibus vescenti, fuerint baptizati, ut baptizentur præceptum est.

CCCXXI. *Ne ullus plusquam duas uxores accipiat.*

NE quisquam amplius quàm duas accipiat uxores, quia tertia superflua est.

CCCXXII. *De orationibus, & eleemosynis, atque Missarum celebrationibus, pro fidelibus defunctis fideliter agendis, quibus impii carere debent: quoniam nec eorum eleemosyna à sacerdotibus vel reliquis fidelibus accipienda est.*

QVòd pro Catholicis defunctis sint memoriæ faciendæ, & oblationes Deo offerendæ: non tamen pro impiis, quamvis sint Christiani, ex his aliquid agere licebit.

CCCXXIII. De *Episcopo iudicato, si Apostolicam sedem appellare voluerit.*

VT iudicatus Episcopus ad Apostolicam sedem, si voluerit, appellet, ex concilio Sardicensi, titulo v. Quòd si appellaverit, in cathedra ipsius alter non ordinetur.

CCCXXIIII. *De his qui à iudicibus, quos primates dederint, appellaverint, quid agendum sit.*

VT si à iudicibus, quos primates dederint, quis appellaverit, alii iudices amplioris numeri decernantur: quòd si & ab ipsis appellaverit, ad sententiam concilii causa deferatur.

CCCXXV. *De abiecto clerico ab aliena Ecclesia non recipiendo.*

VT abiectum clericum aliena Ecclesia non admittat.

CCCXXVI. *De privilegiis Ecclesiarum illibatè servandis.*

PRivilegia atque præcepta Ecclesiarum manere semper incorrupta præcipimus: & quidquid ab antecessoribus vel parentibus nostris circa sacrosanctarum Ecclesiarum utilitates constitutum est, vel quæ singuli quique antistites pro causis Ecclesiasticis impetrarunt, sub pœna sacrilegii iugi solidata æternitate serventur.

CCCLXVII. *De clericis à propriis Episcopis corrigendis.*

PLacuit ut clerici non distringantur vel diiudicentur, nisi à propriis Episcopis. Fas enim non est, ut divini muneris ministri temporalium potesta-

potestatum subdantur arbitrio. Nam si propriorum Episcoporum iussionibus inobedientes extiterint, tunc iuxta canonicas sanctiones, per potestates exteras adducantur, id est, per iudices seculares.

CCCXXVIII. *Vt nullus chorepiscopus per impositionem manus Spiritum sanctum tradat, aut consecrationem perficiat.*

PLacuit, sicut Leonis Papæ & omnium Episcoporum nostrorum atque reliquorum fidelium generali & synodali consultu decrevimus, ut nullus chorepiscopus per manus impositionem Spiritum sanctum tradere, aut sacerdotes, vel Levitas, aut subdiaconos sacrare, vel virgines velare, aut sanctum chrisma conficere, vel Ecclesias aut altaria sacrare, aut benedictionem in publica Missa populis tribuere præsumat: quæ omnia summis Pontificibus, id est, cathedralibus Episcopis debentur, & non chorepiscopis vel presbyteris, quorum formam iuxta sanctorum canonum decreta chorepiscopi gerunt. Si autem ii aliquid ex his agere tentaverint, irrita erunt quæ ab iis geruntur, & ipsi omni Ecclesiastico honore funditus priventur.

CCCXXIX. *De his qui à chorepiscopis sunt ordinati presbyteri, diaconi, vel subdiaconi.*

VT hi qui à chorepiscopis presbyteri, vel diaconi, aut subdiaconi sunt ordinati, nullatenus in presbyteratus aut diaconatus vel subdiaconatus officio ministrare præsumant. Similiter homines qui imperiti ab eis videntur esse confirmati, vel virgines, seu Ecclesiæ sacratæ, aut chrisma confectum, sive altaria dedicata, pro confirmatis vel sacratis aut dedicatis minimè habeantur. Quia quæ illi non habuerunt, dare non potuerunt, quoniam ex his eis quidquam agere non licet: quæ omnia summis Pontificibus debentur, & non chorepiscopis, qui nec summi Pontifices vel Episcopi fuerunt, nec deinceps usquam fieri possunt. Nullum enim ex LXX. ex his aliquid unquam fecisse legimus & scimus, ad quorum exemplum & formam presbyteros vel chorepiscopos, antequam ipsi chorepiscopi prohibiti essent, fuisse agnovimus. Hæc verò omnia à cathedralibus Episcopis qui à comprovincialibus Episcopis aut præsentia aut iudicio Metropolitani consecrati esse noscuntur, agenda sunt, & non à presbyteris vel chorepiscopis, qui ambo unius formæ esse videntur. Quæ si ab eis aut propter imperitiam, aut propter præsumptionem acta, ut prædictum est, ab imperitis esse putantur, à cathedralibus tamen Episcopis reformanda vel peragenda sunt: quia quæ illi in his agere cogitarunt, imperfecta remanserunt, & ut iam prælibatum est, quod illi non habuerunt, dare non potuerunt. Episcopi namque non fuerunt, quia nec à tribus Episcopis, nec ad aliquam Episcopalem cathedram ordinati fuerunt, & ideo ex his nihil agere potuerunt. Et ne alicui talis ordinatio vel confirmatio aut consecratio, reiteratio esse videatur, attendat illud quod scriptum est: quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum.

CCCXXX. *De presbyteris Episcoporum, quo ipsi ire non potuerint, ad corrigendum mittendis.*

VT Episcopi tunc immunes habeantur à damnis, cum eorum presbyteros ad ea, quæ ipsi non correxerint, remiserint corrigenda.

CCCXXXI. *De eo qui fallax in fide repertus fuerit.*

SI coram hominibus repertum mendacium & infamem facit & damnis affligit, quanto magis in divina fallax fide præventus, non erit penitus ad accusationem vel ad testimonium admittendus? merito ergo accusare & testificari prohibentur, qui in recta fide suspecti.

CCCXXXII. *Quòd non solum flagitia deflenda, sed etiam amaris pœnitentiæ fletibus sint eradicanda.*

SIcut deflendum Christianis est eorum scelus, qui in Christo prævaricatores existunt: ita modis omnibus decernendum, ut absque satisfactione Ecclesiæ, nullus omnino veniam mereatur, qui à meliori proposito ad deterius declinasse convincitur. Quia crudelis & stupenda præsumptio crudeliori debet extirpari supplicio.

CCCXXXIII. *Vt in sancto Paschæ sabbato & Parasceve Missæ non agantur.*

VT sabbato sancto, hoc est, in vigilia Paschæ, ieiunium ante noctis initium, nisi à parvulis aut infirmis non solvatur. Nec Missa in Parasceve, aut in eodem sabbato sancto, vel divina mysteria his duobus diebus celebrentur: canonibus quippe iubentibus, biduo isto sacramenta penitus non debent celebrari.

CCCXXXIIII. *De his qui in locis illicitis, & minimè consecratis, contra canonicam auctoritatem Missas celebrare vel audire præsumunt.*

STatutum sæpissimè & inhibitum est, ut Missarum celebrationes in locis incongruentibus fieri omnino non debeant. Simul & hoc decretum est, ut quis presbyterorum, excepto quando in itinere pergitur, & locus basilicæ procul est, & id in altaribus ab Episcopo consecratis fieri necessitas compellit, ne populus Dei sine Missarum celebratione, & corporis & sanguinis Dominici perceptione maneat, Missarum celebrationes in huiuscemodi locis illicitis, post tot tantasq; prohibitiones facere tentaverit, gradus sui periculum incurrat. Et hoc populis denunciandum summopere à sacerdotibus ac prædicandum est, ne Missas in prædictis illicitis locis sacerdotibus cantare suadeant, vel hæc illicita facere presbyteros deprecentur. Quoniam scriptum est: *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus, ut ponat nomen suum ibi.* Satius igitur est Missam non audire, quàm eam ubi non licet nec oportet celebrare vel audire. Et in canonibus legitur, ut nullus sacerdotum in domibus, vel in aliis locis, nisi in Ecclesiis dedicatis, celebrare Missas audeat. Si quis contra

contra hæc decreta egerit, canonica correctione feriatur. Simul & hoc statutum est, ut nullus sacerdos in aliis, quàm in Deo dicatis vasis & ab Episcopis consecratis ministrare seu Missas celebrare præsumat. Quia sicut non est concessum, ut alii Missas cantent, & sacrificia consecrent, quàm illi qui ab Episcopis sunt consecrati; ita non est licitum, ut in aliis domibus vel altaribus aut vasis Missas sacerdotes celebrare præsumant, quàm ab Episcopis consecratis. Sunt etiam ab Episcopis consecranda & benedicenda corporales pallæ, ac alia vestimenta sacerdotalia, nec non & omnia quæ in usus basilicæ vel altaris sine ministerio sacerdotum ad divina mysteria explenda complectuntur: quatenus cum his sacratius sive placabilius ministrare valeant. Vnde & in aliis sanctorum patrum decretis legitur: *Quamquam Deum vera fide ubique orare liceat, sacrificia verò offerre, aut corpus Domini conficere, nullo modo legimus aut veraciter scimus in aliis locis iustè fieri, nisi in locis Deo ab Episcopo dicatis: nisi causa hostilitatis, aut summæ necessitatis. Et hoc non in mansionibus, aut in domibus non sacratis, sed in tabernaculis dedicatis ab Episcopis, & altaribus à Pontificibus sacra unctione inunctis, & divinis precibus consecratis. Et hoc summa ex necessitate & in itinere procul ab Ecclesia positis, ne populus sine Missarum solemnibus, & sacramenti corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi perceptione remaneat.* Ab antiquis autem patribus & prædecessoribus nostris, nulla alia ex occasione aut pigritia seu præsumptione, sed pro prædicta necessitate hoc concessum esse legimus. Aliter quoque nisi, ut præfixum est, in locis non consecratis Missarum solemnia agere non licet: & hoc nisi ex summis & pro prædictis necessitatibus fieri ullo modo licet. Quoniam lex divina admodum præcipiens ait: *Caveat quisque ne offerat holocausta sua in omni loco, sed in loco quem Dominus elegit.* Et alibi: *Rectè offert, qui ad Ecclesiam necessitate præoccupante, aut infirmitate venire non potest.* Et alibi: *Deum orat, sed non rectè dividit, qui in locis illicitis & altaribus minimè consecratis, Missarum celebrationes peragit.* Multò enim melius est, Missas non cantare aut audire, quam in locis illicitis Missas cantare aut audire. Quoniam qui illicita agit, & prohibita facit, non modicum errat, & nimis peccat, & nisi pœnitentiam canonicè & iustè in hoc seculo ex hoc egerit, maximam condemnationem in futuro iudicio, propter hoc indubitanter percipiet. Multa verò & innumerabilia exempla ex his in supradictis legalibus, & in aliis canonicis & divinis libris inveniuntur, quæ hic pro prolixitate inserere distulimus, & pro fastidio ac labori scriptorum sive lectorum hic non inseruimus. Nam si quis ex his potiora, & plura exempla invenire desiderat, in præfixis libris sufficienter legendo, & diligenter quærendo invenire poterit. Si quis ergo post tot prohibitiones hæc decreta Apostolica, & synodali atq; imperiali auctoritate renovata, & maximè omnium imperii nostri populorum, ac procerum nostrorum consensu & hortatu conscripta atque firmata temerare præsumpserit, si clericus fuerit, gradus sui periculo subiacebit: si verò monachus aut laicus fuerit, à liminibus Ecclesiæ, usque ad Ecclesiæ satisfactionem extorris fiat. Si autem (quod absit) suo Episcopo vel reliquis sacerdotibus inobediens vel contumax extiterit, à Comitibus

vel missis nostris comprehensus, in carcerem, usque ad nostram & proprii Episcopi atque Ecclesiæ satisfactionem, sub magna ærumna retrusus maneat.

CCCXXXV. *Quòd incestum committat, qui se cum consanguinea sua usque affinitatis lineam coniungit.*

NVllus fidelium usque affinitatis lineam, id est, usque in septimam progeniem, consanguineam suam ducat uxorem, vel eam quoquo modo incesti macula polluat. Si quis verò hoc scienter temerare præsumpserit, si liber est, bannum nostrum, id est, LX. solid. fisco nostro persolvat, & insuper canonicè ut incestus luat, ac publicè iuxta canonicos gradus pœniteat. Si autem servus vel Ecclesiasticus fuerit, publicè flagelletur ac decalvetur, & iuxta proprii Episcopi iussionem pœnitentiam publicè & canonicè gerat. Quòd si aliquis tam liber, quàm servus, aut Ecclesiasticus, vel fiscalinus proprio Episcopo, vel suo sacerdoti, aut archidiacono inobediens vel contumax, sive de hoc, sive de alio quolibet scelere extiterit, omnes res eius à Comite, & à misso Episcopi ei contendantur, usque dum Episcopo suo obediat, aut canonicè pœniteat. Quod si nec se ita correxerit, & ad Episcopum & canonicam pœnitentiam venire distulerit, à Comite comprehendatur, & in carcerem sub magna ærumna retrusus teneatur, nec rerum suarum potestatem habeat, quousque Episcopus iusserit. Quòd si Comes (vel eius ministri) hæc adimplere distulerit, canonicè ab Episcopo vel à suo ministro excommunicetur, & usque dum hæc pleniter adimpleat, semper communione catholicorum careat, usque dum ipsi Episcopo humanius erga eum aliquid agere placuerit. Si verò, quod non optamus, ipse Comes aut de prædictis causis, aut de ipsa excommunicatione inobediens aut negligens apparuerit, honore comitatus pariter & communione careat, usq; dum ambo in nostram præsentiam veniant, ut nos illum Episcopali auctoritate imperiali metu ita corrigamus, ut ceteri timorem habeant, ne deinceps talia committere ullatenus audeant.

CCCXXXVI. *Vt incesti quamdiu in scelere manent, non fidelium Christianorum, sed tantum aut gentilium aut catechumenorum vel energumenorum locum teneant.*

INcestuosi dum in ipso detestando atque nefando scelere manent, non inter fideles Christianos, sed inter gentiles, aut catechumenos, aut energumenos habeantur: id est, cum Christianis non cibum sumant, non potum, non in eodem vasculo edant aut bibant, sed soli hoc faciant: non osculentur, aut salutentur ab eis. Et si suis sacerdotibus inobedientes extiterint, & à tam nefandissimo se scelere segregare, atque ad publicam pœnitentiam redire noluerint, inter eos habeantur, qui spiritu periclitantur immundo, vel etiam inter eos de quibus ipsa per se veritas ait: *Si te non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Nam cum fidelibus non debent orare, nec Ecclesiam intrare, sed ad ianuam Ecclesiæ excubare, & ab intrantibus eam atq; exeuntibus ex ea, vultu in terra prostrato, veniam postulare, & ut pro se orare non dedignentur flagitare, & lacrymis perfusi vultu contrito,

atque

atque humiliato ſpiritu, ſemper omnibus apparere, uſque ad ſatisfactionem Eccleſiæ, & proprii Epiſcopi canonicam reconciliationem manere, & ad priſtinum inceſtum nunquam redire, nec ſecularia negotia exercere, nec placitis aut accuſationibus vel teſtimoniis intereſſe; ſed crebris ſacerdotum precibus, manuſque Pontificis proprii impoſitionibus, & eleemoſynarum largitionibus, atque ceterorum bonorum hominum exhibitionibus eos purgari ſanarique oportet.

CCCXXXVII. *De inceſtis nullo coniugii nomine prævalendis.*

INceſtos nullo coniugii nomine prævalendos eſſe cenſemus.

CCCXXXVIII. *De canonicæ accuſationis ordine.*

ACcuſationis ordinem canonicis dudum regulis inſtitutum ſervare iubemus, ut ſi quis clericus in criminali vel in leviori cauſa pulſatur, vel in diſcrimine capitis arceſſitur, non ſtatim reus exiſtimetur, quia accuſari potuit, ne ſubiectam innocentiam faciamus. Sed quiſquis ille eſt qui crimen intendit, in iudicium Epiſcopale veniat, nomen rei indicet, vinculum inſcriptionis arripiat, cuſtodiæ ſimilitudinem (habita tamen dignitatis æſtimatione) patiatur, nec ſibi fore noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicii.

CCCXXXIX. *De ſervis, libertis, vel infamibus perſonis non recipiendis.*

OMnes ſervi vel liberti, omneſque infames perſonæ non permittantur maiores natu accuſare, vel omnes quos ad accuſanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Infames ſunt cuncti, quos decreta canonica & Eccleſiaſtica atque leges ſeculares ſcribunt infames eſſe.

CCCXL. *De Epiſcopis & reliquis ſacerdotibus vel clericis ad ſeculares iudices minimè accuſandis.*

SI quis Epiſcopus, presbyter aut diaconus, vel quilibet clerici apud Epiſcopos, quia alibi non oportet, à qualibet perſona fuerint accuſati, quicunque fuerit, ſive ille ſublimis vir honoris, ſive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, noverit docenda probationibus, monſtranda documentis ſe debere inferre. Si quis ergo circa huiuſmodi perſonas non probanda detulerit, auctoritate huius ſanctionis intelligat, ſe iacturam famæ propriæ ſuſtinere, ut damno pudoris, exiſtimationis diſpendio, diſcat ſibi alienæ verecundiæ impunè inſidiari ſaltem de cetero non licere. Nam ſicut Epiſcopos, presbyteros, diaconos, ceteroſque ſi his obiecta potuerint comprobare, ab Eccleſiaſticis gradibus æquum eſt removeri: ita ſimilis videri debet iuſtitiæ modus, quod appetitæ innocentiæ moderatam deferri iuſſimus ultionem. Ideo huiuſcemodi duntaxat cauſas Epiſcopi ſub teſtificatione multorum in actis audire debebant.

CCCXLI. *De primatuum & Metropolitanorum differentia.*

NVlli alii Metropolitani appellentur primates, nisi illi qui primas sedes tenent, & quos sancti patres synodali & Apostolica auctoritate primates esse decreverunt. Reliqui verò qui alias Metropolitanas sedes sunt adepti, non primates sed Metropolitani vocentur.

CCCXLII. *De familiaribus vel hominibus tam liberis quam servis dominum accusantibus, vel secreta eius providentibus, quid agendum sit.*

SI quis ex familiaribus, vel ex servis cuiuslibet domus, cuiuscunque criminis delator atque accusator emerserit, eius existimationem caput atque fortunas petiturus, cuius familiariti vel domo inhæserit, ante exhibitionem testium, ante examinatum iudicium, in ipsa expositione criminum, atque accusationis exordio, ultore gladio feriatur. Vocem enim funestam potius intercidi, quam audiri oportet. Eorum verò accusandi sacerdotes vel testificandi in eos obstruimus, quos non humanis, sed divinis vocibus mortuos esse scimus.

CCCXLIII. *Quòd Episcopi à Deo, cuius servi existunt, sint iudicandi: quia iuxta Apostolum, nemo alienum servum debet iudicare: & quòd ab humanis aut pravæ vitæ hominibus non sunt lacerandi, ipso Domino regulam tribuente.*

EPiscopi à Deo iudicandi sunt, non ab humanis aut pravæ vitæ hominibus lacerandi, ipso Domino exemplum dante, quando per se ipsum, & non per alios, vendentes & ementes eiecit de templo, & mensas nummulariorum proprio evertit flagello. Et sicut alibi ait: *Deus stetit in synagoga Deorum,* in medio autem Deos discernit.

CCCXLIIII. *De his qui seipsos quocunque modo necant.*

QVicunque se propria voluntate aut in aquam iactaverit, aut collum ligaverit, aut de arbore præcipitaverit, aut ferro percusserit, aut quomodolibet voluntariæ se morti tradiderit, istorum oblatio non recipiatur.

CCCXLV. *Ne laici intersint quando canonica iura ventilantur, vel regularia examinantur, nisi in propria accusentur persona.*

QVando ea quæ canonica sunt ventilantur, vel quædam regularia examinantur, neque iudices seculares, neque aliquos laicos interesse oportet, nisi hos tantummodo, qui in propria accusantur persona.

CCCXLVI. *Vt Ecclesiastica iura semper illibata permaneant.*

MOnemus ut iura Ecclesiarum, sicut à patribus divinitus inspiratis sunt ordinata, inviolata permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum.

CCCXLVII. *Sug-*

CCCXLVII. *Suggestio populi ad Imperatorem Karolum & Episcopos.*

DEus ad hoc vestram religiositatem ordinavit, ut & iniustitiam removeatis, & præsumptiones abscindatis, & sacerdotibus laborantibus succurratis, & multis opprobriis locum non præbeatis: sed post agnitionem, ei qui calumniam patitur, adiutorium feratis, illum verò qui calumniam facit, si verè est calumniator, abscindatis.

CCCXLVIII. *De alienis iudicibus non recipiendis, & peregrino iudicio vel examine respuendo.*

EPiscopis singulorum locorum, omnium qui sub eorum degunt moderamine, curæ sit causas utilitatesque disponere. Valde enim est incongruum, ut omissis suis, alii quilibet illorum se causis admisceant. Sed illi eorum vitam competenti regulariq; debeant moderatione disponere, qui eos ordinare canonicè possunt, vel à quibus ordinati sunt, & qui pro commissis eorumque animabus compelluntur reddere rationem.

CCCXLIX. *De Episcopo qui adversus proprium Metropolitanum, vel contra alios quosque habuerit causam, quid agendum sit.*

SI fortè, quod non optamus, aliquem Episcopum contra proprium Metropolitanum, vel contra alios quosque contingat aliquid habere causæ, decrevimus ut ob hoc sedis Apostolicæ iudicium is qui petere festinat, licentiam habeat, quod scitis canonum antiquorum patrum institutione permissum.

CCCL. *Quod fundamentum totius bonitatis sit Christus Iesus, & qualiter in ovile per ostium sit intrandum.*

FVNdamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, qui est Christus Iesus. Quisquis ergo cum dilectione Dei & proximi, fidei quæ in Christo est firmitatem tenet, eundem Iesum Christum Dei & hominis filium apud se posuit fundamentum. Sperandum ergo est, quia ubi Christus fundamentum est, bonorum quoque operum sequatur ædificium. Ipsa quoque per se veritas dicit: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliundè, ille fur est & latro: Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.* Et paulo post subiecit dicens: *Ego sum ostium.* Ille ergo in ovile ovium intrat per ostium, qui intrat per Christum. Ipse autem per Christum ingreditur, qui de eodem creatore ac redemptore humani generis vera sentit & prædicat: & qui prædicata custodit, culmen regiminis ad officiũ portandi oneris suscipit, non ad appetitum gloriæ transitorii honoris. Curæ quoque suscepti ovilis sollerter invigilat, ne oves Dei, aut perversi homines prava loquentes dilanient, aut maligni spiritus oblectamenta vitiorum suadentes devastent.

CCCLI. *De causis definitis minimè recommovendis.*

FLagitari iudicium non debet de causa, quæ definita vel iudicata est.

CCCLII. *De his qui contra præpositos suos se erigunt, & de accusatoribus vel testibus inimicis, quid agendum sit.*

QVi se contra præpositos suos erigunt, profectò ostenditur, quia esse servi Dei contemnunt. Filius Dei in sancto ait Euangelio: *Ego non accuso nec iudico quemquam.* Nihil enim sine patre facit filius, quia communis eorum operatio est, & unita voluntas. Hoc verò in loco quasi iudex loquitur, dicens: *Qualis iudex, quales testes Deo esse debeant*, ut agnoscant homines in iudicando, quòd non ex voluntate & potestate sua, sed ex æquitate debeant formare sententiam. Iustitia in iudicando est manifestanda, non potentia.

CCCLIII. *De regulis clericorum.*

CLerici lege patrum monentur, ut à vulgari vita seclusi, à mundi voluptatibus sese abstineant: non spectaculis, non pompis intersint. Convivia publica fugiant: privata non tantum pudica, sed sobria colant. Vsuris nequaquam incumbant. Quin nec turpium occupationes lucrorum fraudesq; cuiusquam studiosè appetant. Amorem pecuniæ, quasi materiem cunctorum criminum fugiant. Secularia officia negotiaque abiiciant. Honorum gradus per ambitiones non appetant. Pro beneficiis medicinæ Dei, munera non accipiant. Dolos & coniurationes caveant. Odium, æmulationem, detractionem, & invidiam fugiant. Non vanis oculis, non infrenâ linguâ, aut petulanti tumidoque gestu incedant, sed pudorem ac verecundiam mentis, simplici habitus incessu ostendant; obscœnitatem etiam verborum, sicut & operum, penitus execrentur. Viduarum ac virginum visitationes, frequentationesque fugiant. Contubernia extranearum fœminarum nullatenus appetant. Castimoniam quoque inviolati corporis perpetuo conservare studeant: aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur. Senioribus quoque debitam præbeant obedientiam: neq; ullo iactantiæ studio semetipsos attolant. Postremò in doctrina, in lectionibus, psalmis, hymnis, canticis spiritalibus exercitio iugi incumbant. Tales enim esse debent, qui divinis cultibus sese mancipandos student: scilicet ut dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent.

CCCLIIII. *De neganda accusatis licentia criminandi, prius quam seipsos purgaverint de his, quæ eis obiiciuntur.*

NEganda est accusatis licentia criminandi, priusquam crimine quo premuntur se exuerint.

CCCLV. *De falsis testibus & periuris quid agendum sit.*

SI quis convictus fuerit aliquos ad falsum testimonium vel periurium adtraxisse, aut per quamcunque corruptionem sollicitasse, ipse quidem usque ad exitum non communicet.

CCCLVI. *De*

CCCLVI. *De qualitate virginis in coniugio.*

SCiscitandum est, si vult pater virginis, quia caput mulieris vir; requirenda est à patre voluntas virginum, dum Deus relinquat hominem in manibus consilii sui.

CCCLVII. *Vt clerici vel laici in aliena Ecclesia non communicent sine litteris Episcopi sui.*

STatutum est, ut unusquisque clericus vel laicus non communicet in alia plebe, sine litteris Episcopi sui.

CCCLVIII. *Vt qui clericum alienum defendere nititur, communione privetur.*

SI forte aliquis clericorum regulam disciplinæ Ecclesiasticæ subterfugiens fuerit evagatus, quicumque eum susceperit, & illum Pontifici suo non reconcialiverit, se magis defensare præsumserit, Ecclesiæ communione privetur.

CCCLIX *De accusationibus in clericorum causis non suscipiendis, quæ seculi legibus prohibentur: & de clericis damnatis à nemine defendendis.*

STatutum est, ut nullæ accusationes à iudicibus audiantur Ecclesiasticis, quæ legibus seculi prohibentur: & ut si quis cuiuslibet honoris clericus iudicio Episcoporum quocunque crimine fuerit damnatus, non liceat eum sive ab Ecclesiis quibus præfuit, sive à quolibet homine defensari, interpositâ pœnâ damni, pecuniæ atque honoris, quo nec ætatem nec sexum excusandum esse præcipimus.

CCCLX. *Vt non alii Metropolitani primates appellentur, nisi illi qui primas sedes tenent: quia alii non possunt tres turmas facere de Episcopis, quàm illi qui primas sedes tenent, qui tres turmas facere debent, sicut in hac sententia iubetur.*

PLacuit ut quotiescunque concilium congregandum est, Episcopi qui neque ætate, neque ægritudine, neque alia graviori necessitate impediuntur, competenter occurrant. Primatibusque suarum provinciarum intimetur, ut de universis Episcopis vel duæ vel tres turmæ fiant: ac de singulis turmis vicissim quotquot electi fuerint, ad diem concilii instantissime occurrant.

CCCLXI. *Quòd cum illis quibus Episcopus non loquitur, non sit loquendum, nec cum excommunicatis communicandum: ut ipsi humilient semetipsos, ut festinius reconcilientur.*

EXempla sancti Clementis utilia, præsentique tempore Ecclesiis necessaria, sunt honorificè proferenda, & cum reverentia ab omnibus fidelibus ac præcipuè clericis recipienda. Ex quibus quod specialiter placuit, propter venerandam antiquitatem, statutis præsentibus roboramus.

Quod supra scriptus beatus martyr de beatissimi Petri Apostoli constitutione commemorat, dicens: *Quædam autem etiam ex vobis ipsis intelligere debetis, si quæ sunt quæ ipse propter insidias hominum malorum non potest evidentius & manifestius proloqui. Verbi gratia, inimicus est alicui pro actibus suis: vos nolite expectare, ut ipse vobis dicat. Cum illo nolite amici esse, sed prudenter observare debetis, & voluntati eius videlicet, quia Ecclesiæ curam gerit, absq; commotione obsecundare, & averti ab eo cui ipsum sentitis adversum. Sed nec loqui his, quibus ipse non loquitur, ut unusquisque qui in culpa est, dum cupit omnium vel vestram sibi gratiam reparare, festinet citius reconciliari ei, qui omnibus præest, ut per hoc redeat ad salutem, cum obedire cœperit monitis præsidentis:* & cetera, quæ in consequentibus denotantur. Sciat itaque deinceps clerus ad reatum, sed & fidelium populus ad culpam sibi adscribendum, si quis in hoc vitium malorum computatur, vel disciplinæ subversor fore agnoscitur.

CCCLXII. *De non iniuriandis Episcopis aut lacerandis, sed potius tolerandis.*

EPiscopum verò oportet oportunè & importunè atque sine intermissione Ecclesiam suam docere, eamque prudenter regere & amare, ut à vitiis se abstineat, & salutem consequi possit æternam: & illa cum tanta reverentia eius doctrinam debet suscipere, eumque amare & diligere, ut legatum Dei & præconem veritatis. Quia testante veritate: *Quodcunque ligaverit super terram, erit ligatum & in cœlo: & quodcunque solverit super terram, erit solutum & in cœlo.* Nimis timenda est hæc sententia, & prævidendum vobis ne offendatis eos, qui tantam à Domino habent potestatem. Et ideo potius obediendi, diligendi, ac summopere sunt venerandi, non detrahendi, vel lacerandi aut eiiciendi, sed portandi & amandi, ipso dicente Domino: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Ideo hæc vobis & omnibus fidelibus præcipimus, ut ab his vos caveatis, & posteris vestris non malum, sed bonum exemplum relinquatis, quoniam iniuria Episcoporum ad Christum pertinet, cuius vice funguntur. Vnde & vos, qui veri Dei estis discipuli, abiicite à cordibus vestris ante omnia, discordias & animorum dissensiones, ex quibus omne opus malum procedit, & benignitatem ac simplicitatem tota mente servate. Verumtamen scitote cuncti, quòd supra omnes unus laboret Episcopus: quia unusquisq; vestrum suum proprium fert laborem, ille verò & suum & singulorum. Et ideo sicut ille pro vobis omnibus, ita & vos omnes pro eo summopere laborare debetis: in tantum, ut si etiam necesse fuerit, animas vestras pro eo ponatis, sicut & ipse animam suam pro vobis, si necesse fuerit, ponere debet, ipso dicente Salvatore: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Vos verò obedite eis, & vigilate pro eis, quia ipsi vigilant, quasi rationem pro animabus vestris redditnri, ut cum gaudio hoc faciant & non gementes.

CCCLXIII. *De legitimo coniugio.*

DEcretum est ut uxor legitimè viro iungatur. Aliter enim legitimum, ut à patribus accepimus, & à sanctis Apostolis, eorumque successoribus traditum

traditum invenimus, non fit coniugium, nisi ab his qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petetur, & à parentibus propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibns à sacerdote benedicatur, & à paranymphis, ut consuetudo docet, custodita & sociata, à proximisque tempore congruo petita, legibus detur, & solemniter accipiatur. Et biduo vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant, ut boni soboles generentur, & Domino suis in actibus placeant. Taliter enim & Domino placebunt, & filios non spurios, sed legitimos atque hereditabiles generabunt.

CCCLXIIII. *De his qui de suspitione, vel absque legitimo accusatore, aliquos iudicare præsumunt.*

PLacuit ut nullus quemquam clericorum vel laicorum de suspitione aliqua iudicare præsumat. Similiter ne sine accusatore legitimo quispiam condemnetur. Quia pessimum & periculosum est, quempiam de suspitione iudicare, aut sine legitimo accusatore quemquam damnare.

CCCLXV. *Vt Episcopi per singulos annos circumeant parochias suas.*

PLacuit ut unusquisque Episcopus per singulos annos cunctas dioeceses parochiasque suas circuire non negligat, docendo, confirmando: singulaque quæ necessaria sunt, restaurando & corrigendo, prout melius valuerit, reformare satagat.

CCCLXVI. *Vt presbyteri & diaconi, quando per parochias constituuntur, stabilitatis & obedientiæ suæ atque statuta servare promissionem suo faciant Episcopo.*

QVando presbyteri aut diaconi per parochias constituuntur, oportet eos professionem Episcopo suo facere.

CCCLXVII. *Ne iudices quoslibet clericos vel servos Ecclesiæ in suis angariis, aut quibuslibet rebus occupare præsumant.*

VT non liceat iudicibus clericos vel servos Ecclesiæ in suis angariis occupare.

CCCLXVIII. *De Ecclesiis & dotibus earum, ut ad Episcopi semper dispositionem pertineant.*

PLacuit ut omnes Ecclesiæ cum dotibus, & omnibus rebus suis, in Episcopi proprii potestate consistant, atque ad ordinationem vel dispositionem suam semper pertineant.

CCCLXIX. *Quòd clerici iudices seculares adire non debeant.*

VT clerici qui iudices seculares appetunt, excommunicentur.

CCCLXX. *De his qui viduis vim inferunt, aut fœminas invitas ducunt.*

PLacuit ut viduis pro castitate violentiam nullus inferat, & ut mulier invita virum non ducat: quod si quis fecerit, in triplo nobis bannum nostrum persolvat, & ab Episcopo proprio atque, si necesse fuerit, distringente Comite, publicam per gradus canonicos pœnitentiam agere cogatur. Et si inobediens extiterit, nobis per firmissimos fideiussores præsentetur, ut aut in carcerem retrudatur, aut in exilium deportetur, ut ceteri timorem habeant, ne unquam talia agere præsumant.

CCCLXXI. *De his qui Ecclesiam intrant, & non communicant.*

PLacuit ut omnes qui in Ecclesiam intrant, nisi à suo fuerint excommunicati sacerdote, communicent. Si qui autem hoc facere noluerint, tamdiu à communione & Christianorum consortio habeantur alieni, quamdiu per satisfactionem Ecclesiæ à proprio mereantur per manus impositionem reconciliari Episcopo, & sanctæ restitui communioni.

CCCLXXII. *De his qui acceperint Eucharistiam, & non sumpserint.*

PLacuit ut omnes qui sacram acceperint Eucharistiam, & non sumpserint, ut sacrilegi repellantur.

CCCLXXIII. *Vt hi qui à sacerdotibus excommunicantur, à fidelibus usque ad reconciliationem, nisi quibus permissum fuerit, semper vitentur.*

PLacuit ut his, qui à suis excommunicantur sacerdotibus, nullus fidelium communicet, nisi quibus permissum ab eis fuerit, nec priusquam canonicè reconcilientur, ad eos accedat: quod si quis facere tentaverit, simili sententiæ subiaceat.

CCCLXXIIII. *De his qui pro munere & favore alicuius iustitiam opprimunt.*

QVàm sit extraneus à Christianæ fidei regula, qui se defensorem veritatis insimulat, & veritatem ipsam munerum acceptione commaculat, audiat contra se Prophetam dicentem: *Pro eo quod vendidistis argento iustum & pauperem pro calciamentis, ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno, & peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus corde inter fortes nudus effugiet.*

CCCLXXV. *Qualiter hæc statuta servanda sint, & de his qui hæc contemnunt, sive clericis sive laicis, quid agendum sit.*

HAs omnes constitutiones Ecclesiasticas, quas summatim breviterque perstrinximus, sicut plenius in canone continentur, manere perenni stabilitate sancimus. Si quis ergo clericus aut laicus harum sanctionum obediens esse noluerit, si clericus fuerit, excommunicationi subiaceat. Si verò laicus

laicus fuerit, & honestioris loci persona, medietatem facultatum suarum amittat, fisci iuribus profuturam: si verò maioris loci persona est, amissione rerum suarum multatus, in exilio deputetur.

CCCLXXVI. *De his quæ ab antecessoribus nostris circa cultum divinum statuta fuerint, ut semper illibata permaneant.*

QVæcunque à parentibus nostris diversis sunt statuta temporibus, manere inviolata atque incorrupta circa sacrosanctas Ecclesias præcipimus. Nihil igitur à privilegiis immutetur, omnibus qui Ecclesiis serviunt tuitio deferatur. Quia temporibus nostris addi potius reverentiæ cupimus, quàm ex his, quæ olim præstituta sunt, immutari.

CCCLXXVII. De *Capitulis Apostolica auctoritate roboratis.*

MAximè trium ultimorum Capitula istorum librorum Apostolica sunt cuncta auctoritate roborata, quia his cudendis maximè Apostolica interfuit legatio. Nam eorum nomina præter trium, id est, Leonis, Sergii, & Georgii hic non inseruimus, licet ea per singulos conventus inserta invenissemus, vitantes legentium atque scribentium fastidia. Si quis autem plenius ea nosse voluerit, istorum legat authentica, quibus illa inserta reperiet. Interdum hæc discendo & amando, atque operibus complendo non negligat: quia, ut Dominus novit, pro amore & utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ, ut horum in præmio prælibatum est, sunt collecta isticq; inserta. Legentibus pax, custodientibus gloria, operibusq; hæc complentibus vita tribuatur æterna, oramus.

EXPLICIT LIBER SEPTIMVS.

INCIPIT PROLOGVS
HLVDOVICI IMPERATORIS.

QVIA iuxta Apostolum, quamdiu in hoc seculo, peregrinamur à Domino; & nihil in præsenti fixum, nihil immobile, sed cuncta veloci pervolant cursu. Et Scriptura testatur, quodcunque possumus, instanter operari debemus; quia nulli ad bene operandum crastinus dies promittitur. Omnesq; secundum Apostolum, ante tribunal XPI. *stabimus, ut unusquisque rationem pro his, quæ gessit, reddat. Nobis præcipuè (qui ceteris mortalibus conditione æquales existimus, & dignitate tantum superiores sumus, secundum scripturam sacram, quæ dicit:* Quoniam interrogabit opera nostra, & cogitationes scrutabitur, *rationes reddituri sumus) sollicita circumspectione, totaq; mentis intentione satagendum est, ut bonis operibus iugiter insistendo, his quibus præesse videmur, modis omnibus, quantum nobis divina suffragante misericordia facultas adtributa fuerit, prodesse curemus. Sed quia omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, debemus continuis precibus Dominum humiliter exorare, faciemque illius humili confessione, & congrua, prout ipse posse dederit, emendatione prævenire: ut sicut eius est muneris quod regnamus, eius sit pietatis quod feliciter regnamus. Quatenus eo miserante, & regni gubernacula æquissimo libramine tenere, & ad eum qui Rex regum est, & Dominus dominantium, cum multiplici fructu administrationis nostræ, iustitia scilicet, & pietate, atq; humilitate, sine fine cum eo regnaturi mereamur pervenire. Et quoniam per Apostolum suum nos adiutores suos appellare dignatus est: & sancta Ecclesia, eius videlicet sponsa, in scripturis sacris hortus est appellata, quotidianis exercitiis adhibito sarculo bonæ operationis est excolenda. Vt sicut semper nociva in ea velut in bono agro emergunt; ita semper laboris boni studio eradicentur noxia, plantentur utilia. Oportet & nos cunctis eius necessitatibus, nisibus quibus possumus, devotè consulere: quatenus in eius emendatione, quantum Dominus posse dederit, tota cum mentis devotione elaborantes, in aliqua parte ædificiorum illius, à fabricatore eius, Domino scilicet* IHV. XPO. *aptari mereamur. Proinde notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque Domino dispensante successoribus, quia cum nos nullis existentibus meritis divina pietas, genitore nostro à rebus humanis exempto, ad eius imperii culmen provexisset, quomodo aut qualiter desiderium divini cultus, quod ab ineunte ætate Christo inspirante mente conceperamus, ad effectum Domino suffragante perduceremus: & quid studii, quidvè laboris progenitores nostri, præci-*

præcipue tamen piæ recordationis genitor noster in utilitatibus sanctæ Dei Ecclesiæ exhibuerit, adverteremus, & pia illorum facta non solum inviolata conservare, sed etiam imitari, pro viribus nobis à Domino concessis, optaremus. Scilicet ut sive in Ecclesiasticis negotiis, sive in statu Reipublicæ, emendatione dignum prospexissemus, quantum Dominus posse dabat, nostro studio emendaretur. Et hactenus hinc inde mundanorum turbinum procellis emergentibus, diversissimisque occupationibus ingruentibus præpediti, ut optaveramus, efficere nequivissemus, eius rei gratia IIII. anno imperii nostri, accersitis nonnullis Episcopis, Abbatibus, canonicis, & monachis, & fidelibus, obtutibus nostris, studuimus eorum consulta sagacissima investigare inquisitione: qualiter unicuique ordini, canonicorum videlicet, & monachorum, & laicorum, iuxta quod ratio dictabat, & facultas suppetebat, Deo opem ferente consuleremus. Et quoniam licet sæpe de statu Ecclesiarum, & de ritibus præterito tempore ordinassemus, & missos nostros per singula loca destinassemus, sed invidente Diabolo per tyrannicam pravitatem præpeditum fuisset; oportebat ut hoc tempus paucis indultum, ad communem sanctæ Dei Ecclesiæ, & omnium nostrorum utilitatem impenderemus, tribus videlicet modis. Vt quæ bene inchoata erant, Deo auxiliante effectum obtinerent: & si quæ bona voluntate, sed incauta discretione variis præpedientibus causis inchoata fuissent, ut diligenter inspicerentur, & discrete, prout facultas suppetebat, corrigerentur. Si quæ etiam de his, quæ necessaria erant, deesse videremus, ut quærerentur, & Deo auxiliante ad effectum perducerentur: quatinus deinceps opus nostrum à nemine iustè posset reprehendi, & tam nostris, quam futuris temporibus multorum saluti proficeret, & Deo opitulante stabile permaneret. Sed qualiter de his divina cooperante gratia, consultu fidelium, pro viribus & temporis brevitate, licet non quantum debuimus & voluimus, sed quantum à Deo posse accepimus, egerimus: & quid unicuique ordini communi voto, communique consensu consulere studuerimus; ita ut quid canonicis propriè de his, quidve monachis observandum, quid etiam in legibus mundanis, quid quoque in Capitulis inserendum foret, adnotaverimus, & singulis singula observanda contraderemus. Tamen ut sive nostris, sive successorum nostrorum temporibus rata forent, & inviolabiliter Deo annuente conservarentur, libuit nobis ea quæ gesta sunt, ob memoriæ firmitatisque gratiam, in unum strictim congerere, & subiectis Capitulis annotare, & in publico archivo recondere, ut successores nostri Deo dispensante nostra pia facta conservantes, & ipsi nihilominus bona facta sua successoribus suis servanda perdoceant.

EXPLICIT PROLOGVS.

INDEX CAPITVLORVM
ADDITIONIS PRIMÆ

XIX. *Vt*

XIX. *Vt in quadragesimali tempore monachi libros accipiant.*
XX. *De vestimento monachis nec satis pretioso, nec satis vili dando.*
XXI. *De cucullæ mensura.*
XXII. *De potestate Abbatis si extra mensuram infra positam aliquid addendum decreverit.*
XXIII. *De pedibus fratrum vicissim lavandis.*
XXIIII. *De mandato post cœnam faciendo.*
XXV. *De mensura monachorum, ut ea Abbates illorum sint contenti.*
XXVI. *De villis fratrum, ut eas non circumeant monachi.*
XXVII. *De Abbate vel quolibet monacho, ne ad portam monasterii cum quocunque hospite manducare præsumat.*
XXVIII. *Ne servitores fratrum post refectionem eorum ad unam mensam, sed in propriis sedeant locis.*
XXIX. *De lectore, ut nihil, nisi quod regula decernit, accipiat.*
XXX. *De Alleluia in Septuagesima dimittenda.*
XXXI. *De præposito, ut maiorem quàm ceteri habeat potestatem.*
XXXII. *De præposito monachis non constituendo, nisi & ipse monachus sit.*
XXXIII. *De senioribus fratribus monasterium circumeuntibus.*
XXXIIII. *De novitio fratre, ut non facilis ei in monasterium tribuatur ingressus.*
XXXV. *De monacho quam professionem faciat.*
XXXVI. *De puero, ut pater & mater eum ad altare offerant.*
XXXVII. *De infantibus oblatis, ut carnem comedant.*
XXXVIII. *De fratribus post sextam dormientibus.*
XXXIX. *De fratribus, ut usque ad nonam in quadragesima operentur.*
XL. *De his qui quolibet modo graviter delinquunt fratribus.*
XLI. *De eo qui in refectorio negligenter coram fratribus aliquid excesserit.*
XLII. *De plebeio non recipiendo in monasterio, nisi prius monachus fieri voluerit.*
XLIII. *Ne monachus iurando sermonem proferat, nisi sicut sancti patres constituerunt loqui.*
XLIIII. De *Abbatibus cellulas monachorum vel canonicorum habentibus.*
XLV. De *schola in monasterio non habenda, nisi de his qui oblati fuerint.*
XLVI. De *præcipuis solemnitatibus sanctorum, ut plenarium in eis officium fiat, & bis monachi edant.*
XLVII. De *ieiunio in Parasceve.*
XLVIII. De *benedictione post completorium dicenda.*
XLIX. De *decimis dandis tam Ecclesiæ quàm pauperibus.*
L. De *specialibus psalmis pro eleemosynariis & defunctis cantãdis.*
LI. De *Pentecoste, ut per hebdomadam non flectantur genua; neq; ieiunetur, nisi dies ieiunii extiterint.*

HLUDOVICI IMPERATORIS
ADDITIO PRIMA.

ANNO INCARNATIONIS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI DCCCXVII. IMPERII VERO GLORIOSISSIMI PRINCIPIS HLUDOVICI IIII. VI. IDUS IULII, CUM IN DOMO AQUISGRANI PALATII, QUÆ LATERANIS DICITUR, ABBATES COMPLURES UNA CUM SUIS RESEDISSENT MONACHIS, QUÆ SUBSEQUUNTUR CAPITULA COMMUNI CONSILIO AC PARI VOLUNTATE INVIOLABILITER A REGULARIBUS CONSERVARI DECREVERUNT.

DE ABBATIBUS MOX UT AD MONASTERIA SUA REMEAVERINT UT REGULAM DISCUTIANT, ET EFFICACITER LEGANT; ET QUOD LEGERINT ET INTELLEXERINT, CUM SUIS OBSERVENT MONACHIS.

VT Abbates, mox ut ad monasteria sua remeaverint, regulam per singula verba discutientes pleniter legant, & intelligentes Domino opitulante, efficaciter cum monachis suis implere studeant.

II. *De monachis, ut regulam sancti Benedicti, qui valuerint, memoriter discant.*

VT monachi omnes qui possunt, regulam memoriter discant.

III. *De regulari officio, ut iuxta præceptum sancti Benedicti devotè celebretur inter alia.*

VT officium quod in regula sancti Benedicti continetur, celebrent monachi.

IIII *Vt tam in coquina, quamque & in cunctis monasterii officinis, monachi operentur, & ut ipsi vestimenta sua lavent.*

VT in coquina, in pristino, & in ceteris officinis propriis operentur manibus, & vestimenta sua opportuno tempore lavent.

V. *De monachis, ut post matutinalem expletionem, nisi ante constitutam surrex[illegible] [illegible]t horam, denuò ad lectos suos non præsumant causa dormiendi redire.*

VT nullo unquam tempore post vigilias causa dormiendi, nisi contigerit eos ante horam constitutam surgere, ad lectos redeant suos.

VI. *Vt monachi nisi in sabbato sanctæ Paschæ, per totam quadragesimam non radantur: alio tempore post finitos quindecim dies licitò radantur, tam in sabbatis, quàm & in octavis Paschæ*

VT in quadragesima nisi in sabbato sancto non radantur: in alio autem tempore semel per xv. dies radantur, & in octavis Paschæ.

VII. *De balnearum usu.*

VT balnearum usus in arbitrio prioris consistat.

VIII. *De non edendis volatilibus monachis intus forisve, nisi infirmitatis causa.*

VT volatilia intus forisve, nisi pro infirmitate, nullo tempore comedant.

IX. *Ne Episcopi monachis volatilia comedere præcipiant.*

VT nullus Episcoporum monachis volatilia comedere præcipiat.

X. *Ne à monachis poma & lactucæ, nisi quando alius cibus sumitur, manducentur.*

VT poma & lactucæ, nisi quando alius sumitur cibus, non comedantur.

XI. *De certo tempore phlebotomandi observando, & ut monachis tunc ibi cibus potusq; magis in supplementum largiatur.*

VT certum phlebotomiæ tempus non observent, sed unicuique, secundum quod necessitas expostulat, concedatur; & specialis in cibo & in potu tunc consolatio præbeatur.

XII. *Vt si necessitas postulaverit, monachis post vespertinum cibum ante completorium potus tribuatur: similiter quadragesimali tempore, vel quando mortuorum officium egerint.*

VT si necessitas poposcerit, ob operis laborem, post refectionem vespertinam etiam, & in quadragesima pari modo, & quando officium mortuorum celebratur, priusquam lectio completorii legatur, bibant.

XIII. *De monacho à priore suo increpato.*

VT cum à quocunq; priore suo increpatus quis eorum fuerit, MEA CVLPA, primò dicat: dehinc prosternens se illius pedibus cum cappa, si habuerit, veniam

veniam petat, & tunc iubente priore surgat, & unde interrogatus fuerit, rationem humiliter reddat.

XIIII. *Ne nudi coram aliis vapulent.*

VT nudi pro qualibet culpa coram fratrum obtutibus non flagellentur.

XV. *Ne soli in itinere dirigantur monachi.*

VT soli & sine alio fratre in via non dirigantur.

XVI. *Ne sibi compatres vel commatres monachi faciant.*

VT sibi compatres commatresve non faciant, neque osculentur foeminas.

XVII. *Ne murmurent monachi tempore legendi, & meridiano occupati ad colligendas fruges.*

VT si necessitas fuerit eos occupari in fruges colligendo, constitutum legendi & meridie pausandi tempus præmittatur, & operantes non murmurent.

XVIII. *De monachis quarta & sexta feria ieiunantibus.*

VT quarta & sexta feria ieiunantes, ante nonam, aut post nonam si necessitas fuerit, iuxta prioris arbitrium, levia opera exerceant.

XIX. *Vt in quadragesimali tempore monachi libros accipiant.*

VT in quadragesima libris de bibliotheca secundum prioris dispositionem acceptis, alios nisi prior decreverit expedire, non accipiant.

XX. *De vestimento monachis nec satis pretioso, nec satis vili dando.*

VT eis vestimenta nec multum vilia, nec multum pretiosa, sed mediocria dentur.

XXI. *De cucullæ mensura.*

VT mensura cucullæ duobus consistet cubitis.

XXII. *De potestate Abbatis si extra mensuram infra positam aliquid addendum decreverit.*

VT si infra positæ mensuræ quantitatem decreverit Abbas causa necessitatis quippiam augeri, in illius maneat potestate. Alioquin hoc omnino provideat, ut camisias duas, & tunicas duas, & cucullas duas, & cappas duas unusquisque monachorum habeat, quibus verò necesse est, addatur & tertia, & pedules IIII. paria, & femoralia II. paria, roccum I. pellicias usque ad talos II. fasciolas II. quibus autem necesse est itineris causa, alias duas. wantos in æstate, muffulas in hyeme veruecinas: Calciamenta diurna paria. II. Subtalares per noctem in æstate II. in hyeme verò soccos. Saponem & uncturam sufficienter. Pinguedinem ad esum, excepto VI. feria

& xx. diebus ante nativitatem Domini, & septimana illa quæ ante quadragesimam vocatur quinquagesima. Vbi autem vinum non est unde hemina detur, duplicem mensuram de cervisia bona, & quæcunque præter hæc regula iubet, singuli cum necessitas postulaverit, absque dilatione accipiant.

XXIII. *De pedibus fratrum vicißim lavandis.*

VT in quadragesima, sicut & in alio tempore, vicissim sibi pedes lavent, & antiphonas huic officio congruentes decantent. In cœna verò Domini pedes fratrum, si valet, Abbas lavet, & osculetur, & demum propria manu poculum eis porrigat.

XXIIII. *De mandato post cœnam faciendo.*

VT mandatum, si tempus cœnæ est, tam fratrum quam etiam peregrinorum post cœnam fiat.

XXV. *De mensura monachorum, ut ea Abbates illorum sint contenti.*

VT ea, quam monachi sui habent, mensura sint Abbates contenti, in manducando, in bibendo, in dormiendo, in vestiendo, in operando, si in aliis utilitatibus non fuerint occupati.

XXVI. *De villis fratrum, ut eas non circumeant monachi.*

VT villas frequenter, & nisi necessitas coëgerit, non circumeant, neque suis illas monachis custodiendas committant: & si eos ire ad eas necessitas fuerit, expleto necessitatis negotio, ad sua mox monasteria redeant.

XXVII. *De Abbate vel quolibet monacho, ne ad portam monasterii cum quocunque hospite manducare præsumat.*

VT Abbas vel quispiam fratrum ad portam monasterii cum hospitibus non reficiantur. In refectorio autem omnem eis humanitatem manducandi ac bibendi exhibeat: ipse tamen ea cibi potusque mensura contentus sit, quam reliqui fratres accipiunt. Si verò propter hospitem voluerit ad solitam mensuram fratribus sibique augere aliquid, in sua maneat potestate.

XXVIII. *Ne servitores fratrum post refectionem eorum non ad unam mensam, sed in propriis sedeant locis.*

VT servitores non ad unam mensam, sed in propriis locis post refectionem fratrum reficiantur; quibus eadem lectio quæ fratribus recitetur.

XXIX. *De lectore, ut nihil, nisi quod regula decernit, accipiat.*

VT lectori nihil, nisi quod regula iubet, detur.

XXX. *De*

XXX. *De Alleluia in Septuagesima dimittenda.*

VT Alleluia in Septuagesima dimittatur.

XXXI. *De præposito, ut maiorem quam ceteri habeat potestatem.*

VT præpositus intra & extra monasterium post Abbatem, maiorem reliquis Abbati subditis habeat potestatem.

XXXII. *De præposito monachis non constituendo, nisi & ipse monachus sit.*

VT monachis non nisi monachus constituatur præpositus.

XXXIII. *De senioribus fratribus monasterium circumeuntibus.*

VT de senioribus monasterium circumeuntibus quidam cum fratribus in obedientiam exeant, quidam in monasterio propter custodiam remaneant.

XXXIIII. *De novitio fratre, ut non facilis ei in monasterium tribuatur ingressus.*

VT novitio non facilis in monasterium tribuatur ingressus, & ut in cella hospitum probationis causa hospitibus serviat paucis diebus; res verò quas habet, parentibus suis committat. Expleto autem probationis suæ anno, secundum quod regula præcipit, inde faciet: ipse verò nec tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedientiam promittat.

XXXV. *De monacho quam professionem faciat.*

VT monachus professione facta, tribus diebus cuculla coopertum habeat caput.

XXXVI. *De puero, ut pater & mater eum ad altare offerant.*

VT puerum pater aut mater tempore oblationis offerant altari, & petitionem pro eo coram laicis testibus faciant, quam tempore intelligibili ipse puer confirmet.

XXXVII. *De infantibus oblatis, ut carnem non comedant.*

VT infantes oblati carnem non nisi causa infirmitatis manducent.

XXXVIII. *De fratribus post sextam dormientibus.*

VT quando fratres post sextam dormiunt, si quis eorum voluerit legere, in Ecclesia aut in lecto sua legat.

XXXIX. *De fratribus, ut usque ad nonam in quadragesima operentur.*

VT in quadragesima usque ad nonam operentur fratres, quatenus Missa celebrata congruo tempore reficiantur.

XL. *De his fratribus qui quolibet modo, tamen graviter delinquunt.*

VT domus semota habeatur huiusmodi, his qui fugere aut pugnis baculisvè inter se voluerint confligere, aut quibus ex integro factæ sunt regulares disciplinæ, qua in hyeme ignis possit accendi, & atrium iuxta sit in quo valeant, quod eis iniungitur, operari.

XLI. *De eo qui in refectorio negligenter coram fratribus aliquid excesserit.*

VT si quis negligenter sonitum fecerit, aut aliud quid excesserit, in refectorio, mox à priore veniam petat.

XLII. *De plebeio non recipiendo in monasterio, nisi prius monachus fieri voluerit.*

VT nullus plebeïus seu clericus secularis in monasterio ad habitandum recipiatur, nisi voluerit fieri monachus.

XLIII. *Ne monachus iurando sermonem ferat, nisi sicut sancti patres consenserunt loqui.*

VT nemini liceat sermonem iuramenti aut affirmationis proferre, nisi sicut sancti patres soliti fuerunt loqui.

XLIIII. De *Abbatibus cellulas monachorum vel canonicorum habentibus.*

VT Abbatibus liceat habere cellas, in quibus aut monachi sint aut canonici, & Abbas provideat ne minus de monachis ibi habitare permittat quam sex.

XLV. De *schola in monasterio non habenda, nisi de his qui oblati fuerint.*

VT schola in monasterio non habeatur, nisi eorum qui oblati sunt.

XLVI. De *præcipuis solemnitatibus sanctorum, ut plenarium in eis officium fiat, & bis monachi edant.*

VT in præcipuis solemnitatibus, id est in Natali, & in octavis Domini, in Epiphania, in Pascha quoque & Ascensione Domini, in Pentecoste, & in sanctorum festivitatibus, id est, sancti Stephani & B. Ioannis Euangelistæ, & in Natali infantium, in Purificatione & Assumptione sanctæ Mariæ; similiter & in beatorum Apostolorum festis, & in sancti Ioannis Baptistæ nativitate, sancti quoque Laurentii atque Martini, seu in natalitiis cuius-

cuiuslibet sancti cuius honor in qualicunque parochia specialiter celebratur, plenarium officium agatur, & bis reficiatur.

XLVII. *De ieiunio in Parasceve.*

VT in Parasceve non aliud nisi panis & aqua sumatur.

XLVIII. *De benedictione post completorium dicenda.*

VT benedictio post completorium à sacerdote dicatur.

XLIX. *De decimis dandis tam Ecclesiæ quàm pauperibus.*

VT de omnibus in eleemosynam datis tam Ecclesiæ quàm fratribus, decimæ pauperibus dentur.

L. *De specialibus psalmis pro eleemosynariis & defunctis cantandis.*

VT prætermissis partitionibus psalterii, psalmi speciales pro eleemosynariis & defunctis cantentur.

LI. *De Pentecoste, ut per hebdomadam non flectantur genua; neq; ieiunetur, nisi dies ieiunii extiterint.*

VT in hebdomada Pentecostes, non flectantur genua, & non ieiunetur, nisi statuti fuerint dies.

LII. *De laicis in refectorium monachorum manducandi vel bibendi causa non ducendis.*

VT laicus causa manducandi ac bibendi in refectorium non ducatur.

LIII. *De vestimentis & calciamentis, ut fratribus quoties expedit dentur.*

VT quoties exposcit necessitas, vestimenta & calciamenta, & omnia necessaria fratribus dentur.

LIIII. *De his qui præponuntur, ut nonni vocentur,*

VT qui præponuntur, nonni vocentur.

LV. *De seniore decano.*

VT senior decanus reliquis decanis præponatur, & Abbate vel præposito præsente locum proprium teneat.

LVI. *De præposito, decano, & cellario.*

VT præpositus, decanus, cellarius de eorum ministerio, nisi causa utilitatis aut necessitatis, non removeantur.

LVII. *De libra panis, ut triginta solidos penset antequam coquatur.*

VT libra panis triginta solidis per duodecim denarios ponderetur.

LVIII. *De dormitorio hospitum.*

VT dormitorium iuxta oratorium constituatur, ubi supervenientes monachi dormiant.

LIX. *De Abbatibus, ut secum monachos in itinere non nisi ad Synodum ducant.*

VT Abbates monachos secum in itinere, nisi ad generalem synodum, non ducant.

LX. *De duobus signis ad tertiam, sextam, & nonam pulsandis.*

VT duo tantum signa ad tertiam, sextam, nonamque pulsentur.

LXI. *De monachis, ut disconsutas cappas non habeant, nisi tantum villosas.*

VT monachi cappas disconsutas, præter villosas, non habeant.

LXII. *De Abbatibus, & præpositis, atque decanis, ut benedictionem lectoribus tribuant, licet presbyteri non sint.*

VT Abbas, præpositus, vel decanus, quamvis presbyteri non sint, lectoribus benedictionem tribuant.

LXIII. *Vt è fratribus docti eligantur, qui supervenientibus monachis loquantur.*

VT docti fratres eligantur, qui cum supervenientibus hospitibus loquantur.

LXIIII. De *incerto furto, ut oratio & excommunicatio fiat, quousque qui culpabilis existit, manifestetur.*

VT de furto incerto oratio & excommunicatio à corpore & sanguine Christi fiat, quousque culpabilis confiteatur.

LXV. De *monacho qui adversus alium monachum testimonium protulerit.*

VT si frater adversus fratrem pro qualibet culpa testimonium protulerit, fratri perfectiori credatur.

LXVI. De *Psalmo invitatorio & Gloria pro defunctis non cantandis.*

VT Psalmus invitatorius, & Gloria pro defunctis non cantetur,

LXVII. De *lectore, ut stans benedictionem petat.*

VT lector stando benedictionem postulet.

LXVIII. *De eulogiis in refectorio fratribus à presbyteris dandis.*

VT eulogiæ fratribus à presbyteris in refectorio dentur.

LXIX. *Quod ad Capitulum primò martyrologium legendum sit, & versus postea dicendus, inde regula.*

VT ad Capitulum primitus martyrologium legatur, & dicatur versus, deinde regula aut homilia quælibet legatur, deinde, *TV AVTEM DOMINE*, dicatur.

LXX. *De lectione in Capitulo exponenda.*

VT ad Capitulum lectio tradatur, similiter ad conlationem, si tempus fuerit opportunum.

LXXI. *De ieiunio fratrum æstivo tempore.*

VT quando fratres æstivo tempore ieiunant, post sextam dormiant.

LXXII. *De eo qui culpæ noxa tenetur, ut die Dominico remissius habeat.*

VT is qui noxæ culpa tenetur, die Dominico remissius habeat, & veniam non petat.

LXXIII. *De anniversaria die pro defuncto Abbate celebranda.*

VT pro Abbate defuncto anniversarium fiat officium.

LXXIIII. *De eo ut ad Missam inclinati Sanctus dicant, & ad Pater noster genu flectant.*

VT ad Missam SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS, stantes, & PATER NOSTER genu flectentes dicant.

LXXV. *Non debet aliquis pro munere in monasterio recipi.*

VT nullus pro munere recipiatur in monasterio, nisi quem bona voluntas & merita commendant.

LXXVI. *De mensura cibi ac potus, quæ monachis separatim debet tribui.*

VT unicuique fratri in cibo & potu sua mensura separatim detur, & de tota mensura sibi alicui nihil tribuat.

LXXVII. *De fratrum pinguedine quam accipere debeant in victu quotidiano.*

VT fratres aliquid pinguedinis in victu quotidiano habeant, excepta sexta feria, & diebus octo ante natale Domini, & à quinquagesima usque ad Pascha.

LXXVIII. *In Domini natali & festivitate Paschæ monachis volatilia sumere octo diebus concessum est.*

VT volatilia natali Domini & in Pascha tantum octo diebus, si est unde comedant; si verò non fuerit unde, non requiratur per debitum. Si autem Abbas aut monachi abstinere se voluerint, in eorum sit arbitrio.

LXXIX. *De muffulis monachis dandis.*

VT muffulæ vervecinæ monachis dentur.

LXXX. *De disciplinæ modo.*

IN doctrina sua Abbas Apostolicam debet illam semper formam servare in qua dicit: *Argue, obsecra, increpa*, id est indisciplinatos & inquietos debet durius arguere, obedientes autem & mites ut in melius proficiant obsecrare. Negligentes & contemnentes ut increpet & corripiat admonemus, neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox ut cœperint oriri, radicitus ea, ut prævalet, amputet, memor periculi Heli sacerdotis de Silo. Improbos autem & duros ac superbos vel inobedientes verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coërceat, sciens scriptum: *Stultus verbis non corrigitur*. Et iterum: *Percute filium tuum virga & liberabis animam eius à morte*. In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam, neque ab ea temerè declinetur à quoquam. Nullus in monasterio proprii cordis sequatur voluntatem: neque præsumat quisquam cum Abbate suo protervè infra monasterium aut foris contendere, quod si præsumpserit, regulari disciplinæ subiaceat. Si quis frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correctio, id est verberum vindictæ in eum procedant. Similiter & qui præsumpserit claustra monasterii egredi, vel quocunque ire, vel quippiam quamvis parum sine iussione Abbatis facere, vindictæ regulari subiaceat. Peccantes autem coram omnibus arguantur, ut ceteri metum habeant.

INDEX CAPITVLORVM
ADDITIONIS SECVNDÆ.

CAPITVLA QVÆ DEINCEPS SEQVVNTVR, NON TVNC QVANDO PRÆSCRIPTA, VELVT IN SVBSEQVENTIBVS HABENTVR, INVENTA, COLLECTA, ORDINATA, HVCQVE INSERTA ESSE NOSCVNTVR: SED POSTMODVM A FIDELIBVS REPERTA, HAC IN SCEDVLA, SICVT ACTA ERANT, SVNT INSERTA, VT FACILIVS A FIDELIBVS, QVOTIENS NECESSE FVERIT, REPERIANTVR.

HLUDOVICI IMPERATORIS
ADDITIO SECUNDA.

CAPITULA QUÆ SUNT GENERALITER PER PAROCHIAS POPULIS DENUNCIANDA.

UT FIDEI SACRAMENTA BAPTIZANDI IMBUANTUR, ET UT PARVULI DE SACRIS FONTIBUS AB HIS NON SUSCIPIANTUR, VEL HOMINES AD CONFIRMATIONEM TENEANTUR, QUI IN PUBLICA POENITENTIA ADHUC CANONICE IRRECONCILIATI MANSERUNT.

HOc admonendum vel denunciandum fidelibus necessariò prævidimus, ut hi qui fidem Christi expetunt, & provectæ ætatis sunt, priusquam ad baptismum accedant, instruantur & fidei & baptismatis sacramento. Similiter & illi instruendi sunt, qui parvulos de sacro fonte suscipere voluerint, ut intelligant & vim eiusdem sacramenti, & quid pro aliis spoponderint, vel pro quo fideiussores extiterint. Illos tamen specialiter ab his officiis removendos iudicamus, nec alios de sacrosancto fonte baptismatis suscipiant, nec etiam ad percipiendum sancti Spiritus donum aliorum patroni existant, qui & communione canonica privati, & pœnitentiæ publicæ sunt subacti, donec per pœnitentiæ satisfactionem reconciliationem mereantur. Quos enim lex divina & auctoritas canonica ab Ecclesiarum liminibus, & à castris militaribus, ne ruina sint populi, sequestrat; multò magis ab his sacris officiis usque ad tempus pœnitentiæ, ut iam dictum est, peractum, sunt sequestrandi.

II. *Quo tempore baptisma celebrari oporteat.*

VT extra statuta tempora canonum baptismata non celebrentur. Quia sacri canones hoc modis omnibus, nisi aliquod periculum institerit, fieri prohibent; in tantum, ut etiam eos, qui alio tempore baptizantur, à gradibus Ecclesiasticis arceant.

III. *Vt pactum in baptismate factum cum Deo à baptizatis observetur.*

DE eo etiam instruendos fideles necessariò providimus, ut intelligant pactum, quod cum Deo in baptismate fecerunt. Pactum quod cum Deo in baptismate fit, à multis ex toto, à multis ex parte transgreditur. Ex toto quippe transgreditur, quando quis post acceptam baptismatis gratiam, aut ad infidelitatem, aut hæresim, aut certè ad schisma prolabitur. Ex parte verò, quando quis aut ad superbiam, aut ad invidiam, aut ad cetera vitia spiritalia, quæ ex radice superbiæ prodeunt, labitur.

IIII. *Quid sit abrenunciatio in baptismo, & quo modo observanda sit.*

QVid sit abrenunciare Diabolo, operibus & pompis eius, valde omnes fideles intelligere oportet. Quapropter necesse est, ut prædicatores in admonendo, & auditores in discendo, & opere complendo ab hinc, ut suum cavere possint periculum, magis adhibeant studium. Abrenunciare igitur Diabolo, est penitus eum respuere, spernere, reiicere, eique contradicere, seque unumquemque ab eo alienare, sive aliud quid, quod hoc verbo in hoc sensu exprimi potest. Opera eius sunt, quæ utique operibus Salvatoris contraria existunt. Primum superbia, cuius ille auctor est, & quæ eum ex Angelo Dæmonem fecit, quæ est etiam initium omnis peccati, & cetera vitia, quæ ex radice prodeunt superbiæ. Pompa diaboli hæc est, quæ & pompa mundi, id est ambitio, arrogantia, vana gloria, omnisque cuiuslibet rei superfluitas in humanis usibus; unde crescit elatio, quæ multoties honestati solet adscribi, & cetera huiusmodi quæ de fonte superbiæ procedere noscuntur. Hæc & his similia sunt, quæ unusquisque fidelis tempore baptismatis à se reiecit, Christoque se mancipavit, pactumque cum Deo fecit, ne penitus ad ea quibus abrenunciavit, rediret. Verum si iura humanæ pactionis firmiter conservantur, fixius tamen atque ferventius iura tanti pacti, quæ cum Deo facta sunt, inviolabiliter sunt observanda.

V. *De scholis per singulas urbes habendis.*

INter nos pari consensu decrevimus, ut unusquisque Episcoporum in scholis habendis, & ad utilitatem Ecclesiæ militibus Christi præparandis & educandis, ab hinc maius studium adhiberet. Et in hoc uniuscuiusque studium volumus probare, ut quando ad provinciale Episcoporum concilium ventum fuerit, unusquisque rectorum scholasticos suos eidem concilio adesse faciat, quatenus & ceteris Ecclesiis noti sunt, & eius solers studium circa divinum cultum omnibus manifestum fiat.

VI. *Quòd ab Episcopis ieiunis impositionem manuum fieri oporteat.*

VT Episcopi non nisi ieiuni per impositionem manuum Spiritum sanctum tradant, exceptis infirmis & morte periclitantibus. Sicut autem duobus temporibus, Pascha videlicet & Pentecoste, baptismum, ita etiam traditionem sancti Spiritus à ieiunis pontificibus convenit celebrari.

VII. *Vt nullus presbyterorum Missam solus celebrare praesumat.*

VIsum etiam nobis fuit illud inhibendum, ut nullus presbyterorum solus Missam celebrare præsumat: quia ita nec verba Domini salvatoris, quibus mysteria corporis & sanguinis suis discipulis celebranda contradidit, nec Pauli documenta declarant, nec etiam in ipsis actis Apostolorum, si enucleatim legantur, ita fieri deberi ullo modo invenitur. Vnde conveniendus, imò interrogandus nobis videtur huiusmodi corporis & sanguinis Domini solitarius consecrator, quibus dicit, DOMINVS VOBISCVM, & à quo illi respondetur, ET CVM SPIRITV TVO? vel pro quibus supplicando Domino inter cetera, MEMENTO DOMINE, & OMNIVM CIRCVMSTANTIVM, cum nullus circumstet dicit? Quæ consuetudo, quia Apostolicæ & Ecclesiasticæ auctoritati refragatur, & tanto mysterio quandam dehonorationem irrogare videtur, omnibus nobis in commune visum est, ut deinceps huiuscemodi usus inhibeatur.

VIII. *Vt in unaquaque Ecclesia proprius presbyter habeatur.*

SÆpe namque in aliis conciliis, & nunc in nostris conventibus constitutum est, ut unaquæque Ecclesia, si facultas suppetit, proprium habeat presbyterum; & unusquisque presbyter una tantum sit contentus Ecclesia.

XI. *Vt in die Dominica rurale opus non fiat.*

INter cetera verò admonitionis nostræ officia satis illud necessarium visum est, ut populis fidelibus terribiliter denuntietur, ut diem Dominicam, in quo auctor vitæ resurrexit à mortuis, honorabiliter & venerabiliter colant. Nam si pagani ob memoriam & reverentiam Deorum suorum dies colere, & Iudæi more carnali sabbatum carnaliter observare satagunt; quanto magis Christianæ religionis devotio ob memoriam Dominicæ resurrectionis eundem diem venerabiliter atque honorabiliter colere debet? Multi namque nostrorum visu, multi etiam quorundtm relatu didicimus, quosdam in hoc die opera ruralia exercentes, fulmine interemptos, quosdam artuum contractatione multatos, quosdam etiam visibili igne absumptos, subito in cinerem resolutos pœnaliter occubuisse. Proinde necesse est ut primum sacerdotes, Reges & Principes, cunctique fideles huic diei debitam observationem atque reverentiam devotissimè exhibeant.

X. De *Missarum celebrationibus in locis incongruentibus minimè agendis.*

ILlud etiam quanquam sæpe admonitum sit, iterum inculcandum populisque denuntiandum summopere visum fuit, ut Missarum celebrationes in locis incongruentibus fieri omnino non habeant: & necesse est ut unusquisq; Episcoporum huiuscemodi temerariam consuetudinem à parochia sua penitus amoveat. Et si quis presbyterorum ab hinc (excepto quando in itinere pergitur, & locus basilicæ procul est, & ideo in altaribus ab

Episcopo consecratis fieri necessitas compellit, ne populus Dei sine Missarum celebratione, & corporis & sanguinis Dominici perceptione maneat) Missarum celebrationes in huiusmodi illicitis locis post tot tantasque prohibitiones facere attentaverit, dignum est ut gradus sui periculum incurrat. Satius igitur est Missam non audire, quam eam, ubi non licet nec oportet, celebrare aut audire.

XI. *Quòd presbyteri inconsultis Episcopis viduas velare non debeant.*

QVia ergo quod sæpe in nostris conciliis prohibitum est, viduas inconsultis Episcopis velari non debere, & eandem constitutionem à quibusdam prævaricari nunc cognovimus, prorsus ne deinceps fieret, interdiximus. Vt si quispiam presbyterorum deinceps huius constitutionis contumaciter transgressor extiterit, scilicet ut aliquam viduam inconsulto Episcopo velare præsumat, gradus sui periculum incurrat.

XII. D*e puellis virginibus à presbyteris non velandis.*

Similiter & de puellis virginibus à presbyteris non velandis inhibuimus: in qua re hactenus multos presbyterorum partim temeritate deliquisse deprehendimus.

XIII. *Quòd quædam fœminæ sibi velum absque assensu sacerdotum imponunt.*

DEprehendimus & aliam negligentiam, eo quòd quædam fœminæ sine consensu sacerdotum velum sibi incautè imponant, quod similiter ne ulterius fieret, inhibuimus.

XIIII. D*e Abbatissis & sanctimonialibus, quæ contra canones viduis & puellis velum imponunt.*

NIhilominus etiam in quibusdam locis inolitum invenimus usum stultitiæ plenum, & Ecclesiasticæ auctoritati contrarium, eo quod videlicet nonnullæ Abbatissæ, & aliquæ ex sanctimonialibus, viduis & puellis virginibus contra fas velum imponere præsumant, & ideo nonnullæ taliter velatæ putant, liberius suis carnalibus desideriis se posse vacare, & suas voluntates explere. Quapropter statuimus, ut si aut Abbatissa aut quælibet sanctimonialis post hanc diffinitionem in tantam audaciam proruperit, ut aut viduam aut puellam virginem velare præsumat, iudicio canonico usque ad satisfactionem subdatur.

XV. D*e fœminis nobilibus quæ post mortem virorum suorum capita velant statim.*

DE nobilibus fœminis, quæ amissis viris repente velantur, & in propriis domibus diversas necessitates opponentes residere delectantur, de quibus in aliis conventibus iamdudum ventilatum & definitum est, maiori solertique studio admonendas esse & instruendas ab Episcopis statuimus, quatenus

tenus suæ saluti consulant, nec sic indiscretè vivendo, & propria noxiaque libertate utendo, & per diversa vagando, periculum animarum suarum incurrant, semper illud Apostolicum ante oculos habentes, quo dicitur: *Vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est.*

XVI. *Vt nullus canonicorum vel monachorum, nisi prædicationis aut alicuius certæ necessitatis causa, & hoc licentia Episcopi, vel qui ab eo sua vice fungitur, monasterium monachorum aut canonicorum adire præsumat.*

QVia etiam comperimus quosdam canonicos & monachos postposito religionis suæ pudore, monasteria sanctimonialium, tam monacharum quam canonicarum, inconsulto Episcopo suo imprudenter atque irreverenter adire; qui obtendere solent, se non ob aliud illuc accedere, nisi aut propinquitatis, aut familiaritatis, aut certè nescio cuius collocutionis gratia. Quod factum quia nec canonico nec monastico congruit proposito, prorsus interdicimus, nisi fortè causa prædicationis, aut certè inevitabilis necessitas id facere coëgerit; & hoc nullatenus sine licentia Episcopi, aut illius qui vice illius fungitur, fieri præsumatur. Quòd si sermo prædicationis faciendus est, congruo in loco coram omnibus fiat. Si verò colloquendum cum aliqua sanctimonialium ratio expostulat, id non alibi nisi in constituto loco, id est in auditorio, sub testimonio virorum religiosorum & religiosarum fœminarum fiat. Quando verò sacerdotibus in monasteriis puellaribus Missarum celebrationes faciendæ sunt, cum ministris sibi deputatis illuc ingrediantur: quibus ritè peractis, non ad secretas collocutiones sanctimonialium se ullo modo divertant, sed cum ministris suis illico egrediantur. Porro si sacerdotibus sanctimoniales peccata sua confiteri voluerint, id non nisi in Ecclesia coram sancto altari, adstantibus haud procul testibus, faciant. Si autem infirmitas præpedierit, aut in Ecclesia eadem confessio fieri nequeat, in quacumque libet domo facienda est, non nisi testibus similiter haud procul adstantibus fiat. Nullo modo quippe videtur nobis convenire, ut monachus relicto monasterio suo idcirco sanctimonialium monasteria adeat, ut confitentibus peccata sua modum pœnitentiæ imponat.

XVII. *Quòd pecunia à paupere non sit exigenda cum usura.*

QVia ergo in multimodis usurarum adinventionibus quosdam clericos & laicos oblitos præceptionis Dominicæ, qua dicitur: *Pecuniam tuam non dabis ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges, ego Dominus Deus vester*; in tantam turpissimi lucri rabiem exarsisse cognovimus, ut in multiplicibus atque innumeris usurarum generibus, sua adinventione & cupiditate repertis, pauperes affligant, opprimant, & exhauriant, adeo ut multi fame confecti pereant, multi etiam propriis derelictis alienas terras expetant; in quibuscunque locis hoc fieri didicimus, ne ulterius fieret, cum ingenti protestatione modis omnibus inhibuimus: attendentes illud

quod in libro Exodi Dominus per legislatorem dicit: *Si pecuniam tuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgeas eum quasi exactor, nec usuris opprimas.* In libro quoque Levitici: *Si attenuatus fuerit frater tuus & infirmus manu, & susceperis eum quasi advenam & peregrinum, & vixerit tecum, non accipias ab eo usuram, nec amplius quam dedisti. Time Dominum Deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te.* Et in libro Deuteronomii: *Si unus*, inquit, *de fratribus tuis qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus daturus est tibi, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum quo indigere eum perspexeris,* Item in eodem: *Cave ne fortè subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo: appropinquat septimus annus remissionis, & avertas oculos à paupere fratre tuo, nolens ei mutuum, quod postulat, commodare, ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum, sed dabis ei nec ages quidpiam callidè in eius necessitatibus sublevandis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore in cunctis ad quæ manum miseris.* Amos Propheta ait: *Audite hoc qui conteritis pauperem & deficere facitis egenos terræ dicentes: Quando transibit messis, & venumdabimus merces, & sabbatum & aperiemus frumentum, ut imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, ut possideamus in argento egenos, & pauperes pro calciamentis, & quisquilias frumenti vendamus.* Hieronymus in expositione Ezechielis Prophetæ: *Putant quidam usuram tantùm esse in pecunia, quod prævidens Scriptura omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias quàm dedisti. Solent in agris frumenti & milii, vini & olei, ceterarumq; specierum usuræ exigi, sive ut appellat sermo divinus superabundantiæ: verbi gratia, ut hyemis tempore demus decem modios, & in messe recipiamus quindecim, hoc est amplius parte media, qui iustissimum si putaverit, quartam plus accipiet portionem. Et solent argumentari ac dicere. Dedi unum modium, qui satus fecit decem modios, nonne iustum est ut medium modium de meo plus accipiam, cum ille mea liberalitate novem & semis de meo habeat. Noli errare,* inquit Apostolus, *Deus non irridetur. Respondeat enim nobis breviter fœnerator misericors, utrum habenti dederit, an non habenti: habenti utique dare non debuerat: sed dedit quasi non habenti, ergo quare plus exigit, quasi ab habente? Alii pecunia fœnerata solent munuscula accipere diversi generis, & non intelligunt usuram appellari & superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo quod dederint, plus acceperint.* De mensurarum namque inæqualitate & modiis iniustis & sextariis, quæ Domini lege habere prohibentur, qualiter res ad certam correctionem perduci possit, non satis perspicuè nobis patet, eo quod in diversis provinciis, diversæ ab omnibus penè habeantur. Hoc tamen modis omnibus optamus & admonemus, ut saltem nullus duplices mensuras in sua dominatione aut habeat aut haberi permittat: quoniam hac occasione multos pauperes affligi in plerisque locis cognovimus.

XVIII. De *diversis malorum flagitiis.*

SVnt sanè diversorum malorum patratores, quos & lex divina improbat & con-

& condemnat, pro quorum etiam diversis sceleribus & flagitiis populus fame & pestilentia flagellatur, & Ecclesiæ status infirmatur, & regnum periclitatur. Contra quos nos eorum malitiam exaggerantes, quanquam in sacris eloquiis satis sint execrata, necessarium prævidimus iterum nostra admonitione & exhortatione præcaveri omnino oportere: sicut sunt diversarum pollutionum patratores, quas cum masculis & pecoribus nonnulli diversissimis modis admittunt, quæ incomparabilem dulcedinem piissimi Creatoris ad amaritudinem provocantes, tanto gravius delinquunt, quanto contra naturam peccant: pro quo etiam scelere igne cœlesti conflagratæ, infernique hiatu absorptæ sunt civitates, necnon & quadraginta & eo amplius millia stirpis Beniamineæ mucrone fraterno confossa sunt. Hæc porrò iudicia & evidentes vindictæ, declarant quàm detestabile & execrabile apud divinam maiestatem hoc vitium extet. Extant & alia perniciosissima mala, quæ ex ritu gentilium remansisse non dubium est, ut sunt magi, arioli, sortilegi, venefici, divini, incantatores, somniorum coniectores, quos divina lex irretractabiliter puniri iubet. De quibus in lege dicitur: *Anima quæ declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui. Sanctificamini & estote sancti, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester. Custodite præcepta mea, & facite ea, quia ego Dominus qui sanctifico vos.* Et alibi: *Magos, & ariolos, & maleficos terræ vivere ne patiamini.* Dubium etenim non est, sicut multis est notum, quòd quibusdam præstigiis atque diabolicis illusionibus ita mentes quorundam inficiunt poculis amatoriis, cibis, vel phylacteriis, ut in insaniam versi à plerisque iudicentur, dum proprias non sentiunt contumelias. Ferunt enim suis maleficiis aëra posse conturbare, & grandines immittere, futura prædicere, fructus & lac auferre, aliisque dare, & innumera à talibus fieri dicuntur. Qui ut fuerint huiusmodi reperti viri seu fœminæ, in tantum disciplina & vigore Principis acrius corrigendi sunt, inquantum manifestius ausu nefando ac temerario servire Diabolo non metuunt. De his quoque in concilio Ancyrano titulo XXIII. ita scriptum est: *Qui divinationes expetunt, & morem gentilium subsequuntur, aut in domos suas huiuscemodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi causa, sub regula quinquennii iaceant, secundum gradus pœnitentiæ definitos.* Oportet enim hæc in omnibus, & maximè in his locis, ubi licitè & impunè multi se posse aut perpetrare hoc confidunt, ut studiosius & diligentius admoneantur, & severius corrigantur.

XIX. *De aliis vitiis quæ in usu quasi per naturam habentur.*

SVnt & alia detestanda vitia, quæ ita habentur quasi naturaliter in usu, ut ea perpetrantes quanti sunt discriminis non advertant, sicut sunt ea, quæ Apostolus apertè enumerat, id est, ebrietates, commessationes, contentiones, iræ, rixæ, dissensiones, detractiones, invidiæ, inimicitiæ, quæ homines,

iuxta eundem Apostolum, à regno Dei excludunt, ita inquientem: *Qui enim talia agunt, regnum Dei non consequuntur.* Intantum enim ea impudenter & fidenter quidam committunt, ut meritò de illis dici possit: *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Vnde oportet ut omnes Christiani hæc & subtiliter intelligant, & studiosissimè caveant, ne fortè ea perpetrantes, & alia bona quæ agunt perdant, & propter hoc à regno Dei se alienos faciant. Similiter etiam de otioso sermone, iuxta Domini vocem, omnes reddituri sumus in die iudicii rationem: de scurrilitate & stultiloquio & maledictionibus, quoniam iuxta Apostolum, *Maledicentes regnum Dei non possidebunt:* de mendacio, de periculoso, noxio, assiduoque iuramento, & obscœnis turpibusque canticis, omnibus Christianis intelligendum & observandum est, ut summopere ab his se caveant, ne his studentes per negligentiam detrimentum (quod absit) suarum patiantur animarum. Hæc igitur quæ breviter præmissa sunt, primùm adiuvante divina gratia à nobismetipsis abdicando, formam & exemplum aliis præbere volumus, & fidelibus nostris humiliter innotescere, & fideliter denunciare necessariò iudicavimus. Sed & per parochias nostras omnes admonendo instruere cupimus, ne quod absit, per suam ignorantiam & nostram negligentiam huiusmodi mortiferis subiaceant vitiis.

XX. *Vt laici uxores sola causa filiorum habere debeant: & quòd coniugium à Deo est institutum.*

CONgessimus etiam in opere conventus nostri nonnulla alia Capitula, ad laicorum fidelium observationem & salutem pertinentia, quorum hîc omissa prolixitate mentionem tantum facimus; scilicet, quod nosse eos oporteat, coniugium à Deo esse constitutum, & quòd non sit causa luxuriæ, sed causa potius filiorum appetendum: & ut virginitas, sicut doctores nostri tradunt, usque ad nuptias sit custodienda: & ut uxores habentes, neque pellicem neque concubinam habere debeant. Quomodo etiam in castitate uxores suas diligere, eisque ut pote vase infirmiori honorem debitum debeant impendere; & quòd commixtio carnalis cum uxoribus, gratia fieri debeat prolis, non voluptatis; & qualiter à coitu prægnantium uxorum viris abstinendum sit, necnon & qualiter menstruo tempore, viris ab uxoribus suis abstinendum sit; & quòd nisi causa fornicationis, ut Dominus ait, non sit uxor dimittenda, sed potius sustinenda; & quod hi qui causa fornicationis dimissis uxoribus suis alias ducunt, Domini sententia adulteri esse notentur, sive etiam qualiter incesta Christianis cavenda sint, & quòd loca Deo dicata frequentius devotiusque à fidelibus ad Deum exorandum, sibique propicium faciendum sint adeunda. Et quòd in basilicis Deo dicatis non sit fabulis otiosis, turpibusque & obscœnis sermocinationibus vacandum, & negotia secularia publicaque placita habenda, & quòd qui hæc in Ecclesiis Dei faciunt, maiora sibi peccata accumulent. De iusto iudicio iudicando, & munerum acceptione cavenda. De falso testimonio vitando, & de detractione vitanda: necnon & de ceteris quæ longum est dinumerare. Sunt etiam alia plura flagitia pernecessariò corri-

corrigenda, quæ nos ideo hîc inserere non necessarium duximus, quoniam satis evidenter in vestris Capitulis ea comprehensa esse scimus, quæ vos vestra auctoritate & fidelium consultu per strenuos missos vestros corrigenda esse censuistis. Hæc nos fideles & devotissimi famuli & oratores vestri, iuxta parvitatem sensus nostri, prout brevitas temporis permisit, secundum sanctam ordinationem vestram, de his quæ ad nostram, & consacerdotum, subiectorumque nostrorum correctionem & emendationem pertinere perspeximus, necnon & de his quæ populis necessariò annuncianda & admonenda prævidimus, illud etiam quod vestræ pietati deposcendum modo iudicavimus, pauca de multis quæ in nostris conventibus gesta sunt excerpentes, in unum redigendo succinctè & ordinatim adnotavimus. Sed quamquam ordine præpostero de his quæ præmissa sunt, vestro ardentissimo desiderio prius satisfacere elegerimus: illud tamen quod in capite prius ponendum fuerat, & ad vestram specialiter personam ministeriumque pertinere cognovimus, nullatenus oblivioni tradidimus: sed potius vestræ saluti prospicientes, nonnulla Capitula necessaria fideliter collegimus, & vobis familiariter admonitionis gratia porrigenda devovimus, ut apertè atq; distinctè inspiciendo, legendo, & audiendo vestra cognoscere possit solertia, de quibus & pro quibus in memoratis conventibus nostris, secundum virium possibilitatem nostrarum fideliter egerimus.

XXI. *De Regis vocabulo, & qualis esse debeat ipse.*

VT quid Rex dictus sit, Isidorus in libro Sententiarum scribit: *Rex enim,* inquit, *à rectè agendo vocatur. Si enim piè, & iustè, & misericorditer agit, meritò Rex appellatur: si his caruerit, non Rex sed tyrannus est. Antiqui autem*, ut idem Isidorus in libro Etymologiarum scribit, *omnes Reges tyrannos vocabant. Sed postea piè, & iustè, & misericorditer regentes Regis sunt nomen adepti: impiè verò, iniustè, crudeliterq; principantibus, non Regis sed tyrannicum aptatum est nomen.* Vnde & Beatus Gregorius ait in Moralibus: *Viros namque sanctos proinde Reges vocari in sacris eloquiis didicimus, eo quòd rectè agant, sensusq; proprios bene regant, & motus resistentes sibi rationabili discretione componant.* Rectè igitur illi Reges vocantur, qui tam semetipsos quàm subiectos bene regendo pacificare nôverunt. Ad quid etiam constitutus sit Imperator, Fulgentius in libro de veritate prædestinationis & gratiæ scribit: *Clementissimus quoque Imperator non ideo est vas misericordiæ præparatum in gloria, quia apicem terreni principatus accepit: sed si in imperiali culmine recta fide vivat, & vera cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis sanctæ religioni subiiciat: si magis in timore servire Deo, quàm in timore dominari populo delectetur, si in eo levitas iracundiam mitigat, ornat benignitas potestatem, si se magis diligendum quàm metuendum cunctis exhibeat, si subiectis salubriter consulat, si iustitiam sic teneat, ut misericordiam non relinquat, si præ omnibus ita se sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ meminerit filium, ut eius paci atque tranquillitati per universum mundum prodesse suum faciat principatum.* Magis enim Christianum regitur ac propagatur imperium,

dum Ecclesiastico statui per omnem terram consulitur, quàm cum in parte quacunque terrarum pro temporali securitate pugnatur. Vnde & Isidorus scribit: *Principes namque seculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant.* Ceterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalet sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impetret per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cœleste regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ utilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat. Salomon in Proverbiis: *Misericordia & veritas custodiunt Regem, & roborabitur clementia thronus eius.*

XXII. *De ministerio regali quale sit.*

Regale namque ministerium specialiter est, populum Dei gubernare & regere eum æquitate & iustitia, & ut pacem & concordiam habeant studere. Ipse enim debet primo defensor esse Ecclesiarum, & servorum Dei, viduarum, orphanorum, ceterorumque pauperum, necnon & omnium indigentium. Ipsius enim terror & studium huiusmodi, in quantum possibile est, esse debet; primò ut nulla iniustitia fiat, deinde si evenerit, ut nullo modo eam subsistere permittat, nec spem delitescendi sive audaciam malè agendi cuiquam relinquat. Sed sciant omnes, quoniam si ad ipsius notitiam pervenerit quidpiam mali quod admiserint, nequaquam incorrectum aut inultum remanebit, sed iuxta facti qualitatem erit & modus correctionis. Vnde oportet ut ipse qui iudex est iudicum, causam pauperum ad se ingredi faciat, & diligenter inquirat, ne fortè illi qui ab eo constituti sunt, & vicem eius agere debent in populo, iniustè aut negligenter pauperes oppressiones pati permittant. Scire autem & unumquemque cuiuslibet sit ordinis oportet, quia si de otioso sermone Deo rationem redditurus est, multò magis de ministerio sibi divinitus commisso. De ministerio autem Regis ita Iob loquitur: *Quumque sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator: auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi, quòd liberassem pauperem vociferantem, & pupillum cui non esset adiutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Iustitia indutus sum, & vestivit me sicut vestimento & diademate iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & causam quam nesciebam diligentissimè investigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Salomon. *Rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Item idem in libro Sapientiæ: *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram: sentite de Domino in bonitate, in simplicitate cordis quærite illum.* Item ibi: *Audite ergo Reges & intelligite, discite iudices finium terræ, præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri eius, non rectè iudicastis*

castis, neque custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis, horrendè & citò apparebit vobis Dominus, quoniam iudicium durissimum in his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Dominus, nec reverebitur cuiusquam magnitudinem: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter pro omnibus cura est illi. Extant & alia innumera sanctarum scripturarum testimonia, regio nomini & officio convenientia, super quibus colligendis vestra sancta devotio idcirco magnum nobis ademit laborem, eo quod divina gratia adeo tot virtutum prærogativis vestrum repleverit animum, & exornaverit dignitatem, & non sit necesse sacerdotibus Domini, copiosioribus exemplis qualibet exaggeratione vestrum animum onerare. Quare Deo omnipotenti gratias uberrimas ac multiplices referimus, qui ita vos pia religione, sancta devotione, benigna humilitate, amore iustitiæ, operibus misericordiæ, ceterarumque sanctarum virtutum perfectione sua gratuita pietate ditavit, ut meritò ab omnibus amandi & imitaudi sitis. Verum quòd si hæc vobis cœlitus adtributa non fuissent, cum temporali periculo propter auctoritatem ministerii nostri vos ad ea peragenda admonere, imò admonendo exigere à vobis quoquomodo debueramus. Vos è contra, propter divinum amorem & honorem, & admonendo nos ad potiora provocatis, & pium oportunumque adiutorium nobis ferre devotissimè curatis. Proinde humilimis precibus specialiter pietati vestræ suggerimus, ut bonum quod cœpistis, Deo opitulante indesinenter perficere non gravemini, & adimplendis operibus iustitiæ & pietatis ac misericordiæ nullatenus deficiatis: quoniam non inchoantibus, sed perficientibus præmium æternæ vitæ datur. Et iuxta veritatis vocem: *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit.*

XXIII. *Quòd in eligendis & constituendis Ecclesiæ rectoribus, Regem magnam vigilantiam adhibere oporteat.*

ITerum monendo magnitudini vestræ suppliciter suggerimus, ut deinceps in bonis pastoribus rectoribusque in Ecclesiis Dei constituendis magnum studium atque solertissimam adhibeatis curam. Quia si aliter factum fuerit, & ordo Ecclesiasticus suam non habebit dignitatem, & religio Christiana in multis labefactando damna detrimenti sui patietur, & animæ vestræ, quod non optamus, periculum generabitur.

XXIIII. *De Abbatissis constituendis.*

SImiliter deposcimus, ut in Abbatissis constituendis vestrum specialiter caveatis periculum, sicut vobis sæpe est admonitum, & per divinam auctotatem crebrius manifestatum.

XXV. *De adiutoribus Reipublicæ & ministris eligendis.*

SEd & hoc obsecramus, ut in eligendis adiutoribus vestris & reipublicæ ministris, qui vice vestra populum Dei regere & gubernare atque iudi-

care debent, solertissimam providentiam habeatis, semper illud attendentes quod in libro Exodi ad Moysen dicitur. *Proinde*, inquit, *de omni populo viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis tribunos & centuriones & quinquagenarios, qui iudicent populum omni tempore. Quidquid autem maius fuerit, referent ad te, & ipsi minora tantummodo iudicent, leviusque tibi sit partito in alios onere. Si hoc feceris, implebis imperium Domini, & praecepta eius poteris sustentare*. Vnde & in libro Deuteronomii: *Iudices*, inquit, *& magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas, ut iudicent populum iusto iudicio, nec in aliquam partem declinent.* Item ibi: *Dixiq; vobis in illo tempore, Non possum solus sustinere vos, quoniam Dominus Deus vester multiplicavit vos, & estis hodie sicut stellæ cœli plurimæ: Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia, & faciat vobis sicut locutus est, Non valeo solus vestra negotia sustinere, & pondus, & iurgia, date e vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conversatio sit probata in tribubus vestris.* Sed & in libro Paralipomenon ita legitur: *Constituitq; Rex Iosaphat iudices terræ in cunctis civitatibus Iuda munitis per singula loca.* Et præcipiens iudicibus: *Videte*, ait, *quid facitis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: & quodcunque iudicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non enim est apud Dominum Deum vestrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum*. Rogamus etiam vestram pietatem propter divinam misericordiam, vestramque salutem, ac totius populi utilitatem, necnon & regni honorem atque stabilitatem, ut vestra pietas solertissimam vigilantiam adhibeat, quatenus consiliarii & dignitatis vestræ ministri, custodesque animæ vestræ & corporis, qui debent esse intra regnum aliis decus & bonitatis exemplum, & in exteris nationibus bonæ opinionis condimentum, charitatem, pacem, atque concordiam, omni simulatione & calliditate postposita, adinvicem habeant: ut secundum Dei voluntatem, & vestram honestatem, atque totius regni profectum, communiter decertent, & viri vobis adiutores in omnibus concorditer existant. Tunc enim veri consiliarii verique adiutores vestri & totius regni salubriter esse poterunt, si unanimes extiterint, & invicem dilectionem habuerint. Decet quippe ut sacra domus vestra cunctis spectabilis appareat, & imitabilis existat, & fama suæ bonæ opinionis sive alios imperii vestri subiectos, sive exteras nationes, abundantissimè perfundat. Vbi igitur omnes dissensiones & discordiæ dirimendæ, & omnis militia imperiali auctoritate est comprimenda, necesse est ut quod in aliis corrigere decernit, in ea minimè reperiatur. Nam & hoc humiliter obsecrando admonemus, ut liberos vestros quos vobis divina pietas largiri voluit, in timore Dei iugiter diligenterq; erudiatis, sicuti & facitis: & ut in mutuæ dilectionis charitate & fraternitatis amore atque unanimitatis concordia vicissim consistant, sedula paternaque admonitione insistatis: & ne illicitis actibus creatoris sui offensam incurrant, provida solertique circumspectione nihilominus invigiletis; attendentes beatum Iob, cuius studium, ut Beatus Gregorius in Moralibus libris scripsit, circa

circa filios erudiendos tale extitit, ut non solum eos exterius perfectos opere & sermone efficeret, verumetiam eorum corda sacrificii oblatione mundaret. Attendite etiam & David instruentem Salomonem filium suum, de quo in primo libro Malachim legitur: *Ego*, inquit, *ingredior viam universæ terræ, confortare & esto vir fortis, & observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis eius, & custodias ceremonias eius, & iudicia eius, & præcepta & testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi.* Et in libro Paralipomenon: *Tu autem Salomon fili mi, scito Deum patris tui, & servi ei corde perfecto, & animo voluntario.* Attendite etiam Tobiam de quo legitur, quòd cum factus esset vir, accepit uxorem Annam ex tribu sua, & genuit ex ea filium, nomen suum imponens ei, quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. Item idem alloquens eundem filium suum: *Omnibus*, inquit, *diebus vitæ tuæ habeto Deum in mente, & cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Dei nostri. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors*, & cetera. Item paulò post. *Attende tibi fili ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam nequaquam patiaris crimen scire. Superbiam nunquam in tuo sensu aut in corde dominari permittas: ex ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Et idem non post multa: *Consilium semper à sapiente perquire, omni tempore benedic Deo, & pete ab eo ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Item idem: *Audite ergo filii mei patrem vestrum, servite Domino in veritate, & inquirite ut faciatis quæ sunt placita illi, & filiis vestris mandate, ut faciant iustitias & eleemosynas, & ut sint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate & in tota virtute sua.* His omnibus prælibatis notescimus vobis, quòd ea quæ in Capitulis vestris nobis tractanda commisistis, scilicet quid à Principibus & reliquo populo, vel ita ut divina auctoritas doceat, aut aliter teneatur, vel quid inde ex parte aut ex toto dimissum sit & non teneatur, fatemur quia in his Capitulis quæ superius continentur, necnon & in his quæ præsenti anno conscribi, & per missos vestros ob vitia comprimenda per imperium vestrum direxistis multa demonstrata sunt, quæ à pastoribus Ecclesiarum & à Principibus & à reliquo populo hactenus neglecta extiterunt, & aliter quàm divina auctoritas se habet, in his eos egisse & agere novimus. Sed si hæc nostra sacerdotalis admonitio effectum Deo operante per vestrum bonum studium ab hinc obtinuerit, credimus quòd multa quæ à multis aliter, quàm divina auctoritas se habeat, dimissa sunt, quæ non tenebant, corrigentur. Nam & illud quod in eisdem Capitulis continetur, ut manifestum fieret quæ causæ id effecerint, ut sacerdotes & Principes à recto tramite deviassent, exceptis præmissis Capitulis, in quibus, sicut diximus, multa negligebantur: specialiter tamen unum obstaculum ex multo tempore iam inolevisse cognovimus, id est, quia & principalis potestas diversis occasionibus intervenientibus, secus quàm auctoritas divina se habeat, in causas Ecclesiasticas prosilierit, & sacerdotes partim negligentia partim ignorantia in cupiditate, in secularibus negotiis

& sollicitudinis ultra quàm debuerant se occupaverint, & hac occasione aliter quàm divina auctoritas doceat, in utraque parte actum extitisse dubium non est. Sed quia Deo miserante à progenitoribus & genitore vestro, & à vobis multa correcta gratulamur, si ea quae admonemus prosperum successum habuerint, credimus quòd ad perfectionis statum vestra intentio nostraque devotio, Deo cooperante, pervenire possit. Verumtamen quia novimus statum huius regni sub tali conditione & tenore crevisse atque dilatum esse, à prudentissimis sanctisque praedecessoribus vestris, sive scilicet ab Episcopis, sive à Principibus hanc causam ex toto correctam non fuisse propter haec, quae suo tempore dici possunt, & pondus tantae considerationis parvitatis nostrae vires excessit, quoniam nec otium, nec spatium temporis, nec plenitudinem consacerdotum nostrorum, sicut ipsa necessitas exposcebat, habuimus. Ideo haec congruentiori & aptiori tempori, vita comite, si Deus ita annuerit, tractanda ac consideranda distulimus; quoniam tantae considerationis perfectio indiget assensu & adiutorio Principum, & multitudine atque devotione, necnon & studio sacerdotum, & obedientia vel concordia populi, & congruentia loci temporisq́, spacio. Porro de Episcopali libertate, quam Deo annuente vestroque adminiculo suffragante adipisci ad Dei servitium peragendum cupimus, suo in tempore vobis dicenda atque vobiscum conferenda reservavimus, quatenus ita sit, ut & nosmetipsos salvare, populoque nobis subiecto utiliter prodesse, atque pro vobis & stabilitate imperii vestri liberius valeamus exorare: & de vestris obsequiis & regni adiutotio solatium debitum minimè subtrahatur, sed si possibile fuerit potius augeatur.

INDEX CAPITVLORVM
ADDITIONIS TERTIAE.

XXV. *De Ecclesiis in rebus propriis constitutis, & inter heredes divisis.*

XXVI. *De his qui bis aut ter ab Episcopis confirmantur, ignorantibus tamen eisdem Episcopis.*

XXVII. *De clericis ad tabulas ludentibus.*

XXVIII. *De his qui servorum matrimonia dirimunt.*

XXIX. *De his qui pleniter peccata non confitentur.*

XXX. *De sanctis Ecclesiis.*

XXXI. *De his qui Deo solummodo confiteri peccata deberi dicunt.*

XXXII. *Quòd personarum acceptio in omnibus cavenda sit iudiciis.*

XXXIII. *Quòd multi in pœnitentia delitiis indulgeant.*

XXXIIII. *De his qui ex industria peccant.*

XXXV. *Quòd pœnitentia secundum canonum statuta agi debeat.*

XXXVI. *Quòd quidam presbyteris absque consensu Episcoporum Ecclesias dent vel auferant.*

XXXVII. *De Scotis qui se Episcopos esse dicunt, & quosdam absque licentia dominorum suorum ordinant.*

XXXVIII. *De his qui in cœna Domini Eucharistiam negligunt.*

XXXIX. *Quòd infirmi & ægroti oleo benedictionis perungendi sint.*

XL. *De sponso vel sponsa in monasterium ingressis.*

XLI. *De locis in quibus Missæ celebrandæ sunt.*

XLII. *De his quæ ad aurium & oculorum pertinent oblectamentum, quæque sacerdotes vitare debent.*

XLIII. *Vt sacerdotes à ludis secularibus se caveant.*

XLIIII. *De presbyteris & diaconis ut Episcoporum suorum in bonis operibus vestigia sectentur.*

XLV. *Quantam curam Episcopi circa indigas habeant.*

XLVI. *Quòd liceat Episcopis præsentibus, presbyteris & diaconis de thesauro Ecclesiæ pauperibus erogare.*

XLVII. *De diaconissa.*

XLVIII. *De presbytero non ordinando ante legitimum tempus.*

XLIX. *De presbyteris qualiter parochias suas diligenter perscrutentur.*

L. *Ne quilibet presbyter de titulo minori ad maiorem transeat.*

LI. *Vt decimæ semper consultu Episcoporum dispensentur.*

LII. *De blasphemia in Deum.*

LIII. *De viduis iuvenibus ne citò velentur.*

LIIII. *Vt Comites & iudices Episcopis suis consentiant, ipsique eos honorificè recipiant.*

LV. *De herede qui piam dispositionem non implet.*

LVI. *Vt Comites & iudices viles personas non admittant ad testimonium.*

LVII. *Nullus Christianus munera exigat pro quolibet placito.*

LVIII. *De rebus quæ paganis non conceduntur.*

LIX. *De placitis secularibus ne in Ecclesia fiant.*

LX. De

HÆC CAPITVLA PROPRIE SVNT AD EPISCOPOS VEL AD ORDINES ECCLESIASTICOS PERTINENTIA, QVÆ NON SOLVM OBSERVARI, SED ETIAM SIBI SVBIECTOS, VEL COMMISSOS FACIENDA PERDOCERE DEBENT.

HLVDOVICI IMPERATORIS
ADDITIO TERTIA.

DE HIS QVI A PROPRIO EPISCOPO NON ACCIPIVNT CHRISMA.

SI quis de alio chrismate, quàm de illo novo, quod proprii Episcopi largitione vel concessione accepit, baptizare, nisi præoccupante morte, tentaverit, pro temeritatis ausu ipse in se suæ damnationis protulisse sententiam manifestatur.

II. *Vt nullus nisi iusto iudicio expolietur.*

NOn est privilegium, quo spoliari possit iam nudatus; ideo, nisi iusto iudicio decernente, nullus expolietur.

III. *De eo qui post veritatem repertam aliquid deinceps discutit.*

QVisquis enim post veritatem repertam aliquid ulterius discutit, mendacium quærit: idcirco ab omnibus cautè agendum est.

IIII. *Vt oblationes in domibus ab Episcopis vel presbyteris non fiant.*

QVòd non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Episcopis vel à presbyteris.

V. *Quòd posteriori pacto omne pactum dissolvatur.*

OMne pactum posteriori dissolvitur pacto: homo verò liber statum suum & peiorare & meliorare potest.

VI. *De accusatoribus de inimici domo prodeuntibus.*

ACcusatoribus de inimici domo prodeuntibus non est credendum.

VII. *De fratrum provisione, ne irrationabiliter fiat.*

ITa consulendum est fratribus, ut non videamur destruere quod ædificatum est. Si enim quod ædificavi destruo, prævaricatorem meipsum constituto.

VIII. *De clericis qui in seditione arma sumpserint.*

CLerici qui in quacunque seditione arma volentes sumpserint, reperti, amisso ordinis sui gradu, in monasterium pœnitentiæ contradantur.

IX. *Quòd*

IX. *Quòd lex Imperatorum non sit supra legem Dei.*

LEx Imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus.

X. *Quòd spiritalis examinet omnia, ipse autem à nemine iudicetur.*

SPiritalis iudicat omnia, ipse autem à nemine iudicatur.

XI. *Vt tempore menstruo ab uxoribus abstineatur.*

QVòd tempore menstruo, ab uxoribus omnino sit abstinendum.

XII. *De his qui erga Episcopos vel erga actores Ecclesiæ aliquam querelam iustam habuerint.*

SI qui erga Episcopum vel actores Ecclesiæ quamlibet querelam habere iustam crediderint, non primates aut alios adeant iudices, priusquam ipsos conveniant familiariter, non semel sed sæpissimè, ut ab eis aut suam iustitiam, aut iustam recipiant excusationem. Si autem secus egerint, ab ipsis & ab aliis communione priventur, tanquam Apostolorum patrumque aliorum contemptores. De quibus ait Propheta: *Erunt quasi non sint, & peribunt viri qui contradicunt vobis.*

XIII. *De potestate ligandi atque solvendi concessa sacerdotibus à Christo.*

QVòd nosse oporteat, sacerdotibus laicos ligandi atque solvendi potestatem à Domino esse collatam, & quòd eorum monitis parere atque excommunicationi humiliter succumbere debeant.

XIIII. *Vt presbyteri qui sine præcepto Episcoporum ad externas Ecclesias transierint, à communione suspendantur.*

PResbyteri qui sine iussione proprii Episcopi de Ecclesiis ad alias Ecclesias migraverint, tamdiu à communione habeantur alieni, quamdiu ad easdam redierint Ecclesias, in quibus primitus sunt instituti.

XV. *De pace & concordia & unanimitate.*

VT pax & concordia sit atque unanimitas in populo Christiano. Quia unum Deum patrem habemus in cœlis, & unam matrem Ecclesiam, unam fidem, unum baptisma: ideo in una pace & unanimitate concorditer vivere debemus, si ad unam & veram hereditatem regni cœlestis cupimus pervenire. Quia non est dissensionis Deus, sed pacis, ut ipse ait: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

XVI. *De potestate Episcoporum pro rebus Ecclesiasticis, ac de convenientia Episcoporum cum laicis.*

VT Episcopi potestatem habeant res Ecclesiasticas providere, regere, & gubernare, atq; dispensare, secundum canonum auctoritatem, volumus:

ut & laici in eorum ministerio obediant Episcopis ad regendas Ecclesias Dei, viduas & orphanos defensandos, & ut obedientes sint eis ad eorum Christianitatem servandam; & Episcopi consentientes sint Comitibus & iudicibus ad iustitias faciendas: & ut nullatenus per aliquorum mendacium vel falsum testimonium, neque per periurium aut per præmium lex iusta in aliquo depravetur.

XVII. *De intestato Episcopo.*

SI quiscunque ex gradu Ecclesiastico sine testammento & sine cognatione discesserit, hereditas eius ad Ecclesiam ubi servivit, devoluatur. Similiter de sanctimonialibus.

XVIII. *De Episcopis & Abbatibus, ut ante se ioca turpia fieri non permittant.*

VT Episcopi & Abbates ante se ioca turpia facere non permittant, sed pauperes & indigentes secum ad mensam habeant, & lectio divina ibi personet, & sumant cibum cum benedictione & laude Domini, secundum Apostolum: *Sive manducatis, sive bibitis, omnia in laude Dei facite.*

XIX. *De iustis iudiciis à presbytero agendis.*

VT Episcopi & iudices iudicia iusta discernant, quia sunt quædam iudicanda modò, quædam Dei iudicio reservanda. Scriptum est enim: *Nolite iudicare ante tempus, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.* Et illud memores sint: *In quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabitur de vobis.*

XX. *De monachorum & canonicorum militia, cum consilio utiliter implenda.*

VT monachi & canonici pleniter consilium habeant, qualiter Deo militare animasque eorum melius valeant custodire, ne propter aliquam necessitatem, occasionem quærant vagandi, & inter ipsos propter hoc locus tentandi detur Diabolo.

XXI. *Viduas in deliciis non oportere vivere.*

VT viduæ non sint in deliciis, sed secundum Apostolum, sub potestate Episcopi vivant sicuti decet.

XXII. *De eo qui res Ecclesiæ per falsam precariam vel fraude adipiscitur.*

VT si quilibet hominum res Ecclesiæ per mendacia vel mala ingenia in precariam sibi adquirere & habere voluerit, & post factas precarias eadem mendacia ad aures eiusdem rectoris Ecclesiæ delata fuerint, ipsa Ecclesia res suas, quæ ei mendaciter abstractæ fuerunt, pleniter absque ullius contradictione omnimodis recipiat. Ille verò qui res suas per eadem mendacia

dacia propter cupiditatem ipsius precariæ, eidem Ecclesiæ tradidit, simili modo in suam recipiat dominationem.

XXIII. *Quòd antiquus mos pœnitendi, qui iuxta canonicam auctoritatem agendus est, iam ab usu recesserit.*

POenitentiam agere iuxta antiquam canonum institutionem in plerisque locis ab usu recessit: & neque excommunicandi, neque reconciliandi antiqui moris ordo servatur. Vt à domno Imperatore impetretur adiutorium, qualiter si quis publicè peccat, publica multetur pœnitentia; & secundum ordinem canonum, pro merito suo excommunicetur & reconcilietur.

XXIIII. *De clerico ad tutelam vocato.*

SI Episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus, ad tutelam vel curationem vocentur, tantum munus administrationis in hoc conceditur suscipere; si tamen intra quatuor menses per competentem iudicem in scriptis manifestaverit, quòd huiusmodi munus sua sponte recepit, & tunc circa aliam tutelam præiudicium non patiatur.

XXV. *De Ecclesiis in rebus propriis constitutis, & inter heredes divisis.*

PErlatum ad nos est, quod inter heredes Ecclesiæ in rebus propriis constitutæ dividantur, & tanta per eandem divisionem simultas oriatur, ut unius altaris quatuor partes fiant, & singulæ partes singulos habeant presbyteros: quod sine discordia & simultate nullo modo geri potest. Vnde nobis visum est, quòd huiuscemodi Ecclesiæ inter heredes dividi non debeant. Et si in contentionem venerint, & simultates inter eos surrexerint, per quas sacerdos suo ibi officio canonicè fungi non possit, præcipiatur ab Episcopo civitatis, ut nullo modo ibi Missarum solemnia celebrentur, donec illi ad concordiam redeant, & pari voto atque consilio Ecclesia illa sacerdotem canonicè habeat, qui liberè suum ministerium ibi peragere possit.

XXVI. *De his qui bis aut ter ab Episcopis confirmantur, ignorantibus tamen eisdem Episcopis.*

DIctum nobis est quòd quidam de plebe bis aut ter ab Episcopis, ignorantibus tamen, confirmentur. Vnde nobis visum est eandem confirmationem, sicut nec baptismum, iterari minimè deberè: quia qui bis vel amplius baptizantur vel confirmantur, non seculo sed soli Domino sub habitu regulari vel clericali religiosissimè famulari decretum est.

XXVII. *De clericis ad tabulas ludentibus.*

SI quis clericus ad tabulas ludat, vel spectaculis attendat, per tres annos à sacro ministerio prohibeatur, & si dignam pœnitentiam fecerit, reconcilietur.

XXVIII. *De his qui servorum matrimonia dirimunt.*

DIctum nobis est, quòd quidam legitima servorum matrimonia potestativa quadam præsumptione dirimant, non attendentes illud Euange-

licum: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Vnde nobis visum est, ut coniugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos dominos habeant, sed in uno coniugio permanentes dominis suis serviant. Et hoc in illis observandum est, ubi legalis coniunctio fuit, & per voluntatem dominorum.

XXIX. *De his qui pleniter peccata non confitentur.*

SEd & hoc emendatione indigere perspeximus, quòd quidam dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plenè id faciunt. Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio, scilicet ut & ea confiteantur, quæ per corpus gesta sunt, & ea quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus est itaque peccatorum suorum confessor, ut docto principalibus vitiis, sine quibus in hac vita difficile vivitur, confessionem faciat: quia aut cogitatione, aut quod est gravius, opere eorum instinctu peccavit. Odium etenim, invidia, superbia, vel certè huiuscemodi animæ pestes, tantò periculosius lædunt, quanto subtilius serpunt.

XXX. *De sanctis Ecclesiis.*

NVlli sub Romana ditione constitutæ Ecclesiæ, vel xenodochii, vel monasterii, rectori earum rem immobilem liceat alienare, id est agrum, domum, mancipium, panes civiles, neque creditori obligare. Alienatio enim est venditio, donatio, permutatio, emphiteuseos perpetuus contractus: & omnes omnino convenit, se ab huiusmodi alienatione abstinere. Tabellio verò qui talia instrumenta conscripserit, perpetuo exilio tradatur. Magistratus verò vel iudices, qui talia instrumenta consenserint, & dignitatem & facultates amittant.

XXXI. *De his qui Deo solummodo confiteri peccata deberi dicunt.*

QVidam Deo solummodo confiteri debere dicunt peccata, quidam verò sacerdotibus cõfitenda esse percensent. Quod utrumq; non siue magno fructu intrà sanctam fit Ecclesiam, ita duntaxat, ut & Deo, qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra, & cum David dicamus: *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi. Dixi, confitebor adversum me iniustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Et secundum Apostoli institutionem: *Confiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus pro invicem, ut salvemur.* Confessio itaque quæ Deo fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata. Deus namque salutis & sanitatis auctor & largitor, plerumque hanc præbet suæ potentiæ invisibili administratione, plerumque medicorum operatione.

XXXII. *Quòd personarum acceptio in omnibus cavenda sit iudiciis.*

QVia igitur Apostolo teste, non est personarum acceptio apud Deum, & in omnibus iudiciis cavenda est: multò magis in hoc pœnitentiæ iudicio præca-

præcaveri debet, ut nullus sacerdotum unquam aut gratia aut odiô alicuius personæ secus iudicet, quàm quod in Canonibus sacris invenerit, aut quod illi secundum sanctarum scripturarum auctoritatem & Ecclesiasticam consuetudinem rectius visum fuerit. Si ergo medici, qui corporibus medicinam inferre conantur, nequaquam propter personæ cuiuslibet acceptationem, his quos sanare cupiunt cauterio, aut ferro, aut duris aliis quibuslibet rebus parcunt; multo magis his observandum est, qui non corporum sed animarum medici existunt. Neque pensanda est pœnitentia quantitate temporis, sed ardore mentis, & mortificatione corporis. Cor autem contritum & humiliatum Deus non spernit.

XXXIII. *Quòd multi in pœnitentia delitiis indulgeant.*

MVlti (quod non sine dolore dicendum est) in pœnitentia non tam peccati remissionem, quàm temporis constituti expectant expletionem, & si carnium & vini usus eius interdictus est, mutata non voluntate, sed eiusdem cibi aut potus perceptione, in tantum delitiis suis indulgent, ut delitiosius his interdictis aliorum ciborum vel potionum appetitu vivere cognoscantur. Spiritalis autem abstinentia, quæ in pœnitentibus potissimum vigere debet, & quorundam ciborum ac potionum perceptiones & desiderium fugere debet. Ille, inquam, ille magis parsimoniæ servire censendus est, qui sibi non solum quarundam rerum perceptiones, sed delectationes corporis penitus interdicit.

XXXIIII. *De his qui ex industria peccant.*

SEd nec hoc prætereundum putamus, quod quidam ex industria peccantes propter eleemosynarum largitionem quandam sibi promittunt impunitatem. Eleemosyna extinguit peccata, iuxta illud: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna extinguit peccata.* Sed ea quæ aut necessitate, aut casu, aut qualibet fiunt fragilitate, ea verò quæ ex industria ad cuiuslibet libidinem explendam idcirco fiunt, ut eleemosynis redimantur, nequaquam eis redimi possunt. Quia qui hoc perpetrant, videntur Deum mercede conducere, ut eis impunè peccare liceat. Non ergo idcirco quis peccare debet, ut eleemosynam faciat, sed ideo eleemosynam facere debet, quia peccavit. Mentem enim & corpus quæ libido traxit ad culpam, afflictio & contritio debet reducere ad veniam.

XXXV. *Quòd pœnitentia secundum canonum statuta agi debeat.*

MOdus autem pœnitentiæ peccata sua confitentibus aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum scripturarum auctoritatem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem, sicut superius dictum est, imponi debet, repudiatis ac penitus eliminatis libellis, quos Pœnitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti auctores: de quibus ritè dici potest, *Mortificabant animas quæ non moriebantur, & vivificabant animas quæ non vivebant.* Qui dum pro peccatis gravibus leves quosdam & inusitatos im-

ponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos, secundum Propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas.

XXXVI. *Quòd quidam presbyteris absque consensu Episcoporum Ecclesias dent vel auferant.*

INventum est, quòd multi arbitrii sui temeritate, & quod est gravius, ducti cupiditate, presbyteris cuibuslibet absque consensu Episcoporum Ecclesias dant vel auferunt. Vnde oportet ut canonica regula servata, nullus absque consensu Episcopi cuilibet presbytero Ecclesiam det: quam si iustè adeptus fuerit, hanc non nisi culpa sua, coram Episcopis canonica severitate omittat.

XXXVII. *De Scotis qui se Episcopos esse dicunt, & quosdam absque licentia dominorum suorum ordinant.*

SVnt in quibusdam locis Scoti, qui se dicunt Episcopos esse, & multos negligentes absque licentia Dominorum suorum sive magistrorum, presbyteros & diaconos ordinant: quorum ordinationem, quia plerumque in Simoniacam incidit hæresin, & multis erroribus subiacet, modis omnibus irritam fieri debere omnes uno consensu decrevimus.

XXXVIII. *De his qui in cœna Domini Eucharistiam negligunt.*

IN cœna Domini à quibusdam Eucharistia negligitur, quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis his quibus pro gravibus criminibus inhibitum est, percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat: cum etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & sanguinis Dominici sacramenta reconciliat.

XXXIX. *Quòd infirmi & ægroti oleo benedictionis perungendi sint.*

SEcundum beati Iacobi Apostoli documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, à presbyteris ungi debent. Sic enim ait: *Infirmatur aliquis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, unguentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum & allevabit eum Dominus, & si in peccatis sit dimittentur ei.* Non est itaque parvi pendenda huiuscemodi medicina, quæ animæ corporisque medetur langoribus.

XL. *De sponso vel sponsa in monasterium ingressis.*

SI sponsus vel sponsa intraverit monasterium, id quod arrarum nomine datum est, in simplum tantum reddatur.

XLI. *De locis in quibus Missæ celebrandæ sunt.*

IN quibus locis & quo apparatu Missarum solemnia, exceptis basilicis, celebrari debeant, & utrum celebrari debeant in concilio Laodiceni ita scribi-

scribitur: *Quod non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Episcopis vel à presbyteris.*

XLII. *De his quæ ad aurium & oculorum pertinent oblectamentum, quæque sacerdotes vitare debent.*

QVæcunque ad aurium & oculorum pertinent illecebras, unde vigor animi emolliri posse credatur, ut de aliquibus generibus musicorum aliisque nonnullis rebus sentiri potest, ab omnibus Dei sacerdotes se abstinere debent: quia per aurium oculorumque illecebras, vitiorum turba ad animum ingredi solet. Histrionum quoque turpium & obscœnorum insolentias locorum & ipsi animo effugere, ceterisque sacerdotibus effugienda prædicare debent.

XLIII. *Vt sacerdotes à ludis secularibus se caveant.*

SAcerdotibus non expedit secularibus & turpibus quibuslibet interesse locis: venationes quoque ferarum vel avium minimè sectentur.

XLIIII. *De presbyteris & diaconis ut Episcoporum suorum in bonis operibus vestigia sectentur.*

PResbyteri quoque & diaconi in omnibus bonorum operum exhibitionibus sui Episcopi vestigia sectentur, & in bonorum morum probitate, quæ Episcopo observanda sunt, eadem & sibi observanda esse cognoscant.

XLV. *Quantam curam Episcopi circa indigas habeant.*

EPiscopi quidem maximam curam & solicitudinem circa pauperes habeant, & res Ecclesiasticas Ecclesiis collatas cauta circumspectione dispensent, quasi Dei ministri, non quasi turpis lucri gratia sectatores, illisque ita utantur, non ut propriis, sed ut sibi ad dispensandum commissis.

XLVI. *Quòd liceat Episcopis præsentibus, presbyteris & diaconis de thesauro Ecclesiæ pauperibus erogare.*

LIcitum sit Episcopis præsentibus presbyteris & diaconibus de thesauro Ecclesiæ, familiæ & pauperibus eiusdem, secundum canonicam institutionem, iuxta quod indiguerint, erogare.

XLVII. *De diaconissa.*

SI diaconissa nupserit, gladio ultore sternatur, & facultas eius Ecclesiæ ei ubi servivit, addicatur. Corruptores earum similiter puniantur: bona verò eorum fisci iuribus vindicentur.

XLVIII. *De presbytero non ordinando ante legitimum tempus.*

PRresbyterum ordinari non debere ante legitimum tempus, hoc est trigesimum ætatis annum, sed priusquàm ad consecrationem presbyteratus accedat, maneat in Episcopio discendi gratia officium suum, tamdiu donec possint & mores & actus eius animadverti: & tunc, si dignus fuerit, ad sacerdotium promoveatur.

XLIX. *De presbyteris qualiter parochias suas diligenter perscrutentur.*

VT unusquisque Episcoporum parochiam suam diligenter perscrutari nitatur, ne aliquis presbyter ab alterius parochia in suam commigrans officium celebrare præsumat sine litteris commendatiis, sicut olim multis in locis actum esse repertum est.

L. *Ne quilibet presbyter de titulo minori ad maiorem transeat.*

DE titulo minori ad maiorem migrare nulli presbytero licitum sit, sed in eo permaneat, ad quem ordinatus est. Quòd si inventus fuerit contra statuta id facere, eadem feriatur sententia, qua & Episcopus, qui de minori ad maiorem transmigraverit.

LI. *Vt decimæ semper consultu Episcoporum dispensentur.*

VT decimæ quæ singulis dabuntur Ecclesiis, per consulta Episcoporum à presbyteris ad usum Ecclesiæ & pauperum summa diligentia dispensentur.

LII. *De blasphemia in Deum.*

SI quis quolibet modo blasphemiam in Deum iactaverit, à præfecto urbis ultimo supplicio subiiciatur. Qui verò talem cognoscens non manifestaverit, similiter coërceatur. Si præfectus urbis hæc punire neglexerit, post Dei iudicium nostram iudignationem incurrat.

LIII. *De viduis iuvenibus ne citò velentur.*

VT iuventes viduæ citò nequaquam velentur, usq; dum probetur illarum religio, & bona ab eis nota sit conversatio, ne fortè de eisdem dici possit; *Quæ autem in delitiis sunt, viventes mortuæ sunt.*

LIIII. *Vt Comites & iudices Episcopis suis consentiant, ipsique eos honorificè recipiant.*

COmitibus, iudicibus, reliquoque populo expedit, ut suis sint Episcopis consentientes & obedientes propter Dei amorem, suique gradus honorem: & semper ab eis utile quærant consilium, illorumque salubria non spernant monita, sed intenta cordis aure audiant. Similiter verò & Episcopi prædictas personas humiliter suscipiant, honorificeque erga eos in omnibus agant, & sese mutuis studeant sublevare consolationibus.

LV. *De herede qui piam dispositionem non implet.*

SI heredes iussa testatoris non impleverint, ab Episcopo loci illius, omnes res quæ his relictæ sunt, auferantur cum fructibus & ceteris emolumentis, ut vota defuncti impleantur.

LVI. *Vt Comites & iudices viles personas non admittant ad testimonium.*

SVmmopere admonendi sunt Comites & iudices, ne viles & indignas personas coram se permittant ad testimonium accedere: quoniam multi sunt qui

qui periurare pro nihilo ducunt, in tantum ut pro unius diei satietate, aut pro quolibet parvo pretio, ad iuramentum conduci possint, animasque suas periurio perdere minimè formidant. Quamobrem tales nequaquam ad quodlibet testimonium admittendi sunt. Et hoc notandum, quòd non solum illi qui periurant, sed etiam qui periuris consentiunt, simili plectendi sunt damnatione.

LVII. *Nullus Christianus munera exigat pro quolibet placito.*

NVllus Christianus pro quolibet placito vel iudicio à qualibet persona munera exigere aut accipere debet, quoniam id divina scriptura multis in locis magna interdicit auctoritate, testante Scriptura quæ ait: *Munera excæcant oculos sapientium, & subvertunt verba iustorum.*

LVIII. *De rebus quæ paganis non conceduntur.*

NOn liceat Christianis Iudæorum neque paganorum vel hæreticorum res emphiteuseos vel conductionis titulò habere, neque suas similiter eis accommodare.

LIX. *De placitis secularibus ne in Ecclesia fiant.*

PLacita quidem secularia in Ecclesiis, vel in atriis Ecclesiarum, à Comitibus vicariisque usque modò multis in locis habita, sed ne ultra fiant interdicendum est cum auctoritate Dominica, quæ expulsis de templo negotiatoribus adserit debere domum Dei domum esse orationis.

LX. *De magicis artibus & incantationibus.*

ADmoneant sacerdotes fideles populos, ut noverint magicas artes incantationesque quibuslibet infirmitatibus hominum nihil posse remedii conferre: non animalibus languentibus, claudicantibus, vel etiam moribundis quidquam mederi, non ligaturas ossium vel herbarum cuiquam mortalium adhibitas prodesse; sed hæc esse laqueos & insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur.

LXI. *Ne nomen Domini in vanum iurando assumatur.*

OMnes homines admonemus, ne per singula verba quasi ad confirmationem suæ adsertionis nomen Domini in vanum assumant; quod ipse Dominus interdicit faciendum, ubi ait: *Ne assumas nomen Dei tui in vanum.* In vanum etenim nomen Dei assumitur, quando aliquis ad singula verba, quibus vult ut sibi ab alio credatur, Deum omnipotentem testem rei, de qua ait, invocat, eumque sibi ita esse adiutorem, sicut ea vera sunt quæ loquitur. Nam & ipse Dominus in Euangelio hoc modo prohibens omnes genu iuramenti, *Nolite*, inquit, *omnino iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque per caput tuum*, & cetera.

LXII. *De laicis, ne munera à presbytero exigant.*

VT laici omnino à presbyteris non audeant munera exigere propter commendationem Ecclesiæ, quia propter cupiditatem plerumque à laicis

talibus presbyteris Ecclesiæ dantur, qui ad peragendum sacerdotale officium indigni sunt.

LXIII. *De pace & concordia.*

DE pacis bono atque concordia, ut ab omnibus omnino indisrupta teneatur inter Episcopos & Comites, inter clericos & monachos, & omnem populum Christianum, ut B. Apostolus Paulus docuit, dicens: *Sectamini charitatem & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Et idcirco quidquid illud est, quod nos ad veræ pacis studium & charitatis perfectionem provocat, totis viribus nostris sectandum est: quidquid verò nos ab illa disiungit, ut venenum mortiferum à nobis cavendum est.

LXIIII. *De Comitibus & iudicibus ut obedientes suo sint Episcopo.*

VT Comites & iudices reliquusque populus obedientes sint Episcopo, ut invicem consentiant ad faciendas iustitias, & munera pro iudicio non accipiant, nec falsos testes, ne per hoc pervertant iudicia iustorum. Quia scriptum est: *Iustitia elevat gentem, iniustitia verò miseros facit populos.* Et Psalmista: *Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitias in omni tempore.*

LXV. *Vt Episcopi semel in anno parochias suas circumeant.*

VT unusquisque Episcopus semel in anno circumeat parochiam suam: noverint sibi curam populorum & pauperum in protegendis ac defendendis impositam. Ideoque dum conspiciunt iudices ac potestates pauperum oppressores existere, priùs eos sacerdotali admonitione redarguant, & si contempserint emendari, eorum insolentia Regis auribus intimetur: ut quos sacerdotalis admonitio non flectit ad iustitiam, regalis potestas ab improbitate coërceat.

LXVI De *eo qui infamis furto efficitur.*

FVrti quocunque genere comdemnatus, infamis efficitur.

LXVII. De *eo qui absens fuerit minime damnando.*

IVbemus ut in causa capitali absens nemo damnetur; quia neque absens per alium accusare aut accusari potest.

LXVIII. De *omnibus possessionibus à perceptore possessori reddendis.*

OMnes possessiones, & omnia sibi sublata, atq; fructus cunctos, ante litem contestatam perceptor possessori restituat.

LXIX. De *incestis, quod non sint legitimi heredes.*

OMnes nosse volumus, quòd incesti non sint legitimi heredes, sed infamia sint notatæ utræque personæ: ideoque proximorum copula vel stupra, quasi quædam turpissima pestis cavenda est. Quoniam incesti usque ad canonicam separationem, Ecclesiæque per publicam pœnitentiæ satisfactionem,

nem, magis inter energumenos vel audientes, quam inter Christianos catholicos utrique cum omnibus suis sunt habendi.

LXX. *De oratione obedientis.*

SCiendum sanè est omnibus, quia citius exauditur una obedientis oratio, quàm decem millia contemptoris.

LXXI. *Vt unaquæque provincia à iudicibus propriis iudicetur.*

PRæcipimus ut non degradetur unaquæq; provincia, sed apud semetipsam habeat iudices Episcopos. Et quicunque causam habuerit, à suis iudicibus iudicetur, & non ab alienis: id est à suæ iustis iudicibus provinciæ, & non ab externis, nisi fuerit appellatum.

LXXII. *Quòd unumquemque iustè & piè vivere oporteat.*

NOtum esse omnibus volumus, quàm iustè, quàm sobriè, quàm etiam piè vivere debeant. Iustè enim vivere oportet, secundum sermonem dominicum præcipientem; *Luceat*, inquit, *lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* hoc est: sic iustè vivite, ut filii lucis nominari valeatis. Quòd verò sobriè vivere debeat quisque, monet Euangelium dicens: *Videte ne graventur corda vestra crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ.* Piè etiam vivere vel patienter, monet Paulus exhortando dicens: *In omni patientia, doctrina.* Et cum pietate regere domum monet; & ne ipsa pietas indiscreta videatur, præmittit sententiam dicens: *Argue cum omni imperio.*

LXXIII. *De graphiæ prolatore, ut eam affirmet.*

STatutum est ut scripturam prolator affirmet. Nam si is qui scripturam protulit, eius non adstruxerit veritatem, ut falsitatis reum esse detinendum.

LXXIIII. *Quòd sacerdos in habitu religionis persistere debeat.*

STudendum sanè omnibus est, ut in habitu religionis quisque sacerdos permaneat. Et ore prophetico sibimet præcipi constat dicente: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Quando dixit: *Clama ne cesses*, omne tempus exclusit, quod nemo potest excusare. Etenim de libris Officialibus ut novimus patet ratio; quia nequaquam corporeo usu hæc requirenda ab illis erat, qui spiritaliter vivebant, dicente Psalmographo: *In me sunt Deus vota tua, quas reddam laudationes tibi?* Nos tamen qui in medio positi sumus, scilicet inter spiritalem & corporalem intellectum, necesse nobis quærere officialem intellectum, vt in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, ut non vituperetur ministerium nostrum. Et Propheticum sermonem impleamus dicentem: *Iustitiam discite, qui habitatis terram.* Et, quod avertat Deus à nobis, idem Propheta dicit: *Zelus apprehendit populum ineruditum.* Et item alius Propheta: *Sacerdotes igno-*

raverunt intelligentiam. Et idem Propheta: *Sacerdotes non dixerunt, ubi est Dominus, & tenentes leges meas nescierunt me.* Qua ergo fronte, qua conscientia sacerdotem nominari se fateatur, quem Dominus per Prophetam nescire se dicit.

LXXV. *De eo qui causam habuerit, ut à propriis iudicibus iudicetur.*

QVicunque causam habuerit, à propriis iudicibus iudicetur, & non ad alienos causa vagandi & protervіæ dimittens suam patriam transeat: sed apud Metropolitanum & reliquos Episcopos suæ provinciæ iudicetur.

LXXVI. *De canonicis clericis qui in civitatibus vel monasteriis degunt.*

VOlumus atque præcipimus, sicut synodali atque canonica auctoritate à pastoribus sanctæ Ecclesiæ sæpissimè admoniti sumus, ut canonici clerici, qui in civitatibus vel in monasteriis degunt, qui beneficia habent, unde victum & vestimentum habere possunt, ut his iuxta Apostolum contenti sint, & stipendia fratrum, unde pauperiores & hi qui assiduè in prædictis locis Domino famulantes excubant, atque ibi assiduum divinum explent officium, vitam sustinent, nequaquam assumant, aut in suis usibus convertant. Scimus enim quia absq; periculo atque dispendio animarum suarum, hoc nullatenus facere possunt. Si quis hæc statuta contempserit, utrisque careat, id est, & beneficio & præbenda, atque si gradibus fruitur Ecclesiasticis, ipsis privetur.

LXXVII. *De communicatione Ecclesiæ cum nihil habentibus.*

QVod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune, nec aliquid inde eis qui sibi de suo sufficiunt, convenit erogare; quando nihil aliud sit habentibus dare, quàm perdere.

LXXVIII. *De his qui sua possident, & sibi aliquid dari volunt.*

NEc illi qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt.

INDEX CAPITVLORVM ADDITIONIS QVARTÆ.

SEQVENTIA QVÆDAM CAPITVLA EX SANCTORVM PATRVM DECRETIS ET IMPERATORVM EDICTIS COLLIGERE CVRAVIMVS, ATQVE INTER NOSTRA CAPITVLA LEGE FIRMISSIMA TENENDA GENERALI CONSVLTV ERCHEMBALDO CANCELLARIO NOSTRO INSERERE IVSSIMVS.

DE NVPTIIS.

XIII. *De accusato vel iudicato Episcopo si bonam putaverit habere causam, & voluerit à Romano audiri Pontifice, à nullo prohibeatur, sed liberè hoc ei, & absque ullo impedimento concedatur. Ex quibus supra: cum quibus & Sardicense concilium, & alia decreta canonum & sanctorum Patrum concordant.*

XIIII. *Vt dum accusatus vel iudicatus Episcopus Romanum appellaverit Pontificem, nulla ei læsio fiat, neque aliquis eius corripiat sedem, aut in eius loco ordinetur Episcopus, antequam eius causa Romani Papæ sit terminata iudicio. Ex quibus supra: cum quibus & multa sanctorum patrum decreta consentiunt.*

XV. *De Episcoporum appellatione ad Romanam Ecclesiam, quotiens necessitas exposcerit, cui Episcoporum & summarum causarum nogotia spiritali privilegio à patribus reservata sunt. Ex quibus supra: cum quibus maximè cuncta canonum & sanctorum patrum decreta concinunt.*

XVI. *De causa Lupicini Episcopi, ex Epistola Leonis Papæ Africanis Episcopis directa.*

XVII. *Ex libro* XVI. *Theodosii Imperatoris, de his qui super religione contendunt.*

XVIII. *Vt nullus audeat prædicare nisi sacerdos ab Episcopo loci electus: ex Epistola Leonis Papæ ad Theodoricum Cyri Episcopum directa.*

XIX. *Clerici accusatores fratrum ad communionem recipiantur non ad clerum. Ex concilio Carthaginis.*

XX. *De præsidibus & ceteris Rempublicam agere volentibus, ne sine litteris Episcopi sui communicent, & cum contra disciplinam egerint excommunicentur. Ex concilio Arelatense.*

XXI. *Vt clerici vel laici in aliena Ecclesia non communicent sine litteris Episcopi sui. Ex concilio Carthaginense.*

XXII. *De honore & pace sanctæ Ecclesiæ.*

XXIII. *De Dei sacerdotibus & ministris altaribus.*

XXIIII. *De concordia Episcoporum & Comitum.*

XXV. *De incendio & rapina.*

XXVI. *De pace custodienda.*

XXVII. *De puella virgine vel vidua.*

XXVIII. *De banno persolvendo.*

XXIX. *De his qui servos suos extra iudicem necant.*

XXX. *De his qui ad pacem non revertuntur.*

XXXI. *De his qui intrant in Ecclesiam, & propter nimiam luxuriam suam à Sacramento se abstinent.*

XXXII. *De clericis vel laicis.*

XXXIII. *De clericis adversus invicem negotia propria habentibus.*

XXXIIII. *De*

HLVDOVICI IMPERATORIS
ADDITIO QVARTA.

DE NVPTIIS.

Ex sacrarum institutione legum lib. XII. Titul. III. Capitulo VIII.

NVLLI Christianorum vel Iudæorum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis, vel uxoris suæ, atque etiam virorum, iuxta legem quæ in Christianis est lata, usque ad septimi generis gradum connubia ducere, vel incesti maculam operari. Huius igitur permixtionis illecebra tali multabitur pœna, ut separati ab invicem, & centena publicè decaluati flagella suscipiant, & exilio relegati sub publica pœnitentia remaneant, eorumque bona ad filios, quos de præcedenti coniugio habuerint, redeant; si tamen & ipsos aut in nullo Iudaicæ prævaricationis maculaverit noxa, aut nulla incestivæ nationis sordidaverit macula. Quòd si aut nullos habuerint filios, aut habitos, ut dictum est, vel Iudaicus involverit error, vel incesti fœdaverit natio, tunc facultas prædictorum omnimoda in Principis potestate consistat, qualiter principali discretione res ipsa, aut in Christianis eorumvè heredibus concessa permaneat: aut si heredes huiusmodi dignitatis defuerint, fisco nostro sociata deserviat. Illud tamen modis omnibus observandum fore præcipimus, ut si quis Christianus vel Christiana, aut Iudæus vel Iudæa, noviter nuptiale festum celebrare voluerint, non aliter quam cum præmisso dotis titulo, quo in Christianis salubri institutione præceptum est, vel sacerdotali benedictione intra sinum sanctæ Ecclesiæ percepta, coniugium cuiquam ex his adire permittimus. Quòd si absque benedictione sacerdotis quisquam Christianorum vel Hebræorum noviter coniugium duxerit, vel solennitatem legis pro dotali titulo in quocunque transcenderit, aut centum Principi solidos coactus exsolvat, aut centum publicè verberatus flagella suscipiat. Hæc scilicet damna vel verbera singillatim unusquisque percipiat, videlicet tam ille qui nupsit, quàm ea quæ nupta est, vel etiam consentanei parentes eorum, unusquisque pro se iacturam legis huius suscipiat.

II. De

II. De Accvsatione Episcoporvm.

Ex libro VII. Tripartitæ Historiæ cap. XII.

IGitur Valentinianus cum ita saperet sicut Niceni patres, similia profitentibus proderat, aliter verò sapientibus non erat importunus. Qui dum initio regni de urbe Constantinopolitana per Thracias properaret Romam, tunc Episcopi rectè sapientes legatum miserunt Hypatianum Episcopum, quatenus dignaretur ad emendationem dogmatis interesse. Is cum adiisset Imperatorem, & Episcoporum legationem intimasset, respondens Imperator ait: *Mihi quidem cum unus de populo sim, fas non est talia perscrutari: verùm sacerdotes quibus hæc cura est, apud semetipsos congregentur ubi voluerint.* Cum hæc itaque respondisset Princeps, in Lampsacum convenerunt Episcopi: cumque duos menses tractassent, inter cetera iuxta priores canones Episcopos electos, atque suis rebus expoliatos, ad sedes proprias recipi, & primo suo omnia eis reddi decreverunt. Et si quis posthac eos accusare vellet, æquo periculo facere sanciverunt, iudices esse decernentes Episcopos rectè sapientes, in Ecclesia convenientes, ubi testes essent singulorum, qui dicebantur oppressi, *& reliqua.*

III. De Eadem Re.

Ex Epistola Stephani Papæ scripta generaliter omnibus Episcopis.

QVidquid in sacratis Deo rebus & Episcopis iniustè agitur, pro sacrilegio deputabitur: quia sacra sunt, & violari à quoquam non debent. Nullus enim Episcoporum dum suis fuerit rebus exspoliatus aut à sede propria qualibet occasione pulsus, debet accusari, aut à quoquam ei potest crimē obiici, priusquam integerrimè restauretur: & omnia quæ ei ablata quoquo sunt ingenio, legibus redintegrentur, & ipse propriæ sedi, & pristino statui regulariter reddatur: ita, ut omnes possessiones & cuncta sibi iniustè sublata, atque fructus omnes ante cœptam accusationem, per primates & synodi Episcopos funditus restituantur, quia hoc non solum Ecclesiasticæ, sed etiam seculi leges fieri docent.

IIII. Vt Post Poenitentiam Nemo Fiat Clericvs.

Ex Augustino ad Bonifacium de lapsorum restitutione.

VT constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicuius criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ. Alioquin contra claves datas Ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est: *Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo.* Sed ne forsitan etiam de ceteris criminibus spe honoris Ecclesiastici animus intumescens superbè tegeret pœnitentiam, severissimè placuit, ut post actam de crimine damnabili pœnitentiam nemo sit clericus, ut desperatione temporalis altitudinis, medicina maior & verior esset humilitatis. Nam & sanctus Dauid de crimi-

nibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore superstitit. Et beatum Petrum quando amarissimas lachrymas fudit, utique Deum negasse pœnituit, & tamen Apostolus mansit. Sed non ideo supervacua putanda est posteriorum diligentia, qui ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutius muniretur: experti credo aliquorum fictas pœnitentias, per affectatos honorum potentias. Cogunt enim multas invenire medicinas multorum experimenta morborum.

V. *De Præsidentia.*

Ex Epistola Leonis Papæ Aquilegiensi Episcopo directa.

ILlam partem Ecclesiasticæ disciplinæ, qua olim à sanctis patribus & à nobis sæpe decretum est, ut nec in presbyteratus gradu, nec in diaconatus, nec in subsequenti ordine clericorum ad Ecclesiam transire cuiquam sit liberum, ut in integrum revoces admonemus, ut unusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ubi ordinatus est perseveret: ita ut si quis sua quærens, non quæ Iesu Christi, ad plebem & Ecclesiam suam redire neglexerit, & ab honoris privilegio, & à communionis vinculo habeatur extraneus.

VI. *Vt nullus derogetur aut temere accusetur Episcopus, nec à primatibus facilè eorum suscipiatur accusatio: quia iniuria Episcoporum ad Christum pertinet, cuius vice legatione funguntur. Ex decretis Anastasii Papæ, Capitulo VI.*

PLacuit ut nullus temerè accuset Episcopum, neque à primatibus passim aut indifferenter super quibuslibet impetitionibus audiatur, dicente Domino: *Non suscipias vocem mendacii.* Et ipsa veritas ait: *Quod tibi non vis, alteri ne facias,* & reliqua. Et alibi scriptum est: *Quid prodest illi suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti? Proculdubio contra mandata dimittit, qui habet peccatum proprium, & qui sequitur alienum,* & reliqua. Sed si quis in Episcopum causam habuerit, primitus eum charitativè conveniat, & ei aut suam inculcet iniuriam, aut eius correctionem, dicente Domino: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si autem te non audierit, adhibe denuo duos aut tres tecum,* & reliqua. Priùs ergo quàm hæc fiant, nemo præsumat Episcopum accusare manifestè: quia nemo contra Euangelium, vel contra Apostolum, aut decreta Patrum, facit aliquid absque periculo. Paulus quoque Apostolus præcipit dicens: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Et alibi scriptum est: *Si quis fidelis est, videat ne falsa aut nociva loquatur, aut cuiquam insidias ponat.* Et alibi: *Sapiens non est qui nocet.* Et Dominus in lege: *Non facias calumniam proximo tuo.* Et idem: *Non eris criminator aut susurro in populis: non stabis contra sanguinem proximi tui. Leges meas custodite, ego Dominus.* Si hæc de omnibus dicta sunt, quanto magis super Episcopis sunt custodienda, de quibus Salvator ait:

Qui

Qui vos contristavit, me contristavit: qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei, & cetera. Item: *Qui facit iniuriam eis, recipiat id, quod iniquè gessit.* Et in Daniele legitur: *Confundantur omnes qui ostendunt servis tuis mala: confundantur in omni potentia, & robur eorum conteratur, ut sciant quia tu es Dominus Deus solus, & gloriosus super orbem terrarum.* Et iuxta antiquæ institutionis edictum: *Plus erga corrigendos agere debet benevolentia quàm severitas, plus cohortatio quàm commotio, plus charitas quàm potestas.* Et Dominus per Prophetam monet dicens: *Cohibe linguam tuam à malo, & fac bonum.* Nemo enim bonum faciens, alteri verbo aut facto nocere vult. Si quis hæc non observaverit, hostis est animæ suæ: siquidem clerici fuerint, gradu proprio decidant, si verò monachi vel laici fuerint, amplius pelli debent, vel extorres fiant.

VII. *Qualiter Episcopus ad synodum convocetur, & qualiter in ea de illo agatur.*

SAncta synodus Romana dixit: Hæc sunt quæ deinceps propter multorum hominum insidias, qui in Ecclesiam & in Ecclesiasticos indifferenter sæviunt viros, conservari firmissimè volumus in secula. Si quis Episcopus ab illis accusatoribus qui recipiendi sunt, fuerit accusatus, postquam ipse ab eis charitative conventus fuerit, ut ipsam causam emendare debeat, & eam corrigere noluerit, non olim, sed tunc ad summos primates causa eius canonicè deferatur: qui in congruo loco infra ipsam provinciam tempore in canonibus præfixo Nicenis, concilium canonicè convocare debebunt, ita ut ab omnibus eiusdem provinciæ Episcopis in ea audiatur. In quam & ipse convocatus, si eum aut infirmitas aut alia gravis necessitas non detinuerit, adesse debebit: quia ultra provinciæ terminos accusandi ante licentia non est, quàm audientia rogetur. Nam si suis fuerit rebus expoliatus (quod absit, aut quod alienum ab omnibus esse debet fidelibus.) à sede propria caiectus, aut in detentione aliqua à suis ovibus fuerit sequestratus, tunc canonicè antequam in pristinum restituatur honorem, & sua omnia quæ ab insidiis inimicorum suorum ei ablata fuerint, redintegrentur, nec convocari nec iudicari poterit, nisi ipse pro sua necessitate, minimè tamen iudicandi, advenire sponte elegerit: nec omnino à quoquam respondere rogetur, antequam integerrimè omnia, quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, potestati eius ab honorabili concilio redintegrentur, & præsul prius statui pristino reddatur, & ipse dispositis ordinatisque liberè ac securè suis, tunc canonicè convocatus ad tempus synodo in legitima & canonica veniat ad causam, & si ita iustè videtur accusantium propositionibus respondeat. Nam hoc summopere providendum est, non antequam hæc omnia fiant, coactus respondeat: quia contentio semper vitanda est. Adimi namque Episcopo Episcopatum antequam causæ eius exitus appareat, nulli Christiano videri iure potest. Quòd si ægrotans fuerit Episcopus, aut aliqua eum gravis necessitas detinuerit, pro se legatum ad Synodum mittat, nec à communione suspendatur cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum iudicium die

statuta litteris evocatus minimè occurrerit: hoc est, nisi alia præoccupaverit necessitas, infrà spatium duorum vel trium mensium, & eo amplius prout causa dictaverit. Quod si ex utraque parte ad causam dicendam venerint, (quia unus absque altero audiri non debet) quærendum est in iudicio, cuius sint conversationis & fidei atque suspitionis accusatores, aut qua intentione hoc faciant: quia ad hoc admitti non debent, nisi bonæ conversationis & rectæ fidei viri, & qui omni suspitione careant, & bona vita clareant, neque infames existant. Quòd si accusatorum personæ in iudicio Episcoporum culpabiles apparuerint, ad arguendum non admittantur, nisi proprias causas, non tamen criminales vel Ecclesiasticas, obiecerint. Infamis enim persona nec procurator potest esse, nec cognitor. Absente verò adversariò non audiatur accusator, nec sententia absente parte alia à iudice dicta, ullam obtinebit firmitatem, neque absens per alium accusare aut accusari potest, nec affinis testis admitti. Neminem ergo exhiberi de provincia ad provinciam, vel ad comitatum oportet, nisi ad relationem iudicis ad quem fuerit appellatum, id est, ut actor rei semper forum sequatur. Si quis autem iudicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat, quam nulli oportet negari, *& reliqua.*

VIII. *Vt accusatio clericorum intra provinciam fiat; nisi fortè accusatus maiorum appellaverit auctoritatem.*

SI quis clericus super quibuslibet criminibus pulsatus fuerit in provincia qua consistit, ille qui pulsatur suas exerat actiones: nec æstimet eum accusator suus alibi aut longius pertrahendum ad iudicium. Illi verò qui pulsatus fuerit, si iudicem suspectum habuerit, liceat appellare.

IX. *Vt nullus Metropolitanorum aliquorum Pontificum suorumque clericorum aut Ecclesiarum causas audiat, absq; omnium comprovincialium Episcoporum præsentia. Ex synodo Romana tertia, Cap. xv.*

NVllus Metropolitanus Episcopus, absq; ceterorum omnium comprovincialium Episcoporum instantia, aliquorum, audiat causas clericorum: quia irritæ erunt, immo & causam in synodo pro facto dabunt. Nec reliquorum aliquis Episcoporum suorum sacerdotum causas audiat absque præsentia clericorum suorum: quia irrita erit sententia Episcopi, nisi præsentia clericorum confirmetur.

X. *De rimanda accusatoris persona. Ex decretis Sixti Papæ Capitulo VII.*

PLacuit ut semper primo in accusatione clericorum, persona, fides, conversatio & vita blasphemantium perscrutetur. Nam fides omnes actus hominis debet præcedere: quia dubius in fide infidelis est. Nec eis omnino est credendum, qui veritatis fidem ignorant, nec rectè conversationis vitam ducunt. Quoniam tales facile & indifferenter lacerant & criminantur rectè & piè viventes: ideo suspicio eorum discutienda est primò & corrigenda.

XI. De

XI. *De primatu sedis Apostolicæ, cui Episcoporum finitiva iudicia, & congregandarum synodorum privilegia sunt reservata: & de canonica Episcopi vocatione. Ex synodis Romanis Cap. XLIX. & ex decretis Iulii Papæ.*

NVllus Episcopus nisi canonicè vocatus, & in legitima synodo suo tempore Apostolica auctoritate convocata (cuius iussione Domini & meritis beati Petri Apostoli singularis congregandorum conciliorum auctoritas, & sanctorum canonum ac venerandorum patrum decretis multipliciter privata tradita est potestas) super quibuslibet criminibus pulsetur, id est, iudicetur, audiatur, vel impetatur. Sin aliter præsumptum à quibuslibet fuerit, in vanum deducatur quod egerint, nec inter Ecclesiastica ullo modo reputabitur, nec ullas habebit vires quidquid ei obviaverit. Quoniam eadem sedes, testante veritatis voce, primum primatum obtinuit, nec prima diceretur, si aliam super se haberet; quæ etiam caput est omnium Ecclesiarum, à qua omnes sumpsere originem. Primatum enim non synodalibus aut aliquibus commentis meruit institutis, sed Domino largiente, qui ait: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam*, & reliqua talia, & his similia. Quibus si aliquis superbo spiritu obviaverit præceptionibus, non exeat impunitus, sed gradus sui periculo subiacebit.

XII. *Vt si quis Metropolitanum suspectum habuerit, apud primatem audiatur. Ex concilio Calchedonensi.*

SI quis putaverit se à proprio Metropolitano gravari, apud primatem dioeceseos, aut apud Constantinopolitanæ civitatis sedem, agat iudicium, *& reliqua.*

XIII. *De accusato vel iudicato Episcopo, si bonam putaverit habere causam, & voluerit à Romano audiri Pontifice, à nullo prohibeatur, sed liberè hoc ei, & absque ullo impedimento concedatur. Ex quibus supra: cum quibus & Sardicense concilium, & alia decreta canonum & sanctorum Patrum concordant.*

VT accusato vel iudicato in aliqua causa Episcopo liceat iterare iudicium; & si necesse fuerit aut ipse voluerit, absque ulla detentione aut impeditione Romanum adire Pontificem: & dum iterato iudicio Pontifex causam suam agit, sua non privetur sede aut dignitate. Quoniam dudum à sanctis patribus statutum est, ut accusati nullus usurpet sedem Episcopi. *Et alibi:* Adimi Episcopo Episcopatum antequam causæ eius exitus appareat, nulli Christiano iure videri potest. *Et reliqua.*

XIIII. *Vt dum accusatus vel iudicatus Episcopus Romanum appellaverit Pontificem, nulla ei læsio fiat, neque aliquis eius arripiat sedem, aut in eius loco ordinetur Episcopus, antequam eius causa Romani Papæ sit terminata iudicio. Ex quibus supra: cum quibus & multa sanctorum patrum decreta consentiunt.*

PLacuit ut accusatus vel iudicatus à comprovincialibus in aliqua causa Episcopus, licenter appellet & adeat Apostolicæ sedis Pontificem, qui

aut per se aut per vicarios suos, eius retractari negotium procuret. Et dum iterato iudicio Pontifex causam suam agit, nullus alius in eius loco ponatur, aut ordinetur Episcopus. Quoniam quamquam comprovincialibus Episcopis accusati causam Pontificis scrutari liceat, non tamen definiri inconsulto Romano Pontifice permissum est: cum beato Petro Apostolo non ab alio quàm ab ipso Domino dictum est: *Quaecunque ligaveris super terram, erunt ligata & in coelis, & quaecunque solveris super terram, erunt soluta & in coelis.*

XV. *De Episcoporum appellatione ad Romanam Ecclesiam, quotiens necessitas exposcerit, cui Episcoporum & summarum causarum negotia spiritali privilegio à patribus reservata sunt. Ex quibus supra: cum quibus maximè cuncta canonum & sanctorum patrum decreta concinunt.*

VT omnes Episcopi qui in quibusdam gravioribus pulsantur vel criminantur causis, quotiens necesse fuerit liberè Apostolicam appellent sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, ut ab ea sicut semper fuit, profulciantur, defendantur, & liberentur, cuius dispositioni omnes maiores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum iudicia, antiqua Apostolorum, eorumque successorum, atque canonum auctoritas reservavit. Quoniam culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiusdem sedis Papae fieri placuerit. Canonibus quippe iubentibus in talibus absque Romano nil decerni Pontifice, nec ad synodum Episcopum convocari debere: & quidquid ex his eo inconsulto praesumptum fuerit, viribus carere.

XVI. *De causa Lupicini Episcopi. Ex Epistola Leonis Papae, Africanis Episcopis directa.*

CAusam Lupicini Episcopi, quia sic nobis placuit, illic iubemus audiri, cui multum & saepius postulanti communionem hac ratione reddidimus: quoniam cum ad nostrum iudicium provocasset, immeritò eum pendente negotio à communione videbamus fuisse suspensum. Adiectum etiam illud est, quod huic temerè super ordinatus esse cognoscitur, qui non debuit ordinari priusquam Lupicinus in praesenti positus, aut confutatus aut certè confessus iustae possit subiacere sententiae, ut vacantem locum, quemadmodum disciplina Ecclesiastica exigit, is qui consecrabatur, acciperet. Si quae verò aliae emerserint causae, quae ad statum Ecclesiarum, & ad concordiam pertineant sacerdotum, illic sub timore Domini volumus ut modò ventilentur, & de componendis atque compositis omnibus ad nos relatio plena mittatur: ut ea quae iuxta Ecclesiasticum morem iustè & rationabiliter fuerint definita, nostra quoque sententia roborentur. Ex his enim possumus cognoscere qualiter de ceteris agatur, qualiter nos nil contra statuta maiorum egisse poeniteat. Data IIII. Id. August.

XVII. *Ex libro XVI. Theodosii Imperatoris, de his qui super religione contendunt.*

IMperatores Valentinianus, Theodosius, & Archadius A.A.A. Thraciano praefecto praetorii. Nulli egresso ad publicum disceptandi de religione vel tractan-

tractandi, vel consilii aliquid deferendi patescat occasio. Et si quis posthac casu gravi atque damnabili, contra huiusmodi legem veniendum esse crediderit, vel insistere motu pestiferæ perseverationis audebit, competenti pœna & digno supplicio coërceatur. DATA XVI. Kal. Iulii. Theodosio Augusto II. & Cynegio Coss.

XVIII. *Vt nullus audeat prædicare nisi sacerdos ab Episcopo loci electus. Ex Epistola Leonis Papæ ad Theodoricum Cyri Episcopum directa.*

ILlud quod nobis propter improbitatem quorundam monachorum verbo mandasti, specialiter prædictorum patrum statuta firmantes, statuimus ut præter Domini sacerdotes, ab Episcopo eiusdem videlicet loci electos, nullus andeat prædicare, sive sit monachus sive laicus, qui cuiuslibet scientiæ nomine glorietur.

XIX. *Clerici accusatores fratrum ad communionem recipiantur, non ad clerum. Ex concilio Carthaginis.*

VT Episcopi accusatores fratrum excommunicent, & si emendaverint vitium, recipiant eos ad communionem, non ad clerum.

XX. *De præsidibus & ceteris Rempublicam agere volentibus, ne sine litteris Episcopi sui communicent, & cum contra disciplinam egerint excommunicentur. Ex concilio Arelatense.*

DE præsidibus, qui fideles ad præsidatum prosiliunt, ita placuit, ut cum promoti fuerint, litteras accipiant Ecclesiasticas, id est communicatorias: ita tamen ut in quibuscunque locis gesserint, ab Episcopo eiusdem loci cura illis agatur, ut cum cœperint contra disciplinam publicam agere, tum demum à communione excludantur. Similiter & de his, qui Rempublicam agere volunt.

XXI. *Vt clerici vel laici in aliena Ecclesia non communicent sine litteris Episcopi sui. Ex concilio Carthaginense.*

CAssianus Velenensis Episcopus dixit: Statuat gravitas vestra, ut unusquisque clericus vel laicus non communicet in alia plebe, sine litteris Episcopi sui.

XXII. *De bonore & pace sanctæ Ecclesiæ.*

VT honor & pax atque iustitia sanctæ Dei Ecclesiæ & servorum eius inlæsus ab omnibus conservetur.

XXIII. *De Dei sacerdotibus & ministris altaris.*

VT Dei sacerdotibus & ministris altaris, contra canonicam auctoritatem, nulla læsio à quoquam fiat.

XXIIII. *De concordia Episcoporum & Comitum.*

VT Episcopi & Comites concordes sint, & Comites eorumque ministri Episcopis atque eorum ministris in omnibus adiutores existant.

XXV. *De incendio & rapina.*

VT incendium vel rapinam in nostro regno nullus faciat, & fures vel raptores fortiter constringantur, ut nulli sua auferre audeant, nisi gratis tribuantur aut iusto censu exigantur.

XXVI. *De pace custodienda.*

VT pax in nostro regno secundum morem parentum nostrorum omnibus conservetur.

XXVII. *De puella virgine vel vidua.*

VT puellam virginem vel viduam nullus rapiat, nec facere volentibus consentiat.

XXVIII. *De banno persolvendo.*

VT ex his singulis bannus noster persolvatur, si à quoquam frustrata hæc fuerint. Et fideiussores usque ad nostram præsentiam fidissimos comitibus vel missis nostris horum corruptores singuli tribuant, ut iuxta Romanam legem hæc corrigantur.

XXIX. *De his qui servos suos extra iudicem necant.*

SI quis servum proprium sine conscientia iudicis occiderit, excommunicatione vel pœnitentia bienni reatum sanguinis emendabit.

XXX. *De his qui ad pacem non revertuntur.*

PLacuit ut (sicut plærumque fit) quicunque odio aut longinqua inter se lite discesserint, & in pacem revocari diuturna intentione nequiverint, à civitatis primitus sacerdotibus arguantur: qui si inimicitias deponere pernitiosa intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu iustissima excommunicatione pellantur.

XXXI. *De his qui intrant in Ecclesiam, & propter nimiam luxuriam suam à Sacramento se abstinent.*

SI quis intrat in Ecclesiam Dei, & sacras scripturas non audit, & pro luxuria sua avertit se à communione sacramenti, & in observandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinæ, istum talem proiiciendum de Ecclesia catholica esse decernimus, donec pœnitentiam agat, & ostendat fructum pœnitentiæ suæ, ut possit communione perceptâ indulgentiam promereri.

XXXII. *De clericis vel laicis.*

DE clericis vel laicis à communione summotis, ab aliis non recipiendis Episcopis.

XXXIII. *De clericis adversus invicem negotia propria habentibus.*

NOn oportet clericos habentes adversus invicem negotia, proprium Episcopum relinquere, & ad secularia iudicia convolare.

XXXIIII. *Si*

XXXIIII. *De eo qui excommunicatus ante audientiam communicare præsumpserit.*

SI quis excommunicatus ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationem protulit.

XXXV. *De potente qui aliquem expoliaverit.*

SI quis potentium quemlibet expoliaverit, & admonente Episcopo nón reddiderit, excommunicetur.

XXXVI. *Quòd Ecclesiarum dotes ad Episcopi ordinationem debeant pertinere.*

MVlti contra canonum constituta sic Ecclesias quas ædificarint, postulant consecrari, ut dotem quam ei Ecclesiæ contulerint, censeant ad Episcopi ordinationem non pertinere: sed omnia secundum constitutionem antiquam ad Episcopi ordinationem & potestatem pertineant.

XXXVII. *De his quæ à fidelibus in parochianis basilicis offeruntur.*

DE his quæ parochiis in terris, vineis, mancipiis atque peculiis quicunq; fideles obtulerint, antiquorum canonum instituta serventur, & omnia in Episcopi potestate consistant: de his tamen quæ altario accesserint, tertia fideliter Episcopis deferatur.

XXXVIII. *De quatuor portionibus Ecclesiasticis.*

QVod in unaquaque Ecclesia cui Episcopus præest, quatuor tam de reditibus quàm de oblationibus fidelium fieri debeant portiones, ut una sit Episcopi, alia clericorum, alia pauperum, & quarta fabricis Ecclesiasticis applicetur.

XXXIX. *Ex Epistola Papæ Gelasii de eo qui anathematis pœnam parvi duxerit.*

VT si quis anathematis pœnam parvi duxerit, etiam documento, quo se putat prædium possidere, frustretur, liceatque cuilibet Ecclesiasticæ personæ vocem contradictionis adferre, & cum fructibus præteriti temporis eadem prædia alienata reposcere.

XL. *De laicis qui contemptores canonum extiterint.*

VT laici contemptores canonum excommunicentur, clerici honore priventur.

XLI. *Vt populus ante completam Missam & benedictionem acceptam egredi non præsumat.*

CVm ad celebrandas Missas in Dei nomine convenitur, populus non ante discedat, quàm Missæ solemnitas compleatur, & ubi Episcopus fuerit, benedictionem accipiant sacerdotis: sacerdote autem verbum in Ecclesia faciente, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur.

XLII. De

XLII. *De qis qui Ecclesiastica ieiunia absque necessitate dissolvunt.*

SI quis eorum qui continentiæ student absque necessitate corporea, tradita in commune ieiunia & ab Ecclesia custodita superbiendo dissolvit, stimulo suæ cogitationis impulsus, anathema sit.

XLIII. *De his qui rebaptizati vel reconfirmati sunt, quid sit agendum.*

DE his qui rebaptizati sine aliqua necessitate vel tormento lapsi sunt, placuit ut circa eos illa Nicenæ synodi statuta serventur, quæ de prævaricatoribus constituta esse noscuntur; id est, ut annis septem inter catechumenos orent, & duobus inter catholicos: & postea moderatione & clementia Episcopi fidelibus in oblatione & Eucharistia communicent. Quam formam sequantur & reconfirmati.

XLIIII. *De clericis qui ad secularium defensionem confugiunt propter districtionem Episcopi.*

PLacuit ut clericus, si relicto officio suo propter districtionem ad secularem fortè confugerit, & is ad quem recurrit solatium defensionis impenderit, cum eodem de Ecclesiæ communione pellatur.

XLV. *De turpiloquiis.*

CLericos scurriles & verbis turpibus ioculares ab officio detrahendos.

XLVI. *De clericis qui in convivio cantare præsumpserint.*

CLerici inter epulas cantantes supradictæ sententiæ severitate coërceantur.

XLVII. *Ne clericus per creaturas iuret.*

CLericum per creaturas iurantem acerrimè obiurgandum; si perstiterit in vitio, excommunicandum.

XLVIII. *Ne ante horam diei tertiam quis ad convivium pergat, nec ante benedictionem manducet.*

NOn oportet clericos vel laicos religiosos ante sacram horam diei tertiam inire convivia, neque aliquando clericos, nisi hymno dicto edere panem, & post cibos gratias auctori Deo referre.

XLIX. *Vt presbyter, si inconsulto Episcopo agendam celebraverit, honore privetur. Ex concilio Carthaginis.*

NVmidius Episcopus Massilitanus dixit; In quibusdam locis sunt presbyteri, qui aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audaciter præsente & inconsulto Episcopo, cum pluribus in domiciliis agunt agendam, quod disciplinæ incongruum esse cognoscit sanctitas vestra. Genethlius Episcopus dixit; Fratres & coëpiscopi nostri dignæ suggestini respondere moremur.

Ab universis Episcopis dictum est. Quisquis presbyter inconsulto Episcopo agendam in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori sui contrarius existit.

L. *Ne presbyter benedictionem vel pœnitentiam in Ecclesia dare præsumat.*

BEnedictionem super plebem in Ecclesia fundere, aut pœnitentiam in Ecclesia benedicere, presbytero penitus non licebit.

LI. *Si qui clerici ab Episcopis suis promoti contempserint, nec illic maneant, unde recedere noluerint. Ex concilio Carthaginis.*

PLacuit ut quicunque clerici vel diaconi pro necessitatibus Ecclesiarum non obtemperaverint Episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in sua Ecclesia promovere, nec illic ministrent in gradu suo unde recedere noluerunt.

LII. *De incestis. Ex diversis Papæ Gregorii iunioris, & ex dictis Episcoporum & Imperatorum.*

SI quis consobrinam duxerit in coniugium, anathema sit. Et paulò post infert & dicit; Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema sit. Et Dominus in lege divina ait: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem eius.* Et paulò post; *Nec accedat ad uxorem eius qui sibi affinitate coniungitur.* Item unde supra: Nullus sexti gradus consanguineam in coniugium accipiat, aut sibi sceleratis nuptiis desideret copulari. Item ex dictis Episcoporum & Imperatorum Theodosii & aliorum. In septem gradibus omnia propinquitatum nomina continentur, ultra quos nec affinitas invenitur, nec successio potest amplius prorogari.

LIII. *Item de incestis. Ex Epistolis Gregorii III. Papæ, sancto Bonifacio Moguntiæ Archiepiscopo missis.*

PRogeniem suam unumquemque usque ad septimam observare decernimus generationem, & quamdiu se cognoscunt affinitate propinquos, ad huius copulæ non accedere societatem. Et in sanctis Canonibus, spiritu Dei conditis, de incestis habetur insertum; *Incestis coniunctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint.* Incestos verò nullo coniugii nomine appellandos sancimus, sed quibus illicita coniuctio interdicitur, nisi hi sunt quos sanctorum patrum decreta coniugio copulari prohibent, habebunt ineundi melioris coniugii libertatem.

LIIII. *De his qui solo convivio gentilium vel escis immolatitiis usi sunt: aut quòd hi qui homicidia vel alia capitalia perpetrant flagitia, non nisi per publicam pœnitentiam sanari possunt.*

QVi convivio solo gentilium & escis immolatitiis usi sunt, possunt ieiuniis, & manus impositione purgari, ita ut deinceps ab idolotitis absti-

nentes sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem aut idola adoraverunt, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos nisi per pœnitentiam publicam non oportet admitti.

LV. *De familiaritate extranearum mulierum.*

VT nullus familiaritatem extranearum mulierum præsumat habere; & qui inventus fuerit, severius corrigatur.

LVI. *Ne mulieres monasterium monachorum ingrediantur.*

VT mulieres in monasterium monachorum nullatenus ingrediantur.

LVII. *Vt omnibus vespertinis & matutinis horis oratio Dominica dicatur.*

PLacuit ut omnibus diebus post matutinas & vesperas, oratio Dominica à sacerdote proferatur.

LVIII. *De his qui sibi quacunque negligentia mortem inferunt, ut eorum commemoratio in oblationem non fiat. Similiter de his, qui pro suis sceleribus puniuntur.*

PLacuit ut qui sibi ipsis aut ferro, aut veneno, aut præcipitio, aut suspendio, vel quolibet modo violenter inferunt mortem, nulla illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur: multi enim sibi per ignorantiam usurparunt. Similiter & de his placuit, qui pro suis sceleribus puniuntur.

LIX. *De eo qui hominem peremerit.*

QVi occiderit hominem, iuxta canonicam pœniteat sanctionem, & ab Ecclesia prius proiiciatur. Vbi prostratus in terram in cinere & cilicio in introitum & exitum populi semper iaceat humiliter, postulans ut pro se orare non dedignentur. Et hoc usque ad satisfactionem Ecclesiæ & sacerdotum agat, pane tantum & aqua fruens: nisi humanius erga eum Episcopo agere placuerit, cuius ditioni subsistit.

LX. *De sartatectis Ecclesiarum, quæ ex donis fiunt eisdem collatis, ut in potestate Episcopi revocentur, quæcunque colligata fuerint.*

QVæcunque pro sartatectis Ecclesiis fuerint conlata, in potestate Pontificis aut presbyteri vel servientium sanctorum locorum, secundum voluntatem conferentis, ad se debeant revocare. Quòd si aliquis hæc inde abstraxerit, rapuerit, furatusvè fuerit, vel ea fraudaverit aut vastaverit, seu quocunque commento alienaverit, sciat se esse canonicè excommunicatum, quousque ea quæ abstulerit, studeat reformare.

LXI. Ne

LXI. *Ne presbyterum, diaconum, aut clericum aliquem ullus iudex secularis absque consensu Episcopi sui distringat.*

VT nullus iudex neque presbyterum, neque diaconum, aut clericum, aut iuniorem Ecclesiæ, sine scientia Pontificis per se distringat, aut condemnare præsumat.

LXII. *De libertis ut à sacerdotibus defensentur.*

LIberti quorumcunque ingenuorum à sacerdotibus defensentur, nec ad publicum ullatenus revocentur.

LXIII. *Ne aliquis clericus pro quacunque occasione extraneam mulierem in domo sua habeat.*

NVllus deinceps clericorum pro occasione necessitatis vestes faciendi, aut causa ordinandæ domus, extraneam mulierem in domo sua habere præsumat.

LXIIII. *De viduis. Ex epistola Beati Gregorii Papæ, Bonifacio Archiepiscopo missa.*

VIduas à proposito discedentes viduitatis, super quibus nos consulere voluit dilectio tua, frater charissimè, credo te nosse à sancto Apostolo, & à multis sanctis patribus, nisi convertantur, olim esse damnatas: quas & nos Apostolica auctoritate damnandas, & à communione fidelium atque à liminibus Ecclesiæ arcendas fore censemus, usquequo obediant Episcopis suis, & ad bonum, quod cœperunt, invitè aut voluntariè revertantur. De virginibus autem non velatis, si deviaverint, à sanctæ memoriæ prædecessore nostro Papa Innocentio taliter decretum habemus. Eæ verò quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulaverunt permanere, licet velatæ non fuerint, si sumpserint, his agenda aliquanto trmpore pœnitentia est, quia sponsio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio quam cum Deo pepigit, solvi sine vindicta non poterit? *& cetera.* Nam si virgines nondum velatæ taliter pœnitentia publica puniuntur, & à cœtu fidelium usque ad satisfactionem excluduntur, quantò potius viduæ, quæ perfectioris ætatis & maturioris sapientiæ atque consilii existunt, virorumque consortio multoties usæ sunt, & velari se permiserunt, habitumque religionis assumpserunt, & demum apostaverunt, atque ad priorem vomitum sunt reversæ, à nobis & ab omnibus fidelibus, à liminibus Ecclesiæ & cœtu fidelium usque ad satisfactionem sunt eliminandæ, & carceribus tradendæ; qualiter, iuxta beatum Apostolum Paulum, tradentes huiusmodi hominem Satanæ in interitu carnis, ut salvus sit spiritus in die Domini? De talibus enim & Dominus per Moysem loquitur, dicens: *Auferte malum de medio vestri.* De quibus & per Prophetam ait: *Lætabitur iustus cùm viderit vindictam; manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* De talibus namque eorumque similibus atque eisdem consentien-

tibus (quia non solum qui faciunt, sed etiam qui facientibus consentiunt, rei sunt.) Dominus per eundem Prophetam David loquitur dicens: *Videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Et multa talia eorumque similia. Tales verò personæ indubitanter adulteræ esse manifestantur; quoniam relicto immortali sponso, ad anteriorem ut canes ad proprium sunt renuersæ vomitum, & apostatæ factæ, illicita & sacrilega se contagione polluentes, viris mortalibus se conglutinaverunt. Quæ etiam, iuxta eundem Apostolum Paulum, eo quòd viduitatis propositum dimiserunt, & fidem quam cum Deo pepigerunt, frangere præsumpserunt, atque primam fidem prævaricaverunt, sunt damnandæ à nobisque & à vobis atque à reliquis nostri ordinis viris, à singulis videlicet sua in diœcesi à liminibus Ecclesiæ & à cœtu fidelium usque ad satisfactionem, ut prædictum est, sunt eliminandæ. A talium autem consortio & societate omnes fideles in omnibus abstinere mandamus. Super quibus etiam placuit quousque in ipso detestando & illicito atque sacrilego carnis contubernio perseverant, ut nullus Christianorum, nisi quibus proprius studio corrigendi iusserit Episcopus, cum eis in quoquam communicet, aut ad domum, in qua sunt accedat: cum quibus etiam, ut iam dictus sanctus præcipit Apostolus, nulli fidelium cibum sumere licet. Quòd si quis ex his quidquam tentare aut temerare præsumpserit, pari cum eis excommunicationis sententia feriatur, *&c.*

LXV. *De decimis quæ Ecclesiis dantur, ne eas presbyteri vendere præsumant.*

VT ulterius non præsumant presbyteri decimas vendere, quæ in pauperum & Ecclesiarum usibus dantur, sicut hactenus, mirabile dictu, in horreis veterata sunt ad thesaurorum cumulum: in cuius rei testimonium multi pauperum de manibus sacerdotum requirendi moriuntur. Sed ubi Deo largiente abundaverint, ad sustentationem pauperum parentur famis tempore.

LXVI. *De pauperibus à presbyteris colligendis.*

VT presbyteri quotidie duos vel tres pauperes colligant ad lavandos pedes.

LXVII. *De prædiis quæ presbyteri per ordinationem suam emerint.*

VT presbyteri post ordinationem suæ paupertatis prædia comparantes testamenta Ecclesiis confirment: sin aliter, ut fraudatores removeantur.

LXVIII. *Vt presbyteri ad tractanda eorum ministeria ad civitatem veniant.*

VT presbyteri sigillatim sub dispositione Episcopi in civitates veniant suas ad tractanda ministeria.

LXIX. *De his qui communicaverint, ut tribus horis suspendantur, propter cibi commixtionem.*

VT doceant communicantes duabus vel tribus suspendere horis, propter admixtionem cibi.

LXX. De

LXX. *De satisfactione quotidiana sacerdotum.*

VT sicut sine culpa nemo quotidie existit: ita sine quotidiana satisfactione nullus esse debet, etiam sacerdotum vel Christianorum.

LXXI. *De eo qui sine consensu Episcopi presbyterum de Ecclesia eiecerit vel constituerit.*

DE his qui sine consensu Episcopi presbyteros in Ecclesiis suis constituunt, vel de Ecclesiis eiiciunt, & ab Episcopo vel à quolibet misso dominico admoniti obedire noluerint, ut bannum nostrum rewadiare cogantur, & per fideiussores ad placitum nostrum venire iubeantur: & tunc nos decernamus, utrum nobis placeat ut aut illum bannum persolvant, aut etiam armiscaram sustineant.

LXXII. *De eo qui decimam dare neglexerit Ecclesiæ, cuius esse debet, alteriq; Ecclesiæ eam dederit.*

QVicunque decimam abstrahit de Ecclesia, ad quam per iustitiam dari debet, & eam præsumptiosè, vel propter munera aut amicitiam, vel aliam quamlibet occasionem, ad alteram Ecclesiam dederit, à Comite vel à misso nostro distringatur, ut eiusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat.

LXXIII. *De malis scabinis eiiciendis.*

VT missi nostri ubicunque malos scabinos inveniunt eiiciant, & totius populi consensu in locum eorum bonos eligant, & cum electi fuerint iurare faciant, ut scienter iniustè iudicare non debeant.

LXXIIII. *De melioribus & veracibus eligendis.*

VT in omni comitatu hi, qui meliores & veraciores inveniri possunt, eligantur à missis nostris, ad inquisitiones faciendas & rei veritatem dicendam, & adiutores comitum sint ad iustitias faciendas.

LXXV. *De scabinis qui propter munera aut amicitiam iniustè iudicaverint.*

VOlumus ut quicunque de scabinis deprehensus fuerit propter munera aut propter amicitiam vel inimicitiam iniustè iudicasse, ut per fideiussores missus ad præsentiam nostram veniat. De cetero omnibus scabinis denuntietur, ne quis deinceps etiam iustum iudicium vendere præsumat.

LXXVI. *De eo qui comprobatus fuerit testes in periurium scienter induxisse.*

QVicunque comprobatus fuerit de eo, quod scienter testes in periurium induxisset, sub fideiussione ad palatium nostrum venire compellatur, ut ibi cum fidelibus nostris consideremus, quid de tali homine faciendum sit.

LXXVII. *Vt bonos nummos nullus respuat.*

DE bonis denariis quos populus recipere non vult, volumus ut hoc observetur & teneatur, quod in priori Capitulare nostro conscriptum est, id est,

in libro IIII. de eo qui emptione vel debiti solutione denarium merum recipere non voluerit. Et ad hanc constitutionem nostram adimplendam, Episcopi & Abbates, sive qui nostra beneficia habent, adiuvent Comites in suis hominibus distringendis: & si Comites hanc nostram constitutionem neglexerint, hoc per missos ad nostram notitiam perferatur.

LXXVIII. De *collectis malis omnimodis inhibendis.*

COllectæ ad malè faciendum fieri omnimodis prohibeantur, & ubicunq; huiusmodi præsumptiones factæ fuerint, digna emendatione corrigantur: & si per negligentiam Comitis vel factæ sunt, vel inemendatæ remanserunt, hoc ad nostram notitiam perferatur. Auctor verò facti si fuerit præpositus, vel advocatus, sive centenarius, vel qualibet alia dignitate præditus, libera persona per legalem emendationem in loco factam sub fideiussoribus ad nostram præsentiam veniat: multitudo verò sive de servis sive de liberis sit, legitima emendatione multetur.

LXXIX. *Vt pontes publici, qui destructi fuerint, iterum extruantur.*

DE pontibus publicis destructis nobis si qui iussionem nostram in reparandis contempserunt, volumus ac iubemus ut omnes homines nostri in nostram veniant præsentiam rationes reddere, cur nostram iussionem ausi sunt contemnere. Comites autem reddant rationem de eorum pagensibus, cur eos aut non constrinxerunt ut hoc facerent, aut nobis nuntiare neglexerunt. Similiter & de iniustis teloneis, ubicunque accipiuntur, sciant se exinde nobis rationem reddituros.

LXXX. De *examine aquæ frigidæ.*

VT examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, à missis omnibus interdicatur, ne ulterius fiat.

LXXXI. De *reversione Comitis & pagensium de hostili expeditione, ut ex eo die super* XL. *dies sit bannus recisus.*

POstquam Comes & pagenses de qualicunque expeditione hostili reversi fuerint, ex eo die super XL. noctes sit bannus recisus, quod lingua Teodisca Scastlegi, id est armorum depositio vocatur.

LXXXII. De *audientia Regis: & ut Comites & missi dominici pauperum curam habeant.*

HOc missi nostri notum faciant Comitibus & populo, quòd nos in omni hebdomada unum diem ad causas audiendas & iudicandas sedere volumus. Comites autem & missi nostri magnum studium habeant, ne fortè propter eorum negligentiam pauperes crucientur, & nos tædium propter eorum clamores patiamur, si nostram gratiam habere velint. Populo autem dicatur, ut caveat de aliis causis se ad nos reclamare, nisi de quibus aut missi nostri aut Comites eis iustitias facere noluerint.

LXXXIII. De

LXXXIII. *De inferenda à vicariis, vel aliis missis Comitum, exigenda.*

QVicunque vicarii vel alii ministri tributum, quod inferenda vocatur, maioris pretii à populo exigere præsumpserit, quàm à missis bonæ memoriæ genitoris nostri constitutum fuit, hoc est duos solidos pro una vacca, quod iniustè superposuit atque abstulit, sibique retinuit, his quibus hoc tulit, cum sua lege restituat, & insuper fredum nostrum componat, & ministerium amittat.

LXXXIIII. *De eo qui propter cupiditatem rerum quemcunque propinquorum suorum interfecerit.*

SI quis propter cupiditatem rerum, patrem, aut matrem, aut sororem, vel alium propinquum suum interfecerit, hereditas interfecti ad alios suos legitimos heredes perveniat, interfectoris autem hereditas in fiscum redigatur, ipse verò ordinante Episcopo publicæ pœnitentiæ subdatur.

LXXXV. *De eo qui res alienas cuilibet homini vendiderit.*

QVicunqne res alienas cuilibet homini vendiderit, & ipse homo easdem res alicui alteri dederit sive venderit, & ipse qui tunc easdem res comparatas habet per malum ingenium, filio aut alteri cuilibet necdum legitimos annos habenti, iustitiæ tollendæ causa tradiderit, volumus atque firmiter præcipimus, si pater eiusdem parvuli vixerit, ipse intret in suam rationem reddendi pro filio suo. Si autem pater mortuus est, tunc legitimus eius propinquus, qui iustè ei tutor aut defensor esse videtur, pro ipso rationem reddere compellatur: similiter de aliis omnibus institutis ad eum pertinentibus, excepta sua legitima hereditate, quæ ei per successionem parentum suorum legitimè evenire debuit. Quòd si quis hanc nostram iussionem contemserit vel neglexerit, sicut de ceteris contemptoribus, ita & de eo agatur. Is verò qui easdem res primus invaserit, & iniustè vendiderit, necnon & emptores, excepta sola persona parvuli, hoc quod fraudulenter admiserunt, intra patriam emendare cogantur. Et postea sicut contemptores iussionis nostræ sub fideiussoribus ad nostram præsentiam venire compellantur.

ANNO FELICITER XI. REGNI DOMNI NOSTRI KAROLI GLORIOSISSIMI REGIS IN MENSE MARTIO QVALITER CONGREGATIS IN VNVM SYNODALI EPISCOPIS ABBATIBVS VIRISQVE ILLVSTRIBVS VNA CVM COMITIBVS SECVNDVM DEI VOLVNTATEM PRO CAVSIS OPPORTVNIS CENSENTVR VTILITER ESSE DECRETA.

LXXXVI. De *Metropolitanis.*

DE Metropolitanis, ut Episcopi suffraganei eis adiutores sint, eaque quæ erga ministerium illorum emendanda cognoscunt, libenti animo emendent atque corrigant.

LXXXVII. De *Episcopis ordinandis.*

VT ubi in præsens Episcopi ordinati non sunt, sine tarditate ordinentur.

LXXXVIII. De *monasteriis sub regula constitutis.*

VT monasteria, quæ sub regula fuerint, sub regula vivant. Similiter & monasteria puellarum ordinem sanctum custodiant; & unaquæque Abbatissa in suo monasterio sine intermissione resideat.

LXXXIX. De *potestate Episcoporum super presbyteros & clericos.*

VT Episcopi de presbyteris & clericis infra illorum parochiam potestatem habeant secundum canones.

XC. De *alterius clerico Episcopi non recipiendo nec ordinando.*

VT non liceat alterius clericum recipere nec ordinare ad aliquem gradum.

XCI. De *loricis extra regnum non vendendis.*

DE bruniis, ut nullus foras nostro regno vendere præsumat.

XCII. De *eo qui pro faida pretium recipere vel solvere noluerit.*

SI quis pro faida pretium recipere non vult, tunc ad nos transmittatur, ut nos ipsum dirigamus, ubi damnum nemini facere possit. Simili modo qui pro faida pretium solvere non vult, & iustitiam exinde facere, in talem locum illum mittere volumus, ubi pro eodem maius damnum non crescat.

XCIII. *Ne presbyter vel reliqui clerici, aut ullus fidelium præsumat decimas vendere, vel donare, aut pignorare, Ecclesiæque quoquo modo alienare.*

NVllus presbyter aut diaconus, vel quilibet clericus aut laicus, decimas vendere, aut dare, vel pignorare, aut indebitare præsumat, antequam eas cum omni integritate fideliter collectas habeat, & infra septa Ecclesiæ, cui iure debentur, in suis utiliter graneis collectas habeat: & postea iuxta præceptum proprii Episcopi, secundum canonicas sanctiones atque decreta beati Gelasii Papæ, eas dispenset. Si quis autem hæc parvi penderit, vel infringere tentaverit, siquidem clericus fuerit, gradus sui periculo subiacebit: si verò monachus vel laicus fuerit, communione privetur.

XCIIII. De

XCIIII. *De providentia Episcopi circa Archidiaconos.*

VT provideant Episcopi ne cupiditas Archidiaconorum culpas nutriat sacerdotum; quia multis modis mentitur iniquitas sibi.

XCV. *De non eiiciendis de sepulchris ossibus mortuorum.*

VT nullus ossa mortuorum de sepulchris audacter eiiciat.

XCVI. *De non iurando.*

VT unusquisque caveat iurare; quia periuri regnum Dei non possidebunt, sicut nec adulteri.

XCVII. *De prædiis à presbyteris emptis, Ecclesiis propriis confirmandis.*

VT presbyteri pauperes ordinati prædia comparantes, Ecclesiis confirment.

XCVIII. *De formatis faciendis: & ut sine formata nullus proficiscatur clericus. Ex concilio Africano vel Milevitano Cap. xx. ut sine formatis nemo ad comitatum proficiscatur, & qualiter fiant formatæ.*

PLacuit ut quicunque clericus propter necessitatem suam alicubi ad comitatum ire voluerit, formatam ab Episcopo suo accipiat: quòd si sine formata voluerit pergere, à communione removeatur. Quod si alicubi ei repentina necessitas orta fuerit ad comitatum pergendi, alleget apud Episcopum loci eius ipsam necessitatem, & de hoc scripta eiusdem Episcopi deferat. Formatæ autem quæ à primatibus vel à quibuscunque Episcopis clericis propriis dantur, habeant diem Paschæ. Quòd si adhuc eiusdem anni Paschæ dies incertus est, ille præcedens adiungatur, quomodo solet, post consulatum, in publicis gestis adscribi.

XCIX. *De clericis negligentibus. Ex concilio Agatensi Cap. XIII. De contumacibus clericis & ad officium tardis.*

COntumaces verò clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur. Et si qui prioris gradus elati superbia communionem fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur, ita ut cum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula gradum dignitatemque recipiant.

C. *De non pergendum clericis sine permissu Episcopi ad iudices seculares. Ex concilio Agatensi Cap. XXXII. Vt clericus inconsulto Episcopo ad iudicem secularem non pergat.*

CLericus nequaquam præsumat apud secularem iudicem, Episcopo non permittente, pulsari: sed si pulsatus fuerit, non respondeat, nec audeat criminale negotium in iudicio seculari proponere. Si quis verò secularium per calumniam Ecclesiam aut clericum fatigare tentaverit, & victus fuerit, ab Ecclesiæ liminibus, & catholica communione, nisi dignè pœnituerit, coërceatur.

CI. *De his qui in propriis provinciis non communicant. Ex concilio Africano, Cap. XVIII.*

PLacuit ut quicunque non communicans in propria provincia, in aliis provinciis vel transmarinis partibus ad communicandum obrepserit, iacturam communionis vel clericatus excipiat.

CII. *De patratoribus diversorum malorum.*

SVnt sanè diversorum malorum patratores, quos & lex divina improbat & condemnat: propinquorum etiam diversis sceleribus & flagitiis populus fame & pestilentia flagellatur, & Ecclesiæ status infirmatur, & regnum periclitatur. Et quanquam hæc in sacris eloquiis satis sint execrata, nos tamen necessarium prævidimus iterum nostra admonitione & exhortatione atque prohibitione præcaveri omnino oportere. Sicut sunt diversarum pollutionum patratores, quas cum masculis & pecoribus nonnulli diversissimis modis admittunt, qui incomparabilem dulcedinem piissimi Creatoris ad amaritudinem provocantes, tanto gravius delinquunt, quanto contra naturam fœdius peccant: pro quo etiam scelere igne cœlesti conflagratæ, inferniq; hiatu quinque absorbtæ sunt civitates, necnon & quadraginta & eo amplius milia stirpis Beniamineæ mucrone fraterno confossa sunt. Hæc porro iudicia & evidentes vindictæ declarant, quam detestabile & execrabile apud divinam maiestatem hoc vitium extet. Scimus enim quoniam talium criminum patratores, lex Romana, quæ est omnium humanarum mater legum, igne cremari iubet. Vobis ergo omnibus terribiliter denunciamus, vestrisque cunctis ac vobis famulantibus atque subditis unà vobiscum, sub Dei districto iudicio & fidelitate nostra, præcipimus ab his caveri, & hæc facientibus nec verbis nec factis ullo modo consentire; quoniam qui talia agunt, Apostolo pollicente, regnum Dei non consequentur. Tempus namque est ut multitudini pereuntis populi parcatis, quæ secundum exempla peccantis Principis, cadebat in puteum mortis. Quia quantoscunque vel per bona exempla ad vitam cœlestem patri contrahimus, vel per mala exempla ad perditionem sequentes præimus, de tantis proculdubio ab æterno iudice vel pœnas vel præmia accepturi sumus. Si enim gens nostra, sicut per istas provincias divulgatum est, & nobis in Francia & in Italia improperatur, & ab ipsis paganis improperium est, spretis legalibus connubiis adulterando & luxuriando, ad instar Sodomitanæ gentis, fœdam vitam duxerit; de tali commixtione meretricum æstimandum est degeneres populos, & ignobiles, & furentes libidine fore procreandos, & ad extremum, universam plebem ad deteriora & ignobiliora vergentem, & novissimè nec in bello seculari fortem, nec in fide stabilem, & nec honorabilem hominibus, nec Deo amabilem esse venturam. Sicut aliis gentibus Hispaniæ, & Provinciæ, Burgundionumq; populis contigit, quæ sic à Deo recedentes fornicatę sunt, donec iudex omnipotens talium criminum ultrices pœnas per ignorantiam legis Dei & per Sarracenos venire & sævire permisit. Et notandum quod in illo scelere aliud immane flagitium subter latet, id est homicidium: quia dum illæ meretrices, sive monasteriales sive seculares, malè conceptas

soboles

ſoboles in peccatis genuerunt, ſæpe maxima ex parte occidunt, non implentes Chriſti Eccleſias filiis adoptivis, ſed tumulos corporibus, & inferos miſeris animabus ſatiant. Abſit enim ut pro talibus pereatis, & nos ſimul cum regno cadamus, gloriaque totius regni pereat: quoniam ex præcedentibus agnovimus, quæ ſequuturis, niſi prævisa fuerint, poſſunt evenire. Satius eſt quoque nobis talibus carere, quàm cum his ruere, regnumque & ab inimicis depopulatoribus futuro tempore adnullari vel poſſideri. Scire enim vos cupimus, quia quicunque ſuper his aut faciens vel libenter conſentiens inventus fuerit, nos eum iuxta prædictam Romanam legem velle punire.

CIII. *De rebus Eccleſiæ, quæ abſque ulla repetitione ab eadem Eccleſia per triginta annos poſſeſſæ ſunt, ut nulla teſtimonia ſuper hanc deinceps poſſeſſionem recipiantur.*

VT de rebus Eccleſiarum, quæ ab eis per triginta annorum ſpatia ſine ulla interpellatione poſſeſſæ ſunt, teſtimonia non recipiantur, ſed eo modo contineantur, ſicut res ad fiſcum noſtrum pertinentes contineri ſolent.

KAROLI HLVDOVICI IMP. F.

CAPITVLA.

HÆC QVÆ SEQVVNTVR CAPITVLA EXCERPTA SVNT A DOMNO REGE KAROLO, DOMNI HLVDOVICI IMP. FILIO, ET PRINCIPIBVS EIVS, EX CAPITVLIS QVÆ ANNO DCCCXLVI. EDIDERANT EPISCOPI IN SYNODIS, WENILO SCILICET CVM SVFFRAGANEIS SVIS, GVNTBOLDVS CVM SVFFRAGANEIS SVIS, VRSMARVS CVM SVFFRAGANEIS SVIS, HINCMARVS CVM SVFFRAGANEIS SVIS, AMALO CVM SVFFRAGANEIS SVIS: ET OBLATA SVNT EIDEM PRINCIPI, SICVT IPSE IVSSERAT, COLLECTA AD RELEGENDVM IN SPARNACO VILLA REMENSIS ECCLESIÆ. ET QVIA FACTIONE QVORVNDAM MOTVS EST ANIMVS IPSIVS REGIS CONTRA EPISCOPOS, DISSIDENTIBVS REGNI SVI PRIMORIBVS AB EORVNDEM EPISCOPORVM ADMONITIONE, ET REMOTIS AB EODEM CONCILIO EPISCOPIS, EX OMNIBVS ILLIS CAPITVLIS HÆC TANTVM OBSERVANDA ET COMPLACENDA SIBI COLLEGERVNT, ET EPICOPIS SCRIPTO TRADIDERVNT, DICENTES, NON AMPLIVS DE EORVM CAPITVLIS ACCEPTASSE QVAM ISTA, ET ISTA SE VELLE CVM PRINCIPE OBSERVARE.

De honore & cultu Ecclesiarum.
De honore Episcoporum & veneratione servorum Dei.
De iustitiis.
Vt cautela fiat erga eos, qui causa iuventutis aut insipientiæ, in aliquo fallunt sive contemnunt admonitionem Episcoporum, ne subitò aut incautè damnentur anathemate.
De his qui contra regiam potestatem contumaces esse moliuntur.
De precariis.
De hospitalibus.
De rapacibus.
Vt Episcopis tempus congruum observetur ad ministerium suum peragendum.
Vt clerici arma militaria non contingant.
Vt missi dirigantur qui inquirant, si percepta à nobis de rebus Ecclesiarum ad proprium sint facta.

De here-

De heresi Simoniaca.
Vt à nullo sedes Episcopalis proprio infirmante Episcopo usurpetur.
Vt Canonici infra dormitorium dormiant.
Vt monachi ad palatium non veniant, nisi causa obedientiæ, exceptis Abbatibus.
Vt laici decimas de Ecclesiis non contingant.
De sanctimonialibus contra auctoritatem nuptis.
De sponsis aliorum.
De sepulturis infra Ecclesiam.

PLENITVDO AVTEM CAPITVLORVM QVÆ IN PLENITVDINE SYNODALIVM ACTIONVM HABENTVR, VNDE HÆ COMMEMORATIONES EXCERPTÆ SVNT, ITA PER LOCA CONTINENTVR.

DE honore & cultu Dei atque sanctarum Ecclesiarum, quæ auctore Deo sub ditione & tuitione regiminis nostri consistunt, communiter, Deo mediante, decernimus, ut sicut tempore beatæ recordationis Domni ac genitoris nostri excultæ, & honoratæ, atq; rebus ampliatæ fuerunt, salva æquitatis ratione, ita permaneant. Et quæ à nostra liberalitate honorantur atque ditantur, de cetero sub integritate sui serventur; & sacerdotes ac servi Dei vigorem Ecclesiasticum & debita privilegia iuxta reverendam auctoritatem obtineant. Eisdem verò regalis potestas, & illustrium virorum strenuitas, seu Reipublicæ administratores, ut suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter & iustè concurrant.

II. Honor etiam regius, & potestas regali dignitati competens, atque sinceritas & obtemperantia seniori debita, remota omni socordia & calliditate, seu qualibet indebita quorumcunque coniunctione, contra honorem & potestatem atque salutem nostram, sive regni nostri soliditatem, nobis in omnibus & ab omnibus, sicut tempore antecessorum nostrorum consueverat, exhibeatur. Et si quis quemcunq; contra nos, & contra hanc pactam sinceritatem aliquid moliri manifestè cognoverit, si eum convertere nequiverit, apertè prodat atque denotet, & sic consilio atque auxilio Episcopalis auctoritas, & fidelium unanimitas, ut noster honor & potestas regia inconvulsa permaneat, totis nisibus decertare & adiuvare procuret.

III. Quia verò debitum esse cognoscimus, ut à quibus honorem suscipimus, eos iuxta dictum Dominicum honoremus, volumus ut omnes fideles nostri certissimum teneant, neminem cuiuslibet ordinis, aut dignitatis, deinceps nostro inconvenienti libitu, aut alterius calliditate, vel iniussa cupiditate, promerito honore debere privari, nisi iustitiæ iudicio & ratione atque æquitate dictante. Legem verò unicuique competentem, sicut antecessores sui tempore meorum prædecessorum habuerunt, in omni dignitate & ordine, favente Deo, me observaturum perdono.

IIII. Quod ut facilius atque obnoxius nostra auctoritas valeat observare, omnes sicut in vestra bene memorabili convenientia pepigistis, conservare studebitis. Immo etiam cuncti in postmodum sollicitè præcavebunt, ne aliquis pro quacunque privata commoditate, aut reiicienda cupiditate, sive alicuius consanguinitatis vel familiaritatis seu amicitiæ coniunctione nobis immoderatius suggerat, vel postulationibus aut quolibet modo illiciat, ut contra iustitiæ rationem & nostri nominis dignitatem ac regiminis æquitatem agamus.

V. Et si fortè subreptum nobis quippiam ut homini fuerit, competenter & fideliter, prout sublimitati regiæ convenit, & necessitatibus subiectorum expedit, ut hoc rationabiliter corrigatur, vestra fidelis devotio admonere curabit.

VI. Et ne magnificentiam vestram illuc vestræ dignitati indecens & inhonesta impellat necessitas, quo non trahit voluntas: & partim necessitate, partim etiam subreptione, quia aliter quam se rei veritas habeat nobis dictum vel postulatum fuit, maximè quod ad Rempublicam pertinuit, aut præreptione in beneficiario iure, aut in alode assumptum habetur, videtur nobis utile & necessarium, ut fideles & strenuos missos ex utroque ordine per singulos comitatus regni vestri mittatis, qui omnia diligenter inbrevient, quæ tempore avi ac patris vestri, vel in regio specialiter servitio, vel in vassallorum dominicorum beneficiis fuerit, & quid vel qualiter, aut quantum exinde quisque modo retineat, & secundum veritatem renuntietur vobis. Et ubi invenietis quia ratio & utilitas, ac ordo seu veritas, in absumptis vel donationibus habeatur, in statu permaneant. Vbi autem inrationabilitas, vel potius fraus inventæ fuerint, una cum consilio fidelium vestrorum hoc taliter corrigite, ut ratio atque utilitas seu iustitia non deserantur, & dignitas magnificentiæ vestræ per necessitatem ita vilis non fiat, sicut vos non decere cognoscitur. Quoniam domestica domus vestra aliter obsequiis domesticorum repleri non poterit, nisi habueritis unde eis meritis respondere, & indigentiæ solatium ferre possitis: & sic demum respublica vestra de suo suffragetur sibi, & Ecclesiæ, à quibus non expedit, habeantur immunes.

VII. Vt nemo Episcoporum quemlibet sine certa & manifesta peccati causa communione privet Ecclesiastica. Anathema autem sine consensu Archiepiscopi, aut coëpiscoporum, prolata etiam Euangelica admonitione, nulli imponat, nisi unde canonica docet auctoritas. Quia anathema æternæ est mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illi qui aliter non potuerit corrigi.

VIII. Vt precariæ & commutationes tempore viduatarum Ecclesiarum factæ, ab his qui loca Episcoporum occupaverant, rescindantur: & cum auctoritate Ecclesiastica vel civili denuò, si fiendæ sunt, fiant.

IX. Precariæ autem à nemine de rebus Ecclesiasticis fieri præsumantur, nisi quantum de qualitate convenienti datur ex proprio, duplum accipiatur ex rebus Ecclesiæ in suo tantum qui dederit nomine. Si autem res proprias ad præsens dimiserit, ex rebus Ecclesiasticis triplum fructuario usu in suo

in suo tantum quis nomine sumat. Quia sic eas quemque tractare oportet, ut alienarum dispensatorem, non propriarum largitorem, & à nulla potestate quis cogatur facere precariam, de rebus propriè Deo & sanctis illius dicatis: cum ratio & usus obtineat, neminem, cui non vult, contra utilitatem & rationem præstitum de proprio facere beneficium. Præcepta autem regalia super precariis Ecclesiasticis fieri nec ratio sinit, nec auctoritas quolibet modo permittit: quoniam præcepta in iure Ecclesiastico firmare indignum iudicet necesse est maiestas regia, nisi ab Ecclesiastico rectore pedantur. Idem autem custos Ecclesiæ solertissimè caveat, ne sui ordinis & Ecclesiasticæ communionis fortè immemor, contra auctoritatem præceptum regium pro quacunque adsentatione fieri petat. Qui etsi fecerit, non audiatur. Si autem obtinuerit, regia discretione & Episcopali id rescindatur: & petitor iniustus pro Principis iniusto suggestione dignè corripiatur, & precariæ, secundum antiquam consuetudinem & auctoritatem, quinquennio in quinquennium renoventur.

X. Vt contra deprædatores, & oppressores Ecclesiarum, & rerum ad easdem pertinentium defensores, secundum ministerium vestrum, quantum Deus posse dederit, existatis, & præcepta quæ avus, & pater vester Ecclesiis ditioni vestræ subiectis fecerunt ac firmaverunt, & stabilia conservaverunt, quæque vos confirmastis, de cetero rata in omnibus conservetis.

XI. Vt regia magnificentia liberiorem libertatem Episcopis ad suum peragendum in eorum parochiis ministerium, quam hactenus propter diversas perturbationes habuissent, maximè in sacratissimis temporibus, Quadragesimæ scilicet, & Adventus Domini, tribuat: quatenus periculum & ipsi Episcopi & regia dignitas salubrius pro ministerio sibi commisso & neglecto possunt evadere, & pro strenuè executo divinam misericordiam sibi conciliare prævaleant. Ipsi autem Episcopi concessum sibi otium non in suas voluptates, sed in divinum & officiosum convertant negotium: quatenus studentes prædicationi atque confirmationi, quod hactenus per parochias fuit neglectum, solerter & devotissimè de cetero sit correctum & emendatum. Et non propter suam quietudinem Episcopi ad remotiora loca secedentes, & suum ministerium neglegentes, proprias deserant civitates; sed ut parochias suas cum officii efficacia circumeant, aut cum religione in suis civitatibus canonicè cum suis filiis degant, & hospitalitate ornati, quæ iam penè propter diversas rapacitates annullata est, non solum in oculis Domini propter inobedientiam mandati divini reddantur conspicui, verum & bonum testimonium secundum sanctum adquirant Apostolum. Presbyteros etiam sibi commissos & doctrinæ castitate, & sobrietate atque hospitalitate, secundum eorum ministerium ornari compellant.

XII. Vt quicunque ex clero esse videntur, arma non sumant, nec armati incedant, sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus, & religioso habitu præbeant. Quod si contempserint, tanquam sacrorum canonum contemptores, & Ecclesiasticæ sanctitatis profanatores, proprii gradus amissione multentur: quia non possunt simul Deo & seculo militare.

XIII. Admonenda est regia magnitudo de hospitalibus, quæ tempore prædecessorum suorum & ordinata, & exculta fuerunt, & modo ad nihilum

sunt redacta. Sed & hospitalia Scottorum, quæ sancti homines gentis illius in hoc regno construxerunt, & rebus pro sanctitate sua adquisitis ampliaverunt, ab eodem hospitalitatis officio funditus sunt alienata: & non solum supervenientes in eadem hospitalia non recipiuntur, verum etiam ipsi qui ab infantia in eisdem locis sub religione Domino militaverunt, exinde eiiciuntur, & ostiatim mendicare coguntur. Vnde pertimescenda est canonica sententia, & maximè decretalis Symmachi Papæ definitio, quia ut necator pauperum, & Christi traditor Iudas, id est, qui huius sceleris auctor & perpetrator esse dignoscitur, præsenti & perpetuo anathemate feriendus. *Qui reiculam*, inquit Symmachus Papa, *vel quidquid fuerit Ecclesiæ, petunt à Regibus, & corrumpendæ pietatis instinctu egentium substantiam rapiunt, irrita habeantur si qua obtineant, & à communione Ecclesiæ, cuius facultatem auferre cupiunt, excludantur.* Item in canone Aurelianensi: *Si quis quolibet tempore contra hanc constitutionem nostram venire tentaverit, aut aliquid de consuetudine vel facultate xenodochii abstulerit, ut xenodochium, quod avertat Deus, esse desinat, ut necator pauperum irrevocabili anathemate feriatur.*

XIIII. Cavendum & summopere præcavendum, ac per virtutem Christi sanguinis interdicendum, & Episcopis & Regibus & omnibus sublimioribus potestatibus, atque cunctis fautoribus & electoribus quorumcunque, atque consensoribus seu ordinatoribus in gradu Ecclesiastico, ut nemo per Simoniacam hæresim regiminis locum obtineat quacunque factione, calliditate, promissione, seu commoditate, aut donatione, per se aut emissam personam: cum Spiritus sanctus inter cetera documenta Ecclesiastica per os sancti dicat Gregorii: *Cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictione convertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur?* Et item: *Ementes quippe atque vendentes par pœna constringit, cum liqueat hanc hæresim in ipsa sua origine Apostolica esse detestatione damnatam.* Et Apostolus docet: *Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt digni sunt morte.* Et item beatus Gregorius, *Dolens*, inquit, *dico, gemens denuncio: quia sacerdotium quod apud vos intus cecidit, foris diu stare non poterit.* Item: *Ideo adversarius animarum callida specie suadet quasi debere ab habentibus accipi, ut sit quod possit non habentibus erogari. Sed scriptum est; hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere.*

XV. Vt nemo Episcopo vivente Ecclesiam illius aut res ad eam pertinentes invadere, aut dominari præsumat, neque sub voluntariæ cleri ac populi electionis obtentu præter voluntatem Episcopi quisquam quacunq; seculari potestate præditus, quasi œconomum constituat. Sed si Episcopus ministerium Ecclesiasticum propter infirmitatem corpoream exhibere non potuerit, in Archiepiscopi hoc cum voluntate Episcopi eiusdem Ecclesiæ maneat ordinatione, qualiter debitum officium non remaneat. Obsequium verò ad Rempublicam pertinens, qualiter exsequatur per tales ex subditis & Ecclesiasticis ministris cum consensu Archiepiscopi, propter pacis charitatisque custodiam, Episcopus ordinet & disponat, quos succedendi in Episcopatu appetitus indebitus non elevet, neque vexet,

nisi in-

nisi moratus ita extiterit, ut secundum instituta beati Gregorii in libro Epistolarum, & similiter in subdito prosit, & post humiliter conveniens sanctis regulis præsit, quia ob hoc in multis Ecclesiis scandalum magnum conspeximus. Si autem in Archiepiscopo talis necessitas acciderit, similiter ipse consilio Episcoporum suorum huiusmodi ordinationem exhibeat.

XVI. Vt Canonici in civitate vel monasteriis, sicut constitutum est, in dormitorio dormiant, & in refectorio comedant, & in domo infirmorum necessario subleventur: & tam sani quam & infirmi canonicè vestiantur, atq; in claustris congruis horis degant, & sub custodia canonica lectionis, & ceteris divinæ institutionis, insistant officiis. Qui verò Episcoporum loci convenientiam aut facultatem non habuerit, ut hoc perficere & ordinare possit, Princeps secundum constitutionem domini Imperatoris Hludovici annuat. Id est, si vicina Episcopio terra de eadem Ecclesia esse reperta fuerit, & ab alio possidetur, Ecclesiæ rectori ad claustra clericorum, vel alia quælibet Ecclesiæ commoda facienda raddatur. Si autem de fisco fuerit, regia liberalitas eandem terram, ad servorum Dei habitacula construenda, largiri dignetur. Si autem de alia causa Dei aut de cuiuslibet proprio fuerit, ex convenientia commutandi licentia tribuatur. Et si paupertas loci ad ædificandas domos necessarias non suffecerit, eos ad adiutorium ædificandi potestas regia cogat, qui res de eadem Ecclesia in beneficiis retinent.

XVII. Vt monachi quibus monasteriorum cura commissa non est, passim & sine auctoritate palatium non adeant, nec in eo immorentur, vel ibi discurrere ac pervagari acephali præsumant. Sed si tales quilibet fuerint, ut utiles & necessarii Ecclesiæ ac Principi reperiantur, cum auctoritate Episcopi canonicè ac religiosè pergant. Sin autem in monasteriis suis, sicut canonica & regularis docet institutio, religiosè resideant, hos etiam nec Episcopus, nec Abbas, vel quilibet alius, veredariorum more in missaticis instanter transmittat: quia per quosdam illorum contra canonicam auctoritatem, & Ecclesiastica & civilia perturbantur negotia, nec sub prætextu obedientiæ diutius villicationibus inserviant, sed regulariter obedientiam vicissitudine sua peragentes, secum (ut de sancto Benedicto legitur) in monasterio habitent, atque seipsos recolligant. Hæc autem transgredientes, sive prælati in favendo, sive subditi in obtinendo excommunicentur.

XVIII. Hi verò qui ex rebus Ecclesiasticis nonas & decimas persolvere, & sartatecta Ecclesiæ secundum antiquam auctoritatem & consuetudinem restaurare debent, & hoc non solum neglegunt, verùm & per contemptum dimittunt, atque clericos fame & penuria, Ecclesiastica quoque ædificia dissolutione annullari permittunt, tamdiu ab Ecclesiastica communione separentur, usque dum diligentia emendare studeant, quod socordia neglexerunt. Quòd si iterum iteraverint, post excommunicationis satisfactionem, regia potestate compulsi, iuxta legale & antiquum dictum, *Qui negligit censum, perdat agrum*. Servi autem Ecclesiarum, quibuscunque potestatibus subditi, unde melior consuetudo vel devotior commendatio ex tempore & iussione domni Hludovici, vel certe domni Karoli, seu etiam Pipini non existit, saltem viginti diebus in anno eidem Ec-

clesiæ ad reficiendas ipsius ruinas absque molestia servire sinantur. Vbi autem & amplior commendatio, & melior consuetudo inde habetur pro hac nostra necessitudinis consideratione non decidat.

XIX. Qui sanctimoniales virgines vel viduas rapiunt, & progressu etiam criminis in coniugium sumunt, publicæ pœnitentiæ, iuxta modum quod præviderit Episcopus, subigantur: ipsæ verò locis congruis pœnitentiæ retrudantur, & ad habitum religionis redire cogantur. Vtriq; autem sine ulla spe uxoriæ copulationis perenniter maneant. Si autem, quod absit, coniugia iterare præsumpserint, acriori subdantur vindictæ, & amplius propellantur. Qui fortè obedire monitis salutaribus noluerint, anathematizentur.

XX. De his qui sponsas alienas rapiunt, vel consensu parentum accipiunt, antiqua & synodalis sententia observetur. Quod & si forte in Ecclesia eventus talis reperiri dignoscitur, ut pro salutis, & religionis competentia humanius quiddam debeant tractare Pontifices, sicut canonica, ut eisdem verbis utamur, docet auctoritas, quia prior quidem, inquiens, diffinitio durius, posterior autem quiddam tractavit humanius, nullo modo, ut ad maximam indulgentiam descendamus, alterius sponsæ acceptor sine publica transeat pœnitentia, & sponso legaliter multa componat. Quod si his obedire renuerit, sine ulla refragatione anathematizetur, fautores verò illius, iuxta modum culpæ, Episcopali decreto pœniteant. Si verò, quod non optamus, quis de gradu Ecclesiastico talibus nuptiis se consensorem, vel interventorem manifeste prodiderit, à gradu proprio repellatur. Et si verisimilibus exinde suspicionibus fuerit propulsatus, & canonicè nequiverit approbari, secundum sanctorum patrum statuta se purgare cogatur.

XXI. Vt nemo quemlibet mortuorum in Ecclesia, quasi hereditario iure, nisi quem Episcopus aut presbyter pro qualitate conversationis & vitæ dignum duxerit, sepelire præsumat. Nec quisquam ossa cuiuslibet mortui de sepulchro suo eiicere, aut sepulturã cuiusquam temerario ausu quoquo modo violet, sed unumquemque in loculo sibi ideo præparato atque concesso adventum sui iudicis præstolari concedat: maximè cum non solum divinæ leges, sed etiam & humanæ, apud humanam Rempublicam, sepulchrorum violatores reos mortis diiudicent. Sed & neque pro loco sepulturæ, ut verbis sancti Gregorii utamur, pretium de terra putredini concessa quærere, & de alieno luctu facere compendium aliquo modo temptet. Si quando autem proximi vel heredes sponte aliquid offerre Ecclesiæ voluerint in eleemosyna defuncti, accipere non vetamus. Peti verò, aut aliquid exigi omnimodò prohibemus: ne (quod valde inreligiosum est) aut venalis, quod absit, dicatur Ecclesia, aut de humanis mortibus videamus gratulari, si compendium exinde studemus quolibet modo quærere.

INCIPIVNT

INCIPIUNT

CAPITULA DE ALIA SYNODO SUB DOMNO REGE PIPINO FACTA.

SI homo incestum commiserit de istis causis, de Deo sacrata, aut commatre sua, aut cum matrina sua spiritali de fonte & confirmatione Episcopi, aut cum matre & filia, aut duabus sororibus, aut cum fratis filia, aut sororis filia, aut nepte, aut cum consobrina atque sobrina, aut cum amita, & matertera; de istis Capitulis pecuniam suam perdat, si habet: & si emendare se noluerit, nullus eum recipiat, nec cibum ei donet, & si hoc fecerit, LX. solid. domno Regi componat, usque dum se ipse homo correxerit. Et si pecuniam non habet, si liber est, mittatur in carcerem usque ad satisfactionem. Si servus aut libertus est, vapuletur plagis multis. Et si dominus suus permiserit eum amplius in tale scelus cadere, ipsos LX. solidos domno Regi componat.

II. De Ecclesiasticis verò, si bona persona fuerit, perdat honorem suum: Minores vorò vapulentur, aut in carcere recludantur.

III. De presbyteris & clericis sic ordinamus, ut Archidiaconus Episcopi eos ad synodum commoneat una cum Comite: & si quis contempserit, Comes eum distringere faciat, ut ipse presbyter aut defensor suus LX. solid. componat, & ad synodum eat, & Episcopus ipsum presbyterum & clericum iuxta canonicam auctoritatem diiudicare faciat: solidi verò LX. de ipsa causa in sacello Regis veniant. Et si aliquis per violentiam presbyterum aut clericum ut incestuosum contradixerit, tunc Comes ipsam personam per fideiussores positum ante Regem faciat una cum misso Episcopi venire, & dominus Rex distringat, ut ceteri emendentur.

IIII. De toloneis sic ordinamus, ut nullus de victualia & carnalia, quod absque negotio est, toloneos non prehendat. De saumis verò similiter ubicunque vadunt. Et de peregrinis similiter constituimus, qui propter Dominum ad Romam, vel aliubi vadunt, ut ipsi per nullam occasionem ad pontes, & ad exclusas, aut navigio non detineantur propter scrippa sua. Nullus peregrino calumniam faciat, nec ullum toloneum ei tollat: & si aliquis hoc fecerit, qualiscunque homo hoc comprobaverit, de LX. solid. XXX. illi concedemus, & illi alii in sacello Regis veniunt.

V. De moneta constituimus, ut amplius non habeat in libra pensante, nisi XXII. solid. Et de ipsis XXII. sol. monetarius accipiat solidum unum, & illud aliud domino cuius sunt reddat, ut immunitates conservatæ sint.

VI. De iustitia facienda. Vt omnes iustitiam faciant tam publici quam Ecclesiastici. Et si quis homo ad palatium venerit pro causa sua, & ante ad illum Comitem non innotuerit in mallo ante Rachemburgos, & causa sua ante ipsum Comitem fuit, ante Rachemburgos hoc sustinere noluerit, quod ipsi ei legitimè iudicaverint, si pro ipsis causis ad palatium venerit, vapuletur. Et si maior persona fuerit, Regis arbitrium erit. Et si reclamaverit, quod legem ei non iudicassent, tunc licentiam habeat ad palatium venire pro ipsa causa: & si ipsos convincere poterit, quod legem ei non iudicassent, secundum legem contra ipsum emendare faciant. Et si Comes & Rachemburgi ei convincere potuerint, quod legem ei iudicassent, & ipse hoc recipere noluerit, hoc contra ipsos emendare faciat.

VII. Similiter de Ecclesiasticis, si ad palatium venerint de eorum causa sibi reclamare, nisi super seniore, vapulentur, nisi senior huius pro sua causa transmiserit.

EXPLICIT.

FORMVLÆ.

FORMVLÆ SOLENNES PVBLICORVM PRIVATORVMQVE NEGOTIORVM.

INCIPIT PRAEFATIO HVIVS LIBRI.

DOMINO sancto, meritis beatissimo, & Apostolico semper honore suscipiendo, omnique præconio laudis celebrando Domino, ac reverendissimo Papæ LANDERICO, MARCULPHUS ultimus ac vilissimus omnium monachorum.

VTINAM sancte Pater iussioni vestræ tam efficaciter, quàm spontaneè obtemperare valuissem: quia iam supra vires meæ possibilitatis conatus sum iniunctum à vobis subire negotium, cum ferè septuaginta aut amplius annos expleam vivendi: & nec iam tremula ad scribendum manus est apta, nec ad videndum mihi oculi sufficiunt caligantes, nec ad cogitandum sufficit hebetudo mentis. Quia iuxta dictum cuiusdam prudentissimi viri: In pueris crescit sensus, in iuvenibus viget, in senibus minuitur. *Propterea qui eleganter facere non potui, ut volui: feci tamen ordinate, ut potui. nec solum ea quæ iussisti, verum etiam multa alia in hac scedula, tam præceptiones regales, quam chartas pagenses, iuxta simplicitatem & rusticitatis meæ naturam intimare curavi. Scio enim multos fore & vos & alios prudentissimos viros, & eloquentissimos rethores, & ad dictandum peritos, qui ista si legerint, pro re minima & velut deliramenta, eorum comparata sapientiæ, reputabunt, vel certè legere dedignabuntur. Sed ego non pro talibus viris, sed ad exercenda initia puerorum, ut potui apertè & simpliciter scripsi. Cui libet, exinde alia exemplando faciat: si vero displicet, neminem cogo invitum. nec præiudicat mea rusticitas eruditorum & rethorum floribus verborum, & eloquentiæ facundia. Sunt præterea nonnulla negotia hominum, tàm in palatio, quam in pago, quæ scribi non queunt, antequam invicem conferantur, & iuxta propositiones vel responsiones eloquia eorum tunc scribuntur & gesta. Ego vero hæc, quæ apud maiores meos, iuxta consuetudinem loci quo degimus, didici, vel ex sensu proprio cogitavi, ut potui coacervare in unum curavi, & Capitulum prænotavi, ut facilius quæ voluerit adquirenti in antea scripto reperiantur.*

INCIPIT

CAPITVLVM SCEDVLÆ OPERIS HVIVS.

XXXIIII. *Alia*

FORMVLÆ EXORCISMORVM AD MALEFICIA REPRIMENDA.

EXPLICIT.

INCIPIVNT

INCIPIUNT EXEMPLARIA

DE DIVERSIS CONDITIONIBUS,

QUALITER REGALES VEL CARTÆ PAGENSES AUT SENICÆ, QUAS HÆC FORMULA CONTINET, SCRIBANTUR.

I. DE EPISCOPATU.

ILle Rex viro Apostolico ill. Episcopo. Quamlibet nos ad
ministrandum gubernandumque rerum statum præcelsis oc-
cupationibus regiæ sollicitudinis causa constringat: nihil ta-
men tam principale, quam ut, cum à pastorali paululum ob-
errat plebs destituta præsidio, pro salute animarum huiusmodi
personis loci celsioris Pontificalem prospiciat committere dignitatem, in
quibus maneat dupliciter sermo, ut populus magistrum, actus Christi imite-
tur discipulus. Qui plebem non minus pietate, quam severitate constringat,
qui sciat commissa sibi talenta assidua prædicatione sermonibus expolire, &
adquisitam multiplicatamque gregis sui salutem, ad ovile dominicum nul-
lis maculis sordidatum, valeat præsentare. Et quia cognovimus sanctæ re-
cordationis Domnum ill. urbis ill. antistitem, evocatione divina ab hac luce
migrasse, de cuius successione sollicitudinem congruam una cum Pontifi-
cibus vel proceribus nostris plenius pertectantes, decrevimus inlustri viro,
aut venerabili ill. in ipsa urbe Pontificalem in Dei nomine committere di-
gnitatem; quem plerumque apud animos nostros & actio probata com-
mendat, & nobilitatis ordo sublimat, ac morum probitas, vel mansuetudinis
& prudentiæ honestas exornat. Qua de re, statuta præsentibus ordinamus,
ut cum adunatorum caterva Pontificum, ad quos tamen nostræ serenitatis
devotio scripta pervenit, ipsum ut ordo postulat benedicere vestra industria
studeat, & voluntates nostræ deliberationis reseratis oraculis publicare.
Quatenus dum Ecclesias sibi à dispensatione divina commissas strenue re-
gere atque gubernare videtur, nobis apud æternum retributorem merce-
dem suffragia largiantur, & ille pro peccatorum nostrorum mole indesinen-
ter immensum Dominum debeat deprecari.

II. INDICULUS REGIS AD EPISCOPUM, UT ALIUM BENEDICAT.

DOmino sancto, sede Apostolicæ dignitatis colendo in Christo patri ill.
Episcopo, ill. Rex. CREDIMUS iam ad vestram reverentiam perve-

nisse, sanctæ recordationis ill. urbis antistitem evocatione divina de præsentis seculi luce migrasse. De cuius successore sollicitudine integra cum Pontificibus, vel primatibus populi nostri pertractantes decrevimus, inlustri viro ill. (aut venerabili viro ill.) ad præfatam urbem regulariter Christo auspice committere dignitatem. Et ideo salutationum iura debito honore solventes petimus, ut cum ad vos pervenerit, ipsum ut ordo postulat benedicere vestra sanctitas non moretur: & iunctis vobiscum vestris comprovincialibus, ipsum in supra scripta urbe Pontificem consecrare, Christo auspice, debeatis. Agat ergo almitas vestra, ut & nostram voluntatem devotionis incunctanter impleatis, & tam vos, quam ipse, pro stabilitate regni nostri iugi invigilatione plenius exoretis.

III. CONCESSIO CIVIVM PRO EPISCOPATV.

SVGGESTIO piissimo ac præcellentissimo Domino ill. REGI, à servis suis, quorum subscriptiones vel signacula subter tenentur inserta. Principalitatis vestræ circumspecta clementia novit iusta petentibus dignanter adnuere, suoque moderaminis iudicio ponderare: præsertim cum illud deposcitur generali prece cunctorum, quo proficiat constanter Ecclesiæ regimen pullulare, & ipsi regali clementiæ prosit saluti pariter ac mercedi. Quoniam sanctæ memoriæ vir Apostolicus ill. illius urbis Episcopus, fine adpropinquante ab hac luce migravit, tempore naturæ completo, ne destitutæ sint, quod absit, oves decedente pastore, in locum eiusdem suppliciter postulamus ut instituere dignetur virum illum illustrem (aut venerabilem illum) cathedræ ill. successorem: in quo est perspicuitas sublimis, ingenuitas nationis, elegantia refulgens, diligentia castitatis, caritatis locuples voluntas. Inrefragabiliter manu nostra hunc consensum decrevimus roborare.

IIII. CARTA DE EPISCOPATV.

DVM iuxta Apostoli dictum, omnis potestas sublimatur à Domino, & quatenus post Dominum in regia manet potestate, taliter cuncta terrena debeant gubernari. Vnde oportet nos salubri consilio retractare, ut illi in locis sanctorum instituantur custodes, qui digne ad ipsum officium gubernandum apparere noscuntur. Igitur dum & vestra, & cleri, vel pagensium civitatis illius adfuit petitio, ut relicta urbe ill. quam prius regere & gubernare videbamini, in suprascripta urbe ill. cathedram Pontificalem suscipere deberetis. Et dum vos apud animos nostros & actio commendat probata, & nobilitatis ordo sublimat, ac morum probitas vel mansuetudo, & prudentiæ honestas exornat, cum consilio & voluntate Pontificum procerumque nostrorum, iuxta voluntatem & consensum cleri & plebium ipsius civitatis, in supradicta urbe ill. Pontificalem in Dei nomine vobis commisimus dignitatem. Propterea per præsens præceptum decernimus ac iubemus, ut supradicta urbs, vel res Ecclesiæ ipsius, & clerus, sub vestro arbitrio & gubernatione consistant, & erga regimen nostrum semper fidem inlibatam custodire debeatis, & iuxta canonicam institutionem plebem vobis cōmissam assiduis prædicationum sermonibus expolire; & non minus pietate, quam severi-

severitate constringere studeatis. Et curam pauperum, vel necessitatem patientium cum ingenti dilectione procuretis; ut adquisitam multiplicatamq; gregis vestri salutem, ad ovile dominicum nullis maculis sordidatum valeatis præsentare. Quatenus dum Ecclesiam vobis dispensatione divina commissam strenue regere atque gubernare videamini, nobis apud æternum retributorem mercedem suffragia largiantur, & vos immensum Christum pro nostrorum mole peccatorum assiduè exorare debeatis.

V. CARTA DE MAGNA RE, QVI VVLT XENODOCHIVM AVT MONASTERIVM CONSTRVERE.

DOMINO vere sancto, atque sedula ostensione patentibus virtutum miraculis Christi remuneratione fulgenti, oratorio ac cellula in honorem sancti ill. constructa, reus quidem meritis, flagitiis quoque, sceleribus, prælascivis actibus, ac nimia fœditate pollutus, vel opere omnium bonorum Christianorum longe satis extremus. Hoc tota pænè sanctarum scripturarum series Christianis fidelibus pia exhortatione pronuntiat, hoc etiam tonitrualis illa Euangelistarum vox, sancto suggerente Spiritu, sua potestate concelebrat, ut faciat in pauperes eleemosynam, qui vult tartarea evadere supplicia. Vnde & Dominus in Euangelio dicit: *Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Pensemus ergo omnes Christiani, quanta sit pietas & largitio redemptoris, ut ob eleemosynas pauperum promittantur nobis thesauri regni cœlorum. Procuremus igitur sicut Dominus & Salvator noster præcepit, & acsi non quantum avemus, saltim in quantum possumus, eleemosynam faciamus. Nemo itaque dubitet, nemo tardet. Quia si nos facimus quæ Dominus & Salvator noster præcepit, ille sine dubio facturus est, quæ promisit. Ait enim scriptura: *Abscondite eleemosynam in corde pauperis, & ipsa pro te deprecabitur Dominum.* Abscondamus ergo eleemosynam in corde pauperis, ut proveniat nobis deprecatio pauperum ad remissionem peccatorum. Multa quidem & alia quæ laciniosa sunt prosequi, pro eleemosynis faciendis, testimonia in scripturis sanctis reperiuntur: in quibus vel ex quibus illam ego existimo potiorem sententiam, quæ ait; *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum.* Quid ergo verius potest credi, quid confidentius, quidve expressius? Quia sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum. Iustè ergo extinguitur, qui peccatorum incendia eleemosynis, iuxta pollicitationem divinam, extinguere non festinat. Facient quippe ceteri, quod voluerint, agant quod ipsi maluerint, idcirco quod omnis homo suo sensu ducetur, ego tamen huius rei exemplum secutus eligi ad præfatum oratorium vel cellulam, iuxta Apostolorum numerum, XII. ad præsens pauperes, pro remissione peccatorum meorum, vel pro diluenda meorum mole peccaminum, Christo præsule, collocare. Vbi etiam præsenti Epistola donationis meæ dono à præsenti die, quod in luminaribus ipsius oratorii, vel alimonia ac substantiali victu, vestitu quoq; & sustentatione ipsorum pauperum vel clericorum ibidem servientium Deo gubernante

& opitulante proficiat; donatumque in perpetuum esse volo, atque de meo iure in eorum dominationem & potestatem lego, trado, transmitto atque transfundo, hoc est, agros, quorum vocabula sunt ill. & ill. qui ponuntur in territorio ill. Pari modo & quidquid in illo territorio ponitur, in omni soliditate portionem meam, una cum mancipiis, ædificiis, vineis, terris, pratis, sylvis, omnique iure eorum, una cum colonicis adiunctis, adiacentiis eorum, in omni soliditate eorum, sicut à me noscitur fuisse possessum, aut mihi ex legitima successione, aut undecunque aliquid mihi ibidem obvenit, cum omni soliditate, vel omni oportunitate earum ad integrum: ea scilicet ratione atque prætextu, ut remota Pontificum, simulque Ecclesiasticorum omnium, officialium seu publicorum omnium potestate, nullæ functiones vel exactiones, neque exquisita & lauta convivia, neque gratiosa vel insidiosa munuscula, neque etiam caballorum pastus, aut paravereda, vel carrarum angaria, aut quicunque functionis titulus dici potest, de ipsa facultate penitus non requiratur: sed sub integra emunitate facultaticula ipsa, sicut à me huc usque possessa est, in iure Oratorii sancti ill. & prædictorum pauperum debeat Deo protegente & opitulante persistere. Nisi tantum sanctus & Apostolicus illius urbis Episcopus, in cuius oppido xenodochium ipsum ponitur, pro tradendis benedictionibus, vel substituendis Abbatibus, presbyterisque & diaconibus, absque ulla pecuniarum ademptione amplius donandi, exigendi, minuendive causa ullus habeat potestatem. Sed nec per commutationis locum quidquam exinde auferendi ullo tempore occasio vel aditus tribuatur: sed perpetualiter in potestate præfati oratorii, vel ipsorum pauperum Christo favente permaneat. Hoc etiam ipsos Pontifices obsecro, iisque committo, ut illis per succedentia tempora cum casus mortis extiterit, Abbates vel reliquos clericorũ gradus in eodem loco dignentur vel debeant substituere, quos sapientia & eruditio scripturarum clarificat, vel quos vita sancta, & actio bona aut conversatio commendat. Vnde obsecro clementissimos Reges, tam præsentes quam futuros, & omnes in Deo Episcopos, omnesque potestates ac primates, omnes etiam seniores, quoscunque iudices esse constiterit, per ineffabilem Dei omnipotentiam, & per inseparabilem Patris & Filii & Spiritus sancti trinitatem, ut hanc voluntatem meam nullis occasionibus, sicut existente sine Deo cupiditate res exigere solet, nulla ratione, nulloque tempore convellere permittatis: sed per sollicitudinem & curam Episcopi constare potius pro reverentia Trinitatis immensæ, vestro studio vel opere iubeatis. Quatenus & ille vobis mercedem restituat in futuro, qui scit me eleemosynas ipsis sanctis Dei pauperibus, pro amore Domini nostri Iesu Christi, ardenti desiderio tribuisse. Si quis huic voluntati meæ per quaslibet adinventiones seu propositiones (sicut mundus quotidie artibus & ingeniis expolitur) obvius vel repetitor, convulsor etiam aut tergiversator extiterit, anathema sit. Et tam qui fecerit, quam qui faciendo consenserit, anathema sit. Et sicut Dathan & Abiron hiatu terræ absorpti sunt viventes, in infernum descendat. Et cum Giezi fraudis mercatore, & in præsenti & in futuro seculo partem damnationis excipiat: & tum veniam consequatur, quando

quando consequuturus est & Diabolus, qui sese fallendo ætherea sede deiectus cruenta adinventione bonis operibus semper obviare pervigilat. Insuper etiam inferat sociato quoque tam in persecutione quam in exactione sacratissimo fisco, vel sancto Episcopo Ecclesiæ ill. auri libras centum: & nihilominus hæc præsens Epistola, quæ à me pro timore Dei, & amore pauperum conscripta est, firma incorrupta, intemerata, inviolataq; permaneat. Ego namque de conlatis ac superius prænotatis rebus omnia ad curam ac sollicitudinem vel gubernationem ipsorum pauperum, sancto ac prænotato Domno illo Episcopo vel successoribus suis Deo teste committo: & strumenta per quæ res ipsæ auxiliante Deo eorum sollicitudine defensentur, supra scripto Domno ill. Episcopo præ manibus tradidi, ut qualiter ibidem provideat sive agat, rectè ne an secus, Christo Domino iudice, recognoscat. Mihi autem nihil exinde proprietatis titulo penitus reservavi. Quia facile contemnit omnia, qui cupit ab inferni faucibus erui: vel ille qui semper cogitat, cum velit nolit se esse moriturum. Stipulatione, *& reliqua*.

VI. EMVNITAS REGIA.

MAXIMVM regni nostri augere credimus monumentum, si beneficia oportuna locis Ecclesiarum benevola deliberatione concedimus, ac Domino protegente stabiliter perdurare conscribimus. Noverit igitur sollertia vestra, nos ad petitionem Apostolici viri, Domni ill. illius urbis Episcopi, tale pro æterna retributione beneficium indulsisse, ut in villis Ecclesiæ Domni ill. quas moderno tempore, aut nostro aut cuiuslibet munere habere videtur, vel qua deinceps in iure ipsius sancti loci voluerit divina pietas ampliare, nullus iudex publicus ad causas audiendas, aut fredam undiq; exigendam, ullo unquam tempore præsumat ingredi: sed hæc ipse Pontifex, vel successores eius, propter nomen Domini, sub integra emunitate omnino valeant dominari. Statuentes ergo iubemus, ut neque vos, neque iuniores vestri aut successores, nec ulla publica iudiciaria potestas, quoquo tempore in villas, ubicunque in regno nostro ipsi Ecclesiæ aut regia aut privatorum largitate conlatas, aut quæ inantea fuerint conlaturæ, ad audiendum altercationes ingredi, aut fredam de qualibet causa exigere, vel mansiones, aut paratas, vel fideiussores tollere præsumatis. Sed quidquid exinde exigere, aut de servientibus, ceterisque nationibus, quæ sunt infra agros vel fines, seu supra terras prædictæ Ecclesiæ commanentes, fiscus aut de freda, aut undecunque potuerat sperare, ex nostra hac indulgentia pro futura salute in luminaribus ipsius Ecclesiæ per manus agentium eorum proficiat in perpetuum. Et quod nos propter nomen Domini, & animæ nostræ remedium, seu pro nostra subsequente progenie plena devotione indulsimus, nec regalis sublimitas, nec cuiuslibet iudicium seu cupiditas, refragare temptet. Et ut præsens auctoritas tam præsenti quam futuris temporibus inviolata Deo adiutore permaneat, manus nostræ subscriptionibus infra roborare decrevimus.

VII. CONFIRMATIO DE EMVNITATE.

ILLE Rex Francorum vir inlustris. Quotiescunque petitionem sacerdotum, vel ancillarum Dei, ad effectum perducimus, regiam consuetudinem exercemus, & nobis ad mercedem, vel ad stabilitatem regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus. Ideoque dominis viris sanctis ac venerabilibus Apostolicis in Christo patribus omnibus Episcopis, vel omnibus Abbatibus, seu inlustribus atque magnificis viris, Ducibus, Comitibus, vicariis, centenariis, vel omnibus vassis nostris, vel omnibus missis nostris discurrentibus. Cognoscatis, quod inlustris Abbas ill. de monasterio ill. in pago ill. in loco qui dicitur ill. in honorem sancti ill. constructo, una cum monachis, vel Dei ancillis, ad laudem Christi canendum sub religionis norma conversantibus, clementiæ regni nostri suggestionem intulit, eo quod gloriosus Dominus & genitor noster ill. quondam Rex, per suam præceptionem sua manu roboratam, talem emunitatem ad ipsam casam Dei, sancti ill. vel monasterii ill. vel ipsi Abbati, habuisset concessam atque indultam, ut nullus iudex publicus, vel quislibet iudiciaria potestate accinctus, in cortes vel villas ipsius monasterii nullum debuisset habere introitum, nec ad causas audiendas, nec ad fredam exigendam, nec fideiussores tollendos, nec mansiones aut paradas requirendas, nec ullas retributiones exactandas; quod fiscus noster exinde habere poterit, nullatenus exactetur, nec requiratur. Vnde & confirmationes anteriorum Regum, parentum nostrorum, nobis in præsente protulit relegendas: petiitque celsitudinem nostram ut circa ipsum monasterium nostra hæc deberet auctoritas generaliter confirmare. Quod nos beneficium gratanti animo pro mercedis nostræ augmento non solum confirmantes, sed etiam novum sub emunitatis nomine concedentes, per hoc præceptum specialius decernimus atque omnino iubemus, quod in perpetuum absque ullis obstaculis & refragationibus volumus esse mansurum, ut absque introitu Episcopi aut Archidiaconi, ad orationem aut prædicationem lucrandam, nullus iudex publicus in curtes vel villas ipsius monasterii, ullum debeat habere ingressum, nec ad causas audiendas, nec fredam exigendam, nec fideiussores tollendos, nec mansiones aut paradas requirendas, nec ullas retributiones exactandas: quod fiscus noster exinde habere poterit, nullatenus exactetur nec requiratur. Nisi ut diximus pro mercedis nostræ augmento, sicut ab antecessoribus Regibus parentibus nostris, seu & domno glorioso genitore nostro ill. quondam Rege moderno tempore fuit concessum atque indultum, ita nostris oraculis plenius confirmamus, quod in perpetuum volumus esse mansurum. Et ut hæc præceptio firmior habeatur, & per tempora melius conservetur, manus nostræ signaculis subter eam decrevimus roborare, & annulo nostro subter sigillavimus.

VIII. CONFIRMATIO DE OMNI TEMPORE FACVLTATIS MONASTERII.

ILLE Rex ill. patritio atque omnibus agentibus. RECTVM esse censemus, ut petitionibus sacerdotum, quæ ad profectum pertinent locorum sanctorum, ad

rum, ad effectum Christo præsule perducamus. Igitur venerabilis vir ill. sancti monasterii Abba, gloriam regni nostri petiit, ut dum ipsum sanctum monasterium de collatione parentum nostrorum Deo adiutore videatur esse constructum, nos omni corpore facultatis eius, tam quod antecessores Abbates ibidem laboraverunt, vel ille domnus Abba, qui ibidem fuisse dinoscitur, de re monasterii visus est augmentasse vel comparasse, quod ab ipso sancto loco moderno tempore possidetur, per nostrum deberemus generaliter confirmare præceptum: quod nos pro divino respectu, vel mercedis nostræ augmento præstitisse, vestra non dubitet magnitudo. Etiam privilegium ipsius monasterii, quod ex institutione sedis Apostolicæ, seu reliquorum Episcoporum visi sunt meruisse, & per auctoritatem domni ill. seu reliquis decessoribus Regibus parentibus nostris adumbratum fuisse dinoscitur, quod etiam per priorem præceptionem nostram erga se perhibent esse munitum, per perennem stabilitatem decrevimus roborare. Præcipientes ergo ut omnes facultates ipsius monasterii, & quidquid regia conlatione aut privatorum munere, vel ab antecessoribus Abbatibus, seu & domnis ill. ibidem est legaliter adquisitum aut comparatum, imo quod de quibuscunq; rebus recte adtractum, quodcunque dominatio ipsius sancti loci undique moderno tempore in villabus, domibus, mancipiis, vineis, sylvis, pratis, pascuis, aut quibuslibet beneficiis cernitur cum æquitatis ordine possidere, per hanc auctoritatem suffultum, absque cuiuslibet inlicita controversia, inibi tam præsente quam futuro tempore, Christo præsule, proficiat in augmentum. Adiicientes ut & privilegium tam de Abbatis ingressu ipsa congregatio, postquam alius migraverit, ex se instituendo, quam & de reliquis omnibus, quæ per institutionem Pontificum, de tempore ill. usque nunc, ipsum monasterium habuit concessa, & usque hactenus conservata, vel per decessores Reges circa se firmata, ita & in antea, resecatâ quarumcunque superfluâ inquietudine, sub eo ordine valeant in nostro sermone, auxiliante Domino, per tempora permanere. Et vos & successores vestri, ubi necessitas fuerit, in conditionibus ipsius monasterii iustum faciatis auxilium impertire, ut eos delectet pro salute nostra crebrius exorare, & vobis ob hoc ad gratiam nostram debeat pertinere. Et ut hæc præceptio firma stabilitate subsistat, propria manu infra decrevimus roborare.

IX. VT CAVSAS AVCTORVM ADSVMENDI ALIQVIS LICENTIAM HABEAT.

Malorvm necesse est tergiversationem regali coërcere censura. Igitur Apostolicus vir ill. illius urbis Episcopus, aut venerabilis ille Abba, aut Deo sacrata illa Abbatissa, de monasterio illo, vel qualibet fidelium dominorum missa petitione aut ipsis nobis innotuit, quod à diversis hominibus eorum spontanea voluntate, tam ipsi quam antecessores eorum data pecunia infra regnum nostrum plurimas terras vel mancipia comparassent, vel reliqui homines ad ipsam Ecclesiam vel monasterium, pro animæ eorum remedio nonnulla per eorum instrumenta delegassent, & hæc ad præsens

cum æquitatis ordine possidere videantur; petiit ut pro tempore futuro, vel malorum hominum ingenia coërcendo, dum plures ex eorum benefactoribus vel venditoribus, præ clade quæ grassatur in populo, vel complente finem natura, absque heredibus de hac luce discesserunt; si aliquis per quodlibet ingenium de ipsis rebus eum inquietare voluerit, licentiam haberet in vicem auctorum suorum, ipse vel advocatus suus, eorum causas adsumere. Quod nos propter nomen Domini, & reverentiam ipsius sancti loci, præstitisse cognoscite. Præcipientes ergo iubemus, ut memoratus Pontifex, aut Abba, vel Abbatissa, seu advocatus eius, in vicem auctorum suorum causas ipsius licentiam habeat adsumendi, vel obmallandi, aut per eorum instrumenta, aut de annis, ipsam rem, unde tunc à quolibet inquietari videntur, partibus Ecclesiæ, vel monasterii sui, cum æquitatis ordine respondendi, vel obmallandi, seu per annos, contra quemcunque faciendi.

X. INDICVLVS REGIS DE PRIVILEGIO.

ILLE Rex Francorum vir inluster illi Comiti, seu iunioribus, successoribusq; vestris, seu missis vestris discurrentibus. Cognoscatis in nostram eleemosynam præsenti ill. dum & ipse senex esse videtur, taliter nos concessisse, ut de omni hoste, vel omnibus bannis, seu & arribannis sit conservatus: ut neque vos, neque iuniores atque successores vestri, ipsum pro hoc inquietare vel dismannire non præsumatis, vel facere permittatis. Sed liceat ei cum Dei & nostra gratia quieto ordine ad propria vivere vel sedere. Et ut certius credatis, manu propria subter adfirmavimus, & annulo nostro sigillavimus.

XI. ALIVS INDICVLVS REGALIS.

KAROLVS gratia Dei Rex Francorum, tam præsentibus quam & futuris Dominis sanctis, & Apostolicis ac venerabilibus in Christo Patribus, Ducibus, Comitibus, domesticis, vicariis, centenariis, vel omnibus agentibus nostris, & iunioribus ac successoribus eorum, vel omnibus amicis nostris, seu & omnibus missis nostris discurrentibus. Cognoscat magnitudo seu almitas vestra, quod nos ad petitionem istius fidelis nostri merito suo compellente concessimus, ubicunque infra regnum Domino propitio nostrum, homines sui ad negotium exigendum advenerint, nullus quislibet de iudiciaria potestate vestra nec missus noster ullum teloneum, nec ullas venditas, nec rotaticas, nec foraticas, nec pulveraticas exactare præsumatis. Sed ut diximus, in quibuscunque portubus civitatis, seu mercada, per suos viros sua commercia quolibet negotio, nullo contradicente, potestatem habeat vendendi: quia nos taliter ei habemus concessum. Et ut hæc præceptio nostra firmior appareat, & per tempora conservetur, manu nostra propria subter eam decrevimus adfirmare.

XII. ITEM ALIVS.

ILLE Rex Francorum viris inlustribus, patriciis, comitibus, telonariis, vel omnibus curam publicam agentibus. Si opportuna beneficia ad loca sancta-

sanctarum Ecclesiarum vel sacerdotibus præstare non desinemus, hoc nobis proculdubio æternam beatitudinem retribuere confidimus. Igitur nos ad petitionem Apostolici viri ill. urbis antistitis, talem propter nomen Domini, eius meritis compellentibus beneficium præstitisse cognoscite, ut ubicunq; infra regnum nostrum missi sui mercari videntur, vel pro reliqua necessitate discurrunt, ullum teloneum, vel quamlibet redhibitionem exinde ad partem fisci nostri, nec ipse nec missi sui solvere non debeant. Propterea per præsens præceptum decernimus, quod perpetualiter mansurum esse volumus, ut nullum teloneum, in nullis civitatibus, aut pagis, vel ubicunq; in regno nostro teloneus exigitur, nec de navali, nec de carrali evectione, nec de rotatico, nec de pontatico, nec pulveratico, nec saltuatico, nec cespitatico, nec de saumariis, nec de eo quod homines ad dorsum portant, nec ulla redhibitione, quam fiscus noster exinde sperare poterat, nec vos nec iuniores aut successores vestri non requiratis nec exigatis. Sed omnia & in omnibus hoc propter nomen Domini ipse Pontifex, vel successores sui, ad memoratam Ecclesiam sancti illius habeant indultum, vel in luminaribus ipsius loci proficiat. Quæ vero auctoritas ut perpetuis temporibus valeat, propria eam manu infra decrevimus roborare.

XIII. EPISTOLA DONATIONIS.

MVNDI terminum ruinis crebrescentibus adpropinquare, indicia certa manifestant, & ad discutiendas infidelium mentes illa dudum in Euangeliis à Domino dicta oracula incumbere noscuntur. Ergo operæ pretium arbitror futuram temporum vicissitudinem præoccupans anticipare, & incertum humanæ conditionis eventum sagaci mentis intuitu prævidere, quatenus ex hoc inflictis facinorum vulneribus indulta pietate remedia merear adipisci. Vnde ego in Dei nomine ill. & coniux mea ill. reminiscentes bonitatem & pietatem Domini, per hanc Epistolam donationis donamus, donatumque in perpetuum esse volumus, atque de iure nostro in potestatem & dominationem monasterii ill. in honorem sancti ill. in pago ill. constructo, ubi præest venerabilis ill. Abba, transtulimus atque transfundimus villas nuncupatas ill. sitas in pago ill, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, adiunctis, adiacentiis, appendiciis, peculio utriusque sexus, mobilibus & immobilibus, sicut à nobis moderno tempore possidetur: vel si inantea ibi undecunque aliquid augmentare vel meliorare poterimus, id ad præfatum monasterium in alimoniis vel substantiis monachorum ibidem habitantium Christo protegente proficiat. Ea scilicet ratione, ut dum pariter advivimus, antedictas villas sub usu beneficio tantummodo, absque ullo præiudicio vel diminutione aliqua ipsius monasterii possideamus: nisi tantum si alicui ex servientibus nostris iugum servitutis pro communi mercede relaxare voluerimus. Post obitum vero, quandoquidem Deus voluerit, amborum nostrum, absque ullius iudicis vel heredum nostrorum expectata traditione, cum omni re emeliorata, quidquid in suprascriptis villis, in quibus rebus libet vel corporibus

augmentatum fuerit, de præsenti hoc antedicti monasterii memoratus Abba suique successores in Dei nomine perpetualiter recipiant possidendum, tanquam si ad præsens absque usu nostro eorum fuisset subsecuta possessio. Ita ut quidquid de prædictis villis propter opportunitatem ipsius monasterii facere decreverint, libero in omnibus potiantur arbitrio. Præsentem vero donationem nequicquam curialium vilitate gestis municipalibus alligari curavimus: & omnino decernimus, ne aliquando in eam ob hoc causam quisquam valeat reperire. Quod si aliquod instrumentum de ipsis villis de nomine nostro in adversitatem prædicti monasterii quolibet ordine comprehensum, aut anterius aut posterius prænotatum, quod nos nec fecimus, nec fieri rogavimus, à quocunque præter istud, quod firmissimum volumus esse, quoquo tempore ostensum fuerit, nullum sortiatur effectum, nisi vacuum & inane appareat: auctorem vero criminis, vel falsarium, nec inultum tunc temporis patiatur iudicaria habere potestas. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, huic voluntati nostræ pro quibuslibet coinventionibus aliquem de heredibus nostris aut iudicum sæva cupiditas, vel quælibet persona, obvius repetitor extiterit, à conventu omnium Christianorum, vel limitibus Ecclesiarum extraneus habeatur, & Iudæ traditoris Domini nostri Iesu Christi perfruatur consortio. Insuper etiam inferat partibus ipsius monasterii, vel fratrum ibidem consistentium, sociato quoque tam in actibus, quam in persecutione sacratissimo fisco, auri lib. tant. argenti pond. tant. Et ne sic quoque quod repetit, valeat vindicare. Sed præsens donatio, quæ à nobis pro timore Dei, & amore pauperum Christi conscripta est, firma & inlibata omni tempore debet permanere, stipulatione subnixa. Actum ibi, sub die ill. *& reliqua.*

XIIII. ALIA DONATIO.

EGo ille de misericordia Dei & pietate confisus, per hanc Epistolam donationis datum donatumque in perpetuum esse volo ad basilicam sancti ill. ubi ipsius pretiosum corpus requiescit, & venerabilis vir ill. Abba præesse videtur, villam iuris mei nuncupatam ill. sitam in pago ill. in condita ill. cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, cum exitibus & ingressis, mobilibus & immobilibus, cum omnibus appendiciis suis vel adiacentiis, sicut à me præsenti tempore videtur possessa, totũ & ad integrum de iure meo vobis (vel sancto il.) iure proprietario cedo, trado, atq; transfundo; ea videlicet ratione, ut quamdiu advixero sub usufructu beneficio vestro, absq; ullo præiudicio vel diminutione aliqua, prædictas res retinere & usurpare debeam. At post meum discessum, quidquid in iam dicta villa, vel in finibus eius additum, emelioratum repertum fuerit, & trãsitus meus ibidem dereliquerit, cum omni supra posito, rectores ipsius Ecclesiæ, agentesq; illius, absq; ullius expectata traditione, in nostra eleemosyna ad substantiam monachorum ibidem degentiũ, vitam Christo protegente, tanquã si ad præsens absque usu nostro eorum fuisset consecuta possessio, in eorum faciant re-

vocare

vocare potestatem vel dominationem: ita ut quidquid exinde pro opportunitate monasterii facere decreverint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem. Et si fuerit ulla quælibet persona, præter istud, qui alterum instrumentum exinde præsentaverit, aut anterius aut posterius ex nostro nomine, quod nos nec fecimus, nec facere rogavimus, nullum sortiatur effectum, nisi vacuum & inane permaneat. Auctorem vero criminis, *& reliqua.*

XV. DONATIO DE PARVA RE AD ECCLESIAM.

SI aliquid de rebus nostris locis sanctorum, vel in substantias pauperum conferimus, hoc nobis proculdubio æternam beatitudinem retribuere confidimus. Ergo ego in Dei nomine ill. in amorem Domini nostri Iesu Christi, & remissionem peccatorum meorum, ut veniam delictis meis consequi merear in futurum, dono donatumque in perpetuum esse volo ad basilicam ill. in honorem sancti ill. constructam, portionem meam, in villa nuncupata ill. in pago ill. Quidquid ibidem ad præsens, tam de alode parentum, vel de quolibet adtractu possidere videor, totum & ad integrum ad præfatam basilicam volo esse donatum: ea videlicet ratione, ut dum advixero, sub usu beneficio tantum, id absque ullo præiudicio vel deminutione aliqua de qualibet re antedictæ basilicæ excolere debeam. Post meum quoque, quando Deus voluerit, de hac luce discessum, de præsente absque cuiuslibet iudicum aut heredum meorum expectata traditione aut contrarietate, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, campis, vineis, sylvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, vel reliquis quibuscunque beneficiis, Abba de ipsa basilica, vel agentes eius, in eorum debeant dominationem revocare, perpetualiter possidendum. Habendi, tenendi, vel quidquid exinde pro opportunitate antedictæ Ecclesiæ elegerint, faciendi liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse, quod absit, aut aliquis de heredibus nostris, seu quælibet opposita persona, calliditate commotus, aut cupiditate præventus, contra hanc Epistolam donationis nostræ, quam spontanea voluntate, propter nomen Domini fieri decrevimus venire, aut eam refringere conatus fuerit, iram trinæ maiestatis incurrat, & cum suprascripto sancto illo ante tribunal Christi deducat rationes. Insuper inferat partibus ipsius basilicæ cum cogente fisco auri lib. tant. argenti tant. & quod repetit vindicare non valeat, sed præsens Epistola omni tempore firma & inviolata permaneat, stipulatione subnixa, *& reliqua.*

XVI. CESSIO A DIE PRÆSENTE AD ECCLESIAM.

DVM fragilitas humani generis pertimescit ultimum vitæ tempus subitanea transpositione venturum, oportet ut non inveniat unumquemque imparatum, ne sine aliquo boni operis respectu migret de seculo: nisi dum in suo iure & potestate consistit, præparet viam salutis, per quam ad

æternam valeat beatitudinem pervenire. Ideoque ego in Dei nomine ill. & coniux mea ill. pro remedio animæ nostræ, & remissionem peccatorum nostrorum, ut veniam in futurum consequi mereamur, cedimus à præsenti die, cessumque in perpetuum esse volumus, de iure nostro in ius & dominationem sanctæ Ecclesiæ ill. in honore ill. constructæ, villam nuncupatam ill. sitam in pago ill. quæ ex alode parentum (aut undecunque) ad nostram pervenit dominationem, & ad præsens possidere videmur, cum omni merito & termino suo, cum adiacentiis, adiunctis, appendiciis, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, farinariis, cum pastoribus gregis, peculio utriusque sexus maiore vel minore, mobilibus & immobilibus, vel quidquid dici aut nominari potest, & tempore præsente nostra videtur esse possessio, ad præsentem Ecclesiam volumus esse concessum. Ita ut ab hac die memorata villa ill. antedicta Ecclesia, vel Pontifex civitatis ill. aut auctores Ecclesiarum, eam habendi, tenendi, possidendi, vel quidquid exinde pro opportunitate ipsius elegerint, faciendi libero in omnibus perfruantur arbitrio; ita ut nomina nostra in libro vitæ conscribantur, vel pro nobis sacrificium post obitum nostrum Domino offeratur. Licet in cessionibus pœnam adnecti non sit necesse, sed nobis pro omni firmitate placuit inserendam. Si quis ergo quod futurum esse non credimus, sive nos ipsi, quod absit, aut aliquis de heredibus vel proheredibus nostris, seu quælibet persona, calliditate commotus, aut cupiditate præventus, ullo unquam tempore contra præsentem Epistolam cessionis nostræ, quam propter nomen Domini, & venerationem sancti ipsius loci, spontanea voluntate fieri decrevimus, venire aut aliquid agere voluerit, aut tergiversator extiterit, anathema sit, & cum supra scripto Domino ill. ante tribunal Christi deducat rationes. Insuper inferat iuxta pœnas Dei cum cogente fisco partibus ipsius Ecclesiæ auri lib. tant. aut argenti pond. tant. Et quod repetit nullatenus valeat vindicare, sed præsens cessio omni tempore inlibata permaneat, cum stipulatione subnixa.

XVII. ITEM ALIA CESSIO.

EGo ill. cogitans Dei amorem, vel æternorum bonorum retributionem, ideo cedo à die præsente ad supra dictam basilicam, & monachos ibidem consistentes, cessumque in perpetuum esse volo portiones meas, in loco nuncupato ill. sitas in pago ill. quæ mihi tam de alode, quam de comparato, vel de quolibet adtracto advenit, vel legibus advenire potest, in supra memorato loco, tam terris, domibus, ædificiis, mancipiis, libertis, accolabus, merito ac colonorum vineis, sylvis, pratis, pascuis, campis, cultis, incultis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omnibus adiacentiis & appendiciis, vel colonicis ad me pertinentibus, vel omni integritate, vel superposito; quidquid dici aut nominari potest, in supra memorato pago, vel loco supra nominato, vel utiq; de supradictis portionibus tenere visus sum, totum & ad integrum à die præsente ad iam memoratum monasterium, vel ad ipsos monachos ibi cōsistentes perpetualiter trado

atque

atque transfundo de meo iure in eorum dominationem ad possidendum: ut quidquid à die præsente exinde facere voluerint, liberam ac firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. Si quis vero, quod fieri non credo, in futurum, sive ego ipse, aut ullus de heredibus vel proheredibus meis, aut ulla emissa vel opposita persona, vel quislibet, qui contra hanc cessionem meam, quam ego bona voluntate fieri & adfirmare rogavi, venire, agere, aut resultare, vel quibuscunque modis repetere aut infrangere conatus fuerit, nec hoc valeat vindicare quod repetit, & insuper partibus supra memorati monasterii, vel monachis ibi consistentibus, duplum tantum, quantum ipsæ res eo tempore melioratæ valuerint, componat, & insuper socio fisco multa auri lib. I. coactus exsolvat, & hæc cessio omni tempore firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum loco ill.

XVIII. DONATIO AD CASAM DEI.

ILLE bene possidet res in seculo, qui sibi de terrenis seu de caducis rebus comparat præmia sempiterna. Quapropter ego in Dei nomine ill. necnon & coniux mea, ambo pariter cogitantes de Dei timore, vel æterna retributione, propterea donamus, tradimus, aliquas res nostras ad monasterium, quod dicitur ill. quod dedicatum esse dinoscitur in honorem sancti ill. ubi venerabilis vir ill. rector præesse videtur. Donamus igitur, & donatum in perpetuo esse volumus, hoc est, in pago ill. nuncupato ill. super fluvio ill. mansos tantos, cum hominibus ibidem commanentibus, vel adspicientibus ill. vel ill. cum domibus, ædificiis, curtiferis, cum wadris, campis, terris, tam cultis quam & incultis, sylvis, pratis, pascuis, farinariis, cum inviis, perviis, aquis, aquarumque discursibus, mobilibus & immobilibus, præsidiis, peculiis, pecoribus, omne & ex omnibus, quidquid in ipso loco nostra videtur esse possessio vel dominatio, rem exquisitam, totam & ad integrum, tam de alode, quam & de comparato, seu de quolibet adtractu, quidquid ad nos ibidem noscitur pervenisse, de nostro iure, in ius & dominationem iam dicti monasterii, per hanc chartulam donationis, sive per festucam atque per andelangum, à die præsente donamus, tradimus, atque perpetualiter in omnibus transfirmamus. In ea vero ratione, ut pars prædicti monasterii ab hac die hoc habeat, teneat, atque possideat; vel quidquid exinde facere voluerit, liberam ac firmissimam Christo propitio in omnibus habeat potestatem. Et si quis deinceps, quod futurum esse non credimus, si nosmetipsi, quod absit, aut ullus quislibet de heredibus nostris, seu ulla quælibet extranea persona contra hanc donationem venire, aut eam calumniari præsumpserit, si se exinde non correxerit, à liminibus sanctæ Ecclesiæ excommunicatus & sequestratus appareat, & insuper ante tribunal Christi, hac de causa se iudicatu iri cognoscat. Cui vero calumniam intulerit, auri uncias tant. argenti libras tant. coactus exsolvat, & quod repetit, nullo modo evindicare prævaleat: sed præsens donatio hæc, nostris & nobis rogantibus bonorum hominum manibus roborata, quorum nomina vel signacula subter tenentur inserta, stipulatione nostra posita, diuturno tempore maneat inconvulsa. Actum, *& reliqua*.

XIX. PRECARIA AD CASAM DEI.

DOMINO venerabili & in Christo patri ill. Episcopo, de monasterio ill. quod est constructum infra muros illius civitatis, iuxta fluvium ill. *&c.* Igitur ego in Dei nomine ill. dum non est incognitum, qualiter omnem rem portionis meæ in pago ill. in loco nuncupato ill. super fluvio ill. & in alio loco, qui dicitur ill. id est mansos tantos, cum domibus, ædificiis, curtiferis, cum wadris, sylvis, terris arabilibus, campis, pratis, pascuis, cum inviis, perviis, & mancipiis ibidem commanentibus, vel adspicientibus, quantacunque in ipsis locis mea fuit possessio vel dominatio, vobis ad ipsum monasterium superius nominatum, ad opus sancti ill. tradidi atque transfirmavi. Sed postea mea fuit petitio, & vestra non denegavit voluntas, ut ipsam rem, dum advixero, per vestrum beneficium usu fructuario mihi præstitissetis ad habere, quod ita & fecistis. Simili etiam modo expetivi à vobis aliquam rem vestram, in pago ill. in loco nuncupato ill. super fluvio ill. illam videlicet rem, quam quondam ille homo per vestrum beneficium tenere visus est, ut eam mihi in usum concedere dignaremini. Et pro ipso usu censivi vobis annis singulis denarios ceu solidos tantos, ut ipsos ad festivitatem sancti illius, die mensis ill. exoluere facerem. Et si de ipso censu tardus aut negligens apparuerim, fidem exinde faciam, & contra ipsam casam Dei componere debeam. Et sic nobis complacuit atque convenit, ut ipsas res nec vendere, nec donare, nec concambiare, nec in ullum quodlibet naufragium imponere licentiam non habeam: nisi tantum dum advixero, usitare & meliorare faciam. Et post meum ex hac luce discessum filius meus nomine ill. in ipsa precaria, vel in ipso censu, adstare debeat. At post eius discessum ipsas res cum omni supra posito, quidquid ibidem adtractum emelioratumque repertum fuerit, vel transitus eius ibidem dereliquerit, absque ullius contradictione vel iudiciaria consignatione revocare faciatis in vestrum dominium. Et ut hæc precaria firmior habeatur, de quinquennio in quinquennium sit renovata, quatenus sic semper permanere valeat, in effectum stipulatione interposita. Actum, *& reliqua.*

XX. PRÆSTARIA AD CASAM DEI.

EGo in Dei nomine ill. Abba de monasterio ill. quod est constructum in honore sancti ill. dilecto amico nostro nomine ill. & uxori suę nomine ill. DUM non est incognitum, qualiter aliquas res vestras in pago ill. in loco nuncupato ill. super fluvio ill. hoc est mansos tantos, cum domibus, ædificiis, curtiferis, cum wadris, campis, terris, pratis, pascuis, cum inviis, perviis, & mancipiis ibidem commanentibus vel adspicientibus his nominibus, N.N. vel quantacunque in ipso loco vestra fuit possessio vel dominatio, nobis ad iam dictum monasterium, ad opus sancti ill. tradidistis atque confirmastis.. Sed postea vestra fuit petitio, & nostra non denegavit voluntas, ut ipsas res, dum advixeritis, usu fructuario iure præstitissemus ad habere, quod ita & fecimus. Et pro ipso usu censistis nobis singulis annis denarios tantos, ut ipsos ad festivitatem sancti ill. die mensis ill. exolvere

vere faciatis. Et si de ipso censu tardi aut negligentes apparueritis, fidem exinde faciatis, & contra ipsam casam Dei componere debeatis. Et sic nobis complacuit atque convenit, ut ipsas res nec vendere, nec donare, nec alienare, nec concambire, nec in ullum quodlibet naufragium ponere licentiam non habeatis; nisi tantum dum advixeritis usitare & meliorare faciatis; & post vestrum amborum discessum ipsas res emelioratas, absque ullius contradictione vel iudicaria assignatione revocare faciamus in nostrum dominium. Et hæc præstaria de quinquennio in quinquennium sit renovata, quatenus permanere valeat, in effectum stipulatione composita, diuturno tempore inconvulsa. Actum, *& reliqua*.

XXI. DONATIO AD CASAM DEI.

DOMINO vere sancto ac reverendissimo monasterii ill. quod est constructum in honorem sanctæ Mariæ semper virginis, genitricis Dei ac Domini nostri Iesu Christi, vel ceterorum martyrum, quorum reliquiæ ibi conditæ sunt, & inlustris Deo sacrata ill. Abbatissa, una cum norma plurimarum ancillarum Dei, ad laudem Christi canendum, custrix præesse videtur. Ego in Dei nomine fœmina aliqua nomine ill. dono ad præfatum monasterium à die præsente, donatumque in perpetuum esse volo, & de iure meo in ius & dominationem ipsius monasterii, vel eius lectoribus trado atque transfundo ad possidendum, pro eo quod in ipso monasterio sub religione ac sancta conversatione habitare debeam, hoc est, res meas in pago ill. in loco nominato ill. in gravia ill. super fluvium ill. quantumcunque à die præsente in iam dicto loco visa sum tenere vel possidere, quod manente coniugio apud iugalem meum ill. visa sum conquisisse, vel in mea portione recepi, vel quantumcunque de filii mei nomine ill. luctuosa hereditate mihi obvenit, sicut dixi, quantumcunque in his locis à die præsente mea est possessio vel dominatio, totum & ad integrum ad ipsum monasterium à die præsente de iure meo in ius ipsius monasterii, suisque rectoribus trado atq; transfundo ad possidendum. Hoc est, tam terris, mansis, una cum superpositis domibus, ædificiis, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, cultis & incultis, adiacentiisque omnibus, aquis aquarumq; decursibus, una cum mancipiis tantis his nominibus, ill. sicut dixi, in exquisita portione mea ad integrum publice trado atque transfundo ad possidendum, ut quidquid ab hac die ipsa Abbatissa vel rectores ipsius monasterii ad profectum ipsius exinde facere voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. Si quis vero, *& reliqua*.

XXII. PRECARIA AD CASAM DEI.

DOMINIS vere sanctis monasterii in honorem sanctæ Mariæ, & sancti Petri & sancti Pauli, principum Apostolorum constructi, in pago Wastinensi, ubi illustris Abbatissa ill. custrix præesse videtur, una cum norma plurima ancillarum ibidem consistentium, ego illa fœmina. Dum non habetur incognitum, sed plurimis est manifestum, quod ego res proprietatis meæ, in loco qui dicitur ill. per epistolam donationis ad ipsum monasterium

vestrum delegavi. Propterea expetii à vobis, & vos petitionem meam non denegastis, ut ipsas res, quam diu advivo, sub usu beneficii vestri tenere & usuare debeam, & aliubi ipsas res alienare pontificium non habeam: & post meum quoque discessum cum omni re emeliorata ad ipsum monasterium, absq; ulla expectata traditione, vos vel rectores ipsius monasterii in eorum faciant revocare potestatem & dominationem. Et ut in postmodum aliquod præiudicium ex hoc generare non debeam, propterea hanc precariam vobis, vel ipsi monasterio vestro, emittendam decrevi, ut neque ego, neque ullus de heredibus meis, quamvis per longinqua spacia ipsas res repetere non debeamus. Quod qui fecerit, inferat vobis, vel partibus ipsius monasterii, suisque rectoribus auri lib. unam, argenti pondo duo, & præsens precaria firma permaneat. Et ut aliæ precariæ de quinquennio in quinquennium renovantur, istam vero non sit necesse renovare, sed per semetipsam omni tempore obtineat firmitatem, cum stipulatione subnexa. Actum, *& reliqua*.

XXIII. PRÆSTARIA.

DVLCISSIMÆ fœminæ ill. ego ill. Abbatissa. Dum non est incognitum, qualiter tu ante hos dies rem proprietatis tuæ in pago ill. in loco qui dicitur ill. ad monasterium sanctæ Mariæ adfirmasti, unde precariam à nobis vel ab ipso monasterio petiisti. Propterea has litteras in te adfirmavimus, ut dum advivis usualiter ipsam rem tenere & dominare debeas, & aliubi ipsam alienare pontificium non habeas, & si hoc conatus eris facere, ipsam rem à die præsente perdas. Et ut has litteras firmiores obtineas, manu nostra subter adfirmavimus, cum stipulatione subnexa. Actum, *& reliqua*.

XXIIII. TRADITORIA DE TERRA.

NOTITIA qualiter & quibus præsentibus veniens homo aliquis, advocatus sancti ill. de monasterio ill. ad res ill. in pago ill. in loco cui vocabulum est ill. & ill. quas ante hos dies fœmina aliqua nomine ill. per suum instrumentum ad ipsum monasterium visa fuit delegasse, cum omni integritate, sicut in ipsa donatione constat, quod portio sua est, tollendas. Quas ad integrum à die præsente missus ipsius fœminæ ill. ipsius misso monasterii, nomine ill. per ostium de ipsa casa, vel per herbam & cespitem, sicut lex est, ad partem sancti ill. vel ipsius Abbatissæ, visus est tradidisse, & per suam festucam ipse missus fœminæ ill. de ipsis rebus se exitum ex omnibus esse dixit. Id sunt, *& reliqua*.

XXV. PRECARIA DE IPSA VILLA DVM VIVIT.

DOMINO venerabili in Christo patri, Domno ill. Abbati de monasterio ill. vel omni congregationi monachorum in monasterio ill. quod est in pago ill. in honorem sanctorum illorum constructo, ibidem Deo deservienti. Ego enim ill. dum non habetur incognitum, sed inter plures cognoscitur, quod ego res meas, iuris ac proptietatis meæ, quæ sunt in pago ill.

& illis conditis, vel finibus illis, villas & loca nuncupata ill. & ill. cum omni merito vel termino suo, cum omni integritate vel adpenditiis vel adiacentiis, vel suprapositis, seu servos & ancillas, accolas, libertos, libertas, cum omni peculiari & merito eorum, ad iam dictum monasterium à die præsenti per meam epistolam confirmavi. Et vos omnia supra memorata, vel quantum ipsa epistola commemorat, per meam traditionem, ad partem iam dicti monasterii, in vestro iure vel potestate recepistis. Sed dum postea mea fuit petitio vel supplicatio, & vestra præstitit bona voluntas, ut ipsas res, quamdiu advixero, per vestrum præstitum beneficium tantummodo usufructuario ordine habeam vel possideam: eo videlicet modo, ut quidquam exinde minuendi, aut distrahendi, aut alienandi non habeam potestatem. Quod si fuerit, quod absit, aut ego ipse, aut aliquis de heredibus meis, vel quislibet, qui in aliquâ contrarietate aut diminutione, seu calumniâ ortâ fuerit, aut surrexerit, aut adesse conatus fuerit, in primis ipsas res amittat, & Abb. monasterii vestri eas ad integrum recipiat, insuper & alias tantas res partibus ipsius monasterii componere & adimplere faciat. Et quia censistis me annis singulis pro ipsis rebus in festo sancti ill. argentum vel quidlibet solvere faciam: si de ipso censu ad eum placitum negligens fuero, spondeo ut ipsum in duplum solvam. At dum hæc omnia supra memorata inlibata servavero, nec vos, nec iuniores aut successores vestri, de ipsis rebus ullam diminutionem vel contrarietatem, si spatium vitæ Dominus mihi prolongare dignatus fuerit, facere præsumatis. Post meum quoque discessum omnes ipsas res, cum omni addita melioratione, vel omnibus supra positis, cum omnibus rebus atque corporibus, opibus atque præsidiis, absq; ullius iudicis aut heredum meorum expectata consignatione aut traditione, vos aut agentes vestri, iam dicti monasterii vestri, in eorum faciant revocare vel recipere dominationem vel potestatem, sicut eorum continet Epistola, perpetualiter faciendo quod egerint.

XXVI. SEQVITVR PRÆSTARIA.

IN Dei nomine ill. Abba, & omnis congregatio fratrum nostrorum, aut monachorum in monasterio ill. Domino deservientium, in Christo filio ill. Dum tua fuit petitio vel supplicatio, & nostra decrevit voluntas, ut præstitum beneficium de rebus nostris tibi facere deberemus, quod ita & fecimus, quæ sunt in pago ill. in condita illa, in loco qui vocatur sic, quem tu aut ill. per epistolam donationis à die præsente ad iam dictum monasterium nostrum ill. confirmavit, id est mansum cum casa, vel alias terras, vel quantum ipsa epistola continere videtur, ut quamdiu advixeris (aut ad v. aut x. aut xv. annos) ipsas res usualiter habere & possidere vel excolere debeas: at nihil exinde minuendi, aut alienandi, vel detrahendi, aut in peius vertendi non habeas potestatem, neq; transferendi quidquam. Quod si feceris, aut in alio contrario aut iniquo ingenio vel contrarietate, aut tu ipse, aut aliquislibet homo de ipsis rebus adesse aut adstare conatus fuerit, inprimis ipsas res amittas vel perdas, & alias tantas vel tales partibus iam dicti monasterii componere & solvere facias. Et censuimus de annis singulis pro ipsis rebus

in festo sancti ill. ceram aut argentum tant. partibus ipsius monasterii solvere facias. Et si de ipso censu negligens fueris, ipsum duplum reddas; & hæc præstaria nostra usque ad eum placitum firma permaneat stipulatione subnixa. Acta ibi, *& reliqua*.

XXVII. ALIA PRECARIA.

DOMINO sancto & Apostolica sede colendo, Domno & in Christo patri ill. Ego ill. & coniux mea ill. Pluribus non est incognitum, qualiter propter nomen Domini ad Ecclesiam ill. in honorem sancti ill. villam nostram nuncupatam ill. sitam in pago ill. per epistolam cessionis visi fuimus concesisse, etiam vos ad partes suprascriptæ Ecclesiæ recepisse. Sed dum postea nostra fuit petitio, & vestra benevolentia & pietas, ipsam villam dum advivimus, aut qui parte sua ex nobis superstes fuerit, dum advivit, nobis ad beneficium usufructuario ordine excolendam tenere permisistis. Ea scilicet ratione, ut nihil exinde penitus de qualibet re alienandi aut minuendi pontificium non habeamus: sed absque ullo præiudicio suprascriptæ Ecclesiæ, vel vestro, eam tantummodo excolere debeamus. Ideo hanc precariã vobis emittimus, ut nullo unquam tempore nostra possessio, etiamsi spatium vitæ nobis Dominus prolongaverit, nullum præiudicium aut deminutionem aliquam de ipsa villa vobis generare non debeat; nisi usu tantum, dum advivimus, habere debeamus. Et post nostrum amborum discessum, cum omni re meliorata, quidquid ibidem undique adtahere aut meliorare poterimus, per hanc precatoriam, ac si semper per quinquennium renovata fuisset, absque ullius iudicis aut heredum nostrorum expectata traditione, vos & successores vestri, aut agentes Ecclesiæ, in vestram eam faciatis dominationem revocare perpetualiter possidendam: vel quidquid exinde facere elegeritis, sicut nostra continet Epistola, ad profectum præfatæ Ecclesiæ Dom. ill. liberum habeatis arbitrium. Facta precaria ibi, *& reliqua*.

XXVIII. VENDITIO AD MONASTERIUM.

VENERABILI in Christo patri ill. Abbati de monasterio sancti ill. quod est in pago ill. super fluvio ill. constructum, emptori ego in Dei nomine ille venditor. Constat me non imaginario iure, nec ullo cogentis imperio, sed proprio voluntatis meæ arbitrio vobis, vel ad monasterium vestrum, vendere, quod ita & vendidi vobis à die præsenti rem pro portione mea, in loco nuncupato ill. qui est in pago ill. quæ de parte parentum meorum ad me legibus obvenit, hoc est tam mansis, casis, castitiis, mancipiis, ingenuis, his nominibus N. N. vel quidquid ibidem præsens est mea dominatio, totum & ad integrum, de iure meo in dominationem vestram, per hanc venditionem tradidi vobis ad possidendum. Et accepi à vobis in pretio taxato, iuxta quod vobis aptificatum vel conventum fuit, solidos probos atque pensantes numero tantos, ita ut ab hac die omnia superius nominata, quæ de me legibus comparastis, habeatis, possideatis, tam vos, quam & successores vestri: liberumque & firmissimum in vestra permaneat potestate ad faciendum. Et si quis vero, *&c.*

XXIX. PRE-

XXIX. PRECARIA DE VENDITIONE.

IN CHRISTO venerabili patri & domno ill. Abb. de monasterio ill. quod est in pago ill. super fluvium ill. constructum, ego in Dei nomine ill. Precator accessi ad vos, ut rem pro portione vestra, in loco nuncupato ill. qui est in pago ill. quam ego ill. ante hos dies per venditionis titulum, dato pretio sancto ill. seu vestro monasterio adfirmavi. Hoc est, in ipsa portione mansos ad commanendum castitiis superpositis, terris, accolabus, mancipiis, ingenuis, his nominibus N.N. vineis, pratis, sylvis, pascuis, vel quidquid ibidem adspicit, vobis delegavimus. Sed postea taliter vobis supplicavimus, ut ipsam portionem ad usum beneficium, ad excolendum quamdiu advivo, mihi præstare vel relaxare deberetis: quod ita & fecistis. Propterea hanc precariam manu mea vel bonorum hominum firmatam vobis exinde emisimus, ut annis singulis censum dinar. tant. ad luminaria sancti ill. & decimam de omni fructu, quidquid supra ipsam rem conlaborare potuerimus, quod evenit festo sancti ill. pro hoc vobis dare & adimplere faciam. Et si negligens aut tardus de ipso censu à die placita apparuero, fidem exinde vobis legibus faciam. Et ipsam rem dum advivo pro vestro beneficio tenere & usufructuare faciam: in ea vero ratione, ut aliubi ipsas res nec vendere, nec donare, nec alienare, nec ad alias casas Dei delegare, nec in naufragium ponere, nec ad proprium facire, nec heredibus meis in alode derelinquere, pontificium habeam ad faciendum. Nisi post meum discessum, una cum re emeliorata vel superposita, quidquid ibidem inventum fuerit, absq; ullius iudicis contraditione pars monasterio vestro faciamus revocare dominium. Et si quis vero, *& reliqua.*

XXX. COMMENDATITIA DE RE VENDITA.

IN CHRISTO venerabilis Abb. ill. de monasterio ill. quod est in pago ill. una cum consensu fratrum nostrorum. Dum & tua fuit petitio, & nostra decrevit voluntas, ut duas partes darem de portione nostra in loco nuncupato ill. quod est in pago ill. quam tui per se ante hos dies per venditionem, fatali dato pretio sancto ill. nobis vendiderunt. Sed postea taliter nobis supplicasti, ut de ipsa portione duas in prædicto loco ad usum beneficium ad excolendum, quam diu advivis tibi præstare deberemus, quod ita & fecimus. Propterea hanc commendatitiam manu nostra firmatam tibi pro hoc dedimus, ut annis singulis censum tant. & illam decimam de omni fructu, quidquid super ipsa terra conlaborare potueris, quod evenit festo sancti ill. pro hac dare debeas. Et si negligens aut tardus à die placita, de ipso censu fueris, fidem exinde pro hoc nobis facias, & ipsam rem ad vitam pro nostro beneficio teneas: in ea tamen ratione, ut ipsam rem aliubi nec vendere, nec donare, nec alienare, nec ad alias casas Dei delegare, nec ad propriũ facire, nec heredibus tuis in alode derelinquere, nec in naufragium ponere, potestatem habeas ad faciendum. Nisi post tuum discessum, una cum ipsa re emeliorata vel superposita, quidquid ibidem inventum fuerit, sine ullius iudicis consignatione, pars monasterio nostro elidiato ordine præsentaliter facias revocare dominium. Et ut hæc commendatitia firma sit, *& quæ sequuntur.*

XXXI. PRÆCEPTVM DE CLERICATV.

SI eis, qui se ad onus clericatus transferre deliberant, licentiam non negamus, retributorem Dominum exinde habere confidimus: quia scriptum est, *Noli probibere benefacere eum, qui potest; si vales, & ipse benefac.* Igitur veniens ill. ad nostram præsentiam, petiit serenitatem nostram, ut ei licentiam tribuere deberemus, qualiter comam capitis sui ad onus clericatus deponere deberet, & ad basilicam illam aut monasterium deservire. Quod nos propter nomen Domini eidem gratanti animo præstitisse cognoscite. Præcipientes ergo iubemus, ut si memoratus ill. de capite suo bene ingenuus esse videtur, & in polyptico publico censitus non est, licentiam habeat comam capitis sui tonsurare, & ad supra scriptam basilicam vel monasterium deservire, & pro nobis Domini misericordiam adtentius exorare.

XXXII. CARTA DE DVCATV ET PATRITIATV VEL COMITATV.

PERSPICVE regalis in hoc perfecta conlaudatur clementia, ut in cuncto populo bonitas & vigilantia requiratur personarum: nec facile cuilibet iudiciariam convenit committere dignitatem, nisi prius fides seu strenuitas videantur esse probatæ. Ergo dum & fidem & utilitatem tuam videmur habere compertam, ideo tibi actionem comitatus, ducatus, aut patritiatus in pago ill. quem antecessor tuus ill. usque nunc visus est egisse, tibi agendum regendumque commisimus. Ita ut semper erga regimen nostrum fidem inlibatam custodias, & omnes populi ibidem commanentes, tam Franci, Romani, Burgundiones, vel reliquæ nationes, sub tuo regimine & gubernatione degant & moderentur: & eos recto tramite, secundum legem & consuetudinem eorum regas, viduis & pupillis maximus defensor appareas, latronum ac malefactorum scelera à te severissime reprimantur. Vt populi bene viventes sub tuo regimine, gaudentes debeant consistere quieti, & quidquid de ipsa actione in fisci ditionibus speratur, per vosmetipsos annis singulis nostris ærariis inferatur.

XXXIII. TRACTORIA IN ITINERE PERGENDO.

DOMINIS sanctis & Apostolicis sedibus collocatis, Episcopis, Abbatibus vel Abbatissis, & omnibus in Christo patribus, Ducibus, Comitibus, vicariis, centenariis, & decanis, vel omnibus in Christo credentibus & Deum timentibus, ego in Dei nomine ill. acsi indignus peccator ultimus, omnium servorum Dei servus, Episcopus videlicet sive Abba de civitate illa, vel de monasterio ill. ubi pretiosus ill. martyr sive confessor Christi humanitus corpore requiescit, salutem vobis perennem in Domino destinare curavimus. Cognoscatis siquidem Domni & sancti patres, seu & sorores in Christo, quia innotescimus vobis, eo quod peregrinus iste nomine ill. ex genere ill. ad nos venit, & nobis innotuit atque consilium quæsivit de hoc videlicet facto, quod instigante adversario peccatis facientibus proprium filium suum,

suum, vel fratrem suum, sive nepotem, nomine ill. interfecit, & nos pro hac causa secundum consuetudinem & canonicam institutionem diiudicavimus, ut lege peregrinorum ipse præfatus annis IIII. in peregrinatione ambulare deberet. Propterea cognoscatis sanctissimi patres has litteras, ut quando ad sanctitatem vestram venerit, melius ei credatis, eo quod nullatenus pro alia causa ambulare dinoscitur, nisi sicut superius diximus, pro peccatis suis redimendis: ut vos eum nullo modo deteneatis, nisi tantum quando ad vos venerit, mansionem ei & focum, panem & aquam, largiri dignemini, & postea sine detentione liceat ei ad loca sanctorum festinare. Sic exinde agite pro amore Dei & reverentia sancti Petri, sanctissimi patres, ut vobis pius Dominus in illa beata seu immortali vita remunerari dignetur: quia in ipso peregrino Christum pavistis, seu suscepistis, considerantes videlicet, quod ipse Dominus dixit: *Hospes fui & suscepistis me.* Et: *Quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.* Quid plura? ad sapientes sufficit, semel loqui. Commendamus nos obnixe in vestris sacris precibus, ut nostri meminisse dignemini. Valete in Christo feliciter sanctissimi patres, ut ad æternã angelorum digni habeamini mansionem. Facta hæc epistola sub die ill. *&c.*

XXXIIII. ALIA TRACTORIA.

DOMINIS sanctis & Apostolicis ac venerabilibus in Christo patribus, Regibus, Comitibus, Episcopis, Abbatibus, sacerdotibus, clericis, vel omni populo Christiano, qui in Romano vel Longobardorum provinciis Deo serviunt, tam in monasteriis, quam in civitatibus, seu per pagos, vel per vicos, ego in Dei nomine ill. maior domus. Cognoscat magnitudo seu sanctitas vestra, quod iste frater noster, nom. ill. serviens noster, petiit à nobis, ut ad basilicam sancti Petri, pro suis culpis, vel pro nostra stabilitate valeat ambulare ad orationem. Propterea has litteras cum salutatione per ipsum ad vos direximus, ut amore Dei & sancti Petri ipsum ad hospitium recipiatis ad benefaciendum, vel ad suam consolationem, tam ad eam ambulando, quam & in redeundo, ut per vos salvus eat, & salvus revertatur. Interim sicut vestra est consuetudo bona, vel consolationem vel adiutorium ei impendere iubeatis, lætumque diem in beatis habere. Cuius potestas regnat in æternum, ipse vos custodiat in regno suo perpetuo. Salutamus vos omnes salutatione plenissima.

XXXV. EPISTOLA TRACTORIA LEGATARIORVM VEL MINIMA FACIENDA ISTIVS INSTAR.

ILLE Rex omnibus agentibus. Dum & nos in Dei nomine Apostolicum virum ill. nec non & illustrem virum illum, partibus illis legationis causa direximus: ideo iubemus ut locis convenientibus eisdem vos evectionem simul & humanitatem ministretis. Hoc est, veredos sive paraveredos tantos, pane nitido modia tanta, sequente modia tanta, vini modia tanta, cervisæ modia tanta, lardo libras tantas, carne libras tantas, porcos tantos, porcellos tantos, verveces tantos, agnellos tantos, aucas tantas, fasianos tantos, pullos

tantos, ova tanta, oleo libras tantas, garo libras tantas, mel tantum, aceto tantum, cymino libras tantas, piper tantum, costo tantum, caryofyli tantum, spico tantum, cinamomo tantum, grano mastice tantum, dactylos tantum, pistacias tantas, amygdalas tantas, cereos librales tantum, casco libras tantas, sal tantum, olera, legumina, carra tanta, faculas tant. Itemque victu ad caballos eorum fœno carra tanta, suffuso modia tanta. Hæc omnia diebus singulis tam ad ambulandum, quam ad nos in Dei nomine revertendo, unusquisque vestrum per loca consuetudinaria eisdem ministrari & adimpleri procuretis, qualiter nec moram habeant, nec iniuriam perferant, si gratiam nostram optatis habere.

XXXVI. CARTA DE CAVSA SVSPENSA.

COGNOSCAT magnitudo seu utilitas vestra, dum & nos ad præsens Apostolico viro ill. aut inlustri viro, pro nostris utilitatibus ibi ambulare præcepimus: ideo iubemus, ut dum in illis partibus fuerit demoratus, omnes causæ suæ, suorumque amicorum aut gasindiorum, seu undecunque ipsi legitime redibit mitio, in suspenso debeant residere. Propterea per præsens decernimus ac iubemus præceptum, ut interim quoad de illis partibus revertitur, omnes causæ eius aut amicorum suorum, tam illorum qui cum ipso pergunt, quam qui ad propria resident, vel undecunque ipsi legitimo redibit mitio, in supenso resideant; & postea unicuique pro ipsis de reputatis conditionibus & iustitiam reddat, & ab aliis simili modo veritatem percipiat.

XXXVII. CARTA DE MVNDEBVRDE REGIS ET PRINCIPIS.

RECTVM est, ut regalis potestas illis tuitionem impertiat, quorum necessitas comprobatur. Igitur cognoscat magnitudo seu utilitas vestra, quod nos Apostolicum aut venerabilem virum ill. de civitate aut de monasterio ill. in honore sancti illius constructo, cum omnibus rebus vel hominibus suis, aut gasindiis, vel amicis, seu undecunque ipsi legitimo redibit mitio, iuxta eius petitionem, propter malorum hominum inlicitas infestationes, sub sermone tuitionis nostræ visi sumus recepisse, ut sub mundeburde vel defensione illustris viri illius maioris domus nostri, cum omnibus rebus præfatæ Ecclesiæ aut monasterii, quietus debeat residere, & sub ipso viro illo illustri, virum ill. causas ipsius Pontificis, aut Abbatis, aut Ecclesiæ, aut monasterii, aut quæ ad eum spectare videntur, aut undecunque legitimo redibit mitio, tam in pago quam in palatio nostro persequi deberet. Propterea per præsens decernimus ac iubemus præceptum, ut memoratus Pontifex aut Abba, sub sermone nostro & mundeburde antedicti viri quietus resedeat, & nec vos, nec iuniores aut successores vestri, vel quislibet eum de inquisitis occasionibus iniuriare vel inquietare non præsumatis. Et si aliqua causa adversus eum vel suo mitio surrexerit, quæ in pago absq; eius gravi dispendio definita non fuerit, in nostram præsentiam reservetur. Quam præceptionem, ut firmior habeatur, propria manu subscripsimus.

XXXVIII. ALIO

XXXVIII. ALIO MODO.

ILLE Rex vir inluster Domnis sanctis ac venerabilibus in Christo patribus, omnibus Episcopis, vel omnibus Abbatibus, seu & inlustribus viris, Ducibus, Comitibus, vicariis, centenariis, vel omnibus agentibus, seu omnibus missis nostris discurrentibus, vel omnibus paribus & amicis nostris, tam præsentibus, quam futuris, bene cupiens vester. Compereat magnitudo seu industria vestra, quod veniens venerabilis vir ill. Abba de monasterio sancti ill. tam se, quam & ipsum monasterium, cum omnibus rebus suis ad nos se plenius commendavit: & nos postea gratante animo ipsum venerabilem virum illum Abbatem cum ipso monasterio vel hominibus suis, & omnes causas suas amabiliter sub nostro recepimus mundeburde vel defensione. Ideoque salutantes magnitudinem seu industriam vestram, vos omnino per has litteras rogamus atq; præcipimus, ut nullus ex vobis iam dictum venerabilem Abbatem, vel ipsum monasterium, nec homines, nec res suas quas ad præsens habere videtur, vel inantea Christo propitio à bonis hominibus ibidem conlatum fuerit, nullus inquietare, nec condemnare, vel aliquid de rebus suis minuere omnino præsumat: sed cum Dei gratia, & nostro mundeburde vel defensione, tam eum, quam suos homines residere cum quiete sinatis. Et si aliquæ causæ adversus ipsum Abbatem, vel monasterium ipsius, seu homines eius fuerint, quæ in pago absque suo iniquo dispendio recte definitæ non fuerint, eæ usque ante nos omnimodis fiant suspensæ vel reservatæ: & postea ante nos per legem & iustitiam, finitivam accipiant sententiam. Id ut certius credatis, manu propria subter firmavimus. Sign. vel Domnus ill. Rege gloriosi. ill.

XXXIX. VT LEVDESAMIA PROMITTANTVR REGI.

ILLE Rex Comiti ill. Dum & nos una cum consensu procerum nostrorum in regno nostro ill. glorioso filio nostro ill. regnare præcepimus, ideo iubemus, ut omnes pagenses vestros, tam Francos, quam Romanos, vel reliquas nationes bannire, & locis congruis per civitates, vicos & castella congregare faciatis, quatenus præsente misso nostro inlustri viro ill. quem ex latere nostro illuc pro hoc direximus, fidelitatem præcelso filio nostro, vel nobis, & leudisamium per loca sanctorum, vel super pignora, quæ illuc per eundem direximus, debeant promittere & coniurare.

XL. SACRAMENTVM FIDELITATIS.

REPROMITTO ego, quod ab isto die inantea fidelis ero Domno Karolo piissimo Imp. filio Pipini Regis, & Bertanæ reginæ, pura mente, absque fraude & malo ingenio de mea parte ad suam partem, & ad honorē regni sui iustitia obediens atq; cōsentiens, sicut recte debet esse homo domno suo: sic me adiuvet Deus & ista patrocinia, quæ in loco sunt, quia diebus vitæ meæ

per meam voluntatem, in quantum mihi Deus intellectum dederit, sic adtendo & conservo. Anno xi. feliciter regni domni nostri Karoli gloriosissimi Regis in mense Martio.

XLI. COMMVTATIO CVM REGE.

ILLE Rex illi Regi. Nemo sibi quidquam cernitur minuere, qui quid econtra recipit in augmento. Dum inter nos & inlustrem virum ill. unanimiter convenit, ut loca aliqua inter nos commutare deberemus, nos dedimus locella nucupata ill. in pago ill. cum colonicis ill. & omnibus adiacentiis eorum & merito suo, tam domibus, mancipiis, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, vel reliquis quibuscunque beneficiis, quæcunque illic fiscus noster in ipsis locis tenuisse noscitur. Et ipse econtra dedit nobis omnem portionem suam, quam in villa ill. in pago ill. habuisse visus est, cum ædificiis, & reliquis quibuscunque beneficiis, quæcunque ibidem habuit, & nos pro animæ nostræ remedio ibi dedimus. Quapropter hoc præceptum ad modum commutationis ipsius vero fieri decrevimus, ut à præsente die ipsa locella, cum omnibus scriptis, vel cum omni integritate sua, quidquid ut diximus ill. vel fiscus noster ibidem tenuit, ipse ill. hoc habeat, teneat, atq; possideat, & suis posteris ad possidendum relinquat, vel quidquid exinde facere voluerit, ex nostra commutatione liberam habeat potestatem. Et unaquæq; pars, quod in cõcambio bonæ pacis placuit accepisse, exinde per longa tempora debeat, Deo permittente, gratulari. Et ut hæc præceptio firmior, *&c.*

XLII. CONFIRMATIO REGIS DE OMNI CORPORE FACVLTATIS.

MERITO regalis clementia in illis collata munera vel proprietates parentum nostrorum confirmare deliberat, quos cognoscit anterioribus Regibus parentibus nostris vel nobis fidem conservasse inlæsam. Idcirco inluster vir ill. chartas præcedentium Regum nobis protulit recensendas, qualiter parentibus suis loca aliqua fuissent concessa. Petiit ut eum de omni corpore facultatis suæ, tam quod regio munere ipse vel parentes eius promeruerunt, quam quod per venditionis, cessionis, donationis, commutationisque titulum iuste & rationabiliter est conquisitum, & ad præsens possidere videtur, per nostrum in ipso deberemus generaliter confirmare præceptum: quod nos pro divino intuitu vel eius meritis compellentibus, integra, devotione magnitudo vestra præstitisse cognoscat. Præcipientes enim ut quidquid ex successione parentum, vel voluntate & munere regio, vel quolibet instrumento chartarum ad eundem iuste pervenit, tam in villabus, mancipiis, ædificiis, accolabus, auri, argenti, speciebus, ornamentis, mobili, immobiil, aut quodcunque in quibuslibet rebus per instrumenta chartarum tempore præsente cum rationis ordine dominari videtur, per hanc auctoritatem firmatum, cum Dei & nostra gratia in integritate valeat possidere, & suis posteris autore Domino derelinquere. Et ut hæc auctoritas, *& reliqua.*

XLIII. PRÆ-

XLIII. PRÆCEPTVM DE LESOVVERPO PER MANVM REGIS.

QVIDQVID in præsentia nostra agitur, vel per manum nostram videtur esse transvulsum, volumus & iubemus ut maneat in posterum robustissimo iure firmissimum. Ideoque veniens ill. fidelis noster ibi in palatium nostrum, in nostra vel procerum nostrorum præsentia, villas nuncupatas ill. sitas in pago ill. sua spontanea voluntate nobis per festucam visus est lesowerpisse vel condonasse, in ea ratione, ut dum vixerit, eas ex nostro permisso sub usu beneficio debeat possidere, & post suum discessum, sicut eius adfuit petitio, nos ipsas villas fideli nostro ill. plena gratia visi sumus concessisse. Quapropter præsenti decernimus præcepto, quod perpetualiter mansurum esse iubemus, ut dummodo taliter ipsius ill. decrevit voluntas, quod ipsas villas in suprascripto loco nobis volũtario ordine visus est lesowerpisse vel condonasse, & nos prædicto viro ill. ex nostro munere largitatis, sicut ipsius ill. decrevit voluntas, cõcessimus, hoc est, tam terris, domibus, ędificiis, accolabus, mancipiis, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, ad integrum quidquid ibidem ipsius loci portio nostra fuit, dum advixerit, absque aliqua diminutione de qualibet usufructuario ordine debeat possidere, & post eius discessum memoratus ille hoc habeat, & teneat, atque possideat, & suis posteris, aut cui voluerit ad possidendum relinquat.

XLIIII. PROLOGI DE CESSIONIBVS REGALIBVS.

MERITO largitatis nostræ munere sublevantur, qui parentibus nostris vel nobis ab adolescentia ætatis eorum instanti famulantur officio.

ITEM. Perspicue compendiis regalibus illud adscribitur, quod pro contemplatione servitii fidelibus suis cõcedente Domino consultissime muneratur.

XLV. CESSIO AD LAICOS.

NIHIL, ut ait Apostolus, in hunc mundum intulimus, nec quidquam ex eo auferre nobiscum poterimus, nisi quod ob animæ salutem locis sanctorum devote Domino offerentes impertire videmur. Ergo cognoscat magnitudo seu strenuitas vestra, nos inlustri viro ill. promptissima voluntate villam nuncupatam ill. sitam in pago ill. cum omni merito & termino suo, in integritate, sicut ab illo aut à fisco nostro fuit possessa, vel moderno tempore possidetur, visi sumus concesisse. Quapropter præsenti autoritate nostra decernimus, quod perpetualiter mãsurum esse iubemus, ut ipsam villam illam, ante dictus vir ill. ut diximus, cum omni integritate, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, adiacentiis, appendiciis, vel quolibet genere hominum ditioni fisci nostri subditorum, qui ibidem commanent, in integra emunitate, absq; ullius introitu iudicis, de qualibet causa freda ad exigẽdum perpetualiter habeat concessam: ita ut eam iure proprietario, absq; ullius expectata iudicum traditione, habeat, teneat, atq; possideat, & suis posteris Domino adiuvãte ex nostra largitate, aut cui voluerit, ad possidendum relinquat, vel quidquid exinde facere voluerit, ex nostro permisso liberam in omnibus habeat potestatem. Et ut hæc auctoritas, *& reliqua*.

XLVI. CONFIRMATIO AD SECVLARES VIROS.

REGIAM consuetudinem exercemus, & fidelium nostrorum animos adhortamur, si petitionibus nostrorum fidelium libenter annuimus, & eas in Dei nomine effectui mancipamus. Igitur inluster vir ill. clementiæ regni nostri suggessit, quod ante hos annos ill. quondam Rex parens noster villam aliquam nuncupatam ill. in pago illo sitam, quę antea ad fiscum suum adspexerat, & ille tenuerat, pro fidei suæ respectu, eius meritis compellentibus, cum omni integritate ad ipsam villam adspicente, per suam præceptionem sua manu roboratam, in integra emunitate, absque ullius introitu iudicis de qualibet causa freda ad exigendum, eidem concessisset. Vnde & ipsam præceptionem antedicti Principis nobis ostendit relegendam; & memoratam villam ad præsens sub eodem modo videtur possidere. Petiit ergo ut hoc circa eundem nostra plenius deberet auctoritas generaliter confirmare. Cuius petitionem pro respectu fidei suæ, sicut unicuique de fidelibus nostris iusta petentibus nequivimus denegare, sed gratante animo præstitisse & confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo, sicut constat antedictam villam ill. cum omni sua integritate ab ipso Principe ill. memorato fuisse concessam, & eam ad præsens iure proprietario possidere videtur, per hoc præceptum plenius in Dei nomine confirmamus, inspecta ipsa præceptione, & ipse, & posteritas eius, eam teneant & possideant, & cui voluerint ad possidendum relinquant, vel quidquid exinde facere decreverint, ex nostro permissu libero perfruantur arbitrio. Quæ vero auctoritas ut firmior habeatur, & per tempora conservetur, propria manu subter eam decrevimus roborare.

XLVII. DE REGIS AMTRVSTIONE.

RECTVM est, ut qui nobis fidem pollicentur inlæsam, nostro tueantur auxilio. Et quia ill. noster fidelis Deo propitio veniens ibi in palatium nostrum, una cum arimania sua, in manu nostra trustem & fidelitatem nobis visus est coniurasse. Propterea per præsens præceptum decernimus ac iubemus, ut deinceps memoratus ille in numero amtrustionum computetur; & si quis fortasse eum interficere præsumserit, noverit se wirgildo suo solid. DC. esse culpabilem.

XLVIII. PRÆCEPTVM DONATIONIS INTER VIRVM ET VXOREM.

DVM Dominus omnipotens creator cœli & terræ permisit, iuxta quod legitur in principio, masculum & fœminam copolæ sociare consortium, dicens: *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Si aliquid pro amore dilectionis inter se invicem donare decreverint, hoc nostra serenitas in ipsis non renuit confirmare. Igitur venientes ille & illa in palatium nostrum, pro eo quod filiorum procreationem inter se minime habere videntur, omnes res eorum inter se per manum

manum nostram visi sunt condonasse. Dedit igitur prædictus vir ille per manum nostram iam dictæ coniugi suæ ill. villas nuncupatas ill. sitas in pago ill. quas aut munere regio, aut de alode parentum, vel undecunque ad præsens tenere videtur, cum terris, domibus, *& reliq.* Similiter in compensationem rerum dedit prædicta fœmina antedicto iugali suo ill. villas nuncupatas ill. sitas in pago ill. cum terris, *& reliq.* seu præsidio domus eorum aurum, argentum, fabricaturas, drappas, vestimenta, vel omne suppellectile eorum, pars parti per manum nostram visi sunt condonasse: ita ut dum pariter advixerunt in hoc seculo, omnes res supra scriptas ab utraque parte pariter debeant possidere; vel si pro animabus eorum aliquid exinde ad loca sanctorum dare decreverint, voluntas eorum liberi maneat arbitrii. Et qui pari suo ex ipsis in hoc seculo superstes fuerit, ambabus rebus quam diu advixerit, usufructuario ordine debeat possidere, & post amborum de hac luce discessum, sicut eorum delegationes continent, tam ad loca sanctorum, quam bene meritos, vel eorum propinquos debeant reverti heredes; tam supra scriptæ villæ, quam & de præsidio eorum quidquid morientes reliquerint. Propterea per præsens præceptum decernimus ac iubemus, ut dum taliter supra scriptis illis decrevit voluntas, & per manum nostram invicem condonatum esse dinoscitur, per hoc præceptum robustissimum iure suffultum atque firmatum, quidquid superius continetur auxiliante Domino & nostra gratia debeat perdurare; ita ut nulla refragatione, nec de parte fisci nostri, nec à parentibus eorum propinquis, nec à quocunque possit convelli, nisi omni tempore maneat inconvulsum. Quæ vero auctoritas ut firmior habeatur, vel per tempora conservetur, manu propria subter eam decrevimus roborare.

XLIX. CARTA DONATIONIS INTER VIRUM ET UXOREM, QUÆ GESTIS MUNICIPALIBUS SIT ALLEGATA.

QUIDQUID inter coniugatos de propria facultate ob amorem dilectionis invicem condonare placuerit, scripturarum necesse est titulis allegare, ne in posterum ab heredibus eorum vel à quocunque possit convelli. Quia secundum legem, si manente coniugio vir uxori, vel uxor marito aliquid donaverit, si is cui donatum est, prior mortuus fuerit, apud donatorem ea quæ donata fuerint, remanebunt. Igitur ego in Dei nomine ill. te dulcissima coniux mea ill. dum inter nos procreatio filiorum minime esse videtur, ideo convenit nobis, ut omni corpore facultatis nostræ invicem usufructuario ordine condonare debeamus, quod ita & fecimus. Proinde dono tibi dulcissima coniux mea, si mihi in hoc seculo superstes fueris, omne corpus facultatis meæ, tam de alode aut de comparato, vel de quolibet adtractu, ubicunque habere videor, & quod pariter in coniugio positi laboravimus, tam de terris, villabus, domibus, cum omni præsidio, accolabus, mancipiis, vineis, campis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, auro, argento, vestimentis, peculio utriusque sexus maiore & minore: ita ut dum vixeris, usufructuario ordine valeas possidere vel dominari; excepto quod

pro animæ remedio ad loca sanctorum condonavimus, ut inspecta nostra delegatio in omnibus servetur. Et quantumcunque de alode nostra post meum discessum pro communi mercede ad loca sanctorum legaliter condonare & delegare volueris, hoc licentiam habeas faciendi, & inspecta delegatione inconvulsum permaneat. In reliquo vero omnes res, quantum post tuum discessum in testamento remanserit, ad nostros legitimos revertantur heredes. Similiter & ego ill. dulcissime iugalis mi ill. (cõmonet me dulcitudo tua) in compensatione rerum tuarum, quas in me visus es contulisse, si mihi in hoc seculo superstes fueris, dono tibi omne corpus facultatis meę, ubicunque, undecunq;, tam de hereditate parentum, quam de comparato, vel quod pariter laboravimus, totum & ad integrum, cum villabus, domibus, *& reliq.* excepto quod pro animæ remedio ad loca sanctorum delegavimus, ut inspectis ipsis instrumentis, in omnibus conservetur. Et quod de ipsa alode mea post meum discessum pro communi mercede ad loca sanctorum delegaveris, sive ingenuos relaxare volueris, licentiam habeas, & inspecto ipso instrumento in omnibus conservetur. Post tuum quoque discessum, quidquid in testamento remanserit, ad nostros heredes, qui tunc propinquiores fuerint, revertatur. Si qui vero, quod futurum esse non credimus, aliqui de heredibus nostris, vel quicunque contra hanc donationem, unde inter nos uno tempore conscriptos firmavimus, venire aut infringere voluerit, nullatenus valeat evindicare: sed inferat partibus vestris cum cogente fisco auri lib. tant. argenti tant. Præsens vero Epistola in nullo possit convelli, sed firma & inlibata permaneat.

L. ALIA DONATIO.

QVANDOQVIDEM Deus voluerit inter virum & uxorem ad pacis vinculum atque concordiam nectendam, ut res eorum inter se condonare deberent, sicuti & fecerunt. Ideoque complacuit atque convenit inter venerabilem virum ill. & uxorem illius nomine ill. eo quod inter eos agnatio minime esse cerneretur, ut alter alteri de rebus eorum inter se condonare deberent, quod ita & fecerunt. Dedit itaq; venerabilis vir ill. uxori suæ nomine ill. de rebus suis in pago ill. in loco nuncupato ill. super fluvio ill. hoc est mansos tantos cum domibus, ædificiis, curtiferis, cum wadris, terris, sylvis, pratis, pascuis, campis, mobilibus & immobilibus, mancipiis ibidem commanentibus, vel adspicientibus, his nominibus ill. & ill. cum omni integritate vel soliditate, quidquid ibidem iure hereditario ad se pertinere videtur. Similiter visa est reddere uxor ill. nomine ill. præfato iugali suo, nomine ill. de rebus suis in pago illo, in loco nuncupato ill. super fluvio ill. mansos tantos, cum domibus, ædificiis, curtiferis, cum wadris, terris, tam cultis, quam incultis, sylvis, campis, pratis, pascuis, cum inviis & perviis eorum, integra omnia & ex omnibus, quidquid ibidem sua fuit possessio vel dominatio. Similiter etiam omne præsidium vel elaborata eorum inter se pars parti visus est donare: in tali vero tenore, ut quisquis de eis pari suo in hoc seculo superstes fuerit, omnes res quas dedit & quas accepit, in suo iure & dominatione recipere debeat: habeatque tenendi, dandi, vendendi, commutandi,

mutandi, heredibusque suis ad possidendum relinquendi, liberam in omnibus potestatem. Propterea has duas Epistolas adfatimas uno tenore conscriptas inter se fieri vel firmare rogaverunt: ut nullus quilibet de heredibus ac proheredibus eorum hanc congruitatem inter eos factam ullo unquam tempore possit irrumpere, nisi absque ullius contradictione omni tempore firma & stabilis permaneat. Quod si aliquis de heredibus ac proheredibus eorum hanc cessionem calumniari præsumserit, dupliciter, quantum eo tempore ipsæ portiunculæ valuerint, & insuper ad partem fisci, auri uncias tantas, argenti libras tantas, coactus exolvat: & quod repetit nullum obtineat effectum, sed sicut diximus hæ Epistolæ tam à nobis, quam ab aliis bonorum hominum manibus roboratæ, omni tempore firmæ & stabiles permaneant, stipulatione interposita. Actum, *& reliqua*.

LI. OBNOXIATIO A PATRE IN FILIOS FACTA.

DVLCISSIMIS filiis meis ill. Omnibus non habetur incognitum, qualiter ante hos annos, villas aliquas nuncupatas ill. sitas ibi, genitrici vestræ ill. antequam meo sociassem coniugio, per Epistolam cessionis aut libello dotis visus sum condonasse. Sed dum & ipsa peccatis meis facientibus ab hac luce discessit, & vos omnem alodem ipsius genitricis vestræ ill. iuxta quod & ratio præstitit, mecum exinde in præsentia bonorum hominum aut Regis altercastis, per ipsam epistolam, quam in eam fecimus, contra nos evindicastis, & in vestra potestate omnem alodem ipsius recepistis. Sed dum mea adfuit petitio, & vos ut condecet bonos filios voluntati nostræ obtemperantes, ipsas villas vel res, quæ fuerunt genitricis vestræ, quas ego ei dedi vel condonavi, mihi ad usum beneficium tenere & excolere, absq; ullo vestro præiudicio permisistis. Ideo nobis complacuit alias villas nostras ill. pro benevolentia vestra & suprascripto usu de villis vestris, per hanc Epistolam obnoxiationis vobis obnoxiasse. Ita ut deinceps tam suprascriptas villas, quam etiam illas, quas suprascriptæ genitricæ vestræ, per meam Epistolam contuleram, pro vestro beneficio excolere debeamus, & nullum pontificium de omnibus suprascriptis nec vendere, nec alienare, nec concambiare, nec pro quolibet ingenio minuere non debeam, nisi tantum ad usum. Sed per hanc Epistolam obnoxiationis meæ in vestro sint arbitrio, & potestate, & quandocunque volueritis, & vobis placuerit, absque ulla mea contrarietate aut repetitione omnia superius prænotata, tam quæ vestra antea, de parte genitricis vestræ, fuit alode, quam & illas alias nuncupatas, sic quod vobis pro ipso usu visus sum obnoxiasse, in vestram debeatis revocare dominationem perpetualiter possidendum, vel quidquid exinde facere volueritis, liberam habeatis potestatem, absque alia aliqua intercedente precaria: sed per hanc obnoxiationem, acsi semper per quinquennium renovata fuisset, perpetim valeat obtinere vigorem, stipulatione subnexa. Actum, *& reliqua*.

LII. DONATIO QVAM PATER DONAT FILIO SVO.

DVLCISSIMO atq; amantissimo filio meo ill. ego ill. genitor tuus. Dum & ego te dulciter enutrivi, & tu mihi fideliter deservisti (vel tuum servitium vel benevolentiam circa partem nostram habemus compertum) ideo mihi præpatuit plenissima voluntas, ut aliquid de hereditate mea extra consortium germanorum tuorum tibi concedere deberem, quod ita & feci. Dono ergo tibi à die præsenti, quod in perpetuum volo esse mansurum, hoc est mansum ad commanendum cum castitiis superpositis, terris arabilibus, & mancipiis his nominibus ill. & ill. ut per hanc epistolam donationis, vel de liberalitate nostra, quamdiu advivis tam tu ipse, quam hereditas tua, contra tuos germanos vel germanas, quieto ordine vel elidiato valeas possidere vel dominari. Propterea hanc epistolam traditionis manu nostra firmatam tibi exinde fieri & conscribi rogavi: ut de præsenti die ipsum mansum, vel quidquid ad ipsum mansum adspicit, & ipsa mancipia superius denominata habeas, teneas, atque possideas. Et si ego aut ullus de heredibus, *& reliqua*.

LIII. ALIA DONATIO DE EADEM RE.

EGo in Dei nomine ill. Amore Domini nostri Iesu Christi, ut veniam delictis meis consequi merear, dono donatumque dulcissimo filio meo, nomine ill. habeo, petia de terra arabili, in loco qui dicitur ill. qui est in pago ill. per loca designata, vel circuita: in ea ratione, ut de post hunc diem iam dictus filius meus, cum Epistola donationis istius legibus facta fuit, ipsam terram habeat, teneat, atque possideat, vel quidquid exinde facere voluerit, liberam in omnibus, Christo propitio, habeat potestatem. Et si quis, *& reliqua*.

LIIII. CHARTA CVM IN LOCVM FILIORVM NEPOTES INSTITVVNTVR AB AVO.

DVLCISSIMIS nepotibus meis ill. ego ill. Quidquid filiis vel nepotibus de facultate pater cognoscitur ordinasse, voluntatem eius in omnibus lex Romana constringit adimplere. Ideoque ego in Dei nomine ill. dum peccatis meis facientibus genitrix vestra filia mea ill. quod non optaveram, tempore naturæ suæ completo, ab hac luce discessit: ego vero pensans consanguinitatis causam, dum & per legem cum ceteris filiis meis avunculis vestris, in alode mea ad integrum succedere minime poteratis, ideo per hanc Epistolam firmitatis volo, ut in omni alode mea post meum decessum, si mihi superstites fueritis, quidquid moriens dereliquero, sicut supradicta genitrix vestra, si mihi superstes fuisset, ita & vos cum avunculis vestris succedere debeatis. Ea vero ratione, ut quidquid tempore nuptiarum ei tradidi vel dedi, hoc in parte vestra recipiatis: & si amplius insuper de rebus nostris obvenerit, tunc cum filiis meis matris vestræ portionem recipiatis: & quidquid exinde, de omnibus superius conscriptis facere volueritis, liberam

beram habeatis in omnibus potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non eredimus, aliquis de heredibus vel proheredibus meis, vel quælibet persona, contra hanc Epistolam venire tentaverit, aut eam infringere voluerit, inferat vobis tant. & quod repetit nullatenus vindicare valeat, sed præsens Epistola omni tempore firma permaneat, cum stipulatione subnexa. Actum, *& reliqua*.

LV. ALIA DE EADEM RE.

EGo in Dei nomine ill. & coniux mea ill. dilectissimis nepotibus nostris, necnon & neptibus nostris ill. Constat vero, prout fragilitas humana exposcit, quæ primi parentis culpa existente mortis debitum quotidie nolens volensque persolvit, quod genitor vester nomine ill. filius noster, de hac luce ante nos visus est decessisse, & nos Dei omnipotentis providentia ei reservati superstites fuerimus. Hac igitur de causa complacuit nobis atque convenit, ut pro ipso proprietatis iure, in quo genitor vester legitime succedere debuit, si nobis in hoc seculo superstes fuisset, ita vos post nostrum quoque discessum æqualem partem cum avunculis vel amitis vestris, filiis vel filiabus nostris, ad integrum accipere debeatis. Propterea per hanc chartulam traditionis, sive per festucam atque per andelangum, donamus, tradimus vobis, sicut diximus, de omni re proprietatis nostræ, quidquid ad præsens possidere visi sumus: id est, tam in terris, quam in sylvis, campis, pratis, pascuis, vineis, mancipiis, peculiis, pecoribus, omnia & ex omnibus, ut ipsam hereditatem, sicut diximus, æqualiter contra heredes nostros filios, vel filias nostras, ipsam videlicet portionem, quam pater vester ill. heredi-tare voluerit, accipere debeatis, ut ab hac die habeatis, teneatis, atque possideatis, & inter vos legitime dividere faciatis, vel quidquid exinde facere volueritis, liberam in omibus habeatis potestatem. Et si quispiam contra hanc cartulam cessionis aliquam calumniam stabilire præsumserit, vel vobis ipsam portionem per fraudem abstrahere voluerit, componat vobis dupliciter, id est, quantum eo tempore ipsa portio valuerit, & insuper inferat ad partem fisci auro uncias tant. argento libras tantas. Et hoc actu exsolvat, & insuper quod repetit, nullatenus evindicet, sed præsens Epistola hæc omni tempore firma & stabilis permaneat, stipulatione subnexa. Actum, *& reliq.*

LVI. CARTA CVM QVIS NEPOTI ALIQVID MELIORARE VOLVERIT.

DVLCISSIMO nepoti meo ill. Quidquid pater unumquemque de filiis vel nepotibus plus habere voluerit, hoc sibi secundum legis ordinem sine consortis repetitione defendat: nec præsumat aliquis contra voluntatem patris agere. Igitur ego in Dei nomine ill. dum & me iam senectus adgravat, & necessitates, ut oportet, procurare non valeam: & tu mihi in necessitatibus meis solatium præbere non desistis, & die noctuque deservire non cessas; ideo pro bonitate & respectu servitii tui, quo circa me desudas,

cedo tibi, cessumque in perpetuum esse volo, & de meo iure in tuam transfundo dominationem & potestatem, absque consortio fratrum tuorum, locum nuncupatum ill. quidquid ibidem usq; nunc tam de alode parentum, quam de reliquo adtractu visus sum tenuisse, una cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, vel reliquis quibuscunq; beneficiis, tibi (ut diximus) à die præsente volo esse concessum; ita ut ab hac die, sicut superius diximus, cum omni integritate sua habeas, teneas, possideas, vel quidquid exinde facere volueris, absque consortio fratrum tuorum, filiorum meorum, liberam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, aliquis de heredibus vel proheredibus meis, seu quælibet persona, contra hanc cessionem meam quoquo tempore venire, aut eam infringere voluerit, inferat tibi cum cogente fisco auri tant. & quod repetit, vindicare non valeat, sed præsens epistola firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum, *& reliqua*.

LVII. ALIA DE EADEM RE.

DVLCISSIMIS nepotibus meis ill. necnon & neptibus meis ill. ego in Dei nomine ill. Licet pro servitio vel benevolentia, quam circa me die noctuque exhibuistis, de rebus proprietatis meæ vobis aliquid condonare deberem, sicuti & feci. Ideoque per hanc epistolam cessionis, sive per festucam atque per andelangum, dono, trado, vobis aliquam rem meam in pago ill. in loco qui dicitur ill, id est mansos tantos cum ædificiis suprapositis, una cum terris, sylvis, campis, pratis, pascuis, communiis, necnon & mancipiis ibidem commanentibus, vel adspicientibus, omnia & ex omnibus, quidquid in ipso loco mea videtur esse possessio vel dominatio. In tali vero ratione, ut hæc omnia superius nominata à die præsente habeatis, teneatis, atque possideatis, vel quidquid exinde facere volueritis, liberam in omnibus habeatis potestatem. Et si quis deinceps, quod fieri non posse credo, si ego ipse, quod absit, aut ullus de heredibus ac proheredibus meis hanc cessionem refragare tentaverit, si se exinde non correxerit, à collegio sanctæ Dei Ecclesiæ alienus existat, & insuper inferat vobis dupliciter, id est, quantum eo tempore ipsæ res valuerint, & quod repetere videtur, nullum obtineat effectum, sed præsens hæc epistola, tam à me quam ab heredibus meis defensata, omni tempore firma & stabilis permaneat. Actum, *& reliq.*

LVIII. TRADITIO RESPECTVALIS, SIVE EPISTOLA QVALITER EXTRANEVS IN LOCVM FILIORVM ADOPTETVR.

DOMINO fratri ill. ego in Dei nomine ill. Dum igitur & peccatis meis facientibus procreationem filiorum minime habere videor, & me paupertas vel infirmitas corporis assidue opprimere videtur: ideo complacuit mihi atque convenit, ut in locum filiorum vel filiarum te adoptare deberem, quod ita & per hanc epistolam visus sum fecisse. Dono igitur tibi omnes res proprietatis meæ, quascunque de parte paterna seu de materna adqui-

adquisisse videor, id est, in pago ill. in loco nuncupato ill. hoc est mansos tantos cum ædificiis suprapositis, curtiferis, cum wadris, sylvis, terris arabilibus, campis, pratis, pascuis, adiacentiis, seu & mancipiis ibidem commanentibus, cum omni supellectili domus meæ, quidquid ibidem præsenti tempore possidere videor, in tuam transfirmo dominationem. Similiter & in alio loco, qui dicitur ill. in ipso iam dicto pago, id est, mansos tantos, cum ædificiis suprapositis, curtiferis, sylvis, campis, pratis, pascuis, communiis, & mancipiis ibidem commanentibus vel adspicientibus, id est, quantumcunque in ipso loco mea videtur esse possessio vel dominatio, totum & ad integrum, per hanc chartulam cessionis, sive per festucam atque per andelangum, de meo iure in ius & dominationem tuam perpetualiter transfirmo. In ea vero ratione, ut quamdiu advixero, victum mihi, potum, & vestimenta, & calciamenta in omnibus sufficienter procurare debeas, ut exinde mihi omnibus diebus vitæ meæ nihil deficiat: quod si hoc non feceris, ipsas res, quas tibi delegavi, ad integrum perdas. Propterea hanc epistolam tibi fieri vel firmari rogavi, ut nullo unquam tempore aliquis de heredibus meis, seu proheredibus hanc cōvenientiam inter nos factam immutare vel refragare non possit, sicut superius continetur. Ea scilicet ratione, ut quamdiu advixero meam necessitatem in omnibus procurare debeas, in cibo & potu, in vestimentis seu calciamentis: & post meum discessum ipsæ res, quas tibi tradidi, in tua dominatione permaneant, vel quidquid ibi deinceps facere volueris, liberam in omnibus habeas potestatem. Et si ullus quislibet, quod fiendum esse non credo, si aliquis de propinquis meis, vel quælibet alia persona hoc emutare vel temerare præsumserit, inferat tibi tantum, quantum ipsæ res valuerint; & insuper ad partem fisci auro uncias tant. argento libras tantas coactus exsolvat, & quod repetit, nihil evindicet, sed præsens hæc epistola adoptionis omni tempore firma & stabilis permaneat, cum stipulatione subnexa. Actum, *& reliqua.*

LIX. ALIA DE EADEM RE.

EGo in Dei nomine ill. Dum peccatis meis facientibus orbatus sum filiis meis, placuit ut te illum, una cum consensu patris tui, in civitate ill. cum curia publica & defensore, de potestate patris naturalis descendentem, & in meam potestatem venientem, in locum filiorum adoptarem; quod ita & feci: ea vero ratione, ut quamdiu advixero, victum & vestitum, tam in dorso quam in lecto, seu calciamento, mihi in omnibus sufficienter impertias & procures, & omnes res meas, quascunque habere videor, tam in manso, vinea, prato, peculio, seu reliqua suppellectili domus, salvo iure meo, diligenter excolas. Post obitum quoq; meum, sicut à me generatus fuisses, ita in omni hereditate mea per hanc epistolam adoptionis statim sis successurus, vel quidquid de supradictis rebus meis, quantascunq; moriens dereliquero, facere volueris, iure proprietario, absq; repetitione heredum meorum, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem. Quod si aliquis hoc temere emutare voluerit, inferat tibi tant. & quod repetit vindicare non valeat, sed præsens epistola omni tempore firma permaneat, *& reliqua.*

LX. DONATIO AD FILIOS NATVRALES.

GESTA lex & consuetudo exposcit, ut quæcunque persona naturales filios habuerit, & alios plures non habuerit, si eos voluerit in sua instituere hereditate, faciendi id liberam habeat potestatem. Ideoque ego ill. dum non est incognitum, quod fœminam aliquam nomine ill. bene ingenuam ad coniugium mihi sociavi. Sed talis causa vel tempora me oppresserunt, ut chartulam libelli dotis ad eam, sicut lex declarat, minime excessit facere; unde ipsi filii mei, secundum legem, natutales appellantur. Propterea volo ut prædicti filii mei in omni corpore facultatis meæ, in pago ill. in locis denominatis ill. & ill. in legitimam successionem debeatis succedere: hoc est, tam terris, mansis, una cum superpositis domibus, ædificiis, utriusque generis peculio, mancipiis tam ibidem commanentibus, quam aliunde translatis, sicut dixi, quod nostra est possessio; & quod de successione parentum, tam de alode, quam de comparato, vel de quolibet adtractu ad nos noscitur pervenisse, & quidquid à die præsente nostra est possessio vel dominatio, cum omni iure & merito, & omni re exquisita, quantum quidem moriens dereliquero, in vestram debeatis revocare potestatem & dominationem, ut faciatis exinde iure proprietario, quod volueritis, *& reliqua*, stipulatione subnexa, *& cet.*

LXI. SI ALIQVIS SERVO SVO GASINDIOVE ALIQVID CONCEDERE VOLVERIT.

IVSTISSIMIS nostris sublevantur muneribus, qui nobis fideliter & instanti famulantur officio. Ego in Dei nomine ill. fideli nostro ill. pro respectu fidei & inservitii tui, quod circa nos impendere non desistis, promptissima voluntate cedimus tibi à die præsente locellum nuncupatum ill. aut mansum ill. infra terminum villæ nostræ ill. cum omni adiacentia, ad ipsum locellum aut mansellum adspiciente, terris, domibus, mancipiis, vineis, pratello, sylvola, vel reliquis beneficiis ibidem adspicientibus: ita ut ab hoc die ipso iure proprietario (si ita convenit, aut sub reditibus terræ) in tuam revoces potestatem, & nullas functiones, aut reditus terræ, vel pascuarium, aut agrarium, aut carropera, aut quodcunque dici potest, exinde solvere nec tu nec tua posteritas, nobis nec heredibus nostris, aut cuicunque qui post nos ipsam villam possederit, non debeatis: nisi tantum, si ita vult, riga. Sed ipsam omnibus diebus vitæ tuæ, aut heredes tui emuniter debeatis possidere, vel quidquid exinde facere volueritis, liberam habeatis potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, aliquis de heredibus nostris, vel quicunq; contra hanc cessionem nostram agere, aut ipsam rem tibi auferre conatus fuerit, inferat tibi cum cogente fisco auri tantum, & hæc epistola firma permaneat, stipulatione subnexa.

LXII. CARTA HEREDITARIA.

DVLCISSIMA filia mea ill. Dum non est incognitum, sed per pŏpulū divulgatum & patefactum, quod ego ex ancilla mea nom. ill. te generavi, & ante domnum ill. Regem iactante denario secundū legem Salicā te ingenuā dimisi;

dimisi; & tu minime in hereditate mea succedere poteras. Propterea ego hanc chartulam hereditariam in te fieri & adfirmare rogavi, ut si mihi in hoc seculo superstes apparueris, de omni re mea, tam ex alode parentum meorum, quam quæ ex meo contractu mihi obvenit, in hereditate succedas, tam in terris, mansis, domibus, ædificiis, mancipiis, litis, libertis, accolabus, merito accolanarum, vineis, olicis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, in quibuscunque pagis aut territoriis, seu agris, vel omni loco, ubi quid habere videor, etiam peculio, præsidio utriusque generis sexus, auro, argento, drapalibus, mobilibus & immobilibus, quidquid dici aut nominari potest, quantumcunque meum moriens dereliquero, in omni re mea in hereditate cum germanis tuis filiis meis succedas; & æqualentia inter vos exinde dividere vel exæquare faciatis. Et quod ad partem tuam exinde recipis, quidquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut aliquis de heredibus meis, vel quislibet opposita persona, qui contra hanc chartulam hereditariam istam, quam ego inplenissima voluntate mea fieri & adfirmari rogavi, venire conatus erit, inferat tibi, una cum socio fisco, auri uncias tantas: & præsens hereditaria omni tempore firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum, *& reliqua.*

LXIII. MANDATVM.

DVLCISSIMO amico meo ill. ego ill. Rogo atque iniungo caritati tuæ, ut eas ad vicem meam, ad civitatem illam, ad illum defensorem, & illum professorem, vel curiam publicam ipsius civitatis, & hanc epistolam, qua ego filios meos ill. in totius hereditatis meæ legitima successione instituere, & legitimos filios meos, sicut in ipsius epistolæ textu continetur, conscribere volui, gestis municipalibus, uti mos & lex est (iuxta morem & consuetudinem) allegari atque firmari facias, ad persecutionem celebrandam. Quod te rogo, mihi rescribere non graveris.

LXIIII. HEREDITARIA.

IN nomine Domini anno ill. Domni nostri ill. Regis, mense ill. gesta habita apud laudabilem virum ill. defensorem, & ill. professorem, vel curiam publicam ipsius civitatis ill. ait: Quæso optime defensor, ut mihi codices publicos patere iubeatis, quia habeo, quæ gestorum allegatione cupio roborari. Memorati defensor & ordo curiæ dixerunt. Patent tibi codices publici, prosequere quod optas. Ille dixit: Amicus meus ill. mihi iniunxit per suum mandatum sollenniter roboratum, ad laudabilitatem vestram accedere ut deberem, & hanc epistolam, quam ipse, sicut textus declarat, in prædictos filios suos ill. conscripsit, pro eo quod de bene ingenua fœmina ill. ipsos generavit, sed chartulam libelli dotis ei secundum legem non adfirmavit: propter quæ iam dicti filii eius secundum legem naturales appellantur. Itaque antedicto patri eorum complacuit, ut ipsos secundum legem Romanam, in ipsa civitate, ante curiam publicam, debeat in legitima totius hereditatis suæ instituere hereditare: quod ita & fecit.

Cum igitur nec plures, nec legitimos infantes habeat, ipsos in legitima hereditate pro legitimis filiis in omnes causas recepit. Et ut prædicta epistola iuxta morem & consuetudinem gestis municipalibus allegari atque firmari debeat, suprascriptus defensor una cum suis curialibus vel subscriptionibus instituerunt, sub signaculis. Et hæc gesta, quomodo sunt cõscripta, manu eorum roborata, ei visi fuimus tradidisse, stipulatione subnexa. Actum, *& rel.*

LXV. RESCRIPTVM.

MAGNIFICO amico meo ill. ego ill. Cognita iusta iniunctione tua, ut per tuum mandatum me rogasti, ad illam civitatem, ad ill. defensorem, vel curiam publicam ipsius civitatis me accessisse, & chartulam, qua infantes tuos, quod naturales sunt, in legitimam hereditatem secundum legem instituisti, sicut in ipsa latius habetur, gestis municipalibus iuxta morem & consuetudinem allegasse atque firmasse cognoscas. Quod me rogasti rescribere vel persequi, mihi pigrum non fuit. Stipulatione subnixa.

LXVI. CARTA VT FILIÆ CVM FRATRIBVS IN PATERNA SVCCEDANT ALODE.

DVLCISSIMA filia mea ill. ego ill. Diuturna sed impia inter nos consuetudo tenetur, ut de terra paterna sorores cum fratribus portionem non habeant. Sed ego perpendens hanc impietatem, sicut mihi à Domino æqualiter donati estis filii, ita & à me sitis æqualiter diligendi, ut de rebus meis post meum discessum æqualiter gaudeatis. Ideoque per hanc epistolam te dulcissima filia mea, cum germanis tuis filiis meis ill. in omni hereditate mea æqualem & legitimam esse constituo heredem: ut tam de alode paterna, quam de comparato, vel mancipiis, aut præsidio nostro, vel quodcunque moriens reliquero, æqualentia cum filiis meis, germanis tuis, dividere vel exæquare debeas. Et in nullo penitus portionem minorem, quam ipsi, non accipias; sed omnia vel ex omnibus inter vos dividere vel exæquare æqualiter debeatis. Si quis vero, *& reliqua.*

LXVII. PACTVM INTER PARENTES DE EORVM HEREDITATE.

QVIDQVID inter propinquos de alode parentum, non iudiciaria potestate coacta, sed sponte manente caritate iusta ac debita unicuique portione terminatur, non de rebus detrimentum, sed augmentum potius potest esse censendum: & ideo necesse est inter se eorum facta scripturarum serie alligari, ne ab aliquibus in posterum valeat refragari. Ideo dum inter illum & germanum suum ill. de alode genitoris eorum ill. bonæ pacis, placuit atque convenit, ut eam inter se manente caritate dividere vel exæquare deberent, quod ita & fecerunt. Accepit itaque ill. villas nuncupatas ill. sitas ibi, cum mancipiis tant. ill. De præsidio vero drappos, fabricaturas, vel omne suppellectile domus, quidquid dici aut nominari potest, æqualentia inter se visi sunt divisisse vel exæquasse, & hoc invicem pars

pars parti tradidisse, & per festucam omne partitum esse dixisse. Propterea præsentes epistolas duas uno tenore scriptas loco pactionis inter se visi sunt conscripsisse, ut nullus deinceps contra pares suos, nisi quod ad præsens accepit, de ipsa alode genitoris eorum amplius requirendi pontificium habere non debeat. Quod si aliquando aliquis ex ipsis, aut heredes eorum, hoc immutare, aut amplius requirere, quam acceperit, voluerit, aut adsumere, inferat pari suo, ista tota servanti, auri lib. tant. argenti pondo tant. & quod repetit, vindicare non valeat, sed præsens pactio omni tempore firma permaneat, stipulatione subnexa.

LXVIII. ITEM ALIO MODO.

CARITATIS studio & dilectionis affectu inter propinquos decet, ut quidquid de rebus eorum inter se diviserint, scripturarum serie alligetur. Romana namque lege ordinante, ut quicunque in ætate perfecta pactionem & definitionem per scripturam fecerit, & hoc quod fecit implere neglexerit, aut contra eam ire præsumpserit, infamis vocetur, & ipsam causam agere non permittatur, atq; pœnam statutam cogatur exsolvere. Igitur placuit atq; convenit inter ill. & germanum suum ill. ut hereditatem paternam atque maternam inter se dividere vel exæquare deberent, quod ita & fecerunt. Accepit itaq; ille in portione sua villas nuncupatas ill. sitas in pago ill. cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, *& cetera quæ sequuntur.* Similiter econtra accepit ill. in compensationem portionis suæ, villas nuncupatas ill. sitas in pago ill. cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, *& cetera quæ sequuntur.* Hæc quidem omnia unanimiter consentientes pars pari tradidisse vel consignasse cognoscitur, ita ut quidquid post hunc diem unusquisque de hoc, quod accepit, facere voluerit, absque ullius receptionibus liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem. Et si aliquis ex nobis, aut heredes nostri, contra has epistolas aliquid agere vel refragari præsumpserit, eius repetitio nullum obtineat effectum, & insuper cui litem intulerit, solidos tantos componat, & præsens pactio vel definitio, cum stipulatione subnexa, firma permaneat.

LXIX. ITEM ALIA ÆQVALENTIA, VEL PACTVM.

AVXILIANTE Domino nostro Iesu Christo placuit atque convenit, inter ill. & germanum suum ill. de alode, quæ fuit genitoris ill. ut inter se æqualentia dividere vel exæquare deberent, quod ita & fecerunt. Accepit igitur ill. de parte sua mansum, in pago ill. in loco qui dicitur ill. cum omni desuper posito, seu vineis, olicis, campis, totum & ad integrum, rem inexquisitam. Econtra ad vicem accepit ille de parte sua mansum in pago ill. in loco qui dicitur ill. ubi accola commanet, id est, tam de mansis, seu & vineis, olicis, totum & ad integrum, rem inexquisitam. Etiam aurum, argentum, drapalia, æramenta, peculium, præsidium utriusque sexus, mobile & immobile, inter se æqualentia visi fuerunt devisisse, & pars contra pari suo in vicem tradiderunt, & per eorum festu-

cam pars contra pari suo se exinde exitum fecerunt, ita ut ab hodierno die unusquisque quod accepit habeat, teneat, atque possideat, vel quidquid exinde facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut aliquis de heredibus nostris, vel quælibet opposita persona, contra hanc epistolam loco pactionis venire conatus fuerit, inferat pars pari suo, cui litem intulerit, ista tota servanti, una cum socio fisco, auri uncias tantas, & præsens epistola omni tempore firma permaneat.

LXX. ALIVD PACTVM DIVISIONIS INTER FRATRES.

PACTVM divisionis inter fratres, id sunt ill. & ill. heredes illius, & ill. quondam, qualiter inter se alodem eorum dividere vel exæquare deberent; quod ita & fecerunt. Per quod accepit vir magnificus ill. mansos ill. in loco nuncupato ill. qui est in pago ill. hoc est, ipsum mansum circumcinctum, cum arboribus & castitiis superpositis, terris arabilibus, *& reliq.* Simili modo vir magnificus ill. accepit ad opus suum alios mansos, in loco nuncupato ill. qui est in pago ill. in centena illa, hoc est, quod superius diximus mansos circumcinctos cum arboribus & castitia superposita, terris arabilibus, *& reliq.* vel quidquid pars contra pari suo per æqualentiam inter se diviserunt absq; ulla repetitione, vel reclamatione, hoc habeant, teneant, possideant, vel quidquid exinde facere voluerint, libera in omnibus Christo propitio in sua permaneat potestate ad faciendum. Si quis vero, *& reliqua.*

LXXI. QVALITER IN VNO VOLVMINE VIRI ET VXORIS TESTAMENTVM CONDATVR.

REGNANTE in perpetuo Domino nostro Iesu Christo, loco ill. anno ill. regnante illo Rege, sub die illa ego ill. & coniux mea ill. sana mente, integroque consilio, metuentes casus humanæ fragilitatis, testamentum nostrum condidimus, quod illi notario scribendum commisimus, ut quando dies legitimus post transitum nostrum advenerit, recognitis sigillis, inciso lino, ut Romanæ legis decrevit auctoritas, per inlustres viros illos, quos in hac pagina testamenti nostri legatarios instituimus, gestis Reipublicæ municipalibus titulis eorum prosecutione ab ipsis muniatur. Igitur cum iubente Domino de istius vitæ cursu migraverimus, tunc quidquid in omnibus, pridie quam moriamur, tenere videmur, quidquid & de proprietate parentum, vel proprio labore, seu & munificentia à piis Principibus percipere meruimus, vel de quibuslibet titulis atque contractibus venditionis, cessionis, donationis, vel undecunque Domino adiuvante ad nostram pervenit dominationem, tunc tu dulcissima coniux mea illa, heredes quoque meos quos esse volo, hereditatem meam habetote: reliqui vero heredes exheredes sunto. Excepto quod unicuique per hoc testamentum dedero, darique iussero, id ut fiat, detur, præstetur, impleatur, te omnipotens Deus testem committo. Villas vero illas, sitas in pago ill. filius noster ill. recipiat: similiter

similiter villas ill. sitas in pago illo, filius meus vel filia ill. recipiat: villas illas basilica ill. vel monasteria sita ibi recipiant. Id ut fiat, detur, præstetur, impleatur, te omnipotens Deus ad defensandum committo: licet de omnibus dum advivimus, nostrum reservamus usum. Sed dum villas aliquas, quas superius memoravimus, ad loca sanctorum heredibus nostris deputavimus, quod pariter stante coniugio adquisivimus, prædicta coniux nostra tertiam inde habere potuerat, propter ipsam tertiam, villas nuncupatas ill. sitas in pago ill. in integritate, si nobis superstes fuerit, in compensatione recipiat, & quidquid exinde pro communi mercede vel in pauperes, vel in benemeritos nostros facere decreverit, licentiam habeat, vel post eius discessum, si aliquid in testamento remanserit, heredes nostri recipiant. Libertos libertasque, quos quasque pro animæ remedio fecimus, aut inantea facere voluerimus, & eis epistolas manu nostra firmatas dederimus, obsequium filiorum nostrorum habere cognoscant, & oblata vel luminaria, iuxta quod ipsæ epistolæ continent, ad sepulchra nostra tam ipsi, quam proles eorum, implere studeant. Et quibus aliquid de facultate nostra contulimus, singulariter in hoc testamentum nostrum inserere curavimus. In reliquo vero qualescunque à quocunque epistolæ de nomine nostro, manu nostra firmatæ, ostensæ fuerint, & ante hoc testamentum prænotatæ, quas hic non commemoravimus, exceptò de ingenuitatibus, quas pro animæ nostræ remedio fecimus, aut adhuc facere voluerimus, vacuæ permaneant. Et qui ex nobis pari suo superstes fuerit, & per qualecunque instrumentum de suprascripta facultate, in cuiuslibet persona vel benemeritis nostris, muneris aliquid contulerimus, in quantum lex permittit, firma stabilitate debeat perdurare: reliquæ vero epistolæ vacuæ & inanes permaneant. Et sic nobis pariter convenit, si tu mihi dulcissima coniux superstes fueris, & ad alium maritum, quod tibi Deus non permittat, transire volueris, omnem facultatem meam, quam ad usumfructum tibi possidere concessimus, vel quod à die præsente deputavimus, & habere potueras, hoc præsentaliter heredes nostri recipiant inter se dividendum. Itemque ego ill. ancilla tua, Domine & iugalis meus ill. in hoc testamentum promptissima voluntate scribere, ad perpetuam conservationem rogavi, ut si tu Domine & iugalis meus mihi superstes fueris, omni corpore facultatis meæ, quantumcunque ex successione parentum habere videor, vel in tuo servitio pariter laboravimus, & quod in tertia mea accepi, in integrum, quidquid exinde facere elegeris, aut pro animæ remedio in pauperes dispensare, aut ad vassos nostros, vel benemeritos nostros, absque repetitione heredum meorum, quod tua decrevit voluntas, faciendi liberam habeas potestatem: & post discessum vestrum, quod non fuerit dispensatum, ad legitimos nostros revertatur heredes. Hanc paginam testamenti, & manus nostræ propriæ subscriptionibus, quod ex consuetudine habuimus, & per personas reliquas studuimus subscriptionibus roborari. Et ut hæc pagina huius testamenti in disceptationem venire non possit, si quæ lituræ, charaxaturæ, adiectiones, superductionesve factæ sunt, nos eas fecimus, vel facere iussimus, dum testamentum nostrum sæpius recurrimus vel emendavimus. Si quis nostræ vo-

luntati resistere, aut testamentum nostrum cuiuslibet calliditas conata fuerit casu aliquo refragari, id implorantes divini nominis maiestatem obtestamur, ut pro nostrorum omnium criminum ac peccatorum noxiis, in die iudicii teneatur expers Ecclesiæ catholicæ communionis & pacis, & ante tribunal Christi pro violata defuncti voluntate compellatur subire rationem: atque in eum Dominus suam ultionem, quam promisit iniustis, cum venerit seculum iudicare per ignem feriat, ut accipiat in conspectu eius damnationem perpetuam, quam suscepit Iudas traditor Domini. Illud namque intimare volumus, ut si aliquis de heredibus vel proheredibus nostris, seu quælibet persona, contra hanc testamenti paginam, quam plena & integra voluntate fieri rogavimus, venire aut aliquid pulsare voluerit, inferat illi contra quem repetit, tantum, & aliud tantum, quantum in hoc testamento continetur scriptum, & insuper sociato fisco auri lib. tant. argenti tantas, & quod repetit vindicare non valeat.

LXXII. ALIO MODO QVALITER TESTAMENTVM QVIS FACIAT.

REGNANTE in perpetuo Domino nostro Iesu Christo, anno ill. illius Regis, sub die illius mensis, feria illa, indictione ill. Ego ill. filius illius, sana mente integroque consilio, metuens casus humanæ fragilitatis, testamentum meum condidi, quod illi N. scribendum commisi, ut quando dies legitimus post transitum meum advenerit, recognitis sigillis, inciso lino, ut legis decrevit autoritas, per inlustrem virum illum, quem in hac pagina testamenti mei legatarium institui, gestis Reipublicæ municipalibus titulis eius persecutione ab ipsis muniatur, & in archiis basilicæ sancti ill. conservetur. Et quidquid unumquemque de rebus meis propriis habere decrevi, singulariter in hoc testamentum meum inserere curavi. In reliquo vero qualescunque aut quæcunque epistolæ, aut testamenta, aut conscriptiones, de nomine meo, manu mea firmatæ, ostensæ fuerint, & ante hoc testamentum prænotatæ, quas hic non commemoravero, excepto de ingenuitatibus, quas pro animæ meæ remedio feci, aut adhuc facere volo, vacuæ permaneant. Et quod unicuique per hoc testamentum dedero, dariq; iussero, id ut fiat, detur, præstetur, impleatur, te omnipotens Deus, testem committo. Quapropter non habetur incognitum, qualia dispensante Deo ad loca sanctorum illorum de rebus meis propriis delegavi in perpetuum ad possidendum: dedi quoque ad basilicam illam portiones meas ill. & quod in locis dinominatis habere videor, id totum & ad integrum ad basilicam superius nominatam proficiat in augmentum. Illas vero cessiones, quas ad libertos meos ill. ad ingenuitates eorum confirmandas fecimus, id sunt ill. & ill. quando illos pro animæ nostræ remedio ingenuos dimisimus, dum advivunt, habeant, & post eorum decessum cum omni suprapositio ad iam dictam Ecclesiam sancti illius, ubi eius patrocinium & defensionem constitui, revertantur. Volumus enim ut ingenuos, quos modo aut inantea fecimus, quanticunq; in ipsis locis manent, quæ ad sanctam Ecclesiam deligavimus, inspecta eorum libertate, super ipsas terras pro ingenuis commaneant,

neant, & aliubi commanendi nullam habeant potestatem: sed ad ipsa loca sancta debeant spectare. Et nullus de ipsis lidemonia ad meos heredes ullatenus reddat. Et hoc quod aliquibus ex eis per cartas dedimus, nullatenus aliubi nec vendere nec alienare habeant licentiam. Similiter donavimus, donatumque in perpetuum esse volumus ad monasterium illud, ubi venerabilis Abba ill. præesse videtur, villas illas in pago ill. cum omnibus adiacentiis vel appendiciis earum, quantumcunque ibidem tenere vel possidere videmur, & quolibet adtractu ad nos pervenit, aut legibus pervenire debet, totum & ad integrum cum omni superposito à die præsenti, in honorem sancti ill. ubi Abba ill. tradimus ad possidendum, cum dominibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, libertis, tam ibidem oriundis, quam aliunde translatis, vel ibidem commanentibus: vineis, sylvis, campis, terris, cultis & incultis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, cum exitu & regressu, omni genere pecudum, tam maiore quam minore, mobilibus & immobilibus, omni re inexquisita, tam auro, quam argento, vel reliquis fabricaturis, tam ministeriis Ecclesiæ, vel strumentis chartarum, libris vel vestimentis Ecclesiæ, vel omni præsidio, quod vivens legibus possidere videor, & mihi debetur. Et quidquid dici vel nominari potest, totum & ad integrum ad iam dictum monasterium sancti illius proficiat in augmentum, inspecto illo strumento, quod antea ad iam dictum monasterium fecimus. Præter ista omnia reservavimus in Falcidia heredibus nostris villas ill. in pago ill. in ea ratione, ut facta mea in omnibus studeant conservare atque defendere. Quod si hoc facere neglexerint, quidquid eis deputavimus, perdant, & de omni corpore facultatis meæ penitus reddantur extranei. Et si aliquid comparavero, aut ex parentibus meis mihi obvenerit, vel adtraxero, vel quolibet ingenio ad me pervenerit, quod in isto testamento supra non commemoravimus, post meum discessum casa sancti illius per rectores suos recipiat perpetualiter ad possidendum. Per præsens testamentum basilicam sancti ill. heredem meum instituo, & quidquid unicuique deputavi, fidei tuæ committo. Quia hoc quod tibi deputavi, malo te habere, quam me: te magis, quam ceteros heredes ac proheredes meos. Si quis vero, quod futurum esse non credo, sive aliquis heredum ac proheredum meorum, vel quislibet opposita persona, præsens testamētum meum infringere conatus fuerit, vel tentare præsumpserit, inprimis, usque dum ad veram emendationem proinde corrigatur, Deum & sanctos suos habeat contrarios, & à liminibus Ecclesiæ efficiatur extraneus, & insuper ei quem pulsaverit, una cum socio fisco auri libras tant. coactus exsolvat, & nihilominus præsens pagina firma permaneat, quam manu mea propria subter firmavi, & bonorum hominum signis vel allegationibus roborandam decrevi, stipulatione subnexa. Actum, *& reliqua*.

LXXIII. GESTA IVXTA CONSVETVDINEM ROMANORVM, QVALITER TESTAMENTA ALLEGENTVR.

ANNO ill. regnante Rege ill. sub die ill. in civitate ill. adstante viro illo laudabili defensore, & omni curia publica, vir magnificus ille prosecutor

dixit. Peto, optime defensor vosque laudabiles curiales atque municipes, ut mihi codices publicos patere iubeatis; quædam enim in manibus habeo, quæ gestorum cupio allegatione roborari. Defensor & curiales dixerunt. Patent tibi codices publici, prosequere quæ optas. Vir magnificus prosecutor ille dixit. Inluster vir ille per chartam mandati sui mihi iniunxit, ut donationem illam, quam de rebus suis propriis, de locis nuncupatis ill. sitis in pago ill. partibus illius per suum testamentum confirmavit, in vicem suam, ut mos est, gestis municipalibus allegarem. Vir honestus defensor illi dixit. Mandatum quod in te conscriptum habere dicis, nobis ostende, ut in præsenti recitetur. TEXTVS MANDATI. Domino magnifico fratri ill. Peto & supplico, atque tuæ caritati iniungo, ut in vicem meam civitatem illam adeas, & donationem illam, quam ego partibus illius de locis nostris nuncupatis ill. sitis in pago ill. per meum legitimum instrumentum confirmavi, prosequi, & gestis municipalibus coram curia publica & defensore facias allegari. Propterea tibi hoc mandatum conscripsimus, ut sicut superius continetur, taliter prosequi & firmare debeas. Et quidquid exinde egeris gesserisve, ratum & definitum apud nos in omnibus esse cognoscas. Factum ibi, anno ill. *& reliq.* Post recitationem mandati, vir honestus ill. defensor dixit. Mandatum quidem recitatum est, sed suprascriptum testamentum, quod præ manibus habere dicis, amanuensis accipiat, & nobis præsentibus recitetur, & ut postulas gestis publicis firmetur. Qui statim accipiens, per ordinem illud recitavit. Post recitationem vero ille persecutor dixit. Quia petitiones meas laudabilitas vestra per ordinem implere dignata est, rogo ut publica monumenta suscipiat. Vir laudabilis ille defensor, & curiales dixerunt. Testamentum quod recitatum est, gestis publicis inseratur, & quod ille persecutor velit & petit, gesta ei publice dentur. Ille persecutor dixit. Sufficit mihi bone defensor, si testamenti quod recitatum est, mihi gesta (ut mos est) tradere iubeatis. Defensor & ordo curiæ dixerunt. Quia testamentum & mandatum inde conscriptum, per ordinem conditum, & bonorum hominum manibus roboratum atque signatum manifeste cognovimus, æquum est ut gesta ex hoc conscripta, & à nobis subscripta, tibi ex more tradantur, & in archiis publicis serventur, ut facilius, quod superius insertum est, diuturno tempore maneat inconvulsum. Edatur ordine & mandatum & totus testamenti textus, & postea defensor & curiales civium & reliqui subscribant atque signent.

LXXIIII. EPISTOLA QVALITER PVPILLI RECIPIANTVR.

LEX Romana constringit, ut qui tutores noluerint esse parvulorum, si forte cesserit luctuosa hereditas, in ea ipsi habeantur extranei. Propterea ego in Dei nomine ill. iudex provinciæ ill. dum & omnibus habetur percognitum, qualiter parentes istius orphanuli, nomine ill. ab hac luce discesserunt, & testamentarium tutorem ei non dimiserunt, & minime suas procurare potest necessitates. Ideo una cum consensu primatum civitatis convenit nobis, ut istum patruo suo una cum omnibus bonis suis facto ac con-

scripto

scripto rerum inventario, sub officio tutoris commendare deberemus; quod ita & fecimus. Ea vero ratione, ut per nullam occasionem supradicti pupilli hereditas, quidquid in pago ill. in villa nuncupata ill. videtur habere, non minuetur; sed ipsas res vel mancipia, atque omnem suam substantiam diligenter excolat, & ipsum pupillum exinde nutrire vel ministrare faciat. Et si Deo propitio in perfectam venerit ætatem, omnia ei secundum legis ordinem cum integritate servata reddantur. Vnde convenit nobis, ut duas epistolas uno tenore exinde conscribere vel adfirmare deberemus: quod ita & fecimus. Vnam quidem iam dictus patruus suus secum retineat, alteram vero aliquis homo nomine ill. de manu nostra, vel iam dictus pupillus suscipiat, ut futuris temporibus Deo auxiliante sub testificatione bonorum virorum, qui subter tenentur inserti, per ipsam cum omni integritate omnia sua exigere debeat.

LXXV. LIBELLVS DOTIS.

DVLCISSIMA atque amantissima sponsa mea nomine ill. ego in Dei nomine ill. Igitur dum taliter parentibus nostris utriusq; partis complacuit atque convenit, ut ego te solido & denario, secundum legem Salicam, sponsare deberem; quod ita & feci. Similiter complacuit nobis atq; convenit, ut de rebus proprietatis meæ tibi aliquid in dotis titulum condonare deberem: quod ita & feci. Idcirco per hanc chartulam libelli dotis, sive per festucam atque per andelangum dono tibi, & donatum in perpetuo esse volo, id est in pago illo, in loco nuncupato ill. super fluvio ill. hoc est mansos tantos, cum hominibus ibidem commanentibus vel adspicientibus, his nominibus ill. vel ill. cum terris, tam cultis quam & incultis, sylvis, pratis, campis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, præsidiis, peculiis, pecoribus, vineis, farinariis, vel quidquid in ipso loco mea videtur esse possessio vel dominatio, rem inexquisitam, totum & ad integrum sicut superius dixi, dono, trado atque transfirmo. Insuper etiam dono tibi in pecoribus, id est, inter boves & vaccas, inter porcos & verveces capita tanta, in fabricaturis, id est, in auro vel argento sol. tantos. In ea vero ratione, ut hæc omnia superius nominata, quandoquidem dies nuptiarum evenerit, & nos Deus coniunxerit, tu dulcissima sponsa mea, nomine ill. ab ipso die hoc habeas, teneas, atque possideas, vel quidquid exinde facere volueris, liberam ac firmissimam in omnibus habeas potestatem. Et si quis deinceps contra hanc chartulam libelli dotis, quod fiendum esse non credo, venire, aut eam temerare præsumserit, si se exinde non correxerit, illum qui ab initio masculum & fœminam condidit, contra se ultorem sentiat, & insuper auro uncias tantas, argento libras tantas coactus exsolvat, & quod repetit nullatenus evindicare prævaleat, sed præsens hæc epistola tam à me quam ab heredibus meis defensata, omni tempore firma & stabilis permaneat, stipulatione interposita.

LXXVI. ALIVS LIBELLVS DOTIS.

QVOD bonum, faustum, felix, prosperumque eveniat desponsandis maritandisque ordinibus, ac procreationi liberorum; quorum causa quæ

fiunt, necesse est ut omnia, etiam donatio, per scripturarum seriem, pleniorem obtineant firmitatem. Donat igitur ill. honestæ puellæ ac nurui suæ ill. sponsæ filii sui ill. ante diem nuptiarum, donantisque animo transfert atque transcribit, hoc est, in tanto dono villam nuncupatam ill. sitam ibi, cum domo condigna ad habitandum, vel omni integritate ibidem adspiciente. Similiter in dotis titulum alias villas nuncupatas ill. sitas ibi; mancipia tanta ill. & ill. item auri & argenti fabricaturas in solid. tant. caballos tantos, boves tantos, gregem equarum, gregem armentorum, gregem porcorum, gregem ovium; ita ut hæc omnia per manum suam ad suprascriptam puellam nurum suam ill. ante diem nuptiarum debeant pervenire, & in suam dominationem revocare, vel quidquid exinde facere voluerit, liberam habeat potestatem. Quod si quis contra hunc libellum dotis venire, & eum infringere conatus fuerit, inferat partibus ill. tant. *& reliqua.*

LXXVII. ALIO MODO.

QVOD bonum, felix, faustumque, *& reliqua.* Dono itaque ego ill. honestæ puellæ sponsæ meæ nomine ill. quam si Christo placuerit, in coniugium desidero sociare uxorem, donatumque in perpetuum esse volo, & de iure meo in ius & dominationem ipsius puellæ transscribo atque transfundo rem proprietatis meæ in pago ill. in loco qui dicitur ill. tam mansis, domibus, ædificiis, totum & ad integrum, rem inexquisitam, mancipia tanta his nominibus ill. & ill. seu caballos tantos, boves tantos, vaccas cum vitulis tantas, ovium capita tanta, sodis capita tanta, lacturios cõdignos ac lectos tantos. De fabricaturis vera auro, argento in solid. tant. de utensilibus tam æreis, quam ferreis, seu & lineis, quidquid in domo rationabiliter convenit. Omnia superius nominata, cum dies felicissimus nuptialis advenerit, dulcissima sponsa mea ill. habeas, teneas, atque possideas, vel quidquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse aut ullus de heredibus meis, vel quælibet opposita persona, contra hunc libellum dotis venire conatus erit, inferat tibi una cum socio fisco auri uncias tantas, & præsens libellus dotis firmus permaneat.

LXXVIII. ALIO MODO.

LEx & consuetudo exposcit, ut quidquid inter sponsum & sponsam de futuris nuptiis fuerit definitum, vel largitum, aut ex consensu parentum, vel ipsorum si sui iuris sunt, scripturarum solemnitate firmetur. Idcirco ego ill. dum multis habetur percognitum, quod te ill. una cum consensu parentum vel amicorum nostrorum tua spontanea voluntate sponsavi, mihi complacuit, ut aliquid de rebus meis per hunc titulum libelli dotis ante diem nuptiarum tibi confirmare deberem: quod ita & feci. Ergo dono tibi, donatumque esse volo locellum proprietatis meæ nuncupatum ill. situm in pago ill. cum terris, *& reliqua*, totum & ad integrum, sicut à me præsente tempore videtur esse possessus: & in fabricaturis aurum tantum, argentum tantum, vestimenta, *& reliq.* Hæc omnia, sicut iam superius dictum est, per

hunc

hunc titulum libelli dotis, cum dies nuptiarum advenerit, tibi sum impleturus vel traditurus: ita ut dum advixeris, secundum legis ordinem teneas atque possideas, nostrisque qui ex nobis procreati fuerint, filiis derelinquas. Si quis vero aut ego ipse, aut ullus quislibet persona fuerit, qui contra hanc donationem aliquid agere, vel calumniam generare præsumserit, illud quod repetit, non vindicet, & insuper cui litem intulerit sol. c. componat. Et hæc donatio meis vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione subnexa, firma permaneat.

LXXIX. CONSTITVTIO DOTIS.

CVM constet fœcunditatem humanæ prolis à protoplasto domino præcipiente crevisse, *Crescite*, inquiente, *& multiplicamini*; atque ob adiutorium mulier de latere sumpta sit viri, dicente Domino, *faciamus ei adiutorium simile sibi*: &, *idcirco relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*; & ut certius humana fragilitas possit dignoscere bonum, atque à Deo constitutum esse coniugium, ipse autor redemptionis Christus Dei filius invitatus ad nuptas venit, ibique aquas in vinum mirabile convertit. Ideoque ego in Dei nomine Gaufridus, præcedentium patrum vestigia sequens, una cum consensu virorum illustrium propinquorum meorum, visum est mihi legibus copulare legitimum coniugium ad procreationem filiorum, atque in dotis titulum dare sponsæ meæ nomine Hisdemei, filiæ quondam Wtardi atque Osbrenæ: decrevi in præsentia virorum nobilium agere, studuiq; ut eius temporibus incõvulsum permanere queat, quod ita & feci. Ergo dono tibi, donatumque secundum legem Salicam in tua dote à die præsenti iure legitimo in perpetuum esse volo, & de meo in tuum ius & dominationem trado atque transcribo, hoc est, mansum iuris mei indominicatum, cum aliis quatuor mansis servilibus, seu adspicientibus simul curtiferis, vineis arpennorum quatuor, sylvis viridigariis, pratis, campis, cultis vel incultis, pascuis, perviis, exitibus, & regressibus, & reliquis adiacentiis, mobilibus & immobilibus, cum mancipiis utriusque sexus, quorum hæc sunt nomina. Giofredus & uxor sua donavit eam infantibus Geroldo & Abdone, necnon & Poppa. Magewardus & uxor eius Adalburgis cum filio suo nomine Burando, Isembertus, Aimbertus, Petitus, Vltegerius, Alboinus, Olfardus, Lanceri & uxor sua Sicberta, Airmannus, & coniux eius Adalburgis, & filia eorum Ingeltrudis, Cathindes, Megewardus, Pucellita, & Albutius. Qui præscriptus mansus cum omnibus appendiciis, est in pago Carnotense, in vicaria Ganegiacense, in loco qui dicitur Sicheri villa. Hæc omnia superius compræhensa die præsenti tibi sum daturus, vel traditurus, totum & inexquisitum, ut quidquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Dono etiam tibi in præfixo pago, vel in eadem vicaria, in loco qui dicitur Bonervilla, omnem medietatem, tam ex mancipiis quam ex alode, quam ibi videor habere: hoc est, mansum unum, cui adspiciunt mansi serviles quatuor cum mancipiis, quorum hæc sunt nomina, Galastus, Ergarius, Pascarius, Marlinus, Polita, & Amelberga, vineis arpennorum quatuor,

pratis, sylvis, aquis, aquarumve decursibus, terris cultis & incultis, exitibus & regressibus, vel quidquid ibi adspicit, omnem medietatem, tam in terris quam in mancipiis, id est, mansum unum, cum mansis quatuor ibi adspicientibus, cum pratis arpennorum duorum, & medietatem Ecclesiæ Dei.

LXXX. TRADITIO AD SPONSAM.

DVM multis habetur percognitum, qualiter ego ill. puellam aliquam nomine ill. una cum consensu parentum vel amicorum nostrorum legibus sponsavi, & aliquid de rebus meis ei donare ante diem nuptiarum disposui. Ideo placuit mihi, ut de ipsis rebus misso ipsius puellæ, nomine ill. traditionem vel introductionem locorum, secundum legem Romanam facere deberem. Quod ita & feci. Ergo trado ei, & tradidisse me constat, locellum proprietatis meæ, nuncupatum ill. situm in pago ill. cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, *& cetera quæ sequuntur*, aurum, argentum, vestimenta. Hæc omnia superius iam dicta, tibi ill. ad vicem sponsæ meæ trado, ita ut tempore nuptiarum in iam dictæ sponsæ meæ veniant potestatem, ita ut secundum legis ordinem teneat atq; possideat. Et si contra hanc traditionem aliquis refragare voluerit, partibus ipsius puellæ sol. tant. componat, & hæc traditio firma permaneat.

LXXXI. SI QVANDO MASCVLVS ET FOEMINA IN RAPTVM CONSENSERINT, ET INFRA QVINQVENNIVM LITIGETVR.

NOTITIA sub quorum præsentia ibi, veniens ill. ante illum vel eos, qui subter tenentur inserti, accusabat aliquem hominem nomine ill. eo quod aliquam fœminam, nomine ill. iam anno expleto sine definitione parentum, vel sine clamore aut vociferatione eam violenter rapuisset, atque in coniugium sibi malo ordine contra legem & iustitiam sociasset. Qui iam dictus ill. & præfata ill. hoc denegare non potuerunt, sed in omnibus taliter fuerunt professi, quod ambo pariter consentientes, sic ab eisdem perpetratum fuerat. Tunc ipsi viri, qui ibidem aderant, tale dederunt iudicium, ut secundum legem Romanam pro hac culpa ambo pariter vitæ periculum incurrissent, vel sententiam mortis ob hoc scelus cœpissent. Sed intervenientibus bonis hominibus taliter eis convenit, ut iam dicti homines pro redemptione vitæ eorum, wadios suos iam dicto ill. unusquisque per solidos tantos dare deberent: quod ita & fecerunt. Et hoc placitum institutum, quod evenit tunc, tempore ill. debeant desolvere: unde & fideiussorem pro ipsis solidis aliquem hominem nomine ill. obligaverunt. Propterea necesse fuit ipsis, ut hanc notitiam exinde accipere deberent: quod ita & fecerunt: ut si necessitas evenerit, omnibus sit manifestum, qualiter supradicti homines infra quinquennium ab hoc scelere convicti, vel comprobati apparuerunt.

LXXXII. CARTA COMPOSITIONIS SI ALIQVIS PVELLAM INVITAM TRAXERIT.

DVLCISSIMÆ atque amantissimæ coniugi meæ nom. ill. ego ill. maritus tuus. Licet ergo ut ego rapto scelere absq; voluntate parentum tuorum te mihi

te mihi in coniugium visus sum sociasse, unde vitæ periculum incurrere potui, nisi intervenissent sacerdotes, vel reliquæ plures illustres personæ, qui nos ad pacis concordiam vel unanimitatem visi sunt revocasse: qua de re convenit nobis, ut de rebus proprietatis meæ tibi aliquid donationis causa condonare deberem, quod ita & feci. Ideoque per hanc epistolam compositionis, sive per festucam & andelangum dono tibi, & donatum in perpetuo esse volo, id est aliquam portiunculam meam in pago ill. in loco nuncupato ill. super fluvio ill. hoc est, mansos tantos cum hominibus ibidem commanentibus vel adspicientibus, utriusque sexus, cum terris arabilibus, sylvis, campis, pratis, cum inviis, perviis, omnia & ex omnibus, quidquid in ipso loco possidere præsenti tempore visus sum, totum & ad integrum, tibi per hanc chartulam compositionis dono, trado, atque transfirmo. Similiter dono tibi in auro vel argento, solidos francos tant. In tali vero tenore, ut hæc omnia superius nominata à die præsente habeas, teneas, atque possideas, posterisque nostris ad possidendum relinquas, vel quidquid exinde facere volueris, liberam in omnibus habeas potestatem. Et si aliquis contra hanc epistolam compositionis venire, aut eam irritam facere voluerit, inferat tibi tantum, & aliud tantum, quantum eo tempore ipsa portiuncula valuerit. Et insuper publico fisco auri uncias tantas, argenti lib. tantas, coactus exsolvat, & quod repetit, nullatenus evindicet; sed præsens hæc epistola compositionis omni tempore firma & stabilis permaneat, stipulatione subnexa. Actum, *& reliqua.*

LXXXIII. ALIA CARTA COMPOSITIONIS.

VIVENTIBVS patribus inter filios familias sine voluntate eorum matrimonia non legitime copulantur. Idcirco in Dei nomine ill. dulcissima coniux mea ill. dum te præter voluntatem parentum tuorum habui desponsatam, & absque tua vel parentum tuorum voluntate raptam scelere, meo coniugio sociavi, unde vitæ periculum incurrere debui, sed intervenientibus sacerdotibus vel bonis hominibus vitam obtinui; sic tamen, ut per hanc epistolam compositionalem (aut si convenit, cessionem) aliquid de rebus meis tibi confirmare deberem: quod ita & feci. Ideoque dono tibi locellum nuncupatum ill. situm in pago ill. cum domibus ad manendum condignis, vel omnibus intrinsecus utensilibus necessariis, cum terris, accolabus, mancipiis tant. ill. vineis, sylvis, pratis, pascuis, vel reliquis quibuscunque beneficiis, caballos tantos, boves tant. gregem equorum, gregem armentorum, gregem porcorum, gregem ovium. In auro & argento fabricaturas in sol. tant. drappos tant. Hæc omnia superius comprehensa, à die præsente in tuam tradidi potestatem & dominationem: ita ut quidquid exinde à die præsenti facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, aut ego ipse, aut. *& reliqua.*

LXXXIIII. LIBELLVS REPVDII.

CERTIS rebus & probatis causis inter maritum & uxorem repudiandi locus patet. Idcirco dum inter ill. & cõiugem suam ill. non caritas secundũ Dom.

ſed diſcordia regnat, & ob hoc pariter converſari minime poſſunt, placuit utriuſque voluntatibus, ut ſe à conſortio coniugali ſeparare deberent, quod ita & fecerunt. Propterea has epiſtolas inter ſe uno tenore conſcriptas fieri & adfirmare decreverunt, ut unuſquiſque ex ipſis, ſive ad ſervitium Dei in monaſterio, aut ad copulam matrimonii ſe ſociare voluerit, licentiam habeat, & nullam requiſitionem ex hoc de parte proximi ſui habere pertimeſcat. Si vero aliqua pars ex ipſis hoc emutare, aut contra parem ſuum repetere voluerit, inferat pari ſuo auri lib. tant. & ſua repetitio nullum obtineat effectum, ſed ut decreverunt in ea, quam elegerint, parte permaneant. Facta epiſtola ſub die ill. anno ill. regnante Rege ill.

LXXXV. CARTA AGNATIONIS, SI SERVUS INGENUAM TRAHAT.

ILLE illi fœminæ. Illud non habetur incognitum, qualiter ſervus meus nomine ill. te abſque parentum vel tua voluntate rapto ſcelere in coniugium ſociavit, & ob hoc vitæ periculum incurrere poterat. Sed intervenientibus & mediantibus amicis vel bonis hominibus, convenit inter nos, ut ſi aliqua procreatio filiorum orta fuerit inter vos, in integra ingenuitate permaneant.

ET SI VOLUNTARIA SERVUM ACCEPIT.

Dictis omnibus non habetur incognitum, qualiter ſervum meum nomine ill. voluntaria ſecuta es, & accepiſti maritum. Sed dum te ipſam & agnationem tuam in meo inclinare potueram ſervitio, propter nomen Domini & remiſſionem peccatorum meorum, præſentem epiſtolam in te mihi placuit conſcribere, ut ſi aliqua procreatio filiorum aut filiarum inter vos orta fuerit, penitus nec nos, nec heredes noſtri, nec quiſlibet perſona, ullo unquam tempore in ſervitium inclinare non debeamus: ſed in integra ingenuitate, tanquam ſi ab utriſque parentibus ingenui fuiſſent procreati vel nati, omni tempore vitæ ſuæ permaneant, peculiari conceſſo, quodcunque laborare potuerint. Et ſub integra ingenuitate ſuper terra noſtra, aut filiorum noſtrorum, abſque ullo præiudicio de ſtatu ingenuitatis eorum, commanere debeant: & reditus terræ, ut mos eſt pro ingenuis, annis ſingulis diſſolvant, & ſemper in integra ingenuitate permaneant, tam ipſi, quam & poſteritas eorum. Si quis vero, quod futurum eſſe non credimus, aut nos ipſi, aut aliquis de heredibus noſtris vel quicunque, contra hanc chartulam venire tentaverit, aut eam infringere voluerit, inferat tibi aut heredibus tuis auri libr. tant. argenti pondo tant. & quod repetit vindicare non valeat, ſed præſens chartula omni tempore firma permaneat, ſtipulatione ſubnexa. Actum ill.

LXXXVI. ALIA CARTA AGNATIONIS.

OMNIBUS non habetur incognitum, qualiter te per voluntatem tuam ſervus iuris mei nomine ill. ad coniugium ſociavit uxorem, unde te vel procreationem tuam in ſervitium inclinare potueram. Sed mihi præpatuit

voluntas

voluntas plenissima, ut talem epistolam agnationis in te fieri & adfirmare rogarem, ut si aliquæ procreationes filiorum aut filiarum ex te natæ vel procreatæ fuerint, sub integra ingenuitate cum omni peculiari eorum valeant Christo propitio permanere. Et quidquid laborare potuerint, cessum habeant, & nulli heredum ac proheredum meorum ullum impendant servitium, vel litimonium, vel patronatus obsequium, nisi soli Deo, cui omnia subiecta sunt. Testamentum etiam faciendi, & defensionem vel mundeburden Ecclesiarum, aut bonorum hominum, ubicunque eligere voluerint, licentiam habeant ad conquirendum. Si quis vero quod nec fieri credo, si ego ipse aut, *& reliqua*.

LXXXVII. CONCVLCATORIA QVAM ABBA FACIT AD HOMINEM SVVM.

EGo in Dei nomine, etsi peccator, venerabilis vir ill. Abba de monasterio sancti ill. quod est in pago ill. constructum. Dum & omnibus non est incognitum, qualiter filius noster, servus noster, nomine ill. quondam fœminam nostram nom. ill. bene ingenuam, filiam ill. quondam contra voluntatem parentum ipsius sociavit sibi ad coniugium. Sed postea complacuit nobis, ut talem epistolam conculcatoriam manu nostra vel à fratribus nostris firmatam ipsi fœminæ fieri vel firmare rogaremus, ut si de ipso servitio agnatio inter ipsos apparuerit, in servitio publico nunquam sit coinquinata, sed sub integra ingenuitate dies eorum debeant perseverare. Ideo precor atque supplico ad successores nostros, vel ad Deum timentes homines, ut hæc facta nostra iubeant conservare, qualiter ipsi vellent, ut in postmodum eorum facta debeant esse stabilia. Et pro malorum hominum infestatione multam in ipsa Epistola conculcatoria fieri vel conscribi rogavimus, ut si fuerit, quod Deus non permittat, extranea persona, qui hæc facta nostra infrangere voluerit, inprimis iram Dei & sancti ill. incurrat, & ob hoc sol. c. partibus ipsius, cui hæc facta est, coactus componat. Et qui, *& cet.*

LXXXVIII. CHARTA TRISCABINA.

EGo in Dei nomine ill, cogitans de Dei timore, vel æterna bona retributione, propterea dilecta extranea puella nomine ill. licet te servus meus nomine ill. absque voluntate parentum tuorum te ad coniugium visus fuit sociasse, unde vitæ periculum incurrere debuit, si non quam plures extraneæ personæ, vel etiam illustres viri, hac de causa sæpius intervenissent: maxime vero quia tu infra noctes XL. secundum legem Salicam, visa es reclamasse. Nunc igitur complacuit nobis atque convenit, ut talem chartulam triscabinam seu ingenuitatis ipsi servo nostro, nomine ill. fieri vel firmare rogaremus, ut nullo unquam tempore in aliquod servitium inclinari non debeas. Sed & si aliqua agnatio de ipso servo nostro ex te apparuerit, in nullum servitium nec nobis nec heredibus ac proheredibus nostris, nullatenus debeat adserviri: sed sicut diximus, tantum quantum & agnatio tua,

qui de ipso servo nostro procreati fuerint, omni tempore ingenui sint, & ingenui permaneant, tanquam si ab ingenuis parentibus fuissent procreati vel nati. Peculiare vero suum sive conlaboratum, quod præsenti tempore habere videntur, vel deinceps habere potuerint, sibi habeant concessum atq; indultum. Mundeburdem vel defensionem ubicunq; eligere voluerint, licentiam habeant eligendi. Sicut cives Romani portas apertas habeant, pergantque partem, quam voluerint ambulare. Et nulli heredum ac proheredum nostrorum tu & agnatio tua, sicut diximus, ullum deinceps reddere debeatis libertinitatis obseqnium; sed magis hæc epistola triscabina, tam à me quam ab heredibus meis defensata, omni tempore firma & stabilis permaneat, stipulatione subnexa. Actum.

LXXXIX. VT PRO NATIVITATE REGIS INGENVI RELAXENTVR.

ILle Rex viro inlustri ill. comiti. Dum & nobis divina pietas, iuxta votum fidelium & procerum nostrorum, de nativitate filii nostri ill. magnum gaudium habere concessit, ut misericordia Dei vitam eidem concedere dignetur, iubemus ut per omnes villas nostras, quæ in cuncto regno nostro aliorum domesticorum sunt actionibus, tres homines servientes in utroque sexu, in unaquaque villa, ex nostra indulgentia per vestras Epistolas ingenuos relaxare faciatis.

XC. EPISTOLA INGENVITATIS.

EGo in Dei nomine ill. domesticus, acsi indignus, gloriosi Domni ill. Regis, super villas ipsius ill. ex familia dominica ill. Dum generaliter ad omnes domesticos Regis ordinatio processit, pro nativitate domnicilli nostri ill. ut à Domino vita ei concedatur, de unaquaque villa fiscales tres homines ex servientibus, in utroque sexu, à servitio relaxare: & nos ita faciendum ob hanc ordinationem recepimus. Propterea te per hanc epistolam nostram, sicut mihi iussum est, ab omni vinculo servitutis absolvo, ita ut deinceps, tanquam si de ingenuis parentibus fuisses procreatus, vitam ducas ingenuam, & in nullo servitio: nec à nobis, nec à successoribus nostris domesticis, nec à quocunque de parte fisci, penitus in servitium inclinari non possis, sed per hanc Epistolam ingenuitatis, sicut nobis iussum est fieri, bene & integre ingenuus cunctis diebus vitæ tuæ debeas permanere. Si quis vero aliquis te de statu ingenuitatis tuæ impulsare voluerit, inferat tibi cum cogente fisco auri lib. I. & quod repetit, vindicare non valeat; sed præsens Epistola firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum ibi sub die ill. anno ill. gloriosissimo Rege.

XCI. INGENVITATES DIVERSO MODO FACTÆ.

INGENVITAS A DIE PRÆSENTE.

QVI debitum sibi nexum relaxat servitium, præmium in futuro Dominum sibi tribuere confidat. Igitur ego in Dei nomine ill. pro remedio animæ meæ vel æterna retributione, servum iuris mei nomine ill. ingenuum esse

praeci-

præcipio, & in sacrosancta Ecclesia sancti ill. sub præsentia sacerdotum ibidem consistentium ante cornua altaris ab omni vinculo servitutis absolvo: ita ut deinceps, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus vel procreatus, eam pergat partem, quam maluerit, & sicut alii cives Romani vitam ducat ingenuam. Et si aliqua procreatio filiorum ex ipso orta fuerit, similiter vivat ingenua, & nulli heredum ac proheredum meorum, aut cuicunque alii personæ quidquam debeat servitutis nec libertinitatis obsequium, nisi soli Deo, cui omnia subiecta sunt, vel pro cuius amore ipsum devotus dimitto. Peculiare quod habet, aut inantea laborare potuerit, cessum in perpetuum habeat. Patrocinium & defensionem cuiuscunque sibi elegerit, in omnibus suo perfruatur arbitrio. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si fuerit aliquis ex heredibus meis, vel quislibet persona, qui contra hanc ingenuitatem venire, aut eam infringere præsumserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra quem litem intulerit, sol. LX. componat, & præsens ingenuitas meis vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione subnexa, omni tempore maneat inconvulsa.

XCII. ITEM ALIO MODO.

QVI debitum sibi nexum relaxat servitium, mercedem in futuro Dominum sibi retribuere confidat. Igitur ego in Dei nomine ill. & coniux mea ill. pro remedio animæ nostræ, vel retributione æterna, te ill. aut ill. ex familia mea à die præsente ab omni vinculo servitutis absolvo, ita ut deinceps, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus vel natus, vitam ducas ingenuam, ac nulli heredum aut proheredum nostrorum, vel cuicunque, servitium nec libertinitatis obsequium debeas, nisi soli Deo, cui omnia subiecta sunt; peculiari concesso, quod habes, aut deinceps elaborare potueris. Et si tibi necessitas ad tuam ingenuitatem tuendam contigerit, absque ullo præiudicio ingenuitatis tuæ, defensionem Ecclesiæ, aut cuiuscunque placuerit, eligere licentiam habeas, & vitam semper bene & integre ducas ingenuam. Si quis vero, quod futurum esse, *& reliqua.*

XCIII. ITEM ALIO MODO POST DISCESSVM.

DILECTO suo ill. aut ill. Pro respectu fidei ac servitii tui, quo mihi famularis, pro remissione peccatorum meorum, te ab omni vinculo servitutis absolvo: ea tamen conditione, ut dum advixero, mihi deservias. Post obitum vero meum, si mihi superstes fueris, sis ingenuus, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus; & nulli heredum aut proheredum meorum, vel cuicunque, servitium impendas, peculiari concesso quod habes aut elaborare potueris, *& reliqua.*

XCIIII. ITEM ALIO MODO INGENVITAS.

SI aliquos ex servientibus nostris à iugo servitutis absolvimus, mercedem in futurum nobis ex hoc retribui confidimus. Igitur ego ill. propter nomen Domini & retributionem æternam, te ill. ab omni vinculo servitutis

absolvimus, ita ut ab hac die vitam ducas ingenuam, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, & nulli heredum ac proheredum meorum, vel cuicunque, servitium impendas: nisi sub integra ingenuitate defensionem, quam tu ex meis heredibus elegeris, habere debeas. Et oblata mea ubi meum requiescit corpus, vel luminaria annis singulis debeas procurare, peculiari concesso, quod habes, aut elaborare potueris, & vitam semper ducas ingenuam. Si quis vero, *& reliqua*.

XCV. ALIO MODO.

DVM omnipotens Deus nobis concedit in hoc seculo sanum corpus habere, pro salute animæ nostræ frequentius cogitare debemus, ut aliquantulum de peccatis nostris minuere mereamur. Itaque ego ill. in Dei nomine, pro animæ meæ remedio, vel pro meis peccatis minuendis, ut in futurum dominus veniam mihi præstare dignetur, servum iuris mei nomine ill. relaxavi ingenuum: ea vero ratione, ut à die præsente sit bene ingenuus, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset procreatus vel natus. Peculiare vero si aliquid habet, aut inantea Christo propitio laborare potuerit, cessum habeat, & nulli heredum ac proheredum meorum ullum impendat servitium vel litimonium, nisi soli Deo, cui omnia subiecta sunt. Testamentum etiam faciendi, & defensionem vel mundeburden Ecclesiarum, aut bonorum hominum, ubicunque se eligere voluerit, licentiam habeat ad conquirendum. Si quis vero, *& reliqua*.

XCVI. ALIO MODO.

QVI debitum sibi nexumque servum relaxat, præmium ex hoc Dominum in æterna beatitudine retribuere confidat. Quapropter in Dei nomine ill. cogitans Dei amorem vel æternam bonam retributionem, vernaculum iuris mei, nomine ill. ab omni vinculo servitutis ad præsens absolvo, ita ut ingenuus sit & ingenuus permaneat, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset procreatus vel natus. Peculiare vero suum quod babere videtur, vel deinceps elaborare potuerit, sibi habeat concessum atq; indultum. Mundeburden vel defensionem ubicunque sibi eligere potuerit, licentiam habeat eligendi. Civis Romanus portis apertis eam pergat partem, quam voluerit ambulare. Et nulli heredum ac proheredum meorum ullo unquam tempore reddat libertinitatis obsequium: sed ipse & agnatio sua inposterum semper valeant permanere bene ingenui atque securi. Et si quispiam deinceps, *& reliqua*.

XCVII. ALIA INGENVITAS.

QVONIAM sanctissimi Hludovici Imperatoris pietas, quam habet in animo, ea quærere & indagare non cessat, quæ Dei potissimum congruant voluntati, quibus quoque religionis honor & devotio magis ac magis de die in dies crescat atque proficiat, & ea quæ ad divinum cultum & officium sanctum pertinent, decoris & honestatis amplius in diebus eius,

quam

quam prius habuerunt, accipiant; & eunctis in futurum temporibus, quæ
secundum Dominum ab eodem inventa procurataque sunt, profici-
ant, & perenni stabilitate à successoribus eius & fidelibus sanctæ Dei Ec-
clesiæ, inviolabiliter in perpetuum conserventur. Memor semper quod di-
citur: *Misericordia & veritas custodiunt Regem, & iustitia firmatur thro-
nus eius.* Adeo ut verissime propemodum specialiter de eo dictum videa-
tur: *Beata terra, cuius Rex sapiens est.* Cui etiam illud non inconvenien-
ter potest aptari, quod Dominus de David perhibuit dicens: *Inveni David
secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas.* Huiusmodi ita-
que studiis Rex iste sapiens & beatus indesinenter intentus, & Domini
semper adhærens voluntati, cupiens (ut præmissum est) divinum officium
modis omnibus honestare, & eos qui Domino Deo sacrificium super altare
sanctum offerre debent, & corpus & sanguinem Dominicum precum me-
ditatione consecrare, honori habere, & ampliori gratia circumdare; statuit
ut Episcopi, & Abbates, & quicunque Ecclesiasticis possessionibus iure præ-
lati sunt, si aliquos ex familia ad presbyteratus ordinem promovere velint,
prius eos permissu ipsius libertate donent, & sic tandem ad sacerdotii gra-
dum dignissime subvehant. Igitur ego ill. minimus servorum Dei famulus,
Ecclesiæ Senonicæ Archiepiscopus, tanta serenissimi Hludovici Augusti
auctoritate, quæ Senonis in archivo Episcopii servatur, fultus, per hunc li-
bellum manumissionis, te fratrem nostrum, quem servilis conditio hacte-
nus addictum tenuit inter huius Ecclesiæ familiam, quia fratrum testimo-
nio, inter quos enutritus es, dignus ad sacerdotalem honorem suscipien-
dum prædicaris, censeo te atque statuo ante sacri altaris cornu, in conspectu
sacerdotum & cleri & populi adstantis, à præsenti die & deinceps ab omni
iugo servitutis humanæ absolutum fore, civemque Romanum appellari.
Ita ut nulli hominum pro servili conditione quidquam debeas servitii, nec
obsequii, neque etiam libertinitatis munus impendere: non mihi, non suc-
cessoribus, aut actoribus, quicunque præfuerint huic Ecclesiæ, non iudi-
ciaria præditis potestate, sed soli Deo licentiam & facultatem habeas libere
famulandi, diesque tuos vitamque ipsi dicandi; ut in ipsius & Ecclesiæ pro-
ficias honorem, & profectum plebis, pretioso sanguine Christi redemptæ.
Quatenus pro modulo tuo monitis instruas, orationibus iuves, exemplis
informes, corporis & sanguinis Dominici consecratione, propter cuius ho-
norem hanc consecutus es dignitatem, reficias. Vt sicut ab humana servi-
tute liberatus per hanc manumissionem esse cognosceris, ita per divinam
doceas diabolicæ dominationis iugum evadere, plebemque quæ tibi à
proprio Pontifice fuerit commissa, liberare. His quoque subnectere pla-
cuit, canonicis admoniti constitutionibus, ut si qua deinceps prædia
vel mancipia tui nominis titulo comparaveris, hoc observare studeas,
quod in eisdem decretum esse cognoscitur: nisi forte, quod absit, à tuo
proposito exorbitaveris, presbyteratus gradum canonico iudicio amit-
tere cogaris. Hanc ingenuitatem manu propria subscripsi, & qui subscri-
berent rogavi. Actum, *& reliqua.*

XCVIII. ALIA INGENVITAS.

SECVNDVM legem Romanam, nullatenus revocetur * sub die ill. regnante Domno nostro ill. Rege, indictione ill. vir venerabilis ill. diaconus testatus est, quia stabili sub scriptura manumittere in Ecclesia ill. vindictaque liberare famulum illum suum nomine ill. bene sibi meritum, secundum constitutionem bonæ memoriæ Constantini legis, qua sancitum est, ut omnis qui sub oculis Episcoporum presbyterorumque seu diaconorum in Ecclesia manumittitur, ad civitatem pertineat, & ab Ecclesia defensetur: & vult eum iuxta consuetudinem, cuius commemoratio supra dicta est, ad civitatem pertinere Romanam, ea tamen conditione * eat, ubique voluerit partem pergat, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus vel procreatus. Et nulli heredum aut proheredum meorum minime quidquam debeat servitutis, nec libertinitatis gratiam, nec patronatus obsequium, sed sicut dixi sub integra & legitima ingenuitate debeat permanere ingenuus atque securus, & semper ad civitatem debeat pertinere Romanam. Testamentum etiam faciendi liberam in omnibus habeat potestatem. Si qui vero, *& cet.*

XCIX. REDEMTIONALE.

DILECTISSIMO mihi bene merito ill. Omnibus non habetur incognitum, sed patefactum, quod tu quotidie in bonis partibus fideliter mihi deservire non cessas: & pro respectu servitii tui, & fidelitatis tuæ, quam circa partes meas impendere non desisti, mihi præpatuit plenissima & integra voluntas, propter nomen Domini, ut de servitio meo temet ipsum, vel omne peculiare tuum, redimere deberes, quod ita & fecisti. Dedisti mihi pro hoc, quod mihi bene complacuit, tam in argento quam in amictu, valentes sol. tantos. Propterea hanc chartulam redemtionalem in te fieri & adfirmare rogavi, ut taliter sias ingenuus, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus vel natus, cum omni peculiari tuo. Et nec mihi nec heredibus meis ullum impendas servitium, nec litimonium, nec libertaticum, nec ullum obsequium, nec patronatus gratias; sed eam pergas partem, quam volueris, liberam & firmissimam in omnibus habens potestatem. Nec ego ipse, nec ullus de heredibus meis, nec quælibet opposita persona tibi exinde ullas calumnias vel fatigationes aut repetitiones agere, vel generare aut repetere debeamus. Quod qui tentaverit, & à me vel heredibus meis defensatum non fuerit, inferamus tibi una cum socio fisco auri uncias tant. & præsens redemptionale omni tempore firmum permaneat, stipulatione subnexa. Actum, *& reliqua.*

C. EPISTOLA REGI MITTENDA, PRO LIBERTATE SERVI SVI IMPETRANDA.

DOMINO invictissimo atque glorioso Regi ill. sancta Lingonensis Ecclesia præsentem perpetuamque incessanter felicitatem devotissimis exorat precibus. Ad notitiam celsitudinis vestræ perferre nos Ecclesiastica

provocat

provocat necessitas, de promotione servi vestri nomine ill. ex loco iuris vestri nuncupato ill. de ministerio ill. vel de beneficio ill. cuius gratia eruditus, & inter nostræ parvitatis studia, scientia, vita, ac moribus pro modulo qualitatis quantitatisve instructus, iam munus clementiæ vestræ dandum, nobisque significandum eius de libertate expectantes, ad gradus Ecclesiasticos eum promovere vestræ largitatis munificentia parati sumus, mox ut statutam de eo vestram canonicamve dignitatis senserimus licentiam. Deus cœli & terræ, universæque conditionis, ad tutelam vos semper protegat Christianam, ita ut hoc ævo vestro super exaltatam in omnibus sanctæ matris Ecclesiæ sentiat causam.

CI. LIBERTAS CIVIVM ROMANORVM.

AVCTORITAS Ecclesiastica patenter admonet, insuper & maiestas Regia canonicæ religioni assensum præbet, ut quemcunque sacros ad ordines ex familia propria promovere Ecclesia quæque delegerit, in præsentia sacerdotum canonicorum, simul & nobilium laicorum, eius qui subiectus est manumissio, sub libertatis testamento solenniter roboretur. Idcirco ego in Dei nomine ill. Episcopus quendam Ecclesiæ nostræ famulum nomine ill. sacris ordinibus dignum ad altaris cornu, nobilium virorum in præsentia, civem Romanum per hoc auctoritatis testamentum statuo: ita ut ab hodierno die & tempore, bene ingenuus atque ab omni servitutis vinculo securus permaneat, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset procreatus vel natus. Eam denique pergat partem, quamcunque volens canonice elegerit, habensque portas apertas. Ita ut deinceps nec nobis, neque successoribus nostris ullum debeat noxiæ conditionis servitium, neque aliquod libertinitatis obsequium: sed omnibus diebus vitæ suæ sub certa plenissimaque ingenuitate, sicut alii cives Romani, per hunc manumissionis atque ingenuitatis titulnm bene semper ingenuus atque securus existat. Suum vero peculiare quod habet, aut quod abhinc assequi potuerit, faciat inde secundum canonicam auctoritatem, libere quidquid voluerit. Et ut hoc testamentum atque ingenuitatis auctoritas inviolabilem intervulsamq; obtineat firmitatem, manu propria firmavi. Sacerdotes quoque & canonicos, necnon & laicos nobiles præsentes similiter subter firmare rogavi.

CII. DENARIALE PRÆCEPTVM.

ILLE Rex Francorum, vir inluster. Quia fidelis noster nomine ill. veniens ante nos, vel procerum nostrorum præsentiam, iactante denario secundum legem Salicam servum suum nomine ill. dimisit ingenuum, eius quoque absolutionem præsenti auctoritate firmamus. Præcipientes enim ut sicut iam & reliqui mansuarii, qui per talem titulum in præsentia Principum noscuntur esse relaxati ingenui, ita & amodo memoratus ill. per nostrum præceptum plenius in Dei nomine confirmatus, perenni tempore cum Dei & nostra gratia valeat Christo propitio permanere bene ingenuus atque securus. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & per tempora melius servetur, *& reliqua.*

CIII. INGENVITAS QVAM POTEST SERVVS AD ALIVM SERVVM FACERE.

DOMINVS inquit in Euangelio: *Dimittite, & dimittetur vobis.* Ideoque in Dei nomine ill. quamvis omnium servorum Dei famulus, tamen una cum permissione Domini mei, illius Episcopi, vel ill. Abbatis, vernaculum meum nomine ill. quem ego dato pretio ab homine illo visus sum comparasse, per hanc chartulam ingenuitatis ingenuum esse censeo, & liberum esse concedo. Ita ut à die præsente ingenuus sit, & ingenuus permaneat, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset procreatus vel natus. Peculiare vero suum, sive conlaboratum quod habet, seu deinceps elaborare potuerit, sibi habeat concessum atque indultum. Mundeburden vero vel defensionem ubicunque infra potestatem sancti ill. eligere voluerit, licentiam habeat eligendi, & nulli heredum ac proheredum meorum reddat libertinitatis obsequium; sed sicut dixi, semper valeat permanere bene ingenuus atque securus. Et si postmodum quispiam contra hanc ingenuitatem venire, aut eam calumniari præsumserit, cui litem intulerit, auro uncias tantas, argento libras tant. coactus exsolvat, & quod repetit, nullum obtineat effectum; sed præsens ingenuitas omni tempore firma & stabilis permaneat, stipulatione subnexa. Actum, *& cet.*

CIIII. RELATIO PAGENSIVM AD REGEM DIRECTA.

SVGGERENDVM piissimo atque præcellentissimo Domno ill. Rege, & maiore domus ill. à servis vestris pagensibus ill. quorum vel subscriptiones vel signacula subter tenentur inserta. Principalitatis vestiæ circumspecta clementia novit iusta petentibus dignanter annuere, & necessitatem patientibus subvenire clementer. Penè omnibus patet, regionem nostram ab hostibus depopulatam esse, & domus multorum igne crematas, vel res ablatas: inter quas servus vester ill. non modicum ibidem perpessus est damnum, & de rebus suis dispendium: vel omnia instrumenta chartarum, quæ ipse vel parentes sui habuerunt, tam quod ex munificentia Regum possedit, quam quod per venditionis, cessionis, donationis, commutationisque titulum habuit, una cum domo sua incendio concremata esse noscuntur. Vnde nostram parvitatem petiit, quod veraciter exinde cognovimus, per hanc nostram suggestionem vestræ innotescere clementiæ: quod & facere servi vestri curavimus. Vestra pietas iubeat, quod usque modo in regno vestro quietus possedit, idem per vestri muneris præceptum, velut inantea valeat, dum sua perdidit instrumenta, possidere quietus & securus. Nos servi vestri, quod exinde veracius scimus, innotescere præsumsimus; vestrum est necessitati patientis subvenire.

CV. PRÆCEPTVM QVORVM AB HOSTIBVS VEL ALIO MODO FVERINT INSTRVMENTA INCENSA.

A REGALI necesse est releventur clementia, qui damnietatem ab hostibus vel violentiam sunt passi. Igitur fidelis Deo propitio noster ill. clementiæ regni

regni nostri suggessit, quod ante hos annos (aut anno superiori) exercitus noster (aut illius Regis) domus suas incendio concremasset, vel res suas quam plures, una cum instrumentis cartarum, tam quod regio munere perceperat, quam & quod per venditionis, cessionis, commutationis titulum, vel de alode parentum, in quocunque loco regni nostri possidebat, ibidem concrematum fuisset. Vnde relationem bonorum hominum manibus roboratam, qualiter ipsis ita cognitum sit, ut suggessit, nobis protulit recensendam; & omnes res suas, unde ipsa instrumenta perierunt, absque ullius inquietudine, sicut & antea fecit, quietus possidere videtur. Sed pro firmitatis studio petiit memoratus ille, ut per nostram auctoritatem omnes res suas, tam quas regio munere, quam quas venditionis, cessionis, donationis, commutationisque titulo tenet, vel reliquam alodem, quam præsens cum æquitatis ordine quietus possidet, deinceps in iure vel dominatione eius confirmare deberemus. Cuius petitionem gratanti animo confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo iubemus, ut quidquid memoratus ille, tam in terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, sylvis, campis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, vel reliquis quibuscunque beneficiis, quod per relationem suprascriptorum virorum cognovimus, iuste & rationabiliter usque nunc ubicunq; in regno nostro possidere videtur, dum eius instrumenta cremata esse cognovimus, per hoc præceptum plenius in Dei nomine circa eum suffultum atque firmatum, absque ullius inquietudine vel refragatione teneat & possideat, & suis posteris, aut cui voluerit, in Dei nomine ad possidendum relinquat. Quam vero auctoritatem perpetuis temporibus valituram propria manu subter roborare decrevimus.

CVI. RELATVM QVOD DICITVR APENNIS.

MOS nobilium Romanorum adsuevit, & ratio iure deposcit, ut si cuiuscunque domus igne cremetur, per seriem scripturarum chartulam recunque inlulationis, quæ dicitur apennis, recipiat. Quamobrem cum quadam die inlustris Comes ill. ad multorum causas audiendum, vel recta iudicia terminandum, una cum pluribus personis resedisset, ibi veniens homo aliquis nomine ill. intulit, eo quod ante hos dies casu faciente, casa sua cum omni mobili & intra domum compendio, seu & strumenta chartarum, ibidem igne cremassent. Et quia ille iudex, vel vicini pagenses ipsius, ad præsens advenientes ita dixerunt, vel testimoniaverunt, quod ad hoc videndum accesserant, sic vero & actum erat, sic supradictus ill. Comes, vel reliquæ Francæ personæ, iuxta rectum * præsorium, retroque præcedentium chartulam relationis, quæ dicitur apennis, ei dare decreverunt, ut quidquid aut ex hac cessione parentum, aut ex suo contractu habebat, tam quod per venditiones, donationes, cessiones, iudicia, obnoxiationes, cautiones, commutationes, seu per ceteras scripturas ad eius pervenit dominium vel potestatem, & deinceps perveniet, in suo iure absque refragatione permaneat. Vicinorum manu subter roboravimus, & post propria nostra manu roborare decrevimus.

CVII. CONFIRMATIO CIVIUM IN EO QVI AB HOSTIBVS EST DEPRÆDATVS, VEL AB IGNE CONCREMATVS.

CONSVETVDINE huius loci, vel etiam legis terrenæ iustitia constat esse prospectum, ut quicunque ab incendiis, vel hostibus, seu à latronibus perpessus est dispendium, oporteat se hunc casum in foro publico, vel cum curia publica & defensore, vel reliquis civibus publicare. Idcirco dum non habetur incognitum, qualiter homo nomine ill. per timorem illius, qui in illam civitatem anno præsente hostiliter venit, & multa mala ibidem perpetravit, strumenta sua de loco denominato, vel de diversis facultatibus suis subtus terram in villa illa misit, ubi computruerunt & perierunt. Propterea ei necesse fuit, ut una cum notitia pagensium, qui hoc bene cognitum habebant Turonis civitati appennem exinde deberet adfirmare: ut quantumcunque per ipsa strumenta, tam in terris, quam in mancipiis, seu in reliquis rebus, sicut nunc quieto ordine tenuit & possedit, ita & amodo liceat inantea ipsas res quiete tenere & possidere, & cui voluerit, Christo auxiliante, derelinquere. Abinde convenit, duas Epistolas uno tenore conscriptas exinde fieri vel adfirmari debere, ut una in foro publico in ipsa civitate sit adfixa; aliam vero ipse secum pro cautela in tempora futura apud se retineat, ut si ei inantea necesse fuerit, in præsentia Regis aut Principis locorum proferri possit. Actum, *& reliqua.*

CVIII. ALIO MODO.

SVGGERENDVM Domino piissimo & præcellentissimo ill. glorioso Regi. Nos servientes vestri pagenses illius, quod veraciter cognovimus, vobis innotescere præsumsimus. Homo aliquis nom. ill. nobis dixit, eo quod casa sua, vel instrumenta sua chartarum, tam venditionis, cautionis, obnoxiationis, iudicii, cessionis, vel donationis, seu & reliqua strumenta chartarum ab igne ibidem cremassent, quod & iudex vel vicini pagenses ipsius taliter nobis dixerunt vel testimoniaverunt, quod ad hoc videndum accesserant, & sic vero actum erat. Proinde quod exinde cognovimus, vobis innotuimus. Domine nostrum est ad suggerendum, vestrum est ad ordinandum, quid ipse exinde agere debeat.

CIX. PROLOGVS DE IVDICIO REGIS VBI DVO CAVSANTVR.

CVI Dominus regendi curam committit, cunctorum iurgia diligenti examinatione rimari oportet, ut iuxta propositiones vel responsiones aliqua inter alterutrum salubris donetur sententia: quo fiat ut & nodos causarum vivacis mentis acumine coërceat, & ubi prælucet iustitia, illuc gressum deliberationis imponat. Ergo cum nos in Dei nomine, ibi in palatio nostro ad universorum causas recto iudicio terminandas, una cum domnis

& patri-

& patribus nostris Episcopis, vel cum plurimis optimatibus nostris ill. referendariis ill. domesticis ill. vel senescalcis ill. cubiculariis ill. & illis Comitibus palatii, vel reliquis quam pluribus nostris fidelibus resideremus, ibiq; veniens ille ill. interpellavit, cum diceret, *& reliqua*.

CX. COMMONITORIVM AD EPISCOPVM.

DOMINO sancto & Apostolica sede colendo Domno & in Christo patri ill. Episcopo, ille Rex. Deo propitio fidelis noster ill. ad præsentiam nostram veniens suggessit nobis, quod villam aliquam nuncupatam ill. quæ ad eundem de parte illius pervenire debuerat, post vos retineatis indebite, & nullam iustitiam vobiscum possit consequi. Propterea præsentem indiculum ad coronam beatitudinis vestræ direximus, ut & pro nobis orare debeatis, & si taliter agitur, antedictum ill. de suprascripta villa legibus revestire faciatis. Certe si nolueritis, & aliquid contra hoc habueritis opponere, vosmet ipsi per hunc indiculum commoniti, aut missus in præsentia vestra instructus, huc ad nostram veniatis præsentiam, ipsi ill. ob hoc dando responsum.

CXI. INDICVLVS AD LAICVM.

ILLE Rex vir inluster ill. Fidelis noster ill. ad præsentiam nostram veniens nobis suggessit, quasi vos eum nulla manente causa in via adsallissetis, & graviter livorassetis, & rauba sua in solidos tantos eidem tulissetis, vel post vos retineatis indebite, & nullam iustitiam ex hoc apud vos consequi posset. Propterea præsentem indiculum ad vos direximus, per quem omnino inbemus, ut si taliter agitur, de præsente hoc contra iam dictum illum legibus studeatis emendare. Certe si nolueritis, & aliquid contra hoc habueritis opponere, non aliter fiat, nisi vosmetipsi per hunc indiculum commoniti Kal. illis proximis ad nostram veniatis præsentiam, eidem ob hoc integrum & legale dare responsum.

CXII. INDICVLVS AD EPISCOPVM PRO ALIO DISTRINGENDO.

DOMINO sancto & Apostolico, domno & patri ill. Episcopo ille Rex. Veniens ill. ad præsentiam nostram suggessit, quasi Abba vester, aut clericus, vel homo vester ill. eidem servum suum per fortiam tulisset, vel post se retineat iniuste, & nullam iustitiam cum eodem ex hoc consequi possit. Propterea præsentem indiculum ad sanctitatem vestram direximus, per quem petimus, ut & pro nobis orare dignemini, & si taliter agetur, ipsum Abbatem vestrum, aut clericum, præsentaliter constringatis, qualiter si ita agetur, hanc causam contra iam dictum ill. legibus studeat emendare. Certe si noluerit, & aliquid contra hoc habuerit quod opponat, ipsum illum per fideiussores positos, ad nostram dirigere studeatis præsentiam.

CXIII. INDICVLVS AD COMITEM PRO ALIO HOMINE DISTRINGENDO.

ILLE Rex vir inluster ill. Comiti. Fidelis Deo propitio noster ill. ad præsentiam nostram veniens clementiæ regni nostri suggessit, quod pagensis vester ill. eidem terram suam, in loco nuncupato ill. per fortiam tulisset, & post se retineat iniuste, & nullam iustitiam ex hoc apud ipsum consequi posset. Propterea ordinationem præsentem ad vos direximus, per quam omnino iubemus, ut ipsum ill. taliter constringatis, qualiter si ita agitur, hanc causam contra iam dictum illum legibus studeat emendare. Certe si noluerit, & ante vos recte non finitur, memoratum ill. tultis fideiussoribus Kal. ill. ad nostram omnimodis dirigere faciatis præsentiam.

CXIIII. DE DIVISIONE VBI MISSVS EST REGIS.

DVM & divisio & exæquatio inter ill. & ill. seu consortes eorum, de alode ill. aut de agro ill. celebrari debet; & quatenus petitio eorum adfuit, ut missus de palatio nostro ad hoc inter eos dividendum vel exæquandum accedere deberet. Ideo cognoscite, quod nos missum nostrum illustrem virum ill. ad hoc inter eos exæquandum visi fuimus direxisse. Propterea per præsens præceptum decernimus ac iubemus, ut ipsum in hoc vos recipere faciatis, ut unicuique ex ipsis iuste debita portio terminetur. Quod exinde in fisci ditionibus, tam de terra, vineis, mancipiis, vel undecunque debetur, ipse vir inluster habeat ex nostra indulgentia concessum, ut quidquid exinde facere voluerit, liberam habeat potestatem.

CXV. DE CAVSIS ALTERIVS RECIPIENDIS.

FIDELIS Domino propitio noster ill. ad nostram veniens præsentiam, suggessit nobis, eo quod propter simplicitatem suam causas suas minime possit prosequere vel admallare, clementiam regni nostri petiit, ut inluster vir ill. omnes causas suas in vicem ipsius, tam in pago quam in palatio nostro ad mallandum vel ad prosequendum recipere deberet: quod in præsente per festucam eas eidem visus est commendasse. Propterea iubemus, ut dum taliter utriusque decrevit voluntas, memoratus vir ill. omnes causas illius ubicunque prosequere vel admallare debeat, & unicuique pro ipso vel hominibus suis de reputatis conditionibus & directum faciat, & ab aliis simili modo veritatem recipiat: sic tamen quamdiu amborum decrevit voluntas.

CXVI. FORMVLA CITATIONIS.

QVONIAM imperialibus sanctionibus cautum est, ut absentes, contra quos actiones exercere cupiunt, in iudicio copiam sui facere edictis citentur. Idcirco ego iudex has admonitorias tibi delego, quatenus in iudicio præsentiam tui facias, intentionemque actoris suscipias, eique oppositiones legum atque exceptiones obiicias.

CXVII. EDI-

CXVII. EDITIO LEGIBVS COMPREHENSA.

LEx Romana pro utilitate humani generis exposcit, ut si quando cuiuscunque iniusta appellatio cõprobatur, sumptus quos post appellationem adversarium suum accusator compulit sustinere, non in simplum ei, sed in quadruplum cogatur restituere. Igitur ego in Dei nom. il. dum non est incognitum, qualiter apud te nomine ill. in rationes publicas ante illustrem virum il. vel reliquos viros, qui subter tenentur inserti, Turonus civitate adstiti, de aliquibus locellis, nuncupatis ill. sitis in pago ill. quæ mihi per legitimas successiones sunt debita, & tu præsenti tempore malo ordine possidere videris: unde apud me in responsum introire noluisti, nisi sicut lex edocet, tibi inscriptione de sumptibus & expensis confirmassem. Ideo placuit mihi, ut hanc editionem in te adfirmarem: quod ita & feci. Vt si apud me de ipsis rebus in rationes vel in iudicium introieris, & ipsa causa inter nos legibus definita fuerit, & mea iniusta fuerit accusatio comprobata, de eadem causa notione omni tempore quietus resideas, & sumptus vel expensas superius nominatas, quas pro necessitatibus tuis me compellente visus es expendisse, secundum legis ordinem, transacto litis tempore, partibus tuis cogar restituere. Et pro rei totius firmitate hanc editionem manu propria subter firmavi, & bonorum virorum roborandam manibus decrevi.

CXVIII. SI DE HOMICIDIO ACCVSATIO PROCESSERIT, SECVDVM HANC SENTENTIAM INSCRIPTIO CELEBRETVR.

QVICVNQVE alium de homicidii crimine periculosa vel capitali obiectione pulsaverit, non prius à iudicibus audiatur, quam se similem pœnam, quam reo intendit, conscripsit subiturum. Et si servum alienum accusandum esse crediderit, se simili inscriptione constringat; ut supplicia innocentum servorum, aut pœna capitis sui, aut facultatum amissione compenset.

CXIX. RELATIO CVM IVDICIO.

AVCTORITATE legis præceptum est, ut in toto litis termino requiratur, per quem orta est contentio. Et si alium ad rapinam faciendam adgreditur, aut iter agenti insidiatus fuerit, aut domum alterius nocturnus spoliator ingreditur, mors animæ illius ne requiratur. Igitur ego in Dei nomine ill. iudex, veniens in loco nuncupato ill. sub die ill. una cum bonis hominibus, ad locum accessi, ubi aliquis nomine ill. quondam interfectus iacebat, requirens pro qua re ibidem interfectus fuisset. Sed venientes homines ibidem commanentes, qui ibidem initio litis fuerint, vel qui ad ipsos concurrerunt, quando iam dictus homo interfectus fuit, taliter testimonium præbuerunt, quod dum aliquis homo, nomine ill. solenniter sibi ambulabat, iam dictus ill. quondam ipsum adsallivit, vel insidiatus fuit, vel res suas ei contradixit, atque violenter super ipsum evaginato gladio venit, unde livores vel capulaturæ atque colaphi manifeste apparent,

Ideo etenim dum sic veritas comprobaretur, veniens iam dictus ill. adprehensa manu prædicti iudicis, vel armis, sicut mos est apud omnes, XII. manu sua XIII. dextratus vel coniuratus dixit, quod dum ipse solenniter sibi ambulabat, iam dictus ill. quondam eum malo ordine adsallivit, & evaginato gladio super eum venit, & super ipsum livores vel capulationes misit, & res suas ill. ei diripere voluit. Et postquam istos livores præsenter recepit, necessitate compulsus ipsum plagavit, per quod mortuus iacet, & in sua orta contentione, vel in sua movita, atque per suas culpas ibidem interfectus fuit. Et sic est veritas absque ulla fraude vel conludio, & in sua culpa secundum legem ipsum ferro battudo fecit. Proinde opportunum fuit ipsius, ut hanc notitiam adinstar relationis exinde accipere deberet: quod ita & fecit. Sed postea taliter in iam dicto loco ill. illi iudicatum fuit, ut in noctes XL. apud homines XXXVI. manu sua XXXVII. iam dictus ill. quondam in Ecclesia illius sancti in loco nuncupato ill. coniurare debeat, apud homines visores & cognitores, eo quod ill. quondam malo ordine super eum venisset, & res suas ei contendisset, vel primitus eum plagasset, vel livorasset, & ipsum in via adsallisset, vel insidiatus fuisset, & in sua movita vel in sua culpa ibidem interfectus fuisset: & si hoc facere potuerit, de ipsius morte quietus valeat residere.

CXX. BREVE SACRAMENTI.

SACRAMENTVM qualiter ingressus est ill. in Ecclesiam sancti ill. in loco nuncupato ill. sub præsentia illius iudicis, vel bonorum virorum, qui subter tenentur inserti, ad placitum suum custodiendum, unde retroactis diebus XL. relationem de morte ill. per iudicium bonorum virorum accepit, iuratus dixit. Per hunc locum sanctum & Dei reverentiam, dum ego solenniter mihi ambulabam, iam dictus ill. quondam in loco nuncupato ill. me malo ordine adsallivit, & livoravit, & colaphos super me posuit, & ad rapinam, vel ad insidias super me faciendas adstitit, & res meas mihi malo ordine diripere vel tollere tentavit. Et ego in sua orta contentione, vel in sua movita, atque pro sua culpa, in ipso loco ipsum interfeci: per reverentiã sancti ill. & Deum altissimum. Similiter testes sibi similes visores & cognitores, secundum quod ei iudicatum fuit, post ipsum iuraverunt, ut quidquid iam dictus ill. de ea causa iuravit, verum & idoneum sacramentum exinde dedit. Id sunt, qui hoc sacramentum exceperunt, manibusq; suorum subtus roboraverunt.

CXXI. SECVRITAS PRO HOMICIDIO FACTO, SI SE PACIFICAVERIT.

DOMINO fratri ill. Dum instigante adversario, quod non debueras, germanum nostrum illum visus es interfecisse, & ob hoc vitæ periculum incurrere potueras. Sed intervenientes sacerdotes & magnifici viri, quorum nomina subter tenentur adnexa, nos ad pacis concordiam ob hoc visi fuerunt revocasse: ita ut pro ipsa causa sol. tantos in pagalia nobis dare deberes, quos & in præsente pro wadio tuo visus es transsolvisse, & nos ipsam causam per festucam contra te visi sumus werpisse. Propterea iuxta quod conve-

convenit hanc epistolam securitaitis in te nobis cõscribere complacuit, ut de ipsa morte germani nostri nec à nobis, nec ab heredibus nostris, aut suis, nec de iudiciaria potestate, nec à quolibet ullo casu, nec refragationem aliquam aut damnietatem amplius habere non pertimescas: sed in omnibus exinde ductus & absolutus appareas. Quod si fortasse nos ipsi, aut aliquis de heredibus nostris, vel quicunque te ob hoc inquietare voluerit, & à nobis vel heredibus nostris defensatus non fueris, inferamus tibi cum cogente fisco duplum quod nobis dedisti, & quod repetit quis vindicare non valeat, sed præsens epistola securitatis firma permaneat, stipulatione subnexa.

CXXII. ALIA SECVRITAS.

NON minima, sed maxima vertente discordia inter ill. & ill. & ill. veniens ante ill. & ill. repetivit ipse ill. adversus ipsum ill. eo quod genitorem suum, aut germanum suum ill. malo ordine interfecisset. Interrogatus fuit ab ipsis viris ill. si hæc causa ita acta vel perpetrata fuisset, an non, id ipse in præsente dicere deberet. Sed cum ipse ill. hanc causam minime potuit denegare, sic ab ipsis viris fuit iudicatum, ut ill. leodem sicut lex erat, desolvere deberet: quod ita in præsente & fecit. Et ego hanc securitatem in ipsum ill. fieri & adfirmari rogavi, ut nullo unquam tempore de iam dicta morte, vel de ipsa leode, nec ego ipse, nec ullus de heredibus meis, nec quislibet ullam calumniam nec repetionem agere vel repetere debeam. Quod qui adtemptaverit, nullum obtineat effectum, & insuper inferat tibi, una cum socio fisco auri uncias tantas, & præsens securitas omni tempore firma permaneat.

CXXIII. ALIA SECVRITAS.

NON minima sed maxima vertente discordia inter ill. & ill. veniens in locum ill. ante bonos homines repetebat ipse ill. causam suam vel coniugis suæ ill. adversus ill. dum diceret, eo quod ipsa genua sua impinxisset, & super filia eorum nomine ill. cessisset, & ipsam ibidem occidisset. Et cum ipse ill. hanc causam minime potuit denegare, exinde taliter ipsis bonis hominibus fuit iudicatum, ut ill. leodem, sicut lex est ipsius ill. solvere deberet: quod ita in præsente fecit. & servum suum nomine ill. vel alia rauba sua ipsa ill. pro illa leode ipsius ill. vel coniugis suæ ill. in quod eis bene complacuit, dedit. Propterea iam dictus ill. & coniux sua ill. hanc securitatem in ipso ill. vel mitio suo, fieri & adfirmare rogaverunt, ut ullo unquam tempore de iam dicta causa, nec de illa morte, nec de ipsa leode ullas calumnias vel repetitiones vel fatigationes, nec nos nec ullus de heredibus nostris, nec quislibet opposita persona agere, nec generare nec repetere debeamus. Quod qui adtemptaverit, & à nobis vel heredibus nostris defensatum non fuerit, inferamus tibi una cum socio fisco auri uncias tantas, argenti pondo tanta: & præsens securitas omni tempore firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum, *& reliqua.*

CXXIIII. ALIA SECVRITAS.

DVm & plerisque vel omnibus non habetur incognitum, qualiter homo aliquis nomine ill. hominem ill. Episcopi sive Abbatis, nomine ill. instigante diabolo peccatis facientibus malo ordine interfecit, unde vitæ periculum incurrere debuit. Sed postquam venit isdem homicida coram ipso Pontifice, vel coram illo Comite, seu quāpluribus magnificis viris, quorum nomina subter tenentur inserta, percunctati sunt ab eo, utrum ille hoc quandoque perpetratum haberet, an non. Isdem vero homo, qui ex hoc inquirebatur, præsens aderat, & hanc causam nullatenus denegabat: sed magis exinde confessus fuit, scilicet quod hominem ipsius Episcopi, vel ill. Abbatis, unde inquirebatur, interfecisset. Hac igitur de causa iudicatum est ei ab ipso Comite, vel ab ipsis scabinis & pagensibus loci illius, ut illam leudem, quod sunt solidi tanti, pro suo wadio ponere deberet. Quod ita & fecit. Postea vero necesse fuit, ut ipsi homini, qui ipsam leudem ponere visus est, talem Epistolam securitatis, per manus eorum firmatam, ab ipso Pontifice, vel ab ipso Comite, seu ab aliis illius loci pagensibus, accipere deberet, ut in postmodum de illo homicidio, quod tunc componere visus est, securus valeat residere. Et si postea alquis exstiterit, quæcunque libet persona, qui ipsum hominem de hoc remallare voluerit, ipsi fratres vel successores ipsius, seu agentes eius, qui hanc compositionem accipere visi sunt, ipsum hominem contra quemlibet defensare debeant: & si hoc facere non potuerint, restituere debeant tantum, quantum dedit. Complacuit itaque tam ipsi Pontifici, quam ipsi Comiti, seu aliis quam pluribus magnificis viris, ut talem securitatem ipsi homini facerent, sicuti & fecerunt. Et si aliquis postmodum eum de compositione remallare voluerit, ut ipse Episcopus vel successores eius seu agentes, ipsum hominem de hac causa omnino defensare debeant, aut restituere ei debeant tantum, quantum dedit. Actum, *& cet.*

CXXV. ALIA SECVRITAS.

CVm resedisset inluster vir ill. Comes, in illo mallo publico, ad universorum causas audiendas, vel recta iudicia terminanda, ibique veniens homo aliquis nomine ill. repetebat ei, dum diceret, quod hominem suum nomine ill. quondam ipse ill. bene ingenuus in via malo ordine adsallisset, & ipsum ibidem interfecisset vel occidisset, & rauba sua, caballos, aurum, & argentum, & drapalia exinde tulisset, vel deportasset, vel leodem contra legem ibi burisset. Et ipse ill. de præsente adstare videatur, & hanc causam nullatenus potuit denegare, sed taliter fuit professus, quod faciente inimico ipsum hominem occidisset, vel interfecisset. Itaque taliter in ipso mallo ei iudicaverunt, ut ipsum hominem, vel ipsam leodem legibus exinde transsolvere deberet: quod ita & fecit. Sed postea ab ipso grafione, vel ab ipsis bonis hominibus, qui in ipso mallo residebant, securitatem manu eorum firmatam accipere deberet: quod ita & fecit. Ita ut depost hunc diem nec ipse ill. nec ullus de heredibus suis, nec ulla opposita persona de præsente die de ipsa morte ill. vel de ipso homicidio, vel de ipsa leode, contra ipsum ill. ullam

ullam remallationem, nec ullam reclamationem, nec ullum impedimentum, pontificium non habeant ad faciendum. Et qui hoc facere præsumserit, duplum tantum, quantum ipsa leodis continet, partibus cui hæc facta est, una cum socio fisco coactus mulcta componat. Et quod repetit, *& reliq.*

CXXVI. SECVRITAS IN EVM, QVI PER IVSSVM REGIS ALIQVEM PERSEQVITVR.

QVI Regiæ obtemperat iussioni, experiri malum in posterum à quolibet non debet. Igitur cum & ill. cum reliquis paribus suis, qui eum secuti fuerunt, faciente rebello ill. interfecit, aut quaslibet alias causas contra Regem commisit, vel de regno nostro se transtulit: quod nobis satis fuit molestum, & una cum consilio fidelium nostrorum omnes res eius sub fisci titulum illustribus viris illis præcipimus revocari. Quia si se non distulisset, non solum res perdere, sed pro tali rebello in vita ordinaveramus insequi. Propterea præsentem præceptionem dedimus, ut dum vir ill. vel prædicti reliqui pares aut gasindii eorum, non ex sua præsumptione, sed & nostra ordinatione, una cum consilio seniorum fidelium nostrorum ipsas res sub fisco nostro positas habuerunt, & nostris ditionibus ubi iussimus vel reliquos quicunque eodem mixti fuerunt, ex hoc comprehensum adduxerunt. Ideo iubemus, ut dum per nostram ordinationem factum est, nullo unquam tempore, nec à iam dicto illo, nec qui cum eo mixti fuerunt, nec ad heredes eorum, exinde quamlibet calumniam aut repetionem habere penitus non debeant. Sed tam ipse ill. quam pares, & amici, vel gasindii eorum, quidquid de rebus prædicti ill. ablatum fuerit, dum per eius culpas & nostram ordinationem factum est, omni tempore exinde ducti & absoluti permaneant; & ut diximus calumniam aut repetitionem vel damnietatem quanquidem exinde supra scripti viri illi fideles nostri non pertimescant habere. Et ut hæc præceptio, *& reliqua.*

CXXVII. VENDITIO DE RE.

MAGNIFICO in Christo fratri ill. emptori, ego venditor ill. Constat me tibi non imaginario iure, sed propria vel spontanea voluntate vendidisse, & ita vendidi; tradidisse, & ita tradidi, hoc est aliquam rem meam in pago ill. in loco nuncupato ill. super fluvio ill. id est mansum unum, qui mihi ex parte genitoris seu genitricis hereditario iure successit, cum omni ædificio suprapositо: nec non de terra arabili ad ipsum mansum adspiciente vel pertinente bunuaria tanta. Similiter & de prato bunuaria tanta; vel quidquid ad ipsum mansum pertinere dinoscitur, totum & ad integrum tibi per hanc chartulam venditionis, sive per festucam atque per andelangum dono, trado, atque perpetualiter in omnibus transfirmo. Vnde accipere à te visus sum pretium, id est, solidos valentes tantos, in quo mihi complacuit atque convenit. Et pro ipso pretio, sicut superius dixi, ipsum mansum tibi coram pluribus testibus tradidi atque delegavi: in ea vero ratione, ut à

die præsente hoc habeas, teneas, atque possideas, vel quidquid exinde facere volueris, liberam ac firmissimam in omnibus habeas potestatem. Et si quispiam deinceps, quod futurum esse non credo, sive ego ipse, quod absit, aut ullus de heredibus, seu quælibet persona, contra hanc chartulam venditionis venire, aut eam calumniari præsumpserit, cui litem intulerit, auro uncias tantas, argento libr. tantas coactus exsolvat, & insuper quod repetit, nullum obtineat effectum, sed præsens venditio ista, tam à me quam ab heredibus meis defensata, omni tempore firma & stabilis permaneat, cum stipulatione subnexa. Actum.

CXXVIII. VENDITIO DE VILLA.

DOMINO fratri ill. ego ill. Licet empti venditique contractus, sola pretii adnumeratione, & rei ipsius traditione consistat: ac tabularum aliorumque documentorum ad hoc tantum interponatur instructio, ut fides rei factæ & veri ratio comprobetur. Idcirco constat me nullo cogente imperio, neque imaginario iure, sed propriæ voluntatis arbitrio vobis vendidisse. & ita vendidi, villam iuris mei nuncupatam ill. sitam in pago ill. in condita ill. quam ex legitima successione parentum (vel quolibet modo ad me pervenit) habere videor, in integritate, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, servis, libertis, vineis, sylvis, pratis, campis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, totum & ad integrum, cum omnibus appendiciis vel adiacentiis suis, vel omni numero & termino ibidem adspiciente. Et accepi à vobis in pretio, iuxta quod mihi placuit, tantum, & memoratam villam vobis præsentaliter tradidi ad possidendum; ita ut ab hac die habendi, tenendi, vel quidquid exinde elegeris, faciendi liberam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, sive ego ipse, aut aliquis de heredibus vel proheredibus meis, seu quælibet opposita persona, contra venditionē venire tentaverit, aut me male vendidisse convicerit, & à me vel heredibus meis defensatum non fuerit, tunc inferamus vobis heredibusque vestris duplam pecuniam, quantum à vobis accepi, & ipsa villa meliorata valuerit, & quod repetit, vindicare non valeat, sed præsens venditio omni tempore firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum, *& reliqua*.

CXXIX. VENDITIO DE AREA INFRA CIVITATEM.

DOMINO sancto & Apostolico, Domino & patri ill. Episcopo. Constat me nullius coactum imperio, neque imaginario iure, sed propriæ voluntatis arbitrio vobis vendidisse, & ita vendidi aream iuris mei, infra muros civitatis illius, habentem in longo pedes tant. & in lato pedes tant. Cui subiungitur ab uno latere terra ill. ab alio latere terra ill. à fronte una terra ill. & ab alia fronte terra ill. Et accepi à vobis in pretio, iuxta quod mihi complacuit, auri sol. tant. & præfatam aream vobis præsentaliter tradidi possidendam, ut habendi, tenendi, vel quidquid exinde elegeritis facere, libero perfruamini arbitrio. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse

ipse aut aliquis de heredibus meis, seu qualibet persona, contra hanc venditionem venire tentaverit, aut eam infringere conatus fuerit, inferat vobis, aut auctoribus vestris, duplam pecuniam, vel quantum area ipsa eo tempore meliorata valuerit, *& cetera.*

CXXX. VENDITIO DE TERRA.

DOMINO magnifico fratri ill. emptori, ego in Dei nomine ill. venditor. Constat me non imaginario iure, nec ullius coactum imperio, sed propriæ voluntatis meæ arbitrio tibi vendere, & ita vendidi tibi à die præsenti bunuaria tanta de terra arabili, in loco nuncupato ill. quod est in pago ill. qui de parte parentum meorum, tam de alode quam & de comparato vel de quolibet adtracto ad me legibus pervenit: & est de uno latere terra ill. de alio latere ill. de una vero fronte terra ill. de alia fronte via publica. Et accepi à te in pretio taxato pro hoc, iuxta quod mihi bene complacuit, vel conventum fuit, sol. tant. Ita ut à die memorata terram superius denominatam, quam de me legibus comparasti, habeas, teneas, possideas, vel quidquid exinde facere volueris, liberum in omnibus Christo propitio in tua permaneat potestate ad faciendum. *& cetera.*

CXXXI. VENDITIO INFRA EMVNITATEM ECCLESIÆ VEL FISCI.

MAGNIFICO fratri ill. ego ill. Constat me tibi vendidisse, & ita vendidi infra terminum terræ sancti ill. in loco nuncupato ill. campum vel vineam iuris mei, habentem aripennes tantos: estque de uno latere & fronte terra ill. de alio vero latere & fronte terra ill. Vnde accepi à te pretium quod mihi bene complacuit, valentes sol. tant. ita ut ab hodierno die, quidquid de supradicta re facere volueris, liberam habeas potestatem, salvo iure ipsius sancti. Et si fuerit aut ego ipse, *& reliqua.*

CXXXII. VENDITIO DE SERVO.

DOMINO magnifico fratri ill. emptori, ego in Dei nomine ill. venditor. Constat me non imaginario iure, nec ullo cogentis imperio, sed proprio voluntatis meæ arbitrio tibi vendere, & ita vendidi à die præsenti, vernaculum iuris mei, nomine ill. non furem, non fugitivum, non cadivum, nec ullum vitium in se habentem: sed in omni corpore scimus eum sanum, usq; anno & die. Et accepi à te in pretio pro hoc, iuxta quod mihi bene complacuit, vel conventum fuit, sol. tant. Ita ut ab hac die memoratum vernaculum superius denominatum, quem dato pretio de me legibus comparasti, habeas, teneas, atque possideas, & quidquid exinde facere volueris, liberum & firmissimum in tua permaneat potestate ad faciendum. Si quis vero, *& reliqua.*

CXXXIII. ALIA VENDITIO DE SERVO AVT ANCILLA.

DOMNO fratri ill. ego ill. Constat me vobis vendidisse, & ita vendidi servum iuris mei (aut ancillam) nom. ill. non furem, non fugitivum, neq; cadivũ,

ſed mente & omni corpore ſanum, moribuſque bonis. Pro quo accepi à vobis in pretio, iuxta quod mihi complacuit, auri ſol. probos atque præſentes numero tant. & ipſum ſervum vobis præſentaliter tradidi poſſidendum, ita ut ab hac die habendi, tenendi, vel quidquid exinde decreveritis faciendi libero potiamini arbitrio. Si quis vero, *& reliqua*.

CXXXIIII. QVALITER HOMO INGENVVS SEMETIPSVM VENVMDET.

DOMINO ſemper meo ill. ego ill. Placuit mihi ut ſtatum ingenuitatis meæ in veſtrum obnoxiarem ſervitium, quod ita & feci: & accepi à te pretium, in quo mihi bene complacuit, ſol. tant. ita ut ab hodierno die quidquid de me ſervo tuo, ſicut & de reliquis mancipiis tuis facere volueris, à die præſente liberam ac firmiſſimam in omnibus habeas poteſtatem, nullo contradicente. Et quod fieri non credo, ſi fuerit ulla perſona, qui contra hanc venditionem, quam ego ſpontanea voluntate fieri & firmare rogavi, venire aut agere, *& reliqua*.

CXXXV. QVI IN SERVITIVM ALTERIVS SE OBNOXIAT.

DOMINO mihi proprio ill. ille. Dum inſtigante adverſario, fragilitate mea prævalente, in caſus graves cecidi, unde mortis periculum incurrere poteram. Sed dum veſtra pietate me iam morti adiudicatum de pecunia veſtra redemiſtis, vel pro meo ſcelere res veſtras quam plures dediſtis, & ego de rebus meis, unde veſtra beneficia rependere debuiſſem non habeo, ideo pro hoc ſtatum ingenuitatis meæ vobis viſus ſum obnoxiaſſe: ita ut ab hac die de veſtro ſervitio penitus non diſcedam, ſed quidquid reliqui ſervi veſtri faciunt, pro veſtro, aut agentium veſtrornm imperio facere ſpondeo. Quod ſi non fecero, aut per quodlibet ingenium de ſervitio veſtro me abſtrahere, vel dominium alterius expetere, aut res ſuſcipere voluero, licentiam habeatis, mihi qualemcunque volueritis diſciplinam imponere, vel venumdare, aut quod vobis placuerit de me facere. Facta obnoxiatione tunc, ſub die ill.

CXXXVI. ALIA OBNOXIATIO.

DOMINO fratri ill. & ill. Omnibus non habetur incognitum, qualiter me gravis neceſſitas & anatas peſſima oppreſſerunt, ut minime habeam unde vivere vel me veſtire poſſim. Propterea ad petitionem meam mihi non denegaſtis, niſi ut in ſumma neceſſitate mea argentum vel amictum valentem ſol. tant. in manu mea mihi dediſti, & ego minime habeo unde ipſos ſolid. tuos tibi reddere queam. Propterea obnoxiationem de capite ingenuitatis meæ in te fieri & adfirmare rogavi, ut quidquid de mancipio tuo originali facis, tam vendendo, commutando, diſciplinam imponendo, ita & de me ab hodierno die liberam & firmiſſimam in omnibus poteſtatem faciendi habeas. Si quis vero, quod nec fieri credo, *& reliqua*.

CXXXVII. ALIA OBNOXIATIO.

DOMINO meo semper, ego ill. Non est incognitum, qualiter instigante parte adversa mihi contigit, quod ego caballum ab homine aliquo nomine ill. in texaga subduxi, unde de ipso furtu victus apparui, & vitæ periculum exinde incurrere potueram. Et ego non habeam, unde ipsum facinus, vel ipsum furtum, emendare vel satisfacere debeam, propterea expetitum à vobis habuit pietas & dignatio vestra, *& reliqua*.

CXXXVIII. EPISTOLA COLLECTIONIS.

NOS quoque in Dei nomine matricularii sancti illius, dum matutinis horis ad ostia ipsius Ecclesiæ observanda convenissemus, ibi infantulum sanguinolentum, periculo mortis imminente, pannis involutum invenimus, & ipsum per triduum (seu amplius) apud plures homines inquisivimus, qui suum esse diceret, & non invenimus, cui nomen ipsum imposuimus. Sed postea pietate interveniente, & Domini misericordia opitulante, ipsum infantulum homini aliquo nomine ill. ad nutriendum dedimus, ut si Deo præsule convaluerit, ipsum in suis servitiis ac solatiis iuxta legis ordinem retineat. Pro quo pretium accepimus, in quo nobis bene complacuit, solid. tantos, secundum sententiam illam, ex corporis Theodosiani libro quinto, quæ dictat: *Si quis infantem à sanguine emerit aut nutrierit, si nutritum Dominus vel pater eius recipere voluerit, aut eiusdem meriti mancipium, aut pretium, quantum valuerit, consequatur.* Et ut præsens epistola firmior sit, manu nostra propria eam subter firmavimus, & bonis hominibus roborandam decrevimus. Actum.

CXXXIX. CONCAMBIVM DE VILLA.

INTER quos caritas inlibata permanserit, pars parti beneficia opportuna præstat. Ideo placuit atque convenit inter venerabilem virum ill. ex permisso Apostolico viro ill. & inlustrem virum ill. ut locella aliqua inter se concambiare deberent: quod ita & fecerunt. Dedit igitur venerabilis vir ill. locellum nuncupatum ill. situm ibi, de parte basilicæ sancti ill. memorato ill. quidquid ibidem ad præsens de quolibet adtractu tenere videbatur, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, *& reliq.* quidquid id erit, in illius tradidit potestatem vel dominationem. Similiter in compensationem huius meriti, dedit suprascriptus ill. ad partem memorati Abbatis ill. vel prædictæ basilicæ, locellum nuncupatum ill. situm ibi, quidquid ibidem ad præsens de quocunq; adtractu ibidem habere videbatur, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, *& reliq.* Ita ut ab hac die unusquisque memorata loca quæ acceperunt, habendi, tenendi, vel quidquid exinde pro eorum opportunitate & compendio facere elegerint, libero perfruatur arbitrio. Illud vero addi convenit, ut si aliqua pars ex ipsis, aut heredes vel successores eorum hoc emutare vel refragare voluerit, rem quam ac-

cepit, amittat, & insuper inferat pari suo, qui hoc facere præsumpserit auri lib. tantas, argenti pondo tant. & quod repetit, vindicare non valeat, sed præsens commutatio, unde duas inter se uno tenore chartas conscripserunt, firma & inviolata permaneat, stipulatione subnexa. Actum.

CXL. COMMVTATIO DE TERRA.

INTER quos caritas inlibata permanserit, pars pari suo opportuna & congrua beneficia non denegabit. Ideoque auxiliante Domino nostro placuit atque convenit inter ill. & ill. de terris eorum, ut pro communi opportunitate inter se commutare deberent, quod ita & fecerunt. Dedit itaque ill. de parte sua ad partem ipsius ill. terram proprietatis suæ, in pago ill. in loco qui dicitur ill. Habet in longo dextros tant. in lato dextros tant. Subiungitur de uno latere terra ill. de una fronte terra ill. ex alia vero fronte terra ill. infra ipsam terminationem & mensuram ad integrum. Econtra ad vicem dedit ill. de parte sua ad partem ipsius ill. terram proprietatis suæ, in pago ill. in loco qui dicitur ill. Habet in longo dextros tantos, in lato dextros tantos. Subiungitur de uno latere terra ill. de alio latere terra ill. infra ipsam terminationem & mensuram ad integrum: ita ut ab hodierno die unusquisque contra parem suum quod accepit, habeat, teneat, atque possideat, vel quidquid exinde à die præsente facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse aut aliquis de heredibus meis, vel quislibet ulla opposita persona, qui contra hanc commutationem contra parem suum venire conatus fuerit, inferat pars pari suo, ista tota servanti, cum socio fisco, auri uncias tantas, & præsens commutatio, duabus inde epistolis conscriptis, omni tempore firma & inviolata permaneat.

CXLI. CONCAMBIATVRA INTER DVOS ABBATES.

PLacuit auxiliante Domino, atque convenit inter venerabilem virum ill. Abbatem de monasterio ill. vel congregationem monasterii sui, necnon & magnificum virum ill. de commutatione locorum, quam inter se facere deberent, quod ita & fecerunt. Per quam accepit venerabilis vir ill. Abba ad opus monasterii sui, in loco nuncupato ill. qui est in pago ill. mansos ad commanendum castitiis suprapositis, terris arabilibus, vel quidquid in ipso loco ad præsens cernitur esse possessio, totum & ad integrum, rem inexquisitam, in commutatione vel concambio. Simili modo vir magnificus ill. accepit ad opus suum aliam rem, in loco nuncupato ill. qui est in pago ill. totam & ad integrum, rem inexquisitam, in commutatione vel concambio. Vnde duas epistolas pariculas, uno tenore conscriptas, manu eorum vel bonorum hominum firmatas inter se fieri & firmare rogaverunt; ut unusquisque de post hunc diem, quod à pari suo in commutatione vel concambio accepit, hoc habeat, teneat, atq; possideat, vel quidquid exinde, *& reliq.*

CXLII. CAV-

CXLII. CAUTIONES DIVERSO MODO FACTÆ.

DOMINO mihi propitio ill. Dum ad meam petitionem, necessitatem meam supplendo, vestra bonitas habuit, ut solidos tantos de rebus vestris mihi præstaretis: ideo per hoc vinculum cautionis spondeo, me Kal. illis proximis ipsos solidos vestris partibus esse redditurum. Quod si non fecero, & dies placitus mei præfinitus transierit, per duplum in crastinum me aut heredes meos, vos aut heredes vestri, aut cui hanc cautionem dederitis exigendam, teneatis obnoxium. Facta cautione ibi, sub die ill. *& reliqua.*

CXLIII. ITEM ALIA.

DOMINO suo ill. Constat me à vobis accepisse, & accepi, debere & debeo, hoc est, sol. tant. Pro quibus solidis spondeo, me quamdiu post me ipsos retinuero, annis singulis per singulos solidos, singulos triantes vestris partibus esse redditurum. Et si hoc facere contempsero, aut exinde negligens apparuero, ad duplum ipsum locarium vobis reddere spondeo: & cum de mea proprietate ipsos sol. vestros reddere potuero, hanc cautionem à vobis recipiam.

CXLIIII. ITEM ALIA.

DOMINO fratri ill. ego ill. Quatenus necessitatem meam supplendo sol. vestros numero tantos mihi ad beneficium præstitistis: ideo iuxta quod mihi aptificavit, taliter inter nos convenit, ut dum ipsos solib. de meo proprio vobis reddere potuero, dies tantos in unaquaque hebdomada servitium vestrum, quale mihi vos aut agentes vestri iniunxeritis facere debeam. Quod si exinde negligens aut tardus apparuero, licentiam habeatis, sicut & ceteris servientibus vestris, disciplinam corporalem imponere. Et cum solidos vestros reddere potuero, meam cautionem absque ulla evacuatoria intercedente recipiam.

CXLV. ITEM ALIA.

DOMINO fratri ill. Ad petitionem meam mihi non denegasti, nisi ut in summa necessitate mea argentum vel amictum valentem solid. tantos in manu mea ad præstitum beneficium mihi præstitisti. Et ego pro hoc talem cautionem in te fieri & adfirmare rogavi, ut usque ad annos tantos in unaquaq; hebdomada dies tantos opera tua, qualia mihi iniunxeris, & ratio postulat, facere debeam. Quod si minime fecero, aut negligens, aut tardus exinde apparuero, aut ipsum placitum meum immutare præsumsero, tum spondeo me per huius vinculum cautionis, ubi & ubi me invenire potueris, sine ullo iudicio interpellationis, pro dupli satisfactione me retineas debitorem. Et cum ipsi anni transacti fuerint, debito tuo tibi reddito, cautionem meam recipiam. Stipulatione subnexa, *& reliqua.*

CXLVI. ALIA.

MAGNIFICO fratri ill. ego ill. Ad meam petitionem vestra decrevit voluntas, ut mihi beneficium de rebus vestris ill. in annos tantos facere iuberetis; quod ita & fecistis. Et ego pro huius meriti beneficio oppignoro tibi locellum iuris ac proprietatis meæ, nuncupato ill. situm in pago ill. cum omni sua integritate vel soliditate. Ea vero ratione, ut cum iam dicti anni impleti fuerint, & tu fructus ipsius terræ tantos colligeris, ut debitum tuum suprascriptum exsolvant, ego res meas una cum cautione mea de manibus tuis recipiam. Quod si negligens aut tardus exinde apparavero, suprascriptum debitum in duplum partibus tuis sum redditurus.

CXLVII. CAVTIO DE VINEA.

DOMINO fratri ill. ego ill. Ad petitionem meam mihi non denegasti, nisi ut in summa necessitate mea argentum & amictum, valentem solid. tantos, in manu mea ad præstitum beneficium mihi dedisti. Propterea oppignoro tibi vineam proprietatis meæ in pago ill. in loco qui dicitur ill. aripennes tantos. Subiungitur de ambobus lateribus & ambabus frontibus terra ill. infra ipsa terminatione & mensura ad integrum. Vsque ad annos tantos fructum quem ibidem Deus dederit, ad partem tuam elidiatum habere debes, * & partem & ipsum ipsa vinea condirgere * facias. Et cum ipsos fructus tantis annis transactis habueris, & debitum tuum tibi reddidero. cautionem meam pro manibus recipiam, stipulatione subnexa. Actum ibi, *& reliqua*.

CXLVIII. EVACVATORIA.

DOMINO fratri ill. Omnibus non habetur incognitum, qualiter ante hos annos, solidos nostros numero tantos ad beneficium accepisti, & cautionem nobis pro hoc emisisti, ut ipsos solid. tunc nobis reddere deberes, quod ita & fecisti. Sed dum illam cautionem, quam nobis emiseras, ad præsens non invenimus, ideo tibi hanc epistolam evacuatoriam fecimus, ut de ipsis solid. tant. omni tempore ductus & absolutus resedeas. Et si ipsa cautio apparuerit, vel à nobis aut heredibus nostris quoquo tempore ostensa fuerit, nullum sortiatur effectum, sed vacua & inanis permaneat.

CXLIX. ALIA EVACVATORIA.

FRATRI ill. Omnibus nôn habetur incognitum, quod ego ad petitionem tuam solid. tant. ad præstitum beneficium in manu tua tibi præstiti, & tu pro hoc talem epistolam cautionis in me adfirmasti, ut usque ad annos tantos in unaquaque hebdomada dies tantos opera mea facere deberes, quod ita & fecisti: ad placitum ipsum debitum mihi reddere deberes, quod ita & fecisti: & ego ipsam cautionẽ minime invenire possum. Propterea talem epistolam evacuatoriã in te fieri & adfirmare rogavi, ut ipsa cautio ullo unquam tempore

tempore inventa & reperta fuerit, nullum obtineat effectum, sed inanis permaneat. Et nec ego ipse, nec ullus de heredibus meis, vel quislibet de parte mea, ipsum debitum superius nominatum, neque ipsam cautionem, ullo modo ullo unquam tempore repetere debeamus. Quod si adtentaverimus, *& reliqua*.

CL. SI ALIQVIS REM ALTERIVS QVAM EXCOLIT, AD PROPRIETATEM SACIRE VVLT SED NON POTEST, ET POSTEA EAM PRECARIAVERIT.

DOMINO inlustri ill. & mihi propitio Domino ill. Dum per malorum hominum consilium, quod non debueram, de terra vestra, in loco nuncupato ill. quam excolere videor, avellere amavi, & ipsam terram ad proprietatem sacire, & non potui; quod nec ratio præstitit, & vos vel agentes vestri eam ad partem vestram revocastis, vel nos exinde eiecistis: sed postea ad petitionem bonorum hominum nobis eam ad excolendum reddidistis. Propterea hanc precariam dominationi vestræ emittimus, ut quamdiu vobis placuerit, ut eam teneam, absque ullo vestro præiudicio, quidquid reliqui accolani vestri faciunt, nos reddere spondemus. Quod si non fecerimus, & in hoc negligentes, tardi, aut contumaces fuerimus, publicè per hanc precariam, acsi semper per quinquennium renovata fuisset, condemnati, ut lex præstitit tardis & negligentibus, de ipsa terra nos pontificium habeatis eiiciendi. Facta precaria ibi, sub die ill. anno ill. illo Rege.

CLI. CESSIO.

LATORVM legum auctoritas, & Principum decreta sanxerunt, ut unusquisque dum manet in corpore, de propria quam possidet facultate, si quid alteri concesserit, voluntatem suam gestibus, aut testibus, aut scriptura profiteatur, ut perennibus temporibus inviolata permaneat. Igitur ego in Dei nomine ill. tibi fideli nostro cedo à die præsente, cessumque in perpetuum esse volo, hoc est, villam iuris mei nuncupatam ill. sitam in pago ill. in condita ill. cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, sylvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omnibus appendiciis, suisque adiacentiis, & omni supraposito, vel quidquid in iam dicto loco in die præsente tenere & possidere videor: ita ut quidquid exinde facere volueris, iure proprietario liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem. quia malo hoc te habere quam me, plus te, quam ceteros heredes meos. Et si fuerit aut ego ipse, aut alius de heredibus meis, vel quislibet persona, qui contra hanc cessionem aliquid refragare, vel calumniam generare præsumserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra quem litem intulerit, una cum socio fisco inferat solid. tantos. Et hæc cessio meis vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione subnexa, diuturno tempore maneat inconvulsa. Actum, *& reliqua*.

CLII. TRADITIO CVICVNQVE TRADERE VOLVERIT.

LATORES legum ſanxerunt, ut qui de iure proprio alicui aliquid tradere voluerit, hoc coram pluribus teſtibus per ſcripturarum firmiter ſeriem faciat obligari, ut in ævum inconvulſum valeat permanere. Idcirco ego in Dei nomine ill. venerabili viro ill. Dono ſiquidem tibi per hanc chartulam traditionis, ſive per feſtucam atque per andelangum, aliquam rem meam in pago ill. in loco nuncupato ill. ſuper fluvium ill. id eſt, manſos tantos, cum hominibus ibidem commanentibus, vel adſpicientibus, cum terris arabilibus, ſylvis, campis, pratis, paſcuis, vel quidquid in ipſo loco noſtra videtur eſſe poſſeſſio vel dominatio. In ea vero ratione, ut ab hac die hoc habeas, teneas, atque poſſideas, vel quidquid exinde facere volueris, liberam in omnibus habeas poteſtatem. Et ſi quis deinceps, quod futurum eſſe non credo, ſi ego ipſe, quod abſit, aut ullus quislibet de heredibus meis, ſeu quælibet extranea perſona, contra hanc traditionem à me ſponte factam, aliquam calumniam generare præſumſerit, exſolvere faciat dupliciter, quantum eo tempore ipſa res valere dignoſcitur, & quod repetit nullo modo evindicare prævaleat, ſed magis præſens hæc chartula, tam à me, quam ab aliis bonis hominibus roborata, omni tempore firma permaneat, cum ſtipulatione interpoſita. Actum.

CLIII. TRADITORIA DE TERRA.

VENIENS homo aliquis nomine ill. in pago ill. in loco qui dicitur ill. ante bonos homines, qui ſubter firmaverunt, terram illam, id eſt, tam manſis, *& cet.* totum & ad integrum, quam ante hos dies homini alicui nomine ill. per venditionis titulum accepto vero pretio viſus fuit vendidiſſe, ante ipſos bonos homines ad integrum, quidquid prædicta venditione ei vendidit per manus partibus ipſius ill. vel herba vel terra viſus fuit tradidiſſe, & per ſuam feſtucam contra ipſum ill. exinde exitum fecit, ut ipſe ill. quidquid de ipſa terra à die præſente facere voluerit, liberam & firmiſſimam in omnibus habeat poteſtatem faciendi. *& cetera.*

CLIIII. ALIA TRADITORIA DE VENDITIONE.

NOTITIA qualiter & quibus præſentibus veniens homo aliquis nomine ill. miſſus illuſtris viri ill. ſuper fluvio ill. in loco qui dicitur ill. illum manſum, vel illam terram, quam ill. homo, hominibus ill. ante hos dies ad caſam ſancti ill. pagenſis, per chartam ceſſionis partibus ipſius ill. per oſtium & anaticula (*de ipſa caſa.* per herbam vel terram *de ipſo manſo, vel quidquid ad ipſum manſum adſpicit*) ſicut in ipſa ceſſione eſt inſertum, ad partem ill. Eccleſiæ viſus fuit tradidiſſe atque conſignaſſe. Id ſunt quibus præſentibus. *& cetera.*

CLV. ALIA TRADITIO.

NOTITIA loco traditionis, qualiter vel quibus præsentibus, ante eos qui subter firmaverunt, ibique veniens homo aliquis nomine ill. illas res vel villas ill. quas ipse ante hos dies per suam epistolam donationis ad monasterium illud, in honorem sanctorum ill. constructum, ubi dominus ill. Abba præesse videtu , à die præsente ad integrum concessit & confirmavit (iam nomina ill.) per portas & per ostia. Et dictam donationem ad missum de supradicto monasterio, vel dicti Abbatis nom. ill. visus fuit per omnia, & in omnibus, quantum illa epistola commemorat, & insertum est, consignavit, tradidit, & vestivit, & per durpilum & festucam sibi foras exitum alienum vel spoliatum in omnibus esse dixit, & omnia wirpivit, his præsentibus. Actum fuit ibi, *& reliqua.*

CLVI. ALIA TRADITORIA.

NOTITIA traditionalis, vel quibus præsentibus venit homo aliquis nomine ill. ad ill. mansum, quem ante hos dies per chartulam venditionis ad filium suum adfirmavit per hostium & anatalia, per herbam & vitem ei visus tradidisse vel consignasse, & exitum inde se fecit, his præsentibus, *& reliq.*

CLVII. CARTA AVDIENTIALIS.

CVM in nostra vel procerum nostrorum præsentia homo nomine ill. hominem aliquem nomine ill. interpellasset, dum diceret, quod servo suo nomine ill. una cum rauba sua in sol. tantos, post se fugitivos pedes recepisset, vel post se retineret indebite: & præfatus ill. omnia hæc visus est fortiter denegasse, quod nec ipsi servo fugitivos pedes, nec rauba sua post se unquam recepisset. Sed dum inter se intenderent, sic eidem à proceribus nostris, inquantum inluster vir ill. Comes palatii nostri testimoniavit, fuit iudicatum, ut de quinque denominatis idem ill. apud tres, & alios tres sua manu septima, tunc in palatio nostro super capella domni Martini, ubi reliqua sacramenta percurrunt, debeat coniurare, quod suprascipto ill. memoratus ill. pedes fugitivos una cum rauba sua in solid. tantos post se nunquam recepisset. Si hoc coniurare potuerit, de hac causa ductus resedeat: sin autem non potuerit, ipsum servum una cum rauba sua in solid. tantos, cum legis beneficio partibus antedicti ill. reddere studeat. Interim vero usque in ipsum placitum neutra pars ex ipsis iectiva appareat; unde æquales præceptiones eis fieri & accipere iussimus.

CLVIII. IVDICIVM EVIDENTALE SIVE CHARTA IECTIVA.

VENIENS ill. in nostram vel procerum nostrorum præsentiam, suggessit quod homo nomine ill. pagensis vester, eum in villa, nulla manente causa adsallisset, & eum graviter livorasset, vel rauba sua in solid. tantos eidem abstulisset, & ob hoc vobis per nostram ordinationem tales datos habuisset fideiussores, ut Kal. ill. ex hoc in nostram præsentiam debuissent

adstare causantes. Ad quod placitum veniens memoratus ill. ibi in palatio nostro, cum per triduum seu amplius, ut lex habet, placitum suum costodisset, & memoratum ill. abiectisset vel solsatisset, ipsum nec venisse ad placitum, nec ulla sunnia nuntiasse adfirmat. Proinde nos taliter una cum nostris proceribus constitit decrevisse, ut si evidenter memoratus ille pro hac causa tales vobis datos habuit fideiussores, & placitum suum minime custodivit, dum & inlustris vir ill. Comes palatii nostri testimoniavit, quod antedictus ille placitum suum legibus custodivit, & eum abiectivit vel solsativit, & ipse ill. placitum suum custodire neglexit: iubemus ut quidquid lex loci vestri de tali causa edocet, vobis distringentibus antedictus ille partibus ill. componere & satisfacere non recuset.

CLIX. INDICVLVS REGALIS DE IACTIVIS.

ILLE Rex Francorum vir inlustr. Cum nos in Dei nomine in palatio nostro ad universorum causas audiendum, vel recta iudicia terminandum, una cum proceribus regni nostri resideremus, ibi veniens homo aliquis nom. ill. suggerebat, eo quod nostro signaculo hominem aliquem nom. ill. mãnitum habuisset, ut super noctes tantos ante nos debuisset venire in rationes, pro eo quod dixit, quod res suas post se malo ordine teneret iniuste. Ad quod placitum veniens ipse ill. per triduum seu amplius placitum suum custodivit; & nec ipse ill. ad eum placitum venit, nec missum in vicem suam direxit, qui ulla sonia nuntiasset. Proinde nos taliter una cum fidelibus nostris, vel Comite palatii nostri ill. visi fuimus iudicasse, ut dum ipse ill. per triduum seu amplius placitum suum legitime custodivit, & nec ipse ill. ad eum placitum venit, nec missum in vicem suam direxit, qui ulla sonia nuntiaret, & placitum suum neglexit, & iactivus exinde remansit. Propterea iubemus, ut quidquid lex loci vestri de tali causa habuerit, ipse ill. partibus ipsius ill. hominis componat, atque emendare studeat.

CLX. NOTITIA DE HOMINE MORTVDO.

NOTITIA qualiter & quibus præsentibus, veniens homo aliquis nom. ill. in pago ill. in loco qui dicitur ill. in mallo publico, ante ipsum Comitem ill. vel alios bonos homines qui subter firmaverunt, posita manu sua supra sacrosanctum altare sancti ill. sic iuratus dixit. Iuro per hunc locum sanctum, & Deum altissimum, & virtutes sancti ill. quod homo aliquis nomine ill. irafactus cum armis suis super me venit, & colpos super me misit. Et sic mihi directum dedit, ego ipsum armis meis percussi, & tales colpos ei dedi, per quod ipse mortuus est. Et quod feci, super me feci, & ego hodie ipsum facio fordanno & forbattatudo infra noctes XLII. sicut lex & nostra consuetudo est, apud tres aloarios, & XII. conlaudantes iuraverunt, & de linguis eorum legibus dixerunt. Id sunt qui præsentes fuerunt, *& reliqua*.

CLXI. NOTI-

CLXI. NOTITIA DE SERVO.

NOTITIA qualiter & quibus præsentibus veniens homo aliquis nomine ill. in pago ill. in loco qui dicitur ill. seu in mercado, vel in quocunque loco, ante bonos homines, qui subter firmaverunt, dato suo pretio ad hominem negotiantem sol. tant. servum suum nomine ill. visus est comparasse. Et ipse negotians ipsum servum superius nominatum per manus partibus ipsius visus est tradidisse, non fraude, sed in publico, ut quidquid exinde à die præsente facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus potestatem habeat faciendi. Id sunt, *& reliqua.*

CLXII. NOTITIA DE SERVO, QVEM COLONVS COMPARAT.

NOTITIA qualiter vel quibus præsentibus veniens magnificus vir ill. die ill. in ill. civitate, in mallo publico ante illustrem virum ill. Comitem, & ante Apostolicum virum ill. vel præsentibus quam pluribus viris venerabilibus racimburgiis, qui ibidem ad universorum causas audiendum, vel recta in Dei nomine iudicia terminandum, residebant vel adstabant, quorum nomina subter tunentur adnexa, hominem aliquem nomine ill. interpellabat. Dixit, eo quod servus coloni sui nomine ill. de capite suo aderat, & venditionem habebat, quomodo ipse colonus ipsum comparaverat, & ipsam venditionem ibidem ostendebat ad relegendum. Relecta epistola sic ipsi viri ipsum interrogaverunt, si aliquid contra ipsam chartam dicere vellet, vel si eam agnosceret, an non? Sed ipse servus ipsam chartam veram & legitimam recognovit. Sic ipsi viri tale decreverunt iudicium, ut ipse ill. ipsum ad servitium recipere deberet, quod ita & fecit, & per manus ill. vicarii, per iussionem illustris viri ill. Comitis, & per iudicium ab ipsis personis præsentaliter recepit, his præsentibus. Datum ibi, sub die ill.

CLXIII. NOTITIA DE COLONITIO.

NOTITIA qualiter & quibus præsentibus veniens homo aliquis nomine ill. in pago ill. in mallo publico ante virum ill. Comitem vel reliquos quam plures bonos homines, qui subter firmaverunt, hominem aliquem nom. ill. ibidem interpellabat; repetebat ei, quod genitor suus aut genitrix sua ill. coloni sui fuissent, & ipse ill. suus colonus esse debebat, & malo ordine de ipso colonatico se abstrahebat, & negligens erat. Interrogatum fuit ab ipsis viris ill. si ipse ill. colonus ipsius ill. esse deberet, an non, in præsente ei dicere deberet. Et ipse ill. nullatenus potuit dicere, nec adponere, nec ullam rationem tradere, per quam ipse de ipso colonatico se abstrahere potuisset: & in præsente pro colono ipsius ill. se recredidit & recognovit, sic ab ipsis viris fuit iudicatum, ut ipse ill. ipsum ill. pro colono habere deberet. Et sic iam dictus Comes ipsum ill. per manus partibus ill. visus est reddidisse. His præsentibus, *& reliqua.*

CLXIIII. NOTITIA DE COLONO EVINDICATO.

VENIENS homo aliquis nom. ill. advocatus ill. de monasterio sancti ill. vel ill. Abbat. de ipso monasterio, die ill. in mallo publico, ante illustrem ill. virum, ill. Comitem, vel ante quam plures personas, qui ibidem aderant, ad universorum causas audiendum, vel recta iudicia in Dei nomine terminandum, qui subter firmaverunt, fœmina aliqua nomine ill. ibidem interpellabat, repetebat ei dum diceret, eó quod avus suus nomine ill. quondam, vel genitor suus ill. quondam coloni sancti ill. de villa ill. fuissent, & ipsa fœmina colona esse deberet, & de ipso colonitio malo ordine de ipsa casa Dei effugeret. Sic ipsa fœmina in præsente adstitit, & ab ipsis personis ei interrogatum fuit, si ipsa causæ esset veritas, an non? Sed ipsa in omnibus fortiter denegavit, & taliter dixit, quod avus suus ill. quondam, vel genitor suus ill. quondam, coloni sancti ill. de villa ill. nunquam fuissent, nec ipsa colonitium de capite suo ad ipsam casam Dei sancti ill. nunquam redebeat, sed de patre & matre bene ingenua nata vel procreata fuisset. Sic de ipsis personis taliter ei fuit iudicatum, ut apud XII. homines parentes suos, octo de patre, & quatuor de matre, si præmortui non sunt, & si præmortui sunt, apud XII. homines bene francos Salicos, in ipso mallo super altare sancti ill. in proximo mallo, quem ipse Comes ibidem tenebit, hoc coniurare debeat, quod avus suus ill. quondam, & genitor suus ill. quondam, coloni sancti ill. de monasterio ill. de villa ill. nunquam fuissent, nec ipsa colonitium de capite suo ad ipsam casam Dei non redebeat. Et si hoc in eo placito, sicut superius insertum est, coniurare potuerit, de hac causa ducta & secura resedeat: sin autem non potuerit, ad ipsam casam Dei se recognoscere faciat. Datum ibi, *& reliqua.*

CLXV. ALIA NOTITIA DE COLONO EVINDICATO.

NOTITIA qualiter vel quibus præsentibus veniens homo aliquis nom. ill. advocatus sancti ill. de monasterio ill. & ill. Abbatis, in civitate ill. in mallo publico ante illustrem virum ill. Comitem, vel alios quam plures personas ibidem residentes, interpellabat hominem aliquem nomine ill. repetebas ei dum diceret, eo quod ante hos dies ipsum hominem sacramento contra ipsam casam Dei, vel ipsius Abbatis, habuisset adrhamitum, ad suam ingenuitatem defensandum, in ipso mallo, in basilica sancti ill. ob hoc iurare debuisset; & ipse homo de ipso sacramento iectivus remansit, & nullatenus rationes potuit tradere, per quas ingenuus esse deberet, vel ipsum sacramentum iurare potuisset. Et dum de hac causa apud ipsum Comitem, vel ipsos Rachimburgios diligenter fuit inquisitum, & legibus fuit definitum, ipse homo in præsente pro colono ad casam sancti ill. vel ipsius Abbatis se recognovit vel recredidit: & ipse vicarius per iussionem ipsius Comitis ipsum hominem per manus pro colono, ill. Abbatis advocato visus est reddidisse. Propterea taliter ei fuit iudicatum, ut de hac causa notitiam bonorum hominum

minum manibus roboratam accipere deberet, quod ita & fecit. Vt ipsum hominem ipsa casa Dei, vel ipse Abba, seu rectores eorum, pro colono habeant evindicatum, & sit inter ipsos postmodum ex hac re sublata causatio, his præsentibus, qui subter firmaverunt.

CLXVI. SACRAMENTALE.

VENIENS advocatus sancti ill. de monasterio ill. seu & ill. Abbatis, de prædicto monasterio ill. in mallo publico, ante inlustrem virum ill. Comitem, vel alios quam plures, qui ibidem aderant, interpellabat hominem aliquem, nomine ill. repetebat ei dum diceret, eo quod genitor suus nomine ill. colonus sancti ill. de villa ill. fuisset, & ipse colonitium de capite suo ad ipsam casam Dei redebeat, & exinde negligens aderat, & ipse in præsente hoc fortiter denegabat, & taliter dedit in suo responso, quod de patre Franco fuisset generatus, & de matre Franca fuisset natus. Vnde tale sacramentum per suam festucam visus fuit adrhamire, & taliter ei fuit iudicatum, ut hac causa apud proximiores parentes suos, octo de parte genitoris sui, & quatuor de parte genitricis suæ, si præmortui non sunt, & si præmortui sunt, apud XII. Francos tales, qualem se esse dixit, in ill. castro, in basilica sancti ill. ubi reliqua sacramenta percurrunt, in XL. noctes, in proximo mallo, post bannum recisum hoc debeat coniurare.

CLXVII. IVDICIVM EVINDICATIONIS DE COLONO.

CVM resedissent venerabilis ill. Abba, & inluster vir ill. in villa ill. in pago ill. ubi ille Comes esse videtur, per iussionem Domni & gloriosi ill. Regis, ad universorum causas audiendum, vel recta iudicia in Dei nomine terminandum. Ibique veniens ill. advocatus monasterii ill. vel ill. Abb. hominem aliquem nomine ill. interpellabat, repetebat ei dum diceret, eo quod legitimum colonitium partibus monasterii sancti ill. vel ill. Abbatis, ad villam ill. de parte genitricis suæ redeberet, & negligens & iectivus exinde adesset. Sed ipse homo de præsente adstabat, & ipsam causam nullatenus potuit denegare, & ad ipsum colonitium se recognovit. Proinde taliter ab ipsis missis dominicis, vel ill. Comite, seu & ab ipsis rachimburgiis, ipsius advocato, in causa sancti ill. vel ipsius Abbatis, pro firmitatis studio fuit iudicatum, ut dum ipsa causa taliter fuit inventa, & legib. definita, ut tale iudicium evindicationis exinde accipere deberet, quod ita & fecit, ut omni tempore ad ipsum colonitium sancti ill. ad villam ill. illum habeat evindicatum vel elidiatum, & sit in postmodum inter eos ex hac re sublata causatio. Datum in mense ill. in anno ill.

CLXVIII. ALIVD IVDICIVM EVINDICATI.

ILLE Rex vir inlustris. Veniens ante nos homo nomine ill. ibi in palatio nostro, placitum suum legibus custodivit, quod habebat apud

hominem aliquem nomine ill. quem per suam festucam ante nos visus fuit adrhammisse. Sed nuncupatus ill. non ad placitum suum venit, nec ipsum sacramentum iuravit, neque iuratores sui, nec ullus fuit testator, qui sunia nuntiasset. Proinde nos taliter una cum fidelibus nostris, id est, ill. & reliquis quam pluribus, visi fuimus iudicasse, ut dum ipse ill. tale sacramentum habuit adfirmatum, & ipsum nullatenus iuravit, nec ipse nec iuratores sui, sed exinde se iectivum in omne dimisit. Propterea iubemus, ut dum hanc causam sic actam vel perpetratam esse cognovimus, ut ipse ill. ipsas res in loco ill. contra superius nuncupatum ill. omni tempore habeat evindicatas atque eiudicatas: & sit inter ipsas postmodum ex hoc omnique tempore sublata causatio. Datum quod fecit mensis ill. dies tantus.

CLXIX. IVDICIVM SEV NOTITIA.

DVM resideret Comes ill. in mallo suo publico ad universorum causas audiendas, vel recta iudicia definienda, ibique veniens advocatus illius Episcopi, aliquem hominem nomine ill. interpellabat dum diceret, eo quod de capite suo legibus esset servus ipsius Ecclesiæ, vel ipsius Episcopi, & propter hoc de ipso servitio negligens atq; iectivus adesse videretur, quod genitor suus, vel genitrix sua, aut avus suus, aut avia sua fecerunt. Sed ipse vir præfatus in præsente adstabat, & hanc causam in omnibus denegabat, quod nec ipsi Episcopo, nec ipsi Ecclesiæ Dei, secundum legem nullum servitium agere deberet, eo quod de parte paterna aut de materna secundum legem ingenuus esse videretur. Sed ipsi scabini, qui tum ibidem aderant, ei visi fuerunt iudicasse, ut supra noctes XL. cum XII. Francis, sex de parte paterna, & sex de materna, in Ecclesia ill. iurare debuisset, quod de parte paterna aut de materna secundum legem Salicam ingenuus esse videretur. Ipsis vero noctibus expletis, venientes utique ad Ecclesiam illam, visus est ipse homo esse iectivus, eo quod non potuit ipsum sacramentum explere, sicut ei fuit iudicatum.

CLXX. NOTITIA DE TERRA EVINDICATA.

NOTITIA qualiter vel quibus præsentibus veniens venerabilis vir ill. Abba, de monasterio ill. die ill. in loco ill. ante illustres viros magnificos ill. & ill. missos Domni & gloriosissimi ill. Regis, vel alios quam plures, qui subter firmaverunt, quorum nomina subter tenentur inserta, hominem aliquem nomine ill. interpellabat, repetebat ei, quod ill. terram, quam apud hominem ill. concambiavit, quæ est in pago ill. in gravia ill. loco qui vocatur ill. post se malo ordine retineret iniuste. Et ipse homo in præsente adstabat, & hanc causam nullatenus potuit denegare, nec tradere rationes, per quas ipsam terram habere deberet. Sic ipsi homini fuit iudicatum, quod ipsam terram ante ipsos missos dominicos, secundum suam legem ipsi venerabili viro Abb. reddere vel revestire deberet, quod ita in præsenti & fecit. Propterea iubemus, ut dum hanc causam sic actam vel perpetratam esse cognovimus, ut ipsam terram ipse Abb. habeat evindicatam atque elidiatam,

diatam, & sit in postmodum ex hac re omnique tempore sublata causatio. Datum ibi sub die ill. anno ill. regnante Domino nostro ill. glorioso Rege.

CLXXI. INDICVLVS SI QVIS IN PRÆSENTIA REGIS AVCTOR FVERIT.

ILLE Rex illi Comiti. Veniens ill. aut missus ipsius in persona sua, ibi in palatio nostro, clementiæ regni nostri suggessit, quod homo aliquis nomine ill. villam suam ill. in pago ill. quidquid ibidem visus fuit tenuisse, per venditionis titulum accepta pecunia sua eidem visus est distraxisse, & ea ad præsens possidere videtur. Sed dum & ipse ill. ad præsens adstabat, interrogatum est ei à nobis, vel à proceribus nostris, si ipsam venditionem, quam ipse ill. de suprascripta re in præsente proferebat, de nomine eius fecisset, aut memoratam rem vendidisset, aut auctor eidem esse voluisset. Sed taliter in nostra præsentia memoratus ille professus est, quod & ipsam venditionem fecerat, & pretium de suprascripta re, quod ipsa venditio continebat, acceperat, & auctor eidem ex hoc & ad præsens, & inantea si ei necessitas contigisset, & erat & esse volebat. Ideo dum taliter coram nobis professus est, per præsens iubemus ac decernimus præceptum, ut memoratus ill. ipsam villam in iam dicto loco in integritate, & quidquid per ipsam venditionem accepisset, absque contrarietate vel repetitione illius, aut heredum suorum, quieto ordine debeat possidere, vel quidquid exinde facere ipse aut heredes sui decreverint, libero potiatur arbitrio.

CLXXII. NOTITIA DE CRVCE EVINDICATA.

DVM & omnibus non est incognitum, qualiter veniens homo aliquis nomine ill. ante vicarium inlustris viri ill. Comitis, nomine ill. adversus hominem aliquem nomine ill. repetebat ei dum diceret, eo quod terram suam de suo manso vel sua potestate malo ordine propriisset. Sed ipse ill. de præsente adstare videbatur, & hanc causam fortiter denegavit, quod suam terram de suo manso malo ordine nunquam proprisisset, nec post se unquam retinuisset. Sed taliter ei fuit iudicatum in ipso placito ante ipsum vicarium, vel ante ipsos pagenses, ut ad crucem ad iudicium Dei pro ipsa terra in noctes XLII. in ipso placito pro hoc deberet adstare, quod ita & fecit. Sed veniens ad ipsum placitum, sicut ei fuit iudicatum, ante ipsum vicarium, vel ante ipsos pagenses, ad ipsum iudicium, vel ad ipsam crucem eum convicit, & ipse ill. in ipso placito ad ipsam crucem visus fuit cecidisse. Sed dum hæc causa sic fuit inventa, quod ipse ill. quia ad ipsum iudicium vel ad ipsam crucem cecidisset, solid. tantos ei transsolvere deberet, quod ita & fecit. Tunc taliter ei iudicaverunt, ut ipse ill. de præsente die ipsam terram contra ipsum ill. vel heredes suos, vel quemlibet hominem omni tempore habeat evindicatam atque elidiatam, tam ipse ill. quam & posteritas sua, & ductus & securus exinde valeat residere. Facto iudicio in illo loco publicatur.

CLXXIII. NOTITIA SACRAMENTALIS.

NOTITIA qualiter & quibus præsentibus veniens homo aliquis nomine ill. in pago ill. in basilica sancti ill. ubi plurima sacramenta percurrere videntur, ante virum magnificum ill. vel reliquos cõplures bonos homines, qui subter firmaverunt, posita manu sua supra sacrosanctum altarium sancti ill. sic iuratus dixit. Hic iuro per hunc locum sanctum & Deum altissimum, & virtutes sancti ill. unde me homo ill. in mallo publico mallabat, quod ego terram suam, vel coniugis suæ ill. in pago ill. in loco qui dicitur ill. de eorum potestate per fortiam nec proprisi nec pervasi, sed de ista parte triginta & uno anno vel amplius semper exinde fui vestitus, & post me divisi: & per legem & iustitiam plus obtineat me illam habere, quam ipsi ill. aut coniugi suæ illam reddere. Et aliud de ista causa, quod mihi iudicatum fuit, in nullo non redebeo, nisi iustum & idoneum sacramentum, per hunc locum sanctum & dominum altissimum, & virtutes sancti ill. Insequenter vero post ipsum tres aloarii & XII. conlaudantes iuraverunt, & de linguis eorum legibus dixerunt. Id sunt, *& reliqua.*

CLXXIIII. NOTITIA DE HERBIS MALEFICIS.

NOTITIA qualiter & quibus præsentibus veniens fœmina aliqua nomine ill. in pago ill. in mallo publico, in basilica sancti ill. ante illos & illos & alios quam plures bonos homines, qui subter firmaverunt, posita manu sua super sacrosanctum altare sancti ill. sic iurata dixit. Hic iuro per hunc locum sanctum & Dominum altissimum, & virtutes sancti ill. unde me ill. ante virum magnificum ill. vel alios bonos homines mallavit, quod ego herbas maleficas temperassem, vel bibere ei dedissem, per quod ipse infirmari, aut vitam suam perdere debuisset, ego herbas maleficas nec potiones malas nunquam temperavi, nec bibere dedi, per quod ipse infirmus vel insanus fuisset, aut vitam suam perdere debuisset, & aliud de ista causa in nullo non redebeo, nisi in iusto & idoneo sacramento, per hunc locum & Deum altissimum, & virtutes sancti illius. Insequenter vero post ipsum tantæ iuraverunt, & de linguis eorum legibus dixerunt. *& reliqua.*

CLXXV. CAVTIO DE CLAVIBVS.

DVM & pluribus hominibus est patefactum, qualiter in Dei nomine ill. veniens in placitum ante quam plures bonos homines, adversus hominem nomine ill. repetebat ei dum diceret, eo quod cellariam, vel camenam, & granicam, quidquid in ea habuit repositum, hoc est aurum, argentum, drapalia, arma, vinum, annonam, vel vitalia sua, per suas claves commendasset ad custodiendum, vel ad servandum, & ipsam rem in naufragium vel in damnum posuit. Sed ipse ill. de præsente adstabat, & hanc causam nullatenus potuit denegare; sed taliter ei fuit professus, quod ipsa res superius denominata per suum neglectum, & per suum facinus fuit perdita vel naufragata.

Tunc

Tunc taliter ei iudicaverunt, ut ipsam rem ei transolvere vel emendare deberet. Sed cum ipse ill. nullatenus habuit unde ipsam rem transsolvere vel emendare deberet, taliter ei fuit iudicatum, ut talem cautionem de capite suo, manu sua vel bonorum hominum firmatam, ei fieri vel conscribere rogaret, quod ita & fecit: Vt dum ipsam rem rem habui, unde pretio transolvere vel emendare debuissem, quamdiu advivam in servitio publico, quod mihi iniungitis, vobis deservire debeam. Et si negligens aut tardus de ipso servitio apparuero, qualemcunque disciplinam aliis servis tuis impendis, talem super me potestatem habeas ad faciendum. Et si fuerit aut ego ipse, aut ullus de meis heredibus, qui contra hanc cautionem istam venire aut reclamare, *& reliqua*.

CLXXVI. INDICVLVS REGALIS.

ILLE Rex Francorum vir inlustr. magnifico Comiti ill. Cognoscas quia iste præsens missa petitione nobis suggessit, quod homo aliquis nom. ill. res suas in vestro ministerio ad sanctum ill. delegasset: & dicit quod ill. vel alii homines ipsas res contendunt malo ordine. Propterea omnino te rogamus, ut si veritas est integra, iustitiam sine ulla moratione ei facias exinde; & si antea minime definitum fuerit, tunc ipsos homines, qui hoc contendunt malo ordine, per fideiussores positos per noctes tantas, postquam has litteras recipies, ante nos facias advenire. Taliter agas, si gratiam nostram velis habere.

CLXXVII. ITEM ALIVS INDICVLVS.

DOMINIS sanctis in Christo patribus, omnibus Episcopis, seu & venerabilibus omnibus Abbatibus, atque inlustribus viris, seu & viris magnificis, domesticis, vicariis, centenariis, etiam paribus & amicis nostris, seu & missis nostris discurrentibus, ille Rex Francorum vir inluster. Cognoscatis, quod iste præsens ill. ad nos venit, & nostram commendationem expetivit habere, & nos ipsum gratanti animo recepimus vel retinemus. Propterea omnino vos rogamus, atque iubemus, ut neque vos, neque iuniores, neque successores vestri ipsum vel homines suos, qui ad ipsum legitime spectare videntur, inquietare, nec condemnare, nec de rebus suis in ullo abstrahere, nec dismannire præsumatis, nec facere præcipiatis. Et si talis causa adversus eum surrexerit, aut orta fuerit (* & ibidem adimpletis vos absque eorum in quo dispendio minime definita fuerit, quod ante nos separare vel reservatas *) & talis causa ante nos finitivam accipiat sententiam. Et ut certius credatis, manu nostra subter firmavimus, & de anulo nostro sigillavimus.

CLXXVIII. MANDATVM.

DOMINO fratri ill. Precor & supplico dominationi vestræ, dum & causam pro alode (aut qualemcunq;) cum homine nomine ill. in palatio, aut ubi libet, habere videor, ut ipsam suscipere ad mallandum vel prosequendum

in vicem meam debeas, & cum suprascripto illo ex hoc rationare, vel quidquid exinde cum eo de ipsa causa egeris, gesserisve, ratum & definitum apud me esse cognoscas. Factum mandatum sub die ill.

CLXXIX. ALIO MODO.

MAGNIFICO fratri ill. ego ill. filius illius. Rogo, supplico, atque tuæ caritati iniungo, ut ad vicem meam civitatem illam adeas, & donationem illam, quam ego partibus illius de locis nostris, nuncupatis ill. in pago ill. per mea legitima strumenta confirmavi, gestis municipalibus cum curia publica & defensione facias allegari vel prosequi, & de ipsa prosequutione me reddas certiorem. Et quidquid exinde egeris gesserisve ratum apud me in omnibus esse cognoscas. Quod mandatum ut pleniorem obtineat vigorem, manu propria subter firmavi, & bonorum virorum subsciptione firmandum decrevi, *& reliqua*.

CLXXX. MANDATVM QVALITER MARITVS NEGOTIVM VXORIS PROSEQVATVR.

DVM & humana prodidit utilitas, & lex Romana exposcit, ut quicunque uxoris suæ negotium fuerit prosequutus, quamvis maritus sit, nihil aliud agat, nisi quod ei ad agendum per mandatum illius commissum fuerit. Igitur ego in Dei nomine ill. filia illius, te dulcissimum iugalem meum ill. dum mihi simplicitas dominatur, quod minime res meas vel causas valeo exercere, in omnibus rebus vel causis meis instituo dominum, procuratorem, & actorem: ita ut quidquid exinde egeris gesserisve, ratum vel definitum in omnibus esse cognoscas. Et adhuc mihi inserere placuit, ut hoc mandatu civitatem illam adeas, & cum curia publica, ut mos est, gestis municipalibus facias alligare. Et ut nostra voluntas ævis temporibus firmius perduret, manu propria, & bonorum virorum subscriptione roborandum decrevi.

CLXXXI. ALIVD MANDATVM.

DOMINO magnifico fratri ill. ego ill. Omnibus non habetur incognitum, qualiter me senectus adgravat, & infirmitas domat, ut causas meas minime valeam prosequi vel admallare. Propterea precor & supplico caritati tuæ, ut in vicem meam omnes causas meas tam in pago, quam & in palatio, vel in quibuscunque pagis vel territoriis, ubicunque oportet, apud quemlibet hominem, tam ad mallandum, quam ad responsum dandum, prosequi facias. Et quidquid exinde egeris gesserisve, apud me in omnibus & ex omnibus ratum & definitum esse cognoscas: quia amo te quam me, plus te quam heredes meos. Et ut hoc mandatum maiorem obtineat firmitatem, quasi gestis fuisset allegatum, manu propria subter decrevi adfirmare, & qui subscripserunt in præsente rogavi.

CLXXXII. ALIVD MANDATVM.

LEGIBVS institutum est, & consuetudine per tempora conservatum, ut quicunque advocatum instruere velit, mandato legaliter dato, atque sollemniter confirmato eum instruere debeat, ut omnes causas, quas aggredi vel repellere debet, prosequi & defendere inoffense valeat. Igitur ego ill. sanctæ ill. Ecclesiæ vocatus Episcopus, iniungo, mando, & per has litteras delego tibi, ill. fideli meo, ut res sancti ill. sitas in pago ill. in locis nuncupatis ill. cum adiacentiis vel adspicientibus ad eas locis aliis, pro omni iure investigare, inquirere, persequi, & admallare debeas per mallos, vicos, castella, oppida, & civitates, necnon etiam, si necessitas incubuerit, in palatio ante vicarios, Comites, missos dominicos, Comites palatii, sive ante omnes iudices, quibus hoc officium delegatum est, ut causationes & lites definire & terminare iuste & rationabiliter debeant. Et quidquid legibus cum iustitia inde prosecutus fueris & definieris, scito apud me ratum & acceptum atque inconvulsum mansurum. Quod mandatum in te collatum, ut firmum fixumque permaneat, manu propria subter firmavi, & qui adfirmare deberent, rogavi.

CLXXXIII. ALIVD MANDATVM.

MAGNIFICO fratri ill. ego ill. Omnibus non habetur incognitum, quam me gravis ægritudo domet, ut eleemosynam meam minime valeam procurare. Propterea rogo caritatem tuam, ut propter Deum de rebus meis in vice mea eleemosynam facere vel dispensare debeas. Pro hoc trado tibi à die præsente omnes res meas in pago ill. in loco cuius vocabulum est ill. id est, terris, mansis, domibus, ædificiis, quantumcunque visus sum tenere, totum & ad integrum, quidquid dici aut nominari potest, tam de alode, aut de comparato, vel de quolibet adtractu, in quibuscunque pagis aut territoriis visus sum habere, totum & ad integrum, rem inexquisitam, per meos wadros, aut andelangos, per hoc mandatum ad meam eleemosynam faciendam in pauperes vel sacerdotes tibi trado, ut quidquid exinde egeris gesserisve, apud me in omnibus & ex omnibus ratum & aptum atque transactum definitumque esse cognoscas. Et quod nec fieri credo, si ego ipse aut aliquis, *& reliqua*.

CLXXXIIII. DE FORMATIS.

GRÆCA elementa litterarum numeros exprimere, nullus qui tenuiter Græci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis canonicis, quas mos Latinus Formatas vocat, aliqua fraus falsitudinis temere præsumeretur, hoc à patribus CCCXVIII. Nycææ congregatis, saluberrime inventum est & constitutum, ut Formatæ Epistolæ hanc calculationis, seu supputationis habeant rationem, id est, ut adsumantur in supputationem prima Græca elementa Patris & Filii & Spiritus sancti, hoc est, Π. Υ. Α. quæ elementa octogenarium quadragentesimum & primum significant numerum. Petri quoque Apostoli prima littera, id est, Π.

qui numerus octoginta significat; eius qui scribit epistolam, prima littera; cui scribitur, secunda littera; accipientis, tertia littera; civitatis quoq; de qua scribitur, quarta; indictionis quoque, id est temporis qui fuerit numerus adfirmatur. Atque ita his omnibus litteris Græcis, quæ ut diximus numeros exprimunt, in unum ductis, quæcunque collecta fuerit, summa epistola teneat: hanc qui suscipit, omni cautela requirat expresse. Addat præterea separatim in epistola etiam nonagenarium & nonum numerum, qui secundum Græca elementa significatur.

CLXXXV. LITTERÆ COMMENDATITIÆ.

SANCTO & Deo amabili MAGNONI, dono Dei Archiepiscopo ex Senonica urbe. Ego enim in Dei nomine Ebroinus, dono Dei Archiepiscopus ex Biturige urbe, in Domino Iesu salutem optamus vobis in perpetuum. De cetero notum facimus sanctitati vestræ, quia istum præsentem presbyterum nomine Dodobertum, parochianum nostrum, in nostra dioecesi natum, & sacris litteris educatum, ad ordinem sacrum promoveri iussimus: postea vero petiit à nobis licentiam, ut in vestra parochia apud hominem aliquem nomine Hercambaldo manere posset. Nos vero petitionem illius non denegavimus, nisi licentiam illi dedimus, quia scimus, quod de bene liberis hominibus ortus sit. Vnde has litteras commendatitias, more Ecclesiastico factas, ad sanctitatem vestram misimus, ut scire valeat Deo digna caritas vestra, eum nec fuga lapsum, nec sua malitia à nobis eiectum, sed nostra voluntate destinatum. Et ut certius credatis, Græca elementa, quæ octogenarium quadringentesimum & primum numeros exprimunt, in primis adnexuimus. Π. Petri quoque nom. primam litteram sumtam in medium adscribere rogavimus. Nihilominus etiam parvitatis nostræ nom. primam litteram Ε. magnitudinis vestræ secundum litteram Α. istius fratris nom. tertiam litteram Δ. civitatis nostræ quartam Ω. & indictionem quartam adiunximus. Addidimus nonagenarium & nonum numerum id est Φ & Θ. & insequenter impressione sigilli nostri subter firmavimus, & manu propria eam roboravimus, & à clericis nostris roborari iussimus. Actum in anno X. imperii Domni nostri ill. & anno XLIII. regni eius, in Dei nomine feliciter. Amen.

FORMVLÆ

FORMULÆ EXORCISMORUM AD MALEFICIA REPRIMENDA.

I. EXORCISMUS AQUÆ CALIDÆ SEU FRIGIDÆ, IN QUAM MANUS AD IUDICIUM MITTITUR.

BENEDICTIO AQUAE CALIDAE.

EXORCIZO te creatura aquæ, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Iesu Christi, filii eius, Domini nostri, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & omne phantasma diaboli, ut si hic homo qui manum suam in te missurus, est innocens, unde reputatur, pietas Dei omnipotentis liberet eum. Et si, quod absit, culpabilis est, & præsumptuose in te manum mittere ausus fuerit, eiusdem omnipotentis virtus super eum hoc declarare dignetur: ut omnis homo timeat, & contremiscat nomen sanctum gloriæ Domini nostri, qui vivit & regnat Deus per omnia, *&c.*

Domine IESU CHRISTE, qui es iudex iustus, fortis & patiens, & multum misericors, per quem facta sunt omnia, Deus Deorum & Dominus dominantium, qui propter nos homines, & propter nostram salutem de sinu Patris descendisti, & ex virgine Maria carnem assumere dignatus es, & per passionem tuam mundum in cruce redemisti, & ad inferos descendisti, & diabolum in tenebris exterioribus conligasti, & omnes iustos, qui originali peccato ibidem detinebantur, magna potentia exinde liberasti, tu Domine quæsumus mittere digneris Spiritum tuum sanctum ex summa cœli arce super hanc creaturam aquæ, quæ ab igne fervescere atque calescere videtur, quæ rectum per eam iudicium super hunc hominem nomine ill. comprobet ac manifestet. Te Domine Deus supplices deprecamur, qui in Cana Galileæ signo admirabili tua virtute ex aqua vinum fecisti, & tres pueros Sidrac, Misac, & Abdenago, de camino ignis ardentis illæsos eduxisti, & Susannam de falso crimine liberasti, cæco nato oculos aperuisti, Lazarum quatriduanum à monumento suscitasti, & Petro mergenti manum porrexisti, ne respicias peccata nostra in hac oratione, sed tuum verum & sanctum iudicium coram hominibus in hoc manifestare digneris, ut si hic homo pro hac reputationis causa, furto videlicet, vel homicidio, aut adulterio, vel

luxuria, aut pro qualibet causa culpæ modo ad præsens manum suam in hanc aquam igne ferventem miserit, & culpabilis ex hac causa non est, hoc ei præstare digneris, ut nulla læsio vel macula in eadem manu appareat, per quam sine culpa calumniam incurrat.

Iterum te, Deus omnipotens, nos indigni & peccatores famuli tui suppliciter oramus, ut sanctum, verum, & rectum iudicium nobis in hoc etiam manifestare digneris, quatenus hic homo ex hac reputatus causa, si per aliquod maleficium Diabolo instigante, aut cupiditate, vel superbia culpabilis est, in factu vel consensu, & hoc comprobationis iudicium subvertere vel violare volens malo confisus ingenio, manum suam in hanc aquam præsumptuose mittere ausus fuerit, tua pietas taliter hoc declarare dignetur, ut in eius manu dignosci queat, quod iniuste egit, ut & ipse deinceps per veram confessionem pœnitentiam agens ad emendationem perveniat, & iudicium tuum sanctum & verum in omnibus declaretur gentibus, per te, Redemptor mundi, qui venturus es, *&c.*

IVDICIVM AQVAE FRIGIDAE.

CVM homines vis mittere ad iudicium aquæ frigidæ ob comprobationem, ita facere debes. Accipe illos homines, quos vis mittere in aquam, & deduc eos in Ecclesiam, & coram omnibus illis cantet presbyter Missam, & fac eos ad ipsam Missam offerre. Cum autem ad communionem venerint, antequam communicent, interroget eos sacerdos cum adiuratione, & dicat: *Adiuro vos homines, per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per vestram Christianitatem quam suscepistis, & per unigenitum Dei filium, & per sanctam Trinitatem, & per sanctum Euangelium, & per illas sanctas reliquias, quæ in ista Ecclesia, ut non præsumatis ullo modo communicare, neque accedere ad altare, si hoc fecistis, aut consensistis, aut scitis, qui hoc egerit.* Si autem omnes tacuerint, & nullus confessus fuerit, accedat sacerdos ad altare, & communicet, separatis illis, qui examinandi sunt: postea vero communicent illi, quos vult in aquam mittere. Cum autem communicant, dicat sacerdos per singulos ante altare: *Corpus hoc & sanguis Domini nostri IESV CHRISTI sit tibi ad probationem hodie, ad laudem & gloriam nominis sui, & ad Ecclesiæ suæ utilitatem.* Expleta Missa faciat sacerdos aquam benedictam, & deferat eam ad locum examinis, ubi homines probantur. Cum autem venerit ad ipsum locum, letaniam faciens, omnibus pro eadem causa Dominum deprecantibus, det examinandis bibere de aqua illa benedicta. Cum autem dederit, unicuique dicat: *Hæc aqua Domini fiat tibi ad probationem hodie, per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, qui est verus iudex & iustus.* Deinde coniuret aquam, ubi mittendi sunt. Post coniurationem autem aquæ, exuat illos vestimentis suis, & faciat illos per singulos osculari sanctum Euangelium, & crucem Christi. Et post hæc de ipsa aqua benedicta aspergat super unumquemque hominem, & proiiciat eos statim per singulos in aquam. Hæc autem omnia facere debet ieiunus: neque illi antea comedant, qui ipsos mittant in aquam.

CONIV-

CONIVRATIO AQVAE.

ADiuro te aqua, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te in principio
creavit, quique te segregavit ab aquis superioribus, & iussit te servire
humanis necessitatibus. Adiuro te etiam per invisibile & ineffabile nomen
Christi Iesu, filii Dei vivi omnipotentis, sub cuius pedibus te calcabilem
præbuisti, qui etiam in te baptizari dignatus est, & suo baptismate conse-
cravit. Adiuro etiam te per Spiritum sanctum, qui super Dominum in te
baptizatum descendit, qui te invisibili sanctificatione sacratam, ad animarum
purgationem inenarrabile constituit sacramentum: per quam olim & po-
pulus Israëliticus siccis pedibus transivit; & ex aqua ferrum, quod casu ce-
ciderat, Heliseus divina virtute contra naturam natans, in suo manubrio
redire fecit: ut nullo modo suscipias hunc hominem, si in aliquo culpabilis
est ex hoc, quod illi obiicitur, scilicet aut opere, aut consensu, seu conscien-
tia, vel quolibet ingenio: sed per virtutem Domini IESV CHRISTI reiice
ex te, & fac illum natare super te, quatenus cognoscant fideles Christi,
nullum maleficium, nullum præstigium, divinæ virtuti posse resistere, quod
non detectum fiat, & omnibus manifestum. Adiuro etiam te per virtutem
eiusdem Domini nostri IESV CHRISTI, ut ad laudem illius, cui omnis
creatura servit, & cui cœlestis exercitus famulatur, clamans: SANCTVS,
SANCTVS, SANCTVS DOMINVS DEVS EXERCITVVM, ut nobis ad-
iurantibus, & eius misericordiam obsecrantibus obedias, qui regnat & do-
minatur per infinita secula seculorum, Amen.

HOMINIS CONIVRATIO.

ADiuro te homo & contestor per Patrem & Filium & Spiritum sanctum,
& per sanctam & individuam Trinitatem, & per omnes Angelos &
Archangelos, & per omnes principatus & potestatus, dominationes quoq;
& virtutes, & per Dei sedilia Cherubin & Seraphin, & per diem tremendum
iudicii Dei, necnon & XXIIII. seniores, qui quotidie laudant Deum, & per
IIII. Euangelistas, & per sanctos quoq; Apostolos, martyres & confessores:
necnon & per sanctam genitricem Dei Mariam, omnesque virgines, & per
cunctum populum sanctum Dei, vel per sanctum baptismum, in quo rena-
tus es, si sic hoc malum fecisti, ex quo culparis, vel assensum præbuisti, aut
baiulasti, aut in domum tuam recepisti, aut inde conscius aut consentaneus
extitisti, coram omnibus dicito. Quod si Diabolo suadente cœlare dispo-
sueris, & culpabilis exinde es, evanescat cor tuum incrassatum & iudura-
tum, & non suscipiat te aqua incredulum & seductum, ut dicat populus,
quia Deus noster iudex est, cuius potestas in secula seculorum, Amen.

Post coniurationem aquæ exuat illos vestimentis illorum, & osculari
sanctum Euangelium & sanctam crucem faciat: & sanctificatis omnibus
aqua benedicta cum timore & reverentia, fidus de eius clementia, proiiciat
in aquam.

Hoc iudicium autem petente DOMNO HLVDOVICO Imperatore
constituit beatus Eugenius, præcipiens ut omnes Episcopi, Comites, Ab-

bates, omnisque populus Christianus, qui infra eius imperium est, hoc iudicio defendant innocentes, & examinent nocentes, ne periuri super reliquias sanctorum perdant suas animas in malum consentientes.

ALIO MODO.

DEVS Iudex iustus, fortis & patiens, qui es author & amator iustitiæ, qui iudicas æquitatem, iudica Domine quod iustum est, quia recta tua iudicia sunt. Qui respicis super terram, & facis eam tremere. Tu Domine omnipotens, qui per adventum filii tui Domini nostri IHV. XPI. mundum salvasti, & per eius passionem genus humanum redemisti. Tu hanc aquam per ignem ferventem sanctifica, qui tres pueros, id est Sidrach, Misach, Abdenago, iussione Regis Babylonis missos in caminum ignis servasti. Tu clementissime præsta, ut si quis innocens in hanc aquam ferventem manum mittat, sicut tres pueros supradictos de camino ignis eripuisti, & Susannam de falso crimine liberasti: ita Domine manum ill. salvam & illæsam perducas. At si quis culpabilis, incrassante Diabolo cor induratum, præsumpserit manum mittere, tua iustissima pietas hoc declarare dignetur, ut in eius corpore tua virtus manifestetur, & anima illius per pœnitentiam salvetur.

DEVS iudex iustus, qui author pacis es, & iudicas æquitatem, te suppliciter rogamus, ut hoc ferrum, ordinatum ad iustam examinationem cuiuslibet dubietatis faciendam, benedicere & sanctificare digneris. Ita si innocens de prænominata causa, unde purgatio quærenda est, hoc ignitum in manus acceperit, illæsus adpareat. Et culpabilis atque reus, iustissima sit ad hoc virtus tua, in eo cum virtute declarandum: quatenus iustitiæ non dominetur iniquitas, sed subdatur falsitas æquitati, per Dominum nostrum, *& rel.*

II. ALIO MODO EXORCISMVS AQVÆ, AD IVDICIVM DEI DEMONSTRANDVM.

PERACTIS coram sacerdote trium dierum ieiuniis, cum homines vis mittere ad iudicium aquæ frigidæ ob comprobationem, ita facere debes. Accipe illos homines, quos vis mittere in aquam, & duc eos in Ecclesiam, & coram omnibus illis cantet presbyter Missam, & faciat eos ad ipsam Missam offerre. Cum autem ad communionem venerint, antequam communicent, interroget eos sacerdos cum adiuratione & dicat. Adiuro vos N. per Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, & per vestram Christianitatem quam suscepistis, per unigenitum Dei filium, & per sanctam Trinitatem, & per sanctum Euangelium, & per istas sanctas reliquias, quæ in ista Ecclesia sunt, & per illud baptismum quo vos sacerdos regeneravit, ut non præsumatis ullo modo communicare, neque accedere ad altare, si hoc fecistis, aut consensistis, aut scitis quis hoc egerit. Si autem tacuerint, & nulli hoc dixerint, accedat sacerdos ad altare & communicet. Postea vero communicet illos quos vult in aquam mittere. Cum autem communicaverint, dicat sacerdos ante altare, per singulos; CORPVS HOC ET SANGVIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI SIT TIBI AD PROBATIONEM HODIE.

INCIPIT

INCIPIT MISSA IVDICII.

ANTIPH. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum, fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam. *PSALM.* Beati immaculati.

ORATIO.

ABsolve quæsumus Domine tuorum delicta famulorum, ut à peccatorum suorum nexibus, quæ pro sua fragilitate contraxerunt, tua benignitate liberentur, & in hoc iudicio prout meruerunt tua iustitia præveniente ad veritatis censuram pervenire mereantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

LECTIO LIBRI LEVITICI.

IN diebus illis locutus est Dominus ad Moysem dicens: Ego sum Dominus Deus vester. Non faciatis furtum, non mentiamini, nec decipiat unusquisque proximum suum. Non periures in nomine meo, nec polluas nomen Dei tui. Ego Dominus. Non facias calumniam proximo tuo: nec vi opprimas eum. Non moretur opus mercenarii tui apud te usque mane. Non maledicas surdo, nec coram cæco ponas offendiculum. Sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus, dicit Dominus.

ITEM ALIA LECTIO EPISTOLAE BEATI PAVLI APOST. AD EPHESIOS.

FRATRES, Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis: propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. Irascimini, & nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, iam non furetur. Magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.

GRADVAL. Propitius esto Domine peccatis nostris, nequando dicant gentes, ubi est Deus eorum. VERSVS. Adiuva nos Deus salutaris noster, & propter honorem nominis tui Domine libera nos. ALLEL. Deus iudex iustus, fortis, & patiens, numquid irascetur per singulos dies.

SEQVITVR SANCTVM EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM.

IN illo tempore. Cum egressus esset Iesus in via, procurrens quidam genu flexo ante eum rogabat eum, dicens: Magister bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam? Iesus autem dixit ei: quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus. Præcepta nosti? ille dixit. Quæ? Non occidas, non adulteres, non fureris, non falsum testimonium dicas, non fraudem feceris. Honora patrem tuum & matrem tuam. At ille respodens ait: Magister, hæc omnia custodivi à iuventute mea. Iesus autem intuitus eum dilexit eum, & dixit ei: Unum tibi deest. Vade, quæcunque habes vende, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me.

millia sanctorum Martyrum, Confessorum, & Virginum. Adiuro te per sanguinem Domini nostri Iesu Christi, & per quatuor Euangelia, & per quatuor Euangelistas, necnon & per septuaginta duos libros veteris ac novi Testamenti, & per omnes scriptores sanctos ac Doctores eorum. Adiuro te per sanctam Ecclesiam Catholicam, & per communionem sanctorum, & per resurrectionem eorum, ut fias aqua exorcizata, adiurata, & obfirmata, adversus inimicum hominis diabolum, & adversus hominem qui ab eo seductus furtum hoc, vel homicidium, aut adulterium, unde ratio agitur, perpetravit; ut nullatenus eum in te submergi, aut in profundum trahi permittas, sed à te repellas atq; reiicias, neque patiaris recipere corpus, quod ab onere bonitatis inane est factum, sed quod caret pondere virtutis, careat pondere propriæ substantiæ in te. Innocētes vero à prædicto crimine more aquæ in te recipias, & in profundum innocue pertrahas. Per Dominum nostrum.

Post has autem coniurationes aquæ, exuantur homines, qui mittendi sunt in aquam propriis vestimentis, & osculentur singuli Euangelium & crucem Christi, & aqua benedicta super omnes adspergatur, & qui adsunt omnes ieiunent, & sic proiiciantur singuli in aquam.

INCIPIT adiuratio ferri, vel aquæ ferventis. In simplo unum pondus, in triplo tria ferrum æquiparet pondera, & in illa adiuratione non adsint, ut prædiximus, nisi ieiuni. Et dictis letaniis sic sacerdos in loco ubi ferrum accenditur, vel aqua infervescatur, adiurationem initiando inchoet.

DEVS qui per ignem signa magna ostendens Abraham puerum tuum de incendio Chaldæorum quibusdam pereuntibus eruisti, Deus qui rubum ardere ante conspectum Moysi, & minime comburi permisisti, Deus qui ab incendio fornacis Chaldaicis plerisq; succensis tres pueros tuos illæsos eduxisti. Deus qui incendio ignis populum Sodomæ & Gomorræ involvens, Loth famulum tuum cum suis saluti donasti. Deus qui in adventu sancti Spiritus inlustratione ignis fideles tuos ab infidelibus decrevisti. Ostende nobis in hoc parvitatis nostræ examine virtutem eiusdem sancti Spiritus, & per huius ignis fervorem discerne fideles & infideles, ut à tactu eius furti, vel homicidii, vel adulterii, cuius inquisitio agitur, conscii exhorrescant, & manus eorum vel pedes comburantur aliquatenus: immunes vero ab eiusmodi crimine liberentur penitus & inlæsi permaneant. Per Dominum nostrum.

ALIA.

DEVS iudex, iustus, fortis, auctor, & amator pacis, patiens & multum misericors, qui iudicas quod iustum est, & rectum iudicium tuum, qui respicis super terram & facis eam tremere. Tu Deus omnipotens, qui per adventum filii tui Domini nostri Iesu Christi mundum salvasti, per eius passionem genus humanum redemisti, hanc aquam ferventem, vel hoc ferrum fervens sanctifica, qui tres pueros Sidrac, Misac, & Abdenago, iussu Regis Babylonis in camino ignis accensa fornace salvasti, inlæsos per Angelum sanctum tuum eduxisti. Tu clementissime pater, dominator omnipotens, præsta ut si quis innocens de furto hoc, vel homicidio, aut adulterio, seu malefi-

maleficio, in hoc ferrum fervens, vel in hanc aquam ferventem miserit manum suam, salva, te præstante Domino nostro, permaneat. Et sicut tres pueros supradictos de camino ignis ardentis liberasti, & Susannam de falso crimine eripuisti; sic manum innocentis omnipotens Deus ab omni læsionis insanie salvare dignare. Et si quis culpabilis vel noxius, & tumido corde, induratoque pectore, vel superba mente, reus de hoc furto, vel homicidio, aut adulterio, seu maleficio manum miserit in hoc ferrum vel aquam ferventem, tu Deus omnipotens iustissima pietate & rectissimo iudicio illud declarare & manifestare digneris, ut anima eius per poenitentiam salvetur: & si ille vel culpabilis sit, & per aliquod maleficium vel per herbas, aut per causas diabolicas induraverit, & peccatum quod fecit confiteri noluerit, tua dextera, quæsumus Domine, hoc declare dignetur. Per Dominum.

ITEM TERTIA.

DEvs innocentiæ restitutor & amator, qui auctor pacis es & iudicas æquitatem, te subnixis rogamus precibus, ut hoc ferrum ignitum ordinatum, vel hanc aquam ordinatam ad iustitiam & examinationem cuiuslibet dubietatis, benedicere & sanctificare digneris: ita ut si innocens de hoc furto, vel homicidio, vel adulterio, vel maleficio, unde purgatio quærenda est, in hoc ignitum & tua benedictione sanctificatum ferrum, vel in hanc aquam fervidam & tua benedictione sanctificatam, manus vel pedes immiserit, tua benignissima miseratione inlæsus appareat. Si autem culpabilis atque reus contempserit, & quasi tentator iudicium tuum adierit, aut per herbas, vel quæcunque temptamenta sive molimina maleficiosa, peccata sua contueri & defendere inflatus per afflatorem malitiæ contra veritatis tuæ examen voluerit; iustissime & misericordissime Domine Deus ad hoc virtus tua, quæ omnia superat, in eo cum veritate, quæ permaneat in seculum seculi, declaretur, quatinus iustitiæ tuæ non dominetur iniquitas, sed veritati subdatur falsitas, & ut ceteri hoc videntes ab incredulitate sua te miserante liberentur. Qui vivis, *&c.*

His peractis aqua benedicta cunctis adstantibus detur ad degustandum, & adspergatur per totam domum, & ferrum proferatur, quod à culpato coram omnibus accipiatur, & per mensuram novem pedum portetur, manus sigilletur, sub sigillo servetur, & per tres noctes aperiatur. Et si mundus est, Deo gratuletur: si autem insanies crudescens in vestigio ferri inveniatur, culpabilis & immundus reputetur. In aqua fervente accipiat homo lapidem qui per funem suspendatur in simpla probatione per mensuram palmæ, in tripla autem unius ulnæ, manus vero sigilletur, & aperiatur, ut supra diximus in consecratione ferri.

INCIPIT EXORCISMVS PANIS HORDEACI VEL CASEI, AD PROBATIONEM VERI.

Primitus faciat sacerdos letanias, & omnes qui intus sunt cum eo ieiuni sint, & sic incipiat:

COnservator & creator humani generis, dator gratiæ spiritalis, largitor æternæ salutis, tu emitte spiritum tuum super hanc creaturam panis

vel casei, cum tremore & timore magnitudinis brachii sui, adversus eum qui cum superbia & contumacia ac zelo iniquo venit, & vult subvertere iustitiam & conculcare iudicium. Fac eum Domine in visceribus angustari, eiusque guttur conclude, ut panem vel caseum istum in tuo nomine sanctificatum devorare non possit hic qui iniuste iuravit, ac negavit illud furtum vel homicidium aut adulterium, seu maleficium, quod quærebatur, & iusiurandum pro nihilo habuit, & nomen tuum nominavit, ubi rectum non erat. Te quæsumus ut non ei permittas illud abscondere, quia iustus es Domine, & rectum iudicium tuum, qui custodis veritatem in seculum, faciens iudicium iniuriam patientibus, & custodis pupillum, ac viduam suscipis, & viam malignorum exterminabis. Ideo ostende nobis Domine misericordiam tuam, ut humiles, ac mansueti, ac recti propter veritatem gaudeant. Superbi autem & iniqui ac cupidi contristentur & humilientur, usque dum confiteantur magno & sancto nomini tuo, & cognoscant ceteri, quia nomen tibi Dominus, & tu solus altissimus super omnem terram, & servi tui in te glorientur, & laudent nomen tuum in secula seculorum.

ALIA.

DOMINE Iesu Christe, qui regnas in cœlis & in terris, & mirabilis es in omnibus operibus tuis, dominator dominantium, Deus Angelorum, Deus Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium electorum: præsta quæsumus per sanctum ac mirabile nomen tuum, ut qui reus est huius furti, vel homicidii, aut adulterii, seu maleficii, de quo hic requiritur, vel in facto vel in conscientia, ad adpositam ei pro ostensione veritatis creaturam panis sanctificati vel casei faux eius claudatur, guttur eius strangulетur, & in nomine tuo ante illud reiiciatur, quam devoretur. Sed & spiritus diabolicus, cui nulla est communio cum tua superna veritate, in hoc negotio ad subvertendum iudicium pravis præstigiorum suorum molitionibus nil prævaleat. Sed qui reus & conscius est rei præfatæ, ad hoc pabulum sanctificati panis vel casei, & præsertim per dominici corporis & sanguinis communionem quam accepit, tremat & tremendo palleat, & nutabundus in omnibus membris appareat. Innoxius verò & inscius sobrie ad salubritatem sui cum omni facilitate hanc partem panis vel casei in nomine tuo signatam, manducando deglutiat. Vt cognoscant omnes quia tu es iustus iudex, qui salvos facis sperantes in te, & non est alius præter te. Qui vivis & regnas, Deus per omnia secula seculorum.

ALIA.

DEVS cuius scientia senariam circumscriptionem Angelicis & humanis elongatam sensibus sola interius penetrat, & exterius concludit, quem nulla cœlestium vel terrestrium, aut infernorum vota fallere possunt, quanto magis cor unius hominis culpabile? respice ad preces nostræ humilitatis, quibus famulatum sacri indidisti ordinis, & præsta non nostris exigentibus meritis, sed tuorum omnium suffragantibus sanctorum precibus, ut quod in hac culpa homanos latet oculos, & sermonum humanæ procacitatis obtegitur defensionibus, tua cœlesti & superna moderatione, sine ullo revelетur

revelet ur obstricamine : & sicut solus verus es, veritatis in hoc sententiam elucidare digneris. Quatinus innocentes, sine ulla difficultate hoc pabulum probationis deglutiant, obnoxii aut obtrepidante mentis statu, & totius compagine corporis vacillante, quod in tuo sancto nomine consecratur & benedicitur, nullatenus devorandi valetudinem percipiant, sed coram omnibus invalitudine confusi, quod præsumptione immerita susceperunt, cum irrisione proiiciant. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

III. INCIPIT ORDO IVDICII, QVO REI AVT INNOXII PROBANTVR FERRO CANDENTI.

POST accusationem legitime factam, & triduum in ieiuniis & oratione consumptum, Sacerdos vestibus sacris præter casulam indutus, ferrum ante altare positum forcipe accipiat, & hymnum trium puerorum, videlicet *Benedicite omnia opera*, decantans, ad ignem deferat, & dicat hanc orationem super locum, ubi fiet ignis ad faciendum iudicium. Benedic Domine Deus locum istum, ut sit nobis in eo sanctitas, castitas, virtus, & victoria, & sanctimonia, humilitas, bonitas, lenitas, & plenitudo legis, & obedientia Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Hæc benedictio sit super hunc locum, & super omnes inhabitantes in eo.

BENEDICTIO SVPER IGNEM.

DOMINE Deus pater omnipotens, lumen indeficiens, exaudi nos, quia tu es conditor omnium luminum. Benedic Domine hoc lumen, quod ante sanctificatum est, qui illuminasti omnem hominem vel mundum, ut ab eo lumine accendamur igne claritatis tuæ. Et sicut igne illuminasti Moysen, ita nunc illumina corda nostra, & sensus nostros, ut ad vitam æternam mereamur pervenire, per Christum, *&c.* Qua finita, dicat Pater noster, *&c.* Salvum fac servum, *&c.* Mitte ei auxilium Deus, *&c.* De Syon tuere eum, *&c.* Domine exaudi, *&c.* Dominus vobiscum, *&c.*

ORATIO.

BENEDIC Domine sancte Pater omnipotens Deus, per invocationem sanctissimi nominis tui, & per adventum filii tui, atque per donum Spiritus paracleti, ad manifestandum verum iudicium tuum, hoc genus metalli, ut sit sanctificatum: ut omni dæmonum falsitate procul remota, veritas veri iudicii tui fidelibus tuis manifesta fiat, per eundem Dominum, *&cet.* Post hoc ferrum in ignem mittatur, & adspergatur aqua benedicta, & dum calescit Missam celebret. Cum vero sacerdos Eucharistiam sumpserit, hominem probandum (sicut infra scriptum est) adiuret, atque communicare faciat.

OFFICIVM MISSAE.

IVSTVS es Domine & rectum iudicium tuum, *&c.*

ORATIO.

ABSOLVE quæsumus Domine tui delicta famuli, ut à peccatorum suorum nexibus, quæ pro sua fragilitate contraxit, tua benignitate liberetur. Et in hoc iudicio, quo ad meruit iustitia tua proviniente, ad veritatis censuram pervenire mereatur, per Christum Dominum, &c. In illo tempore cum egressus esset Iesus, in via præcurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum, dicens: Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam? Iesus autem dixit ei, quid me dicis bonum, &c.

Deinde Secreta, &c.

Antequam vero communicet, interroget eum sacerdos cum adiuratione sic. Adiuro te per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & per veram Christianitatem, quam suscepisti, & per sanctas reliquias, quæ in ista Ecclesia sunt, & per baptismum quo te sacerdos regeneravit, ut non præsumas ullo modo communicare, neque accedere ad altare, si hoc fecisti, aut consensisti, &c. Hic communicet sacerdos illius, & dicat: CORPVS HOC ET SANGVIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI SIT TIBI AD PROBATIONEM HODIE.

ORATIO.

PErceptis Domine Deus noster sacris muneribus, supplices deprecamur, ut huius participatio sacramenti à propriis nos reatibus expediat, & in famulo tuo veritatis sententiam declaret, &c. Deinde Kyrieleison, & Letania, & Psalmi, & tum: Oremus. Deus qui per ignem signa magna ostendens Abraham puerum tuum de incendio Chaldeorum quibusdam pereuntibus eruisti, Deus qui rubum ardere ante conspectum Moysis, & minime comburi permisisti. Deus qui incendio fornacis Chaldaicis plerisque succensis tres pueros tuos illæsos eduxisti. Deus qui incendio ignis populum Sodomæ involvens, Loth famulum tuum cum suis salute donasti. Deus qui in adventu sancti Spiritus tui illustratione ignis fideles tuos ab infidelibus decrevisti, ostende nobis in hoc pravitatis nostræ examine virtutem eiusdem Spiritus, &c. & per ignis huius fervorem discerne fideles & infideles, ut à tactu eius, cuius inquisitio agitur, conscius exhorrescat, & manus eius comburatur, innocens vero pœnitus illæsus permaneat, &c. Deus cuius notitiam nulla unquam secreta effugiunt, fidei nostræ tua bonitate responde, & præsta, ut quisquis purgandi se gratia hoc ignitum tulerit ferrum, vel absolvatur innocens, vel rei noxius detegatur. Deinde sacerdos super ferrum aquam benedictam spargat, & dicat: Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti descendat super hoc ferrum ad discernendum rectum iudicium Dei: & mox accusatus ad novem pedum mensuram ferrum perferat. Huius denique manus sub sigillo triduum tegatur, & si sanies crudescens in vestigio ferri reperiatur, culpabilis ducatur: sin autem munda extiterit, laus Deo referatur.

* * *

RELIQVA CONSVLTO CONSILIO
OMISSA SVNT.

VARIAE LECTIONES
ET NOTAE,
IN CODICEM LEGUM
ANTIQUARUM.

VARIAE LECTIONES
ET NOTAE,
IN LEGES VVISIGOTHORVM.

LIB. I. TIT. I.

LEG. 4. *ut constitutio*] al' *ut contio.*
5. *paucis admixtus*] *parvis.*
6. *fonte prodierit*] *fonte prodiderit.*
7. *in praeveniendo*] *in praevidendo*
9. *in consecrando*] *in considerando.*
Veniunt etiam ut cuiq; libet] *veniunt enim ut cuicunq; libet.*

TIT. II. L. 2. *iustitia nunciatrix*] al' *iustitia nuncia.*
3. *Lex agit*] *Lex regit.*
4. *ac si honestatem*] *an & honest.*

LIB. II. TIT. I.

LEG. 2. *nullis factionibus*] Sic l. 6. *motibus aut factionibus.* Forsan tamen legendum. *nullis sanctionibus.* ut lib. 5. tit. 4 l. 13. *iuris antiqui sanctio.*
5. *vetustas malorum*] *vetustas vitiorum.*
bona memoria] *diva memoria*
genitoris mei] *genitoris nostri.*
6. FLS. RCDS.] In collectione concilior. Hispan. *Flavius Recesuinthus.*
tranquilla visionis] Sic infra lib. 12. tit. 3. l. 28. *visionibus qua in eorum perfidiam nuper edidimus instruat.* In editione tamen conciliorum Hispan. *iussionis* legitur.
Superna respirationis] Hisp. *superna respectionis.*
Legis reverentiam] Hisp. *leges reverentia.*
Chintilani] Hisp. *Suinthilani.*
Quemcunq;] Hisp. *Quacunq;.*
Quemcunq; vero aut per tumultuosas] De ea ipsa re in Concilio Toletan. v. cap. 3. sic statuitur. *Quoniam inconsiderata quorundam mentes, & se minime capientes, quos nec origo ornat, nec virtus decorat, passim putant licenterq; ad Regia maiestatis pervenire fastigia. Huius rei causa nostra omnium, cum invocatione divina, profertur sententia, ut qui talia meditatus fuerit, quem nec electio omnium probat, nec Gothica gentis nobilitas ad hunc honoris apicem trahit, sit à consortio Catholicorum privatus, & divino anathemate condemnatus.* Atque ita ex hac lege Wisigothorum & conciliis Hispanicis constat, regnum Gothorum electivum fuisse. Vid. quae notat Garsias Loaisa ad Concilium Toletan. IX. cap. X. p. 474.
7. *patriam refugiunt*] al' *patriam refugi.*

Quantis hactenus Gothorum patria] Pertinet huc concilii Toletani VII. cap. I. p. 402. *Quis nesciat, quanta sint hactenus per tyrannos & refugas transferendo se in extraneas partes, illicite perpetrata: & quam nefanda eorum superbia iugiter frequentata, qua & patria diminutionem afferrent, & exercituum Gothorum indesinentem laborem inponerent, &c.*

Tantum ei solummodo concessurus est, quantum hereditates eiusdem culpati vigesimam] Concil. Tolet. VII. p. 403. *Novimus omnes penè Hispania sacerdotes, omnesq; seniores vel iudices ac ceteros homines officii Palatini iurasse, atque ita dudum legibus decretum fuisse, ut nullus refuga vel perfidus, qui contra gentem Gothorum, vel patriam, seu Regem agere, aut in alterius gentis socie-

tatem se transducere reperitur, integritate rerum suarum nullatenus reformetur: nisi forsitan Princeps humanitatis aliquid personis talibus impertire voluerit. Qui tamen non amplius, quam vigesimam partem rerum, ei qui perfidus extitit, & de rebus unde Rex elegerit, tribuendi potestatem habeat.

8. *detractionis*] al' *detrectationis*.
institutionibus] al' *constitutionibus*.
10. *talem librum, qualis hic*] al' *talem librum, qualem hunc*.
huius amodo] *huiusmodi*.
in iudicio] *iudici*.
11. *negotia exaudienda*] al' *negotia exequenda*.
ad XV. Kal. Aug.] *in Kal. Aug.*
17. CHDS.] al' RCDS.
18. CHDS.] al' RCDS.
19. *Si voluerit*] *si noluerit*.
20. *excusare*] al' *expiare*.
21. *magnitudinis*] al' *mansuetudinis*.
22. *iuramenta*] *sacramenta*.
25. *Saio callidus*] *saio tepidus*.
31. *Præstolata*] *postulata*.

TIT. III. L. 3. *colludium*] *colluvium*.
TIT. IIII. L. 3. *desuerint*] *defecerint*.
9. *Facultas*] *facilitas*.
Instantia] *intentio*.
TIT. V. L. 6. *definiunt*] *desinunt*.
8. *triplatio nummorum*] *triplatio rerum*.
9. ANTIQUA] FLS. CHDS. R.
10. *De superfluis scripturis confectis*] *De superfluis scripturis & super ordinem legis confectis*.
11. *Quod si*] *Qui si*.
Nam si] *Nam qui*.
12. *Trigesima precium patronus*] *tricesimam precii portionem*.
se falsorum] *se falsariorum*.
17. *formetur*] *firmetur*.
voluerit implere] *noluerit implere*.
19. *sententiam illam canonis Toletani adtendunt, in qua decretum est, Neminem licere*] Ipsa verba concilii Toletani XIII. cap. 2. p. 616. hæc sunt. *Hoc in commune decrevimus, ut nullus deinceps ex Palatini ordinis gradu, vel religionis sanctæ conventu, Regiæ subtilitatis astu, vel profana potestatis instinctu, sive quorumlibet hominum malitiosæ voluntatis obnixu, citra manifestum & evidens culpæ suæ inditium, ab honore sui ordinis, vel servitio domus Regiæ arceatur; non antea vinculorum nexibus illigetur: non quæstioni subdatur: non quibuslibet tormentorum vel flagellorum generibus maceretur: non rebus privetur; non etiam carceralibus custodiis mancipetur: neq; adhibitis hinc inde iniustis occasionibus, abdicetur, per quod illi violentia occulta, vel fraudulenta professio extrahatur: sed is, qui accusatur, gradũ ordinis sui tenens, & nihil ante de supradictorum capitulorum nobilitate præsentiẽs, in publica Sacerdotum, Seniorum, atq; etiam Gardingorum discussione reductus, & iustissimè perquisitus: aut obnoxius reatui detecta culpa pœnas excipiat, aut innoxius iudicio omnium comprobatus appareat.*

LIB. III. TIT. I.

LEG. 4. *FLS. GLS. &c.*] Tota hæc lex in Ms. deest.
immutare decreverit] al' *immutare voluerit*.
fieri non convenerit] al' *fieri ita non conven.*
9. *Ne sine dote coniugium fiat*] Concil. Arelatens. c. 6. Vid. Burchardi Decret. lib. 9. cap. 6.
præcesserit manus] al' *præcesserit munus*.
TIT. III. L. 8. *iudicis idem sententia*] al' *iudicis eiusdem instantia*.
TIT. IIII. L. 9. *iungat stupro*] *misceat stupro*.
13. *incunctanter tradendi*] *concite tradendi*.
hanc causationem] *hanc causam*. al' *hanc accusationem*.
in detruncatione vel flag.] *in damnatione vel flag.*
16. *fecisse probetur*] *fecisse convincatur*.
18. *immunditiis implicata*] *immunditiis copulata*.
TIT. V. L. 1. *Nullus præsumat de genere patris*] Huc pertinet Concilii Toletani XVII. ca. XIIII. DE INCESTIS CONIUGIIS. *De incestis coniunctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestos vero neque ullo coniugii nomine prævalendos, præter illos, quos nominare funestum est, hos esse censemus. Si quis relictam fratris, quæ penè prius soror extiterat, carnali coniunctione violaverit. Si quis frater germanam uxoris accepit. Si quis novercam duxerit. Si quis consobrinæ sobrinæve se societ. Quod ita præsenti tempore prohibemus, ita ea, quæ sunt ante nos instituta non solvimus. Si quis relicta avunculi miscea-*

misceatur, aut patrui, vel privigna concubitu polluatur. Sane quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugii libertatem.

2. *Canones Ecclesiastici prohibent*] Quos ea de causa vid. in Breviario canonum Crisconii c. 100. &c. Decreto Burchardi lib. VIII. cap. 30. & seq.

3. *tonsuræ signum*] *tonsuræ signaculum.*

4. *In Nomine Domini Fls.*] Hæc lex in Ms. deest.

vestium simultate] al' *vestium simulatæ.*

simultatis amputetur occasio] al' *simulatis amputetur occasio.*

5. *arduæ mancipentur detrusioni*] al' *arduæ mandentur detr.*

constat infamiam] *constat insaniam.*

7. *legalem censuram*] *regalem cens.*

Illam in se iacturam accipiat ultionis, quam pro his causis nuper in anno videlicet tertio regni nostri] Quis Regum huius legis autor sit libri veteres non habent. Puto tamen Chindasuinthum vel Wambam esse, quorum leges in suo vigore manere iubet Flavius Egiga Rex in commonitorio ad Patres in sancta Synodo Toletana XVI. residentes, dato sub die VII. Kal. Maii. anno regni eius sexto, Toleto. Deinde in ipso concilio, caput III. tale est, *De Sodomitis. Sicut cordis corporisq; munditia homines Deo proximos facit, ita incentivæ pollutionis actio à Deo alienos statuit. Et sicut Sodomiticos populos horrenda nimiumq; detestanda patratio, igni cœlitus confluenti exurendos in præteritis tradidit: ita talibus immunditiis homines deditos æterna damnationis rogus consumet: loquente Domino per Prophetam, vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis. At nunc quoniam hæc funesta actio, & Sodamitica operationis malum multos sauciasse perpenditur, ideo nos ob huius fœdissimæ causæ extirpandam consuetudinem, Zelo Domini ardentes, omnes in commune sancimus, ut quicunq; huius nefariæ actionis patratores extiterint, quiq; in his turpitudinibus sese implicari permiserint. & contra naturam masculi in masculos hanc turpitudinem operaverint; siquidem Episcopus, presbyter, aut Diaconus fuerit, de proprii honoris gradu deiectus, perpetui exilii manebit damnatione perculsus. Sin vero cuiuslibet ordinis, gradus, vel personæ, & talis colluvionis noxii reperti fuerint applicati; illius legis, quæ de talibus est edita nihilominus serventur sententia, atque ab omni Christianorum sint alieni caterva, & insuper centenis verberibus correpti, ac turpiter decalvati, exilio mancipentur perpetuo,* &c.

TIT. VI. L. 2. *suisque voluntatibus*] al' *suisque voluptatibus.*

3. *Fls. Chds.*] al' *Fls. Rcds.*

LIB. IIII. TIT. II.

LEG. 14. *ipsa fuerat perceptura*] al' *ipsa fuerat interceptura.*

16. *Persona & uxoris*] *persona & uxor.*

17. *Fls. Gls. Rcds.*] *Fls. Gls. Chds.*

qualiter morte contractum] al' *qualiter mortis contractu.*

mox fatalis relapsus in tenebras] al' *mox fatalibus lapsus in tenebris.*

TIT. III. L. 3. *conditionem suscipiat*] al' *tuitionem suscipiat.*

4. *si aliud tempus*] *si illud tempus.*

TIT. IIII. L. 1. *voluntatem habuerint*] *facultatem habuerint.*

5. *nec regiis beneficiis*] al' *regis benef.*

6. *iuri Ecclesiæ principatus*] *in re Ecclesiæ princip.*

Iuxta canonem Toletani Concilii XI.] Videtur esse ex Toletano Concilio XVII. cap. 2. p. 742. quæ eadem Ivo Carnot. parte 3. c. 161. ex Agathensi concilio cap. 49. adducit. Quamvis & in concilio Tolet. III. cap. 3. de rebus Ecclesiæ ab Episcopo non alienandis agatur. Certe in concil. Toletano XI. tale quid non legitur.

Per Ecclesias sive diæceses] al' *per Eccesias suas diæcesis.* forte legend. *per Ecclesias suæ diæcesis.*

authentica videant] *authenticorum videant.*

LIB. V. TIT. IIII.

LEG. 4. *definito percompleat*] al' *definito percomplaceat.*

arras tantummodo recipiat] Verosimilius puto si legatur, *arras tantummodo non recipiat.* Nam ex iure civili Romano, *qui emere pactus est, ab emptione recedens, datis à se arris cadit. L. Contractus 17. C. de fide instrumentorum.* Qua de re plura Cuiacius Observationum lib. XI. cap. XVII.

L. 19. *facultatem dare*] *facultatulam dare.*
20. *nullatenus poterit*] *nullatenus potuit.*
antequam vinceret] *antequam vindicaret.*

TIT. V. L. 1. *qui commendata susceperit*] al' *qui commendata vel commodata suscep.*
qui commendata susceperat] *qui commodata suscep.*
& de commodatis] *& de commendatis.*
2. *cædendo vel fasces carricando*] Ms. *reddendo vel fasces carrigando.*

TIT. VI. L. 3. *reformare dissimulaverit*] *reformare distulerit.*
eius, vel trium] *eius, & trium.*

TIT. VII. L. 2. *& si sic voluerit*] *& si sic noluerit.*
6. *Qui sub testimonio*] *Qui suo testimonio.*
8. *meliores atque pluriores*] Seculi istius locutionem hanc esse autumare possumus, quales aliæ in hisce legib. plures sunt. Paul. Warnefr. in lib. Ms. de Episcop. Metens. *Pluriores Ansechiso quam reliquerat, divitiæ accesserunt.*
17. *aliorum actiones*] *alienorum actiones.*
20. *regie procuramus*] *legaliter procuramus.*
ratione suffectum] *natione suffectum.*

LIB. VI. TIT. I.

L. 1. *discutiendus est reus*] *discutiendus est servus.*
2. *actio minoris est*] *accusatio minoris est.*
ex malitia iudicis, vel aliquo dolo] Legendum omnino videtur - *ex malitia iudex, vel aliquo dolo.*
3. *In nomine Domini*] Hæc lex in Ms. deest.
examen aquæ ferventis] al' *examen aquæ caldariæ.*
examinationem aquæ ferventis] *examinationem aquæ caldariæ.*
4. *Fls. Gls. Egiga Rex*] al' *Fls. Gls. Witiza Rex.* al' *Egiga et Hunita Rex.*
5. *Contropatio*] Ita Ms. & vulg. velut etiam infra lib. 10. Tit. 1. l. 17. *ætatis contropatione.* Supra tamen lib. 4. tit. 5. l. 3. *contropactio* scriptum fuit. - *contropactis his quæ tempore nuptiarum promeruit.*
Domino etiam servi vel actore præsente] al' *Domino etiam servi vel auctore præsente.*

TIT. II. L. 1. *genere pœnarum*] *genere tormentorum.*
5. *Dei spiritu vacui*] al' *Dei spiritu pleni.*
pronuntiationes intendunt] *propitiationes intendunt.*

TIT. III. L. 2. CCL. *solidos*] al' CCV. *solid.*

TIT. IIII. L. 3. XXX. *flagella*] al' XX. *flagella.*
opus ipse prodesfaciat] Ita Ms. quoque exemplar.
percussor componat] *præsumptor comp.*
9. *Fls. Chds.*] *Fls. Rcds.*
7. *Fls. Rcds*] *Fls. Chds.*
11. *& illum debilitatum*] al' *& ille debilitatum.*

TIT. V. L. 16. *sententias præcessisse*] al' *sententias præcepisse.*

LIB. VII. TIT. I.

L. 3. *simpla tantum*] *sumpta tantum.*

TIT. III. L. 3. *solidos quingentos*] al' *solidos* CCC. Sed verior lectio quam edidimus: quæ etiam confirmatur L. 14. Tit. 5. lib. 6. ubi medietas homicidii CCL. solidorum esse præscribitur.

TIT. V. L. 1. *fisco modis omnibus*] *fisci commodis prof.*

LIB. VIII. TIT. III.

L. 14. *de domo eius aut clusura*] al' *aut clusa.*

TIT. IIII. L. 1. *quod si cum aliquo*] al' *quod si eum alibi.*
16. *Si in* XIIII. *ann. fuerit,* CLX. *solid.*] al' *fuerit* CXL. *solid.*
LXX. *solidos det*] al' LXX. *solidos reddat.*
19. *Iniuriandum incitaverit*] al' *irritatum incitaverit.*
24. *fisci iuribus*] al' *fisci viribus.*
26. *nullam calumpniam*] al' *nullum dampnum.*
29. *per quæ mesoces*] Ms. *per quem esoces.* rectius erit, *per quæ esoces.*
subriguntur] Ms. *subricuntur.*
& II. flagella] al' *& V. flag.*
30. *infra* XXX. *dies*] al' XX. *dies.*
XXX. *solid.*] al' XX. *solid.*
31. *minorum derivationes aquar.*] al' *minores derivationes aquar.*
castionibus succumb.] al' *cessionibus succumb.*

TIT. VI.

TIT. VI. *Apibus defendendis*] al' *apibus devendendis*.

LIB. IX. TIT. I.

L. 5. *detruderit*] al' *detonderit*.
6. *quæ nuper*] al' *quæ noviter*.
9. *idoneo teste*] al' *idoneis testibus*.
de eodem alligatum est] al' *de eodem allegatum est*.

TIT. II. L. 4. *ut cum nostra*] al' *utrum nostra*.
in conventu merentium] al' *in conventu mercantium*.
5. *undecupli compos.*] al' *in decupli comp*.
8. *In Dei nomine wamba Rex*] Vid. Concilium Toletan. XII. cap. 7. p. 595.
9. *esse non desistunt*] Delendum puto, τὸ *non*. qui enim vindicator esse desistit, desertor merito dicendus.
animo acri] al' *ammoniti*.
scramis] al' *seramis*.
patrocinia diversorum] Ita Ms. al' *patrocinia servorum*.

LIBER X. TIT. I.

L. 8. *de tertia Romani*] al' *de terra Rom*.
14. *vel cultu nisi quinquagint.*] al' *vel cultu mixti quinq*.

TIT. II. L. 3. *cui Rex*] al' *cum Rex*.
4. *de quorumlibet*] al' *de quolibet*.

TIT. III. L. 4. *quia nullum primæ*] al' *quia dubium primæ*.

LIB. XI. TIT. I.

L. 5. *hypocisma*] Ms. *Ypocisin*.

TIT. III. L. 2. *apud telonarios suos*] Ms. *à telonariis suis*.

LIB. XII. TIT. I.

L. 2. *actores fisci*] al' *auctores fisci*.
3. *Fls. Rcns. Rex*] Eadem hæc lex in Concilio Toletano XIII. extat. sed autor illius qui hic RECCESVINDUS, ibi ERVIGIUS vocatur.
per stylum diversa] Hispan. *per stimulum*.
universitas affirmat] Hispan. *universitas format*.
hortatu digesta] Ita Hispan. exempl. vulg. *oratu digesta*.
omnibus innotescant] Vulg. *hominibus innotescat*.
prædicti Capituli] al' *prædicti Concilii*.
quod persona] al' *quo persona*.
principali relaxatione] al' *princip. relatione*.
exhortatione sancitum] Hispan. *exhibitione sanc*.
populis nostris reiacet] Hispan. *fiscalibus populis relucet*. al' *subiacet*.
de munitione regia] al' *de monitione reg*. Hispan. *de munitione prolis*.
voluntatis effectu] Hispan. *voluntatis adnisu*.
omniq; vigilantia] Hispan. *omniq; diligentia*.
validæ fastigium] al' *validæ vestigium*.
nescientiæ se obiect.] al' *nescienti se obiect*.
In Dei nomine Toleto] Hispan. *in Dei nomine Ervigius Rex*.

TIT. II. L. 1. *lutum sordidum*] al' *lutum sordentium*.
2. *dignitatis honore*] al' *dignitatis ordine*.
4. *unctione baptismatis*] al' *tinctione baptismatis*.
7. *sectionis opprobrium*] al' *secta opprobr*.
9. *Ne Iudæi quæstionem*, &c. L. 10. *Ne Iudæi contra Christianos*] Vid. Concil. Toletan. IIII. cap. LXIIII.
13. *subprimat agnitos Iudæos*] Vt infr. Tit. 3. l. 10. *agnitos errores Iudæorum cœlaverit*. Male ergo al' *supprimat animos Iudæos*.
15. *Placitum Iudæorum in nomine Principis*] Edidit hoc ipsum placitum Garzias Loaisa in Collectione conciliorum Hisp. pag. 455. undè & hic quædam emendata sunt.
nec Catholicam fidem sincerè teneremus] Hispan. *nec Catholicæ fidei sinceriter hæreremus*.
Iudæis etiam non baptizatis] al' *Iudæis etiam nobis baptiz*.
incestiva pollutione in coniunctione vel fornicatione] Hispan. *incestiva commixtione vel fornicatione*.
copula connectamur] Hispan. *copulatione nect*.
Iudaicæ observationis] Hispan. *Iudaicæ observantiæ*.
contraria Christianæ fidei] Hisp. *contra Christianam fidem*.

si ex nobis omnibus vel unus] al' *si ex nobis horum omnium vel unus.*

17. *Fls. Gls. Cin. Rex.*] al' *Fls. Gls. Rcds. Rex.*

TIT. III. L. 3. *Ne Iudæi aut se, aut*] Vid. Concil. Toletan. IIII. cap. 59.

8. *incestum macula operari*] Legendum ut in Capitulari Lud. Add. 1. Tit. 1. *incesti maculam operari.*

8. *nulla incesti nationis*] In Capitul. Lud. Add. 4. *incestivæ nationis.* Ms. nihil variat ab edito exemplari. & sic mox post - *vel incesti fœdaverit natio.*

aut animos ut dictum est] In Capitul. *aut habitos ut dict.*

17. *Ne Iudæi à quolibet*] Vid. Concilium Toletan. IIII. cap. LXV.

21. *Qualiter concursus Iudæorum*] Vid. Concil. Toletan. IX. cap. XVII.

sacerdotis sui conniventiam] al' *coniben- tiam.* al' *cohærentiam.*

24. *Quod si aliena*] al' *quod si alterna.*

27. *Hanc sacræ præceptionis*] al' *Hanc sane præceptionum multipl.*

28. *in se visionibus*] Nihil mutandum. Sic enim supr. lib. 2. Tit. 1. l. 6. *tranquillæ visionis aspectum.* Et in rescripto Fl. Egigæ Regis ad patres Synod. Toletan. XVI. pag. 693. *præceptionis nostræ oraculis devotissime paruit, & alternæ visionis exoptata gaudia commodavit.*

IN EDICTVM THEODORICI REGIS.

CAP. 12. *intra triginta annos mota lis fuerit*] al' *ultra triginta annorum mortalis fuerit.*

42. *Qui varium aut fals.*] al' *Qui varium vel fals.*

utriusq. parti] al' *utrique parti.*

57. *animalium vel porcorum*] al' *animalium vel pecorum.*

59. *genere nobilis, & eandem*] Delendum τὸ *& curs.*

68. *Originaria ex quo*] Alii codd. *Originaria ex eo.*

Quod si] al' *quæ si.*

Simul eius] al' *sunt eius.*

69. *patria suæ collationem*] *patriam suam collationem iubisse monstretur.*

Conlationem præstitisse] al' *consolationem præstitisse.*

75. *Si quis autem sepeliri mortuum, quasi debitorem*] Inhumanitatis atque indevotionis huius meminit Ambrosius Episcopus in Tobia cap. 10. *Quotiens vidi à fœneratoribus teneri defunctos pro pignore, & negari tumulum, dum fœnus exposcitur,* &c. Vid. L. 28. ff. in ius voc. L. 38. ff. de relig. L. 1. §. 6. ff. de iniur. L. Quidam in suo. ff. de condit. instit. L. 6. C. de sepulch. viol. Novell. 60. & 115.

114. *Si addictos damnatosq. iudiciis clerici*] Vid. quæ ad Ammian. notata.

140. *in iudicatione*] al' *in inditione.*

150. *Nulli liceat invito domino, rustico alieno*] al' *Nulli liceat invitus rustico.* &c.

154. *à victis tam Barbaris*] Forte leg. *devictis tam Barb.*

IN LEGEM BVRGVNDIONVM.

IN DEI NOMINE ANNO SECVNDO] In uno Ms. ita titulus hic conceptus est. *LIBER CONSTITVTIONVM DE PRÆTERITIS ET PRÆSENTIBVS ATQVE IN PERPETVO CONSERVANDIS, EDITVS SVB DIE IIII. KAL. APRIL. LVGDVNI.* Lugduni autem editionem harum legum factam nemini mirum videri potest, qui meminerit Burgundionum regnum, Arelatem usque Sextanorum coloniam, limites suos extendisse.

GVNDEBALDI REGIS] Alii Gundobadum vocant (ut Cassiodor. Variar. lib. 1. Ep. 46. lib. 3. Ep. 2.) vel Gudubadum. Paul. Warnef. Histor. lib. XVI. Vixit autem eo ipso tempore, quo Theodoricus in Italia, Chlodoveus in Francia rerum potiebantur. anno nimirum XPI. D. aut circiter.

GVNDE-

Gundebaldi Regis] Ms. *Sigismundi Regis*. Sigismundus filius fuit Gundebaldi Regis, sed Catholicus, cum pater eius Arriana pravitate infectus esset. Agobardus Episcop. Lugdunens. ad Hludovicum Imp. p. 115. *Avitus ipso Gundebaldo in sua perfidia perdito, successorem eius Sigismundum Regem ad fidem Catholicam convertit.* Itaq; Sigismundum harum legum autorem eatenus esse puto, ut quas pater hæreticus prius promulgarat, ipse sincerioris fidei assertor emendaret. Omnino enim verum est Gundebaldum Burgundionibus suis legem dedisse, quæ etiã ab eius nomine Lex Gundebada vocatur ab Agobardo, & in Capitulari Karoli Magni, L. L. Longob. & alibi.

Ea primum] Mss. *eam primum*. idque melius. Ius enim cuiq; suum ut tribuatur, inprimis prævidere debet, qui reliqua ordine fieri velit.

iudicandi] Ms. *iudicando*.

excludat] Ms. *excludant*.

Administrantes iudicia] al. *administrantes ac iudices*.

præsenti tempore] Legendum ex Mss. *à præsenti tempore*.

causis vel iudiciis] al. *causis & iud.*

commodi nomine] τὸ *nomine* Mss. deest.

iudicantis] al. *iudicanti*.

à nobis quoq; primum æquitatis studio rep.] Ita Mss. sed vulg. *à nobis præmium æquit. stud. rep.*

fieri prohibemus] τὸ *fieri* Ms. deest.

quam quod] τὸ *quod* al. deest.

Sciant itaq; optimates] In Ms. locus hic ita legitur. *Sciant itaq; optimates, Comites quoq; & consiliarii, & tam Burgundiones*, &c.

deputati omnes] Mss. *deputationis etiam militantis nihil de causis quatenus acta*.

accipiant] al. *accipiat*.

heredibus suis quæ in ipso punita] Ms. *heredibus eius quia in ipso*.

culpa non auferat] Mss. *culpa non auferatur*.

interdicto] Ms. *interdicti*.

præcipimus iudicari] Ms. *iudicare*.

ut per ignorant.] Ms. *& per ign.*

negligentiam præventus forsitan] Mss. τὰ *præventus forsitan* desunt.

iudicavit] Ms. *iudicaverint*.

XXX. solid. Rom.] Mss. *XXX. solidorum inlatione se noverit inlaturum*.

iudices tertio] al. *iudices simul tertio*.

mutabitur] al. *damnetur*.

eum illa quam in iudicem] Ms. *eum quæ iudicem*.

iudicare præsumat] Ms. *iudicare præsumant*.

firmari] Ms. *firmare*.

perpetua pact.] Mss. *perpetuam pact.*

Nomina eorum qui Leges] Ms. *Nomina eorum qui legibus subscripserunt*.

Abgaris] al. *Abcaris*.

Aunemundi] al. *Annemundi*.

Hildeulfi] Mss. *Heldeulfi*.

Hildegerni] Mss. *Heldegerni*.

Usgildi] Ms. *Hosgildi*.

Walesti] Ms. *Waisci*.

Audemundi] al. *Annimundi*.

Andahari] al. *Andabari*. al. *Andearii*.

Amgathei] Ms. *Angathei*.

Aunemundi] al. *Aumemundi*.

Willimeris] al. *Avelicmeris*.

Conegiseli] al. *Conigasdi*.

Comarici] al. *Coniarici*.

Wallaerii] Mss. deest.

Siggonis] Mss. deest.

Wanaharii] al. *Avenaharii*.

Wilfila] al. *Wlfia*.

Sigiswldi] Ms. deest. *Sonia*] Ms. deest.

Godemundi] al. *Gundefulsi Com. Effonis Com.*

Widemeris] al. *Windemeris*.

Wadahameris] Ms. deest.

Suldi Com. &c.] Nomina quæ sequuntur in vulg. codicibus desunt.

TITULUS I.

L. I. §. I. *de præstita*] Ms. *de præterita*.

dominantium] Ms. *dominantis*.

absq; terra sortis titulo] Mss. *absq; terram sortis titulum atq; suam de qua priorem legis unde servabitur, aut si cum filiis dimiserit*, &c.

§. 3. *filiis suis relinquat*] Ms. *fil. s. relinquant*.

TIT. II. §. I. *cuiuslibet nationis*] Ms. *quilibet nationis*.

natione] Ms. *nationis duntaxat barbarorum*.

§. 2. *rationabili censuimus provisione sub.*] Ms. *legi adiiciendum probatione subiungi*.

§. 7. *specialiter*] Ms. *faciliter*.

TIT. III. *Gislaharium, Gundaharium*] al. *Gischarium, Gundecharium*.

patruos] al. *patruum*.

TIT. IIII. §. 1. *mancipio sol. XXV.*] Ms. *mangapio sol. XXVI.*

dictum est] Ms. *datum est.*

VI. sol.] al' *V. sol. pro equa.*

§. 2. *furto ablata*] Ms. *furtu ablata.* & ita infra.

§. 3. *triplum solvat*] Mss. *triplum solvantur.*

mulctæ nomine] Ms. *mul. noster.* & ita infra.

triplum solvantur] Mss. *triplo componantur.*

§. 4. *trecentos fustium ictus*] Ms. τὸ *fustium* deest.

§. 6. *pro singulis quibuscunq. culpis*] al' *per singulas quascunq. culpas.*

§. 8. *bobus*] Ms. *bubus.*

duos boves domino cogatur exsolvere] al' *duorum bovum solutionem cogatur Domino exsolvere.*

TIT. V. §. 1. *mulctam domino inferat sol. VI.*] Mss. *mulcta in dominico sol. VI.*

§. 2. *singulos semisses*] al' *singulos ictus tremisses sol.*

nomine sol IIII.] Ms. *nr. sol. III.*

§. 3. *mulctæ autem nomine*] Ms. *mulctæ autem nr.*

§. 4. *capillos arripuerit*] Ms. *capillos corripuerit.*

mulctæ autem nomine] Ms. *mulctæ autem noster.*

ingenuum & lib.] Ms. *ingenuum lib.*

discretionem] Ms. *descriptionem.*

mulctæ requirat] Ms. *mulctum req.*

§. 5. *centum fustes*] Ms. *centum fustium.* Sed verius puto, *centum ictus fustium.* ut supra. Vid. Tit. 15. §. 2.

§. 6. *satisfaciat*] Ms. *soluturus est.*

TIT. VI. §. 1. *provincias ad nos pertinentes*] Ms. *provincias nostras.*

cum omnibus rebus reddat] Mss. *cum omnibus reddat.*

qui fugitivum corripuerit, pro fugitivo accipiat, & pro caballo sol. I. pro equa semissem] Hæc Ms. desunt.

§. 5. *excipiat*] Mss. *incurrat.*

§. 8. *XXX. sol.*] Ms. *XX. sol.*

simplam solutionem] Mss. *simplas solutiones.*

§. 11. *fugitivo litteras*] τὸ *fugitivo* Ms. deest.

TIT. VII. §. 1. *Burgundionem & Romanum*] Mss. *Burgundiones & Romanos.*

vocatur in culpam] al' *vocatur in crimine.*

compellatur dominus] al' *compellatur domi.*

de præsenti] Ms. *in præsenti.*

aut pretium teneat] Mss. *aut pretium* deest.

TIT. VIII. §. 1. *sibi duodecim*] Mss. *sibi duodecimo.*

& patrem aut matrem habuerit] Ms. desunt.

§. 2. *ingrediatur*] al' *ingrediantur.*

ternos] Ms. *ternis.*

sacramenta præstare] Mss. *sacramentum præstare.*

illi, qui deliquerunt] Mss. *illico dirigantur.*

redditurum] Ms. *redditurum eis.*

§. 3. *mulctæ nomine*] Mss. *mulctum noster.*

§. 4. *datura*] Ms. *daturi.*

TIT. IX. *in novigilda*] al' *in novigildo.*

cuicunque abstulerit] al' *eum quod abstulit.*

TIT. X. §. 1. *lectum minist.*] Mss. *lictum minist.*

LV. sol.] Ms. *LX. sol.*

mulctæ autem nom.] Mss. *mulctum autem noster.*

§. 3. *aurificem lectum*] Mss. *aurificem lictum.*

CL.] al' CC.

TIT. XI. §. 1. *sive oculum amiserit*] Ita Mss. duo. quæ in vulg. desunt.

perexcusserit] Ms. *perexcesserit.*

TIT. XII. §. 1. *corrupta*] Ms. *incorrupta.*

§. 2. *solvere valeat non hab.*] al' *solvere non habuerit.*

TIT. XIII. *exartum fecerit*] Ms. *exartum fecit aut fecerit.*

tantum spatium] Ms. *tantum spatium.*

TIT. XIIII. *matrimq.*] Ms. *matrimq. sua.*

§. 2. *si forte*] *si foris.*

§. 4. *marito mulier aut par*] In Ms. *mulier aut* desunt.

§. 5. *voverint*] Ms. *devoverint.*

si una duos] In Ms. τὸ *una* deest.

accipiat] Ms. *accipiant.*

sortis iure] Ms. *fortis in re.*

in usu fructu] al' *in usum fructum.*

nihil illa] Mss. *nullam illam.*

habitura] Ms. *habituram.*

recellulis] Mss. *rescellolis*

§. 7. *bis*

§. 7. *his tantum*] Ms. *ei tant.*
quod si à patre] Mss. *quas à patre.*
hoc ipso] τὸ *ipso* aliis deest.

TIT. XV. *Quicunq;*] al' *Quisquis.*
mulctæ nomine] Mss. *mulctum nr.*
§. 2. *iam dicta*] Mss. *ad vindictam.*
centum fustium ictus] τὸ *ictus* Ms. deest. vid. Tit. 5. §. 5.

TIT. XVI. §. 1. *Quisquis per vestigium quodlibet animal*] al' *Quicunq; vestigium de quolibet animali.*
Si ii] Ms. desunt.
Eum prohibuerit] Ms. *Et si eum prohib.*
res reposcit] Ms. *res poscit.*
§. 2 *pro fure teneatur obnoxius*] Mss. addunt. *Ita ut ne mulieri liceat denegare.*
§. 3. *vegiaturas*] Ms. *veraturas.*

TIT. XVII. §. 1. *habeantur abolitæ*] Mss. *habeantur oblitæ.*
§. 4. *& si nec*] al' *& ille nec fid.*
§. 5. *actorem. Et si actor*] Ms. *auctorem. Et si auctor.*

TIT. XVIII. §. 1. *Morsus*] Ms. *morsu.*
animal aut canis] Ms. *animal aut canem.*
tradatur] Ms. *tradat.*
§. 2. *inferre*] Ms. *inferri.*

TIT. XIX. §. 4. *pro ea præsumptione*] Mss. τὸ *præsumptione* deest.
§. 5. *qui sub fideiussore discesserit*] Ms. *quæ fid. excesserit.*
commonitionem] Ms. *admonitionem.*
fideiussorem suum] τὸ *suum* Ms. deest.
in triplum ille, pro quo fideiussum est] Ms. *in triplum ab illo quem fidedixit impleatur.*
§. 6. *pontificium*] al' *potestatem.*
§. 7. *fideiussor*] Mss. *fideiussori.*
non requiratur] al' *non quæratur.*
pro quo fideiussum est] Mss. *quem fide dixit.*
§. 9. *non sic fec.*] Mss. τὸ *sic* deest.
§. 10. *Quicunq; noluerit*] Mss. *Quicunq; fideiussor nol.*
necesse fuerit] Mss. *necesse habuerit.*
§. 11. *pro quo ille*] Ms. *pro illo.*
sua si fideiussor deerit, crediderit] Ms. *sua fideiussor dederit, crediderit.* al' *sua fideiussori credid.*

TIT. XX. §. 1. *de fuga pot.*] Mss. *de fugam pot.*
§. 2. *furto facto*] Ms. *furtum admissum.*
pro furto, neq; pro fuga] Ms. *per furtum neq; per fugam.*
fugitivos corripiunt, dominis] Mss. *fugitivum corripiunt, domino.*
illum solidum] Mss. *illum solum.*
evectione] al' *evasione.*

TIT. XXI. §. 1. *commodaverit*] Ms. *commendaverit.*
§. 2. *facienda*] Ms. *faciendum.*

TIT. XXIII. §. 1. *quolibet damno*] Mss. *quocunq; damno.*
Si servus hoc fecerit, centum fustium ictus accipiat, damni similiter æstimatione taxata] Hæc Ms. desunt.
§. 3. *clausuram*] al' *clusuram.*
sol. II.] Mss. *sol. III.*
§. 4. *vineis, pratis*] al' *vineis, aut in pratis.*
fuerit ut porc.] al' *fuerit contestatus ut porcos.*
facultatem] Ms. *potestatem.*

TIT. XXIIII. §. 1. *quod pater*] Ms. *quidquid pater.*
habeat potestatem] Ms. *habeat liberam potestatem.*
§. 2. *pertinuit*] Ms. *pertinuerit.*
mariti donatoris] Ms. τὸ *donatoris* deest.
parentes accipiant] Ms. *parentes accipiant, hoc est, donatores.*
§. 3. *exinde*] al' *inde.*
§. 5. *habet*] Ms. *habens.*
reservavit] Mss. *reservat.*

TIT. XXVI. §. 1. *optimati*] Ms. *optimatum.*
§. 2 *excussus fuerit*] Ms. *excusserit.*
§. 5. *det ei*] Ms. *inferat ei.*

TIT. XXVII. §. 1. *nullo impeditus obiecto*] Ms. *nullo impedito subiecto.* al' *nullum impeditum subiectum.*
§. 3. *transeuntibus*] Mss. *transitoribus.*
potuerat] al' *putatur.*
§. 4. *ingenuus hoc fecerit*] Ms. *ingenuus* deest.
solid. x. singulos] al' *solidos singulos.*
§. 7. *per diem in vineam*] Mss. τὸ *in* deest.
§. 9. *requiratur*] Mss. *quæratur.*
§. 10. *adparatu*] Mss. *adparatum.*
aratri tradere] Mss. *aratri regle tradere.*

TIT. XXVIII. §. 2. *pinis & abietibus*] Ms. *panis & abiectibus.*

TIT. XXIX. §. 1 *superventu*] Ms. *per ventum.*
§. 3. *aut scrinia*] Ms. *aut sceunias.*
TIT. XXX. §. 2. *centum quinquaginta*] Mss. τὸ *quinquaginta* deest.
TIT. XXXII. In Mss. ita hoc caput legitur. *Si quis hom. ing. innocentem ligaverit, & hoc ingenuus fecerit, inferat ei quem ligaverit sol. XII. Si libertum ligaverit, inferat ei quem ligavit sol. VI. & mulctæ nomine sol. III.* &c.
fustium ictus] τὸ *ictus* Mss. deest.
TIT. XXXIII. §. 1. *& mulctæ nomine solid. XII.*] Hæc Mss. desunt.
TIT. XXXIIII. §. 3. *uxorem suam forte*] Mss. *uxorem suam sine causa forte.*
adulteram, maleficam, vel sepul. violatricem] Mss. *adulterium, maleficium, vel sepulchrorum violatriam.*
§. 4. *facinoribus*] Ms. *faciendis his.*
TIT. XXXV. §. 2. *voluntarie*] Mss. *voluntaria.*
§. 3. *in servitutem regiam*] Ms. *in servitute regia.*
TIT. XXXVI. *quam adulteravit*] Ms. *qua adulteravit.*
regiæ servituti] Mss. *regiis servitutibus.*
TIT. XXXVII. *semispathium*] al' *semispatham.*
TIT. XXXVIII. §. 1. *hospiti venienti*] Ms. *hospitium venienti.*
§. 4. *Quod tantum*] Ms. *Quod tamen.*
§. 5. *ex sua exp.*] τὸ *ex* Ms. deest.
§. 6. *in causa privata*] Ms. *casa p̃liata.* al' *præliata.*
§. 7. *agro regio vel colonica*] al' *agrum regium vel colonicam.*
TIT. XXXIX. §. 2. *Quod qui*] Ms. *Quod quisquis.*
pretii ipsius] Ms. desunt.
ad dominos] Ms. *à dominis.*
§. 3. *conscientiam suam*] Ms. *conscientia sua.*
§. 4. *conservata*] Ms. *servata.*
is ad quem venerit non occulet, sed continuo] Ita Mss. quæ tamen in vulg. desunt.
remeare] Ms. *remeari.*
§. 5. *inconscio*] Ms. *inscio.*
mancipii] Mss. *mancipiis*
retentione] Mss. *retentatione.*
TIT. XL. §. 1. *mancipium iuris*] al' *mancipio iuris sui libertatem.*
& si] al' *ac si eum.*
manumissor licentiam] al' *manumissores.*
noverit] al' *noverint.*
manumissus] Ms. *manumissor pot. revocare.*
damnum &] Ms. *damnum aut.*
circa manumissores] Mss. *circa manumissoris.*
libertis suis] Ms. *libertates suas.*
§. 2. *heres eius*] Ms. *Heredes eius.*
TIT. XLI. §. 1. *in exarto*] Ms. *in exartu.*
compellente] Ms. *impellente.*
focum fecit] Ms. *focum fecerit.*
§. 2. *flammam*] Ms. *flamma.*
vis venti] Ms. *cum venti.*
quæratur] Ms. *quærat.*
TIT. XLII. §. 1. *iusserimus*] Ms. *iusseramus.*
§. 2. *morgengeba*] Ms. *morgengaba.* al' *morginegiva.*
permaneat] al' *permanebit.*
DATA AMBARIACO] Hæc clausula Mss. deest.
TIT. XLIII. §. 1. *evidenter*] Ms. *evidens.*
definiantur] Mss. *finiantur.*
probetur] Mss. *probabitur.*
TIT. XLIIII. §. 1. *occulte*] Mss. *occulta.*
& sic obiect.] Mss. *aut si obiect.*
probatione convictus] Mss. *probatione potuerit convinci.*
§. 2. *accusantis*] al' *causantis.*
coniugio ipsius] al' *coniugem ipsius.*
reclamante eo] Mss. *reclamantem iuiubemus.*
addici] al' *adiici.*
TIT. XLV. *& pervicatione*] Mss. *nostra pervagatione.*
cognoscimus] Mss. *cognovimus.*
litigio eorum] Ms. *litigium eorum.*
de eisd.] Ms. *ex eisd.*
si quis verit.] τὸ *quis* Ms. deest.
dixerit & obtulerit sacramentum] Ms. *dixerint & obtulerint sacramentum.*
DATA SUB DIE] Hæc clausula Mss. deest.
TIT. XLVI. *superiores sint*] Ms. *superius sint.*
tensuræ factæ] τὸ *factæ* Ms. deest.
lineas non illa] al' *lineas in illa.*
traditione posuerit] al' *traditione non posuerit.*
dominis secund.] Ms. *domino sec.*
TIT. XLVII. §. 1 *oportet*] Ms. *oporteret.*
furto abstul.] Ms. *furtu extul.*

libertate privetur] Mss. *libertate prohibeatur.*
servitium eius] Mss. *servitio eius.*
§. 2. *obnoxiatione*] Mss. *obnoxietate.*
§. 3. *condemnatione*] Ms. *conditio nationem.*
non habebit] Mss. *non habebunt.*
ante latæ legis] al' *antiquæ legis.*
TIT. XLVIII. §. 1. *violenter resist.*] Ms. *violento res.*
fuste aut lapide] al' *ictu fustis aut lapidis.*
& usum] Ms. *& os.*
perdiderit] Ms. *recipere, decimam.*
ad scriptum] al' *exceptum.*
compositione criminis] τὸ *criminis* ex Ms. insertum est.
§. 4. *violenter*] Ms. deest.
TIT. XLIX. §. 1. *quibuscunque causis*] Ms. *quibusque causis.*
claudenda perduxerit] Mss. *claudenda duxerit.*
dominum] Ms. *dominorum.*
converterit] Ms. *everterit.*
nihilque ab eo amplius postuletur] Hæc Mss. desunt.
§. 2. *clausura*] Ms. *clusura.*
domino eorum actorique rem is, à quo] Mss. *dominorum eorum actorum quærens is à quo.* al' *dominum eorum actoremque rei is, à quo.*
retinuerit] Mss. *retenuerit.*
clausuram] Ms. *clusuram.*
calumniam nullumque solutionis disp.] al' *calumniam solutionis aut dispendium is à quo.* &c.
§. 3. *longius*] al' *longe.*
pervagantibus] Ms. *vagantibus.*
convenit] Ms. *conveniet.*
teneatur obnoxius] al' *reddatur obnox.*
§. 4. *Eam sane*] al' *Eam tamen.*
& ad pueros nostros qui mulctam] Mss. *& à pueris nostris qui mulcta.*
cognovimus] Mss. *agnovimus.*
caballos eversos] al' *caballos deversos.*
TIT. L. §. 1. *Romanus ingenuus*] al' *Romanus ingenuum.*
§. 4. *mulctæ autem nomine sol. XII.*] Mss. *mulctam nihilominus XII. solidor.*
§. 5. *cæde*] al' *cædendo.*
vulneribus vexatum] al' *vulneribus vexando.*
adprobatum] Mss. *comprobatum.*
servabitur] Ms. *tenebitur.*
TIT. LI. §. 1. *observata*] Ms. *conservata.*
emissa iam pridem lege] al' *emissam iam pridem legem.*
ordinem iussimus] al' *ordine iubemus,*
portione] al' *portiones.*
Athilam] Mss. *Adillum.*
improbum huiusmodi] Ms. *imp. eiusmodi.*
retinebit] Ms. *retinebunt.*
nihil in contrarium per scripturam] Ms. *nihil contrarium nihil per scriptorium in præiud.* al' *nihil in contrarium nihil per scripturam in p.*
aut si fecerit] al' *hoc si f.*
§. 2. *legis vigore*] Mss. *legis errorem*
acceperit] Ms. *accepit.*
voluerit] Ms. *voluisset.*
fatorum decreta] Ms. *facturum decreta.*
defuncti fratris] Mss. *defuncti patris.*
§. 3. *fratrumque*] Ms. *fratrorumque.*
cassabitur] Mss. *causabitur.*
§. 5. *portio eius*] Ms. desunt.
fratrum] Ms. *fratrorum.*
§. 6. *germanam*] Mss. *germanas.*
fratres sui heredes accedant] Mss. *frater suus heres accedat.*
TIT. LII. *emissum iudicium*] Mss. *emisso iudicio.*
Aunegildem vertebatur] Ms. *Auneg. vertebat.*
recens facinus resecaret] Mss. *præsens facinus præcaverit.*
Aunegilde] al' *Aunegildis.*
donaverit] Mss. *donaverat.*
perceperit] Mss. *perceperat.*
Balthamodi non tam vota] Ms. *Balthamodi notam cucurrit, atque ob hoc.*
crimen tantumque dedecus] al' *crimen & dedecus.*
Aunegilde] al' *Aunegildis.*
dicta Aunegilde] al' *dictæ Aunegildi.*
coniuncta est] al' *coniunctus est.*
pretium suum] Mss. *præiudicium suum.*
Rectius est enim ut pauc.] Ms. *Rectius enim paucorum.*
corrigatur] Ms. *corrigi.*
incongruæ incivilitatis] Ms. *incong. civilitatis.*
Data sub die] Hæc clausula Mss. deest.
TIT. LIII. *fuerit lege*] Ms. *fuerat lege.*
ac sic mater] Ms. *aut si mater.*
rebus superfusis humanis] Mss. *rebus superfluis humanis.* Sed male. *Res* enim *humanas superfusas* vocat, cum confuso atque perverso ordine

naturæ filius ante patrem moritur, atque in fata concedit.

possederit] al' *possideret.*

acciperent] Mss. *acceperint.*

non minus dispendii ac litigii succed.] al' *non minus dispendii litigiis acced.*

servare neg. pl. sed finire] al' *servari neg. pl. sed finiri.*

utilitatibus partium] Mss. *utilitatibus patriæ causæ vestigium terminatis, quam.*

TIT. LIIII. *mancipiorum tertiam*] Ms. *mancipium tertium.*

qui agris & mancip.] Ms. *qui in agris.*

potiuntur] Ms. *puniuntur.*

§. 2. *faramannorum positionem & calum*] Ms. *faram mannorum competitionem calum.*

generaliter] Ms. *specialiter præcipimus generaliter pertinere.*

§. 4. *commotionem*] Ms. *communitionem.* sed male. *Commotio* enim *iracundiæ* dicitur, ut *commotio gravior* l. 2. C. *Vt nemo ad usum.* Vid. quæ ad Ammian. notata sunt, lib. 28.

TIT. LV. *De Removendis*] Perperam admodum hic titulus in retro editionibus conceptus, nunc tandem opera nostra ex veteribus libris integritati suæ restitutus est.

§. 1. *Romani in iud.*] Mss. *Romanos in iud.*

expectentur] Mss. *expectent.*

causatione misc.] Ms. *causationem misc.*

§. 2. *utrumq. XII. solidos iub.*] al' *utrumq. duodenos iub.*

generata] al' *cæpta.*

§. 3. *evellere*] Mss. *evellerit.*

§. 4. *debilitatem*] Ms. *libertatem.*

TIT. LVI. *dominus reddat*] Mss. *à domino recipiat.*

qui eum red.] Ms. *quem red.*

TIT. LVIII. *cui canis est*] Hæc in Ms. desiderantur.

TIT. LX. §. 1. *donationi*] al' *donationibus.*

hereditatis] Ms. *hereditates.*

facultates] Ms. *facultatis.*

§. 3. *compositi testes*] Ms. *compositio test.*

§. 4. *consuetudinem Barbar.*] al' *constitutionem Barbar.*

TIT. LXI. *alterius postmodum coniugio*] Ms. *ad alterius postmodum coniugium.*

TIT. LXII. §. 2. *dote tamen sua*] al' *dotem sane suam.*

TIT. LXIIII. §. 1. *Qui in messe sua*] al' *qui in mensem suam.*

& animal qui occiderit] al' *& ille animal quod occid.*

maioribus animalib.] τὸ *animalibus* aliis libb. deest.

TIT. LXV. *patiantur*] Mss. *patiatur.*

§. 2. *Si certe præs.*] al' *si incerte præs.*

TIT. LXVI. §. 2. *placuit ut*] Mss. desunt.

TIT. LXVII. *medietate ex exartis*] Ms. *medietatem exartis.* Legend. *medietate in exartis.*

TIT. LXVIII. §. 2. *unum occiderit*] al' *unum non occid.*

TIT. LXX. §. 1. *solvat quantum*] al' *solvat quod.*

§. 3. *berbicem*] al' *vervecem.*

solid. XII.] al' *solid. III.*

TIT. LXXI. §. 2. *locum iudicis*] al' *locum indiciis.*

TIT. LXXIII. §. 1. *in quo damnum*] al' *quod damnum.*

faciat] Ms. *sibi faciat.*

velit, an alium] Ms. *velit animalium.*

æstimatione habita duos alios tales cab.] al' *æstimationem habeat, aut duos tales cab.*

§. 2. *velit. Quod si animal displicuerit, præstita*] al' *velit, cui displicuerit an alium præstita.*

Dominus servi] al' *Dominus autem servi.*

qui debilitatus] Ms. *quod debilit.*

§. 3. *curtato*] Ms. *scurtato simili pœna servata conditione.*

TIT. LXXIIII. §. 1. *generalitatem*] al' *quantitatem.*

temperare] al' *temperari.*

§. 2. *aut si eius adulti*] al' *ac sic eius.*

TIT. LXXV. §. 1. *si filius patre superstite habens filios in fata*] al' *si filius patrem superstitem habens cum filio in fata discess.*

sororemq.] al. *sororem quoq.*

§. 2. *nepotis partibus sequestr.*] Ms. *nepotibus seq.*

Altera med.] al' *alia med.*

§. 3. *ita ius*] al' *ita ut ius.*

TIT. LXXVI. §. 1. *pueros nostros occid.*] Ms. *puerum nostrum occid.*

ab aliis inferuntur] al' *ab his inf.*

§. 3. *Wittiscalcos nostros*] Mss. *Wittiscalcum nostrum.*

similiter teneb.] τὸ *similiter* deest al.

§. 4. *ita custod.*] τὸ *ita* deest al.

curabunt] Ms. *curabuntur.*

TIT. LXXVII. §. 1. *iudicio sub insc.*] al' *iudici sub inscr.*

§. 2. *in quæstionem*] al' *in quæstionem.* Ms. *inquisitionem.*

in pretium] al' *in pretio.*

§. 3. *indiciorum integram*] al' *indiciorum integra.*

sententiam] al' *dispendia.*

TIT. LXXVIII. §. 1. *facultatum filii*] al' *voluntate filii.*

integram usufructuario iure] Ms. *integram in usufruct.*

§. 2. *ad masculos*] Ms. *ad masculum.*

TIT. LXXIX. §. 1. *constitui*] al' *constituta.*

§. 4. *de præfatis*] Ms. *de privatis.*

TIT. LXXX. §. 1. *minus statuta*] Ms. *minus constituta.*

§. 2. *descenderint*] al' *descenderit.*

male referentium] al' *mala ref.*

potuisse unius] al' τὸ *potuisse* deest.

exitu expiari] Mss. *exitus expiare.*

§. 3. *calumniatori*] Mss. *calumniatorem.*

dimicandum] Mss. *vindicandum.*

simili] Mss. *similiter.*

feriatur] Mss. *feriantur.*

TIT. LXXXI. §. 1. *partes cognitas*] al' τὸ *cognitas* deest.

expectatio ideo] al' *expetitionis consens.*

cognoscat] al' *agnoscat.*

TIT. LXXXII. §. 1. *insistat*] Mss. *instat.*

§. 2. *pars adversa alium*] Ms. *pars adversa auxilium.*

TIT. LXXXIII. §. 1. *fideiussorem non accep.*] al' *fideiussorem petitum non accep.*

§. 3. *rei agnita*] Mss. τὸ *agnita* deest.

TIT. LXXXV. §. 1. *tutelam*] Ms. *tutillam.*

parentela] Ms. *parentilla.*

proximus parens res] Ms. *proximos parentes ad res.*

TIT. LXXXVI. §. 1. *Si pater filiis*] Ms. *Si paterfamilias dimittat heredam, si vivus.*

§. 2. *pater ut non*] Ms. τὸ *ut* deest.

TIT. LXXXVII. §. 1. *ita credidimus*] Ms. τὸ *ita* deest.

libertare] Mss. *libertum.*

§. 3. *revocare*] Ms. *revocandi.*

TIT. LXXXIX. In Mss. duobus totus hic titulus deest.

ADDITAMENTVM PRIMVM.

TIT. I. §. 1. *intercludi nec exartari posse*] al' *intercludere nec exartare posse.*

munitionis solum] al' *munitionis soli.*

§. 4. *carra ducuntur*] Mss. *carrada.*

§. 5. *communis*] Mss. *communes.*

IN LEGEM SALICAM.

TIT. II. §. 1. *Hranne*] Sic vet. 3. al' Ms. & Til. *chranne.*

§. 7. *Scrovam*] Sic vet. 6. Til. *Scrofam.* ut & infra quoque.

§. 9. *Si quis porcum*] Ms. *Si quis porcellum.*

§. 12. *Si quis verrum*] Sic omnia fere exemplaria. in uno tamen Ms. & Til. *Verrem.*

TIT. III. §. 10. *Taurum regis*] Sic vet. 3.

TIT. V. §. 1. *Capritum*] Sic vet. omnes: vulg. *caprum.*

§. 3. *Si quis buccum*] Hic §. abest à tribus exempl.

TIT. VI. §. 4. *canem pastoralem*] Sis plures Mss. alii sex, *canem pastorem.*

TIT. VII. *Acceptorem*] Sic antiqua omnia exemplaria; vulg. *accipitrem.*

§. 4. *anetam.*] Sic vet. 2. alii Mss. quinq; *anetem.*

§. 6. *Gallum*] Exemplar unum. *Coccum.* Glossar. Latino-Saxon. *Gallus* cocc. *Gallina* henn.

Cignum] Ita vet. plerique. In alio Ms. *cicinum.* al' *Cisnum.*

Gruam] Vulg. *gruem.*

§. 7. *Si quis turturem*] Ita vet. Sed alia 2. exempl. *Si quis aucellum de trappa furaverit.* Sicut & editio. Germ. inde Gall. *Trappe* & *entrapper.*

TIT. VIII. *Materiamen*] Sic veteres multi: nonnulli etiam *Matriamen.*

TIT. IX. §. 1. *deintro clave*] Sic vet. 4. al' *deintro clavem.*

TIT. X. §. 5. *inclauserit*] Sic vet. 5. & infr. *inclausa.* al' *incluserit.*

TIT. XI. §. 5. *Sive venatorem*] Ms. *veneratorem.* in uno exempl. additur.- *Vetus Gloss. Scancio sive scancionem.* In Concilio Tolet. *Comes pincerna.*

Scanziarum. à Germanico Schencke, unde & Gallis *Eschanson*.

TIT. XII. §. 1. *Si quis ingenuus*] Ms. R. *Si quis homo ingenuus deforis cas*.

TIT. XIIII. *Screona*] Ms. 1. *Scroëna*. alii 6. *Screuna*.

§. 10. *qua druchte ducitur*] Sic 5. exemplaria. unum. *qua de druchte*. vulg. *qua druchte*.

§. 13. *per virtutem*] Sic vett. omnes. Vulg. *per vim machatus fuerit*.

§. 16. *sororis*] Alii vett. & vulg. *Sororem aut fratris fil.*

certe alterius] Sic vett. 6. alii 2. *certe ulterius*.

TIT. XV. *De eo qui*] Vett. 3. exempl. sicut & editio. Germ. *De superventis & expoliationibus*.

§. 2. *Si Romanus homo Franc.*] Ms. *Si Romanus hominem Franc.*

§. 4. *Via laciniam ei facere*] Germ. editio. *Extra ordinationem Regis restare, vel adsallire præsumserit*. Gal. *Arrester*.

§. 5. *furtu*] Sic vett. omnes. ut infr. Tit. 17.

TIT. XVII. §. 3. *in nosso*] Sic vett. omnes. tamen infr. Tit. 57. §. 4. *nauso*.

TIT. XVIII. §. 2. *maholum*] Sic vett. 6. al' *machadum*, al' *massolum*. Ms. R. *maslatum*.

§. 4. *concisam*] Sic vett. 6. aliud exempl. *concidem*.

TIT. XIX. §. 5. *Intrania*] Sic vett. 5. al' 3. *intranea*.

§. 7. *fuste percuss.* Ms. *de fuste perc.*

TIT. XXI. §. 3. *superiactatus fuerit*] Sic vett. 9. vulg. *superiactaverit*.

TIT. XXV. *Pro eo quia descenderit*] Sic vett. omnes: vulg. *pro equam quam ascenderit*.

TIT. XXIX. §. 3. *Si quis skellam*] Sic vett. 5. alii Ms. *schellam*. al' *schillam*. non *sellam*: ut antea editum erat.

§. 6. *Reffare*] Ms. *Repare*. editio Germ. *Repascere*. al' *tripaverit aut meterit*.

§. 8. *Impotos de milario*] Sic vett. 5. alii Ms. *impotus de melario*.

pirario] Ms. *pomario*.

§. 10. *milarium aut pirarium*] Ms. *melarium aut perarium*.

decorticaverit] Exempl. 1. *excervicaverit*.

§. 13. *napinam*] Ms. *navinam*.

§. 32. *statuam*] Sic vett. 10. al' *Stavam*. Staff Germani *palum* vocant.

Tremaculum] Sic vett. 6. al' *Tramaculum*. al' *tremagolum*.

Vertivolum] Sic vett. 7. al' *vertevolo*. *vertuolum*. *verticulum*.

§. 33. *Screonam*] Sic Mss. omnes.

§. 37. *brachile*] Sic Mss. pleriq;. unum vett. *brachialem*.

§. 38. *Si quis casam*] Sic vett. omnes. Vulg. *Si quis per casam*.

TIT. XXXI. §. *effoderit*] Alii codices Ms. *effodierit*.

§. 8. *medium digitum*] Ms. *medianum*.

16. *amputaverit*] Ms. *capulaverit*.

TIT. XXXII. §. 1. *Cenitum*] Ms. *Cinitum*. al' *cinidum*.

§. 5. *Si qua mulier*] Abest hic §. ab omnibus exemplarib. præterquam à vetustiori.

TIT. XXXIIII. §. 1. *Si quis hominem ingenuum sine causa ligaverit*] Tacitus de moribus Germ. *Aleam sobrii inter seria exercent, & novissimo iactu de libertate & de corpore cõtendunt. Victus voluntariam servitutem adit: quamvis iunior, quãvis robustior, ligari se ac vinciri patitur.* Quale fere etiam, quod de Hunnis scribit Ambrosius Episc. Tobiæ cap. XI. *Frequenter tanto ardore rapti, ut cum ea, quæ sola magna existimant, victus arma tradiderit, ad unum aleæ iactum vitam suam potestati vel victoris vel fœneratoris addicat.*

§. 5. *Hominem noxium ligatum*] Greg. Turon. de Mirac. B. Martini lib. 1. cap. 17. lib. 4. c. 16. & 35.

TIT. XXXVII. §. 4. *Trianti uno*] Sic vett. pleriq;. alii *triente*.

TIT. XXXVIII. *Medietatem compositionis*] Basiliensis edit. *Medietatem de ipsa leudi componat, & pro alia medietate ipsum quadrupedem homini donet.* LL. Ripuar. Tit. 48. *In medietatem Weregildi suscipiatur.*

TIT. XXXIX. *solem secundum legem culcaverit*] Sic novem exempl. al' *collocaverit*, ut Tit. 42. & alibi sæpe.

TIT. XL. §. 1. *carrucam*] Sic meliores libb. al' *Carruga*. al' *carrua*.

§. 7. *Si quis poledrum*] Sic pleriq; codd. al' *puledrum*. al' *poletrum*. al' *pulletrum*.

§. 9. *Tribatterit*] Sic vett. 6. al' *trabatterit*. al' *trebatterit*, *debilitaverit, aut percusserit*. Editio Germ. Tit. 28. *Si quis fœminam ingenuam gravidam trabattit*,

battit, & ipsa fœmina fuerit mortua.

§. 13. *admissarium alienum*] Ms. *admissarium caballum.*

Triaen comp.] Sic exempl. 6. al' *triante uno.* al' *triente uno.*

§. 15. *Excurtaverit*] Sic exempl. 5. al' *scurtaverit.* L L. Wis. lib. 8. Tit. 4. §. 3. *Si quis alieni caballi comam turpaverit, aut caudam curtaverit.*

§. 16. *Excorticaverit*] Sic Exempl. 5. Al' 4. *excoriaverit.* Plenius unum exempl. *Si quis caballum mortuum sine permissu domini excorticaverit.*

TIT. XLIII. §. 7. *Si quis hominem invenerit in quadrivio*] Auson.

Abiecta in triviis inhumati glabra iacebat
Testa hominis.

Sine manib. & pedib.] Gregor. Turon. lib. 8. cap. 29. *Truncatis manibus auribusq; & naribus, variis sunt mortibus interempti.* Lib. 10. c. 15. *aliis manibus, nonnullis auribus naribusq; decisis, seditio depressa quievit.* & capp. XI. XVIII.

§. 10. *In puteum*] Greg. Turon. lib. VII. cap. 23. 373. *Iudæi cum duobus Christianis, ab iniuriosis hominibus interfecti, in puteum qui propinquus erat domui eius, proiecti sunt.* Ado Vienn. *Comprehensus à Chlodomero cum uxore & filiis suis necatur, & in puteum proiectus occultatur.*

§. 12. *per eius commotionem*] Al' exempl. *per eius commotionem.*

TIT. XLV. *Si in convivio*] Pœnitentiale Rom. cap. 15. ex concil. Wormat.

§. 2. *in illo convivio*] Ms. *in ipso contubernio.*

TIT. XLVI. §. 1. *Scutum habere debent*] Tit. 48. *Scutum in ipso mallo habeat.* Inde apud Otton. Frising. de rebus Friderici Imp. lib. 1. cap. 12. *Est autem consuetudinis Regum Francorum, quæ & Teutonum, ut quotiescunque ad sumendam imperii coronam militem ad transalpizandum coëgerint, in prædicto campo mansionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto scutum suspenditur.* Guntherus.

— Ligno suspenditur alte
Erecto clypeus, tum preco regius omnes
Convocat, à dominis feudalia iura tenentes.

An quod armati in concilium venirent? Liu. lib. 21. de Gallis. Tacitus de morib. German.

Tres homines] Tit. 48. Tit. 59. *Sagibarones plus quam tres esse non debent.*

Tres solidos æquè pensantes] Maiores nostri uxores sibi emebant solido & denario. Fredegarius Scholast. *Legatos ad Gundebaldum dirigit, petens ut Chrotilde neptem suam ei in coniugium sociandam traderet. Quod ille denegare metuens, & sperans amicitiam cum Chlodoveo inire, eam daturum spopondit. Legati offerentes solidum & denariũ, ut mos erat Francorum, eam partibus Chlodovei sponsant, placitum ad præsens petentes, ut ipsam ad coniugium traderet Chlodoveo.* Marculphus in Form. *N. filius N. puellam ingenuam nomine N. illius filiam per solidum & denarium, secundum legem Salicam & antiquam consuetudinem desponsavit.* Propterea uxor in potestatem viri cadit, nec liberam habet rerum administrationem: quod & Gallis in usu fuisse testatur Cæsar.

Habere debet] Additur in 2. *Et tres erunt, qui solidos pensare vel probare debent.* Quasi libripendes intervenerint.

§. 2. *Cui reipus debeatur*] Nec enim debetur ei, qui in hereditatem defuncti mariti succedit.

§. 10. *Post VI. geniculum*] Synod. Agripp. can. 6. Meld. can. 7. *usque ad septimum gradum.*

TIT. XLVII. *De Eo Qui Villam*] *De complainte en cas de saisine, & nouvelletè dedans l'an.* Vt fallantur, qui Simonem de Bucy, ius istud ante nescitum, intra Franciam proquiritasse tradunt.

§. 2. *Si vero XXX. noctes impletæ*] Iure Romano cum in rem aliquam agerent litigatores, & pœna se sacramenti peterent, poscebant iudicem, qui dabatur post trigesimum diem. Ascon. Pædia. 3. in Verrem.

Præstos habeat] Sic vett. 4. al' *præstus.* Iure Romano superstitibus, id est, testibus præsentibus, ii inter quos controversia erat, vindicias sumere iubebantur.

Accedat ad locum] *Execution & fournissement de complainte sur le lieu.* cap. 12. Consuet. Insul. Gellius lib. XX. c. IX.

TIT. XLVIII. *In casa ipsius manere*] Gregor. Turon. lib. 4. de mirac. S. Martin. cap. 12.

In potestate sua] Frustra enim donatur, nisi & quod datum est tradatur.

Ante XII. *menses*] Tempus insinuationis.

Theada] Vett. *Theoda.* al' *Theuda.*

Ante Regem in mallo publico] Donationis per manum Regis formula extat apud Marculf. Inde morib. Boloniens. & Pontivens. *Avant que le donataire puisse iouir du don a luy faict, & en faire son acquest, fault qu' il l' apprehende par mise de faict, & iustice competente.*

TIT. XLIX. *Vendiderit aut cambiaverit*] Vnde & Constitut. Karoli Magni. *Nullus comparet caballum, nisi illum hominem agnoscat, qui ei vendidit, aut de quo pago est, vel ubi manet, aut quis eius senior.*

Quod ei nunciasset] Editio Germ. *quomodo ei mancaverit.*

Exivit se] Sic vett. 4. al' *exuit se.*

Ista omnia ubi suus hamallus est] Exempl. unum. *Ista omnia facere debet in mallo, ubi ipse amallus esse dignoscitur, super quem.* Aliud. *Ista omnia in mallo debent fieri, ubi ille est hamallus, id est, qui suscepit causam ad mallandum in vicem alterius.*

TIT. L. *adfirmare*] Sic vett. 8.

§. 3. *de ipsis coniurationibus*] Sic veteres pleriq; codd. Alii duo. *de ipsis iuratoribus.*

§. 3. *Periurasset*] Maxime in causis, quæ sub iureiurando finiendæ sunt. Can. 8. Syn. Aurel.

TIT. LI. §. 3. *forbanniti*] Sic vett. 3. Alii 7. exempl. *ferbanniti.*

TIT. LII. §. 2. *admallare*] Sic vett. cod. Editio vero Ger. *mannire ad mallum.*

iudex] Editio Germ. *Tunginus.*

inde eum adstringas] In formula Rom. IVDEX EGO TE EX IVRE MANV CONSERIVM VOCO.

Tunc iudex] Exempl. 2. *Tunc Tunzinus.*

De fortuna ipsius tollant] Alioquin licuit res adversarii possidere, donec satisfecisset. Gregor. Turon. lib. 4. c. 46.

Aut de vita componat] Vid. Præfat. LL. Burgund. Formula vetus. QVI SE IN SERVITIO ALTERIVS OBNOXIAT. *Dum instigante adversario, & fragilitate mea prævalente in casus graves cecidi, unde mortis periculum incurrere potueram. Sed dum vestra pietas me iam morti adiudicatum de pecunia vestra redemistis, vel pro mea culpa res vestras quam plures dedistis: & ego de rebus meis, unde vestra beneficia rependere debuissem, non habeo; ideo pro hoc statum meum vobis visus sum obnoxiavisse, ita ut ab hoc die de vestro servitio penitus non discedam.*

TIT. LIII. DE EO QVI GRAEIONEM] Vett. 1. DE ANDOCTEMITO. Editio Basiliens. *De Andocmito.*

§. 1. *admallatum*] Additur in 2. exempl. *vel adiectivum.* Aliud exempl. habet; *antequam legitime admallatus aut fides ei facta fuerit.* Editio Bas. *Antequam eum per legem habeat admallatum aut consecutum, quod ei in mallo fidem fecisset.*

§. 2. *aut se redimat*] Editio Bas. *aut Weregildem suum redimat.*

TIT. LIIII. DE RE PRÆSTATA] al' *De præstata.* Gall. *De præst.*

Super illos] Vnde & moribus Ambianens. multam fisco inferunt, qui ad diem non solverunt.

TIT. LVI. *Sagibaronem*] Ms. *Sacibaronem.* & ita infr.

TIT. LVII. §. 3. *staplum*] Ms. *staplos.*

quod est structura sive selave] Ms. *quod est ea structura sicut salive.* al' *sive sillabe.*

§. 4. *nauso*] Ms. *nosso.* ut supr. Tit. 17.

in petra miserit] Ms. *in petra super alium miserit.*

TIT. LVIII. DE INCENDIO VEL EXPOL.] Hæc Capitula Domnus Hludovicus Imp. Anno imperii sui V. cum universo cœtu populi in Aquisgrani palatio promulgavit, atque Legi Salicæ addere præcepit. Ipsaq; postea cum in Theodonis villa generalem conventum habuisset, ulterius Capitula appellanda esse prohibuit, sed ut Lex tantum dicerentur voluit. Quæ vero hic ab aliis editionibus variant, ad Ms. cod. fidem restituta sunt.

Vbi reliquia] Gregor. Turon. de mirac. lib. 2. cap. 40.

De altari] 1. q. 3. c. *quæsitum.* & c. *gravem. de excess. præl.*

TIT. LIX. *Rachinburgiis*] Ms. *Racineburgiis.* & ita infra.

Per legem se educere] Vett. 7. *per legem se edicere.*

TIT. LXI. *in durpilo*] Ms. cod. *in durbio.*

intus

Intus captare] Ms. *intus in casa aspiciat, cum s.*

cum sinistra manu de illa terra] Vnde moribus Gallicis, *Mettre en sa main le gazon de l'heritage.* In notitia traditionis. *Qualiter veniens ille, die illo, in villa illa, ante bonos homines per hostium, & texatoria, seu terram vel herbam, homini illi, nomine ill. & coniugi suæ ill. rem illam visus fuit tradidisse, non in fraude, sed in publico & per meam festucam, de iam dicta re illa exitum fecisse.* Et alibi. *Per terram, & per herbam, seu per hostium visus fuit tradidisse.*

Vltra scapulas iactare] Inde-*riche par dessus l'espaule.*

cum palo] Mss. *cum palu.*

Diger est] Ita plerique Mss. in uno tamen Regio cod. *dederit.* Germ. editio *beberet.*

TIT. LXII. §. 1. *filios non dimiserit*] Filiæ enim patri in alode non succedebant, nisi aliter cavisset. Marculfus in formula, quæ apud Cuiacium extat Observat. lib. VIII. Innominatus auctor de formulis Salicis. *Dulcissima filia mea, dum cognitum est, qualiter secundum legem Salicam in portione paterna cum fratribus tuis filiis meis minime potes succedere.* Sed & in lege familiæ, quam Burchard. Worm. Episc. scripsit. *Si ex familia*, inquit, *vir aliquis & uxor eius obierint, & filium cum filia reliquerint, filius hereditatem servilis terræ recipiat, filia autem vestimenta matris & pecuniam operatam recipiat.*

§. 5. *Quicunque proximiores*] Vetus Form. *VT IN LOCVM FILIARVM NEPOTES INSTITVANTVR AB AVO. Dulcissimis nepotibus meis S. Dum peccatis meis facientibus genitrix vestra filia mea, quod non optaveram tempore naturæ suæ completo ab hac luce decessit. Ego vero pensans consanguinitatis causam, dum & pro lege cum ceteris filiis meis avunculis vestris in alode mea minime accedere potueratis, ideo per hanc epistolam vos dulcissimi nepotes mei volo ut in alode mea post meum discessum, si mihi superstites fueritis*, &c.

§. 6. *NVLLA PORTIO HEREDITATIS*] Carolus IIII. de vita sua. *Eodem anno obiit Carolus Francorum Rex, relicta uxore pragnante, quæ filiam peperit. Et cum de consuetudine regni filiæ non succedant, provectus est Philippus filius soceri mei in Regem Franciæ, quia propinquior erat hæres in linea masculina.* Albertus Argent. in Chron. *Cum Francia à nullo haberi dicatur in feudum, quamvis econtra nullus per fœmininam lineam successisse dicatur.* Vetus Chron. *Obeunte inhumatoq; Carolo Pulchro, orta est quæstio non modica, quis in regno de ipsius progenie proximior existeret ad succedendum, &c. Tandem opinionibus & altercationibus sopitis, per Principes & regni sapientes conclusum fuit, & unanimiter determinatum, quod regnum eo quod de consuetudine & statutis eiusdem in genus fœmineum descendere non valebat, Comiti de Valesio Philippo pertinere debebat.* Baldus ad L. 1. ff. *de Senator.* & ad Tit. *De feudo Marchiæ.* Petrus Iacob. Tit. *De causis ex quibus vasall.* Froisardus volum. 1. cap. 4. Garibay lib. 26. Histor. Hispan. cap. 16. Et sane iure antiquo feudorum filiæ à successione feudi removentur, quia fœminæ neq; faidam levare, neque pugnam facere possunt. Lib. 1. Tit. 1. de feud.

TIT. LXIII. *DE EO QVI SE DE PARENTELA*] Id est, *De eiuratione cognationis.*

TIT. LXV. *Medietatem parentes*] Nam universa domus recipiebat satisfactionem. Tacitus de morib. Germ. *Suos enim opprimi quisq; & circum venire non patitur.* Cæsar.

§. 3. *Quod inimicus*] Duellio. Mos Francis solitus. Aymon. lib. 5. cap. 13.

TIT. LXIX. §. 4. *Vivum hominem de furca*] In quæstionibus adhibendis more Francico, reus revinctis post tergum manibus suspensus ad arborem dependebat. Gregor. Turon. Histor. lib. 5. cap. 49.

TIT. LXXI. *De terra condemnata*] Totus hic Titulus abest à plerisque exemplarib. In editione autem Germanica alia sequuntur Capita, quæ & ipsa quidem in nonnullis Mss. codicibus reperiuntur, in plurimis autem desiderantur.

IN DECRETVM CHILDEBERTI REGIS.

§. 2. *Attiniaco*] Ms. Regium, *Attonaco*. Til. *Antonaci*.

§. 4. *Traiecti convenit nobis campo*] Til. *Traiecti convenit nobis, ut servum, campum, aut quaslibet res.*

quod in alia regna hucusq; detinuit] Til. *præter id quod rixa hucusq; detinuit.* Sed legendum censeo. *Præter id quod in alia regna usus hucusq; detin.*

§. 5. *Si qui præsumpserit ei aliquid adiuvare suum*] vulg. *Quisquis fecerit suum.*

Weregildum] Ms. Reg. *Werewaldum*. & ita infra.

§. 6. *componat, quia omnino volumus ut*] Ms. R. *componat, nihilominus ut sarf.*

incurrat] Ms. R. *sustineat.*

§. 7. *quomodo contra legem furtum perpetravit, secundum legem*] Ms. R. *quomodo sine lege involavit, sine lege mor.*

laxaverit] al' *convictus fuerit relaxasse.*

§. 8. *in loco pendatur*] vulg. *in collo pend.*

§. 14. *Si Salicus*] vulg. *Si Francus.*

§. 15. *De chrenecruda.*] Hic §. in Ms. R. desideratur.

Datum pridie] Ms. R. *Asclepiodus recognovit. Datum secundo, &c.*

Item Confirmatio Legis, &c.] Sic Ms. R. Nam vulg. codd. *Expliciunt Legis Salicæ libri III. quam Chlodov. &c.*

pervenit, quod ibi digne imposuisse] al' *quidquid invenit digne ibidem imp.*

CAPIT. HLVDOVICI IMPERAT.

§. 3. *excepto ubi contentio*] Ms. I. *excepto leudis ubi contentio.* Vid. LL. Longodard.

Solvere debet] in Ms. I. additur. *Infra Salicos vero ex utraq; parte de omnibus debitis, sicut diximus XII. din. pro sol. solvantur, sive de homicidiis, sive de omnibus rebus.*

IN LEGEM ALAMANNORVM.

Lex Alemannorvm qvæ temporib.] Alii Mss. Codd. *Incipit Lex Alamannorvm, qvæ temporibvs domni Clotharii Regis constitvta est. Vbi fvervnt vna cvm Principibvs svis, id svnt XXXV. Episcopi, et XXXIII. Dvces, et LXXVII. Comites, et ceterus popvlvs advnatvs.*

Cap. I. §. I. *Contradicendi*] Ita 2. exempl. al' *contradicere.*

ad eandem Ecclesiam deservit, super altare ponat, & propr.] Mss. 3. *ad illam Eccles. deservit, & propr.*

§. 2. *Et si aliqua persona*] Al' 2. Ms. & Sichardi editio. *Et si aliqua persona res malo ordine de Ecclesia subtraxerit, quæ manu potestativa prius contradictæ ad Ecclesiam fuerint, secundum legem Alamannorum, multa quæ in charta commemorata fuerit, in fisco solvatur, & LX. sol. pro fredo. Res autem ad Ecclesiam permaneant, cum emendatione hominis illius, qui eas malo ordine subtrahere voluit, hoc est, cum supradicto debito res reddat, & XXX. sol. ad Ecclesiam solvat.*

Cap. 2. §. I. *quod spondit*] Ita Mss. 3. vulg. *spopondit.*

filium relinquat] Mss. 2. *filium suum.*

§. 2. *Si autem illa charta aut arserit*] Mss. & Sichard. *Si autem exinde nec charta, nec testes apparuerint, tunc liceat illum heredem cum quinq; iuratoribus electis, & sua manu sexta, per sacramentum adfirmare, quod pater eius de prædictis rebus chartas neq; traditiones non fecisset. Nam tamen si unum de istis apparuerit, aut charta aut testes sacramentum heres habere non poterit.*

3. §. I. *Si quis homo aliquem persequens*] Ms. Antonii Loiselli I.C. *Si quis homo ad Ecclesiam confugium fecerit. * Si vero servus fuerit, presbyter eum reddere faciat domino suo, ita sicut lex continet. Si autem presbyter excusare ei non præsumpserit, tunc in omni cura reimpe-*

re impediat, tamen domino suo ad perdendum eum non tradat. Si servus fugam lapsus fuerit, & iam dictus sacerdos eum invenire non poterit, ad reddendum domino suo alium servum in capitalem restituat, aut pretium sicut compositio servi fuerit. Si vero dominus servi eum in pace recipere voluerit, & presbyter eum contendit, tunc servus fugam lapsus fuerit, & presbyter eum ad reddendum invenire non potuerit, aut alium servum talem in capitalem restituat, cum XII. sol. aut pretium restituat, sicut servus componi debuerat, si occisus fuisset, cum supradictis XII. sol. Neque aliter fere Sichardi editio.

CAP. 4. §. 1. *ad ipsam Ecclesiam*] Mss. 2. *ipsam Ecclesiam quam polluit, cum XL. sol. componat, & fiscus fredam adquirat, parentib.* &c. Pro *XL. sol.* exempl. 1. *LX. solid.*

5. *Si quis res suas ad Eccles.*] Totum hoc caput ita in 2. Mss. legitur. *Si quis autem raptor res Ecclesiæ commendatas alicuius, infra ianuas Ecclesiæ vi abstraxerit & tullerit, homini cuius fuerant, sicut lex habet, ita persolvat. Iniuria autem Ecclesiæ quod raptum fecit XVIII. sol. comp.*

6. DE IVRATORIBVS & QVANTOS] Hoc caput in Ms. duob. & editione Sichardi, Heroldi, & Tilii extat; desideratur autem in uno optimo Ms.

§. 4. *Ita observandum est*] Ms. *Ita observandum est usq; ad tres sol. & supra tres sol. Iterum duas saigas valentes aliquis interpellatus fuerit.*

§. 6. *Nam si duæ saigæ*] Ita Ms. Loiselli, & editio Germ. Tilii autem, *Nam si duo saigi.*

Similiter cum electis] Ms. Loisel. *Similiter cum Alamannicis.*

Super capsam ponant] Ms. Loiselli, *supra illius manus ponant.*

7. §. 1. *ut solvat unicuiq; rei*] Ita Mss. 3. vulg. *ut solvat unamquamq; rem.*

8. *Si quis servum Ecclesiæ occiderit*] Sic vett. Mss. 3. & editio Germ. In editione autem Tilii & aliis codd. Ms. Heroldi & Puteanor. ita hoc caput legitur. *Si quis servum alienum occiderit, solid. XII. in capitali restituat, aut cum alio servo qui habet tredecim palmas cum pollice replicato, vel duos digitos in longitudinem, & III. sol. in alio pretio superponat, quod fiunt simul solidi XV.*

II. Si quis Ecclesiasticum servum vel regium occiderit, tripliciter componatur, hoc est XLV. solid.

Ceterum observatu dignum est, maiores nostros non ætatem solum, sed & staturam hominis æstimasse. De qua re videnda, quæ Iac. Cuiacius scripsit Observat. lib. XXI. cap. 3. eoq; pertinet charta vetus Aleman. Tom. 2. pag. 36. quam etiam Melch. Goldastus adducit in Notis ad sententias Adriani Imp. lib. 3. p. 26.

10. *haisterahandi*] Ms. *haisthenti*, vel *hausteranni*, vel *haustenthandi*, vel *abhisceranandi.*

11. *positus est*] Ms. *conditus est.*

liberis Alamannis componere ita presbyt.] Ms. *liberis Alamannis componi, ita presbyteri curtem tripliciter.*

& si in casam XXXVI.] Mss. 2. hæc verba desunt.

12. *vel mancaverit, omnia trip.*] Ms. *vel maculaverit omnia dupl.*

13. *mancaverit*] Mss. 2. *manchaverit.* & sic infra.

16. *publice lectionem*] Ms. & Ger. editio *publicam.*

18. §. 5. *Exadoniaverint*] Ita vett. omnes & Decretum Tassilonis. rectius tamen esset, *exidoneaverint.*

20. *concambium*] Mss. 2. *concamium.*

22. *cervisa*] Mss. 2. *cirvisa.* Germ. editio *cervisia.*

porcum valentem tremisse uno] Vulg. *porcum valentem tremissem unum.*

24. *& inde convictus fuerit*] Ms. *& exinde probatio.*

25. *ubi pradam vastet*] Vulg. *ut ibi pradia vastet.*

Vastet] Ms. & Germ. editio *vastent.* & sic paulo post *incendant*, ἀντὶ τοῦ *incendat.*

26. *inter proprium exerc.*] Ms. *infra proprium.*

27. *ordinaverit exercitum*] Ms. τὸ *exercitum* deest.

involatum] vulg. *involatus.*

28. §. 2. *cum VI. sol.*] Ms. *cum XII. sol.*

30. *XII. electu*] Ms. *XII. lectu.* quemadmodum etiam supr.

31. *in curte Regis*] Ms. *in curte Ducis.*

LX. sol.] Ms. *XL. sol.*

CAP. 33. *simpliciter comp.*] Mss. 2. *similiter comp.* In Heroldi editione hic Titulus inseritur. *DE EO QVI IN CVRTE DVCIS SEDITIONEM MOVET. Si quis in curte Ducis pugnam commiserit, & ibi clamor ortus fuerit, per eius commissum, quidquid ibi factum fuerit per concursum, ei imputetur. Qualiscunque autem homo egerit, aut aliquid neglexerit, aut contra legem fecerit, illud omne tripliciter componat. Ille autem cuius opera vel voce hæc contentio acta fuerit, LX. sol. in publico componat.* Sed in Mss. quatuor hæc lex non extat.

34. *ipsas talare*] Ita Mss. 2. & editio Germ. al' *tollere*.

toltum] Ms. 1. *tullutum.* al' Ms. *sublatum*.

36. §. 3. *Et si quis alium mallare*] Ita Mss. à quibus tamen multum variat editio Germanica.

38. §. 3. *partem de hereditate sua perdat*] Ms. *partem hereditatis suæ perdat.*

39. *& servis fiscalib. adgregandæ sunt*] Ms. *aggregandi sunt.* al' Ms. *adgregantur.* Vt & L. Boioar. Tit. 6. cap. 3.

40. *aut filium patrui sui*] Sic Ms. quæ tamen verba in aliis codd. desunt.

41. *Si iuste iudicaverit*] Mss. & Germ. *si iustum iud.*

§. 3. *iustum iudicium*] Ita Ms. al' *iustitiam iudicis.*

convenit duci] Mss. 2. *iudici.*

42. *veritatem volunt dicere*] Ms. *veraces.*

quod tunc] τὸ *quod* Ms. deest.

ante eum] Ms. *ante iudicem*.

44. *probata res non est*] Ms. *probatus non est.*

cum tracta spatha] Ita Ms. ut & infra cap. 56. vulg. *cum spatha se idon.*

45. §. 1. *in platea*] Ita Mss. 3. al' *in placito.*

eum usque in domum] Ms. *eum infra domum*.

§. 2. *ibi restant*] Ms. *ibi restituat.*

mittunt] Ms. *mittit.*

congregant] Ms. *congregat.*

pausant arma sua iosum] Ita Mss. al' *posuit arma sua iussu.*

49. §. 1. *hominem occiderit*] Mss. 2. & Germ. *hominem liberum occid.*

mortaudo] Ms. al' *mortot.* vel *mortodo.* vulg. *mortudum*.

eum solvat] Ms. *eum* deest.

§. 2. *velut furtiva*] Ms. 1. *velut wartiva*.

50. §. 1. *tulerit*] Ms. *tullerit.* quemadmodum & infr. §. 3.

XL. sol.] Ms. *XX. sol.*

53. *desponsavit*] Ms. *dissipavit.*

54. §. 1. *reddat eam*] Ms. *reddatur.*

§. 2. *illi mundium*] Ms. 2. *ille mundio.*

55. §. 2. *quam habet*] Ms. *quamlibet.*

56. §. 2. *computet quantum*] Ms. *componat quant.*

Nastaid] Ita plerique veteres codd. alii Ms. & vulg. *Nasthait.*

58. §. 1. *fœmina virgo vadit*] τὸ *virgo* in Mss. 3. deest.

59. §. 3. *cum tribus sol.*] Ms. *cum IIII. solid.*

§. 6. *cervella appareant*] vulg. *de cervella appareat.*

cum pinna] Ita Mss. 2. al' & Germ. *penna.* Tilius *prima.*

fanone] Ms. 1. *fenone*.

§. 7. *cervella exierint*] Ita Mss. 3. vulg. *exierit.*

Syrico] Ita Mss. plerique: al' *sirico.* Germ. editio *serico.*

56. §. 3. *Orscardi*] Ms. 1. *litercardi.*

61. §. 2. *subterior*] vulg. *inferior.*

lacrymas continere non possit] vulg. *lacrimæ teneri non possint.*

§. 4. *Si autem ipse visus, &c.*] Ita meliores scripti libri. vulg. *Si autem visus foras exit, ipse & milus.*

Milus] Ms. 1. *milos.*

62. §. 1. *cum VI. sol.*] vulg. *cum LX. sol.*

§. 3. *à presso*] Ms. *oppresso.*

63. §. 2. *Salivam*] Ita Mss. meliores. al' *Salibum*.

§. 5. *marchzan*] Ms. 1. *marchazan.*

§. 7. *duobus ictibus*] In Ms. hæc verba desunt.

§. 8. *excusserit duobus ictibus*] Ita Ms. nam vulg. τὰ *duobus ictibus* desiderantur.

65. *tonderit*] Al' cod. *tunderit.* Ms. *totunderit.* & sic §. 2.

§. 7. *puleprust*] Ms. 1. *Plach prust.* al' *Salhprust.* vulg. *palcprust.*

§. 21. *Digitus annularis*] Ms. *anelaris.*

VIII. sol.] Ms. *VII. sol.*

§. 22. *pollex*] Ms. *polix.*

§. 23. *mancus*] Ms. *mancatus sit.*

§. 25. *bre-*

§. 25. *brefwnt*] Mss. 3. *herefwnt*.
§. 36. *si autem à coxa*] Mss. 2. *si autem coxa sursum abscisa fuerit*.
§. 37. *expresserit*] vulg. *excusserit*.
TIT. LXVII. *quam viris*] Vulg. *quoad viros*.
fœminis] Vulg. *ad fœminas*.
TIT. LXIX. §. 1. *admissarium*] Ms. *amissarium*, ut & alibi in hisce Legibus.
cum duobus iuret, quod sic valeat] Ita Ms. & Germ. quæ in aliis Mss. & Tiliana editione desunt.
IX. weregeldos] Ms. *VIIIgeldos*. vulg. *nonigeldos*.
§. 2. *marach*] Ms. 1. *marad*.
TIT. LXX. §. 1. *Novem enim geldos*] Ms. 1. *Novem wedregildos*.
§. 2. *excurtaverit*] Ms. 1. *scurtaverit*. & ita §. 3. al' *excorticaverit*.
§. 4. *ita faciet*] al' *ita fiet*.
TIT. LXXII. §. 1. *furtivum*] al' *furtivam*.
Novemgeldis] Ms. *Novem wedregeldis*.
§. 3. *prægna*] vulg. *prægnantia*.
TIT. LXXIII. §. 1. *abortivum*] Ms. *avortivum*.
iactet poledrum] vulg. *poletrum*.
TIT. LXXIIII. §. 2. *quod tantum*] Ms. *quantum*.
TIT. LXXV. §. 1. *vaccaritia*] Ms. *vaccaria*.
Illam aliam sequenterianam] Ms. *illa alia sequentriana*.
TIT. LXXVI. *barum*] Ita Ms. 1. Alius vetus cod. & editio Germ. *Si cui mortaudus imponitur, sive sit baro sive fœmina, qui qualis fuerit, secundum*, &c.
Weregeldum IX geldo solvatur] Ita Mss. in aliis *Wergeldum solvatur*.
TIT. LXXVII. *Octo dies*] Ms. *VIIII. dies*.
TIT. LXXIX. §. 3. *Seniscalcus*] Ms. *Siniscalcus*.
Vassus] Ita Mss. 2. al' *bassus*.
§. 4. *mariscalcus*] Ms. *marescalcus*.
TIT. LXXXI. §. 3. *porcaritiam domum*] Ms. *porcariam domum*. al' *porcaritia*.
VI. sol.] Mss. 2. *tres sol*.
§. 6. *spicarium*] vulg. *spicariam*.
Et si domino cum VI. sol. & similem] Vulg. *& domino VI. & similem*.
TIT. LXXXII. §. 2. *laitihunt*] Ms. *laidihunt*.
§. 4. *veltrem*] Ms. & Germ. *veltrum*.
§. 5. *lupum mordet*] Mss. 2. *lupum mordit*.

TIT. LXXXIII. §. 3. *anegaverit*] Ms. *necaverit*. Germ. *negaverit*.
TIT. LXXXIIII. *gyrent*] Ms. *iurent*.
gyrata] Ms. *iurata*.
Curffodi] Ita Ms. & editio Germ. alius Ms. cod. *Cursfo*. al' *Zurb*, quod rectum est.
& pugnent] Ita Germanica editio & Ms. Tilius *& pugna*.
TIT. LXXXVII. *cum XII. sol. comp.*] Ms. *cum XII. sol. comp.*
TIT. XCI. *abortivum*] Ms. *avortivum*.
se idoniet] Tilius *iuret*.
TIT. XCII. §. 1. *ipsas res*] Ms. & Germ. desunt.
TIT. XCII. *parem suum*] Ms. *patrem suum*.
TIT. XCIII. *per pugnam*] Ms. *pugna*.
TIT. XCV. §. 1. *colpo*] Tilius *colepo*.
§. 2. *si barus*] Til. *si baro*.
TIT. XCVI. *medellam*] Ita Ms. al' *medullam*. al' *medulam*.
§. 2. *ut illa die opera tricet*] Ita Mss. 3. Germ. editio. *opera tricetur*. Til. *ut de illa eo die operari non possit*.
§. 3. *Si depost*] Ms. *si depus*.
§. 4. *herpices*] Ms. *herpars*.
TIT. XCVII. *buricas*] Ms. *burigas*.
§. 5. *offert iustitiam*] In editione Germ. *offert drictum*.
TIT. XCVIII. *berbicibus*] vulg. *vervecib*.
§. 2. *de via ostatus*] Ita Mss. 3. vulg. *hostatus*. Germ. editio *de via hortatus*.
§. 3. *berbicario*] Ita Ms. 2. al' *vervegario*. Editio Ger. *berbigario*. Til. *berbicario*.
Stotario] Ita Mss. 2. Til. *Stocario*.
TIT. XCIX. §. 1. *bisontem, bubalum*] vulg. *bissontem, bubulum*.
qui prugit] Ms. *brugit*. al' *burgit*. Tilii editio *pringit*.
§. 2. *treudis*] Ms. *triudis*.
§. 4. *rubeus feramus*] Ms. *rubeus faramus*. Germ. editio *rubeus feramus*. vel, *si subicam feram*.
§. 6. *novemgeldos*] Ms. *octogeldos*.
§. 7. Hic paragraphus, & reliqui sequentes, usq; ad §. 12. Mss. 2. desunt.
§. 14. *pecus manualem*] Ita Ms. Editio Germ. *pecum manualem*, vel *pecus manuale, quod dicitur alatum*. Tilius *pecus alienum*.
verrem] Ms. *verrum*. ut & supr.
§. 17. *Si grus*] Ms. *Si gruis*.
§. 18. *si aneta fuerit involata*] Aliud vetus exempl. *Si auca fuerit furata*.

§. 19. *aneta*] Ms. *aneda*.
ciconia] Ms. *cecunia*.
cornicula] Ms. *cornicla*. Tilius, *corinda*.
cauha] Tilius. *Canna*. al' *cauca*.
querola] Ms. *cruerula*.
§. 20. *acceptor*] vulg. *accipiter*.
§. 21. *Si verris occiderit alium pro eo*] vulg. *Si verrem occiderit, ipsum pro eo*.
§. 22. *putritus cadat*] Ms. *putridus cadat*.
§. 24. *sepis fuerit*] al' *sepes fuerit*.
§. 25. *texaga*] Ms. *axega*. al' *taxaca*. al' *texaca*. Et hic quoq; in editione Germanica Heroldi capita duo adduntur: quæ tamen in nullo Manuscriptorum, quibus usus sum, neq; in codice Tiliano extant.

IN LEGEM BAIVVARIORVM.

TIT. I. CAP. 1. *Si voluerit*] Ms. *Si voluerint*.
CAP. 3. *Niumgeldo*] Ms. *Novigeldo*.
3. §. 3. *triuniumgeldo*] al' *thrimniungeldum*.
6. §. 1. *non valeat*] Ms. *non videat*.
7. §. 2. *repræsentare ausus non fuerit*] al' *responsum dare ausus fuerit*.
quare ad Eccles.] al' *quia ad Eccles.*
10. §. 4. *iudice*] Ms. *duce*.
§. 5. *honor Ecclesiasticus non contemnatur*] Ms. *honor Ecclesiæ non condemnetur*.
11. §. 3. *crimen*] al' *de crimine*.
12. *duxerit contra legem*] Ms. *sumserit contra ipsam leg.*
illud monasterium] Ms. *illum monast.*
13. §. 2. *nihil suspecti criminis*] Ms. *nihil sceleris criminisve*.
hortatur affectio] al' *probat affectio*.
14. §. 1. *agrarium*] Ms. *angaria*.
§. 2. *Andecingas*] Ms. *andecenas*.
§. 5. *stabulare*] al' *stabulire*.
tuninum] Ms. *totine*.
pedituras] Editio Germ. *petoritas*.
debeant exire] al' *debeant experiri*.
ipsam calcem trahant] Ms. *ipsa calx trahatur*.
§. 6. *neminem opprimat*] Ms. *minime opprim.*
TIT. II. CAP. 4. §. 6. *quinquaginta gamactas id est percussiones*] Ita editio Germ. in Ms. *quinquaginta percussiones*.
5. §. 1. *fœnum tollere, &c.*] Ita Ms. alii cod. *aut fœnum aut granum tollere, vel casas incendere*.
§. 6. *subiaceat sententiæ*] Ms. *subiaceat crimini*.
6. §. 1. *pastorium capistrum*] alii cod. *pastoriam cap.*
perdat manum suam] al' *perdat manus suas*.
10. *velociter batalare*] Ita Ms. al' *vivaciter baulare*.
13. §. 1. *triuniumgeldum*] al' *thrimniumgeldum*.
niumgeldo] Ms. *novegeldo*.
§. 2. *librum legis*] Ms. *librum Regis*.
16. *nonam partem*] Ms. *novissimam*.
18. *per præmia*] vulg. *perperam*.
20. *Hosidra, Ozza, Sagana, Habilingua, Anniena*] al' *Huost, Throzza, Fagana, Habilingua, Aennion*.
TIT. III. CAP. 1. §. 4. *athargrati*] Ms. *arcrati*.
gebulskini] Ms. *Sceppolsein*.
pulepruft.] Ms. *polpruft.* vulg. *palepruft.*
§. 8. *hropant*] Germ. *hrobaten*.
§. 14. *ad arma batalare*] al' *ad arma baiulare*.
§. 24. *marchzan*] Ita Ms. al' *marzan*.
3. *marchfalli*] Ms. *marfalli*.
4. *quodcunq; genus ascensionis*] Ms. *quacunq; genera ascensui*.
6. *in unwant*] al' *in unwani*.
8. *herireita*] al' *heireita*.
10. *buccinam portaverit percilem*] al' *porcilam*. Ms. *purcellem*.
14. CLX. *sol.*] Ms. CXL. *sol.*
15. §. 2. *perdat*] *reddat*.
TIT. IIII. CAP. 1. §. 10. *permaneat*] Ms. *appareat*.
TIT. V. CAP. 1. §. 9. *solido & semi comp.*] al' *solid. comp.*
2. §. 2. *Si autem sepem clauserit*] Ita Ms. In vulgatis autem cod. *Si autem secaverit fœnum vel collegerit, aut messem secaverit vel collegerit.*
TIT. VI. CAP. 1. §. 1. *Si quis cum uxore*] Ms. *Si quis cum uxore alterius concubuerit libera, se repertus cum widrigildo illius uxoris contra maritum comp.*
2. XX. *sol.*] Ms. XXX. *sol.*
3. *horgrift*] Ms. *Hocrtriet*.

16. *bis* LXXX. *sol. hoc est* CLX.] Ms. *componat* LXXX. *sol.*
17. *wancluga*] Ms. *wachstitdac.*
18. *deputanda*] al' *deputata.*
19. *ictu*] Ms. *coitu.*
20. *incarnationem*] Ms. *carnem.*
TIT. VIII. CAP. 2. §. 1. *Et si in Ecclesia*] Ita Ms. vulg. *Et si in Ecclesia, vel infra curtem Ducis, vel in fabrica, &c.*
triniumgeldo] Ms. *Driunigelt.* al' *triminiungeldo.*
4. §. 1. *Si quis liber liberum*] Ms. τὸ *liber* deest.
cum LXXX. *sol.*] Ms. *cum* XL. *sol.*
14. §. 3. *utrisq;*] al' *utriusq;.*
16. §. 2. *exsolvere*] al' *exsolvi.*
TIT. IX. CAP. 1. §. 1. *liberi vel servi domum*] In Ms. τὰ *vel servi* desunt.
2. §. 3. *parch.*] Ms. *prac.*
§. 4. *mita*] Ms. *medam.*
§. 5. *comparilia*] Ms. *parialia.* Germ. *cum paraba.*
4. §. 1. *hresawnti*] al' *hresawuntiva.*
TIT. X. CA. 11. §. 1. *ezziscznn*] Ms. *eziscz u.*
§. 2. *etarchartea*] Ms. *etacarita.*
sepis vitiata] al' *sepis vitiatis.*
12. *Wiffam*] Ms. *Wiffun.*
TIT. XI. CA. 3. §. 2. *decoreas*] Ms. *decorvus.*
4. §. 3. *comparetur*] Ms. *componat.*
5. *commarchanis*] Ms. *cammarcatis.*
Wehadinc] Germ. *Weladinc.*
TIT. XII. CAP. 8. *cum* XII.] Ms. *cum* VI.
TIT. XIII. CAP. 2. *per vim sallire*] Ms. *per vim sallere.*
4. *avursam*] Ms. *avursum.*
10. §. 1. *marach*] Ita Ms. al' *march.*
§. 2. *wilz*] Ms. *wulz.*
TIT. XV. CAP. 11. *De firmitate*] Hoc caput multum variat ab editione Germanica.
§. 2. *Swuro*] al' *Swiron.*
TIT. XVI. CAP. 1. *securi saiga valente*] Germ. *securi suga volante.*
TIT. XVIII. CAP. 4. *cadaver repererint*] Ms. *cadaver rapuerint.*
TIT. XX. CAP. 1. §. 4. *sparvariis*] Ms. *paravariis.*
TIT. XXI. CAP. 1 §. 2. *si portat escam*] Ms. *ubi porcorum esca.*
§. 4. *De fagis*] Ms. & Til. *De favis.*
§. 5. *de wic.*] Ita Germ. at Ms. & Til. *de luco.*
quocunq; kaneio] Ita Ms. al' *Kaeiouei-tam.* vel *Kaneovicton.* forsan *Gaio vetegum.* ut in LL. Longob.
§. 10. *Vntprut*] Ms. *Vnterprut.*

IN LEGEM RIPVARIORVM.

CAP. 2. *cum sex iuret*] Ms. *cum* VII. *iuret.* Et ita infr. cap. 3. & 5. §. 10.
4. *ingenuus alterum transp.*] al' *ingenuus alterum ingenuum transp.*
XXXVI. *sol.*] Ms. XXX. *sol.* & ita §. 9.
5. §. 4. *pependerit*] Ms. *pendiderit.* & ita §. 6. 8.
§. 5. *mancus*] Ms. *mancatus.*
6. *cum* XII. *iuret*] Ms. *cum* VII. *iuret.* & ita cap. 7.
7. *Si quis ingenuus hominem ingenuum*] Ms. *Si quis homo ingenuum tributarium.*
8. *si negaverit*] Ita Ms. al' deest.
12. *& ubicunque* DC. *sol. accedunt, simili modo cum* LXXII. *iuret*] Hæc Mss. 2. desunt.
15. *cum ramo cooperuerit*] al' *cum ramo cooperaverit.*
mordrido] al' *mordridus.*
18. *cum admissario*] Ms. *cum amassario.*
scrofas] Ms. *scruvas.*
Verre] Ms. *verro.*
restituat] Ms. *restituant.*
§. 2. *cum sex iurent*] Ms. *cum* VII. *iurent.* & ita capp. 20. 21.
19. *ternos*] Ms. *tres.*
20. §. 1. *quinto dimidio sol.*] Ita Ms. 3. vulg. *v. & dimidio sol.* Sic infr. c. 24. *tertio dimidio sol.* c. 58. §. 5. *octavo dimidio.*
23. *tremissem*] Alius Ms. *tremissum.* vulg. *tremisse.*
27. *si negaverit*] vulg. hæc desunt.
30. §. 2. *araho*] vulg. *haraho.*
31. §. 3. *pagum Ripuarium*] Ms. *pagum Ribuarium.*
32. §. 4. *ipse strudem*] vulg. *ipsam strudem.*
33. §. 1. *manum super eam*] Ms. *manum suam per eam.*
in præsente] Ita Ms. & infr. ubi vulgati codd. *in præsentia.*
Regis staplum] Ita Ms. aliud exempl. *stafolium.* vulg. *staffolum.*

§. 2. *cinewerduniam*] aliud Ms. *sinewerduniam*. vulg. *civeverduniam*.

24. §. 1. *noxius iudicetur*] Ms. *noxius iudicentur*.

§. *illi tres*] vulg. *alii tres*.

35. §. 3. *seu parentum*] Ms. *seu sine parent*.

36. §. 4. *Frisionem*] Mss. 3. *Fresonem*.

§. 10. *Quod si matrem cum partu, &c.*] Hic paragraphus in Ms. deest.

§. 11. *pro sex sol.*] Mss. 2. *pro VII. sol.*

cum scogilo] Ms. *scoilo*, al. *soilo*.

Helmum cum directo] Ms. aliud. *Helmum condrictum*. al. 2. *helmum condrecto*.

lancea] vulg. *langea*.

37. §. 2. *morgangeba*] Ita Mss. 2. vulg. *morgangoba*.

40. *extra consilium*] vulg. *extra consensum*.

41. §. 1. *in arabo*] Ita Mss. 2. aliud. *aracho*. vulg. *harabo*.

42. *cervum domitum*] Ms. *cervum domesticum*.

cum triutis] vulg. *cum troutis*.

43. *traugum*] Ita Mss. 3. Sichardi editio. *iugum*. in uno Ms. *tresiugum*.

34. *carruca*] Ms. *carruga*.

50. §. 2. *illis tribus testib.*] Ita Mss. vulg. *illis testibus*.

58. §. 5. *tabulas roboraverunt*] Mss. 2. *tabulas laboraverunt*.

§. 18. *conucula*] Ita Mss. 3. vulg. *comicula* aliud Ms. *coniculam*.

§. 19. *alsacia*] Ms. *adsicia*. vel *alsaccia*.

§. 21. *super VII. noctes*] vulg. *super CVII. noctes*.

super XIIII.] vulg. *super CXIIII.*

59. §. 2. *numero, quo roboratum est*] Ms. *numero quorum roboratum*.

§. 6. *venditor vel heredes*] Ms. *venditor vel creditores*.

60. §. 1. *testamentum accipere*] Ita Mss. 2. vul. *testimonium accipere*.

Si parva cum tribus] Ms. *Si parva cum IIII*.

§. 4. *butinæ*] Ita Ms. 1. aliud *butine*. vulg. *buccine*.

§. 7. *duo testamenta Regum*] Mss. *duo testamentum Regium*. unde legendum arbitror. *duo testamenta regia*.

61. §. 3. *denariatum*] Ita Ms. vulg. *denararium*. aliud Ms. *degenaralem*.

62. §. 2. *ducentos sol. solvat*] Ita Ms. vulg. cc. *sol. valeat*.

36. *triplici Weregeldo*] Ms. *triplici Wedregildo*.

§. 2. *texaga*] Ita Germ. & Til. Mss. 3. *de furtis*.

64. *hariraida*] Ita Mss. 3. vulg. *harroaida*, unum Ms. *Hanraida*.

65. §. 3. *emunitas*] Ita Ms. vulg. *immunitas*.

66. §. 1. *verbis non dixerint*] vulg. *verbis non direxerit*. Ms. *verbis non dixerit*. infr. cap. 86. §. 3.

67. §. 4. *repetititionem*] vulg. *restitutionem*.

§. 5. *chartam receperit pro malo ordine*] Ita Mss. 2. unum vero. *chartam receperit post mal. ord.* vulgo. *certare cœperit pro malo ordine*.

in hasla] Ita Ms. aliud. *in halas*. aliud *in haslo*. vulg. *in asla*.

68. §. 3. *non dixerit verbum*] Ita Ms. vulg. *direpserit*. unum Ms. *direxerit*. Vid. supr. cap. 66. §. 1.

iurare cœperunt] Ita Mss. 2. vulg. *iurare debuerant*.

70. §. 3. *debilitationis*] Mss. 3. *debilitatis*.

§. 4. *deforis sepem*] Mss. 2. *deforis sepe*.

71. *intercesserit lacina*] Ita Mss. 3. vulg. *incesserit larina*.

72. §. 1. *ad diem placitus*] Ita Ms. vulg. *ad diem planctus*. alius cod. Ms. *ad diem placitum*.

arabo] Ms. 1. *aracho*. vulg. *harabo*.

§. 2. *placitus ei*] vulg. *planctus ei*.

§. 3. *cinewerdunia*] Ita Ms. & vulg. in uno tamen Ms. τὸ *cine* deest.

§. 6. & 7. *cinewerdunia.*] Ms. *Cinewerduina*. aliud exemplar Ms. *siedecina werdunia*.

75. *aut eum secutus*] Mss. *aut consecutus*.

76. *alicuius locata*] Mss. 2. *alicuius loca*. vulg. *alicuius locatum*.

cum VI. iuret] Ms. *cum XII. iuret*.

77. *De homine furbattudo*] Ms. *de homine furbannito*. al. *furbannido*.

§. 1. *procolpus*] Ita Mss. 2. al. 3. *pro colobus*. vulg. *pro colibus*.

in quadrivio] Mss. 2. *in quadrubio*.

arabo] Ms. 3. *arabo*. unum. *atrio*.

forfactum] Ms. *forfacto*.

79. *superiuratus*] Ita Mss. 2. vulg. *superatus* Ms. 1. *supervitores*.

80. *de via obstaverit*] Ms. unum, *obstaverit*.

82. §. 1. *æstimatione damni*] Ms. *testimonium damni*. vulg. *æstimatione damni*.

§. 2. *ad parcum*] Ms. *parricum*, quemadmodum in LL. Firson.

Ceterum

Ceterum Legem Saxonum innumeris locis ad Ms. vetustissimum auximus: quod monuisse sat erit, nam omnia indicare supervacaneum. Idem quoq; de Anglionum & Frisonum Legibus dictum velim.

IN LEGEM LONGOBARDORVM.

LIB. I. TIT. I. L. 4. *Si quis scameram*] Quidam Mss. *Scameras.* al' *scaram.* al' *scamuram.*

TIT. II. L. 7. *Si servus in alia civitate scand.*] vulg. *Si servus in alia civitate, in qua scand.*

L. 8. *morth*] Ita 3. Ms. vulg. *morte.*

9. *vel xenodochia*] deest Ms.

TIT. III. L. 1. *Quia postquam corda Regum in manu*] Ita Mss. 2. al' *quia cor Regis postquam in, &c.*

TIT. VII. L. 2. *non ad manus*] Ms. *non ad manum.* forsan verius - *non ad maioris.*

6. *per hunc numerum*] al' *per hunc modum.*

9. *intra capsum*] Ms. *intra casum.*

10. *Si plaga fuerint*] Hæc usque ad L. 11. in Mss. 2. desunt.

TIT. IX. L. 1. *se adunare ut in unum*] al' *se adiuvare in unum ut comp.* Vid. infr. Tit. 25. L. 12.

3. *pluslaib*] Mss. 2. *ptub.*

6. *Si quis alii venenum*] Tota hæc Lex in uno Ms. deest.

7. *pro quanto appretiati fuerint, ad occidendum tradantur*] Ms. *aut æstimationem solvat, aut morti dedat servum.*

hominem integrum] vulg. *mortuum integrum.*

9. *aut materiæ lapsu aut lapidis mori*] al' *aut materiam, aut lapide lapso mori.*

12. *faderphium*] al' vett. *fadelphium.*

19. *ambulaverit*] Ms. *adsilierit.*

Nam si amplius habuerit substantiæ, quam ipsa] Ms. *Nam si amplius habuerit substantiæ ipse homicida, quam ipsa, &c.*

21. *ipsa quantitas consideranda*] Ms. *ipsa qualitas cons.*

22. *Si quis liber homo*] In uno Ms. hæc lex deest.

27. *Si liber est natus presbyter*] τὸ *presbyter* Mss. 2. deest.

secundum illius nativitatem] Mss. *secundum illius nationem.* Sic infra Tit. 16. L. 2.

28. *ac patricii Romanorum*] Hæc verba Ms. desunt.

9. *Si quis ex levi causa*] Lex est Hludovici Imp. quam iisdem verbis mox post repetit Imp. Hlotarius. infr. L. 35. hoc Tit. quæ & in Mss. omnibus bis posita fuit.

TIT. XI. L. 3. *rusticanum qui sub massario est*] Ms. *rusticanum massarium.*

4. *bubulcum de sala*] Ms. *bubulcum sub massarium.*

5. *rusticanum, qui sub massario est*] al' *servum alienum massarium.*

6. *Si quis porcarium*] Ms. *si quis pecorarium.* & ita infr. L. 7.

9. *perpetrare visus fuerit*] Ms. 1. *perpetrare iusserit.* vulg. *perpetrare iussus fuerit.*

TIT. XIIII. L. 6. *Regi & Duci suo*] Ms. *Regi suo.*

9. *Legem & ewam*] Ita Mss. In vulg. *Legem & totum.*

11. *Si quis messem, &c.*] Ms. *Si quis messem inhonestem aut annonam super bannum rap.*

13. *per wadiam*] Ms. *per vadimonium.*

propter heribannum] Ms. *propter bannum in servitio traditur.*

16. *ad palatium*] Ms. *ad placita.*

TIT. XVII. L. 1. *comp. sol.* DCCC.] Vid. infr. lib. 2. Tit. 2. L. 5. & Iuonem Carnot. Decret. parte XIII. p. 380.

2. *consilium rusticanorum*] τὸ *rusticanorum* ab uno Ms. abest.

Servi vero reliqui] Ms. *Reliqui qui eum ipso fuerint, componat unusquisque ut supra.*

5. *fustare per vicos vicinantes*] vulg. *frustrare per vicos civitatis ipsius loci.*

mulierum collectionem] Ms. *mulierum compositionem.*

7. *gildoniam*] Ms. *de De sacramentis pro gildonis &c.* al' *De sacramentis per gildones.*

8. *bannum nostrum solvere cogantur, id est* LX. *sol. comp.*] Ms. *bannum nostr. solvere cogantur, insuper damnum & homicid.*

9. *obligationem, adunationem*] Ms. *obligationem homo adunationem.*

TIT. XVIII. L. 1. *expellere quæsierint*] Ms. *expellere sine Regis voluntate quæsierint.*
blutaverint] vulg. *brutaverint.*
2. *Zanas*] al' *Tanas.* al' *avas.*

TIT. XIX. L. 1. *quod est sibi tertia sub ast.*] Ms. *quod est, stertiam sub. &c.*
2. *foculare*] Ms. *foculario.*
3. *sicut appretiatum*] Ms. *sicut arbitratum.*
4. *molinum*] Ms. *molendinum.*
5. *ab stolisatz*] Ms. *ab astolizaz.* al' *abstorizat, id est ab infertore.* vulg. *ab autorizat.*
6. *ploum*] al' *plonum.*
6. *Scapellaverit*] Ms. *inciderit vel scapellaverit.*
tranicem] Ms. *travicem,*
8. *Si quis roborem*] vulg. *Si quis roborem, aut cerrum, seu quercum, quod est modula iscol. &c.*
modo laiscum] al. Ms. *modo flaisco.*
glandem, quod est faia] Ms. *glandem qua est fagia.* al' *glande flea.*
10. *Si caballus*] al' *Si quis caballum, aut quodlibet peculium in clausura alterius intus saliendo se impalaverit, &c*
11. *quodlibet pecus inciderit*] Ms. *quodlibet pecus ibidem ceciderit, &c.*
12. *communis omnium utilitatib. invenilis esse*] vulg. *communis omnium est utilitatis.*
13. *qui non rugit*] Ms. *qui non ruit.* in vulgatis codd. neutrum habetur.
intricaverit] vulg. *instringaverit.*
14. *cignum*] Ms. *cinnum.* al' *cicinum.*
16. *die damnum facientem*] Ms. *die in casa sua dam. fac.*
17. *Simul & quod in utero eius mortuum est*] Alius cod. Ms. *simul & quod in utero est.* vulg. *simul & pecus.*
17. *pro capite*] Ms. *per caput.*
25. *disturbaverit*] Ms. *stirpaverit.* & infr. *destirpaverit.* ἀντὶ τοῦ *disturbaverit.*
aratraib, id est, sibi tertiam] Editio Germ. *Haritrabib.* Ms. I. *vltraip.*
26. *stallariam*] Ms. *stellariam.*

TIT. XXII. L. 1. *Se ab ea tornaverit*] Ms. *ab ea reversus fuerit.*
2. *taliola*] vulg. *tanola.* & ita L. 4.
4. *armum cum in VII. costis*] vulg. *latus cum sex costis.*

TIT. XXIII. L. 1. *sibi alterum similiter reddat*] vulg. *sibi nonum red.*
5. *Si quis carrum*] vulg. *Si quis currum.*
7. *Nam si ille homo, qui porcos, &c.*] vulg. *Nam si ille homo tollit ipsos porcos, & amplius miserit asto animo suos aut alienos in desensata sylva.*
ipsius domini reddat] Ms. *ipsius domini introiisse, reddat.*

TIT. XXV. L. 3. *Sibi nonum*] Ita Ms. vulg. semper. *sibi novum.*
6. *sed vitium suum sibi reputet*] vulg. *& vitio suo rep.*
12. *adunare*] vulg. *adiurare.* Vid. supr. Tit. 9. L. 1.
13. *fugere de ligamine præbeat*] Ms. *fugere de ligamine, fuga præb. sacr.*
18. *Sacramentum solus sine aliis sacramentalibus ad Euang.*] vulg. *sacramentum singulus ad Euang.*
20. *actor Regis post secundam*] Ms. *actor Regis ipsum mancipium post secund.*
23. *cœlaverit, & mandare*] Ms. *cœlaverit, aut annonam dederit, & mandare.*
27. *Scindulas*] Mss. *Scandolas.*
29. *suare*] Ms. *sua utilitate.*
30 *der Zon*] Ms. *niderz.*
33. *bove iunctorio*] vulg. *bove vinitorio.*
segangi] Ita Mss. 2. al' *finganoli.* vulg. *seugandi.*
37. *de gaio*] Ms. *gagio.* & ita inf. L. 38.
47. *Sonopair*] Ms. *sonorpan.* al' *sonorphair.* al' *sonorpair.*
54. *cædat per disciplinam*] Ms. *decalvet eum & disciplinet, sicut decet, &c,*
58. *Si quis liber homo*] τὸ *liber* vulg. deest.
non eum retulerit] Ms. *non eum recollegerit.*
59. *segangi*] Ms. *sengangi.* vulg. *seugangi.*
60. *Scandalum, aut plagas*] Ms. *scandalum, aut homicidium, aut plagas.*
62. CXXV. *ictuum percussionib. vapuletur*] Ms. CXX. *ictus accipiat.* alius Ms. *viginti ictuum percussionibus vapuletur.*
64. *non patiantur*] Ms. *non recipiantur.*
68. *pacem faciendam*] Ms. *pacem confirmandam.*
69. *traditus est, comp.*] Ms. *traditus est, pro larione comp.*
70. *in præsentia iudicis*] Ms. *in præsentia Comitis.*
vel latro] Ms. deest.
73. *inventi fuerint, una cum misso*] Ms. *inventi fuerint, ipse apud quem fuerint inventi, una cum misso.*

77. *potesta-*

77. *potestatem, propter*] Ms. *potestatem, volumus ut propter hoc nullum, &c.*

83. *Præcipimus*] Tota hæc lex in Mss. deest.

TIT. XXVI. L. 2. *ruperit*] Ms. *effoderit.* alius cod. *mutaverit.*

Theclatura] Ms. *teglatura.*

5. *fecerit, & suam*] Ms. *fecerit aut deleverit, & suam probare non potuerit.*

TIT. XXVII. L. 1. *omnem operam*] Ms. *omnia opera sua.*

12. *Sine lege*] Ms. *Sine legali iudicio.*

TIT. XXVIII. L. 2. LX. *sol.*] Ms. XL. *sol.* LX. *ictus*] Ms. XL. *ictus.*

TIT. XXX. L. 2. *Si virum*] vulg. *Si unum.*

3. *parentibus mulieris, &c.*] Ms. *parentib. puella aut vidua, aut ad quem mundium de ea pertin.*

10. *& secutus eam dominus fuerit, aut quicunq.*] Ms. *& sequenti domino & cuicunq. ex, &c.*

13. *legem suam comp. & insuper bannum nostrum, id est* LX. *sol. persolvat*] Ms. *legem suam comp. id est* LX. *sol. aut in præsentia, &c.*

14. *qualem voluerit*] In vulg. & glossemate interlineari additur, *aut potuerit.*

15. *alii cui voluerint*] vulg. *& aliis si noluerint, nubant.* in gloss. interlineari additur. *se si non consenserint.*

in viatico non deneg.] vulg. *in viatico pro misericordia non deneg.*

TIT. XXXIIII. L. 2. *inscriptionis titulo*] Ms. *alienationis titulo.*

TIT. XXXV. L. 1. *iudicium Franc. &c.*] Ms. *indicium Francorum in publicum fuerunt revocatæ, teneat secundum legem in testimonio non suscipiatur, nec inter scabinos ad legem iudicandam non teneat. Et si sac.*

TIT. XXXVI. L. 2. *in via antesteterit*] vulg. *ante viam steterit.*

3. *fegangi*] Mss. *feugangi.* vulg. *fingandi.*

4. *vecorin*] Ms. *vecorint.*

Merworphin] vulg. *memorphin.* Ms. *meriofin.*

LIB. II. TIT I.

L. 8. *per garathinx. id est per libertatis donationem, vel per gratuitam donationem, id est, morgengab.*] Ita Ms. quæ tamen verba in vulg. desunt.

TIT. IIII. L. 3. *methio*] Ita Ms. vulg. *mephio.* Ms. *mp̄hio.*

TIT. VI. L. 4. *aliorum religiosorum sacerd.*] vulg. *aliorum suorum sac.*

TIT. VII. L. 1. *& lege patris vivunt*] Ita Ms. quæ tamen verba in vulg. libb. desunt.

TIT. VIII. L. 1. *matrinam*] Ms. *matrineam.*

2. *ad iustum tempus*] Ms. *ad suprascriptum tempus.*

4. *Deo annuente*] vulg. *Deo adiuvante.*

5. *Item hoc censemus*] Vid. Canon. LIII. in Trullo Synodi. VI.

6. *colludium*] Ms. *ingenium.*

7. *Si quis miser & insipiens*] Vid. infr. Tit. 55. L. 16. Supr. lib. 1. Tit. 32-31. Quæst. 1. c. *Illud vero*, & seqq.

10. *Ita plane ut si contigerit*] Mire hic variant Mss. codd. in uno sic legitur. *Ita plane, ut si contigerit puerum adultum esse, & puellam parvulam coniugatam: & contrario, si puella maturæ ætatis sit, & puer sit teneræ, & per virum cogn. &c.* Alius Ms. codex. *Ita plane, ut si contigerit puerum adultum esse, & puellam parvulam, per virum cognata & socrus deprehendantur adulteræ: econtrario si puella maturæ ætatis & puer tener: & puerum adultum cognata & socrus comprehendantur adulteræ, & propter puellam, &c.* Post hanc legem interponitur in Ms. lex Guidonis. *Vt sponsam alterius nemo recipiat desponsatam.*

11. *Episcopali autoritate*] Ms. *ap̄ali autoritate.*

TIT. IX. L. 3. *ad palatium repl.*] Ms. *in publicum repl.*

TIT. X. L. 1. *potestate viri, aut potestate curtis Regiæ debeat*] Ms. *potestate virorum sive minorum, aut certe Regia debeat.*

TIT. XI. L. 3. *Si quis mundium &c.*] Vnus Ms. cod. *Si quis mundium de puella libera aut muliere habens in potestate, & crimen ei iniecerit, quod adultera sit, tunc amittat, &c.*

TIT. XII. L. 2. *Nam amplius nullam rem consequatur*] Ms. *Nam amplius non requiratur, sed vitium suum, &c.*

6. *amond fecerit*] Ms. *amond, id est extraneam fecerit.*

TIT. XIII. L. 6. *sola religiosa*] vulg. *sola religione.*

TIT. XIIII. L. 1. *uniuscuiusq;*] vulg. *unusquisque*.

2. *Si sex fuerint*] Totus hic locus ad finem usq; legis in vulg. codd. deest.

6. *quod est threus*] Ita Mss. vulg. *qui est trenuis*.

8. *pro mundio autem suprascriptarum*] τὸ *suprascriptarum* vulg. deest.

11. *quando alter uxorem tulerit*] Ms. *quando alteri fratres uxorem duxerint*.

15. *methium*] vulg. *mephium*.

Fadersio] Ms. *feldasio*.

24. *nam de rebus eius aliud nihil percipiant*] Hæc verba vulg. desunt.

25. *cadarfreda*] Ms. 1. *cadarfida*. vulg. *cadarfedra*.

nepotum successionem] Ms. *nep. possessionem*.

decesserint intestati absq; filiis & filiabus, & sorores] vulg. *decesserint & sorores, &c.*

TIT. XV. L. 2. *lidolaip.*] Ms. 1. *ladolaip.* al' Ms. *lidopaib.*

thingaverit: Ecce] Ms. *thingaverit & nuntiet. Ecce.*

4. *launechild*] vulg. *lannechild*. & ita semp.

5. *Si ipsi superstites fuerint*] Ms. *superstes fuerit*.

in loco sacro] vulg. *loco sanctorum*.

TIT. XVIII. L. 4 *facere traditiones*] Ms. *facere donationes*.

6. *infra* XXX. *noctes*] Ms. *infra* XL. *noct.*

TIT. XX. L. 1. *nullam donationem, ne per launech.*] Ms. *nullam donationem, nec per thinx, nec per launech.*

TIT. XXI. L. 1. *usq; tertio*] vulg. *usq; in tertium diem*.

2. *antequam eum tertio pulsaverit*] Ms. *ante trinam contestationem*.

3. *pro quolibet debito*] Hæc verba vulg. desunt. Vid. Casiodor. 4. Variar. cap. 1. C. *Ne filius pro patre*. Constit. Neapol. Tit. de cult. pac.

8. *vaccas aut pecora*] Ms. *vaccas aut oves*.

TIT. XXII. L. 22. *cartam convenientiæ*] *cartam de conventione*.

23. *Si quis à convenientia*] Tota hæc lex in Mss. 2. deest. Vid. quæ habentur Institut. lib. 4. Tit. 1.

24. *diebus* LX. *Nam si super* LX.] Ms. *dieb.* XL. *nam si super* XL.

25. *per* LX. *ex illa parte*] Ms. *per* XL. *ex illa parte*. atq; ita infr. quoque in hoc nomine variatur.

30. *m. publici eos contra legem audeant pignorare scilicet in bubus, quia &c.*] Ita Mss. at vulg. *ministri publici eas res, in quibus non est licitum pignorare, contra legem audeant pignorare, scilicet in tribus: quia, &c.*

TIT. XXII. L. 1. *leudes*] Mss. *leudo*. Vid. Concil. Rhem. can. XLI.

TIT. XXIII. *cadarfredam*] Ms. *cadalpherdam*. vulg. *cadarfedam*.

TIT. XXV. L. 4. *intra patriam*] Ms. *intra provinciam*.

TIT. XXIX. L. 2. *legitimam ætatem*] Ms. *perfectam ætatem*.

TIT. XXXII. L. 6. *foras mixtos*] Ms. *foras mitio*. Vid. supr. in additionibus Legis Salicæ.

TIT. XXXIII. L. 1. *Si vero liberam fœminam habuerit, infantes eius liberi permaneant*.

TIT. XXXIIII. L. 3. *à Principe acceepit*] Ms. *à Principe exceperit*, al' *à Principe expetierit*.

4. *aut unum sol. aut* II. *aut* III. *aut* VI. *tantum habeat mundium*] Hæc verba in Ms. optimæ notæ desunt.

7. *Si quis*] Tota hæc lex Ms. deest.

8. *voluntatem patroni*] Ms. *voluntatem domini*.

debeat obedire] Ms. *debeat servire*.

11. *Homo denarialis*] In vulg. lib. sic hæc lex habetur. *Homo denarialis non ante hereditatem in suam agnationem acquirere poterit, usq; in tertiam generationem perveniat.*

TIT. XXXV. L. 3. *Si servus aut ancilla, &c.*] Ms. *Si servus aut ancilla per* XXX. *annos, de quibus rei veritas cognita fuerit, dominus suis servisset*, &c.

nova conditio] vulg. *nova opera*.

habere, quas] Ms. *habere & possidere quas, &c.*

TIT. XXXVII. L. 2. 3. 4. 5.] In uno Ms. desunt hæ leges omnes.

TIT. XXXVIII. L. 1. *arborem quam rustici sanguinum vocant*] Ita Ms. melioris notæ. In alio scripto Cod. *rustici sanguinem vocant*. Editio Basilienf. *sanctivum*. Vt fere habetur in Synod. Antisiod. cap. 3. *Non licet compensas in domibus propriis, nec vigilias in festivitatibus sanctorum facere, nec inter sentes aut arbores sacrivos, vel ad fontes vota exolvere*, &c.

2. *Si quis*

2. *Si quis iudex*] Tota hæc lex Mss. duobus deest.

TIT. XL. L. 3. *Similiter & si bassi nostri hoc non adimpleverint, beneficium & honorem perdant*] In uno Ms. hic locus deest.

Bassi nostri] Ms. *missi nostri.*

Vicecomiti aut qui locum] Ms. *Vicedomino, vel illi quicunq;*

5. *in discutione in pub. perd.*] Ms. *ad discussionem in pub. produc.*

TIT. XLI. L. 1. *causatores*] vulg. *accusatores.*

5. *continetur. Quæ vero amodo &c.*] Ms. *continetur, quemadmodum erant in die primo Kal. Martiarum indictione quarta eveniente, vel fieri contigerit sic term.* vulg. *continetur, & amodo vero erunt, id est, die Kalendarum Martium indictione quarta eveniente, vel fieri contigerit, sic term. &c.*

TIT. XLII. L. 3. *Et quicunq; &c.*] Hæc verba usq; ad finem legis in uno Ms. desunt.

TIT. XLIII. *noctes XIIII.*] Ms. *noctes XII.*

noctes XLII.] vulg. *noctes XL.*

2. *De mannitione*] vulg. *de mannire.*

per placita opprimant] Ms. *ad iustitiã op.*

3. *non adtingat*] vulg. *non adquirat.*

TIT. XLIIII. L. 4. *ad placita trahebantur*] vulg. *ad placita trahuntur.*

patrono] vulg. *patronus.*

TIT. XLV. L. 1. *se sciat esse constitutum*] vulg. *sciat sibi esse vacandum.*

TIT. XLVI. L. 1. *ad placitum*] Ms. *ad palatium.*

TIT. XLVII. L. 1. *qui sciant & volunt*] Ms. *quales esse sciant & velint.*

Et si comes pravus] Ms. *& si aliquis pravus*

4. *Vt nullus Episc.*] vulg. *Vt nullus Episc. nec Abbas, nec Abbatis centenarium comitis habeat advocatum.*

11. *Clericalis ordo*] vulg. *Catholicus ordo.*

ordinis clerus] vulg. *ordinis clericus.*

TIT. XLVIII. L. 3 *De viduis, &c.*] Tota hæc lex in uno Ms. deest.

TIT. XLIX. L. 1. *ut liberi possint haberi*] vulg. *ut hoc liberis possint fieri mercata.*

2. *ieiuniorum diebus in Pascha*] vulg *ieiuniorum diebus, in diebus quadragesimalibus, in Pascha.*

TIT. L. l. 2. *causam ipsam deliberet*] vulg. *causam ipsam finiri debet.*

Sint dies XII.] vulg. *sint dies XV.*

3. *Sint dies XII.*] vulg. *sint dies XV.*

TIT. LI. L. 2. *causatore*] vulg. *accusatore.*

3. *testimonium dare*] vulg. *testimoniare.*

possit indicare] vulg. *inducere.*

9. *qui conquirere aut rogare potuerit*] Vni Ms. hæc verba desunt.

10. *& illi dico*] vulg. *& illi duo testes disc.*

qui de ipsa falsitatis] Ms. *qui falsitatis.*

11. *contra eum producti*] vulg. *contra eum per iudicium.*

una pars alteri concedere] Ms. *ulla pars alteri credere.*

campioni] vulg. *campio.*

16. *Quod si non per ipsos rei veritas cognoscatur, & duabus partibus*] Ms. *quod si duabus partib.*

Quod si nulla pars alteri concesserit, iurent & per pugnam illorum probetur testimonium. Quod si una pars se subtr.] Ms. *Quod si nulla pars alteri se subtraxerit, tunc, &c.*

17. *Quanquam*] Tota hæc lex in Ms. deest.

TIT. LII. L. 1. *ad placitum*] Ms. *ad palatium.*

opprimere curaverit] Ms. *opprimere quæsierit.*

2. *Sonare faciat*] vulg. *Somniare facit.*

3. *placitum*] Ms. *palatium.*

6. *decernent*] Ms. *determinent.*

10. *redibitione rerum in mobilium & mancipiorum*] vulg. *excepta redemptione terræ & mancipiorum.*

13. *fredam non exig.*] Mss. *freudum non exig.*

comp. fredam] Mss. *comp. freudum.*

20. *placitum non teneant*] vulg. *planctum non ten.*

24. *Sua discretione*] Ms. 1. *sua descriptione.* vulg. *sua districtione.*

TIT. LIII. *tractatum perag.*] Ms. *Ecclesiæ protractum perag.* vulg. *Ecclesiæ pertractatum perag.*

2. *vastationem obviam eis &c.*] vulg. *vastationem dirigant eis missos, ut in pace, &c.*

TIT. LIIII. *correpta*] Ita Mss. vulg. *contemptor.*

L. 3. *Henricus*] Tota hæc lex Mss. 2. deest.

TIT. LV. L. 7. *gamalibus*] Ms. *gamallis.*

14 *Sacramentales ipsi iurare noluerint*] vulg. *Sacramentales ipsi ipsum sacramentum audire voluerint.*

Vuuun

22. *Gundebada lege*] vulg. *Gugibalda lege. Et qui semel periuratus*] Totus hic locus ad finem usque Legis in duobus Mss. deest.
29. *cum fustibus & scutis pug.*] Ms. *cum fustibus pugnent.*
27. *Schacho*] Ita Mss. 3. vulg. *aut schalcho.*
39. *campionem litem dirimere. Liceat autem servo pro se campionem dare, si morbus aut ætas eum p. p.*] Ita Mss. 2.
40. *advocatores*] Ita Ms. alius vet. cod. *advocationes*. vulg. *advocatos.*

TIT. LVIII. L. 2. *manum perdat*] vulg. additur, *& emendare studeat.*
3. *Sicut mos loci*] vulg. *sicut lex loci.*

LIBER TERTIVS.

TITVL. I. L. 1. *mense Maij*] vulg. *mense Martij.*
3. *ordinem sanctum*] vulg. *ordinem suum.*
18. *Ecclesiam suam*] Ms. *Ecclesiam sanctam.*
25. *iam à dicto patre nostro conf.*] vulg. *iam ab edicto paterno conf.*
26. *nullatenus pontes esse debeant*] In Ms. hæc verba desunt.
42. *iuxta æstimationem*] Ms. *iuxta examinationem.*
43. *aliam harniscaram*] Ms. *aliam mulctam.* vulg. *aliam ariscadam.*
44. *ita custodire*] Ms. *ita consistere.*
46. *unus mansus cum XII. bunuariis*] Ita Ms. vulg. *unus mansus cum XII. vicariis.*
48. *Karolus Quartus*] Tota hæc lex Mss. deest. Extat autem etiam inter privilegia Ecclesiæ Bremens. paucis tantum immutatis.

TIT. III. L. 5. *restaurationem operarios*] Ms. *restaurationem faciendam operarios.*
6. *sufficere credimus*] Ms. *sufficere credimus præsentes esse. Negligentes, &c.*
8. *ut nec Episcopum vel Comitem audire velit, si noster homo fuerit*] Hæc verba in vulg. desunt.

TIT. IIII. L. 1. *Nulli sit licentia*] Vid. Constit. Friderici. de pace confirmand.
Fossinagar] vulg. *fossinegar.*

TIT. VI. L. 1. *De herbanno*] Vid. additiones L. Salicæ. Legem secundam & tertiam ex Ms. addidimus, nam in vulg. desunt.

TIT. VII. L. 1. *tractorias*] Ms. *tractatoria.*

TIT. VIII. L. 2. *perdonatum*] vulg. *per donationem.*
3. *ad cuius potestatem*] vul. *in cuius voluntate*
4. *beneficium perdat*] Ms. *beneficium non perdit.* Edita etiam hæc constitutio reperitur una cum libris feudalibus: sed hic correctior.

TIT. IX. L. 7. *Romanis finibus*] vulg. *Romanæ finib.*

TIT. X. *pœnam inter se obligatam comp.*] In uno Ms. additur, *pars illa quæ se removere poscit.*

TIT. XI. *De Pontificibus Capitula, &c.*] Ita Ms. vulg. *Dominus Lothar. addidit ad limen beati Petri Apostoli iuxta civitatem Romanam tempore beati Eugenii Papæ, de Pontificibus hæc Capitula.*
L. 1. *fuerunt recepti*] vul. *fuerunt suscepti.*

TIT. XV. *Warengangi*] Ita Ms. in alio Ms. *Wargangra.* vulg. *gargangi.*
de exteris finib.] vulg. *de extremis finib.*
Seq; sub scuto potestatis nostræ subd.] Ita Ms. vulg. *seq; suosq; potestati nostræ subd.*

TIT. XXVII. *gradu suo expulsus*] Ms. *gradu suo depositus.*

TIT. XXXV. *Vt Imperatoris forest.* Ms. *Vt Imperatori foresta constituatur, & alia noviter non instituatur.*

TIT. XXXVI. *iudicia vel potestas*] Ita Ms. 2. vulg. *iudici aliis potestas.* Legendum fors. *iudicialis potestas.*

TIT. XL. *Diaconorum, Episcopor. &c.*] Hæc lex in uno Ms. desideratur: in melioribus tamen codicibus habetur.

Atque hic finis Legum Longobard. nam quæ in retro vulgatis editionib. lex Hlotarii additur, eam nos suo loco, sub Titulo IX. *de his qui se in potestate alterius subdiderint*, ad fidem Mss. exemplarium reposuimus.

EXPLICIT.

FRID.

FRID. LINDENBROGI, I.C.

GLOSSARIVM

SIVE INTERPRETATIO RERVM VOCVMQVE DIFFICILIVM ET OBSCVRIORVM,

Quarum mentio in Codice legum antiquarum.

FRIDERICI LINDENBROGI. I.C.

GLOSSARIVM SIVE INTERPRETATIO RERVM VOCVMQVE DIFFICILIVM ET OBSCVRIORVM; QVARVM MENTIO IN COD. LEGVM ANTIQVARVM.

ABIECTIRE] Form.158. infr. *Adiactivus.*

ABORTIVVS PARTVS SINE SACRAMENTO REGENERATIONIS TRADITVR AD INFEROS] Boioar. Tit. 7. cap. 20. Augustin. Episcopus Lib. de Fide ad Petrum Diacon. cap. 27. Tom. 3. *Firmissime tene & nullatenus dubites, non solum homines iam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive cum de matribus nati sine sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, de hoc seculo transeunt, ignis aeterni sempiterno supplicio puniendos: quia etsi propriae actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & nativitate traxerunt.* Iohan. Chrysostom. non tantum de infantibus, sed generaliter de quibuscunq; non baptizatis id intelligit, in Paul. ad Philipp. cap. 1. Hom. 3. p. 1224. κλαῦσον τοὺς ἀπίστους, κλαῦσον τοὺς οὐδὲν ἐκείνων ἀπέχοντας, τοὺς χωρὶς φωτίσματος ἀπερχομένους, τοὺς χωρὶς σφραγῖδος. οὗτοι ὄντως θρήνων ἄξιοι, οὗτοι ὀδυρμῶν. ἔξω τῶν βασιλείων εἰσὶ μετὰ τῶν κατεγνωσμένων, μετὰ τῶν καταδίκων. ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. *Luge infideles, luge eos, qui nihil ab infidelibus differunt, qui sine illuminatione, sine signaculo decesserunt. Hi vere lamentis digni, hi lachrymis. Extra regiam sunt una cum iis, qui poena sunt obnoxii, una cum damnatis. Amen dico vobis, nisi quis natus fuerit, ex aqua & Spiritu sancto, non introibit in regnum caelorum.* Vid. Gregor. Mag. lib. 7. Ep. 53. Isidor. Hisp. de officiis Eccles. lib. 2. cap. 24. Beda in Iohan. cap. 14. Et qui plenius hanc rem tractat Georg. Cassander de Baptismo infant.

ABRENVNCIARE DIABOLO] Add. Lud. 2. Tit. 4. Tertullian. de corona milit. cap. 3. *Aquam adituri ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renunciare diabolo & pompae & Angelis eius.* Ioh. Chrysost. ad Antiochen. Homil. XXI. p. 273. Αναμνησθῇς τῆς φωνῆς ἐκείνης ἣν ἀφῆκας μυσταγωγούμενη, ἀποτάσσομαί σοι Σατανᾶ, καὶ τῇ πομπῇ σου, καὶ τῇ λατρείᾳ σου. *Vocis illius recorderis, quam dum sacris initiareris, emisisti, Abrenuncio tibi Satana, & pompae tuae, & cultui tuo.* Eius monitum perutile; quod mox post sequitur pag. 275. ὅταν μέλλῃς ὑπερβαίνειν τὰ πρόθυρα τοῦ πυλῶνος, τοῦτο φθέγξαι τὸ ῥῆμα πρότερον, ἀποτάσσομαί σοι Σατανᾶ, καὶ τῇ πομπῇ σου, καὶ τῇ λατρείᾳ σου, καὶ συντάσσομαί σοι Χριστέ. *Cum es ianuae vestibula transgressurus hoc prius loquere verbum, Abrenuncio tibi Satana, & pompae tuae, & cultui tuo, & coniungor tibi Xpe.* De hoc ritu baptismali Vid. Isidor. Orig. lib. 18. cap. 62. De officiis Eccles. lib. 2. c. 24. & quae notat Pamel. ad Tertul. de Baptismate, & Cyprian. Epist. 7.

Absis] Cap. 5. Tit. 53. Can. 32. Syn. Carthag. 3. Gloss. vet. *Absida, sedes Episcoporum.* Augustinus Episcopus Albinæ. *Ad nostra subsellia relicta turba redieram.* Et paulo post. *Dicebam ego quibus poteram, qui ad nos in absidem honoratiores & graviores ascenderant.* Idem Maximino Episcopo Donat. *Transit honor huius seculi, transit ambitio. In futuro Christi iudicio nec absidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec sanctimonialium occursantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem.* Evodius lib 1. de miracul. B. Steph. Cap. 3. & Lib. 2. Cap. 2. Paulinus ad Sever. *In qua æquè absidem factam iudicavit. Sed de hoc, absidam aut absidem magis dicere debuerim tu videris, ego nescire me fateor, quia hoc verbi genus nec legisse reminiscor.* Sic vet. Isidor. Orig. lib. 15. cap. 8. Hincmarus Rhemens. de gestis habitis pro divortio Thietbergæ. *Et sacri Canones iubent, ut pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, imposituram manuum & & cilicium super capita à sacerdote, sicut ubiq; vulgatum est, ante absidam accipiant, quod unusquisq; publicè pœnitens, ab Episcopo suo, de cuius parochia est, debet suscipere.* Gregor. Turon. Histor. Lib. 4. Cap. 10. *Absidæ fenestra.* Aimonius lib. 4. cap. 252. *Absis Ecclesiæ.* Leo Morsican. lib. 1. cap. 19. *In basilicæ absida media, ad quam per VIII. gradus ascenditur, altare constituit, &c.* Annal. Francor. p. 29. *in absida Ecclesiæ.* Panvinius eo nomine significari putat, quam *Ecclesiarum tribunam* Itali vocant.

Absolvere] Wis. 9. Tit. 1. L. 2. id est, *è pedicis dimittere.* Hispan. *Quien svelta servo ayeno suydo de ferros.* Tacitus. *vinculis absolutus.*

Acceptor] Burg. Add. 1. Tit. 14. Sal. Tit. 7. §. 1. Alm. Tit. 99. Glossarium vetus. *Acceptor* ἱέραξ. Charisius Sosip. *Acceptor quoq; & accipiter dicitur. Virgilius enim accipiter dixit, Lucillius acceptor.*

Acceptor Domitus] Rip. Tit. 36. §. 11.

Acceptor Mutatus] Rip. Tit. 36. §. 11.

Acceptor Intra Clavem Repositus] Sal. Tit. 7. §. 3. Vid. infr. clavem.

Accessus Maris] Fris. Add. Tit. 12. *Accessus maris*, τοῦ ὠκεανοῦ ἄμπωτις. Posteriores Latini etiam *accessam* dixerunt & *recessam*. Itinerarium Burdig. *facit mare Oceanum accessa & recessa per leugas plus minus centum.* Servius in Fragm. *Constat & in illo loco accessam maris usque ad montem pervenire.* Dixerunt etiam *Lidunam* & *Melinam*, quod prius, *salaciam* & *veniliam*. Marcell. Empir.

Accipiter qui Cranohari dicitur] Boior. Tit. 20. Cap. 1. *qui grues mordet.* Alm. Tit. 69. §. 20.

Accipiter qui Ganshapich dicitur] Boior. Tit. 20. Cap. 1. *qui aucam mordet.* Alm. Tit. 99. §. 20.

Accipiter qui Anethapich dicitur] Boior. Tit. 20. cap. 1. *qui anates mordet.*

Accipiter et Spatha in Compositione Widrigilt non veniunt] Long. 1. Tit. 9. L. 33. Cap. 4. Tit. 21. Vel hinc etiam maiorum nostrorũ virtus partim æstimari potest, qui arma sua quibus libertatẽ tuebantur, & accipitres quibus animum honesto oblectamento reficiebant, pretio nullo taxari voluerunt. Et quidem arma sua cordatiori cuique percara esse solent, quod & de Avijs & Sardolybibus legimus, apud quos omnia communia erant: præter enses & pocula. Eustath. in Homer. ἐαψ. ν. pag. 881. Stobæus Serm. 165. pag. 471.

Accola] Form. 13. 14. 25. & alibi sæpe. inde Accolabus. Form. 42. 43. 45. &c. eadem inflexione qua Villabus à villa, in hisdem Formulis. Colonabus à colona. Novel. Maioran. 1. post Cod. Theod. edita.

Accolana] Form. 62.

Accolani] Form. 150.

Acolythus] Boior. Tit. 1. cap. 8. Cap. 1. Tit. 139. Cap. 5. Tit. 184. Cap. 7. Tit. 27. &c. Hesychius. Ἀκόλουθος, ὁ νεώτερος παῖς, θεράπων ἢ ὁ περὶ τὸ σῶμα. Gloss. Ἀκόλουθος, Secutor, Pedissequus, Consequens. Atq; inde forsan in Ecclesia sic vocati fuerunt: quamvis Panvinius aliunde vocem derivet. Isidorus Orig. lib. 7. cap. 12. Rabanus Maur. de instit. cler. lib. 1. cap. 9.

Acolythi

Acolythi ἀκόλουθοι *Græcè, Latinè Ceroferarij dicuntur, à deportandis cereis, quando legendum est Euangelium, aut sacrificium offerendum.* Isidorus Iunior ad Leudefred. Episcopum. *Ad Acolythum pertinet præparatio luminariorum in sacrario; ipse cereum portat, ipse suggesta pro Eucharistia calice præparat.*

ACTA MEMORABILIA] Neap. 1. Tit. 37.

ACTIONARII] Long. 1. Tit. 9. L. 28. Gloss. vett. *Actionarij, qui res nostras agunt.* Aliæ Gloss. *Actionarij, Comites actiones & iura perquirentes.*

ACTOR] Wis. 6. Tit. 1. L. 1. Lib. 8. Tit. 1. L. 5. 9. Lib. 9. *Actor vel procurator.* &c. Burg. Tit. 39. §. 3. Tit. 49. §. 2. Cap. 6. Tit. 120.

ACTOR DOMINICVS] Long. 2. Tit. 52. L. 17. Cap. 4. Tit. 44. *ACTOR DOMINI.* Cap. 7. Tit. 160. *ACTOR RERVM DOMINI.* Wis. 6. Tit. 1. l. 5. L. 2. C. Theod. de iurisdict. omn. iud. L. 4. de conlat. fund. patrim. Significatur & ACTIONIS nomine quodlibet officium. Victor persecut. Affric. 2. Iustinian. Pragm. Gregor. Turon. Histor. Francor. lib. 4. cap. 36. & de gloria martyr. lib. 2. cap. 16. Marculf. in Formul. *Actio Comitatus, Ducatus, Patritiatus.*

ACTORES ECCLESIÆ] Add. Lud. 3. Tit. 12.

ACTORES FISCI] Wis. 12. Tit. 1. L. 2. *Comitem patrimonii, aut actores fisci nostri.* Hisp. *qui defenden nostro patrimonio, ô nostras cosas. ACTORES FISCI REGII.* Cap. 4. Tit. 3. *ACTORES PATRIMONII NOSTRI.* Burg. Tit. 50. §. 3.

ACTORES PROVINCIARVM] Wis. 12. Tit. 1. L. 2. Hisp. *qui tienen nostra tierra en garda.*

ACTOR PVBLICVS] Long. 2. Tit. 24.

ACTOR REGIS] Long. 1. Tit. 9. L. 12. 16. Tit. 25. L. 20. Tit. 30. L. 10. Tit. 31. L. 1. Tit. 34. L. 1. *curtem Regis habens ad gubernandum.* Ibid. Longob. 2. Tit. 9. L. 2. Tit. 17. L. 1. Tit. 35. L. 8. *ACTORES REGIÆ DOMVS.* Burgund. Tit 15.

ACTOR VILLÆ] Long. 1. Tit. 25. L. 78. Cap. 4. Tit. 41. *Villicus.* Wis. 12. Tit. 1. L. 2.

ACVPICTILE] Cap. 1. Tit. 81. *Phrygium opus.* Isidor. Orig. lib. 9. cap. 19. Servius in illud Virgil. *Et Phrygiam Ascanio chlamidem, id est, acu pictam.*

ADALINGVS] Angl. Tit. 1. §. 1. Tit. 2. §. 1. Tit. 3. §. 1. Tit. 4. §. 1. Tit. 5. §. 3. 6. Tit. 7. §. 6. Adel *sive* Adeling *nobilis.* In carmine ad Hludowicum Reg.

Ther selbo Ediling
Ther heizit awr Ludowic.

Otfridus Euang. lib. 1. cap. 9.

Stuant tho thar vmbi ring
Feln manag ediling.

In Legib. Canuti Reg. cap. 55. *Æthelinges.* Paul. Warnef. de gestis Long. lib. 1. c. 21. *Hi omnes Adalingi fuerunt: sic enim apud eos quadam nobilis prosapia vocabatur.* Hucbald. Elnonens. Abba in vita B. Lebwini. *Erat gens Saxonum, sicut nunc usq; consistit, ordine tripartito divisa. Sunt enim ibi, qui illorum lingua Edlingi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lassi vocantur: quod Latina sonat lingua, nobiles, ingenui, atq; serviles.* Nithardus Histor. Francor. lib. 4. pag. 478. & 479. *Quæ gens (Saxonum) omnis in tribus hominibus divisa consistit. Sunt enim inter illos Edhlingi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lazzi illorum lingua dicuntur: Latina vero lingua hoc sunt, nobiles, ingenui, atq; serviles.* Eadem Witaldus. Vetus Theotiscum Chronicon Saxon. An. DCCCX. *Twelff Edelinge der Sassen de reden over dat lant tho Sassen, vnd quemen in der Weken eins thosamende, vnde reden dar over, was deme Lande noth was. Vnd wannere dat se Krich in dat Lant tho Sassen hadden, so koren se von den twelffen einen, de was ore Koning dewile de Krich warde. Vnd wan de Krich bericht wart, so weren de twelffe gelick, so was des einen Koniges state vth, vnd was den anderen gelick.* quem locum Cranzius quoq; in suam Historiam transcripsit.

ADAQVARE] Wis. 8. Tit. 3. L. 15. Glossar. *Adaquat,* ποτίζει. & alibi: ποτίζω χλωρόν *adaquo.* Vetus interpres Genes. cap. 29. *adaquabantur pecora.*

ADÆQVATIO] Long. 2. Tit. 29. L. 3. Vid. Form. 67. 68. 69. 70.

ADÆRATIO] Wis. 4. Tit. 5. l. 3. *Adæratus*. Burg. add. 2. §. 7. *Adærare* est *adpretiare*. ut Alm. Tit. 75. Boior. Tit. 13. cap. 8. *Adæratio, specierum ad nummos taxatio*. Vid. quæ ad Ammian. notavimus, lib. XXXI.

ADELSCALC] Decret. Tassilon. cap. 7. *servi Principis, qui dicuntur Adelscalc*. Hodie Germanis Eddelknaben. olim etiam *Edildegin* vocati fuere. In veteri versione Testamenti veteris de Pharaone & Iacobo P.

Gab do der Kunic sinen segen
Er lie den edelin Gottes degen.

Nam *Thegan* & *Scalc* servum denotant. in carmine ad Hludovic. Reg.

Thegan sin in waru
In manigern zalu.

Otfridus vers. Euang. Lib. 1. cap. 1. Lib. 2. cap. 21. In legibus Inæ Reg. cap. 46. & in fœdere Alfredi & Gunthruni Reg. *Cyninges thegn. regij servi*. *Scalc* vocem sæpius in veteribus libris legimus. Otfridus Euangel. Lib. 1. c. 15. pag. 68.

Ther alto scalc
Thinan schalc druhtin.

Lib. 3. cap. 17. pag. 284.

Ginado druthin thu ouh min,
Ich bin suntig scalk thin.

Lib. 4. cap. 11. pag. 380.

Ih bin eigan scalk thin
Thu bist Herero min.

& alibi apud eundem. Vid. quæ ad Paulum Warnefr. notavimus de gestis Longob. lib. 2. cap. 9.

ADFATIMA EPISTOLA] Form. 50. ADFATOMIA. Sal. Tit. 48. *Adfatimi. Adfatomire. Adfatimus*, Rip. Tit. 48. Glossar. *De affatomia; de donationibus quæ fiunt festuca in sinum ei, cui donabatur, projecta*.

ADIACTIVVS] Sal. Tit 52. §. 2. in constitutione Karoli M. *Vt nullus præsumat hominem ad iudicium sine causa iectare, nisi iudicatum fuerit*. In adnuntiatione Karoli apud Pistas. *Et si sacramenta legagalia in primo die Lunæ post Pascha iuranda devenerint, aut in aliis ferijs, quando mallum tenere debuerit, mittet quisq; Comes missum suum, qui ipsa sacramenta auscultet, ne ipsi homines iectivi inveniantur, & ipse sic mallum suum teneat ut Barrigildi*. Inde etiam *Iectivus* & *adiectire* in Formul.

ADIVRNATVS] Cap. 5. Tit. 151. *Solem culcare*. Sal. Tit 39. Gall. *Adiourner ou donner iour. Diem ad iudicem dicere*. Germ. vor Gerichte bedagen. Anglo-Saxonice. *Andagan*.

ADMALLARE] Sal. Tit. 59. Rip. Tit. 32. §. 3. Form. 115. *Admallatus*. Sal. Tit. 52. §. 2. Tit. 53. Gloss. vet. *Mallare, in iudicium vocare*. Infr. *Mallum*.

ADMEZATORES] Neap. 1. Tit. 97.

ADMINISTRATORIVS VSVS] Cap. 6. Tit. 120.

ADMISSARIVS] Sal. Tit. 40. §. 5. Alm. Tit. 69. *Amissarius*. Rip. Tit. 5. 18. Glossar. *Admissarius, qui omni tempore cum equabus est*. Cicero in Pisone. *Itaq; admissarius iste, simulq; audivit à Philosopho voluptatem tantopere laudari, nihil expiscatus est: sic suos sensus voluptarios omnes incitavit, sic illius ad hanc orationem adhinniit*. Vegetius Mulom. cap. 24 In conventione pacis inter Elsatiæ proceres & civitates. *Equi autem admissarii, quod vulgariter Stuot vocatur, & vineæ, & segetes, sub hac pacis conditione perpetuo permaneant*. Marculf. Form. *Armentorum cum ipso amissario caballos tantos, &c.* Et *Admissura* apud Statium Lib. 5. Sylv. 2.

Felix demeritos habet admissura parentes.

Vid. Varro. de re rustic. lib. 2. cap. 2. &c.

ADMONITIONES] Sal. Tit. 52. §. 2. Tit. 54. *per singulas admonitiones*, Gall. *pour chascun defaut*.

ADMONITORIÆ] Form. 116. *citatoriæ litteræ*.

ADNVNTIATIO] App. 2. Tit. 9. Sic *adnuntiatio Karoli & nepotis eius Lotharii apud S. Quintinum, &c. Volumus vos scire, quod fecit noster conventus*. Et alibi: *Adnuntiatio Karoli apud Pistas*. Item: *Adnuntiatio Ludovici Regis apud Confluentem*.

ADOPTIO CORAM QVIBVS FIAT] Cap. 6. Tit. 207. Form. 58. 59.

ADPRETIARE] Alm. Tit. 75. Boior. Tit. 13. cap. 8. *Adpretiari*. Cap. 5. Tit. 214. Ruffinus in Exposit. Symb. *Triginta argentos audis eum appretiatum*. Sic & *depretiari*. L. 23. ff. ad L. Aquil. Tertul. advers. Marcion. lib. 1. ca. 6. Glossar. *Depretiati* ἐλαττωθέντες. *Pretiari*, apud Cassiod. lib. 8. Var. 22.

ADRHA-

ADRHAMIRE] Sal. Tit. 39. §. 1. Tit. 49. Long. 1. Tit. 25. L. 76. Lib. 2. Tit. 55. L. 20. *Adrhamire vel iurare sacramenta.* Long. 2. Tit. 55. L. 26. Cap. 3. Tit. 58. Cap. 4. Tit. 28. 29. Marculf. Form. 165. Idem 166. 168. *per festucam ante nos visus fuit adrhamisse.* In instrumento de concordia cum Thetbaldo filio Leterii Vindoc. *Pro his rebus acquirendis arravimus bellum in curia Vindocensi.* Gloss. *Arramita, facienda deposita.* Gallicè *Arramire, iurare.*

Molt les oyssez arramir,
Serement faire & foy plevir,
Que par morir ne luy falleront,
Tel fra comm, il fera feront.

ADSALLIRE] Sal. Tit. 14. §. 10. Tit. 19. §. 10. Tit. 37. Tit. 44. Cap. 5. Tit. 212. *Adsallire villam.* Sal. Tit. 16. Form. 111. *eum nulla manente causa in villa adsallissetis.* Form. 119. Feudor. Lib. 1. Tit. 5. *Si dominum assalierit, vel castrum domini.* Gall. *assailler.*

ADSCRIPTITII] Neap. 3. Tit. 2.

ADSCRIPTITIÆ CONDITIONES] Cap. 6. Tit. 115.

ADTRACTVS] Form. 17. &c. Privileg. Caroli M. in Chronic. Laurisſ. *de comparato vel de quolibet adtractu.*

ADVIVERE] Wiſ. 4. Tit. 2. L. 13. Lib. 5. Tit. 2. L. 4. Lib. 12. Tit. 3. L. 13. Marculf. in formulis. Tertull. de anima cap. 57. L. 28. §. 5. ff. de liber. leg. L. 20. ff. de adim. leg. Specul. Saxon. Lib. 3. Art. 83.

ADVENÆ] Cap. 3. Tit. 18. *Albani* in duplomate Hlotharii & Hludov. ad petitionem Elisiardi Episcop. Parisienſ. *Nec de liberis hominibus, albanisque, ac colonis in supradicta terra commanentibus, aliquem censum, vel aliquas redhibitiones accipere.* Gallis *Aubains:* unde *Abenage, aubainetè, le droict d'aubaine, id est, ius in bonis peregrinorum, quæ caduci titulo fisci iuribus vindicantur.* Caſsiodor. Var. Lib. 9. Epist. 14.

ADVLTERII POENA CASTRATIO] Sal. 42. §. 4. 10. Nimirum uti qua parte peccavit, eadem multetur. Niceph. Histor. 11. δι' ὧν γὰρ τις ἁμαρτάνῃ, δι' αὐτῶν καὶ παιδεύεται. Itaque *presbyterulus qui ad dominæ asseclas adhinnivit, virilibus amputatis dimittitur.* Liutprand. lib. 6. cap. ult. In LL. Alfredi Regis cap. 25. *Gif theowman theowne to nydhemed genyde, gebete mit his cowende. Servus si ancillam stupraverit, virga virilis ei praeciditor.* Adulterorum pœnam apud Polonos hanc fuiſſe scribit Dithmar. Episcopus lib. 7. *In pontem mercati ductus* (adulter) *per follem testiculi clavo affigitur, & novacula prope posita his moriendi sive de his absolvendi dura electio datur.* Et paulo post de meretricibus non leviora addit, quæ referre pudor vetat. Quin etiam iure Græco-Rom. *οἱ κλινοβάται* caulis abscisione plectebantur. Attaliat. Synop. Tit. 70. p. 63.

ADVLTERII POENA: DECALVARI ET FVSTARI PER VICOS VICINANTES] Long. 1. Tit. 17. L. 5. Iam ab antiquo hæc in adulteras pœna constituta. Tacitus de morib. Germ. *Paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum pœna præsens & maritis permissa. Accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. Publicatæ enim pudicitiæ nulla venia.* Consimilem pœnam ad hunc Taciti locum ex Bonifacii Episcopi Epist. notat Lipsius. Alia vero in Canuti Reg. LL. extat, cap. 50. *Gif he cwycum ceorle wifhig be othrum were forligee, ant hit open weorth, gewearth he to weruld scame sytthan hire sylfne. And habbe se niht were, eall that hy eo ahte. And he tholige agther geno suge tha earan. Vxor si vivo marito cum alio quocunque corpus miscuerit, infamis omni tempore esto. Maritus res eius habeto; mulieri vero tum nasus tum auris præciduntor.*

ADVOCATVS] Cap. L. Sal. c. 2. §. 5. Long. 1. Tit. 17. L. 10. Lib. 2. Tit. 47. L. 1. Cap. 3. Tit. 11. L. 56. Lib. 4. Tit. 44. Add. Lud. 4. Tit. 78. Germ. Vogt. Gall. *Advoez. Defensores seu protectores, ad respondendum in colloquiis iudicialibus.* Privilegium Ecclesiæ Richersperg. de iure subadvocatorum pag. 203. *Volumus & statuimus, ut propter futuras cautelas, prædia, quæ Deo miserante in posterum loco accesserint, adsignentur advocatis talibus, à quibus in placitis iudicialibus proloquij defensionem possint è vicino habere: ne longinquos advocatos advocandi vel impossibilitas, vel difficultas in detrimentum veniat, & absente legitimo prolocutore, prædia quæ impugnantur

Ecclesia perdat, quod frequenter accidisse comperimus. Concil. Salisburg. p. 613. apud Canis. Ex Canone 99. Afric. Synod. *Post consulatum Stiliconis inducta est advocatorum defensio pro caussis Ecclesia.* Vide privilegium quod monasterio Vttenburrhano concesit Karolus M. apud Bruschium. In Edicto Carisiacensi Karoli Calvi Ann. DCCCLXIIII. *Et ipse sic mallum suum teneat, ut barigeldi & advocati eius, qui in alius Comitatibus rationes habent, ad suum mallum occurrere possint.* Chronicon Besuense. *Anno VIII. regni sui Chlotharius Rex defensorem & advocatum Gengulfum, virum illustriss. monasterio Besuensi instituit, quod eius littera indicant. Petiit à nob s, ut Illustriss. vir Gengulphus, omnes caussas ipsius monasterii ad prosequendum & redintegrandum deberet recipere.* Hic principalis advocatus suos subadvocatos habebat, ut ex supra citato Reicherspergensi privilegio constat.

ADVOATVS ECCLESIÆ] Long. 3. Tit. 20. Cap. 7. Tit. 308. Form. 169. Synod. Salisburg. §. fin.

ADVOCATVS EPISCOPI] Long. 3. Tit. 1. L. 11. Privileg. Bremens. de commutatione inter Vnonem Episcopum & Wallar. pag. 148. Privil. Brem. de libertate loci p. 149. Privil. Adaldago concessum de electione Episc. p. 151.

ADVOCATI SACERDOTVM] Long. 2. Tit. 47. L. 3. 9. &c.

ADVOCATI IN PRÆSENTIA COMITIS ELIGENDI] Long. 2. Tit. 47. L. 2.

ADVOCATORES] Long. 2. Tit. 55. L. 40.

ÆSTIMATORES] Boior. Tit. 13. Cap. 17.

AFFIDARE] Neap. 2. Tit. 37. l. 2. Lib. 3. Tit. 38. *AFFIDATVRA.* Neap. 3. Tit. 7. 8.

AGENDA] Cap. 5. Tit. 38. Lib. 6. Tit. 234. Add. Lud. 4. Tit. 49. Synod. Karthag. 2. 9. *Agenda mortuorum.* In Lectionario B. Hierony. *Agenda vespertina, vel matutina.* In regula B. Benedicti. Beda in vita Augustini. *Per omne Sabbathum à presbytero loci illius Agenda eorum sollenniter celebrantur.*

AGENTES ECCLESIÆ] Formul. 27. &c. *Agentes Regis.* Form. 11. &c. supr. *Actor.*

AGER DOMINICATVS] Cap. 5. Tit. 147. Sic dictus, ut *Mansus dominicatus*, unde tributum ad fisci dominium redibat, apud Aimoin. Histor. Francor. lib. 5. pag. 335. Form. 79. infr. *Mansus indominicatus.*

AGER REGIVS] Burg. Tit. 38. § 7.

AGGAGVLA] Edict. Theod. cap. 54. Glossæ Isidori. *Aggagula, lenocinator, pantomimus.* Inde Mediol. *Aggula.*

AGGERES LIGERIS] Cap. 4. Tit. 10.

AGILOLFVNGI] Boior. Tit. 2. Cap. 20.

AGNITIO] Wis. 10. Tit. 1. L. 17. *Agnitionem ancilla, qua servo alieno iuncta pepererit, inter utrosq; dominos æqualiter dividendam.* Hispan. *Si la serva se casa con servo ayeno, el fyo que dende nascer, sea communal entre el senor del servo, e de la serva.*

AGRARIVM] Boior. Tit. 1. cap. 14. §. 1. Marculf. Form. 61. *Tributum quod pro agris penditur. Reditus terra qui annis singulis dissolvitur.* Form. 85. *Agraticum.* Cod. Theod. L. 11. de veteran. *Sine molestia praiudicioq; dominorum proventuum* (sic legendum, male enim *provectuum* editur) *emolumenta quarantur, nihilq; illis, qui messium tempus adsolent aucupari, agratici nomine deferatur.* Gall. consuetudinib. *Agrier vel Agriere.* In LL. Inæ Reg. occidentalium Sax. cap. 4. *cyric sceat. Frumenti tributum.* Idem & *Cespitaticum* dictum fuit, apud Aimoin. lib. 5. cap. 1.

AGVZO] Neap. 2. Tit. 37. *Clavas æquales, non spinosas, nec cum aguzonibus.* Inde Italicum *Aguzzare.*

AHTEID] Decret. Tassil. cap. 6. *Sacramentum, quod ahteid dicitur.* Aht bannum imperii. Eid iuramentum. Winsbekius in parænesi ad Fil. §. 50.

Das du gebunden bist Zehandt
Vor Gotte in kreffteklicher acht.

Idem §. 51. *Achte ist och ein bitter krut.*

ALAPAS DARE ET AVREM TORQVERE IN TESTIMONIVM] Rip. Tit. 60. §. 1. Gallorum moribus usitatum,

usitatum, *Bailler un souflet en souffragant.* De testibus per aurem tractis, infr.

ALATVS] Alm. Tit. 99. infr. *Manuale pecus.*

ALDIVS] Long. 1. Tit. 6. L. 4. Tit. 7. L. 17. Tit. 8. L. 1. 2. 3. Tit. 9. L. 26. Tit. 11. L. 1. Tit. 14. L. 2. Tit. 16. Tit. 25. L. 53. 57. 58. Tit. 31. Glossæ vett. *Aldius, statu liber. Aldius est libertus, cum impositione operarum factus. Aldij non fiunt in Ecclesia, sed per chartam.* Long. 2. Tit. 34. L. 5.

ALDIA] Long. 1. Tit. 14. L. 2. Tit. 25. *ancilla aut aldia.* Long. 2. Tit. 39. L. 1. *Aldia, id est, quæ de libera nata est.* Long. 1. Tit. 30. L. 5. Long. 3. Tit. 20.

ALDIONES] Id est, *filij Aldiorum.* Glossæ vett. *Aldiones in Italia, Lidi seu fiscalini in Francia.* Long. 1. Tit 25. L. 82. 83. Tit. 32. L. 5. Long. 2. Tit. 12. L. 7. 9. Tit. 25. L. 8. 14. Tit. 29. Tit. 32. Tit. 44. L. 1. 2. *Aldiones, qui de personis aldiones sunt.* Longob. 3. Tit. 20.

ALLELVIA] Alm. Tit. 16. §. 2. Cap. 5. Tit. 49. Isidorus Orig. lib. 6. cap. 19. *Alleluia duorum verborum interpretatio est: hoc est, laus Dei. Et est Hebræum. Significat igitur laudare Deum cum iubilo, & lætitia, & cantu: unde in cælo auditur, ubi omnia sunt cantica læta, & perpetuum Alleluia.* Inde in Concil. Tolet. IIII. *Quadragesimæ diebus, quia tempus est non gaudij, sed mæroris, Alleluia non decantetur.* Sidonius Apoll. lib. 2. Epist. 11.

Curvorum hic chorus helciariorum,
Concinentibus Alleluia ripis,
Ad Christum levat amnicum celeuma.

Gregor. Nyss. Tract. 2. in Psalm. p. 156. τὸ ἀλληλούϊα, ἄνος θεῶ ἑρμηνεύεται. ubi plura de hac voce vide. ut & apud Augustinum ad Ianuar. Epist. 109. cap. 17. & Psalm. 106. Hieronym. ad Marcell. 137. & alibi.

ALOARII] Form. 160. ... *Apud tres aloarios, & XII. collaudantes iuraverunt.*

ALODE] Sal. Tit. 62. Boior. Tit. 2. cap. 1. §. 3. Tit. 11. cap. 5. Tit. 17. cap. 2. Rip. Tit. 56. Angl. Tit. 6. Capitulare 1. Tit. 132. Cap. 3. Tit. 20. 51. Cap. add. 2. §. 30. Cap. Karoli Reg. Tit. 6. Marculf. Form. 16. 17. 18. 30. 48. 49. 51. 62. 66. 67. 105. 114. 178. Schol. Ms. in Terent. Hecyr. *Fructū quem Lemni uxoris reddunt prædia. Prædia, id est alode.* ALODIVM. Long. 2. Tit. 8. l. 9. Gall. *Aleu.* Gloss. vett. *Allodium dicitur hereditas, quam vendere vel donare possum, ut mea propria.* Item. *Allodium, id est prædium.* Sigebertus Gemb. *Res mancipi* vocat. lib. 3. cap. 20. Rhenanus lib. 2. rerum Germ. sic dictum *Alodem* putat, quasi *Anled.* Cuiacius quasi *sine lode*, quasi eius possessor nemini sit *leodes.* Reperitur vox frequenter in veteribus libris & chartis. Karolus in Capitulis quæ constituta sunt apud Suessiones Ann. DCCCLIII. *Et postea in alodem data sunt, ut describant quæ fuerint, & à quo vel à quibus in proprietatem data sint.* Et in adnuntiatione Ludovici Reg. *Et illorum alodes de hereditate, & de conquisitu, & quod de donatione nostri senioris habuerunt.* Ibidem. *Ut missi nostri his qui firmitatem fecerunt, alodes illorum, quos de hereditate & de tali conquisitu, qui de nostra donatione non venit, &c. Hereditas* Reginoni. *Ut perderent ingenuitatem & hereditatem.* Ado Viennens. *Baptizatis Saxonibus & ingenuitate & alode firmitas roborata.* Flodoardus ex Hincmaro. *Cupiens cavere ne census ipse deperiret, & villa in alodem verteretur, & Ecclesiastica mancipia in servos & ancillas dispertiantur.* Hincmarus Epist. 7. cap. 34. *Alode, quem à die ordinationis suæ de Ecclesiasticis facultatibus acquisivit, habere valebit.* Auctor vitæ Wiperti pag. 2. *In cuius dotem Morung. & Gaterslebe cum suis territoriis & allodiis, ac ceteris appendiciis constituit.* Ivo Carontens Epist. 192. *Emit Comes Rotrocus partem ill. fundi, quæ alodium erat.* Historia Guelphor. p. 193. *Albertus Fridericum & Conradum auxilij gratia adiit, eisq; de allodio suo villam cum omnibus ministerialibus ac aliis appendiciis eius, ut Guelfonem de obsidione propellerent, contradidit.* Antiquitat. Fuld. lib. 1. Trad. 48. *Quidquid in villa, marcha, Cunticha & Obemestat, ad præsens de alode parentum, & qualibet ex causa ad me noscitur pervenisse.* Metellus in Quirinal. p. 92. *Mortuus occultatur ut allodium capiatur, Quod singulis promiserat Principibus tribui.*

ΑΛΟΓΕΥΟΜΕΝΟΙ] Cap. 7. Tit. 273. Concil. Ancyran. can. 15. Cod. Can. Græc. cap. 36. περὶ τῶν ἀλογευσαμένων ἢ καὶ ἀλογευομένων. Hi sunt κληνιβατησ Harmenop.

IN ALTARI IVRARE] Alm. Tit. 7. §. 2. nempe super reliquias. ut supr. Tit. 6. §. 7. Boior. Tit. 1. cap. 3. *In altari iurare Euangelio superposito.* Boior. Tit. 1. cap. 6. §. 2. Ioh. Chrysostom. in Acta Apost. Homil. 9. p. 518. μὴ τραπέζης ἱερᾶς ἅψασθαι τολμᾶς ἀμύητος ὤν: ἀλλὰ τὸ ἐπὶ χεῖρων σὺ ὁ μεμυημένος τῆς ἱερᾶς ἅψασθαι θέμις, καὶ οὕτως ὀμνύναι. Huius moris frequens mentio apud Gregor. Turon. lib. de miracul. *Manus ante altare stans sursum extulit, ut sacramentum mendax proferret.* Lib. 1. cap. 20. Eiusq; formula extat apud Marculf. n. 160. 173. 174. Gregor. Turon. Histor. lib. 4. cap. 41. *Requirit hominem alium Vrsum nomine, quem ad altare clam adductum, iurare fecit ac dicere: PER HVNC LOCVM SANCTVM, & reliquias martyrum beatorum, quia si filiam meam tibi in matrimonio non tradidero, sexdecem millia sol. tibi satisfacere non morabor.* Vid. infr. *Ad Euangelia.*

AD ALTARIA SANCTA CONFVGERE] Wis. 3. Tit. 2. L. 2. Wis. 5. L. 16. 18. Histor. Tripart. lib. 10. cap. 4. de Eutropio ad Ecclesiam fugitivo. *Eutropio sub altare iacente.* Paul. Warnefr. lib. 6. cap. 6. *Aldo & Grauso dum ad palatium Regis consilium nescientes venirent, cum basilicæ sancti Romani martyris, quæ prope palatium sita est, propinquassent, repente eis obvius quidam claudus, uno pede truncato factus est, qui eos dixit, quod eos Cunibertus, si ad eum pergerent, occisurus esset. Qui hæc audientes magno timore correpti, post altarium eiusdem basilicæ confugerunt.* Infr. *Ad Ecclesiam confugere.*

CIRCA ALTARE SACRVM LIBEROS DIMITTERE] Long. 2. Tit. 34 *ante cornua altaris vinculo servitutis absolvere.* Marculf. Form. 91. 97. 101. Germ. Antiquit. ex editione Goldasti Tom. 2. cap. VII.

AMBASCIA] Burg. Add. 1. Tit. 17. *Ambascia* opera, à Germ. Ambacht. Otfridus Euangel. lib. 1. cap. 25. Et Ambachten *operari*, apud Willeram. Abb. in Cant. Canticor. p. 15. *sie ambechtent themo luide cibum vitæ.* Inde & *Ambasciator.* Synodus Constant. 5. p. 14. *Paulus Dei misericordia diaconus & ambasiator monasterii* * p. 16. *Theonas Dei misericordia presbyter montis Sinai & Ambasiator.* Annal. Steronis p. 255. *Vltra centum ambasiatoribus civitatum rebellium Lombardiæ.* Petr. de Vineis. Lib. 1. Epist. 8. Lib. 3. Epist. 82.

AMBO] Cap. 1. Tit. 88. *Suggestus vel pulpitum.* Walafrid. Strabo rerum Eccles. cap. 6. *Ambo ab ambiendo dicitur, quia intrantem ambit.* Theophylact. Simocat. lib. 8. p. 403. ἐπὶ τῶν βημάτων τῶν ὑψηλῶν, ἄμβωνα ταῦτα τὰ πλήθη ἀποκαλεῖ. Epitome Can. in Codice Iur. Græco Rom. p. 36. τὰ θεῖα λόγια ἐπ' ἄμβωνος μὴ ἀναγινωσκέτω ὁ μὴ κεκαρμένος. Epiphanius Tripart. Histor. lib. 10. cap. 4. *Episcopus vero Eutropio sub altare iacente, nimioq; repercusso timore, residens super ambonem, ubi solebat prius facere consuetum sermonem.* Socrates lib. 6. cap. 5. καθεσθεὶς ἐπὶ τοῦ ἄμβωνος ὅθεν εἰώθει καὶ πρότερον ὁμιλεῖν, χλεύῃ τοῦ ἐξακέσασθαι. Zonaras in Anastas. οἱ ἐν τῷ ἄμβωνι ὡς ἐπὶ ἀναγνῶσαι (?) ἑστῶτες. Eusthat. in Odyss. ὄρος λόφος καὶ πᾶσα ὑπεροχὴ καὶ οἷον ὀφρύς. Benedictus cunctis Episcopis in Caroli gloriosi Regis regno morantib. *Vt in divinis celebrandis mysteriis more subdiaconorum sacras lectiones conscendens ambonem populis nnnciaret.* Aimoin. lib. 4. c. 90. *Ambonem conscendit Euangelium ferens.* Anastas. Biblioth. de vit. PP. p. 59. 88.

AMBVLARE IN ALIQVAM VTILITATEM] Alm. Tit. 23. §. 4. *Ambulare in exercitu.* Long. 1. Tit. 14. L. 6. 7. 8.

AMMINICVLA VITIS] Long. 1. Tit. 25. l. 34. Ruffinus Præfat. in librum de benedictionib. Iudæ. *Ἕλικα vitem dicunt Græci, non tam palmitem, quam illos quasi runcinulos vel cincinnulos palmitis, quibus succrescens palmes ipse, innectere & suspendere solet, vel ramis arboris, vel palis, vel quibuscunq; illis innititur amminiculis, quos capreolos, ut arbitror, appellant agricolæ, cuius nexibus tutus, & sine lapsus periculo vel gravatur fructibus palmes, vel vaga proceritate distenditur.*

AMOND] Long. 2. Tit. 12. L. 6. *Dominus ancillæ eam libertaverit, & amond fecerit.* Tit. 32. l. 4. Tit. 34. l. 1. 5. 8. 9. *fulfreal & à se extraneum, id est amund.* Vid. infr. *Mundium.*

AMTRVSTIO REGIS] Form. 47. *qui in truste est Regis.* Sal. Tit. 43. Inde Germ. Amtdrest.

AMOR AN PER POCVLA AMATORIA

TORIA CONCILIARI POSSIT] Neap.3. Tit. 41. L. 4. C. de malef. & math. Vid. quæ in hanc rem notat Burchard. Decret. lib.19. pag. 278. Sic etiam ad favorem vel gratiam alicuius promerandam, malarum artium usus. Aimoin. Histor. lib. 3. cap. 51.

AMPVLLÆ TRES IN COENA DOMINI] Cap. 1. Tit. 162. De ampullæ usu in sacra synaxi Walafr. Strabo de divin. off. c. 24. Guil. Durandus Prochir. lib. 4. cap. 30.

ANATAS] Form. 136. *Me gravis necessitas, & anatas pessima oppresserunt.*

ANATHEMA] Cap. 5. Tit. 22. Cap. 6. Tit. 321. *Anathematizare.* Longobard. 1. Tit. 30. L. 15. Augustinus Quæst. super Numeros lib. 4. *Dictum est anathema, quod detestabile & abominabile videatur. Vt enim nihil inde quod voverat victor in usus suos auferret, sed totum in pœnam luendam voveret, hoc erat anathemare, quod vulgo dicitur devotare. Origo autem huius verbi in Græca lingua ab his quæ vota & persoluta, hoc est promissa & reddita, sursum ponebantur in templis,* ἀπὸ τοῦ ἄνω τίθεσθαι. *hoc est sursum ponere, vel figendo vel suspendendo.* Ioh. Chrysost. orat. de anathemate. Παρ' ἡμῖν ἄχρι τῆς σήμερον ἡμέρας κοινὴ συνήθεια παρὰ πᾶσι κεκράτηκεν, ὁ δεῖνα τόδε πεποιηκώς, τὸ ἀνάθεμα εἰς τόνδε τὸν τρόπον ἀπήγαγεν. ἆρά γε τοῦτό ἐστι τὸ ἀνάθεμα, καὶ τίγε τοῦτο ὡς περί τινος ἀγαθοῦ λέλεκται, τὸ ἀναθέσθαι θεῷ. τί οὖν ἐστιν ὃ λέγεις ἀνάθεμα, ἀλλ' ὅτι ἀναθέσθω οὗτος διαβόλῳ, καὶ μηκέτι χώραν σωτηρίας ἐχέτω, γενέσθω ἀλλότριος ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ. *Invaluit apud nos omnes consuetudo, quæ in hodiernum usque diem durat, ut anathema dicatur, quod certo loco suspensum. An hæc tu dicis anathema? Sed hoc plerumque in bonum sonat, & est interdum oblatum Deo. Quid ergo illud, quod anathema tu dicis, nisi offeratur diabolo, nec ultra locum salutis obtineat, sed alienus sit à Christo?*

ANATHEMATE NEMO FACILE FERIENDVS] Cap. Karoli Reg. Tit. 7. Duo erant pœnarum modi, quibus in primitiva Ecclesia contra delinquentes utebantur: Excommunicatio & Anathematizatio. Ἀφορισμὸς sive καθαίρεσις, & Ἀνάθεμα. Clemens Rom. in Constitut. Apost. lib. 2. cap. 21. Novel. Iustin. 42. Ἀφορισμὸς pœna est plebi & monachis irrogata, καθαίρεσις clericis & Episcopis: nempe Degradatio, Novell. 42. & separatio à sacra lyturgia. L. 34. §. 4. C. de Episcop. aud. Tertull. Apolog. cap. 39. *Iudicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu; summumque futuri iudicij præiudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercij relegetur.* S. Faustus sive is Euseb. Emissen. sit, in instruct. ad Monach. p. 63. *Illis ipsis qui graviter apud nos delinquunt, nullam tristiorem, nullam acerbiorem possumus invenire sententiam, quam ut à corpore congregationis abscisci, sine pace discedant.* Augustin. De correptione & gratia cap. 15. *Ipsa quæ damnatio nominatur, quam facit Episcopale iudicium, qua pœna in Ecclesia nulla maior est, potest si Deus voluerit, in correptionem saluberrimam cedere.* Ἀνάθεμα gravius punit (τὸ γὰρ ἀνάθεμα παντελῶς τοῦ Χριστοῦ ἀποκόπτει. ut inquit Chrysost.) cum proscriptione & dirarum execratione, etiam paganis nota. Plutarch. in Alcibiad. p. 64. Sic Pub. Ælius Trib. plebis Marcum Crassum execratus est, & quasi anathemate percussit, ad bellum proficiscentem. Appian. init. Parthicor. Cicero de divinat. lib. 1. Sed de anathematizatione quæ apud Christianos usitata, videndus Ioh. Chrysost. Homil. περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἀναθεματίζειν ζῶντας ἢ τεθνεῶτας. Burchardus Episcop. Decret. lib. 11.

ANAGRIPH] Long. 1. Tit. 31. l. 1. Lib. 2. Tit. 2. Tit. 7. Gloss. *Anagriph, Culpa præsumptionis.* Germ. Angreiff. Willeramus pag. 90. Min Wino ratha sina handt in ze mir ze einemo fenstere / and min wambo erbevede ze sinemo angripho. *Dilectus meus misit manum suam ad me per fenestram, & venter meus intremuit ad tactum eius.* Constitut. Frid. II. cap. 11. Were zu leyde die Strassen anegriffet.

ANATICVLA] Formul. 154. *Per chartam cessionis partibus ipsius ill. per ostium & anaticula, de ipsa casa, per herbam vel terram de ipso manso.* Formul. 156. *Per ostium & anatalia.* Glossar. *Anaticla* ἐπιστρόφιγξ.

ANCILLA ECCLESIASTICA] Rip. Tit. 58. §. 9. *Genaciaria*. Alman. Tit. 80. *Gentilis*. Longob. 1. Tit. 31. L. 2. *Idonea*. Wis. 3. Tit. 4. L. 15. *Ministerialis*. Longob. 1. Tit. 11. L. 9. *Originaria*. Edict. Theod. cap. 21. 48. 63. 66. 67. *Palatij*. Long. 2. Tit. 9. L. 2. *Ancillæ, quæ in curte Regis inter pensiles ancillas deputantur*. Ibid. *Ancilla Regia*. Wis. 3. Tit. 2. L. 3. Rip. Tit. 58. §. 9. *Regis*. Sal. Tit. 27. *Ripuaria*. Rip. Tit. 58. §. 10. *Romana*. Longob. 1. Tit. 31. L. 2. *Rusticana*. Longob. 1. Tit. 11. L. 9. *Tabularia*. Rip. Tit. 58. §. 9. 14. *Vestiaria*. Alman. Tit. 80.

ANDECINGÆ] Boior. Tit. 1. cap. 14. §. 2. *perticam x. pedes habentem*.

ANDELANGVS] *Per festucam & andelangum*. Formul. 18. 55. 57. 58. 75. 82. 127. 152. *per meos wadros aut andelangos*. Form. 183.

ANDIGARE] Long. 2. Tit. 14. L. 17. *iudicaverit res suas proprias, se vivente, id est andigaverit & artigaverit, secundum Legem Longobardorum*. Gloss. vet. *Andigavum, id est in sanitate, Artigavum in infirmitate*.

AD ÆNEVM MALLARI] Sal. Tit. 55. §. 1. 8. *Ad aneum provocari*. Pact. Child. & Chlot. §. 4. *Per aneum se educere*. Sal. Tit. 59. Glossar. *De aneo, de caldario*. Glossar. χαλκεῖον, *olla, aneum, miliarium*. Gregor. Turonens. Histor. Lib. 1. Cap. 18. *Succendatur igni æneus, & in ferventi aqua anulus cuiusdam proijcitur: qui vero cum ex ferventi unda sustulerit, ille iustitiam consequi probatur*. Idem Lib. 8. Cap. 6. *Conspicio eminus aneum super ignem positum fervere vehementer*. Ergo *ad aneum mallari*, vel *provocari*, est ad iudicium aquæ ferventis citari: sic enim & interlinearis Glossa habet. De hoc autem probationis vel purgationis more infra dicemus, ubi de Aquæ ferventis iudicio agemus.

ÆNEVM POTARE VBI STRIÆ CONCINNVNT] Sal. Tit. 67.

ANEGARE] Alm. Tit. 83. Ital. *Annegare, morire nel acqua*. Gall. *Noyer*.

ANETA] Sal. Tit. 7. §. 5. Alman. Tit. 99. Gloss. *Aneta, avis aquatica*. *Aneta* ened. In veteri form. *Similiter & porcellos habet, & unam vaccam, & duas anetas à ceteris separat, & dat illis quotidie abundanter*. Spec. Sax. lib. 3. Art. 51. *Aneta & auca cum nummo persolvetur. Auca vero & gallina ova foventes cum aneta, ut catuli & succuli cum capriolis adhuc non ablactatis, cum tribus nummis, &c*. Theotisce. De ant also de gans meth eneme pennige: De brut gans vnde de brut ant vnde de brut hennen mit dren pennigen / &c.

ANETHAPICH] Boior. Tit. 20. cap. 1. *Accipiter qui anates mordet*.

ANGARGNACO] Boior. Tit. 13. cap. 10. §. 3. *Equus deterior, qui in hoste utilis non est*. Nacke collum Germ. sed quid *angar* disquirendum.

ANGARIA] Wis. 5. Tit. 5. L. 2. Lib. 12. Tit. 1. L. 2. Boior. Tit. 1. cap. 14. Long. 2. Tit. 44. L. 2. Cap. 1. Tit. 81. Cap. 7. Tit. 367. Gloss. *Angaria, personale munus*. *Angario, cogo*. ANGARIA CARRARVM. Formul. 5. id est *carropera*. Formul. 61. *Angraria navium*. L. 4. ff. de veteran. Vid. Brisson. de verbor. signif. lib. 1. in voce. *Angaria*.

ANGARII] Neap. 1. Tit. 47.

ANGARIARIVS] Neap. 2. Tit. 32. Lib. 3. Tit. 20. 39. Gloss. *Angariarius, qui agrum locat, ut angariam accipiat*.

ANGELORVM NOMINA] Cap. 1. Tit. 16. Epist. contra Adebertum & Clementem in Synod. Rom. sub Zacharia PP. quæ refertur in vita Bonifacii. *Cumq; per ordinem legeretur, pervenit ad locum ubi ait: Precor vos, & coniuro vos, & supplico me ad vos Angele Vriel, Angele Raguel, Angele Tubuel, Angele Michael, Angele Adimis, Angele Tubuas, Angele Sabaoth, Angele Simihel. Dum vero hæc oratio sacrilega usq; ad finem perlecta fuisset*, &c. *Quid aliud agendum est, nisi ut omnia quæ coram nobis lecta sunt, igne concrementur? Octo enim nomina Angelorum, quæ in sua oratione Adebertus invocavit, non Angelorum præter Michaelis, sed magis Dæmonum nomina sunt*, &c. *Nos autem, ut à vestro sancto Apostolatu edocemur, & divina tradit auctoritas, non plus quam trium Angelorum nomina agnoscimus, id est, Michael, Gabriel, Raphael*.

Angli] Angli Germaniæ populi, confines Saxonibus. Ado Wiennens. Tacitus de moribus Germanorum. *Angli, & Varini, & Eudoses.* Vbi plura de hisce Anglis à Scholiastis annotata. Nomen autem etiam nunc retinent, atq; in Ducatu Sleswicensi Anglen vocantur.

Angrarii] Sax. Tit. 8. 9. 19. Populi Westfaliæ, qui etiam *Angrivarij* dicuntur, Germanice Engern. Tacitus de morib. Germ. *Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Chamvos & Angrivarios immigrasse narratur.* Annal. Karoli Mag. Imp. *Westfali, Ostfali sive Osterlingi, Angrarij.*

Animal Marcidum et minutum] Long. 1. Tit. 20. L. 5.

Animalia Minuta] Long. 1. Tit. 21. L. 25.

Anno Et Die] Long. 2. Tit. 43. L. 3. Form. 132. *Scimus eum sanum usq; anno & die.* Burchard. Decret. lib. 8. cap. 98. *Si annum & diem dissimulando consenserint.* Specul. Sax. lib. 1. Art. 38. *per annum & diem.* Gloss. Jahr vnd dach: *id est,* Ses weken vnd ein Jahr.

Annona] Wis. 12. Tit. 1. L. 2. Gloss. *Annona σιτηρέσιον. Annonam dare.* Long. 1. Tit. 25. L. 25. Hispan. *Cebada.* Glossar. Theotis. *Annona* fruonda.

Annonam in Molino furaverit] Sal. Tit. 24. §. 1. *Annona ad caballos.* Cap. 1. Tit. 118. 131. Cap. 4. Tit. 73. Gregor. Turonens. lib. 3. de virtutib. B. Martini cap. 3. *Accepta annona ad molam vadit, impositoq; tritico molam manu vertere cœpit.* Idem de gloria confess. cap. 107. Specul. Saxon. Lib. .. Tit. 69. *Qui prius annonam molendino præsentaverit, prius molere debet.*

Annonaria Area] Burg. Tit. 23. §. 2. *In qua frumentum excutitur.*

Annonarius] Wis. 9. Tit. 2. L. 6. *erogator annonæ.* Forum. Hispan. *cebadero.*

Annulum Ducis Contemnere] Boior. Tit. 2. cap. 14. *Sigillum contemnere.* id est, citationem annulo Ducis sigillatam: & forsan hoc etiam modo Theophilacti Simocattæ locus intelligendus est, lib. 8. cap. 11. ὁ Μαυρίκιος τῷ μεταμέλῳ φιλοσοφήσας τὸν κίνδυνον, τὸν δακτύλιον πέμπει Θεοδοσίῳ τῷ παιδὶ, ἐπιβεβηκότι Νικαίας τῆς πόλεως, ἀνάζευξαί τε πρὸς αὐτὸν θᾶττον προσέταξεν. *Mauricius periculum imminens considerans, Theodosio filio, qui iam Nicæam pervenerat, annulum mittit, atq; ad se ocyus reverti mandat.* Infr. *Sigillum.*

Annulus Sponsalitius] Wis. 3. Tit. 1. L. 3. *Annulo sponsam subarrare.* Long. 2. Tit. 37. L. 1. Frequens in hanc rem annulorum apud omnes fere nationes usus. Mentio eorum apud Heliodor. Æthiop. lib. 4. & 8. p. 393. Plin. lib. 33. cap. 1. Clem. Alexand. Pædag. lib. 3. cap. 11. Terent. in Hecyr. Act. 5. Scen. 3. Iuvenal. Sat. 6. Paul. l. 36. §. 1. ff. de donat. int. vir. & uxor. Isidorum Orig. lib. penult. cap. 32. Tertullian. Apolog. cap. 6. *Olim nulla mulier aurum norat, præter unico digito, quem sponsus oppignorasset unico annulo.* Sic etiã prisco Galliæ ritu usitatum erat, *ut annulus porrigeretur sponsæ, unaq; osculum & calciamentum.* Gregor. Turonens. in vita B. Leobardi, & vita B. Venantii. Et hæc quidem nota satis. Ceterum sponsas quoque sponsis suis annulos pronubos misisse, id præterquam apud unum Priscum non legimus. Illius igitur in Excerptis Legation. hæc verba sunt, p. 27. αὖθις τῶν ἀμφ' αὐτὸν ἄνδρας ἐς τὴν Ἰταλίαν ἔπεμπεν, ὥστε τὴν Ὀνωρίαν ἐκδιδόναι. εἶναι γὰρ αὐτῷ ἡρμοσμένην πρὸς γάμον, τεκμήριον ποιούμενος τὸν παρ' αὐτῆς πεμφθέντα δακτύλιον, ὃν καὶ ἐπιδειχθησόμενον ἐστάλκει. *Attilas rursus legatos in Italiam misit, qui Honoriam dari sibi poscerent. Etenim secum matrimonium pepigisse; cuius rei ut fidem faceret, annulum ab ea sibi missum, per legatos, quibus tradiderat, exhiberi mandavit.*

Annus et Dies in chartis emptionum] Boior. 15. §. 16. L. 34. §. 1. ff. de pig. & hypoth. Sic nomen Imperatoris postea instrumentis ad scriptũ. Novell. 48. cap. 1.

Antapocha] Neap. 1. Tit. 49. 78. Gegen quitung. *Antapocham suscipere.* L. 19. C. de Fide instrum. Infr. *Apocha.*

Antestare] Long. 1. Tit. 25. L. 22. Tit. 36. L. 2. *in via antestare.*

Apennis] Form. 106. *Relatum, quod dicitur apennis.* Form. 107. *apennem adfirmare.*

Apiarium] Wis. 8. Tit. 6. L. 3.

APICVLARE] Long. 1. Tit. 25. L. 37.

APILE] Boior. Tit. 21. §. 8.

APOCHA] Neap. 1. Tit. 78. Gloss. Ἀποχὴ *apocha*. Vet. Gloss. *Apocha, cautio quam creditor dat debitori solventi, qua profitetur se accepisse nummos, hincq; Professio dicitur.* L. 19. C. Theod. de ann. & trib. L. 16. C. Th. De susceptorib. præp. L. 7. Novell. Valent. de indulg. reliq. Infr. *Cautio.* Vid. Briss. de verbor signif.

APODIXIS] Neap. 1. Tit. 49. Germ. Schrifftlicher beweiß. Petronius. *Apodixis defunctoria.* Novell. διάταξ. ϛ6. μήποτε ἢ γραμματεῖον ἐκκλέψειεν, ἢ ἄλλας ἀποδείξεις ἔσως ἀφανίσῃς. *aut instrumenta aut apodixes.*

APOSTOLI] Neap. 2. Tit. 44. Oecumenius in Acta Apostol. cap. 40. *Apostoli, qui Impp. deferunt epistolia.* Vid. Brisson. de verb. signif.

APOTHECA] Neap. 3. Tit. 34. L. 3. Græcis *Pharmacopolium.* Plauto *Medicina.* Ital. *Apotheca.*

APPARITORES] Edict. Theod. Cap. 73. Glossar. *Apparitores* Ἀποδικταί. εἰσὶν ἢ ὑπηρέται τῆς ἀρχῆς τῶν προσεδρεύοντες. ἐκβιβασταί.

APPELLANS CAVSA CADENS SVMPTVS ADVERSARIO IN QVADRVPLVM RESTITVERE COGITVR] Formul. 117.

APPELLATORIVS LIBELLVS] Edict. Theod. cap. 55. L. 1. in fin. L. 5. §. fin. ff. de appellat.

APPLICARE] Wis. 8. Tit. 2. L. 3. Tit. 4. L. 25. *Applicandi spacium.* Hispan. *espacio di folgar.* Germ. Lageren. *In agro regio vel colonica applicare.* Burg. Tit. 38. §. 7. *Applicare se in mansione.* Long. 3. Tit. 12. L. 5. Estq; militare verbum, quo etiam Græci Tactici usi sunt. Leo Imp. in Tact. ἐν φοσσάτῳ ἀσφαλῶς μετὰ τῶν πεζῶν ἀπλικεύειν. Hinc *Aplecta,* ἄπληκτα, pro ipsis castris. Constantin. περὶ θεμάτων, p. 6. Ecloga Basilicor. περὶ τῶν μετάτων ἤτοι ἀπλήκτων. Itaque in Novella Constantini 9. p. 26. μὴ βαρυνέσθων ἐν τοῖς πληκτοῖς τὰς ἐβαγεῖς οἴκους. Legendum dubio procul. ἐν τοῖς ἀπλήκτοις. Sic Leo Imp. in Tacticis, ἐν τῷ ἀπλήκτῳ μένειν. Idem. τὸ φοσσᾶτον ἤγουν τὸ ἄπληκτον.

ÆQVALENTIA] Form. 62. 66.

AQVA BENEDICTA] Cap. 5. Tit. 220.

AQVAM CONSECRATAM IN DOMOS SVAS RECIPERE] Cap. 6. Tit. 72.

AQVÆ FERVENTIS IVDICIVM] Fris. Tit. 3. §. 4. 5. 6. Tit. 14. §. 3. Long. 1. Tit. 9. L. 29. 35. 39. Cap. 4. Tit. 13. Cap. 4. Add. 2. §. 33. *Aqua frigida examen.* Add. Lud. 4. Tit. 80. Neap. 2. Tit. 31. Spec. Sax. lib. 3. Art. 21. *Vnda sententia.* Water ordel. Gall. consuet. *Se purger par eau & par ignise.* Specul. Sax. lib. 1. artic. 39. *Ferrum calidum ferant, vel in aquam bullientem brachium usq; ad cubitum mittant.* Hincmarus pro Lothario. *Hoc examinandus iudicio conligatus in aquam dimittitur, & aut purgatus statim iudicio arbitrorum absolvitur, aut usq; ad purgationem conligatus iudicio examinatur.* Idem Hincmarus contra Hincmar. Laudun. *Præfati homines, quia non liberæ conditionis sunt, aut cum aqua frigida, aut cum aqua calida, inde ad iudicium Dei exirent.* Concil. Rhemens. cap. 11. pag. 19. *Hæc si quisquam vestrum aliter esse putat, meq; indignum cui credatur, credat igni, ferventi aquæ, candenti ferro: faciant fidem tormenta, quibus non sufficiunt mea verba.* Ivo Carnotens. Epist. 91. *Vulgarem deniq; legem ac nulla canonica sanctione fultam, ferventis scilicet sive frigidæ aquæ, ignitiq; ferri contactu, aut cuiuslibet popularis inventionis (quia fabricante hæc sunt omnino facta invidia) nec ipsum exhibere, nec aliquo modo te volumus postulare, imo Apostolica auctoritate prohibemus firmissime.* Inde etiam Sylvester PP. II. dicit Lamberto Episcopo Magontino. *Ferri candentis vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri à quolibet sacri non censuerunt Canones: & quod sanctorum patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum.*

AQVAM SORDIDAM ET STERCORATAM SVPER SPONSAM MITTERE] Long. 1. Tit. 16. L. 8.

ÆRAMENTVM] Cap. L. Sal. cap. 3. §. 12. Glossarium vet. χάλκωμα *aramentum.*

ARAHO]

ARAHO] Rip. Tit. 30. §. 1. *in arabo coniurare*. Tit. 32. §. 2. 3. Tit. 33. §. 2. Rip. Tit. 41. §. 1. Tit. 77.

ARANSCARTI] Boior. Tit. 12. cap. 8. *Si quis messes alterius initiaverit maleficis artibus, quod aranscarti dicunt.* Aran spica est frumenti, sive arista. Scart læsio sive fissura: unde & *Lidiscarti*, *Orscarti* infr.

ARASCILD] Long. 1. Tit. 17. l. 4. 5. Gloss. *Arascild, aggressio in vico facta.* Vel si mavis *Harescild*, quæ est mulcta quam solvit, qui ad nomen non respondit, ut etiam Aventinus interpretatur. Chronic. Laurishaimens. p. 78. *Beneficialis summa militaris clypei, qui vulgo dicitur Hereschildt.* Pag. 88. *Militaris clypiaturæ, scilicet Heschildt integritas confusa atq; in diversa distracta est.*

ARATIVUM REDDERE] Alm. Tit. 22. *Opus ruri facere arando*, &c. Germ. Pflugdienst.

ARATRUM CIRCUMDUCERE] Boior. Tit. 17. cap. 2.

ARBORIBUS, PETRIS, VEL FONTIBUS, UBI ALIQUI STULTI LUMINARIA VEL ALIAS OBSERVATIONES FACIUNT] Cap. 1. Tit. 64. *Arbores venerari.* Cap. 7. Tit. 236. *Ad arborem adorare.* Long. 2. Tit. 38. l. 1. Burchardus lib. 10. cap. 10. 21. 31. ex Concil. Nannetensi cap. 8. Braccar. cap. 22. Agathens. cap. 5. Prudent. contra Symmach. lib. 2. Sulpit. Sever. in vita Martini cap. 10.

AD ARBOREM QUAM RUSTICI SANGUINUM VOCANT ADORARE] Long. 2. Tit. 38. l. 1. Legendum puto: *quam rustici sacrivum vocant.* ut in Concil. Altisiod. Cap. 3. *Non licet compensas in domibus propriis, nec vigilias in festivitate sanctorum facere: nec inter sentes, aut arbores sacrivos, vel ad fontes vota exolvere.*

ARBORIBUS FINES DISCERNERE] Long. 1. Tit. 26. L. 3. *Arborem ubi theclatura facta est, inter fines discernendos.* Sicul. Flaccus de condit. agror. *Si notatæ arbores in regionibus finales observabuntur, intuendæ sunt notæ.* Huc pertinent Respons. Papiani Tit. 39. Wis. 8. Tit. 6. l. 1. Lib. 10. Tit. 3. l. 3. Boior. Tit. 11. Cap. 3. §. 2. Vid. infr. in voce *Decuria*.

ARBOR INSERTA] Sal. Tit. 29. §. 16. Servius Georg. 2. *Et sæpe alterius. Sane insitas arbores dicimus, insertas vero causas aut fabulas.*

ARBOR SIGNATA] Sal. Tit. 29. §. 29. quæ signa & notas habet: id est, ut in L. Longobard. dicitur, quæ theclaturam habet.

ARBOR QUE PORTAT ESCAM] Boior. Tit. 21. §. 2. infr. *Esca.*

ARCA] Wis. 10. Tit. 3. L. 3. *Aggeres terræ sive arcas, quas propter fines fundorum antiquitus apparuerit fuisse constructas atq; congestas.* Forum iud. Hispan. *Los montes de la tierra, è las eras, è las carreras, que furon fechas por departiminto de las terras.* Formam arcarum videre est apud Hygenum Gromat. pag. 155. earum meminit Iul. Frontinus de Coloniis, pag. 20. *Delineatio est per rationem arcarum, vel canalabula, vel noverca, quod tegulis construitur.* Item paulo superius. *Terminis Claudianis in modum arcellæ est demetitus.* Vid. alia huc spectantia apud eundem pag. 22. 25. 26. 30.

IN ARCA PUBLICA FUNCTIONEM EXOLVERE] Wis. 5. Tit. 4. L. 19. Intelligit arcam publicam Curialium.

ARCHIA] Formul. 72. 73. *Archivum*. Neap. 2. Tit. 5. *Archiva Ecclesiæ.* Wis. 12. Tit. 3. L. 28. Suid. Ἀρχεῖα. ἔνθα οἱ δημόσιοι χάρται ἀπόκειν). Tertull. Lib. 3. adversus Marcion. *Archia Romana.*

ARCHIDIACONUS ECCLESIÆ] Edictum Theodor. cap. 70. 71. Rip. Tit. 58. §. 1. 5. Longob. 2. Tit. 30. L. 2. Cap. 5. Tit. 9. 132. Isidorus Hispal. Epistol. ad Ludefred. Episcop. Vid. Onuf. Panvin. vocum Ecclesiasticarum explicatione pag. 85.

ARCHIMANDRITA] Cap. 2. Tit. 29. *Primus monachus.* Iulian. Novel. 4. cap. 10. Novell. 111. cap. 2.

ARCHIMANDRITISSA] Cap. 2. Tit. 29.

ARCHIOECONOMUS] Cap. 2. Tit. 29.

ARCVS FERIS TENDERE] Wiſ. 8. Tit. 4. L.23. *Arcus ad lupos occidendos ponere.* Burg. Tit. 46.

ARGA] Long. 1. Tit. 5. L. 1. Paul. Warnefr. Hiſt. Long. 6. cap. 24. Gloſſ. *Argam, cucurbitã.* Inde *cucurbitare mulierẽ*, id eſt mulieri vitium afferre. Lib. 1. Feud. Tit. 5. §. 1. Lib. 2. Tit. 38. 57. Lib. 3. Tit. 2. §. 1. Vid. quæ ad P. Diaconum notata.

ARGENTARII] Wiſ. 2. Tit. 4. l. 4. For. iud. *Los que ſon ſobre los que fazen la moneda.*

ARGVMENTVM] Burg. Tit. 54. §. 2. *Argumentum*, id eſt inſtrumentum vel machina. Martyrolog. Ms. in vita Euſemiæ. *Priſcus iratus quod à muliere vinceretur, iuſſit argumentum ſtare rotarum.* Ibid. *Cum adducerentur lapides ab argumentis, - trahentes argumentis lapides.* Aimoi. lib. 2. p. 57. *Argumentis, per qua naves poſſunt capi.* Liutprand. cap. 6. pag. 32. *Argumentum non ſolum in prora, quo ignis proijcitur, verum etiam in puppi inſuper in utriſq; lateribus ponit.* Gregor. PP. lib. 5. Epiſt. 31. *quolibet ingenio vel argumento.* Landulp. Sag. lib. 17. *argumentoſo ingenio.* Guil. Neubrig. lib. 1. cap. 14. *apes argumentoſa.* Vnde Itali. *percuotere col piatello, o con altro argomento.*

ARIMANVS] Long. 1. Tit. 18. l. 2. Tit. 25. l. 50. Lib. 3. Tit. 12. l. 5. Tit. 13. l. 3. ARIMANNA. Long. 2. Tit. 35. l. 10. *Arimania.* Form. 47. In duplomate Chonradi Imp. apud Sigonium de Regno Italiæ lib. 8. p. 198. *villas, manſos, ſervos & ancillas, erimanos & erimanas.*

ARIPENNIS] Wiſ. 8. Tit. 4. l. 25. Wiſ. 10. Tit. 1. l. 14. Form. 131. 147. *Arpentum.* Boior. Tit. 1. cap. 14. §. 2. *Arpennum.* Form. 79. *Arapennis* Iſidor. Orig. lib. 15. c. 15. Auctor. de limit. agror. p. 229. *Actus quadratus undiq; finitur pedibus CXX. hunc Bætici arapennem dicunt, ab arando ſcilicet.* Greg. Turon. Hiſt. lib. 1. cap. 6. *aripennes quinq;.* Idem lib. 5. cap. 27. *unam amphoram vini per aripennem.* Regino Abb. lib. 1. p. 7. *unusquisq; poſſeſſor de propria terra de uno arpenne unam amphoram vini ad partem Regis daret.* Infr. *Arpentum.*

ARISTATO] Sal. Tit. 17. §. 4. Tit. 57. §. 3. *Ariſtato, id eſt ſtaplus.* Gloſſ. *Staplum ſuper tumulum miſſum.* ut Tit. 57. inf. Palla tegebant tumulum. Greg. Turon. De mirac. S. Mart. cap. 54. *De palla quæ ſanctum tegit tumulum.* & Miracular. lib. 1. *Pallam holoſericam auroq; exornatam ex gemmis, quæ ſanctum tegebat ſepulchrum, temerario auſu deripuit, ſecumq; ſuſtulit.* Et de glor. confeſs. *Palla erat lignea, quæ ſanctum confeſſoris tegebat ſepulchrum.* Nobilibus ſuperponebant tapetem. In veteri chartulario. *In redemptionem unius tapetis, quod patri mortuo ſuperpoſitum eſt, ut eſt conſuetudo nobilium.* Vid. quæ ad Ammia. notata.

ARMA] Cap. 3. Tit. 22. Lib. 6. Tit. 90. Can. 17. Syn. Mogunt. *Laicis vero qui apud nos ſunt, arma portare non praiudicemus; quia antiquus mos eſt, & ad nos uſque pervenit.* Can. 8. Synod. Salagunſt. *Decretum eſt etiam, ut nemo gladium in Eccleſia portet, regali tantum excepto.*

ARMA AD SACRANDVM DARE] Boior. Tit. 16. cap. 5. Per quæ poſtea ſacramenta iurare vellent.

IN ARMA SVA SACRAMENTA IVRARE] Alm. 89. *coniurare cum dextera armata.* Rip. Tit. 33. §. 1. *Armata manu iurare.* Sax. Tit. 1. §. 8. *Ad arma ſacrata iurare.* Long. 2. Tit. 55. l. 5. 10. Form. 119. *adprehenſa manu iudicis, vel armis, ſicut mos eſt apud omnes, XII. manu ipſe XIII. dextratus vel coniuratus dixit, &c.* Aimoin. lib. 4. cap. 26. *Hoc pactum ſacramento quidem ſuper arma (ut eis mos erat iurantibus) firmatum.* M. Adamus Brem. cap. 30. *Cæſari miſerunt gladium videlicet capulo tenus aureum, & alia multa, pacem firmam ritu gentis per arma iuraverunt.* Annal. veteres editore Pet. Pithæo. *An. DCCCLXXIII. iurabant iuxta ritum gentis ſuæ per arma ſua, quod nullus deinceps de regno dominorum ſuorum, regnum Regis inquietare, aut alicui in illo laſionem inferre deberet.* Inf. iurare.

ARMIS SE DEFENSARE] Rip. Tit. 32. §. 4.

ARMA RELINQVAT, SI QVIS CLERICVM OCCIDERIT] Cap. 3. Tit. 22. Cap. 6. Tit. 90. 97. Pœnitent. Rom. cap. 2. & 34. ex Concil. Wormac. can. 26. *Si ſacerdotem voluntarie occidiſti, carnem non manduces, vinum non bibas cunctis diebus vitæ tuæ, ieiunes quotidie uſq; ad veſperam, exceptis diebus feſtis & Dominicis. Arma non feras, equum non aſcendas, Eccleſiam per quinquennium non ingrediaris, ſed ante*

ante fores Ecclesiæ stes, &c. Sic Ludovicus Imp. *depositis armis manu propria, & ad crepidinem altaris proiectis, suscepit mente compuncta pœnitentiam publicam.* Agobard. Episc. p.380. Et apud Ivonem Epist.160. *Militi qui monacho virilia ademerat, arma detracta, & annorum XIIII. pœnitentia indicta.* Vid. Burchard. Decret. lib. 6. cap. 8. Ivo Decret. lib. 10. cap. 137.

ARMORVM ET EQVORVM PRIVATIONE MILITES PVNIRE] Neap. 3. Tit. 33. l. 4. Pœna hæc in militia Romana usitatissima, ut iam à Tacticis commentatorib. annotatum. Sed & Lydis victis Cyrus *partim pœna loco, partim etiam ne iterum rebellarent, arma & equi adempti, iussiq; cauponas & ludicras artes & lenocinia exercere.* Trogus Iustin. lib. 1. p. 8.

ARMA ET EQVOS SVIS SENIORIBVS DARE] Long. 3. Tit. 8. l. 4. Feud. lib. 2. Tit. 12. Vid. Fr. Hotoman. Comment. Feudalium lib. 3. in Constit. Conradi Imp. pag. 589.

ARMERII] Neap. 3. Tit. 36. *Armorum factores.* Cassiodorus Var. 7. Formul. 18. 19.

ARMISCARA] Cap. 5. Tit. 43. Add. Lud. 4. Tit. 71.

ARMVM DEXTRVM TOLLERE] Long. 1. Tit. 21. l. 4.

ARPENTVM] Boior. Tit. 1. cap. 14. §. 2. *Arpennum.* Form. 79. Gall. *Harpent.* supr. *Aripennis.*

ARRA NVPTIALIS] Wis. 3. Tit. 1. l. 3. Petrus Chrys. Serm. 140. p. 355.

ARRESTARE] Long. 3. Tit. 1. §. 78.

ARRIBANNVS] Form. 10. *de omnibus bannis seu & arribannis sit conservatus.* Gall. *Arriereban. Census qui domini ærario ob causam belli refertur.* ut etiam recte Cuiacius interpretatur, de Feudis lib. 1. p. 45. infr. *Heribannum.*

ARRIGARE SECVNDVM LEGEM] Long. 3. Tit. 4. L. 1. Gloss. in infirmitate res suas ordinare.

ASCVS] Sal. Tit. 23. §. 3. 4. *Navem vel ascum de intra clavem.* Item. *In suspenso ascum ponere.*

ASSIS DE SEPE ASSIATA] Long. 1. Tit. 25. L. 30.

ASSISIÆ] Neap. 1. Tit. 41. 63. Lib. 2. Tit. 7. Lib. 3. Tit. 36. l. 5. *Assisiæ rerum venalium.* Neap. 1. Tit. 57. l. 1.

ASTALIVS] Long. 1. Tit. 1. L. 6. *Collegam suum dimiserit, aut astalium fecerit, id est si eum deceperit.* Cuiacius ab *asto* deducit, Feud. lib. 1. p. 50.

ASTO ANIMO] Long. 1. Tit. 9. L. 13. *asto animo, id est voluntarie.* Tit. 16. L. 7. *asto animo & iniquo.* Tit. 19. l. 1. Tit. 23. l. 7. Tit. 24. l. 4. Tit. 25. l. 44. Long. 2. Tit. 21. l. 4. *per errorem, non asto animo.* Tit. 55. l. 12. *Asto animo*, id est subdolo atque versuto. Plautus in Pœnulo.

Mea soror ita stupida est, sine animo asto.

Accius apud Nonium.

Nisi ut asta ingenium lingua laudem.

ÆTAS LEGITIMA SIT LONGOBARDO HOMINI ANNO NONO DECIMO] Long. 2. Tit. 29. l. 1. *Infans ante X. & VIII. annos, quos nos instituimus ut sit legitima ætas.* Ibid. L. 6. Iure Saxonico communiter anni XXI. requiruntur. Spec. Sax. Lib. 1. Artic. XLII. Sed Imp. Constantinus, & post eum Leo constituerunt, ut si quis eximia honestate morum præditus sit, plenam rerum suarum administrationem habeat, cum vicesimi anni metas impleverit; masculus puta, fœmina autem si decimi octavi. L. 2. C. De his qui veniam. Leo Novel. 27. Id vero ius ad omnes peræque Liutprandi Regis ordinatione translatum est, constitutumque ut XVIII. annum quisquis excesserit, legitimæ ætatis homo reputetur: quod etiam Imp. Fridericus postea voluit, Leg. Sicul. lib. 2. Tit. 39. & Carolus IIII. Imp. aureâ sua Bulla in legitima Principum Electorum ætate confirmavit.

ATHARGRATI] Boior. Tit. 3. cap. 1. §. 4. *Si in eo venam percusserit, ut sine igne sanguinem stagnare non possit, quod Athargrati dicunt.* Germ. Ader vena.

ATRIVM ECCLESIÆ] Long. 1. Tit. 9. L. 30. 34. Long. 2. Tit. 55. L. 26. Cap. 4. Tit. 13. 28. Cap. 5. Tit. 91. Pœnitent. Rom. Tit. 7. c. 25. *in atrium Ecclesiæ ubi sepulta sunt corpora fidelium.* Leo Marsican. lib. 3. c. 26. *atrium ante Ecclesiam, quod nos Romana consuetudine paradisum dicimus.* Vid. quæ ad Paul. Warnefr. Histor. Long. notavi.

AVCA] Alm. 99. Form. 35. Gloss. veteres. *Auca* χῆνος. Item. χλω *auca, anser. Ceriola, auca*. Gloss. Latino-Anglo-Sax. *Auca* Gos. Galli Narbonenses retinent vocem, atque in eadem significatione *una auca* dicunt, Itali *Occa*. Gloss. Latino-Theotisc. *Occa*, Guohun. Pœnitent. Rom. Tit. 7. cap. 22. Burchard. lib. 19. p. 278. *Pullos aucarum, pavonum, pullos gallinarum*. Charta Fuldens. lib. 2. n. 245. *Auca XVIII. pluvilli II. capones II*. Specul. Saxon. lib. 2. Artic. 40. 47. 48. 58. Lib. 3. Art. 51. *aneta & auca*. Inde ὑπονοεσίσιον. *Aucella*. apud Apul. Mil. 9. *O bona aucella & satis fœcunda, quæ multo iam tempore quotidianis nos partubus saginasti*. Gloss. *Aucellus* σρεθίον. Στρεθία enim πάντα τὰ μικρὰ τῶν ὀρνίθων Græci vocabant. Moschop. περὶ σχεδ. Inde etiam *Vccello* Italorum.

AVCTOR] Wis. 2. Tit. 2. l. 1. *venditor rei*. Hispan. *de quien tiene la cosa. Auctor proauctorq;*. Edict. Theod. Cap. 12. Form. 171. L. 3. C. de peric. & comm. rei vend. L. 3. 7. 8. 10. &c. C. de evictionib. *Auctrix*. L. 16. C. eod.

AVCTORES ECCLESIARVM] Form. 16. Alibi hi ipsi *Actores* vocantur.

AVCTORITAS] Cap. 1. Tit. 88. Videnda quæ ex Synod. Rhemensi & Tolet. referunt Burchard. lib. 2. collectarii Canonum, & Ivo Decret. part. 6.

AVDIENTIA] Wis. 2. Tit. 2. l. 2. Burg. Tit. 19. §. 1. *Audientia Principis*. Wis. 2. Tit. 1. L. 23. *Audientia causarum*. L. 14. C. de iudiciis. L. 3. C. ubi & apud quem. L. 40. C. de reb. credit. *Audientiam mandare*. L. 3. C. Vbi Senator. *Audientiam præbere*. L. 12. C. ad Leg. Fab. de plag. *Auditorium*. L. 22. ff. ad Senat. Treb. L. 4. C. de causa liber. L. 37. C. de appell. *Auditores*. L. 6. ff. de dote leg. L. 12. ff. de instr. & instrum. *Auditor vice sacra*. L. 3. C. ubi Senat. vel clariss.

AVES DOMESTICANTVR] Boior. Tit. 20. cap. 1. § 6.

AVES SALVATICÆ] Boior. Tit. 20. § 6. Ital. *Vccelli salvatici*. Gall. *Oyseaux sauvages*.

AVGVSTALES] Genus nummi. Neap. 1. Tit. 22. 28. 31. 41. 63. Tit. 89. l. 4. Tit. 95. l. 6. Tit. 100. Lib. 2. Tit. 3. 13. 15. 16. Lib. 3. Tit. 35.

AVGVSTORVM STATVTA CONTRA RAPTORES VIRGINVM VEL VIDVARVM] Neap. 1. Tit. 21. Vid. Cod. Theod. Lib. 9. Tit. 24. Cod. Iustin. Lib. 9. Tit. 13. Novell. Iustin. 143. 150. Leonis 35. Harmenop. lib. 6. Tit. 7. Basilicor. lib. 60. Tit. 58. Photij PP. Nomocan. lib. 9. cap. 30. Lib. 13. cap. 8.

AVIATICVM] Long. 3. Tit. 8. l. 4. *Aviatica hæreditas*. Rip. Tit. 56. *Aviaticæ res*. Decret. Child. Reg. §. 1. Feud. Lib. 1. Tit. 1. §. 2. & ibid. Comm. Fr. Hotom.

AVORSVS] Wis. 6. Tit. 3. L. 1. *Aversum pati*. Ibid. L. 4. *Avertare*. Wis. 8. Tit. 4. L. 6. *Avorsum facere*. Boior. Tit. 7. §. 18. &c. Pœnitent. Rom. Tit. 1. cap. 53. p. 15. *Si qua mulier aborsum fecerit voluntarie, tres annos pœniteat*. Sed illud facinus iure civili, capitali pœna punitum fuisse, ex Cicerone Tryphonius refert, L. 39. ff. de pœnis. Canon 92. in Trullo, pag. 107. τὰς τὰ ἀμβλωθρίδια διδούσας φάρμακα, καὶ τὰς δεχομένας τὰ ἐμβρυόκτονα δηλητήρια, τῷ τοῦ φονέως ἐπιτιμίῳ ὑποβάλλεσθαι. Photius Nomocan. καὶ Διγ. λη΄. τοῦ αὐτοῦ τ. (ιθ) ὅτι ὁ πόμα δεδωκὼς πρὸς φίλτρον, ἢ ἀμβλωθρίδιον, εἰ ἀπλῶς μὲν ὤν, μεταλλίξεται, ἐντιμ☉ δὲ ἐξορίζεται, μετὰ μερικῆς δημεύσεως. ἐσχάτη δὲ τιμωρία ἐπάγεται ἐὰν τις ἀπέθανεν ἐκ τούτου, ταῦτα κἂν χωρὶς δόλου.

AVVRSA] Boior. Tit. 13. cap. 4. *Dicit ad reum, qui animal compellebat ad mortem: Recipe animal quod læsisti, quod nos avursam vocamus*.

PER AVREM TESTIS TRACTVS] Boior. Tit. 15. cap. 2. Tit. 16. cap. 2. §. 1. cap. 3. c. 5. Rip. Tit. 60. §. 1. *Alapas dare & aurem torquere in testimonium*. Alman. Tit. 94. *Testes tracti*. Adhibebant nimirum veteres actibus suis certas observationes, velut symbola quædam. In manumissionibus rapismata erant usitata, in testamentis æs & libra, in vindiciis manuum consertio; moribusq; nunc nostris recepta in emptionibus venditionibusq; manus datio sive percussio. Tale ergo & illud est, quod in attestationibus testibus aurem adtrectarent; idcirco nimirum, ut rei, cuius gratia testes adhibebantur, meminisse vellent. Quemadmodum enim secundum physicos, singulæ corporis humani

humani partes singulis Diis consecratæ sunt: supercilia videlicet Iunoni, frons Genio, digiti Minervæ, genua Misericordiæ; sic dextera Fidei, & Memoriæ auris. Festus Pomp. & Varro de LL. lib. 4. p. 19. Servius in Virgil. Eclog. 6. Fulgent. Mythol. in Peleo. Trismegist. in Hiatromath. Plin. lib. 11. cap. 45. *Est in aure ima memoriæ laus, quam tangentes attestamur.* Meminere huius ritus atq; attestationis alii veterum complures. Clem. Alexan. Stromat. lib. 5. τὰ διὰ δικαιοσύνην ἐκεῖνα, ζυγὰ καὶ ἀστάθεια, καρπωσμοί τε καὶ αἱ τῶν ὤτων ἐπιψαύσεις. Plautus Persa.

Nonne attestaris?

Tuane ego causa carnifex cuiquam
mortali libero aures alteram.

Virgil. Eclog. 6.

Cinthius aurem vellit.

Et in Copa.

Mors aurem vellens, vivite, ait, venio.

Horatius Lib. 1. Satyr. 9. *- magna Exclamat voce, & licet antestari? ego vero Oppono auriculam.* Ad quem locum Acron & Porphyrius ex XII. Tab. verba quædam huc pertinentia adducunt. Ad nostros autem mores propriæ faciunt, quæ in Chronico Reichersp. leguntur. Privileg. Ann. MCLII. de concambio. *Huius rei testes sunt per aurem adtracti, ex nobilibus Chadolt, &c. ex ministeralibus Ruodigerus.* Aliud Privileg. in eodem Chronic. Ann. MCLIII. p. 193. *Testes quoq; iam dictæ donationis per aurem adtracti sunt hi: Henricus Dux Saxoniæ, &c.* Item p. 212. *Nemine contradicente ab ipso Duce ac præposito per aurem adtracti sunt plurimi testes.*

AVRES FINDERE] Fris. Add. Tit. 12. Gregor. Turon. lib. 5. cap. 48. *Auris incisione mulctari.* Idem lib. 9. c. 38. *capillos & aures incidere.*

AVRVM VALENS] Alm. Tit. 8. Sic *Tremissis valens*. in Chartis veteribus Alman. Gold. n. 12.

AVRIFEX LECTVS] Burg. Tit. 10. Respons. Papiani Tit. 3.

AVSTRIA] Long. 1. Tit. 25. l. 73. Long. 2. Tit. 21. L. 24. Tit. 55. L. 14. *Austria, Francia Orientalis.* Aimoin. lib. 4. cap. 57. *Austrasiam, quæ nunc Alemannia dicitur.*

AVTHENTICA] Wis. 4. Tit. 5. L. 6. *Authentica instrumenta.* Neap. 1. Tit. 96. L. 5. Lib. 2. Tit. 36. Lib. 3. Tit. 8. *Authentici libri.* Neap. 3. Tit. 34. L. 3. Collat. Carthag. p. 81. *cardinalis atque authenticus.* Gloss. *Authenticus, auctoritate plenus.*

AVTVMNOS SINGVLOS] Boior. Tit. 7. cap. 19. §. 4. *per singulos annos, id est autumnos singulos.* Gloss. Latino-Theotiscum vetustiss. *Autumnus* Herbeste. in LL. Alfredi Reg. Anglo-Sax. cap. 39. *Gehol, Eastron, Hærfeste; Natalis Christi, Pascha, autumnus.* Iam ergo Germani quoque nostri, quid autumnus esset, sciebant: Taciti enim tempore id ignorabant. Sic ille in libro de morib. Germ. *Annum quoq; ipsum non in totidem digerunt species. Hyems & ver & æstas intellectum ac vocabula habent: autumni perinde nomen ac bona ignorantur.* Ceterum & illud notatu dignum, Baioarios annos suos per autumnos numerasse: Anglo Saxones per hyemes. unde in LL. Canuti Reg. cap. 19. Ofer XII. Wintra. *post duodecim Hyemes.* Sic veteres illos agricolas Romanos permesses. Servius Eclog. 1. *post aliquot aristas. Quasi rusticus per aristas numerat annos*, id est per æstates.

B.

BAINBERGÆ] Rip. Tit. 36. §. 11. Glossar. Latino-Theotisc. *Ocrea, arma crurum* Benbergæ. Sunt ergo quas Græci περικνημῖδας vocant. Eadem origine & *Halsberga* apud scriptores Rer. Germanicar. id est thoraces ferrei, qui collum muniunt defenduntque. Gloss. Latino-Theotisc. *Collicium* Halsberga. Heldenbuch.

Schilt vnd Swert mit eren,
Helm, Halsberg, si de nam.

Vocem etiam nunc Itali retinent.

BAIVLVS] Neap. 1. Tit. 8. L. 1. Tit. 16. Tit. 17. 31. 36. 41. 47. Tit. 52. L. 3. Tit. 56. 57. Gall. *Bailly. Baiulus gabellatus.* Neap. 1. Tit. 57. L. 1. *Baiuli dominorum.* Neap. 3. Tit. 10. Lupus Abb. Epist. 64. ad Carolum Reg. *Non admittentur ergo à vobis monitores, quos baiulos vulgus appellat, ne gloriam vestram inter se ipsi partiantur, & meliorem amorem alienent à vobis.* Vid. Pet. Pithœi lib. 1. de Comptes. *Baiulatio.* Neap. 1. Tit. 56. 59. 64. Gall. *Bailliage. Baiulatio extaltum.* Neap. 1. Tit. 61.

BALATIONES] Cap. 6. Tit. 193. Can. 62. Syn. 6. in Trull. Can. 80. Syn. Brach. p. 194. & Syn. Rom. sub Lothar. & Ludov. cap. 35. *Vt sacerdotes admoneant viros & mulieres, qui festis diebus ad Ecclesiam conveniunt, ne balando, & turpia verba decantando, choros teneant & ducant.* Ivo Decret. part. 12. cap. 64. Pœnitent. Rom. Tit. 7. de variis crimin. Gallicè *Ballèz.* Apud Vopiscum *Ballistea.* Gloss. βαλλίζω *ballo.* Meminit & Athenæus τοῦ βαλλισμοῦ.

BALISTA] Wis. 8. Tit. 4. L. 23. Gloss. *Ballista* καταβάλλω. *Ballistra* σφενδόνη, μάγγανον πολεμικόν. Item. βαλλίστρα *Tormentum murale.* Ital. *Balestra.*

BALIVS] Neap. 2. Tit. 7. Neap. 3. Tit. 27. *educator vel tutor.* Ital. *Balio.* Gall. consuetud. *Baillistre, gardien. tutor.* Frider. Imp. 2. ad Regem & Barones Galliæ ait se infantem adhuc à matre dimissum, *sub ballio & tutela Innocentij PP. III.* BALIVM. Neap. 3. Tit. 23. Tit. 27. id est tutela. unde Ital. *Balia, podestà.* Gall. *Bail, ou baillie.*

BALNEARIVM] Boior. Tit. 9. cap. 3. §. 2. Vt ταμεῖον *cellarium*, sic βαλανεῖον *balnearium.*

BANNVS] Fris. Tit. 17. cap. 4. Tit. 14. Add. Lud. 4. Tit. 28. Neap. 1. Tit. 62. Lib. 2. Tit. 1. *De omnibus Bannis & arribannis sit conservatus.* Form. 10. Gall. *Du ban & arriereban.*

BANNVS DOMINICVS] Cap. L. Sal. cap. 2. §. 2. Long. 1. Tit. 9. l. 29. 31. Tit. 12. L. 3. Tit. 14. L. 9. 11. Tit. 21. L. 7. Tit. 27. L. 10. 12. Long. 2. Tit. 19. Tit. 30. Long. 3. Tit. 4. L. 5. Cap. 3. Tit. 4. 63. 89. Cap. 4. Tit. 1. 7. 22. 31. 32. Privil. Reichersp. p. 200. *Nullus eiusdem loci sit advocatus, nisi principalis ipsius Metropolis Salzburgensis advocatus, qui videlicet de beneficio principalis advocatiæ sibi collato cœnobium sine omni gravamine defendat, contentus nimirum iustitia bannorum, quorum duo in usum prapositi & fratrum, tertium in usum ipsius advocati cedat.* Specul. Sax. lib. 2. Artic. 61. BANNVS REGIVS, *id est, mulcta, quæ est LX. solidorum.* Cap. 7. Tit. 335. *Bannum nostrum, id est LX. solid.* Long. 2. Tit. 6. L. 3. Long. 3. Tit. 25.

BANNVS RECISVS] Add. Lud. 4. Tit. 81. Form. 166.

BANNVM ADIMPLERE] Rip. Tit. 65. *Bannum componere.* Long. 1. Tit. 19. L. 27. Long. 2. Tit. 42. L. 3. *Bannum exigere.* Cap. 4. Tit. 72. *Bannum solvere.* Sax. Tit. 2. §. 9. *Bannum Regis solvere.* Long. 1. Tit. 30. L. 13. Long. 3. Tit. 9. L. 7. Add. Lud. 4. Tit. 71. *Bannum Dominicum solvere.* Long. 1. Tit. 37. L. 2. Cap. 3. Tit. 60. 64. Cap. 4. Tit. 31. 32. Cap. 6. Tit. 96. 97. 98. 114. *Bannum wadiare.* Long. 3. Tit. 1. L. 43.

BANNIRE] Sal. Decret. Child. cap. 8. Cap. L. Sal. 1. §. 17. Long. 2. Tit. 52. L. 22. *Bannire & locis congruis congregare.* Formul. 39. BANNIRI. Long. 2. Tit. 43. L. 4. Cap. 3. Tit. 40. 67. Cap. 4. Tit. 25. *Banniri in hoste.* Rip. Tit. 65. Tit. 67. §. 2. Long. 1. Tit. 14. L. 13. *Banniri ad placitum.* Long. 2. Tit. 42. L. 2. BANNITVS. Neap. 2. Tit. 1. Fredegarius Scholasticus sive continuator Gregor. Turon. *Exercitum in auxilium Sisenandi, totum regnum Burgundiæ bannire præcepit.*

SVPER BANNVM DOMINICVM ANNONAM RAPERE] Cap. 3. Tit. 66. Abbo. *Quod si is locus interdicto vestro, & ut sollenniter dicamus vestro banno iure teneatur adstrictus.* infr. *Messem.*

IN BANNVM PROPRIETAS SIVE POSSESSIO MISSA] Cap. 3. Tit. 45. Cap. 4. Tit. 24. Hincmarus Karolo Regi. *Quidquid de rebus & facultatibus Ecclesiasticis sibi in Episcopali ordinatione munere Spiritus sancti ad gubernandum & dispensandum commissis acceperat, iussione vestra per Vicecomitem illius pagi, in bannum, quod in lingua Latina proscriptio confiscando vocatur, est missum.*

BATIZENTVR DE QVIBVS DVBIVM EST VTRVM BAPTIZATI] Cap. 6. Tit. 181. Cap. 7. Tit. 312. In Epistola Gregorii PP. ad Bonifacium Mogunt. *Baptizentur à paganis.* Vid. Epist. Zachariæ PP. in vita eiusdem Bonifacii.

PER BARBAM AVT CAPILLOS TRAHERE] Long. 6. §. 4. Feudor. lib. 2. Tit. 27.

BARBANVS] Long. 1. Tit. 10. l. 1. *in morte fratris sui aut barbani, quod est patruus.* Tit. 30. *Barbanus in cuius mundio fuit.* Long. 2. Tit. 14. L. 26. *Barbanus quod est patruus.* Long. 2. Tit. 55. L. 1. Andreas Presb. in abreviatione Historiæ Long.

Tunc

Tunc Karloman Germanus eius obviam veniens Karolo Regi barbano suo, ad fluvium qui dicitur Brenta, pacificis verbis se ad invicem salutaverunt. Lombardis *Barbo*, est il *Zio*.

BARBARI ROMANIQ.] Edict. Theod. Præf.

BARBARI REIP. MILITANTES] Edict. Theod. cap. 32.

BARGVM] Sal. 69. Gloss. *de bargo, de ramo.* ut in §. 3. Tacitus de moribus German. *Proditores & transfugas arboribus suspendunt.*

BARMBRACCVS] Tit. 4. §. 3. 6. *Bracconem parvum, quem barmbraccum vocant.* Bracco canis, ut infr. *Barm* parvum significasse hinc discimus. Remansit vox in composito Barmhertzig μικρόψυχος, quamvis nunc *misericordem* sic interpretemur.

BARVS] Sal. Tit. 33. Alm. Tit. 76. 95. Rip. Tit. 58. §. 12. *tam baro, quam fæmina.* Long. 1. Tit. 9. L. 3. Tit. 12. L. 1. Glossar. *Baro*, ἀνήρ. Isidor. Orig. lib. 9. cap. 4. *Mercenarij sunt, qui serviunt accepta mercede; ijdem & barones*, &c. Gloss. Latino-Gall. *Ber, baro & vir*: quo significatu Galli Aremorici adhuc usurpant. Cæsarius in vita Engelberti Archiepisc. Coloniens. *Ex Teutonico enim Latinoq; compositus Engelbertus vocatur.* Hrabanus Maurus de institutione clericorum, lib. 1. cap. 3. *Horum* (Romanor.) *barones hostes exercitus superatos sub corona vendere solebant.* Inde *Barones*, homines Regis, sive qui hominium regi debent.

BARONIA] Neap. 1. Tit. 39. 41. Lib. 3. Tit. 4. *Baronia de castro nomen habet.* Tit. 14.

BASSI] Alm. 36. 79. §. 3. *Dominus eius XII. bassos intra domum habeat.* Long. 2. Tit. 39. L. 3. Glossæ vett. *Bassus, custos populi.* Infr. *Vassus.*

BASTONICVM] Cap. 6. Tit. 96. *Arctissima custodia.*

BATALARE ARMA SVA] Boior. Tit. 2. cap. 10. Tit. 3. cap. 1. §. 14. Specul. Sax. *Cum gladio & clypeo suum dextrarium ascendere. BATALARE*, est percutere, inde *BATALIA*. Burg. add. 1. Tit. 5. §. 2. Helmold. Chronic. Slavor. lib. 1. cap. 93. *suscitare batalias.* Ital. *la batalia.*

BATTERE] Long. 1. Tit. 6. L. 1. Tit. 18. L. 24. Tit. 8. L. 30. 31. Tit. 9. L. 16. 26. Tit. 16. L. 4. Tit. 25. L. 47. Long. 2. Tit. 8. L. 4. *Battere linum.* Cap. 1. Tit. 81. *Battutus.* Alm. 98. §. 2. *Battudo.* Form. 119. *Battitura.* Long. 1. Tit. 8. L. 31. Glossar. *Battutum* πληγῆσι. *Battuit* καταικόπη. Κοπανιστήριον *Battuarium.* κόπανον *bactulum.* Marcell. Empir. cap. 36. *tam diu batues, donec sit subactissimum.* In admonitione Karoli Pistis. *Et de manopere in scuria battere noluit.* Vox Gallis & Italis usitata.

BAVGA] Cap. 4. Add. 2. §. 5. *Armilla.* Cap. 6. Tit. 212. Gloss. Latino Anglo-Saxon. *Armilla* beah. Papias. *Bauca, armilla.* Gloss. Latino-Theotisc. *Dextralia, lata armilla*, bougin. *Arcus* Bogen.

BENDICTIO ANTE MENSAM] Ad. Lud. 4. Tit. 45. Benedictio hæc etiã paganis usitata fuit. Quintil. declam. 301. *Invitavi ad cœnam: quæ hic circumscriptio est? pauper divitem. Venisti, ago gratias, habuisti honorem, & illud humile limen intrasti, & adisti mensam, ad quam cum venire cœpimus Deos invocamus.* Sed istius quæ inter Christianos recepta, meminit Iohan. Chrysost. Homil. de precatione p. 845. διόπερ χρὴ καὶ τῆς κλίνης ἀπανισταμένους φθάνειν ἀπὸ τὸν ἥλιον τῇ τοῦ θεοῦ λατρεία, καὶ τραπέζης ἁπτομένους, καὶ καθεύδειν μέλλοντας. *Quamobrem & cum lectulo surgimus, antevertere oportet solem Dei cultu, & cum mensæ accumbimus, & cum dormituri sumus.* Hæc devotio quamvis ad nostra secula perduravit, Leonis tamen PP. VII temporibus quæstio mota, an Dominica Orationis in benedictione ciborum debeat recitari. *Quod fieri non oportere* (rescribsit ille quem dixi PP. esse.) *quia in sanctificatione corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi hanc solummodo orationem sancti Apostoli decantabant: & in Euangelio legitur, quia post Cœnam à Domino factam Hymno dicto exierunt in montem Olivarum.* Exclamare libet, Quo vobis mentes! & reliq. Vid. Duplomata in calce Chronic. Reichersp. edita, p. 11.

BENEFICIVM] Cap. 1. Tit. 163. Cap. 4. Tit. 69. 74. In vita S. Gothardi Episcopi Hildesemensis. *Institutum monasticum præclare illic profecit, usq; ad dissensionem, quæ extitit inter Ludovicum Caroli*

Magni filium, & liberos eius. Ea enim tempestate complures spoliabantur Ecclesiæ, monasteria vastabantur, atq; in his etiam Altahense, cuius possessiones fideles ei collatæ militantibus, pro voluntate eorum, qui sic debacchabantur, beneficij, imo vero maleficij nomine, adtribuebantur.

BENEFICIVM HABERE] Long. 3. Tit. 8. L. 1. 3. *Beneficium Ecclesiasticum habere.* Long. 2. Tit. 44. L. 2. Cap. 5. Tit. 92. *in Beneficium habere res Ecclesiarum.* Cap. 5. Tit. 146. *Beneficia regalia tam de rebus Ecclesiasticis, quam & de reliquis habere.* Cap. 1. Tit. 132. Cap. 3. Tit. 19. 20. *Beneficium Principis habere.* Cap. 3. Tit. 71. Lehngudt besitten. *Beneficium perdere.* Cap. 5. Tit. 145. *Beneficium hominis, qui res proprias non habet.* Long. 2. Tit. 43. Tit. 44. *Beneficium in aliena patria.* Long. 1. Tit. 41. L. 7. Helmold. Chron. Slavor. lib. 1. cap. 78. *Trecentos mansos resignavit Duci, dandos in dotem Episcopij. Porro decimas terræ recognovit Episcopo, quarum tamen medietatem recepit in beneficio, & factus est homo Episcopi.*

BENEFICIARIVS SERVVS] Long. 1. Tit. 9. L. 30. 34. Gloss. *Beneficiarius servus, id est imperatorius servus.*

BENEFICIARIVM IVS.] Cap. Kar. Reg. Tit. 6. In duplomate Karoli. Calvi Imp. Kal. Octob. Ind. VIII. in pago Andegavensi apud Flodoard. lib. 3. Histor. Rhem. cap. 4. *Proinde noverit omnium fidelium Dei ac nostrorum solertia, quia res ex Episcopatu Rhemensi, quas magna necessitate & per omnia inviti, dum à pastore sancta sedes illa vacaret, fidelibus nostris ad tempus, unde quoddam temporale solatium in nostro haberent servitio, commendavimus, electo & ordinato munere sancti Spiritus, per Dei & nostram dispositionem in eadem sancta sede Hincmaro Archiepiscopo hoc nostræ auctoritatis pracepto cum integritate, quidquid exinde nos fidelibus nostris beneficiavimus, præsentaliter restituimus.* Ibidem. *Quidquid ex eodem Episcopatu, quando de manu Fulconis illud recepimus, alicui præstito beneficio concessimus.*

BENEFACTORES] Long. 2. Tit. 34. L. 9. *manumissores.*

BERBIX] Wis. 7. Tit. 2. L. 11. Wis. 8. Tit. 4 L. 20. Burg. Tit. 38. §. 3. Tit. 70. §. 3. Sal. Tit. 4. §. 2. 3. 4. Alm. 98. Glossar. *Berbix, aries.* *Berbix* πρόβατον. Item. πρόβατον, ἀρνιον. *Verbella, Ovis, Verbix.* Licinius Ruff. Coll. LL. Mosaic. & Rom. Tit. de abigeat. Paul. Warnefr. de Longob.

BEVDVM] Sal. Tit. 48. *in beudo pultes manducare.* ab *beodo.* Gall. *à sa table.* Vetus Glossar. Latino-Anglo-Saxon. *Mensa* beod. *Refectorium* Beoddern.

BIBARHVNT] Boior. Tit. 19. cap. 1. §. 4. *canis qui sub terra venatur,* ad veriverbium vocis rectius esset, *Canis qui castores prehendit.* *Biber* enim Germanis est perinde ut Latinis *Castor.* Plin. lib. 32. cap. 3. *Bibris, quos Castores vocant.* Schol. Iuven. Satyr. 12. *Castorem bebrum dicit.* Dithmarns Chron. lib. 6. pag. 65. *Bober dicitur Slavonice, Latine castor.*

BIBERE ET MANDVCARE SVPER MORTVORVM TVMVLIS] Cap. 6. Tit. 194. Burchard. Decret. lib. 10. cap. 38. ex Concil. Braccar. cap. 70.

BIDVANÆ] Cap. 5. Tit. 136. Hrabanus Maur. de institut. cler. lib. 2. cap. 26. *De origine biduanæ sive triduanæ. Biduanum morem ieiunij reor inde sumptum, quod Apostoli ieiunaverunt illo biduo, quo Dominus passus ac sepultus est.*

BIS SIMPLVM] Fris. Tit. 1.

BLASPHEMARE] Cap. L. Sal. cap. 3. §. 5. Long. 2. Tit. 52. L. 23. Cap. 3. Tit. 7. Von einem vrtheil schelten. Gall. *Blasmer de faux iugement.*

BLVTARE CASAM] Long. 1. Tit. 18. L. 1. Glossar. *Blutaverit, evacuaverit.* Item. *Blutare, expoliare.* German. Bloten.

BOMBACINA PAPYRVS] Neap. Tit. 3. L. 36. De usu papyri ad cereos vel candelas faciendas etiam apud Gregor. Turonens. habemus, Lib. 2. de miracul. Servius eius etiam meminit Æneid. lib. 1. p. 219. ad illum versum.

— noctem flammis funalia vincunt.

FVNALIA, quæ sunt intra ceram, dicta à funibus, quos ante usum papyri cera circumdatos habuere maiores.

Antipater Epigram. lib. 6.

Λαμπάδα κηροχίτωνα κρόνε τυφήρεα λύχνον.
Σχοίνω καὶ λεπτῇ σφιγγόμενον παπύρῳ.

Pontius Paulin. in natali Felicis 1. p. 41.

Limina ceratis adorentur adora papyris.

Eodem

Eodem modo & *papyrus lucernæ*, apud Isonem de miraculis Othmari cap.7.

BONÆ PACIS] Form. 67. ut *Bonæ memoriæ.* in Inscriptionib.

BORDONARII] Neap. 3. Tit. 38. L. 1. Pratum Spirituale cap. 125. *Porro burdonarij burdonesq; viso leone, timore correpti recesserunt.* Ibidem. *Dispensator super burdones.*

BORTMAGET] Frison. Titul. 13. *Ancilla, quæ nec mulgere, nec molere solet.* Maget hodieq; Germ. *ancilla*, Bord veteri lingua Saxonica *domus.* ut in Epistola Alfredi Reg. Angl. scripta ad Wulfsigeum Episcop. inde Bordig *oriundus.*

BOS MEDIANUS] Alm. 78. ut *caballus medianus*, infr. *Bos minor.* Alm. 78. *Bos optimus.* Ibidem. *Bos videns & sanus.* Rip. 36. §. 11.

BOTELLI] Ang. Tit. 5. §. 14. Fris Tit. 22. §. 52. Fris. add. Tit. 3. §. 31. *Si intestina vel botelli perforati. Batuli* Claud. Mamertino lib. 3. *Quæ pulmonum cava, quæ tortuosa batulorum enodibus ligaturis exploratæ inflexiones ac reflexiones.*

BRACCO] Fris. Tit. 4. §. 3. Gloss. vett. *Licisca, bracco.* Aliud Gloss. Latino-Theotisc. *Licisca* Misibella *vel* Brechin. Marculf. Ms. in Biblioth. Regis Galliæ, in form. Parabolæ. *Latrat bracco, sed non ut canis.* & post pauca sequuntur alia mire corrupta. *Non movet bracco talem baronem, non latrat bracco contra insontem, non cessare bracco ab exaperto sacco . . . . . bracco & salte de crasciando.* Retinent vocem Germani. Specul. Saxon. lib. 3. art. 47. Winde/vnde hesshunde/vnd bracken.

BRACHILE] Sal. Tit. 29. §. 38. Gall. *Bracelet.* Tacitus de moribus German. *Nec alius fœminis, quam viris habitus. Partemq; vestitus superioris in manicas non extendunt. Nuda brachia ac lacertos.*

BRAND] Fris. Tit. 7. *de incendio.* Germ. Brand *incendium.*

BREVE] Cap. 3. Tit. 82. *Brevis.* Wis. 5. Tit. 5. L. 3. Cap. 4. Add. 2. §. 9. Canon. 4. Syn. Meld. Gloss. πιττάκιον *pittacium, brevis.* Anna Alexiad. Καὶ τὰ βιϐλία εἰς μέσον τηνικαῦτα προτίθετο, βρεϐία ταῦτα ἡ συνήθεια οἶδε καλεῖν, ἐν οἷς ἀναγράφεται τὰ ἐν ἑκάστῳ πεμφθέντα χρήματα. *Breve*, L. 5. C. de convent. fisci deb *Breve argentariorum.* L. fin. C. de fid instr. *Brevis magistrorum scriniariorum.* L. fin. Cod. de appell. *Breves quadrimestres.* L. 1. C. de apochis. Rufus Festu Epit. Rerum gestarum PR. *brevem fieri clementia tua præcepit.* Hieronym. Epist. 5. *Libros quos me non habere brevis subditus edocebit.* Regula B. Benedicti cap. 32. Inde Gall. *Brevet*, & Germ. Brieff.

BREVE SACRAMEMTI] Form. 120. Greg. Turon. Histor. lib. 4. c. 41. *Breve sacramentorum.*

BRUNEA] Cap. L. Sal. cap. 3. §. 4. 5. 12. Rip. Tit. 36. §. 11. Long. 3. Tit. 6. l. 1. Tit. 17. Cap. 3. Tit. 5. 75. Cap. 4. Add. 2. §. 5. Cap. 6. Tit. 212. Lud. Add. 4. Tit. 90. Glossar. Latino-Theotisc. *Thorax, militare munimentum, lorica*, Brunia. In LL. Æthelstani Regis Anglo-Saxon. cap. 26. Byrne / and Helm / and ofergylde ne sweord. *brunia, galea, & auratus ensis.* In LL. Canuti Reg. Anglo-Sax. cap. 69. Feower helmas, and IIII. byrnan/ and VIII. spera: *quatuor galeæ, quatuor bruniæ, octo hastæ.* Leg. Iuticar. sive Gothicar. Lib. 3. cap. 3. Hest ock brynie. *equus & brunia.* Otfridus Euangel. lib. 5. cap. 1.

Ist vns thas girusti,
Brunia ala festi,
Ioh ist vns helm ouh vbar thaz,
Ioh wasan ala wassaz.

Gall. *Brunie.* In Constit. Caroli Crassi de Feudis. *Quot decem mansos in beneficio possideant, tot brunias cum duobus scutarijs accipiant.* Marculf. in Formul. *Vt omnis homo de XII. mansis bruniam habeat.* Inde feuda loricæ, quæ Nortmannis *Fiefs de Haubert*, sicut *scutagium* id est *servitium scuti* Anglis.

BUBALUS] Alman. Tit. 99. §. 1. Boior. Tit. 29. §. 7. Glossar. Latino-Theotisc. *Bubalus* wisater. Item aliud Gloss. *Bubalus* wisant, *cornibus magnis bovi similis.* Gregor. Turon. Histor. lib. 10. cap. 10. *Dum ipse Gunthcrannus Rex per Vosacum sylvam venationem exerceret, vestigia occisi bubali deprehendit.*

BUCCELLÆ] Cap. 6. Tit. 191. Can. 50. Synod. Matisc. Bernoldus presbyter Constantiensis in expositione or-

ordinis Rom. conqueritur, *in quibusdam Ecclesiis oblatas panis, quæ prisca Ecclesiæ consuetudine ad usum sacrificij à populo fideli ad mensam Domini offerebantur, ad imaginem nummorum, & ad tenuissimam quandam & levissimam formam, à veri panis specie alienam, fuisse redactas.* Honorius Gemm. Animar. lib. 1. *Et quia populo non communicante, non erat necesse panem tam magnum fieri, statutum est in modum denarij formari.*

BVCCELLARIVS] Wis. 5. Tit. 3. L. 1. In Foro iudicum Hispan. *Buccellarius* interpretatur *Vassallo.* melius Glossarium Nomicum. Βεκκελλάειος, ὁ ἀποσεσιτόμενος, ἢ Φῶν τινά. Βεκκελλάειος ὁ παεαμένων σρατιώτης. Vnde etiam Gallorum vox *Baccheliers*, deducta videtur. *Buccellarius*, qui in alterius patrocinio est, cui ab alio cibus præbetur, Germ. der in jemandes brote ist. *Buccella* enim sive Βεκκελλος, τὸ κεκκελλοῦδες ψωμίον. Constantinus περὶ θεμάτων cap. 7. Leo & Anthemius Impp. L. 10. C. ad L. Iul. de vi public. *Buccellarios, vel Isauros, armatosque servos.* Gregor. Turonens. Histor. lib. 2. cap. 8. *Ipse postmodum Augustus, dum in campo Martio pro tribunali residens concionaretur ad populum, Occylla buccellarius Aetij ex adverso veniens eum gladio perfodit.* Vid. Turneb: Adversar. Lib. 24. cap. 16. lib. 26. cap. 15.

BVCCINA PORCILIS] Boior. Tit. 3. cap. 10. German. Schweine horen vocant cornu, quo utuntur συφορβοί. Claud. Rutil. Itiner. lib. 1. p. 360.

Instrumenta parat venandi villicus hospes,
Atq; olidum doctas nosse cubile canes.

Et postea:

Tum responsuros persultat buccina colles.

BVCCVS] Sal. Tit. 5. §. 3. Germ. *Caper* Buck. Gall. *Bouc.* Gregorus Turonens. lib. 6. cap. 24. *Buccus olidus vocabatur.*

BVNVARIA] Long. 3. Tit. 1. l. 46. *Mansus cum bunuarijs.* Formul. 127. *de prato bunuaria tanta.* Formul. 130. *bunuaria tanta de terra arabili.* Papias. *Bunuarium, mensura quædam terræ, sicut iugera.* Inde *Bunuariarius* qui bunuarium agri possidet. In Constitutione Caroli Crassi, de Feudis. *Mansionarius quinque solidos: absarius triginta denarios: bunuarius quindecim: quorumlibet larium possessores sex suppleant.* Legendum forsan *bunuariarius*: nam locus à viris doctis male hactenus intellectus fuit.

BVRGENSATICA]. Neap. 1. Tit. 66. L. 2. Gall. *Heritages en roture.* Sive *fiefs roturiers.*

BVRGENSIS] Neap. 1. Tit. 9. 31. Lib. 2. Tit. 3. 32.

BVRGVNDIONES] Plin. lib. 4. cap. 14. *Genera Germanorum quinq. Vindelici, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones, &c.* Paul. Orosius lib. 7. cap. 32. *Burgundionum quoque novorum hostium novum nomen, qui plus quam octoginta millia, ut ferunt, armatorum, ripæ Rheni fluminis insederunt. Hos quondam subacta interiore Germania à Druso & Tiberio adoptivis filijs Cæsaris, per castra dispositos aiunt in magnam coaluisse gentem: atq; ita etiam nomen ex opere præsumsisse, quia crebra per limitem habitacula constituta, Burgos vulgo vocant: eorumq; esse prævalidam & perniciosam manum, Galliæ hodieq; testes sunt, in quibus præsumpta possessione consistunt, &c.* Plura de hoc populo Guiel. Paradinus lib. de antiquo Burgundiæ statu.

BVRICA] Alman. 97. *Buricas in sylva porcorum incenderit.*

BVRISSET LEODEM] Formul. 125.

BVTICVLARIVS] Cap. 4. Add. 3. §. 6. Glossar. Βύτιον, *Cupella, Cupa.* Item. *Cupa, vagna*, Βύτλις μεγάλη, ἤντινες γαυλὸν καλοῦσιν, Papias. *Obba, genus vasis, butica.* Gall. *Coupe, bouteille. Cuve, bagnoire.* In instrumento veteri apud Cuiacium; *Buttæ, butticella.* Marculfus in formula Parabolæ. *Lege, & perlecta in pectore repone: sin autem non vis, in butte reclude.*

BVTINÆ] Rip. Tit. 60. §. 4. *vel butinæ vel mutili factæ.*

BVZERII] Neapol. 3. Titul. 36. Gall. *Bouchers.*

CABAL-

C.

CABALLVS DOMITVS] Long. 2. Tit. 21. L. 6. 7. 25. *Equis domitis & indomitis.* Tradit. Fuld. lib. 1. cap. 149. *Caballus medianus.* Alm. 70. §. 3. *Caballus spadatus.* Sal. Tit. 40. §. 3. infr. *Spadari.*

CABALLOS IN DONO REGIO DEFERRE] Cap. L. Sal. cap. 19. vid. supr. *Arma.*

CABALLICARE] Sal. Tit. 25. Alm. Tit. 71. Long. 1. Tit. 23. καβαλλικεύειν Trallian. Sic *Asinare* in legatione Liutprand. p. 118. *Caballarius alaris.* Leon. Tact. καβαλλάριοι. Theophyl. Simocat. lib. 5. p. 278. καὶ τῶν σὺν αὐτῷ καβαλλαρίων τῆς Ῥωμανίας ἀπήλθομεν. *Caballicatæ.* Liutprand. Histor. p. 22.

CADARFREDA] Long. 2. Tit. 14. L. 25. Tit. 23. Gloss. *Cadarfreda, consuetudo.*

CADAVER HVMO IMMISSVM ET LIGNVM SVPERPOSITVM] Boior. Tit. 18. cap. 6. §. 2. infr. *Lignum.*

CADIVVS] Formul. 132. *Vendidi à die præsenti vernaculum iuris mei nom. ill. non furem, non fugitivum, non cadivum, nec ullam vitium in se habentem.* Formul. 133. *non furem, non fugitivum, neq; cadivum, sed mente & omni corpore sanum, moribusq; bonis.* Boior. Tit. 15. cap. 9. §. 2. *aut cæcum, aut herniosum, aut caducum.* Scholiast. Horat. Satyr. 3. lib. 2. ad illa verba. *mentem, nisi legitiosus Exciperet dominus. Sumptum est hoc argumentum à dominis mancipia vendentibus, quorum omnia vitia sibi cognita, tam animi quam corporis debebant aperire emptori, nisi postea litigare vellent, propter cælatum vitium.* Vid. L. 1. & seqq. ff. de ædilit. edict.

CALASNEO] Boior. Tit. 21. §. 11. *commarchanus, quem calasneo dicimus.*

CALCARE LECTVM ALTERIVS] Boior. Tit. 7. cap. 1. §. 3. *Genialis thori ac lectuli invasor alieni.* L. 6. C. Theod. De indulg. crimin. *Si lectulum herilem ancilla ascenderit.* L. 3. Cod. Theodos. De liber. caus.

CALCIFVRNIVM] Boior. Tit. 1. cap. 14. id est, ubi calx coquitur: ut Iurisconsl. loquuntur. *Clibanus calcis.* Beda in Martyrol. 9. Kal. Septemb.

IN CALDARIAM MANVM MITTERE] Long. 1. Tit. 33. L. 1. *Examen caldariæ.* Wisi. lib. 6. Tit. 1. L. 3. Burchard. Decret. lib. 19. p. 278. *Caldariam supra ignem cum aqua misit.* Gall. *chaudron.* Vid. quæ de iudicio aquæ calidæ notata.

CALVMNIAM MOVERE] Burg. Tit. 89. *in una causa duas calumnias imponere.* Long. 2. Tit. 27. Legib. Edoard. Reg. cap. 22. *Si quilibet aliquem nominatim de aliquo calumniatus fuerit.*

CAMBIARE] Sal. Tit. 39. §. 1. Tit. 49. *Cambire.* Boior. Tit. 15. cap. 8. *Concambire.* Formul. 170. Glossar. *Cambeat* διαλλάσσει. Priscian. lib. 10. p. 906. *Cambio* ἀμείβομαι. CAMBIVM. Long. 3. Tit. 8. L. 4. *Concambium.* Formul. 139. Dithmarus Episcop. Chronicor. lib. 3. *centum concambio mansorum.* *Concambiatura.* Form. 141. Alm. Goldast. Tom. 2. n. 16. &c.

CAMBORTA] Sal. Tit. 36. Rip. Tit. 43. Gloss. *Cambortæ, quæ sepem desuper firmant.* Eadem origine forsan, qua *Camboritum* Britannis.

CAMERA] Formul. 125. Glossar. *Fornix* καμάρα. Moschopul. περὶ σχεδ. θόλος κοινῶς καμάρα. Lipsius Germanicam hanc vocem putavit, quòd etiam nunc conclavia tecta & clausa *Cameras* vocemus: levi sane argumento. Æque enim Italicam autumaremus, nam & Itali *Cameram* dicunt, atque ab eadem origine Galli *chambre*: vel Ægyptiam, quia & Nubiani errones illa utuntur. Cuiatis tandem sit, certum est apud Græcos Latinosq; iam olim in usu fuisse. Basilius M. Hexamer. lib. 1. Hom. 1. ὁ στήσας τὸν οὐρανὸν ὡσεὶ καμάραν. Eustath. vetus Basilii interpres. *Stabilivit cælum ut cameram.* Varro de Re rustic. lib. 1. c. 1. *cameras marmorato & parietes pavimentaq; laudabiliter faciunt.* Val. Max. lib. 6. cap. 7. §. 2. *inter cameram & tectum.* An hinc quoq; *naves Camaræ*, de quibus Strabo, Tacitus, Eusthatius Dionysij, nomen acceperint, non liquet.

CAMERARII] Neap. 1. Tit. 8. L. 1. Tit. 16. 36. 40. 47. Gregor. Turonens. lib. 6. cap. 45. *Duces & Camerarij.*

CAMISIA] Sal. Tit. 60. Add. Lud. 1. Tit. 22. Vetus Scholiast. Lucani, ad ill. verſ.

Suppara nudatos cingunt angusta lacertos.

Supparum eſt genus veſtimenti, quod vulgo camiſia dicitur, id eſt, interula. Guitbertus in fine lib. 3. de bello ſacro. *Lineam interulam quam nos camiſiam vocamus.* Idem lib. 8. *Conciſam camiſiam, quam ſubuculam dicunt.* Eginhartus in vita Karoli Mag. *Ad corpus camiſiam lineam & fœminalibus lineis induebatur.* Beda in Martyrol. XVIII. Kal. Ian. *De ipſis pallijs altaris camiſias ſibi & femoralia facerent.* Gall. *chemiſe.*

CAMFWIC] Decret. Taſsil. cap. 6.

CAMPIO] Cap. L. Sal. Lud. Imp. cap. 1. Boior. Tit. 2. cap. 12. Tit. 8. cap. 3. Tit. 9. cap. 4. Tit. 11. cap. 5. Tit. 12. cap. 8. 9. § 2. Tit. 15. cap. 11. Sax. §. 61. Angl. Tit. 14. Friſ. Tit. 5. 14. Long. 1. Tit. 1. L. 7. Tit. 8. L. 6. Tit. 9. L. 23. 38. Tit. 10. L. 4. Tit. 16. Lib. 2. Tit. 51. Tit. 55. L. 11. 39. L. 40. *Campionem pro ſe dare debet, ſi quis ipſius pugnare non poſſit.* CAMPHIVS. Long. 2. Tit. 55. L. 24. Cap. 4. Tit. 23. Gloſſ. Iſidori. *Campiones, gladiatores, pugnatores.* Theotiſ. Kempffere. Gall. *Champions.* Mos nempe German. manu litem diſcernere. Velleius Patercul. lib. 2. *Lites ipſorum* (German.) *Romana iuſtitia finiret, feritasq; ſua novitate incognita diſciplinæ miteſceret, & ſolita armis diſcerni, iure terminarentur.* Quod & de Ombricis refert Nicolaus apud Stobæum. ὀμβρικοὶ ὅταν πρὸς ἀλλήλους ἔχωσιν ἀμφισβήτησιν, καθοπλισθέντες ὡς ἐν πολέμῳ μάχονται, καὶ δοκοῦσι δικαιότερα λέγειν οἱ τοὺς ἐναντίους ἀποσφάζοντες. Sic Francis quoque uſitatum armis impacta diluere. Aimoin. Hiſt. lib. 5. cap. 13. Neapol. Conſtit. Lib. 2. Tit. 32. 33. 37. Burchardus in lege quam familiæ dedit. *Duo eligantur ad pugnam, & cum duello litem decernant, & cuius campio ceciderit, perdat, &c. Aynſi le batu payoit l'amende.* Infr. *Duellum.*

CAMPVS] Duploma Roberti Reg. *Legem duelli, quod vulgo dicitur campus.* *Campo ſe innocentem efficere.* Angl. Tit. 14. *in Campum exire.* Ang. Tit. 1. §. 3. Tit. 15. *Campo diiudicare.* Sax. Tit. 16. *Campo vel cruce contendere.* Long. 2. Tit 28. L. 3. *in campo cum fuſtibus contendere.* Long. 2. Tit. 55. L. 23. Cap. 3. Tit. 46.

CANCELLI] Cap. 7. Tit. 202. *In Eccleſia ſecus altare ubi clerici. Infra cancellum ſtare.* Cap. 7. Tit. 291. Germanus Epiſcopus CP. Hiſtor. Eccleſ. pag. 148. Κάγκελλά εἰσι, τῆς προσευχῆς τόπον δηλοῦντα, ἐν οἷς σημαίνει, τὴν μὲν ἔξωθεν τοῦ λαοῦ εἴσοδον, τὴν δὲ ἔσωθεν τὰ ἅγια τῶν ἁγίων ὑπάρχουσαν, καὶ μόνοις τοῖς ἱερεῦσιν οὖσαν ἐπίβατον. *Cancelli locum orationis deſignant, quouſq; extrinſecus populus accedit: intrinſecus autem ſunt ſancta ſanctorum, ſolis ſacerdotibus pervia.*

CANCELLARII] Burg. Prolog. Ripuar. Tit. 59. §. 2. 3. 4. 5. Tit. 88. *Cancellarij manu chartæ ſcriptæ.* Long. 2. Tit. 34. L. 12. *Cancellarij, id eſt, notarij publici.* Long. 2. Tit. 40. Capit. Lib. 3. Tit. 43. Can. 44. Synod. Cabillon. 2. *Tabelliones, Notarij.* Anian. lib. 1. C. Theo. ad L. Cornel. de falſ.

CANCELLARIVS] Cap. 2. Tit. 24. In vita B. Ansberti. *Cœpit eſſe aulicus ſcriba, doctus, conditorq; regalium privilegiorum, & gerulus anuli regalis, quo eadem ſignabantur privilegia.* In Conſtitutione Karoli Calvi facta in Cariſiaco Anno DCCCLXI. *Præterea neceſſarium duximus, ut commendationem noſtram ex hoc ſcribere rogaremus, quæ ex more in noſtro palatio apud Cancellarium noſtrum retineatur, & inde per miſſos noſtros dirigatur.* Hincmarus Rhemenſ. ad Epiſcopos quoſdam Franciæ. *Cui* (Apocriſiario) *ſociabatur ſummus Cancellarius, qui à ſecretis olim appellabatur, erantq; illi ſubiecti prudentes & intelligentes ac fideles viri, qui præcepta regia abſque immoderata cupiditatis venalitate ſcriberent, & ſecreta illis fideliter cuſtodirent.*

CANCELLARIA] Neap. 1. Tit. 51.

CANDELARII] Neap. 3. Tit. 36. *venditores candelarum.* Ibidem. Gall. *chandeliers.*

CANIS ACCEPTORITIVS] Friſ. Tit. 4. §. 3. id eſt, Hapichundt. Boior. Tit 19. cap. 1. *Acceptor* enim ſive *accipiter* Germ. Habich. *Canis* hundt.

CANIS ARGVTARIVS] Sal. Titul. 6. §. 2. id eſt *veltris leporarius.* Gratius.

Qui ciat occultos & ſignis arguat hoſtes.

German. Spürhundt.

CANIS

CANIS BIBARHVNT] Boior. Tit.19. cap. I. qui bebros venatur.

CANIS QVI CVRTEM DEFENDIT] Alm. Tit. 82. *Qui in curte & villa iacet.* Fris. Tit. 4. *Custos domus.* Sal. Tit.6. §. 3. Hovawart. Boior. Tit.19. cap.I. Hoffwart *canis fundi.* Spec. Sax. lib.3. Art.51.

CANIS CVSTOS PECORIS] Fris. Tit. 4. *Qui ovile sequitur.* Spec. Sax.lib.3. Art. 51. Iustinianus mentionem facit, καὶ ποιμαίνοντ☉ καὶ τῆς ποίμνης κυνὸς, in LL. Georgicis Tit. 6.

CANIS DOCTVS] Alm. Tit.79. L.I. §.I.

CANIS DVCTOR] Alm. Tit.28. §. 2. Laitihundt. Ibid. & Boior. Tit. 19. cap. I. Fridericus Imp. in libro de arte venandi, cap. 6.

CANIS QVI IVGVM TRANSPASSARE POSSIT] Alm. Tit. 82.

CANIS QVI LVPVM MORDET] Alm. Tit. 82. Boior. Tit. 19. cap.I. §. 8. *qui lupum occidere solet.* Fris. Tit. 4. *qui lupum lacerare solet.* Ibid.

CANIS PASTORALIS] Sal. Tit. 6. §. 3. Alm. Tit. 28. Boior. Tit.19.c. I.

CANIS PETRVNCVLVS] Burg. Add.I. Tit. 10. Gratius in Cynogetico.

— at te leve si qua
Tangit opus, pavidosq; iuvat cōpellere dorcas,
Aut versuta sequi leporis vestigia parvi,
Petronios sic fama canes, volucresq; Sicambros,
Et pictum macula veltrahum delige falsa.

Idem. *— qua Petronijs bene gloria constat.* Hispani quoque inde videntur habere suum *Perro.*

CANIS PORCARITIVS] Alm. Tit. 28.

CANIS TRIPHVNT] Boior. Tit. 19. cap.I.

CANIS SEGVTIVS] Burg. add.I. Tit. 10. *Segusius vel seusius.* Sal. Tit. 6. §. I. *Seusius cursalis.* Alm. Tit. 82. *seucis.* Boior. Tit.19. cap. I. §.I. 2. 3. Glossar. Latino-Theotisc. *Suses, magni canes.* Vid. Respons. Papiani Tit. 15. ubi hoc ipsum nomen reponendum.

CANIS QVI VACCAM ET TAVRVM FRENDIT] Alm. Tit. 82.

CANIS VELTRHVS] Burg. Add. I. Tit. 10. Sal. Tit 6. Alm. Tit. 82. Gloss. *Veltris.* Boior. Tit.19. cap. I. § 5. Gloss. Latino-Theotisc. Veltrawindt. *Canis Gallicus* Ovidio & Martiali. Clemens Scotus, sive potius incertus S. Galli monachus, in vita Caroli M. lib. I. p. 378. *Assumpsit duos caniculos in manu sua, quos Gallica lingua Veltres nuncupant, qui agilitate sua vulpes & ceteras minores bestiolas facilime capientes, quacaras etiam & alia volatilia ascensu celeriore sæpe fallerent.* Iul. Firmicus lib. 5. cap. 8. *Vertagum* vocat, Gratius *veltrahum.* Hincmar. *Veltrarium.* Notæ veteres Tyronis, Tit. de animalib. *Veltagram.* Galli *vaultroy.* Itali *Veltro.* Dantes Lib. 17. del Girone.

— leggier veltro ch' a vicin la lepra.

CANIS VRSARITIVS] Alman. Tit.28. CANIS QVI VRSOS ET BVBALOS PERSEQVITVR] Boior. Tit. 19. cap. I. §. 7. κύων θηριομάχ☉. Iustinian. in LL. Georg. Tit. 6.

CANES QVI IN DEXTRO ARMO TONSI] Cap.6. Tit. 216.

CANNA] Neap. 3. Tit. 35. Tit. 36. L.2.3.4. Petrus de vineis Lib.6. Epist.9. Vlna *la canna,* Italis.

CANON] Wis. 10. Tit. I. L.11.12. *Canon* in Constitutionibus atq; Epistolis Impp. annuam præstationem collationemq; significat. Vid. Brisson. de verb. signif. *Canonicarij*, qui canonem exigunt. apud Cassiodor.

CANONICI] Long. 3. Tit. I. L.8. CANONICA VITA. Cap. I. Tit. 73. *ad clericatum accedant, quod nos nominamus canonicam vitam.* CANONICA INSTITVTIO. Cap.5. Tit. 142. CANONICA PROFESSIO. Cap.5. Tit. 137.

CANTVS ROMANVS] Cap. I. Tit. 80.

CANTVS GALLICANVS] Cap.I. Tit. 80. Karolus M. Imp. lib. I. contra Synodum Græcorum de imaginibus, quem ea de re quatuor libros Romam misisse Hincmarus refert. *A cuius* (Romanæ Ecclesiæ) *sancta & veneranda communione multis recedentibus, nostræ tamen partis nunquam recessit Ecclesia: sed & Apostolica eruditione instruente, & eo à quo est omne donum optimum tribuente, semper suscepit veneranda charismata. Quæ dum à primis fidei temporibus cum ea perstaret in religionis sacra unione, & ab ea paulo*

distaret, quod tamen contra fidem non est, in officiorum celebratione, venerandæ memoriæ genitoris nostri, Illustrißimi Pipini Regis cura & industria, sive adventu in Gallias reverentißimi & sanctißimi viri Stephani Romanæ urbis antistitis, est ei etiam in psallendi ordine copulata, ut non esset dispar ordo psallendi, quibus erat compar ardor credendi; & quæ unita erant unius sanctæ legis sacra lectione, essent etiam unita unius modulationis veneranda traditione: nec seiungeret officiorum varia celebratio, quas coniunxerat unicæ fidei pia devotio. Quod quidem & nos collato nobis à Deo Italiæ regno fecimus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ fastigium sublimare cupientes, reverentißimi Papæ Adriani salutaribus exhortationibus parere nitentes, scilicet ut plures illius partis Ecclesiæ, quæ quondam Apostolicæ sedis traditionem in psallendo suscipere recusabant, nunc eam cum omni diligentia amplectantur, & cui adhæserant fidei munere, adhæreant quoq; psallendi ordine. Quod non solum omnium Galliarum provinciæ, & Germania sive Italia, sed etiam Saxones, & quædam Aquilonalis plagæ gentes, per nos Deo annuente ad veræ fidei rudimenta conversæ, facere noscuntur. Idem Karolus in præfatione Homiliarum totius anni Eginhartus, Chronicon Engolismense. *Mox petijt domnus Rex Karolus ab Adriano PP. cantores, qui Franciam corrigerent de cantu. At ille dedit ei Theodorum & Benedictum Romanæ Ecclesiæ doctißimos cantores, qui à sancto Gregorio eruditi fuerant. Tribuitq; antiphonarios sancti Gregorij, quos ipse notaverat nota Romana. Dominus vero Rex Karolus revertens in Franciam, misit unum cantorem in Metis civitate, alium in Suessionis civitate, præcipiens de omnibus civitatibus Franciæ, magistros scholæ antiphonarios eis ad corrigendum tradere, & ab eis discere cantare. Correcti sunt ergo antiphonarij Francorum, quos unusquisq; pro arbitrio suo vitiaverat, vel addens vel minuens; & omnes Franciæ cantores didicerunt notam Romanam, quam nunc vocant Franciscam. Excepto quod tremulas vel collisibiles vel secabiles voces in cantu non poterant perfecte exprimere Franci, naturali voce frangentes in gutture voces, potius quam exprimentes. Maius autem magisterium cantandi in Metis civitate remansit.* Vide Walafrid. Strabon. de reb. Ecclesiasticis cap.25. & Iohan. Salisber. Policrat. lib.1. cap.6.

CAPITVLARE] *Capitulare Dominicum.* Tit. 9. Pœnitent. Rom. cap. 13. *A Capitulis.* Hadrian. PP. Karol. Mag. *Edidit nobis Capitulare adversus synodū, &c. Vnde per unumquodq; Capitulum responsum reddidimus.* LL. Longob. *Iam non ulterius Capitula, sed tantum leges dicantur.* Aimoin. lib. 5. cap.35. Lupus Ferrar. Epist. 42. *Canones eosdem sive, ut vos vocatis, Capitula. Capitularium tributorum*, apud Gregor. Turon. lib.9. cap.30. *Capdastre* Septimanis Gothis.

CAPELLA] Long. 3. Tit. 3. L. 3. Cap. 5. Tit. 182. *Super Capella Domini Martini.* Cap.5. Tit.157. Can.5. Synod. Aquisg. Can.5. Syn. Rhem. Hincmarus clero & plebi Tornacens. *De capellis antiquitus subiectis Ecclesiis non æqualem, sicut de principalibus Ecclesiis, collationem exigat, sed principalis Ecclesia cum sibi subiectis capellis.*

CAPELLANVS] Long. 3. Tit. 1. L. 27. *Capellanus presbyter.* Cap. 5. Tit. 2. Cap. 7. Tit. 91. Hincmarus ad Episcopos quosdam Franciæ. *Apocrisiarius autem, quem nostrates Capellanum, vel palatij custodem appellant, omnem clerum sub cura & dispositione sua regebat.* Ibidem. *Apocrisiarius quidem de omni Ecclesiastica re vel ordine, nec non etiam de Canonicæ vel monasticæ altercatione, seu quicunq; palatium adibant pro Ecclesiasticis necessitatibus, solicitudinem haberet, & ea tantummodo de externis regem adirent, quæ sine illo plenius definiri non potuissent.* Walafridus Strabo Abb. Augiens. cap. ult. de exordiis & incrementis rerum Ecclesiasticarum. *Sunt & illi, quos summos Capellanos Franci appellant, clericorum causis prælati. Capellani autem minores,* &c. *Dicti autem sunt primitus Cappellani, à cappa S. Martini, quam Reges Francorum ob adiutorium victoriæ in prælijs solebant secum habere: quam ferentes & custodientes cum ceteris sanctorum reliquijs clerici, Capellani ceperunt vocari.* Monachus quidam S. Galli. *Quendam optimum dictatorem & scriptorem in Capellam suam assumsit, quo nomine Francorum Reges propter Cappam S. Martini, quam secum ob sui tuitionem & hostium oppreßionem iugiter ad bellum portabant, sancta sua appellare solebant, vel patrocinia sanctorum.* Cap. 5. Tit. 2. Evod. lib. 1. de mirac. S. Stephani. *Capella argentea, in qua erat reliquiarum portio.*

CAPIL-

CAPILLVM ALICVI FACERE] Burg. Tit. 6. §. 4. Gall. *faire les cheveux.*

IN CAPILLO IN CASA RELINQVERE] German. in den Haren lassen. Long. 2. Tit. 14. L. 20. 21. 22. 26. 27. *Filiam in casa in capillo habere.* Long. 2. Tit. 20. L. 1. *Soror in capillo.* Neap. 2. Tit. 9. Neap. 3. Tit. 24. *Filia in capillo.* Ibid. Feud. lib. 2. Tit. 24. §. 2.

CAPILLATI] Edict. Theod. cap. 45. Cassiodor. Var. lib. 4. Epist. 49. *Vniversis provincialibus & capillatis*, &c. *Theodericus Rex.* Iornandes de rebus Gott. *Elegit namque ex eis* (Gothis Diceneus) *nobilissimos prudentiores viros, quos Theologiam instruens, numina quadam & sacella venerari suasit, fecitque sacerdotes, nomen illis PILEATORVM contradens, ut reor, quia opertis capitibus tiaris, quos pileos alio nomine nuncupamus litabant: reliquam vero gentem CAPILLATOS dicere iussit, quod nomen Gothi pro magno suscipientes, adhuc in suis cantionibus reminiscuntur.* Horum Capillatorum etiam Priscus meminit in Eclog. Legation. pag. 15. ὅτι Δεκέβαλος πρὸς Τραϊανὸν πρέσβεις ἔπεμψε ΠΙΛΟΦΟΡΟΥΣ. ἐντιμότεροι γὰρ εἰσὶ παρ' αὐτοῖς οἱ ... πρότερον γὰρ ΚΟΜΗΤΑΣ ἔπεμπεν, εὐτελεστέρους δοκοῦντας παρ' αὐτοῖς εἶναι. *Decebalus Legatos ad Traianum misit, quos PILEATOS vocant: hi enim apud illos* (Gothos) *sunt honoratiores. Prius enim CAPILLATOS miserat, qui apud eos viliores habentur.* Is enim huius loci sensus est, male ab aliis intellectus.

CAPITA] Wis. 8. Tit. 3. L. 10. 12. 15. Tit. 4. L. 10. 26. Tit. 5. L. 7. *Capita gregis.* Alm. Tit. 79. *Capita tanta inter boves & vaccas*, &c. Form. 75. *ovium capita tantum.* Form. 77. *Capita seu iuga.* L. 3. Cod. Theod. de mil. vest. & alibi pluries Veget. de Mulomed. p. 10.

CAPVT CVM NVTRIMINE] Long. 2. Tit. 25. L. 1. *cum accessionibus suis.* Gloss. vet.

CAPVT MVLIERI DENVDARE] Alm. 58. §. 1.

CAPVT TONDEATVR] *Nudus ad palum vapulet & caput tondeatur.* Cap. 4. Tit. 30. Cap. 5. Tit. 2. Long. 3. Tit. 7. L. 1. Vid. infr. in *Flagellandum* & *Scorticatus.*

CAPVT IN PALO MITTERE] Sal. Tit. 69.

CAPVT SEPIS] Long. 1. Tit. 19. l. 9.

PER CAPVT SVCCEDERE] Longob. 1. Tit. 9. L. 15. Longob. 2. Tit. 21. L. 22.

CAPITALE ET DILATVRA] Id est, rem ipsam in capite. Sal. Tit. 10. & alibi saep. Decret. Child. cap. 12. Chlot. cap. 1. 3. Alm. Tit. 5. Rip. Tit. 18. *Capitale reddere.* Cap. 6. Tit. 38. *Capitale restituere.* Sal. Tit. 10. §. 1. Tit. 13. §. 2. Tit. 27. §. 4. Tit. 28. §. 2. *In capite restituere.* Sal. Tit. 68. Alm. Tit. 3. Vadianus Alm. Tom. 3. p. 8. *Capitale*, pretium interpretatur rei aestimatae, quae furto ablata, vel alio modo perierat.

IN CAPITE ESSE] Long. 1. Tit. 17. L. 2. 3. Tit. 18. L. 1. Long. 2. Tit. 2. L. 4. Gall. *estre le chef.*

CAPITANEVS] Neap. 1. Tit. 40.

CAPPA] Add. Lud. 1. Tit. 13. 22. 61.

CAPRARIVS] Long. 1. Tit. 11. L. 7. Gloss. Αἰγονόμος. *Caprarius.* Varr.

CAPRIOLVS] Alm. Tit. 99. *Capreolus.* Columel.

CAPRITIVS] Sal. Tit. 5. Hircus. Gall. *Cabrit.*

CAPSVM] Long. 1. Tit. 7. L. 9. Tit. 8. L. 14. 20. *Si alium intra capsum plagaverit.* Ms. *cassum.* Wis. lib. 6. Tit. 4. L. 3. *cassos frangere.*

CAPTVRAE APVM] Boior. Tit. 21. §. 9.

CARCERARIVS] Wis. 7. Tit. 4. l. 3. commentariensis, vel carceris custos & clavicularius.

CARCERES SVB TERRA] Long. 1. Tit. 25. L. 54.

CAPVLARE] Burg. Add. 1. Tit. 5. §. 1. *capulare mulieri crines*, id est, crines incidere. Ibid. §. 2. Sal. Tit. 17. §. 4. Tit. 18. §. 4. Tit. 29. 31. 36. 57. *Capulare sepem.* Alm. Tit. 99. §. 26. Rip. Tit. 43. *Capulare caudam.* Long. 1. Tit. 19. L. 20. 26. *Capulare vestes.* Cap. 1. Tit. 81. Add. 4. *Capulare linguam.* Cap. 7. Tit. 277. *Capulatura.* Form. 119. Hincmarus Remens. Archiepisc. in libro contra Hincmarum Laudunens. de sententiis Engelramno Metensium Episcopo datis. *Quam diversa à sacris canonibus, & quam discrepantes*

in quibusdam ab Ecclesiasticis iudiciis habeantur, ut hic quædam de plurimis ponam, evidenter manifestatur. Delatori, inquit, aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur. In LL. Longobard *Nasus ei capuletur.* Gall. *Le nez luy soit coupé.*

CARBONARIA] Sal. Tit. 49. Quæ est inter Cameracum & Tornacum. Tritenheim ex Hunnibaldo. Sulpit. Alexand apud Gregor. Turon. lib. 2. cap. 8. 9. Sigeb. Gemblac. Anno 880. *Cameracum obsedit & cœpit. Inde movens per Carbonariam sylvam ad Tornacum festinans iter direxit in Thoringiam.* Idem. *In sylva Francica Carbonaria.* Idem An. 955. *In Lotharingiam, usque ad Carbonariam sylvam, &c.*

CARMVLVM] Boior. Tit. 2. §. 3. *Seditionem excitare, quod Baioarij carmulum dicunt.* Germ. Scharmützel.

A CARNE ET VINO ABSTINERE] Cap. 3. Tit. 69. Pœnitent. Rom. cap. 11. 22.

CARPENTA] Burg. Add. 1. Tit. 1. §. 4.

CARPENTARIVS] Burg. Tit. 10. *Carpentarius servus.* Sal. Tit. 11. § 5.

CARRA] Burg. Add. 1. Tit. 1. §. 4. al. *carrada.* Rerum German. scriptores Freheri, pag. 28. 95. *Sex carradas vini.* Aimonin. lib. 5. cap. 34. *de melle quinetiam carrada una.* Charta vetus apud Scriptor. Rer. Alman. Goldasti Tom. 2. num. 16. Traditionum Fuldens. lib. 1. cap. 48 *de pratis carradas quinq.* Lib. 2. cap. 11. *carradas duas.* Sal. Tit. 16. §. 2. *cum carro ambulare.* Boior. Tit. 6. cap. 2. Cap. 5. Tit. 187. CARROPERA. Form. 61. Germ. Karrendienst.

CARRATIVM DE VITE] Long. 1. Tit. 25. l. 34. *Si palum, quod est carratium, de vite tulerit, &c.*

CARRICARE] Wis. 8. Tit. 4. l. 9. Long. 3. Tit. 12. L. 1. *Carricare fasces.* Wis. 5. Tit. 5. L. 2. Hisp. *acarrear.* Gall. *charger.* Gloss. vett. *Carrico, onero.* Hieronym part. 2. Tract. 6. Epist. 36. *maioribus oneribus carricabat se.*

CARRVCA] Sal. Tit. 40. §. 1. Alm. Tit. 96. Rip. Tit. 44. Gall. *Charrue.* Greg. Turon. de Miracul. lib. 2. cap. 14. *præparatis carrucis compositoq. plaustro.*

CÆSARIANI] Neap. 1. Tit. 91. Lib. 3. Tit. 8.

CASA] Alm. Tit. 11. Boior. Tit. 2. cap. 4. 5. Gloss. *Casa καλύβη, οἶκος.* Ital. *la casa.*

CASA DEI] Long. 2. Tit. 18. l. 5. Cap. L. Sal. cap. 6. Cap. Kar. 1. Tit. 141. Form. 7. 197. CASA SANCTI. Form. 72. CASÆ DOMINICÆ. Boior. Tit. 1. cap. 14. CASA MANCIPATA. Long. 2. Tit. 35. l. 1. CASA PVBLICA. Boior. Tit. 8. cap. 2. §. 1. CASA TRIBVTARIA. Long. 1. Tit. 34. l. 1. *Casa ordinata tributaria.* Long. 2. tit. 21. l. 8. *In Casam alterius introire ad residendum, & ei censum reddendum.* Long. 2. Tit. 23. IN CASA PATRIS SEDERE. Long. 2. Tit. 12. l. 1. CASAM IN PALATIO TENERE. Long. 1. Tit. 18. l. 1. CASAS VEL CVRTES REGIAS GVBERNARE. Long. 2. Tit. 17. l. 1. INTRA CASAM SERVIRE. Cap. 3. Tit. 74.

CASAM VEL POSTEM IANVÆ AVCTORIS SVI NESCIRE] Rip. Tit. 33. §. 4. *id est, nescire ubi venditor habitet.*

CASATA] Cap. 5. Tit. 3. 172. Zacharias PP. Bonifacio Coëpiscopo. *De censu autem Ecclesiarum, id est, solidum de casata suscipe, & nullam habeas hæsitationem, dum ex eo poteris eleemosynas tribuere, ac in Christi pauperes partiri.*

CASATI HOMINES] Cap. 5. Tit. 136. *Casati vassalli.* Cap. 3. Tit. 74. qui intra casam serviunt. Inscript. vetus p. 105.

EX BENEFICIO S. ✠. PER
IOHANNEM EPISCOPVM. ET
PER ALBERTVM S. ✠.
CASATVM. FACTVS EST
LIBER LAMBERTVS.
TESTE HAC SANCTA
ECCLESIA.

Casarij. L. 7. Cod. Theodos. De bonis proscript. *Casales.* Anastas. Biblioth. pag. 160. 161. Ivo Carnot. Epist. 105. Chron. Andeg. *Tertullum uxore ei tradita adequando beneficio Nandonensi castro, & aliquibus terris tam in pago Gastinensi, quam in aliis locis per Franciam, Casatum fecit.* Traditio Fuldens. apud Pistor. Rer. Germ. cap. 40. 70. *Servus casatus.* apud Gold. Alm. Tom. 2. Charta 3. 39. Sidonius Apoll. lib. 1. Epist. 2. Ivo Carnot. Epist. 105. Vid. quæ notat Cuiacius Feudor. lib. 1. Tit. 2. p. 62.

CASALIA] Neap. 3. Tit. 4.

CASSARE] Long.3.Tit. 78. Gall. *Casser*. Imp. Frid. Constitut. 2. de pace tenend. §. 2. Idem de prohibit. Feud. alien. Tit. 55. *Cassamus & in irritum deducimus*. Idem de Constant. *Cassentur & in irritum deducantur*.

CASSINA] Long.1.Tit.19.L.25. *humilis casa*. Gloss. *Casana* σκέπη πλοίου.

CASSOS ALTERI FRANGERE] Wis. 6. Tit.4. L.3. *Qui cassos alteri fregerit, & ex hoc qui percussus est, debilis apparuerit, libram auri percussor procurabit*. In Foro Iudicum ita hęc vertuntur: *A quien le que brantaren la pierna, o le fazen delaser coxo, receba una libra doro por emenda*.

CASTELLANI] Neap. 1. Tit. 14. 36.36.88.89.Tit.2.Tit.89. Regino,p.56. *Anno DCCCCLXIIII. Romani iterum ab Imperatore solito more deficientes, pluribus aliis castellanis sibi per coniurationem extrinsecus adiunctis eum occidere nitebantur*. Ital. *Castellano*.

CASTITIA] Cap.5. Tit. 148. Form.28.29. 52.70.141. In Epistola Episcoporum dioeceseos Rhemorum atque Rothomag. ad Hludovicum. *Iudices*, &c. *ædificent villas suas moderatis castitiis*. Et alibi. *Et in castitiis, & in villis custoditis*. In duplomat. Karolimanni. *Cum omnibus appendiciis, ad eundem mansum pertinentibus & aspicientibus castitiis, campis, pratis, sylvis, pascuis, exitibus, & regressibus aquarum & earum decursibus*. Charta vetus in Alman. Gold. Tom.2.n.68. *casa dominicata, castitiis, terris*.

SI QVIS INGENVVS INGENVVM CASTRAVERIT] Rip. Tit.6. Quæ iure Romano de castratorib. statuta sunt, ea Photius refert in Nomocan. Tit.1.c.14. ὁ πολιτικὸς νόμος τοὺς ἑαυτοὺς συνχέζοντας διαφόρως τιμωρεῖται. ποτὲ μὲν κεφαλικῶς, ποτὲ δὲ δημεύσει καὶ ἐξορίᾳ, ποτὲ δὲ ἀντιπαθείᾳ. καθόλου γὰρ ἐν τῇ πολιτείᾳ ἡμῶν οὐδένα συγχωρεῖ συνχέζεσθαι, ἀλλὰ παρὰ βαρβάροις μόνους βαρβάρους. εἰ δέ τις παρ' ἡμῶν συνχισθῇ ἐλεύθερός ἐστιν, εἴπερ ἦν δοῦλος, κἂν διὰ νόσον συνεχίσθῃ. *Civilis lex eos, qui seipsos aut alios castrant, diversimode punit: alias capite, alias bonorum publicatione & exilio, aliàs talione. Omnino enim in nostra Repub. neminem eunuchum fieri permittit, sed apud barbaros solum barbaros. Si quis tamen apud nos castratus sit, liber sit, si servus fuerit, etiamsi propter morbum castratus sit*. Lib. 4. Cod. Tit. 42. Const. 1.2. & Lib.48. Tit.8. Dig.4. 5.6. 11. & in Novella 142. Vid. Leon. Novell.60. cuius etiam Balsam.meminit in Constitut. Apost.21. Quamvis etiam pœnæ loco interdum castratio adhibita. Sic enim castigati *masculorum concubitores*. Wis. 3. Tit. 5. L. 5. 7. LL. Alfredi Reg. cap.25. *Adulteri*. Sal. Tit. 27. §. 4. Rip. Tit. 58. §. 17. *Fures*. Sal. Tit. 13. §. 2. 42. §. 4. 15.

CASVLA] Cap.5. Tit. 2. *Diaconi non sagis laicorum more, sed casulis utantur ritu servorum Dei*. Gall. *casuble*. Procop. Wandalicor. lib.2. p.159. ἱμάτιον ἀμπεχόμενος οὔτε στρατηγῶν, οὔτε ἄλλῳ στρατευομένῳ ἀνδρὶ ἐπιτηδείως ἔχον, ἀλλὰ δούλῳ ἢ ἰδιώτῃ παντάπασι πρέπον, κασοῦλαν αὐτὸ τῇ Λατίνων φωνῇ καλοῦσι Ῥωμαῖοι. In veteri Testamento apud Brisson. in Formul. lib. 7. p.768. *Acetabulum, & tria coclearia, & casulam cuius fimbrias commutavi*. Extat sæpe in ordine Rom. de divinis offic. Hrab. Maur. de inst. cler. lib. 1. cap. 2.

CATECHVMENVS] Cap. 5. Tit. 70. Cap.6.Tit.92.244. Cap.7.Tit.190. 336. Lud. Add. 4. Tit. 43. Isidor. Orig. lib.8. cap.14. *Catechumenus dictus pro eo quod adhuc doctrinam fidei audit, nec dum tamen baptismum percepit: nam* κατηχούμενος *Græce, auditor dicitur*. Idem de officiis Ecclesiast. lib. 2. cap. 20.

CATHENATICVM] Wis.7.Tit.4. L. 4. *Cathenatici nomine nihil requirant*. Hispan. *non demanden nada por la guarda*. *Cathenaticum* est, quod cathenarum nomine commentariensi datur: ut *Pulveraticum*, quod agrimensori: nam de tributo hoc nomine vocato dicemus infr. *Sepiaticum*, quod notario, vel antiquario: sic enim intelligendus locus Fulgentii in mytholog. *Redde quod sepiaticum debes*. *Sepiaticum* est δαπάνημα τῆς γραφῆς, id est, ut Icti. loquuntur, impensa scripturæ: ex sepia enim olim tinctam sive atramentum conficiebant. Isidorus lib. 12. cap.6. Scholiast. Persij ad illum vers. *Vanescat sepia*. *Sepium pro atramento* (inquit) *à colore posuit, quamvis non ex ea, ut Afri, sed ex fuligine ceteri conficiant atramentum*. Quæ verba optime ad Fulgent. qui Afer fuit.

CAVCVLATORES] Cap. 1. Tit. 64. German. Gauckler. Circulatores, præ-

stigiatores. Otfrid. Euang. lib. 4. cap. 16. *gougulares*.

CAVHA] Alm. Tit. 99. Gallicana editio. *Canna*. Ms. P. *Cauca*, *Canna* Gallis *anas*; Kaucka Germ. cornix.

CAVPVLVS NAVIS] Burg. add. 1. Tit. 7. Gloss. Isidori *Caupulus, navis*. Papias. *Caupillus, lignum cavatum, quasi cumba, lembus, carabus brevis*. Græc. ἐφόλκια καράβια μίκρα. Gloss. *Cumba, navicula, pars navis*. Egesip. lib. 2. pag. 240. Festus Avien. in descript. orb.

— cumbis turbidum late fretum,
Et belluosi gurgitem Oceani secant.

CAVSA] Sal. Tit. 45. Gloss. *Pœna propter solemnia non servata*.

CAVSÆ REGALES QVÆ AD MANVM REGIS PERTINENT] Long. 1. Tit. 2. l. 8. Lib. 2. Tit. 35. l. 8.

CAVSA ALTERIVS] Cap. 5. Tit. 208. *bona alterius*. *CAVSA EMENDATA*. Alm. Tit. 94.

CAVSAM DARE] Cap. 6. Tit. 279. *CAVSAM FACERE*. Long. 2. Tit. 21. L. 22. *CAVSAM QVÆRERE*. Long. 2. Tit. 55. L. 7. Cap. 3. Tit. 40. *CAVSAM CONQVIRERE*. Cap. 3. Tit. 38. *CAVSAM ADQVIRERE*. Cap. 3. Tit. 51. *CAVSAM REQVIRERE*. Sal. Tit. 60. *CAVSAM alicui tollere*. Long. 3. Tit. 4. L. 5. Jemand das seine nehmen.

CAVSARE] Cap. 2. Tit. 34. *Causam agere*. *CAVSARE CAVSAM ALTERIVS*. Long. 2. Tit. 52. L. 1.

CAVSATOR] Litigator. Sal. Tit. 60. Decret. Child. cap. 11. Long. 2. Tit. 21. L. 30. Tit. 41. L. 1. Cap. 3. Tit. 10.

CAVSATICVS] Boior. Tit. 16. c. 3.

CAVTIO] Long. 2. Tit. 21. L. 13. L. 40. ff. de reb. cred. L. 7. C. de remiss. pig. L. fin. C. de bon. autor. iud. *CAVTVM* L. 20. ff. de operis novi nunc. Corippus:

Debita genitoris persolvit, cauta recepit.

RECAVTA. Novell. Iuliani 130. Glossar. Ῥεκαῦτον, ἀποχῆς εἶδος.

CELLA] Cap. 4. Add. 1. §. 14. *Cellam construere*. Cap. 6. Tit. 138. Moschopulus in Philostrat. ἐν ᾧ κοιμῶνται τοῦτο κελλίον λέγεται κοινῶς, καὶ Ἀττικῶς δωμάτιον, παρ' ὁμήρῳ θάλαμος, καὶ καταχρηστικῶς κοίτων.

CELLARIVM] Alm. Tit. 81. §. 2. Gloss. *Cellarium*, ταμεῖον. Burchard. Decret lib. 19. p. 273. *in cellarium sive in horreum*. Lambertus Scafnab. pag. 147. *CELLARIA*. Form. 175.

CELLARIVS] Add. Lud. 1. Tit. 56. Constant. περὶ θεμ. Κελλάριος ὁ φύλαξ τοῦ ἄρτου.

CENITVS] Sal. Tit. 32. §. 1. Gloss. *oculum erutum habentem*. Gall. *Borgne*.

CENSVALIS TERRA] Long. 3. Tit. 8. L. 3. quæ censum pendet.

CENTENA] Wis. 9. Tit. 2. l. 1. 3. 4. Decret. Child. cap. 11. 12. Chlot. cap. 1. Alm. Tit. 36. Long. 2. Tit 51. L. 11. *Vicina centena adiacentis comitatus*. Cap. 3. Tit. 10. Cap. 4. Tit. 23. Formul. 70. *HVNDREDA*. In Legib. Canuti Reg. c. 15. 19. *on hundrede and on theotunge. per centurias ac decurias*. LL. Guilelmi Bastardi. *Burgi & Castella & hundreda.—Requiratur hundredus & comitatus*. Vet. Chron. in Alvred. *Centurias quas Hundredas vocant, & decimas, quas Thetinge appellant, instituit, ut omnis Angligena legaliter vivens, & centuriam habeat & decimam. Quod si quis alicuius delicti argueretur incommodo, statim exhiberentur ex centuria, qui eum vadarentur & decima.* Ita quælibet provincia in Comitatus divisa: Comitatus in Centenas; Centenæ in Decurias; Decuriæ in Septenas & Quintanas. quæ in Consuetudinib. Bituricens. & Andegav. *Septaines & Quintes* appellantur. Indeq; Comites, Centenarii, Decani, &c. vocati.

CENTENARIVS] Wis. 9. Tit. 2. L. 1. 3. 4. 5. Wis. 2. Tit. 1. L. 26. Sal. Tit. 46. §. 1. Tit. 48. §. 1. Tit. 63. Decret. Child. cap. 9. 11. Cap. L. Sal. cap. 5. Alm. Tit. 36. Rip. Tit. 50. Long. 1. Tit. 25. L. 80. Long. 2. Tit. 30. L. 2. Tit. 42. L. 3. Tit. 52. Tit. 47. L. 1. Cap. 2. Tit. 28. Cap. 3. Tit. 11. 56. 79. Cap. 4. Tit. 26. 57. 63. 64. Cap. 5. Tit. 132. Add. Lud. 4. Tit. 78. Form. 7. 33. 38. 178. *CENTENARIVS COMITIS*. Long. 2. Tit. 47. L. 4. cap. 4. Tit. 62. Gloss. vett. *Centenarij, de re minima scilicet. Minores iudices, ministri Comitum*. Can. 21. Syn. Cabillon. 2. Can. 50. Syn. Mogunt. Can. 1. Syn. Ticinens. Syn. Arelatensis. *Ne Comites vel vicarij, seu iudices, vel Centenarij, sub mala occasione vel ingenio res pauperum emant.* Walafrid. Strab.

Strab. *Centenarij, qui & Centenariones, vel Vicarij, qui per pagos statuti sunt, presbyteris plebium, qui baptismales Ecclesias tenent, & minoribus presbyteris præsunt, conferri queunt.*

CENTESIMÆ VSVRÆ] Edict. Theod. cap. 134.

CERARII] Long. 3. Tit. 5. Cap. 5. Tit. 128. *qui cera obsignant litteras.*

CERRVS] Long. 1. Tit. 19. L. 8. Glossar. *Cerrus* πέτρις, δένδρον. Plin. lib. 7. cap. 9. & authores Rei Rusticæ. Pallad. de architect. *De cerro aut fago seu fraxino axationes, ut ad vetustatem possint permanere.* Gall. *un cerre.*

CERVELLA] Alm. Tit. 59. Boior. Tit. 3. cap. 1. §. 6. Tit. 4. §. 5. Glossar. Latino-Græc. *Cerebellum, Cerebrum* ἐγκέφαλος. Gloss. Latino-Theotisc. *Cerebella* Hirnereba. Gall. *La cervelle.*

CERVISIA] Add. Lud. 1. Tit. 22. *Cervisa.* Form. 35. Pœnitent. Rom. cap. 22. 24. &c. Chartæ vett. in Alman. Gold. Tom. 2. n. 42. *Triginta seglas cervesæ.* Num. 76. *victum de pane & cervisa.* Ibid. n. 49. 59. 61. Ital. *Cervosa.* Gall. *Cervoise.*

CERVVS QVI PRVGIT] Alm. Tit. 99. *Cervus qui non prugit.* Ms. Lois. *Burgit.* æque insolens est, quod in Gloss. legitur; *Burdit*, ψηρπᾷ, χαυλιᾷ. Long. 1. Tit. 19. L. 13. *Cervus qui treudis habet.* Alm. 99. *Cervus domitus.* Rip. Tit. 42. §. 2. *Cerva indomita.* Alman. 99. Cervorum domitorum meminit Iustinian. in Procem. LL. Georgicar. & Institut. lib. 2. Tit. 1. de rer. divis. *Cervos quoq; quidam ita mansuetos habent, ut in sylvam ire & redire soleant.* Cuiusmodi & ille est, quem Virgil. Æneid. lib. 7. his versibus describit.

Cervus erat forma præstanti & cornibus ingens
Tyrrhidæ pueri, quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrhusq; pater, cui regia parent
Armenta, & latæ custodia credita campi.
Assuetum imperijs soror omni Sylvia cura,
Mollibus intexens ornabat cornua sertis,
Pectebatq; ferum, puroq; in fonte lavabat.
Ille manum patiens, mensæq; assuetus herili
Errabat sylvis, rursusq; ad limina nota,
Ipse domum, sera quamvis sub nocte, ferebat.

CERVVS AD VENATIONEM FACIENDAM MANSVEFACTVS] Sal. Tit. 35. §. 2. Insolens nostro seculo hic venandi modus: quem tamen Indi in partem imitari dicuntur, dum sub pelle nimirum cervi latentes venaturam exercent.

A CESPITE REMOVERE] Gloss. *Cespes* χορτόβολος. Long. 2. Tit. 1. L. 3. *à cespite dimittere.* Long. 2. Tit. 23. *à Gleba dimittere.* Germ. von seinem Lande entsetzen.

CESPITATICVM] Formul. 12. Aimoinus lib. 5. cap. 1. p. 264. *Teloneus exigatur nec de navale, nec de carrale, neq; de saumis, neq; de externa evectione, nec rotatico, nec pontatico, nec pulveratico, nec saltuatico, nec cespitatico.* Idem p. 265. *Neq; teloneum aut rotaticum, seu vultaticum, cespitaticum, ripaticum, vel saltuaticum cuiquam accipere liceat.*

CESSIO] *Cessio bonorum.* Wis. 4. Tit. 3. L. 4. *Cessionem de servo facere.* Decret. Chlot. cap. 10. Form. Marculf.

CHARACTEREM ANIMALI INFIGERE] Wis. 8. Tit. 5. L. 8. Festus *dignorant, signa imponunt, ut fieri solet in pecoribus.* Theodoret. in Exod. cap. ξε. τὰς τίμνας ἢ τὰς ἀγέλας αἱ σφραγῖδες δηλοῦσι. Virgil. 3. Georg.

Continuoq; notas & nomina gentis inurunt.

Claudian. in fine lib. 1. de raptu.

— Ditisq; nota signatus Alastor.

De Sibis scribit Strabo lib. 15. pag. 473. quod Herculem imitantes pellibus amiciantur, & clavas gerant, easq; bobus & mulis pro nota inurant. ἐπικεκαῦσθαι βουσὶ καὶ ἡμιόνοις ῥόπαλον. Idem lib. 5. p. 149. notat quendam fuisse, qui lupi signum equis suis inurere solitus fuerit. καυστηριάσαι τε τὰς ἵππους λύκον, καὶ κληθῆναι λυκοφόρους. Sic equis emeritis in maxilla circulus inurebatur, τρισίππιον vocatus. Zenob. in Proverb. ἵππω γηρασκοντι. Vid. Sophoch. in Aiace: Suid. in Κοππατίας ἵππος. Eustath. in Dionys. Perieg. pag. 138. Scholiarst. Aristoph. in Equitib. pag. 223.

CHARAXATVRA] Formul. 71. Gloss. *Charaxo, induco, cancello.* Inde *Charaxatura, cancellatura.*

CHAROENA] Sal. Tit. 64.

CHARTA BOMBACINA] Neap. 1. Tit. 78. *bombacyna papyrus.* Neap. Tit. 3. l. 36. Ital. *Carta di bambagia.*

Charta] *Charta convenientiæ.* Long. 2. Tit. 21. L. 22. 23. *Donationis.* Decret. Tassil. cap. 2. Long. 2. Tit. 18. L. 3. 4. *Emptionis.* Alm. Tit. 19. *Hereditaria.* Form. 62. *Ingenuitatis.* Long. 2. Tit. 34. L. 10. 12. *Per chartam ingenuus dimissus.* Cap. 3. Tit. 43. *Libertatis.* Long. 2. Tit. 34. L. 1. Tit. 35. L. 13. *per chartam liber factus.* Cap. L. Sal. cap. 7. *Manumißionis.* Rip. Tit. 57. Long. 2. Tit. 34. L. 10. 12. Quarum formulas vid. in Concil. Tolet. 1. p. 54. 55. ex Burchardo lib. 2. cap. 30. Ivone part. 6. cap. 131. *per chartam manumitti.* Long. 2. Tit. 34. l. 12. *Obligationis de hominibus qui se aut uxores aut liberos in servitium tradiderunt.* Long. 2. Tit. 33. L. 2. *Possessionis.* Long. 1. Tit. 27. L. 12. *Redemtionalis.* Form. 99. *Traditionis.* Cap. 4. Add. 3. §. 8. *Venditionis.* Long. Tit. 10. L. 2.

Charta in Ivdicio perforata] Rip. Tit. 58. 59. §. 3.

Chartvlarivs Homo] Per chartam sive Epistolam liber factus. Long. 2. Tit. 34. L. 11. Long. 3. Tit. 5. Cap. 5. Tit. 128. Cap. 6. Tit. 208. Greg. Turon. Histor. lib. 9. cap. 26. *migravit à seculo, multos per chartulas liberos relinquens.* Leo Hostiens. Episcopus Chron. Cassin. lib. 2. *Servos quidem suos & ancillas omnes, prius per chartulam libertate donavit.* Non dissimiliter Consuet. Hannon. cap. 84. *Villes chartrees* dicuntur.

Chorepicopvs] *Villani Episcopi.* Cap. 1. Tit. 9. Cap. 5. Tit. 168. 169. Cap 6. Tit. 119. Cap. 7. Tit. 187. 310. 318. Ancyr. Concil. can. 13. Οἱ δὲ χωρεπίσκοποι εἰσὶ μὲν εἰς τύπον τῶν ἑβδομήκοντα, ὡς δὲ συλλειτουργοὶ διὰ τὴν σπουδὴν εἰς τοὺς πτωχοὺς προσφέρουσι τιμώμενοι. *Chorepiscopi instar* LXX. *discipulorum constituti sunt, & ut collegæ in Ecclesiæ cultu ac ministerio, ob studium in pauperes, ad Episcoporum honorem ac dignitatem accedunt.* Concil. Antiochen. cap. 10. τοὺς ἐν ταῖς κώμαις ἢ ταῖς χώραις ἢ τοὺς καλουμένους χωρεπισκόπους, εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν ἐπισκόπων εἰληφότες, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ εἰδέναι τὰ ἑαυτῶν μέτρα, καὶ διοικεῖν τὰς ὑποκειμένας αὐτοῖς ἐκκλησίας, καὶ τῇ τούτων ἀρκεῖσθαι φροντίδι, καὶ κηδεμονίᾳ, καθιστᾶν δὲ ἀναγνώστας καὶ ὑποδιακόνους, ἐπορκιστάς, καὶ τῇ τούτων ἀρκεῖσθαι προαγωγῇ, μήτε δὲ πρεσβύτερον, μήτε διάκονον χειροτονεῖν τολμᾶν, δίχα τοῦ ἐν τῇ πόλει ἐπισκόπου, ᾗ ὑπόκειται αὐτός τε καὶ ἡ χώρα. εἰ δὲ τολμήσειέν τις παραβῆναι τὰ ὁρισθέντα, καθαιρεῖσθαι αὐτὸν καὶ ἧς μετέχει τιμῆς. Χωρεπίσκοπον δὲ γίνεσθαι ὑπὸ τοῦ τῆς πόλεως, ᾗ ὑπόκειται, ἐπισκόπου. Codex Canon. ex Concil. Antioch. cap. 10. *Qui in vicis vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati sint: tamen sanctæ synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, ut gubernent subiectas sibi Ecclesias, earumque moderamine curaque contenti sint, Ordinent etiam lectores & subdiaconos atque exorcistas, quibus promotiones istæ sufficiant. Nec presbyterum vero, nec diaconum audeant ordinare, præter civitatis Episcopum, cui ipse cum possessione subiectus est. Si quis autem transgredi statuta tentaverit, depositus quo utebatur honore privetur. Chorepiscopum vero civitatis Episcopus ordinet, cui ille subiectus est.*

Chrenecrvda] Sal. Tit. 61. Decret. Child. cap. 15.

Chrisma] Long. 3. Tit. 27. Cap. 6. Tit. 77. 175. Cap. 7. Tit. 95. 189. 310. Add. Lud. 3. Tit. 1. Isidor. Origin. lib. 6. cap. ult. *Chrisma Græcè, Latinè unctio nominatur, ex cuius nomine & Christus dicitur, & homo post lavacrum sanctificatur.* Chronic. Reichersp. Anno 321. *Sylvester PP. constituit, ut chrisma ab Episcopo conficiatur, & ut baptizatum liniat presbyter in vertice.* Hrabanus Maur. de instit. cler. lib. 1. cap. 28. Alcuin. de divinis off. &c.

Chrisma Sanctvm ad Ivdicivm svbvertendvm] Cap. 3. Tit. 55. Burchard. Decret. lib. 19 p. 287. *Bibisti chrisma ad subvertendum Dei iudicium,* &c. Pœnitent. Rom. Tit. 6. c. 6. ex Concil. Tribur. cap. 4. Ivo Carnot. Decret. part. 11. cap. 51.

Chrisma Svb Prætextv Medicinæ vel Maleficii] Cap. 5. Tit. 80. Can. 18. Syn. Arelat. Can. 4. Syn. Tribur. can. 3. & 20. Syn. Turonens. Can. 27. Syn. Mogunt. *Nam criminosos eodem chrismate unctos, aut potatos, nequaquam ullo examine deprehendi posse à multis putabatur.*

Cignvs Domesticvs] Long. 1. Tit. 19. L. 14.

Cilicivm] Cap. 5. Tit. 58. 71. Vid. quæ ad Ammian. notata sunt, lib. 24.

Cine-

CINEWERDVNIA] Rip. Tit. 33. §. 2. Tit. 72. §. 3. 6. 7. Glos. Latino Anglo-Sax. *Quaternio Cine. werdunia* German. Werdung. an ergo est quadruplex weregild? an legend. *sine werdunia suum*, &c?

CINGVLVM] Edict. Theod. in fine. *Cingulum* pro insignibus dignitatum usurpatur. Suid. ζώνη, τὸ ἀξίωμα. CINGVLO SPOLIARI. Cap. 5. Tit. 228. *Cingulum militiæ.* Cap. 6. Tit. 76. *Cingulum amittere.* Cap. 6. Tit. 99. *Cinguli amissio.* Edict. Theod. Cap. 73. *Cingulum deponere.* L. 2. C. Vbi de ratiocin. & alibi in iure Rom. sæpius.

CINGVLVM INSCRIPTIONIS] Neap. 2. Tit. 14. *vinculum inscriptionis.*

CIRCINARE CABALLVM] Long. 1. Tit. 25. L. 43. *Diffiguraverit aut circinaverit.*

CIRCVLVM PVGNATORIVM INGREDI] Neap. 2. Tit. 37. L. 2. Specul. Sax. Lib. 1. Art. 63.

CIRCVLVS AD CVPAS] Wis. 8. Tit. 3. L. 8. Gall. *cercle de tonneau.* Hisp. *Arcos de cubas.*

CITATORIVM] Neap. 1. Tit. 95. *Citatoria.* L. 5. Cod. Theod. de princ. agent. in reb.

CLADOLG] Fris. add. Tit. 3. §. 44. *Si quis alium unguibus crataverit, ut non sanguis sed humor aquosus decurrat, quod Cladolg vocant.* Kleyen Germ. unguibus scalpere. *Dolg*, pauperiem aut vulnus significat, unde in vett. Glossario Latino-Sax. *Dolchswæda, cicatrix.* Hinc ergo vox composita. Infr. *in Dolg.*

CLAMOR] Long. 3. Tit. 1. L. 11. Cap. 2. Tit. 33. Gall. *Clain.* Specul. Sax. lib. 1. Art. 62. *Clamor iudiciarius.* In duplomate Hludow. *Contra regiam maiestatem nostram si quis iniuste aliquid commiserit, clamorem de illo ad Abbatem faciemus.* Inde CLAMATORES Cap. 2. Tit. 12. Cap. 3. Tit. 7. 59. *Clamatores & causidici.* Cap. L. Sal. cap. 3. §. 5.

CLAMARE] Cap. L. Sal. cap. 2. §. 1. Cap. Kar. Lib. 1. Tit. 10. Infr. *Reclamare.*

CLAMARE CANEM] Long. 1. Tit. 20. L. 1.

CLAVA SPINOSA] Neap. 2. Tit. 37.

ACCEPTOR INTRA CLAVEM REPOSITVS] Sal. Tit. 7. §. 3. Gall. *estant soubz clef. Vas apum de intro CLAVE, aut sub tecto.* Sal. Tit. 9. §. 1. 3. Tit. 23. *CLAVEM effringere vel adulterare.* Sal. Tit. 12. §. 5. *Screona quæ CLAVEM habet.* Sal. Tit. 29. §. 31. *Screona quæ sine CLAVE est.* Sal. Tit. 29. §. 35. *Domus ubi CLAVIS est.* Chlot. cap. 4.

CLAVOS ABINTVS REPLICATOS SVIS TVNICIS INSVANT] Wis. 3. Tit. 5. L. 4. Forum Iudic. Hisp. p. 214. *Cosen otros panos dedentro con las saas moy sotilmientre.* Quid CLAVVS in veste Romana, & quid *latus* vel *angustus clavus* pauci ignorant. Ea vero significatione & hic usurpatur.

CLAVSTRVM] Cap. 5. Tit. 78. *Claustra canonicorum.* Cap. 1. Tit. 95. Cap. 4. Tit. 50. *Claustra clericorum.* Cap. Karoli Reg. 16. *Claustra monasterij.* Cap. 5. Tit. 148. Synod. Mogunt. præfat. *in claustro basilicæ.* Auctor. vitæ S. Simeonis *clausuram* dixit. *Ædificavitque sibi clausuram ex lapide sicco.*

CLAVSÆ] Cap. 5. Tit. 184. *Clausæ. Slusæ,* interpositiones, inde *Escluses.* Anonymus in vita Caroli M. *montium angustias quas clusas vocant.* Idem in Ludovico Ann. DCCCXVII. *Omnes aditus id est clusas quibus in Italiam aditur.*

CLAVSVRA] Burg. Tit. 23. §. 3. Tit. 49. §. 2. Sal. Tit. 8. Boior. Tit. 13. c. 3. Rip. Tit. 82. Long. 1. Tit. 14. L. 3. Tit. 19. Tit. 23. Tit. 25. L. 45. Long. 2. Tit. 36. Long. 3. Tit. 4. L. 1. *Clausura in aqua.* Alm. Tit. 83. Clausurarum mentio in l. 2. §. 4. C. de off. præf. præt. Afr. L. 4. C. de off. magist. Glossarium Nomicum & Theophyl. Simocatta lib. 7. p. 358. οἱ βάρβαροι τὰ ὀχυρώματα τῶν διαβάσεων πεπολιόρκηκασι, κλείσουρας τῇ πατρίῳ Ῥωμαῖοι φωνῇ ἀποκαλεῖν ταῦτα εἰώθασιν. CLVSVRA. Wis. 8. Tit. 3. l. 14. Tit. 4. l. 29. Vid quæ ad Paul. Warnef. de Longob. notata.

CLERICVS QVI IN GRADV EST] Alman. Tit. 16. *Clericus cuiuslibet gradus.* Cap. 7. Tit. 309. Chronicon Reichersp. Ann. CXLVI. *Hyginus PP. coronatur. Hic constituit clerum, & constituit gradus.*

CLERICARE SERVVM] Long. 1. Tit. 33. *clericum ordinare.*

CLIDA] Rip. Tit. 77. *in clida levare.* In veteri Gloss. Latino-Saxonico. Tit. de partibus domus, sic legi: *Laquear* fyrst, *Cleta* hyrdel. An vero id huic loco faciat, non video.

COCLEARII] Cap. I. Tit. 21. Can. 36. Syn. Laodic. *Μάγυς ἢ ἐπαοιδὺς εἶναι, ἢ μαθημαλικὺς, ἢ ἀςρολόγυς, ἢ ποιεῖν τὰ λεγόμδμα φυλακτήεια.* Germ. Gockler.

CODICILLVS] Edict. Theod. Cap. 90.

COGCIONES] Cap. I. Tit. 79. Gall. *Coquins*. Sangallensis Monach. lib. 2. de gestis Caroli Mag. p. 412. *Quidam coccio derasus insulsus & insaniens, linea tantum & femoralibus indutus.*

COGNITOR SACER] Qui vice sacra iudicat. Edict. Theod. in fine. Formul. 110. 119. *Cognitor sacer*. Edict. Theod. cap. 55. L. 9. C. Theod. de reparat. L. 5. C. Quorum app. *Cognitori præbere consilium.* Marcell. Memorialis in Ep. ad Severian. in actis collat. Carthag.

COHIBENTIAM FACERE] Cap. 5. Tit. 129. L. 59. C. Theod. de Appellat. *Conhibentiam præstet iudici*. L. 26. C. Th. Quorum appell. *Conhibentiam adhibuerit.* atque ita in quibusdam codicibus Leg. Wisig. hæc vox scribitur. Privileg. Reichersp. Ann. MCLIII. p. 189. *Qua conventione cōvenienter ex omnium partium coiventia ordinata totalis in manum nostram sic est refutata.* Gloss. *Cohibentia ῥαθυμία, συνοχὴ.*

COLLATA ECCLESIÆ] Cap. I. Tit. 87.

COLLATIONEM PATRIÆ SVBIRE] Edict. Theod. cap. 69.

COLLATIO] Add. Lud. I. Tit. 70. Glossar. *Collatio Σύγκελσις δείπνυ.* Gall. *Faire collation.*

COLLECTA] Long. I. Tit. 12. l. 3. *cum collecta & armis venire*. Long. I. Tit. 14. L. 14. Cap. 3. Tit. 64. *Collecta ad male faciendum.* Long. I. Tit. 17. L. 10. Add. Lud. 4. Tit. 78. *cum collecta assilire*. Long. 3. Tit. 4. L. 3. Cap. 5. Tit. 130. Fragment. Francicor. annal. Canis. Tom. 3. pag. 191. *Griso collectam fecit una cum Saxonibus.*

COLLECTA] Cap. 3. Tit. 63. *cum colligitur populus.* Walafr. Strabo cap. ult. de exord. rer. Eccles.

COLLECTA] Neap. *Si dominus Hierosolymam invisere velit.* Gall. *Questes*.

COLLECTVM] Long. 2. Tit. 46. l. 2.

COLLEGIA CIVITATVM] Edict. Theod. cap. 64. inde *COLLEGIATI*. Edict. Theod. cap. 69. Novell. Valentiniani Titul. XII. Novell. Leonis & Maior. Tit. I. L. I. Cod. Theod. Ne oper. à conl. L. 5. Cod. Th. De loc. fund. L. 12. De veter. L. I. & 2. C. Th. De coll. L. 4. de op. pub. Vetus descriptio Vrb. CP. Isidor. Orig. lib. 9. cap. 4. *Collegiati dicuntur, quod ex eorum collegio custodijsq; deputentur, qui facinus aliquod commiserunt. Est enim sordidissimum genus hominum.*

COLLIGERE INFANTES EXPOSITOS] Cap. 6. Tit. 142. *Collectionis Epistola.* Form. 138. Vid. Cuiac. Observat. Inf. *Expositi.*

COLONVS] Edict. Theod. cap. 21. Burg. Tit. 39. §. 3.

COLONVS ECCLESIÆ] Alm. Tit. 9. liberæ erant conditionis, ibid. & inf. Tit. 23. 57. Boior. Tit. I. cap. 14. Long. 2. Tit. 32. L. 6. Cap. 3. Tit. 36. Glossar. *Colonus servus Ecclesiæ.*

COLONI REGIS] Alm. Tit. 23.

COLONICI] Form. 17. 41. *COLONICA.* Burg. Tit. 38. §. 7. Tit. 67. Form. 5.

COLONATICVM] Form. 163. *Colonitium*. Form. 164. 166. 167. Servitium quod colonus debet.

COLPVS] Sal. Tit. 19. §. I. 7. Alm. Tit. 95. Form. 150. Gloss. *Colpus, ictus.* Gall. *coup.* Ital. *Colpo.*

COMAM DEPONERE] Long. 3. Tit. I. L. II. Cap. I. Tit. 143. Concil. Tolet. 4. cap. 55. Beda in Martyrolog. XVIII. Kal. Febr. *Coma deposita monachorum pater extitit.* Idem. Kal. Maij. *Coma deposita habitum religionis suscepit.* De hac comæ depositione sive tonsura Theophylact. in acta Apost. cap... p. 157. *οἱ θέλονῖες γὰρ δῆθεν θεοσεβῶς ζῆν, ἐποίυν τῦτο* (*scil. ut comam deponerent*) *Ἀλλὰ ἢ ἔθ☉ ἦν παλαιὸν ἰυδαίοις τῦτο, ὥστε καλῶς ἢ οἱ μονάζοντες ἢ αἱ κανονικαὶ ἀποκείρονται τὰς κόμας.* Hrabanus Maur. de instit. clericor. cap. 3. *Tonsura Ecclesiastici usus à Nazaræis (ni fallor) exorta est, qui prius crine servato, denuo post vita magna continentiam devotione completa caput radebant, & in ignem sacrificij ponere iubebant, scilicet ut perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent. Horum ergo exemplis usus ab Apostolis introductus est, ut hi qui divinis cultibus mancipati Domino consecrantur,* &c. Qui mos consimilis ritui paganorum, qui suas quoq; Vestales virgines adtondere soliti. Plin. lib. 16. c. 44. Sed Christianorum tonsura duplex, alia scilicet *γυροφδὴς*, alia vero cum *τὴν κάραν ὁλοτελῶς* sive *ἐν χρῷ* raderent: unde hæc quoq;

quoq; in monachis, illa vero in clericis frequentata fuit. Vid. German. CP. in Lyturgicis pag.149.150. Eliam in Gregor. Nazianz. Orat.19. p.520.

COMAM DIMITTERE IN POENITENTIA] Cap.5. Tit.52. Gregor. Turon. lib.6. cap.28. *Caput totondit, atq; pœnitentiam accipiens spiritum exhalavit.*

COMA CABALLI] Wis.8. Tit.4. L.3. *iuba caballi.*

COMACINVS MAGISTER] Long.1. Tit.9. L.9.10. *à loco sic dictus.* Gloss.

COMBINARI] Neap.1. Tit.59.l.2. Glossar. *Combinat* ζυγνύει. Item. ζυγίζω *combino.* ζεῦξις κατὰ δύο *Combinatio.*

COMES] Wis.2. Tit.1. L.23.26.29. Wis.3. Tit.1. L.1. Wis.4. Tit.5. L.6. Wis.5. Tit.4. L.19 Tit.7. L.20. Wis.8. Tit.1. L.5. Wis.9. Tit.2. L.8.9. Wis.11. Tit.1. L.2. Wis.12. Tit.1. L.2. Burg. Prol.& add.2.§.10.13. Cap. L.Sal.cap.21. Alm.Tit.1.18.84. Boior. Tit.2.cap.5. Rip. Tit.50.88. Long.1. Tit.17. L.10. Tit.25. L.63.&c. Tit.30.34. Long.2. Tit.43.45. Long.3. Tit.1. Cap.3. Tit.26. Cap.4. Tit.62. Cap.6. Tit.207. Form.7. Specul. Sax. *Comes* Greve. *Adsessores iudicum* Papiniano L.4. ff. de off. adsess. Francis, *iudices ordinarij.* Greg. Turon. de B. Nicetio. *Nam vidi ego quodam tempore Basilium presbyterum missum ab eo ad Armentarium comitem, qui Lugdunensem urbem his diebus potestate iudicaria gubernabat.* Idem de B. Gregorio Lingon. Episc. *In Comitatu positus regionem illam per XL. annos iustitia comitante correxit. Erat enim severus atque districtus in malefactoribus, ut vix ei ullus reorum posset evadere.*

COMES CIVITATIS] Wis.2. Tit.1. L.12.31. Tit.3. L.10. Wis.3. Tit.4. l.17. Tit.6. L.1. Wis.4. Tit.2. L.14. Wis.6. Tit.1. L.1. Wis.7. Tit.1. L.5. Tit.4. l.2. Wis.8. Tit.4. L.26.29. Wis.9. Tit.1. L.20. Tit.2. L.1.3.4.5.6. Burg. Prolog. Gregor. Turon. lib.9. cap.5. *Responderunt hoc Animodi vicarij dolo qui pagum illum iudicaria regebat potestate, factum fuisse. Protinusq; directis Rex litteris ad Comitem urbis, iubet ut eum vinctum in præsentiam Regis dirigeret.* Idem lib.5. cap.48. *Comes Turonus.* Lib.6. cap.22. *adprehensi sunt duo homines à Nonnichio Lemovicinæ urbis Comite.* Concil. Tolet.13. *Comes civitatis Toletanæ.* Horum vero munus facile apud Cassiodor. animadvertitur, lib.7. Var. ex Comitativæ Romanæ & Ravennatis formula, & alibi in eisdem libb.

COMES LOCORVM] Burg. Tit.49.

COMITES AD MARITIMAM CVSTODIENDAM] Cap.4. Tit.5. Amm. Marcell. lib.27. p.370. *Comes maritimi tractus.*

COMITES PAGORVM] Burg. Prolog. Cap.6. Tit.99.100.

COMES PALATII] Cap.3. Tit.77. Cap.5. Tit.151. Form.182. *Comes Palatinus,* in vita Austrebertæ sub Dagoberto. *Comes sacræ aulæ* Gunthero. Spec. Saxon. lib.2. Art.... Pallensgrefe. Hincmarus Epist. ad Episcopos Franciæ. *Comitis palatij inter cetera penè innumerabilia in hoc maxime sollicitudo erat, ut omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ propter æquitatis iudicium palatium aggrediebantur iuste ac rationabiliter determinaret, seu perverse iudicata ad æquitatis tramitem reduceret. Si quid vero esset tale, quod leges mundanæ hoc in suis definitionibus statutum non haberent, aut secundum gentilium consuetudinem crudelius sancitum esset, quam Christianitatis rectitudo, vel sancta auctoritas merito non consentiret, hoc ad Regis moderationem perduceretur,* &c. Eginhardus in vita Karoli. *Si Comes palatij litem aliquam esse diceret, quæ sine eius iussu definiri non posset, statim litigantes introducere iussit, & veluti pro tribunali sedens lite cognita sententiam dixit.*

COMES PATRIMONII] Wis.12. Tit.1. L.2. Aurelius Cassiodor. lib.1. Var.16. *Iuliano Comiti patrimonij.* Idem Lib.8. Var.23. *Bergantino viro illustri comiti patrimonij.* Concil. Tolet.13.&18 *Vitulus Comes patrimonij. Curator patrimonij Cas.* L.ult.C. de quadr. præs. Huius dignitatis munus affatim dinoscitur ex form. Comit. Patr. apud Cassiod. lib.6. Var.9. Epigram. vet.

Aulica quippe Comes rexi patrimonia clarus,
Et mea patricio fulserunt cingula cultu.

Neq; vero cōfundenda est comitiva patrimonii, cum comitiva privatarum rer. quippe cum diversas earum formulas referat Cassiod. lib.6. Var. diversam quoq; eorum fuisse dignitatem certum est.

COMES PROVINCIARVM] Wis.8. Tit.1. l.9. L.1. C. Theod. de offic. rect. prov.

COMITATVS] Longob. 2. Tit. 18. L. 7. Tit. 51. L. 11. Cap. 4. Tit. 23. &c. *ad Comitatum pergere*. Add. Ludov. 4. Tit. 98. *Comitatus honore carere.* Cap. 7. Tit. 335. *Comitatus de castro nomen habet.* Neap. 3. Tit. 14.

COMITATVS FORMVLA] Marculf. form. 32. *Lettres de provision sur l'estat du comtè.* Vid. P. Pithæum lib. 1. de memoires de Comtes, p. 21.

COMIATVS] Cap. 5. Tit. 16. 42. Can. 9. 13. Synod. Vernis habitæ Can. 3. Aurel 4. Glossar. Nomicum, Κομεάτον, εἴρηη ἐπιστολὴ, ἡ πιτάκιον. Gloss. Cyrilli Κομίατον, εξαίτησις τε̃ ἀφεθῆναι. Gall. *Congè.*

COMMARCANI] Boior. Tit. 11. cap. 5. Tit. 16. cap. 1. §. 2. Tit. 21. §. 11. Consortes quorum marcæ vicinæ sunt. Inde *Comarca.* Hispan. *en la ciudad o sus comarcas.* Infr. *Marcha.*

COMMATER] Long. 2. Tit. 8. l. 5. Cap. 5. Tit. 100. Cap. 6. Tit. 316.

COMMENDATITIÆ LITTERÆ] Cap. 1. Tit. 3. Add. Lud. 3. Tit. 49. Infr. *Littera.*

COMMENDARE SE IN ALICVIVS MANV] Alm. Tit. 84. Long. 2. Tit. 11. L. 1. 3. *Commendare se ad curtem Regis.* Long. 2. Tit. 11. L. 3. *Commendare se ad Regem.* Formul. 38. *Commendatus homo.* Rip. Tit. 72. 73. *Id est, in clientelam ac tuitionem alterius se concredere.* Gall. *se recommender a quelqun.* Cæsar de bello Gall. lib. 4. *Principesq; undiq; convenere, & se civitatesq; suas Cæsari commendarunt.* Agobard. pag. 268. *Mancipium ad Ecclesiam commendare.* Ivo Decret. lib. 2. Tit. de lib. tut. *Commendare se ad Ecclesiam.* Greg. Turon. lib. 4. cap. 41. *Commendare se patrocinio alicuius.* Aimoin. lib. 4. cap. 64. *More Francico in manus Regis in vassaticum manibus semetipsum commendavit.* Anonymus Historic. in Pipino An. DCCLVII. *Heriboldus rebus suis diffidens ad Imp. venit, & se in manus illius commendavit, quem ille susceptum in Saxoniam ire, & oportunum tempus expectare iussit, quo ei quemadmodum petierat auxilium ferre posset.*

COMMENDARE RES SVAS IN CASA CVIVSCVNQVE] Long. 2. Tit. 27. *Commendata res.* Alman. Tit. 5. Boior. Tit. 14. Long. 2. Tit. 27. Vid. cap. Nemo deinceps. de Elect. in 6.

COMMENDATIONEM VEL BENEFICIVM ECCLESIASTICVM HABERE] Long. 2. Tit. 44. L. 2.

COMMINARE IGNEM] Long. 1. Tit. 19. L. 27.

COMMISSORIA COMITVM VEL IVDICVM] Wis. 2. Tit. 1. L. 14. 17. Hispan. *mandado del iuez de la Cibdat, o de otros iuezes.*

COMMONITORIVM] Wis. 7. Tit. 5. L. 3. Form. 110. Gloss. nomicum. Κομμονιτώριον, ἐπιστολὴ ἀποσταλεῖσα μετὰ προτάξεως. Leo PP. Epist. Decret. 93. p. 264. *Epistola sermo, & commonitorij series, & libelli tui textus demonstrant.* Decret. Innocent. PP. cap. 45. *Litteris vel commonitorio.* Amm. Marcell. lib. 28. p. 385. Cassiod. Var. 7. form. 22.

COMMORSVM GRVARIVM] Rip. Tit. 36. §. 11.

COMMVNIO PEREGRINA] Add. Lud. 4. Tit. 99. id est, laicorum. In communione enim hic ordo servabatur, ut Sacerdotes & Levitæ ante altare communicarent, in choris clerus, extra chorum populus, Concil. Tolet. 4. c. 18. Concil. Ilerd. c. 18. Concil. Agath. Can. 2. Communio cum laicis, ordine post clerum & loco extra chorum: quæ in pœnam dabatur clericis, utriusque tamen speciei, qualem tunc laicos ex more Ecclesiæ Catholicæ percepisse, Lindanus probat lib. 4. Panopl. Euang. cap. 58. In actis Synod. Suession. *Sæpe dictum Ebbonem damnavit Episcopum, adeo ut inter laicos communionem tantum habere mereretur.* Athanas. Apol. 2. *Atqui Coluthum in gradu presbyterij mortuum, omnesq; ab eo constitutos sacerdotes sive clericos, in laicorum ordinem redactos esse, & sub nomine laicorum ad synaxin admissos apud omnes constat.*

COMMVNIA] Form. 57. 58. *Pascuis, communijs, nec non & mancipiis.* Aimoin. lib. 5. c. 53. *communiam dissolvi fecit.* cap. 56. *communiam facere. — communiam manutenere.*

COMPARARE] Sal. Tit. 39. Alm. Tit. 83. Long. 2. Tit. 28. Tit. 38. l. 1. Gloss. *Comparare* συνωνήσασθαι. Cassiod. lib. 10. Ep. 18. *Annonas comparare secundum forum rerum venalium.* COMPARATIO. Long. 2. Tit. 35. l. 6. emptio. COMPARILIA. Boior. Tit. 9. cap. 2. §. 5. COMPARATVM. Form. 60. &c. Gloss. *Comparata* ἀγορασθέντα.

COMPI-

COMPILATIONES] Neap. Tit. 69. L. 2.

COMPLETORIVM] Add. Lud. 1. Tit. 48. Hrabanus Maur. de instit. cler. lib. 2. cap. 8.

PER COMPOSITIONEM SEDVCERE] Sal. Tit. 69. *Compositiones quæ ad palatium pertinent.* Longob. 1. Tit. 2. L. 20.

COMPVLSORES EXERCITVS] Wis. 9. Tit. 2. L. 2. 9.

COMPVTVS] Cap. 1. Tit. 72. Cap. 4. Add. 1. §. 5. Cap. 6. Tit. 226. Iul. Firmic. lib. 1. cap. 2. *Vides ut primos discentes computos, digitos tarda agitatione deflectant.* Sed in Capitulari computus Paschalis intelligitur.

CONCAGATVS] Sal. Tit. 32. §. 2. Glossar. *Conchagatum, sordidatum.* Gall. *foireux, breneux.* honos sit auribus.

CONCAMBIARE] Sal. Tit. 39. Form. 19. *Concambium.* Alman. Tit. 20. Form. 41. supr. *Cambium.*

CONCAPVLARE] Sal. Tit. 8. §. 4. Gloss. *truncare, vel inscindere.* Aliæ gloss. *Scapellare, id est, exscindere, frangere.* In LL. Long. *Si quis caballo alterius caudam capellaverit, id est setas traxerit.*

CONSCISA] Sal. Tit. 18. §. 4. Vet. Chronicon. *Ex nimia festinatione Saxonum cæsas seu firmitates subito introiit.* Item. *Multos Britones conquisierunt una cum castellis, & firmitates eorum locis palustribus & incesis.* Quod alius autor sic reddidit: *Et ibi multa castella acquisierunt, & loca firma & munita palustria & incesa.* Nec tamen omnino male vetus unum exemplar *Concidem* habet. Greg. Turon. lib. 2. *Franci simulato metu se in remotiores saltus receperant, concidibus per extrema sylvarum procuratis.* Et. *qui coniunctis arborum truncis vel concidibus superstantes.* *Concades* appellat Cæsar: & Marcellinus *Concæde*, inquit, *arborum densa undiq; semitis clausis.* Et alibi. *Difficiles vias & suapte natura clivosas concadibus clausere solerter, arboribus immensi roboris cæsis.* Vid. quæ ad Ammiani lib. 16. notata.

CONCLAMARE] Alm. Tit. 36. §. 5. *conclamare causas.* supr. *Clamare.*

CONCLVSIONES AQVARVM] Wis. 8. Tit. 4. L. 30. Hispan. *los estancos de la agua.*

CONCLVSVM] Wis. 8. Tit. 3. L. 5. *de prato sive concluso.* Tit. 4. L. 25. 27. Wis. 10. Tit. 1. l. 13. Aimoin. lib. 5. p. 333. *prædia una cum clauso.* Hisp. *prado cercado.* Gall. *un clos.* Vid. quæ ad Paul. Warnef. de Long. notata.

CONDEMNARE] Form. 38. *Condemnata terra.* Sal. Tit. 71. Specul. Sax. lib. 3. Art. 1. *Condemnata ædificia.* Art. 68. *castrum condemnatum.*

CONDEMNATVS CVM PONDERE ET MENSVRA AD COLLVM EIVS APENSIS, IN SVI POENAM ET ALIORVM EXEMPLVM, PER TERRAM IN QVA FRAVDEM COMMISIT FVSTIGETVR] Neap. 3. Tit. 36. L. 3.

CONDITA] Form. 14. 25. 128. 151. *in illis conditis vel finibus.*

CONDRICTVM] Cap. 3. Tit. 81. CONDIRGERE. Form. 147.

CONDVCTOR INGENVVS IN VILLA] Burg. Tit. 88. §. 9. *Conductura.* Long. 1. Tit. 20. L. 4.

CONFECTIO] Neap. 3. Tit. 34. L. 3. *Confectionarius.*

CONFIRMATIO CVM CHRISMATE] Long. 3. Tit. 1. L. 8. Cap. 4. Add. 1. §. 22. Cap. 6. Tit. 83. 160. 174. Cap. 7. Tit. 95. 299.

AD CONFIRMANDVM FILIVM CORAM EPISCOPO LEVARE] Long. 3. Tit. 30. Concil. Mogunt. c. 55. p. 117. Concil. Leptinens. apud Fulbert. Carnot. Episc. Epist. 13. p. 11. Burchard. Decret. lib. 19. *Tenuisti filium tuum vel filiam, vel filiastrum tuum vel filiastram tuam ad confirmationem, vel à fonte suscepisti, & ideo hoc fecisti ut discidium faceres inter te & uxorem tuam,* &c.

QVIDAM DEO SOLVMMODO CONFITERI DEBERE DICVNT PECCATA] Add. 3. Tit. 31. Can. 33. Synod. Cabill. Alcuinus fratribus & patribus in provincia Gothor. Epist. 26. *Dicitur vero neminem ex laicis suam velle confessionem sacerdotibus dare, quos à Deo Christo cum sanctis Apostolis ligandi solvendiq; potestatem accepisse credimus,* &c. *Deo vis ô homo confiteri, quem volens, nolens, latere non poteris. Ecclesiæ Christi, in qua peccasti, satisfacere negligis?*

IN CONFVSVM MITTERE] Long. 2. Tit. 14. L. 15.

CONIECTUM] Long. 3. Tit. 1. L. 38. Tit. 6. L. 2. 3. Cap. 3. Tit. 35. Cap. 4. Tit. 69. Gloss. *Coniectum, victus.* In edicto Caroli in Carisiaco Anno 861. *Volumus propter paupertatem hominum, quia necesse fuit in istis temporibus coniectum de illis accipere, & ad navium compositionem, & in Normannorum causa pro regni sui, sicut res coniacet, salvamento.* Gregor. Turon. lib. 6. cap. 45. *Nihil de fisco suo Rex dari praecepit, nisi de pauperum coniecturis.* Quod ita refert Aimoin. Lib. 3. cap. 36. *Vt de substantijs pauperum necessaria eis in itinere subministrentur.* Flodoard. *De coniecto Normannis dando.* Privileg. Laurif. p. 60. *Coniectas seu publicas redhibitiones.*

CONIUGIUM] *Dato pretio, & sicut consuetudo est ante testes facto placito, de futuro coniugio.* Wis. 3. Tit. 4. L. 2. 7. Ergo & apud Gothos, perinde ac apud Romanos & Francos, matrimonii emptio per æs & libram usitata fuit. Vid. quæ notata ad L. Salic. Tit. 46.

CONIUNCTIO CARNALIS CUM UXORIBUS GRATIA PROLIS NON VOLUPTATIS FIERI DEBET] Cap. 6. Tit. 214. B. Augustin. lib. de decem chord. *Cum ipsa uxore si exceditur concumbendi modus, procreandis liberis debitus, iam peccatum est. Ad hoc enim ducitur uxor, id etiam tabulæ indicant, ubi scribitur* LIBERORUM PROCREANDORUM *causa.* Clemens Alex. Pædagog. lib. 2. c. 10. p. 83. ψιλὴ γὰρ ἡδονὴ κἂν γάμῳ παραληφθῇ, παράνομός ἐστι καὶ ἄδικος καὶ ἄλογος. Christiani ergo vitantes omnē exorbitationem, hoc Venereo congressu parcè utebantur: secius quam pagani, qui gloriæ sibi ducebant novas figuras ac schemata eius invenire. Tertull. ad uxorem lib. 2. cap. 3. *Gentilem enim observando gentilia exhibebit* (uxor): *formam, extructionem, munditias seculares, blanditias turpiores, ipsa etiam matrimonij secreta maculosa; non ut penes sanctos officia sexus cum honore ipsius necessitatis, tanquam sub oculis Dei modestè & moderatè transiguntur.*

CONIURATORES] Alm. Tit. 6. §. 5. Fris. Tit. 14. §. 2. Long. 2. Tit. 51. L. 15. *Cum XII. coniuratoribus legitimis per sacramentum affirmare.* Cap. 4. Tit. 13. Cap. 4. Tit. 26. 74. *Consacramentales.* Cap. 3. Tit. 58. Audoënus Rothomag. Episcopus de vita B. Eligij lib. 2. cap. 50. *Lata igitur sententia est, ut vir ille cum multis aliis iuraret: sic enim apud alios in more positum est.*

CONLABORARE] Rip. Tit. 37. §. 2. Cap. 4. Tit. 9. Formul. 29. 30. *Conlaboratum.* Cap. 2. Tit. 21. Form. 103. *Conlaboratio.* Cap. 4. Tit. 9. Synod. Tribur. can. 14. *Si vero in qualibet sylva vel deserto loco aliquod desertum collaboraverit.*

CONLUDIUM] Decret. Childeb. cap. 7. *Conludio.* Boior. Tit. 8. cap. 6. *Conlusio.* Cap. 5. Tit. 190. L. 11. C. Theo. de iurisd. Gloss. *Conludium, Conlusio, & Compactum* συνδιασμός.

CONQUISITUM] Cap. L. Sal. Lud. Imp. cap. 2. Cap. 4. Tit. 74. Gall. *Conquests, sont acquisitions de biens, faictes durant le mariage.*

CONSACRAMENTALIS] Cap. 3. Tit. 58. infr. *Sacramentalis.*

CONSCRIPTOS FIRMARE] Formul. 49.

CONSILIUM] Sax. Tit. 2. §. 5. id est, conscientia. Infr. *Consiliari in mortem Domini.* Sax. Tit. 3. §. 1. *Consiliari contra animam Regis.* Long. 1. Tit. 1. L. 1.

CONSILIARIUS] Burg. Prolog. & add. 2. §. 13.

CONSOLATIO] Add. Lud. 1. Tit. 11. Form. 34. Infr. *Solatium.*

CONSORTES] Wis. 8. Tit. 5. L. 5. Wis. 10. Tit. 1. L. 4. 5. Tit. 3. L. 5. Burg. Tit. 49. §. 3. Aurelius Cassiodor. Var. 7. Epist. 3. *Cum, Deo iuvante, sciamus Gothos vobiscum habitare permixtos, ne qua inter consortes, ut assolet, indisciplinatio nasceretur, necessarium duximus illum sublimem virum bonis nobis moribus hactenus comprobatum, ad vos Comitem destinare, qui secundum edicta nostra inter duos Gothos litem debeat amputare.* Gloss. *Consors* σύγκληρος. *Consortis* κοινόβιος, σύγκληρος. *Consortes*, qui sortes suas vicinas habent. Hisp. *qui sono parcioneri en el pasco.* Infr. *Sortes.*

CONSORTEM SUUM SUPERPRISERE] Rip. Tit. 60. §. 2. Gall. *surprendre son compagnon.*

CONSTITUTUM PONERE] Long. 2. Tit. 41. L. 3. *ante constitutum pignorare.* Long. 2. Tit. 21. l. 1. *ante diem constitutum.*

CONSUETUDINES] Cap. 4. Titul. 48. ἄπερ ἡ συνήθεια δίδωσι γινώσκειν. Gall. *Coustumes.*

CONTE-

CONTESTARI] Boior. Tit. 2. *Servo suo non contestaverit*. Cap.6.Tit. 15. *Contestatio*. Long. 2. Tit. 21. L. 2. *Contestationis epistola*. Cap.6. Tit. 142. Gall. *Contester*.

CONTRADICERE PROPRIETATEM] Alman. Tit. 84. *Contradicere servum*. Alm. 85. *Contradicere iussionem*. Boior. Tit.2. cap. 8. *Contradicere scrutinium*. Rip. Tit. 47. §. 2. id est, domum ad quærendum intrare cupientem prohibere. Resp. Papian. Tit. 14. *Contradicere incestuosum*. Cap. 5. Tit. 10. *Contradicere alicui res suas*. Formul. 119.

CONSTRATA] Neap. 3. Tit. 38. Ital. *Contrada*.

CONTROPACTIO] Wis. 4. Tit. 5. L. 3. Wis. 6. Tit. 1. L. 5. Wis. 10. L. 1. Tit. 17.

CONTVBERNIVM] Sal. Tit. 16. id est, auxilium.

CONVCVLA] Rip. Tit. 58. §. 18. *Spatha & conucula*. Gloss. Latino-Theotisc. *Colus* Chunchla. Ital. *Conocchia*, Gall. *Quenouille*.

CONVENIENTIAM FACERE] Long. 2. Tit. 12. L. 9. Long. 3. Tit. 10. L. 1. Tertullian. de præscript. cap. 23. *signum concordiæ & convenientiæ*.

CONVENTORES] Cap. 5. Tit. 127.

CONVERSI] App. Lud. 1. Tit. 8. CONVERSIO. Cap. 1. Tit. 143. Can. 16. Syn. Aur. 4. *Conversio morum*. in Formula promissionis monachalis. *Ego promitto stabilitatem & conversionem morum meorum*.

CONVIVA REGIS] Burg. Tit. 38. §. 2. Sal. Tit. 43. §. 6. Venantius Honorius Clementianus Fortunatus, de Conda Domestico.

Nunc etiam placidi Sigberti Regis amore
Sunt data servitijs libera dona tuis.
Iussit & egregios inter residere potentes,
Convivam reddens proficiente gradu.
Rex potior reliquis merito meliora paravit,
Et quod maius habet, hoc tua causa docet.

Gregor. Turon. lib. 7. cap. 16. De Prætextato. *Post reditum vero suum ad urbem Parisiacam advenit, ac se Guntchramo Regi repræsentavit, exorans ut causam suam diligenter exquireret. Asserebat enim Regina eum non debere recipi, qui fuisset per iudicium quadraginta quinque Episcoporum à sacerdotali officio segregatus*. Sequitur deinde: *& sic à Rege susceptus atque convivio eius adscitus ad urbem suam regressus est*. Vt merito se tueatur Ivo Epist. 123. Capitularibus regalibus, quod Gervasium ad communionem in Paschali Curia suscepisset.

COQVORVM PRÆPOSITI] Wis. 2. Tit. 4. L. 4.

CORIVM CVM CAPITE DECORTICATVM] Rip. Tit. 72. §. 6. *Signa de corio servare*. Long. 1. Tit. 23. l. 1.

CORIVM SERVI REDIMERE] Fris. Tit. 3. §. 4. Ne vapulet, putà. Sic *Dorsum suum redimere*. Sal. Tit. 14. §. 1.

CORNV ALTARIS] Cap. 1. Tit. 88. Form. 91. 97. 101. In libris Moysis locis variis. Theophyl. Simocat. lib. 8. p. 398. κέρατι τοῦ θυσιαστηρίου. Pœnitent. Rom. Tit. 8. cap. 6. ex Concil. Gangrens. *ad cornu altaris non accedat*. Concil. Tolet. 1. p. 57. *ante cornu altaris istius absolvo servum meum*. Ceterum de hac manumissione in Ecclesia vid. infr. in Manumissione.

CORNV PASTORIS] Alman. Tit. 79. Germ. Schäper horen.

CORREDVM] Neap. 3. Tit. 18.

CRANOHARI] Boior. Tit. 20. cap. 1. §. 1. *Accipiter qui Cranohari dicitur*. Ms. *cranihari*. Sed rectius puto *Cranichapich*. Germ. Cranich *grus*, Hapich *accipiter*. atque is ipsus est, qui in LL. Alm. Tit. 99. vocatur *Accipiter qui gruem mordet*.

CRATARE] Frison. Tit. 3. §. 44. *unguibus crataverit*. Gall. *gratter*. German. Kratzen.

CREDENTIA] Neap. 1. Tit. 59. 61. 68.

CRINITVS] Sal. Tit. 26. CRINOSI. Decret. Child. c. 2. Francorum Reges & regia stirpe oriundi, criniti semper erant: reliqui vero tonsi. Agathias lib. 1. p. 9. θεμιτὸν τοῖς βασιλεῦσι τῶν Φράγγων οὐ πώποτε κείρεσθαι, ἀλλ' ἀκειρεκόμαι τε εἰσὶν ἐκ παίδων ἀεὶ, καὶ περιημώρηνται αὐτοῖς ἅπαντες εὖ μάλα ἐπὶ τῶν ὤμων οἱ πλόκαμοι. ἐπεὶ καὶ οἱ ἔμπροσθιοι ἐκ τοῦ μετώπου σχιζόμενοι, ἐφ' ἑκάτερα φέρονται, οὐ μὴν ὥσπερ οἱ τῶν Τούρκων τε καὶ Βαρβάρων ἀπέκλητοι καὶ αὐχμηροὶ καὶ ῥυπῶντες, ἢ ἔτι ἀπρεπῶς ἀναπεπλεγμένοι, ἀλλὰ ῥύμματα γὰρ ἐπιβάλλουσιν ἑαυτοῖς ποικίλα, καὶ ἐς τὸ ἀκριβὲς διαξαίνουσι. τοῦτο δὲ ὥσπερ τι γνώρισμα, καὶ γέρας ἐξαίρετον τῷ βασιλείῳ γένει ἀνεῖσθαι νενόμισται, ἐπεὶ τοὶ ὑπήκοοι περιτρόχαλα κείρονται καὶ

κομᾷν αὐτοῖς περαιτέρω ἢ μάλα ἐφεῖται. Solemne est Francorum Regibus nunquam tonderi, sed à pueris intonsi manent. Cæsaries tota decenter eis in humeros propendet, anterior coma è fronte discriminata in utrumque latus deflexa. Neque vero quemadmodum Turcis & Barbaris impexa iis & squallida sordidaque est coma, vel complicatione indecenter cirrata, sed smigmata varia ipsi sibi adhibent, diligenterque curant: idque velut insigne quoddam eximiaque honoris prærogativa regio generi apud eos tribuitur. Subditi enim orbiculatim tondentur, neque eis prolixiorem comam alere facile permittitur. Meminit huius moris Gregor. Turon. lib. 2. cap. 9. Ado Vienn. p. 149. Otto Frisf. lib. 4. cap. 32. Sed & Saxones Criniti erant. Witikind. de gestis Saxon. lib. 1. p. 5. *Illis* (Saxonibus) *hac loquentibus mirati sunt Franci præstantes corpore & animo viros, mirati sunt & novum habitum, arma quoque & diffusam scapulis cæsariem,* &c. Quæ eadem in Abbate Vrsp. leguntur.

CRINES LIBIDINOSE VIRGINI DE CAPITE EXTRAHERE] Boior. Tit. 7. §. 5. Quibus ad amoris incitamentum malis artibus uti solent.

CRINES MVLIERI INGENVÆ CAPVLARE] Burg. Add. 1. Tit. 5. Gloss. *Capulare id est incidere.*

CRVCEM FIGAT PVBLICE] Cap. 5. Tit. 229. *Nemo Ecclesiam ædificet, antequam civitatis Episcopus veniat, & ibidem crucem figat.* Vid. Iustinian. Novell. 67. 131.

CRVCIS IVDICIVM] Cap. L. Sal. Lud. Imp. cap. 1. *Cruce contendere.* Frison. Tit. 14. §. 1. Long. 2. Tit. 28. L. 3. Tit. 55. L. 25. Cap. 3. Tit. 46. *Ad crucem stare.* Cap. 5. Tit. 125. *Crux evindicata.* Form. 172. Can. 17. Synod. apud Vermeriam. Testament. Karoli Mag. *Iudicium crucis Dei.* Beda de Remediis peccator. cap. 4. *Qui periurat in manu Episcopi, aut presbyteri, vel altari, vel cruce consecrata, unum annum pœniteat.* Idem eodem lib. cap. 9. Guibertus historia Hierosol. lib. 5. *Vir undecunque canonicus Podiensis Episcopus, Euangelia iubet crucemque deferri, quatenus verba eius fides adstrueret sacramenti.* De hoc crucis iudicio intelligendus est locus in Concilio CP. VIII. pag. 408. *οἱ σταυροπάτται τοὺς ἰδίους σταυροὺς ἠθέτησαν.* Infr. EVANGELIA.

CRVCIS EXAMEN INTERDICTVM] Long. 2. Tit. 55. L. 32. Cap. 1. Tit. 108. Neap. lib. 2. Tit. 31. Vid. Rhenan. de fractione pacis inter Alsaciæ Principes.

CVLTELLVS] Sal. Tit. 29. Gall. *Coultre.*

CVLTVRÆ] Wis. 10. Tit. 1. L. 9. *fortasse fecerit culturas.* Hisp. *por ventura fizier dalgun lavor. Ad culturam scissum.* Ibidem. Hisp. *tierra labrada.* Burg. Tit. 72. *Terra culta.* Chart. vet. n. 18. apud Gold. Alm. Tom. 2.

CVPPÆ AVREÆ] Neap. 3. Tit. 36. Lupus Epistol. 85. *Cuppas viatico aptas, forma & qualitate pretiosissimas.* Vita B. Genovefæ. *Genovefa vas in quo potus delatus fuerat, quod cupam nuncupamus, sibi petiit monstrari.* Gall. *une coupe.* CIRCVLVS AD CVPAS. Wis. 8. Titul. 3. L. 8. Imper. Valentin. Novell. de Naviculariis. *Navem intra capacitatem quadraginta cuparum.*

CVRAM PVBLICAM AGENTES] Form. 12. *Curagendarii.* L. 1. C. Theod. De curiosis.

CVRATOR DOMVS] Cap. 6. Tit. 122. Sic *cura palatii.* Ammian. lib. 14. & in Epist. Vigilii PP. & *Curopalates. Curam palatii agere.* Gregor. Turonens. lib. 1. cap. 8.

CVRFODI] Alman. Tit. 84. Infr. *Zurb.*

CVRIA A CRVORE DICTA] Long. 2. Tit. 51. L. 12. Imo à cura. Isidor. Orig. lib. 1. cap. 15. *Curia dicitur, eo quod ibi cura per senatum de cunctis administretur.* Athalaricus in Epist. ad Senatum V. R. *Nomen vestrum à curæ similitudine derivatum fidelissima rerum appellatione firmatur.* Cassiod. Variar. lib. 9. Epist. 23.

CVRIALIS] Wis. 5. Tit. 4. l. 19. Edict. Theod. cap. 27. 52. 53. 69. 113. 126. Form. 64. 73. Gloss. *Curialis, βουλευτής, βουλευτικός.* Isidorus Orig. lib. 9. cap. 4. *Curiales idem & decuriones. Et dicti curiales, quia civilia munera procurant & exequuntur.* Novell. Leonis & Maiorani Impp. Tit. 1. lib. 4. *Curiales nervos esse Reip. ac viscera civitatum nullus ignorat, quorum cœtum recte appellavit antiquitas* MINOREM SENATVM. Cassiod. Variar. lib. 9. Epist. 2. *Non incassum vobis curiam concessit antiquitas, non inaniter appellavit*

MINOREM

MINOREM SENATVM, nervos quoq; vocitans ac viscera civitatum. Curialium autem officium admodum onerosium fuisse ex L. 7. C. de hæret. & Manich. aliisque Impp. sanctionibus apparet.

CVRIALES QVI CVM IMP. IN CVRIA MORANTVR] Neap. 1. Tit. 9. *Qui immediate Imperatori adsunt*. Neap. 1. Titul. 37.

CVRTARE CAVDAM] Wis. 8. Tit. 4. L. 3. Hisp. *cortare la coa, tallare la coa*.

CVRTATVS CABALLVS] Burg. Tit. 73. al. *Scortato*. Glossar. *Curtatus* κολοβός. Item. Κολοβὸς, ὁ κονδὸς *Curtus*. Κολοβὸς, ὁ μέρος τοῦ σώματος ἀφῃρημένος. *Mutilus, truncus*. Quærol. *Curtus canis*. Horat Satyr. 1.

— *nunc mihi curto*
Ire licet mulo.

Idem *curtos* vocat abscissos. Satyr. 9. lib. 1.

— *hodie trigesima sabbata, vin tu*
Curtis Iudæis appedere.

Galli *courtaux* vocant equos, quibus cauda amputata est.

CVRTIS] Al. *Cortis*, Wis. 8. Tit. 1. L. 4. Burg. Tit. 23. §. 1. Tit. 54. §. 3. Burg. add. 1. Tit. 5. Sal. Tit. 6. §. 3. Tit. 36. Alm. Tit. 10. 11. 31. 81. 82. Cap. 3. Tit. 19. Form. 7. *CVRTIS REGIA*. Long. 1. Tit. 2. L. 9. Tit. 8. L. 29. Tit. 9. L. 2. Tit. 10. L. 1. 2. Tit. 23. 24. Longob. 2. Tit. 14. Long. 3. Tit. 1. L. 17. *CVRTIS DVCIS*. Boior. Tit. 8. cap. 2. *CVRTIS NOBILIVM*. Boior. Tit. 20. cap. 1. §. 6. Flodoard. *Quidam presbyter de Bovonis curte, sic enim villa vocatur*. In duplomate Hludovici. *Curtim nostram Turegum in ducatu Alamanico*. Leo Hostiens. Episcopus Chron. Cass. lib. 1. cap. 36. Petrus Benevent. *Curtis vulgare est Gallicorum, sicut Mansus Italicorum*. Glossar. Latino-Theotisc. *Curtis* Selchoff. Ital. *la corte*. Gall. *la court*. Vid. quæ ad Iornandis Getica notavi. Curtis autem una plures habebat mansos, Chron. Guelph. p. 183. *In Longobardia Clismum cortem nobilissimam, cuius sunt XI. milia mansuum uno vallo comprehensa*. Quid *mansus* infr. explicabitur.

CVRTIS] Long. 1. Tit. 34. L. 1. non solum aulam Regiam denotat, sed etiam unde reditus ad aulam. Ibid.

CVRTIFERIS] Formul. 18. 19. 50. 58. 79. Charta Fuldens. apud Pistor. n. 158. *iugerum curtiferum*.

CVSTODIA] Wis. 8. Tit. 5. L. 1. *CVSTOS*. Long. 2. Tit. 55. L. 18. *Custos vineæ*. Burg. add. 1. Tit. 1. §. 3. *Custos basilicæ*. Long. 2. Tit. 39. L. 1. 4. *Custos Ecclesiarum*. Long. 3. Tit. 10. L. 1. Cap. 5. Tit. 229.

CVTICA] Id est, cutis. Long. 1. Tit. 7. L. 2. Tit. 8. L. 16.

D.

DADI] Neap. 3. Tit. 57. atque ita etiam nunc Itali vocant. Guil. Neubrig. lib. 3. cap. 23. *nullus ad aleas vel ad detios ludat*. Gall. *iouer aux dets*.

DAMNARE] Burg. Tit. 48. §. 3. *Damnare interfectione*. Boior. Tit. 20. cap. 1. §. 4.

DAMNVM ET DILATVRA] Rip. Tit. 17. alib. *capitale & delatura*.

DÆMONIACVS AVT RABIOSVS] Long. 1. Tit. 19. L. 15. L. 9. §. 2. ff. de parric.

DÆMONIACA] Long. 2. Tit. 1. L. 3. In responsis Canonum Timothei Alex. Episcopi, pag. 75. ἐάν τινος γυνὴ πνευματιᾷ πάνυ, ὥστε καὶ σίδηρα φορεῖν, ὁ ἀνὴρ δὲ λέγει ὅτι οὐ δύναμαι ἐγκρατεύεσθαι, καὶ θέλει λαβεῖν ἄλλην, εἰ ὀφείλει λαβεῖν ἢ οὔ. ΑΠΟΚΡ. Μοιχεία μεσολαβεῖ τὸ πρᾶγμα, καὶ περὶ τούτου ἀποκρίνασθαι οὐχ εὑρίσκω. Ita Ms. cod. *Si alicuius uxor spiritu corripitur, ut ferreas etiam pedicas & manicas gestet, vir autem dicat, non possum me continere, & velit aliam accipere, debet ne aliam accipere an non? Resp. In hac re quidem adulterium intercedit, nec invenio quid de ea re respondeam*. Vbi quid simile narrat Balsamon ex Leonis Novell. Vid. L. 5. C. de Sponsal.

DEBITVM ASCENDIT] Sal. Tit. 52. §. 2. Gall. *la debte monte*.

DECALVARI ET FLAGELLARI] Wis. 2. Tit. 1. L. 7. Tit. 2. L. 7. Wis. 3. Tit. 3. L. 8. 9. Wis. 6. Tit. 4. L. 6. Tit. 5. L. 12. Cap. 7. Tit. 335. Recepta fuit hæc pœna passim apud veteres, ut etiam ad Paul. Warnefr. notavi. Iohan. Biclariens. in fine Chron. *Argimundus qui regnum assumere cupiebat, primum verberibus interrogatus, deinde turpiter decalvatus, post hæc dextra amputata exemplum omnibus in Toletana urbe asino sedens pompizando dedit*. Martyrolog. Ms. *Fausta decalvata & ad turpitudinem rasa, suspensa & torta est*. Beda Anglo-Sax. in Martyrol. XII. Kal.

Octob. *Iussit decalvari & radi in turpitudinem.* Liutprand. in Legat. p. 115. *Verberibus cæsus, crine tonsus pœnas dabit.* Novell. Leon. 32. 34. 52. 58. 96. Spec. Sax. lib. 3. Art. 3. *Per cutem & crines condemnari.* Paul. VVarnefr. de Long. lib. 6. cap. 20.

DECALVARE ET FVSTARE PER VICOS VICINANTES] Long. 1. Tit. 17. L. 5. supr. in *ADVLTERII POENA.*

DECANVS] VVis. 2. Tit. 1. L. 26. Forum Hisp. *que ha demandar diez omes.* VVis. 9. Tit. 2. L. 1. 3. 4. 5. Isidor. Orig. lib. 9. cap. 3. *Centuriones dicti, eo quod centum præsunt militibus: sicut Quinquagenarij, qui sunt in capite quinquaginta militum, & Decani ab eo quod militibus decem præficiuntur.*

DECANVS] Long. 1. Tit. 25. L. 50. 73. Long. 2. Tit. 38. L. 2. Hincmarus Epist. 4. cap. 15. *Comites & vicarij, vel etiam Decani plurima placita constituant, & si ibi non venerint, compositionem eius exsolvere faciant.* Quemadmodum videlicet cuilibet Centenæ suus Centenarius, sic & Decaniæ qui præerat *Decanus* dicebatur.

DECANIA] VVis. 9. Tit. 2. L. 4.

DECANICA ECCLESIARVM] Cap. 5. Tit. 225. *in decanicis Ecclesiarum recludatur.* Novell. Iustin. 79. cap. 3. καθείργεσθωσαν ἐν τοῖς καλουμένοις δεκανικοῖς. quod in Paratitlorum Græcorum libro explicatur, εἰς τὴν ἐκκλησιαστικὴν εἱρκτὴν ἐμβαλλέσθωσαν. Vid. Novell. 9. cap. 1. l. 30. Cod. Theod. de hæretic.

DECENDIVM] Neap. 1. Tit. 39.

PER TRES DECESSIONS FILIORVM] Rip. Tit. 12. §. 2.

DECIMÆ] Long. 3. Tit. 3. *Decimæ de porcis.* VVis. 8. Tit. 5. L. 1. 2. 3. 4. Concil. Spalens. p. 246. *Omnes primitias & decimas, tam de pecoribus quam de frugibus, dives simul & pauper Ecclesiis suis recte offerant.* DECIMARE PORCOS. VVis. 8. Tit. 5. L. 1. 3.

DECIPVLA] Sal. Tit. 7. §. 7. Glossæ Latino-Theotisc. *Decipula, laqueus, vel* valla, *vel* druh.

DECORTICARE] Sal. Tit. 29. §. 10. Tit. 68. Gall. *ecorcher.*

DECVRIÆ] VVis. 8. Tit. 6. L. 1. *decurias, quæ vocantur characteres.* VVis. 10. Tit. 3. L. 3. Boior. Tit. 11. cap. 3. §. 2. *in arboribus notas, quas decurias vocant.* Germ. editio *decorticatas.* quod cum Hisp. Foro convenit, ubi *escorchos* habetur. Papianus Resp. Tit. 39. *arbores terminales quæ decurias accipiunt. Decuriæ notæ sunt decussis.* Sicul. Flaccus: *Theclaturæ* vocantur in LL. Longob. lib. 1. Tit. 26. L. 3.

DECVRSA COGNITIO] Edict. Theod. cap. 29. Sic dictum, ut *Decursus militiæ ordo*, l. 2. C. Th. De testim. ex trib. *Discursa hastæ.* L. 1. C. Th. de iure fis. *Nihil ab his amplius flagitetur, quam pro rerum iuribus generaliter cōparatarum discursis hastis voluntaria fuerint pretij oblatione polliciti.*

DECVRSVS AQVÆ] VVis. 8. Tit. 4. L. 31. Form. 13. 14. &c.

DEFENSA] Neap. 1. Tit. 15. 16. 17. 86.

DEFENSIONIS TEMPVS] Long. 3. Tit. 4. L. 3. Cap. 5. Tit. 130. Gall. *Temps de defense.* VVis. lib. 8. *Qui in pratum eo tempore quo defenditur*, &c.

IN DEFENSIONE SACRI PALATII] Long. 1. Tit. 2. l. 9. *in mundeburde.*

DEFENSORES] VVis. 2. Tit. 1. L. 26. VVis. 12. Tit. 1. L. 2. Forum Hisp. *Mayor domo.* Defensorum quale fuerit officium, ex Formula eorum apparet apud Cassiod. Var. lib. 7. & Iustinian. L. 4. C. de defens. civit.

DEFENSOR CIVITATIS] Edict. Theod. cap. 52. Cap. 5. Tit. 234. Form. 59. 63. 64. 65 73. 107. L. 17. C. de sacros. Eccles. L. 19. C. de Episc. aud. L. 3. C. Theod. de adm. & per. tut.

DEFENSOR ECCLESIÆ] Boior. Tit. 1. cap. 1. 6. §. 2. Capitular. 5. Tit. 2. 31. Cap. 7. Tit. 308. L. 6. C. de his qui ad Eccles. conf.

DEFENSOR MVLIERIS] Long. 1. Tit. 30. L. 13. id est mundualdus. *Defensor puellæ.* Cap. 4. Tit. 22.

DEFENSOR PRESBYTERI] Cap. 5. Tit. 9.

DEI IVDICIVM] Boior. Tit. 2. cap. 1. §. 2. Form. 172. *Ad crucem, ad iudicium Dei, pro ipsa terra in noctes XLII. in ipso placito pro hoc deberet adstare.* LL. Canuti Reg. cap. 32. That he ga to Godes ordale. *ad Dei iudicium eat.* Annal. Fuld. edition. Freheri Tom. 1. p. 18. *Ferro decernendum, & Dei iudicio causam examinandam.* Agobard. Episc. Lugd. contra damnabilem opinionem putantiū divini iudicii veritatem igne vel aquis vel conflictu armorum patefieri, p. 288. *Mitte unum de tuis qui cōgrediatur mecum singulari certamine, & probet me reū tibi esse si occiderit:* aut

aut certe iube ferrum vel aquas calefieri, quas manibus illæsus attrectem, aut constitue cruces ad quas stans immobilis perseverem. Cum autem nihil tale lex divina vel etiam humana sanxerit, & vani homines nominent ista IVDICIVM DEI, *unde probari potest iudicium esse Dei, quod Deus nunquam præcepit?* &c.

DELATOR] Cap. 7. Tit. 126. 277. *Delatores dicuntur, qui aut facultates prodiderunt alienas, aut caput impetunt alienum.*

DELATOR] Sal. Tit. 32. Gloss. *Delatorem, mendacem, vel latronem.*

DELATVRA] Sal. Tit. 2. Rip. Tit. 17. Tit. 33. §. 2. Angl. Tit. 7. §. 2. 3. &c. Gloss. *Delatura, fredo.* Vadianus interpretatur *pretium quod delatori est constitutum.* Iure Romano delatores partem de bonis fisco nuntiatis accipiebant. L. 1. & 5. §. 20. ff. De his quib. ut indig. L. 13. §. 1. L. 15. §. 1. ff. de iure fisci.

DELIBERARE] Cap. 6. Tit. 285. Gall. *delivrer.* Nodigerus in vita B. Landoaldi. *Locum ad honorem S. Bavonis deliberare.* In duplomate Friderici Regis Siciliæ. *Restituit & deliberavit.*

DELIBERATORIA IVDICIA] Neap. 2. Tit. 18.

DELITIOSVS] Long. 3. Tit. 15. L. 1. *Delitiosus servus apud dominum.* Boior. Tit. 3. §. 33. Sic *Delicatus creditor.* L. 25. ff. de pignor. act.

DEMANIVM] Neap. 1. Tit. 59. 67. 70. 77. Lib. 3. Tit. 4. *Demanij terra.* Neap. 1. Tit. 58. *Res Dominica.* Gall. *Domaine.*

DENARIVS] Sal. Tit. 1. & alib. Monetæ minutioris species sunt, & hodie apud Gallos usitatæ, *Denier, denarius,* unde *denrée, denariata,* in adnuntiatione Caroli apud Pistas DCCCLXII. Et *fruicts adenerez.* Blesensib. *Double,* unde *doublou binio, dinummium* Egesippo, veterib. Glos. & Cod. Theod. Titul. de Alex. prim. *Liar, miliaresium* Epiphanio & Cedreno. *Blanc,* Germ. Weißpfenning. *Bianco* Italis. *Asprum* Græcis. Glossar. *Asprum* ὀλιγάργυρον λευκόν. *Katan* Persis. *Albi* Latinis. Metell. Quirin. Ecl. 3. *Argenti dedit albos.* Et *Grand blanc* ad differentiam *de sols nerets.*

DENARIVS FRESONICVS] Fris. add. Tit. 3. §. 44. *Denarius vetus.* Frison. Tit. 15. §. 1. 2. Privileg. de fundatione Gozens. monast. apud Adamum. p. 159. *Quadraginta libræ argenti Frisicæ monetæ levioris.*

DENARIVS MERVS] Cap. 4. Tit. 50. bonæ monetæ.

SERVVS PER DENARIVM MANVMISSVS] Sal. Tit. 28. *Denarialis.* Cap. L. Boior. §. 5. Rip. Tit. 62. §. 2. Long. 2. Tit. 34. L. 11. Cap. 6. Tit. 208. *Denariatus.* Rip. Tit. 57. §. 4. Tit. 61. §. 3. *Denario iactante ante domnum Regem secundum Legem Salicam ingenuum dimittere.* Form. 62. 102. In veteri charta Ecclesiæ Lugdunens. *Servum iuris vestri manu propria, & manu illius excutientes denarium, secundum legem Salicam liberum, cum omnibus quæ habet vel adquisierit fecimus.* In veteri formul. *Inde quemdam servum N. ut eum ob mercedis augmentum liberum dimitteremus rogarunt. Nos vero manu propria nostra excutientes de manu supradicti N. denarium vel nummum, vel argenteum, vel aureum, vel dragmam, vel sestertium, vel minam, secundum legem Salicam eum liberum dimisimus, & ab omni iugo servitutis absolvimus.* Charta vetus Tom. 2. Alm. Gold. Tom. 2. n. 6.

DENTES ANGVLARES] Fris. add. Tit. 3. §. 37. *Dentes molares.* Fris. add. Tit. 3. §. 38. *Dentes maxillares.* Long. 1. Tit. 7. L. 6.

DENVNTIATORES] Neapol. 1. Tit. 38.

DENVNTIATIONES] Neap. 1. Tit. 38.

DER ZON] Long. 1. Tit. 25. l. 30. *Zaun,* id est sepes, Germ.

DESERTARE CVLMEN] Boior. Tit. 9. cap. 3. §. 1.

DE SVB QVO] Long. 2. Tit. 41. L. 2. *De sub uno.* Long. 2. Tit. 41. L. 1. 2. Vt Florus. *de sub Alpibus.*

DEXTERA ARMATA] Rip. Tit. 33. §. 1. Tit. 66. Supr. *armata dextera iurare.*

DEXTRI] Form. 140. Florentius in vita S. Felicis. *A loco illo usq; ad castrum Toringum habentur dextri ducenti.* Papias. *Dextri dicuntur passus mensurandi apud quosdam.*

DIACONVS] Wis. 3. Tit. 4. l. 18. Wis. 2. Tit. 1. l. 18. DICON. Wis. 12. Tit. 3. L. 26. Sal. Tit. 58. Cap. 1. Tit. 4. Cap. 6. Tit. 60. Form. 5. Diaconorum de quibus Act. 6. Paul. Epist. ad Roman. cap. 12. in primogenia Ecclesia duo ge-

nera fuerunt, alii scilicet quasi διοικηταὶ id est dispensatores, qui egentibus donatas pecunias administrabant; alii quib. miserorum ægrotorumq; cura commissa erat. Sed qui fuerint sequenti seculo Diaconi, Isidorus Iunior docet. *Ad Diaconum pertinet assistere sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quæ aguntur in sacramentis Christi: in baptismo scilicet, in chrismate, in patena & calice: oblationes offerre, & disponere in altario, componere mensam Domini, atque vestire, crucem ferre, prædicare Euangelium & Apostolum. Nam sicut Lectoribus vetus testamentum, ita Diaconibus novum prædicare præceptum est. Ad ipsum quoq; pertinet officium precum, recitatio nominum, ipse præmonet preces ad Dominum, ipse hortatur orare, ipse clamat & pacem adnuntiat.* Vid. Hraban. Maur. de instit. cler. lib. I. c. 7.

DIACONVS QVI EVANGELIVM CORAM EPISCOPO LEGIT] Alm. Tit. 14. Regino Ann. 870. *Carlomannus cum adhuc esset puerulus, iussu patris attonsus, clericus effectus est: deinde procedente tempore ad Diaconatus officium, quamvis invitus atq; coactus in præsentia genitoris ordinatus est, legitq; publice Euangelium, & Pontifici missam celebranti iuxta morem ministravit.*

DIACONVS IN CARDINE CONSTITVTVS IN VRBE ROMA] Cap. I. Tit. 139. *Diaconus Cardinatus* Gregor. M. *Incardinatus & Cardinarius* Hincmaro & aliis. *Cardinalis Diaconus, qui Dalmatica utitur, & cuius lævam pallia linostima tegunt.* Can. 6. Syn. Rom. sub Sylvestro. Quod in eius potestate & moderatione verteretur Diaconia, sive hospitale pauperum, cum sua capella, ut Petr. Vrbevet. interpretatur in vita Fabiani. Ex quo Canone manifestum est VII. fuisse diaconos cardinales urbis Romæ: & VII. subdiaconos usque ad lectores omnes illis subditos. Fortasse sic dicti fuere à cardine, in quo vertitur hostium, unde & cardines mundi Septentrio & Meridies, quod in ipsis cœlum volvitur. Inde *Cardinales Donatistæ* B. Augustino lib. I. de Baptism. advers. Donatist. tanquam cardines factionis. Et *Cardinales tituli in urbibus & suburbijs.* Can. 54. Synod. Meldens. *Cardinales presbyteri*, in Epist. Zachariæ PP. ad Pipinum maiorem domus, Episcopos & Abbates in regno Francorum constitutos. *Quartum Capitulum est* (inquit) *de presbyteris agrorum, quam obedientiam debeant exhibere Episcopis & presbyteris Cardinalibus.* Et Concil. Neocæsar. cap. 13. ita continetur. *Presbyteri ruris in Ecclesia civitatis Episcopo præsente, vel presbyteris urbis ipsius offerre non possunt.* Et XV. Capitulo. *Vt in eodem loco nec futuris temporibus baptisteria construantur, nec presbyter constituatur Cardinalis. Sed si ibi missas facere maluerit, ab Episcopo noverit presbyterum postulandum.* Vid. Onufrij Panvinij interpret. vocum Ecclesiast.

DIACONVS QVEM EPICOPVS ORDINAVIT, VEL QVALEM PLEBS SIBI RECEPIT AD SACERDOTEM] Boior. Tit. I. cap. 10. §. I.

DIETA] Id est, *Ite unius diei.* Neap. I. Tit. 94. Neap. 3. Tit. 38. Petrus de Vineis lib. I. Epist. 21. Lib. 8. Epist. 85. Concil. Lateran. sub Innocent. 3. cap. 37. *ultra duas dietas extra suam diœcesin.* Chronica Reichersp. p. 224. *per octo fere dietas.* Arnold. Abb. in continuat. Helmold. lib. 7. cap. 10. *feci in deserto viginti dietas.*

DIES MAGNVS] Cap. 5. Tit. 71. *Dies Paschatos*: is enim pœnitentiæ agendæ status dies. Innocent. PP. in Decret. *De pœnitentibus autem qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla intervenit ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat.* Hraban. Maur. de inst. cler. lib. 2 cap. 30.

DIES PLACITVS] Rip. Tit. 66. 72. §. I. Infr. *Placitum.*

DIES VOTORVM] Long. 2. Tit. 4. L. 3. Tit. 14. l. 21.

IN ILLA DIE, ET IN ALIA, ET IN TERTIA] Boior. Tit. 15. cap. 9. §. 5. id est, *tertia die.* Vt in LL. XII. Tabul. *TERTIIS DIEBVS OB PORTVM OBVAGVLATVM EITO.* id est, per triduum.

DIFFACERE] Cap. Sal. cap. I. §. 7. *Diffacere iustitiam.* Cap. 3. Tit. 26. *Disfacta charta.* Cap. 3. Tit. 28. *Diffacere hominem.* Long. I. Tit. 25. L. 68. Lib. 2. Tit. 34. L. 10. *Nisi per iustitiam & pacem faciendam hominem disfecerit.* Gall. *S'il ne le condamne a estre defaict.*

DIFFIGVRARE CABALLVM] Long. I. Tit. 25. l. 43. Gall. *Defigurer*, lædere, fœdare. Long. I. Tit. 14. L. 5. *transfigurare faciem.*

DIGER]

DIGER] Sal. Tit. 60.

DIGITVS VNDE SAGITTATVR] Sal. Tit. 31. §. 6. Rip. Tit. 5. §. 12. In LL. Alfredi Reg. cap. 40. p. 42. Gif se scyte-fynger bith afaslagen, seo bote bith fyftyne scilling. *Si quis alteri digitum unde sagittatur absciderit, xv. sol. comp.*

DIGITVS IMPVDICVS] Ang. Tit. 6. Catul. *Ostendis digitum sed impudicum.*

DIGITVS MEDIANVS] Boior. Tit. 3. cap. 1. Tit. 4. §. 9. Longob. 1. Tit. 7. L. 13. In LL. Alfredi Reg. cap. 40. Midlesta finger: atque ita etiam nunc à Germ. vocatur.

DIGITVS MEDICVS] Sax. §. 13.

DIOECESIS] Wis. 4. Tit. 5 L. 6. Cap. 2. Tit. 24. 25. Chronic. Reichersp. *Anno CCLXII. Dionysius PP. coronatur. Hic Ecclesias presbyteris dedit, & parochias & diœceses divisit atq; constituit.*

DIRECTVM FACERE] Form. 115. Gall. *Faire droict.* Vetus inquisitio sub Carolo Mag. *Si per derictum deberet attingere ad villam.* In Privileg. Ludovici Imp. Castrucio facto. *Cum omnibus honoribus, derittis, usibus.*

DISCAPILLARE MVLIEREM] Burg. Tit. 33. §. 1. *Decalvare.* Ekkardus in casibus monasterii S. Galli cap. 10. p. 82. *Iussit verberari, & magistro multa rogante vix concessit non decapillari.*

DISCARGARE] Sal. Tit. 29. §. 21. 24. Gall. *Descharger.*

DISCERNENTES] Wis. 12. Tit. 2. L. 2. Ita vulg. & Ms. Cod. puto tamen legend. *Nullus modernorum discentium congruentes fidei tractatus spernat.* Quamvis neutrum in Foro iud. Hisp. reperiatur: sic enim hic locus interpretatur. *Nengun ome non sea osado de despreciar los establecementos de la santa fee.* Pertinent vero huc quæ in actis concilii Calched. de otiosis disputationibus statuuntur: & L. 2. C. Theod. De his qui de relig. cont. L. 4. C. Iust. De summ. Trinit.

DISCINCTVS ET DISCALCIATVS] Sal. Tit. 61. Gall. *Desceint & sanx houseaux.* Artic. 72. consuet. Burbon. & cap. 20. Alverniæ, Artic. 4. Marchiæ 64. Inde *Rendre & donner la ceincture*, &c. *laisser les houzeaux.*

DISCIPLINA HOSTILIS] Boior. Tit. 2. cap. 6. *Disciplina militaris.* Infr. *Hostis.*

DISCIPLINÆ CORPORALI SVBIACERE] Long. 1. Tit.... Tit. 14 l. 11. *Disciplina Ducalis.* Boior. Tit. 9. cap. 4. §. 1. *Disciplinam accipere.* Longob. 2. Tit. 13. L. 3. *Disciplinam servis impendere.* Form. 175. Gall. *Discipline & punition.*

DISCRIMINALIA] Boior. Tit. 7. cap. 5. Gloss. vett. *Discrimen*, διάκεσμα. Glossar. Latino-Theotisc. *Discriminalia, muliebris capitis ornamentum, quo crines discernunt*, Fasiwit.

DISCVSSORES] Edict. Theod. cap. 144. Gloss. *Discussor*, λογοθέτης. L. 1. 2. Cod. Theod. de discuss. L. 21. 29. Quor. app. non. rec. &c.

DISCVSSORES IVRAMENTI FIDELITATIS, NOVO PRINCIPI PRESTANDI] Wis. 2. Tit. 1. L. 34. Wis. 5. Tit. 7. L. 19. Infr. *Fidelis.*

DISHONORARE] Alm. Tit. 35. Fulbertus Episcopus Epist. 80. *Magis eligerem honoratus mori, quam dishonoratus.* Hincmarus Epist. 5. *Exoses dehonoraverit.* Gall. *dishonorer.*

DIMANNIRE] Form. 10. *inquietare vel dismannire.* Infr. *Mannire.*

DISSASINA] Neap. 3. Tit. 31. DISSAISIRI. Neap. 3. Tit. 14. L. 2. Tit. 17. Gall. *Desaine, saisir, saisine.*

DISPENSA] Cap. 4. Tit. 73. Gall. *despense.*

DIPENSATOR ANNONÆ] Wis. 9. Tit. 2. L. 6. Supr. *Annonarius.*

DISPIGNORARE] Long. 1. Tit. 23. L. 2. Pignus reluere.

DISPOSITVM] Wis. 6. Tit. 5. l. 16.

DISTRINGERE] Id est, *punire, coërcere.* Boior. Tit. 6. *Si talis homo potens hoc fecerit, quem ille Comes distringere non potest, tunc dicat Duci suo, & Dux illum distringat.* DISTRICTIO, id est, *Coercitio*, Cap. L. Sal. Lud. Imp. cap. 6. DISTRICTVS *in palatio.* Long. 1. Tit. 19. L. 5. *Districtus iudex.* Gregor. PP. Lib. 1. Epist. cap. 75. Carolus Rex in Epistola ad Iohan. PP. apud Hincmarum. p. 169. *Districta sacramenta.* Idem lib. 2. Epist. c. 23. Gloss. *Examen districtum*, ἡ ἀκρίασις συγκεκροτημένη.

Inde DISTRICTVS, id est territorium, in quo quis districtionem siue iurisdictionem habet. Feud. 2. Tit. 54. Duplom. Otton. Imp. apud Baron. Tom. 11. p. 5. Gall. *Distroict.*

DOANA] Neap. 1. Tit. 36. *Doanæ secretus.* Neap. 1. Tit. 59. *Doana tam terræ quam maris.* Gallis atque Italis vox est usitatissima.

DOLG] Fris. Tit. 22. Gloss. vett. *Vulnera* tolc. Aliæ glossæ: Dolte *exitialis.* Otfridus Euang. lib. 3. cap. 25.

Thuruh thes einen mannes dolk, &c.

Idem cap. 26.

Thuruh sinan einan dolk
War al gehalten ther folk.

LL. Alfredi Reg. cap. 23. *Gif se hund ma misdæda gewirce, and he hine hæbbe, bete he fullan were, swa dolg bôt, othe swa hwæt he gewyrce.* Id est, *Si canis iterum noxam nocuerit, eumq; Dominus habuerit, integrum weregildum solvat: sive dolg sive quodcunq; aliud nocuerit.* Inde Tholigen occidere. In LL. Inæ Reg. cap. 42. Alfredi Regis capp. 20. 22. p. 33.

DOMESTICI] Burg. Præf. *Consiliarij, domestici, & maiores domus nostræ.* Rip. Tit. 88. Form. 11. 89. 90. 109. 176. Sic vocabantur adsessores & consiliarij iudicum. L. 3. Cod. Theod. de assessoribus domest. Theophylact. Simocat. lib. 8. p. 412. Πραισεντῖνος, ὁ παῖς τοῦ πέτρου (frater hic erat Mauricij Imp.) πεπιστευμένος φροντίδας, ὃν δομέστικον εἰώθασιν οἱ ῥωμαῖοι ἀποκαλεῖν. *Præsentius Petro à consiliis, quem Domesticum Romani vocant.* De domesticis militaribus ad Ammian. dixi.

DOMESTICARI] Boior. Tit. 20. cap. 1. §. 6.

DOMINVS VOBISCVM] Cap. 5. Tit. 95. Add. 2. Tit. 7. Ad hanc formulam precum respexit B. Epiphanius Cyri Episcop. in Oratione de sepultura Christi. εἰσῆλθεν ὁ δεσπότης πρὸς αὐτοὺς, τὸ νικηλικὸν ὅπλον τοῦ σταυροῦ κατέχων, ὃν ἰδὼν ὁ Ἀδὰμ ὁ πρωτόπλαστος, καὶ τῇ ἐκπλήξει τὸ στῆθος τύψας ἐβόησε πρὸς πάντας, καὶ εἶπεν: Ο ΚΥΡΙΟΣ ΜΟΥ ΜΕΤΑ ΠΑΝΤΩΝ. καὶ ἀποκριθεὶς ὁ χριστὸς λέγει τῷ Ἀδάμ. ΚΑΙ ΜΕΤΑ ΤΟΥ ΠΝΕΥΜΑΤΟΣ ΣΟΥ.

DOMINICA RATIO] Sal. Tit. 52. §. 3. circa Dominum occupatus. *IN DOMINICO OPERARI.* Alm. Tit. 22.

DOMINICÆ RES] Alm. Tit. 32.

DOMNICELLVS] Form. 90. Gall. *Damoiseau.*

DOMINICVS DIES A VESPERA AD VESPERAM] Cap. 1. Tit. 15. Cap. 6. Tit. 186. Can. 13. Synod. Foroiul. Infr. *NOCTES.*

PROPRIVM DOMINICVM] Cap. 4. Tit. 34. Rhaban. ad Otgarium. *Proprietas dominicalis quæ Domino Imperatori ex paterna successione hereditario iure pervenit. Reges nostri propter excellentiam commune nomen Domini sive Domni effecerunt suum.* Anastasius bibliothecarius Adriani II. sive Landulp. Sagax Histor. Miscell. *Genti Francorum moris est Domnum, id est, Regem secundum genus principari.* Κύριος sive κύρος Græcis, *Sire* Gallis.

DOMVS DVCIS, DOMVS PVBLICA] Boior. Tit. 2. cap. 13.

DOMVS IN MODVM BASILICÆ FACTA] Sal. Tit. 57. §. 7.

DOMVS VBI CLAVIS] Decret. Chlot. cap. 4. Supr. *Clavis.*

DORMITORIVM] Add. Lud. 1. Tit. 58. Cap. Carol. Reg. Tit. 15. Gloss. *Dormitorium* κοιμητήριον.

DORSVM SVVM REDIMERE] Sal. Tit. 13. §. 1. *DORSVS RVMPATVR.* Boior. Tit. 6. cap. 2. §. 2. Dorsi verberatio apud Phot. CP. Patriarch. Tit. 13. Nomoc. cap. 23.

DOS ECCLESIÆ] Cap. 6. Tit. 69. Can. 19. Synod. Tolet. 3. Can. 8. 6. Syn. Worm. cap. 1. de Censib. Can. 4. Synod. Coloniens. *Neq; ex dote Ecclesiæ, id est, ex uno manso & quatuor mancipijs, census exigatur.* In duplomate Ottonis I. *Dotem quoq; Ecclesiæ, id est, duas hobas possessas, & beneficium presbyteri in eodem loco deservientis, id est unam hobam.*

NON AMPLIVS VNVSQVISQVE IN PVELLÆ VEL MVLIERIS NOMINE DOTIS TITVLO CONFERAT VEL CONSCRIBAT, QVAM QVOD DECIMAM PARTEM RERVM SVARVM ESSE CONSTITERIT] Wis. 3. Tit. 1. L. 5. *Dos* hic pro dotalitio ponitur. Leo Marsican. Histor. Casin. lib. 3. cap. 57. *Mulier de consensu filij sui Rogerij Ducis obtulit B. Benedicto per chartam aurea bulla signatam, locum in Calabria, qui Cetrarias dicitur, cum*

toto portu suo, & omnibus pertinentijs, cunctisque colonis suis, quem videlicet in dotem à prædicto viro suo Roberto Duce dudum acceperat, &c. Estque hæc dotis constitutio, velut donatio propter nuptias; quæ iure Gothorum decima pars erat bonorum mariti, Longobardor. quarta, L.1. Tit. 4. Siculorum tertia. Leg. Neap. lib. 3. Tit. 13. 15. 16. uti & Romanorum, ut habetur Feudor. lib. 2. Tit. 9. Vid. Formul. 75. 76. 77. 78. Chart. vett. in Almann. Gold. n. 9. &c. p. 38. Ceterum illud hoc loco porro notandum, moribus Germannorum dotem non marito uxorem, sed uxori maritum antiquitus dedisse, boves nimirum, frenatum equm, & scutum cum framea galeaq;. Tacitus de morib. Germ. Vbi de equi donatione, quod ait, cum illo fere convenit, quod in LL. Wisig. 3. Tit. 1. L. 5. traditur, xxx. caballos pactæ suæ dandi concessam sponso libertatem. Sed non solum apud Germanos hoc receptum, verum & alios populos. Atque ut ab origine rem repetamus, cum Sichem à se devirginatam Dinam in matrimonium peteret, sic ait ad Iacob. *Inveniam gratiam coram vobis, & quacunq; statueritis dabo. Augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis, tantum date mihi puellam hanc uxorem.* Genes. cap. 34. Et apud Claud. de raptu Proserp. lib. 1. à Dite Proserpinam Chaos in dotem accepisse fingitur.

— quo dicta ferox Proserpina curru
Possedit dotale Chaos.

Homerus in Martis & Veneris adulterio in Odyss.

— πάντα πατὴρ ἀποδώσῃ ἔεδνα, &c.

Ad hunc ritum respexit Achilles Tatius lib. VIII. Παρθένον τὴν κόρην μέχρι τούτου τετήρηκα, καὶ τοῦτο πολέμιοις ὁμιλῶν, ἐν οἷς οὐδεὶς ἀναβάλλεται τὰς ἡδονάς. Νῦν οὖν αὐτὴν εἰς τὴν Τύρον ἀπαγαγεῖν ἔγνωκα πρὸς τὸν πατέρα, καὶ νόμῳ παρ' ἐκείνου λαβεῖν τὸν γάμον. ἂν μὲν οὖν ἐθελήσῃ μοὶ δοῦναι τὴν κόρην, ἀγαθῇ τύχῃ δέξομαι. ἂν δὲ σκαιὸς γένηται καὶ δύσκολος, παρθένον αὐτὴν ἀπολήψεται. ἐγὼ γὰρ προῖκα ἐπιδίδους οὐκ εὐκαταφρόνητον, ἀγαπητῶς ἂν λάβοιμι τὸν γάμον. *Virginem puellam hactenus servavi, belli præsertim tempore, quo nemo sibi oblatos perfruendarum voluptatum occasiones abire pati vult: nunc eam Tyrum ad patrem ducere, & ab eo sicuti leges iubent in uxorem accipere omnino constitui. Quod si impetravero, bene est: sin autem difficilis ille atq; morosius spondere negaverit, virginem etiam filiam suam sibi habeat, quam tamen ego Hercule non contemnneda dote confecta in uxorem lubens duxerim.* Vnde Aristotel. Politicor. lib. 2. Τοὺς ἀρχαίους νόμους λίαν ἁπλοῦς εἶναι ὁρῶμεν. ἐσιδηροφόρουν γὰρ τοθ' οἱ ἕλληνες, καὶ τὰς γυναῖκας παρ' ἀλλήλων ἐωνοῦντο.

DOTIS LEGITIMA LX. SOL.] Alm. Tit. 55. §. 2.

DOTARIVM] Neap. 1. Tit. 55. lib. 2. Tit. 8. Lib. 3. Tit. 13. 14. 15. 16. *Dotalitium.* in Canon. *Si autem.* 36. quæst. 2. & in cap. 15. de foro eomp. cap. 4. de donat. inter vir. Gall. *Douaire*

DRAPPÆ] Form. 49. *Drappalia.* Form. 62. 69. 125. 175. *Drappus.* Form. 67. 83. Gall. *du drap.*

DRVCHTE] Sal. Tit. 14. §. 10. *puella quæ druchte dicitur.* Gloss. *Druchte, sponsata.* Germ. Traut. Auctor vitæ S. Vdalrici p. 139. *Drudes suos donis congruis sibi complacare satagebat.*

DVCARIA SCROFA] Sal. Tit. 2. Gloss. *Ductricem aliarum scrofarum.* Alm. Tit. 99. §. 14. *Ductrix de iumentis.* Alm. Tit. 72. *Sonopair* Longob. sic enim sectarius aut ducator, ut Tertullian. loquitur, id est, dux gregis vocatur. Gloss. *Ducatores* ἄγοι, ἡγέμονες, *Ductarius* ἀγωγεύς, ῥυτήρ.

DVCATVS] Rip. Tit. 74. Form. 32. Feudor. lib. 2. Tit. 10. *Qui à Principe de ducatu aliquo investitus est, Dux solito more vocatur.*

DVCTVS] Form. 156. *Ductus & absolutus.* Form. 122. 126. 148. *Ductus & securus.* Form. 172. *secura.* Form. 164.

DVELLVM] Long. 1. Tit. 9. L. 39. *Duello liberi, ferventi aqua servi innocentiam suam probant.* Longob. 2. Tit. 51. L. 11. Neap. 2. Tit. 32. 33. *monomachiam quæ duellum vulgariter dicitur.* In quo tamen ei qui victus erat, concessum etiam ad alium iudicem appellare, ex ijs discimus, quæ habentur in Collectione Decret. antiq. lib. 5. Tit. 18. de purgat. vulg. p. 224. *Cum quidam eos super furti crimine accusaret, cum eo præter consuetudinem coacti sunt inire duellum; in quo alijs peccatis suis præpedientibus ceciderunt: præter quod post appellationem ad nos interpositam*

per Coss. Spoletanos bonis fuerunt proprijs spoliati. Multis contra hanc diram consuetudinem Agobardus Episcopus agit, pag. 108. & seq. pag. 207. & seq. Vid. supr. Camphio.

DVRPILVM] Hoc est, limitare siue vestibulum. Sal. Tit. 60. Form. 155. Saxonicè Dörpiler. Thür *ianua.* Pfeyler *columna.* Gloss. Latino-Theotisc. *Postes,* Turfule.

DVRSLEGI] Fris. Tit. 22. §. 3. Id est, sine vulnere verbera. In addit. Fris. Tit. 3. §. 42. *fuste percusserit, ut lividum fiat.* Germ. Durre *siccus,* Slege *verbera.*

DVVMVIRI] Edict. Theodor. cap. 52. 53.

DVX] Wis. 2. Tit. 1. L. 23. 26. Tit. 2. L. 7. Wis. 4. Tit. 5. L. 6. Wis. 5. Tit. 7. L. 20. Wis. 6. Tit. 4. L. 3. Wis. 9. Tit. 2. L. 8. 9. Alm. Tit. 1. 12. Rip. Tit. 50. Longob. 1. Tit. 14. L. 4. Cap. 5. Tit. 215. *Dux provinciæ.* Wis. 2. Tit. 1. L. 17. *Dux territorij.* Wis. 12. Tit. 3. L. 25. Βικωλήτης. Novell. 145. Venantius Fortunatus ad Galactorium Comitem.

Debet & ipse potens, ut adhuc bene crescere possit:
Præstet ut arma Ducis, qui tibi restat apex.
Vt patriæ fines sapiens tuearis & urbes.

Idem de Lupo duce.

Bella moves armis, iura quiete Regis.
Fultus utrisque bonis, hinc armis, legibus illinc,
Quam bene fit primus, cui favet omne decus!

DVX QVEM REX ORDINAVIT, VEL POPVLVS ELEGIT] Boior. Tit. 2. cap. 1.

DVX ET PRINCEPS FRANCORVM] Cap. 5. Tit. 2. In vita B. Baboleni. *Ab Erchenbaldo, qui tunc Francorum ducatui præerat, & omnia Palatina officia suo moderamine procurabat.* Stephanus Abbas Leodiensis in vita B. Modoaldi. *Ea tempestate Dagobertus rerum potiebatur, sub quo idem Dux, dignitate modicum à sublimitate Regia differente præditus, omnia regni negotia prudentissima dispositione ordinabat.* Hincmarus Epist. ad Episcopos Franciæ.

E.

ECCLESIA BAPTISMALIS] Long. 3. Tit. 1. L. 17. 24. 29. Tit. 10. L. 4. Baptizandis infantibus vel catechumenis propriatim destinata. Chron. Reichersp. Ann. CCCIX. *Marcellus PP. coronatur. Hic fecit cœmiterium via Salaria, & XXV. titulos in urbe Rom. constituit propter baptismum & pœnitentiam multorum qui convertebantur ex paganis,* &c.

ECCLESIA DIOECESANA] Wis. 4. Tit. 5. L. 6. parochialis.

ECCLESIA PRINCIPALIS] Wis. 4. Tit. 5. L. 6. primaria siue cathedralis.

ECCLESIÆ PORTICVS] Wis. 9. Tit. 3. L. 2. 4. Forum Hispan. malè. *Portal de la Eglesia.* L. 4. Cod. Theod. De his qui ad Eccles. *Ecclesiæ areis atque porticibus.* L. 5. ibid. τῆς ἐκκλησίας ἢ αὔλαις ἢ ἐν στοαῖς.

ECCLESIÆ CVLTOR] Wis. 9. Tit. 3. L. 4. Forum Iud. Hispan. *El sacerdote.*

AD ECCLESIÆ OSTIVM EXCVBARE] Cap. 5. Tit. 63. Inter pœnitentiæ gradus, quos SS. Patres quatuor statuerunt, primus erat πρόκλαυσις, siue cum lamentatione ante Ecclesiam excubatio, ut videre licet apud Gregor. Thaumaturg. Basilium Mag. & alios. Ordine hanc rem explicat vetus Scholiast. Harmenop. in collectione Canon. ubi Basilij Mag. locum interpretatur. Sect. 5. Tit. 3. pag. 56. cuius verba adscribere lubet. ΠΡΟΚΛΑΙΏΝ. ἤγουν ἔξω τῆς ἐκκλησίας ἱστάμενος, καὶ τῶν εἰσιόντων δεόμενος, ὑπὲρ αὐτοῦ εὔχεσθαι. ἈΚΡΟΩΜΕΝΟΣ, ἤγουν ἔξω ἱστάμενος ἐν τῷ Νάρθηκι. ὙΠΟΠΊΠΤΩΝ, ἤγουν ἐντὸς τῆς ἐκκλησίας ἱστάμενος, ὄπισθεν τοῦ ἄμβωνος, καὶ ἐξερχόμενος μετὰ τῶν κατηχουμένων. ΣΥΝΕΣΤΩΣ. ἤγουν τοῖς πιστοῖς συνευχόμενος, τῶν ἁγιασμάτων μήπω ἀξιούμενος, εἰ μὴ μετὰ τοῦτο. *PLORANS, siue stans extra Ecclesiam, & ingredientes orans, ut pro se preces fundant. AVDIENS, siue stans foris in Narthece. SVCCVMBENS, siue stans intra Ecclesiam post suggestum, & cum catechumenis exiens. CONSISTENS, siue cum fidelibus orans, qui necdum tamen admittitur ad sacramenta, nisi post hæc.* Horum omnium in Epitome Canonum passim fit mentio.

AD ECCLESIAM CONFUGERE] Wis. 6. Tit. 5. L. 16. 18. *Confugium ad Ecclesiam vel domum sacerdotis facere.* Long. 1. Tit. 25. L. 2. Long. 2. Tit. 39. L. 2. Cap. 5. Tit. 90. 122. Paul. Warnefr. de Long. Lib. 5. cap. 3. *In basilicam confugium fecit.* Lib. 6. cap. 6. *Aldo & Grauso in basilicam Romani martyris confugissent.* Nimirum quod olim paganis asylum sive templum, id Christianis Ecclesia, ad quam qui confugerant, vim ijs fieri loci sanctitas vetabat. Zosimus lib. 5. p. 793. Idque multorum Impp. constitutionibus approbatum, quas videre licet in Cod. Th. lib. 9. Tit. 45. Iustin. lib. 1. Tit. 12. Novell. 117. cap. fin. Quamvis ne sic quidem semper tuti: velut de Hilario scribit Ammian. Marcell. lib. 26. *Laxius retinente carnifice subito lapsus confugit ad ritus Christiani sacrarium; extractusq; exinde illico abscissa cervice consumptus.* Sed iure quidem ille, utpote veneficus, & iam criminis convictus damnatusq;, inde abstractus fuit. Nam ut ait Achilles Tatius lib. VIII. τῶν δυστυχούντων εἰσὶν, ὀ τῶν ἀδικούντων οἱ βωμοί; *Infelicibus aræ præsidio sunt, non male agentibus.* Primum autem hic mos ab Atheniensibus introductus fuit, apud quos ΕΛΕΟΥ ΒΩΜΟΣ, id est, *MISERICORDIÆ ALTARE* (ut vulgo notum est) constitutum erat, quod qui apprehendebant, ab omni iniuria tuti erant. Ideo semper locus ille confugis abundabat, ut eleganter Statius Papin. scribit Thebaid. lib. 12.

Semper habet trepidos, semper locus horret egenis
Cœtibus, ignota tantum felicibus ara.

Et de confugio gentilium ad templa extat lex apud Quintilianum declamatione CCLXI. Sic etiam ad Principum statuas vel imagines confugiebant. L. 28. §. 7. ff. de pœnis. L. unic. C. de iis qui ad Princip. stat. conf. Confugientes quoq; ad signa militaria tuti erant ab omni læsione: causam puto, quia Imperatorum imagines illis plerumque annexæ. Tacitus Annal. lib. 1. *Neq; alind periclitanti subsidium, quam castra primæ legionis: illic signa & aquilam complexus religione se tuebatur.* Amm. Marcell. lib. 25. *Fraudum conscius & noxiorum ad militaria signa confugit.* Et quod tum signa felicia, idem post præstitit crux salutifera. Concil. Ms. Claremont. *Quod qui ad Ecclesiam, vel ad crucem confugerit, si reus est, data vita vel membrorum impunitate, iustitiæ reddatur, innocens liberetur.*

ECCLESIASTICUS HOMO] Rip. Tit. 10. Tit. 11. §. 3. Tit. 18. §. 2. *Ecclesiasticus Romanus.* Rip. Tit. 58. §. 11. *Ecclesiasticus servus.* Long. 1. Tit. 9. L. 30. 34. *Ecclesiastica ancilla.* Rip. Tit. 58. *Ecclesiastica fœmina.* Rip. Tit. 14. Infr. Servus.

EDITIO LEGIBUS COMPREHENSA] Form. 117.

EFFRACTORES] Burg. Tit. 29. §. 3. Titul. 89. Gloss. vet. Θυρεπανοίκτης, *Effractor.* Vid. Briss. de verb. signif. lib. 5.

ELABORARE] Sal. Tit. 47. Tradition. Fuldens. lib. 2. cap. 123. *omnem elaboratum.* Infr. *Laborare.*

ELECTI SACRAMENTALES] Cap. 6. Tit. 209. *Electus aurifex.* Papian. Resp. Titul 3.

ELECTUARIA] Neap. 3. Tit. 34. L. 4. Inde Germ. Latwerck.

ELIDIATUM] Form. 147. 167. *Terram habeat elidiatam atq; evindicatam.* Form. 170. 172. *Elidiato ordine.* Form. 30. 52. Forsan sic dictum, ut *Elidere aliquem ab excusatione.* L. 4. C. de ord. cognit.

EMENDARE] Boior. Tit. 1. cap. 12. Sax. Tit. 11. §. 14. Cap. 1. Tit. 122. Cap. 4. Tit. 38. Form. 175. *Restaurare, Reparare,* Gall. *Emender.* Can. 27. Syn. Aquisg. *Ut domus Ecclesiarum, & tegumenta ab eis sint emendata, qui beneficia exinde habent.* Et *Emenda* in Specul. Sax. lib. 1. Art. 8. 42. 53. 65. Lib. 2. Art. 5. 8. 11. *Mulcta iudici datur, emenda parti læsæ.* Gall. *Amande.*

EMPHYTEUSIS] Long. 3. Tit. 1. L. 37. Tit. 10. L. 4. *Emphyteosis.* Cap. 2. Titul. 29.

EMPTIONIS PRETIUM] Sax. Tit. 6. 7. §. 3. quo scil. uxor imaginario pretio emebatur. Wis. 3. Tit. 4. L. 2. 4. *Dato pretio, & sicut consuetudo est ante testes facto placito, de futuro coniugio.* Collectio Chronic. ex Thoromacho Antiq. Lect. Canis. Tom. 2. pag. 681. — *eam se daturum spondet* (sc. in matrimonium) *legato offerens solidum & denarium, ut mos erat Francorum, eam partibus Chlodovei desponsavi.* Vid. notata ad L. Sal. Tit. 46. Supr. *Coniugium.*

EMVNITAS] Cap. Sal. Cap.1. §.2. Rip. Tit. 65. §.3. Long.3. Tit.1. l. 39.40. Cap. 5. Tit. 134. Ivo Carnot. Epist. 94. *Emunitas claustri.* Idem Epist. 239. *Episcopos in eadem emunitate comprehendi volueris.* Canon.30. Synod. Tribur. *Quidquid pro emunitate violata emendandum est, altario solvatur.* Can.2. Syn. Mediom. Cap.10. Concil. Aurel. apud Burchard. Decret. lib.3. cap.90. Concil apud Theodonis villam cap. 11. apud Burch. lib. 3. cap. 94. Ratpertus in casib. monasterii S. Galli. cap. 5. *Firmissimum emunitatis praeceptum, quod beatae memoriae Dominus Pipinus Rex illis conscribi iusserat, propriaq; manu firmatum contradiderat.* Idem cap.8. *Emunitatis privilegium amiserunt, securitatis recuperarent augmentum.* Et post pauca. *Charta firmissimae emunitatis.* Infr. IMMVNITAS.

ENERGVMENI] Cap. 7. Tit. 336. *qui spiritu periclitantur immundo.* B. Antioch. Homil.99. B. Cæsarius Homil.16.

EPISCOPVS] Wis.6. Tit.4. l.3.&c. *Episcopus Romanus.* Cap.6. Tit.64.

EPISCOPVS QVEM CONSTITVIT REX, VEL POPVLVS SIBI ELEGIT] Boior. Tit. 1. cap. 11. §. 1. Cap.1. Tit.84. Can. 9. Synod. Aurelian. 4. *Vt nullum Episcopum per praemia aut comparatione liceat adipisci, sed voluntate Regis, iuxta electionem cleri ac plebis, sicut in antiquis Canonibus continetur.* Can.8. Syn. Paris. Can.10. Synod. Cabillonens. Videatur vita BB. Medardi, Ausberti Rothomag. Eucherii, Vdalrici, apud Surium. Fulbert. Epist. 10. Ivo Epist. 49.

EPISTOLA COLLECTIONIS] Form. 138.

EPISTOLA COMMENDATITIA] Per quam res alicui commendatur. Long. 3. Tit. 2. L.2. Cap. 6. Tit. 130. Cap. 7. Tit.195. eius formula apud Marculf. 83.

EPISTOLA COMPOSITIONALIS] Formul. 83. quæ etiam charta pacationis dicta. Alm. Gold. Tom. 2. n. 28. *Placuit inter nos chartam pacationis ex utraq; parte allevari, quod Thiutisce* Suonbuoch *nominamus.*

EPISTOLA CONCVLCATORIA] Formul. 87.

EPISTOLA DIMISSORIA] Long.3. Tit.1. L.23. Tit.2. L.1.2.3.

EPISTOLA EVACVATORIA] Form.144.148.149. *Evacuata obligatio.* L. 4. C. de solut. & liber.

EPISTOLA FIRMITATIS] Alm. Tit. 20. *Per Epistolam confirmare.* Boior. Tit. 1. cap. 1. Form....

EPISTOLA PARICVLA] Form.141.

EPISTOLA PRECARIA] Wis. 10. Tit.1. L.12. Form.150.&c. Inf. *Precaria.*

EPISTOLA VEL CHARTA TRISCABINA] Form. 88.

EPISTOLA IVDICIS AD IVDICEM] Long. 2. Tit. 41. L.3.

EPISLOLA VEL SIGILLVM IVDICIS] Wis. 2. Tit. 1. L. 18. Infr. SIGILLVM.

EPISTOLA DE COELO LAPSA] Cap. 1. Tit. 78. Adversus Albertum in Synod. Rom. quæ extat in vita Bonifacii Mogunt. *Deneardus presbyter respondit: Ecce Domine epistola, qua utebatur Aldebertus, & quam divulgabat esse Iesu, sibiq; de caelo venisse. Et accipiens Theophanius notarius legit, cuius initium erat; IN NOMINE DOMINI incipit Epistola Domini nostri Iesu Christi filij Dei, quae in Hierosolymam cecidit, & per Michaelem Archangelum inventa est in porta Ephraim, & per manus sacerdotis nomine Scorae ipsa epistola fuit exemplata, &c. Et recepit eam Macrius sacerdos Dei, & transmisit in montem sanctum Archangeli Michaelis, & per manus Angeli Dei pervenit ad Romanam civitatem, &c.*

EQVOS ET ARMA SVIS SENIORIBVS DARE] Long. 3. Tit. 8. L. 4. Feudor. lib. 3. Constitut. Henr. 2. *Servato usu maiorum valvasorum in dandis equis & armis suis senioribus.* Ratpertus de casib. monasterii S. Galli cap. 8. *In eadem charta conscribi iussit regia dona sibimetipsi, secundum consuetudinem aliorum monasteriorum securitate praeditorum quotannis ventura, id est duos caballos & duo scuta cum lanceis.*

EQVORVM ET ARMORVM PRIVATIONE MILITES PVNIRE] Neap. 3. Tit. 33. L. 4. supr. *Arma.*

EQVITATVRÆ] Neap. 3. Tit. 38. l. 4.

ERA] Id est *Numerus.* Wis. 2. Tit. 3. L. 4. Lib. 6. Tit. 2. L. 5. Lib. 12. Tit. 1. L. 3. Sæpissime hæc vox in Apofroditi & Vitruvii Rufi Architectonis libb. non dum editis, ut & in Hygini Gromatici lib. de divisio-

divisionibus agrorum reperitur: quamq; Ios. Scaliger in arduo opere De Emendatione temp. verissime interpretatur. Nam aliorum mortualia glossemata velle meminisse, id ædepol esset ineptire.

EROGATOR] Long. 2. Tit. 20. L. 2. *Erogator obsoniorum.* Cassiodor. Var. 12. Epist. 11.

ESCA] Boior. Tit. 21. §. 2. *Arbor quæ portat esam.* Long. 1. Tit. 23. L. 3. *In esca alterius paverint.* Charta vet. in Alm. Gold. Tom. 2. n. 62. *Carradas de grano bono non scusso, id est, de spelda & alterum de avina; & quando esca est, porcum solido valintem 1. & quando esca non est, arietem bonum. Esca*, id est Mast Germ.

ESOCES] Wis. 8. Tit. 4. L. 29. Glossar. Ms. Latino-Theotisc. *Esox, salmo*, Lahs.

ETARCHARTEA] Ms. *Etarita.* Boior. Tit. 9. cap. 11. §. 2. *Virga quæ sepis continet firmitatem.*

AD EVANGELIA ADFIRMARE] Long. 1. Tit. 9. L. 23. Long. 2. Tit. 35. L. 7. 8. *Ad Euangelia satisfacere.* Long. 1. Tit. 21. L. 25. Long. 2. Tit. 36. L. 2. *AD EVANGELIA SANCTA IVRARE.* Long. 2. Tit. 55. L. 5. *Sacramento coram populo super quatuor Euangelia dato.* Cap. 5. Tit. 34. Quo maior iuramenti religio esset, tactis SS. Euangeliis vel martyrum reliquiis coram altare id peragebatur. De martyrum reliquiis infra quædam notabimus: Euangeliorum in hunc usum frequens mentio apud veteres. L. 27. C. de Episcop. aud. L. 2. C. de iureiur. propt. calum. L. fin. §. 5. C. de curat. fur. L. fin. C. de bon. auct. iud. Novel. Iust. 51. 74. & 123. Menander in Legationib. προσκυνήσεις προθυμώτατα, ὄμνυμι κατὰ τῶν λαλήσαντος τὰ ἐν ταῖς ἁγίαις διφθέραις ῥήματα Θεοῦ, μηδὲν εἰρημένων παρ' αὐτοῦ διαψεύδεσθαι. Synod. 6. Constant. *Tactis propositis sacrosanctis Dei Euangelijs Georgius Deo amabilis Diaconus & chartophylax iuravit hoc modo: PER HAS SANCTAS SCRIPTVRAS ET DEVM QVI PER EAS LOCVTVS EST, &c.* Concil. Nicen. 2. *Facta precatione unusquisq; sancta Euangelia, venerandamq; crucem & imaginem Dei Servatoris nostri IESV CHRISTI, nec non Dominæ nostræ Deiparæ salutarant, ponentes manus suas super ea, in confirmationem eorum quæ locuti erant.* Baldricus Episcop. lib. 3. Histor. Hierosol. *Podiensis Episcopus Euangelium & crucem afferri mandavit, super quæ presbyter satisfaciens populo iuravit.* Qui mos adeo invaluit, ut nihil magnum rite peragi putarent, nisi novi instrumenti libri proponerentur. Itaque cum Pontifex designandus esset, ei Euangelia capiti imponebantur. Can. 1. Distinct. 75. Theophyl. in Acta Apostol. p. 28. ἐπιτίθεται τῇ κεφαλῇ τοῦ μέλλοντος χειροτονεῖσθαι ἀρχιερέως τὸ εὐαγγέλιον. Et in synodalibus conventibus semper in conspectu hi libri erant: Sic enim in actis septimi Concilii CP. legimus. Συναχθείσης αὐθις τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης συνόδου, προκειμένων τῶν ἁγίων καὶ φρικτῶν εὐαγγελίων, &c. Sed hunc usum iurandi in Ecclesia graviter reprehendit Chrysost. CP. in oratione de iuramentis. Μὴ γὰρ ἐκκλησία διὰ τοῦτο γέγονεν, ἵνα ὀμνύωμεν. διὰ τοῦτο δὲ γέγονεν ἵνα εὐχώμεθα. Μὴ γὰρ τράπεζα διὰ τοῦτο ἕστηκεν ἱερὰ, ἵνα ὁρκίζωμεν. διὰ τοῦτο ἕστηκε, ἵνα τὰ ἁμαρτήματα ἡμῶν λύωμεν, οὐχ ἵνα δεσμῶμεν. Σὺ δὲ εἰ μηδὲν ἕτερον, αὐτὸ γοῦν τὸ βιβλίον αἰδέσθητι ὃ προτείνεις εἰς ὅρκον, καὶ τὸ εὐαγγέλιον ὃ μετὰ χεῖρας λαμβάνων κελεύεις ὀμνύναι, ἀναπτύξας καὶ ἀκούσας τί περὶ ὅρκων ὁ Χριστὸς ἐκεῖ διακελεύεται, φρίξον καὶ ἀπόστηθι. Hactenus ex Chrysostomo: quem ipsum vide Homil. xv. ad Antiochenos. Supr. *AD ALTARE.*

EVECTIO] Burg. 20. §. 2. *Evectionem ministrare.* Form. 35. Petr. Blesens. Epist. 82. *De suis evectionibus deijcere, & equos in usus proprios retinere.* Sæpius in utroq; Cod. LL. Impp. reperitur.

EVERTERE PECORA] Id est, *iniuria occidere, vel disperdere dolo malo.* Wis. 8. Tit 4. L. 20. *Evertere animal.* Wis. 8. Tit. 5. L. 7. *Evertere caballum.* Burg. Tit. 49. §. 4. *Evertere rem.* Cap. 6. Titul. 136.

EVLOGIA] Add. Lud. 1. Tit. 68. Honor. lib. 1. Cap. 67. Gemm. animæ. Cap. 54. Regula B. Benedicti Can. 45. Synod. Meldens. Can. 9. Syn. Nannet. Burch. Decret. lib. 5. cap. 27. Ivo part. 2. cap. 37. Gregor. Turon. Histor. lib. 6. cap 5. Ordo Rom. de divin. off. In vita Frontonii. *Velut eulogia revocans domino rerum.* Ibidem. *Eas deniq; eulogias indigentibus distribuit, quas acceperat.* Extat etiam in Ms. C. Marculf. bibliothcæ Reg. Gall. formula De eulogijs dandis: sed quæ propter libri vetustatem legi non potest.

EWA] Alm. Tit. 6. Cap. L. Boior. §. 11. Long. 1. Tit. 14. L. 9. Cap. 3. Tit. 65. Cap. 4. Add. 2. §. 34. *secundum legem & ewam*. Gloss. Latino-Theotis. *Lex, ewa*. Willeramus Abb. in paraphrasi Cant. Canticor. p. 7. Thiu gnatho thines *Euangelij* suozer is/ than thiu *austeritas* thero ewo. Id est: *Gratia Euangelij dulcior est austeritate legis*. L. Salic. Tit. 29. editionis Heroldi. *Landewa*, id est, Landtrecht. Aliæ Gloss. *Testamentum*, ewa. *Veteris fœderis noviq.* Dero alten ewa, ioh dera niwan. Qua significatione sæpissime in veterib. Germ. rithmis reperitur. Inde Ewarto, *sacerdos*. Esago, *curialis*. Glos. vet. & Otfrid. Euang. lib. 1. cap. 4. atq; etiam nunc Germanis in usu est, die ehe, id est coniugii fœdus.

EXACTARE] Cap. 3. Tit 68. Cap. 4 Tit 31. Can. 18. Syn. Cabillon. In duplomate Caroli Mag. *Carraticum & vinum contra omnem iustitiam ab eis exactare non cessant*. In altero duplom. *Nec quæ fisci à longo tempore fuit consuetudo, exactandum*.

EXACTORES] Edict. Theod. c. 19. *Exactor tributorum*. Cap. 5. Tit. 217. *Exactor publicarum*. Cap. 6. Tit. 122. Passiva horum mentio in LL. Imperialib.

EXADONIARE] Alm. Tit. 18. Decret. Tassil. §. 12. idoneum facere. Sed rectius esset, *Exidoneare*.

EXÆQVATIO DIVISIONIS IN PRÆSENTIA MISSI] Long 2. Tit. 29. Form. 114.

EXARTVS] Burg. Tit. 13. Tit. 41. §. 1. Tit. 45. §. 2. Tit 67. Boior. Tit. 16. c. 7. §. 2. Cap. 7. Tit. 200. Can. 27. Syn. Aurel. 2. Can. 18. Synod. Cabill. In duplomate Caroli Mag. *Conferremus stirpes, vel ut vulgo dicitur, exartes quosdam, quos ex rebus Tricassinensis Comitatus ipsi proprio labore de heremo ad agriculturam perduxisse noscuntur*. In chartulario Rhemens. *Si novalia, quæ esarta vocant, ibi sunt*. Gall. *Essart*.

EXARTARE] Boior. Tit. 16. cap. 1. §. 2. *Exartari*. Burg. Add. 1. Tit. 1. §. 1. Gall. *Essarter une forest*, collucare sylvam.

EXCADENTIÆ] Neap. 1. Tit. 84. 85. Lib. 3. Tit. 5.

EXCLVSA] Wis. 8. Tit. 4. L. 29. mox post in eadem Leg. *clusura*. *Exclusæ*. Cap. Pipini Tit. 4. Sup. *Clausa*.

EXCOMMVNICATIONIS MODVS] Cap. 5. Tit. 42. Vid Burchard. Decret. Lib. 11. Arnold. in continuatione Helmold. lib. 7. cap. 3.

EXCORTICARE] Sal. Tit. 68. Rip. 86. *excoriare*. Gall. *escorcher*.

EXCVBIÆ PVBLICÆ] Long. 3. Tit. 9. L. 2.

EXCVRTARE] Sal. Tit. 40. §. 15. 16. Alm. Tit. 70. §. 2. caudam amputare. Supr. *Curtare*.

EXCVTERE PECORA] Sal. 10. §. 9. dolo malo aut vi rapere. Paul. Sentent. lib. 1. Tit. 30. *custodiam militi prosequenti magna manu excusserunt*.

EXENIVM] Long. 2. Tit. 1. L. 6. *Xenium*. Gloss. vett. *Exenium, servitium*. Baldricus Histor. Hierosolym. lib. 3. *Condito corpore quibus potuerunt aromatibus, imperialibus exenijs illud prosecuti sunt*.

EXEQVVTOR COMITIS, CIVITATIS, VEL IVDICIS] Wis. 12. Tit. 11. *Exequutor*. Cap. 5. Tit. 225.

EXERCITVS] Long. 1. Tit. 17. L. 1. etiam de quatuor hominibus.

EXERCITVM GVBERNARE, EQVVM ASCENDERE, VTILITATEM REGIS IMPLERE] Alman. Tit. 35. Boior. Tit. 2. §. 10.

EXERCITALIS] Id est, *Miles*. Wis. 9. Tit. 2. L. 9. Long. 1. Ti. 9. L. 21. Tit. 14. L. 1. 3. Long. 3. Tit. 1. L. 18.

EXGVARDIVM] Neap. 3. Tit. 17. Infr. *wardia*.

EXHEREDATI] Cap. 1. Tit. 121. *Privati rebus suis*. Can. 6. Syn. Mogunt. Can. 51. Synod. Turon. 4. Can. 7. Synod. Cabillon. 2.

EXILIARE] In exilium mittere. Alm. Tit. 35. Boior. Tit. 2. cap. 10. *Exiliari*. Boior. Tit. 1. cap. 11. §. 4.

EXIRE DE LATROCINIO] Sal. Tit. 49. absolvi ab accusatione latrocinij.

EXITVM FACERE] Formul. 69. 153. 155. 156.

EXORCISTA] Boior. Tit. 1. cap. 8. Capit. 1. Tit. 139. Cap. 5. Tit. 184. Cap. 7. Tit. 27. L. 1. ff. de extraord. cognit. L. 121. C. Theod. de decurion. Iul. Firmic. de Astronom. cap. 5. & 9. B. Hilarius in conciliis p. 41. *Pullentium lectorem, & Candidia-*

Candidianum exorcistam. Inscriptio vetus pag. 1060. n. 9.

D. M.

VALERIVS QVI

VIXIT IN SECVLO

ANN. XL. M. X. D. V.

IANVARIVS EXORCISTA

SIBI ET CONIVGI FECIT.

Isidorus Iunior. *Ad exorcistam pertinet exorcismos memoriter tenere, manum super energumenos & catechumenos exorcizandos imponere.* Hraban. Maur. de inst. cleric. cap. 10. Petrus Sicul. p. 56. εἰσί τινες μέχρι τῆς σήμερον ἡμέρας, οἵτινες τὴν ἐν χριστῷ πολιτείαν κατέχουσι, καὶ δοκοῦσιν εὐσεβῶς ζῆν. διὰ δὲ τῆς ἐπῳδῆς οἴδασι πολλάκις καὶ δαίμονας φυγαδεύειν, καὶ νοσήματα καὶ πάθη θεραπεύειν, καθάπερ, πάλαι, οἱ τοῦ Σευᾶ υἱοί, ἢ οἱ λεγόμενοι ἐξορκισταί.

EXORCISMATA ILLICITA] Neap. 3. Tit. 42. L. 3.

EXPEDITIO HOSTILIS] Long. 1. Tit. 14. L. 17. Cassiod. Var. 1. Ep. 17. &c. Gloss. *expeditio*, ὁδοιπορία. Gloss. Latino-Theotis. *Expeditio* Herivart, *vel præparatio belli.*

EXPOSITOR] Fris. Tit. 2. §. 1. 3. 6. 9. qui alium morti exponit: id est, ut Gaium occidat, Titium dolo malo redimit atque corrumpit.

EXPOSITI ANTE ECCLESIAM] Cap. 6. Tit. 142. Form. 138. Can. 32. Synod. Arelat. 2. Can. 9. Syn. Vasens. *De expositis quia conclamatur, ab omnibus querela processit, eos non misericordiæ iam, sed canibus exponi, quos colligere calumniarum metu (quamvis inflexa præceptis misericordiæ mens humana detractet) id servandum visum est, ut secundum statuta fidelissimorum pijssimorumq; Augustorum & Principum, quisquis expositum colligit, Ecclesiam contestetur, contestationem colligat, nihilominus de altario dominico die minister annuntiet, ut Ecclesia sciat expositum esse collectum, ut intra dies decem, ab expositionis die expositum recipiat. Si quis probaverit se agnovisse, collectori pro ipsorum decem dierum misericordia, prout maluerit aut præsens retribuat, aut in perpetuum cum Dei gratia, si voluerit, possideat. Si quis expositorum hoc ordine collectorum repetitor vel calumniator extiterit, homicida habendus est.* Wandelbertus Diaconus in vita B. Goaris. *Moris tunc Trevirorum erat, ut cum casu qualibet fœmina infantem peperisset, cuius nollet sciri parentem, aut certe quem præ inopia rei familiaris nequaquam nutrire sufficeret, ortum parvulum in quadam marmorea concha, quæ ad hoc ipsum statuta erat, exponeret, ut in ea cum expositus infans reperiretur, existeret aliquis, qui eum provocatus miseratione, susciperet & enutriret. Si quando igitur id contigisset, custodes vel matricularij Ecclesiæ puerum accipientes quærebant in populo, si quis forte eum suscipere nutriendum, & pro suo deinceps habere vellet. Vbi vero ad eam rem offerret sese aliquis, infans qui esset expositus Episcopo deferebatur, & eius privilegio auctoritas nutriendi habendiq; parvuli ei quia matricularijs susceperat, firmabatur.*

EXSVRDARE] Alman. Tit. 60. Surdum reddere.

EXTALIVM] Neap. 1. Tit. 61. 68.

EXTERMINARE] Wis. 8. Tit. 3. L. 11. *Exterminare terminum.* Long. 1. Tit. 26. Glossar. *Exterminare* ὁροθετῆσαι, ἀφανίσαι.

EZZISCZVN.] Boior. Tit. 9. cap. 11. §. 1. *Si illam sepem ruperit, quam ezzisczun vocant.*

F.

FABARIA] Sal. Tit. 29. §. 13. *Conditorium fabarum.*

FABER ÆRARIVS SERVVS] Burg. Tit. 21. §. 2. *ferrarius.* Ibid.

FABRICA] Burg. add. 1. Tit. 1. §. 7. L. 13. Cod. Th. de præt. & quæst.

FABRICATVRA] Form. 49. 67. 72. 75. 77. 78. 83.

FABVLA FIRMATA] Long. 1. Tit. 9. L. 9. Tit. 30. L. 3. Lib. 2. Tit. 1. *secundum fabulam comp.* Long. 1. Tit. 23. L. 2. Gloss. vet. *Fabula, id est pactum conditionis.* Fabulam interpretari possumus tabulas nuptiales: ut in LL. Wis. sive Foro Iudicum Hispan. Lib. 3. Tit. 1. L. 6. Lib. 5. Tit. 2. L. 4. *morir sen fablas* id est, absque tabulis testamenti sive intestato discedere. Inde *confabulati.* Longob. 2. Tit. 55. L. 7.

FACTVM] Cap. 5. Tit. 151. *Quartam facti tenere cum suis animalibus.*

FACVLAS ACCENDERE] Cap. 7. Tit. 236. Concil. Tol. 12. cap. 11. Concil. Tolet. 16. cap. 2. Concil. Bracar. 22. in Conciliis Hispan. p. 194. Can. 23. Syn. Arelat. Burchard. in Collect. Canon. Lib. 10. cap. 32. Lib. 19. p. 270. *Venisti ad aliquem locum, id est ad fontes, vel ad lapides, vel ad arbores, vel ad bivia, & ibi & candelam, aut faculam pro veneratione loci incendisti, &c.*

FACVNDIA] Id est, facultas. Long. 1. Tit. 36. L. 6. Long. 2. Tit. 8. L. 6. Tit. 21. L. 13. 20. 24. Tit. 26. Tit. 35. L. 6.

FADERFIVM] Gloss. *Faderfium.* (al. *fadelfium*) *id est, dotem.* Long. 1. Tit. 9. L. 12. Long. 2. Tit. 1. L. 4. *quod de parentibus eius adduxerit, id est phaderfium.* Tit. 14. L. 15. Germ. Erffe hereditaria bona: inde vox composita.

FAIA] Longob. 1. Tit. 19. L. 8. *Glandem, quod est faia. Faye.* Aquitanis etiam nunc glandem notat.

FAIDA] Sax. Tit. 2. §. 5. Tit. 3. §. 4. Tit. 13. §. 3. Long. 1. Tit. 4. L. 5. 17. Tit. 7. L. 1. 15. *faida, quod est inimicitia.* Tit 9. L. 18. Tit. 13. L. 2. Tit. 16. Tit. 25. L. 24. Tit. 37. L. 1. Lib. 2. Tit. 1. L. 11. Tit. 14. L. 10. Tit. 53. L. 2. Lib. 3. Tit. 7. Cap. 3. Tit. 27. 55. Cap. 4. Tit. 27. 55. Cap. 5. Tit. 6. 134. Add. Lud. 4. Tit. 92. Gloss. *Faida, vindicta mortis.* Germ. Feide. Anglo-Saxon. *Fæhthe.* LL. Eduardi c. 7. Id est, inimicitia sive grandis simultas.

FAIDAM NON POSSVNT LEVARE FILIÆ] Long. 1. Tit. 9. L. 18. Inf. Filiæ.

FAIDOSVS] Cap. Sal. cap. 2 §. 2. Boior. Tit. 2. cap. 8. Sax. Tit. 2. §. 6. Fris. Tit. 2. §. 5. Fris. add. Tit. 1. Long. 1. Tit. 37. L. 2. Cap. 3. Tit. 4. Cap. 5. Tit. 215. *Faidosus, diffidatus.* Gall. *Desiè.* Theodor. de Nihem, de iuribus Imperij. *Imperatori Græco, qui tunc erat, bellum indixit, eumque more Saxonico diffidavit.*

FALSATOR] Sal. Tit. 32. §. 8. *Falsarius* ψευδογράφος. Gall. *fauseur.*

FANO] Alm. Tit. 59. 84. *involvet in fanone.* Gloss. Latino-Theotisc. *Linteolus* Fanon. Papias. *Fano, operimentum quoddam.* Alcuinus de divinis officiis, cap. de singulis vestibus. *Sudarium quod ad tergendum sudorem in manu gestari mos est, quod usitato nomine fanonem vocamus.* Hraban. Maur. de instit. clericor. cap. 18. *Mappula sive mantile, sacerdotis indumentum est, quod vulgo phanonem vocant.* Chronicon Reichersp. Ann. CCCCII. *Zosimus PP. constituit, ut Diaconi in ministerio altaris lævam semper tegerent pallijs, id est fanonibus.* Ordo Rom. editionis Hittorp. pag. 3. *Populus dat oblationes suas, id est, panem & vinum, & offerunt cum fanonibus candidis: primo masculi, deinde fœmina.* Ordo Rom. editionis Cassand. p. 7. *calicem in quo sanguis Domini est, fanone circumdatum.* Missale vetus apud eundem, pag. 52. *calicem cum fanone circumdatum.* Vetus charta Ms. Abbatis S. Agerici Virdunens. in Bibliotheca Magni Ducis Hetruscor. *Albas x. offertoria III. vexilla v. Se.. S. III. sed unam sine fanone. Pallia duo bona. Bancalia IIII. Tapetia III. Cortinas II. Dalmaticas IIII. Tunicas III. Psalterium Scoticum I. Euangelia IIII. Anno incarnationis millesimo septuagesimo, Epacta VI.* Leo Marsican. lib. 3. cap. 72. *fanones aurei; — fano imperialis aureus totus.* Vox est pura puta Germanorum, qui Fanen vexilla vocant, unde Gundfanon *id est, labarum:* apud Otfridum Euangel. lib. 5. cap. 2. & *Mappa,* Hanckfano. *Mappula* Tischfano, in veteri Glossar. Latino-Theotisco.

FARA] Long. 3. Tit. 14. Paulus Warnefr. Histor. Longob. lib. 2. c. 9. *faras id est generationes.* Otfridus Euangel. lib. 16.

Furista auch in wara
Thera armilichun fara.

Idem cap. 18.

Thu bistu rehte in wara
Thesses mannes fuara.
—— in wara
Ni bin ih ther fuara.

atque inde Germanis passim usitatæ voces fart & geferti. quæ & ipsæ apud Otfridum extant.

FARAMANNI] Burg. Tit. 54. §. 2. Forsan. iidem sunt, qui alibi *Arimanni,* aut *Erimanni* vocantur.

FARFALIVS] Decret. Child. c. 6.

FARINA-

FARINARIVM] Sal. Tit. 24. §. 3. Tit. 33. §. 3. Form. 16. 18. 45. 75. Charta vet. in Tradition. Fuldens. n. 186. *cum pratis, sylvis, arealis, farinariis.*

FARLEGANI] Fris. Tit. 9. id est, de fornicationibus. ut & in LL. Alfredi Regis Anglo-Saxon. cap. 10. p. 31. *Be Forlegenum.* Gloss. Latino Angl. Saxonic. *Adulter*, forligen. Germ. Liggen, cubare est vel iacere. Itaq; sensu nequiori hic usurpatur, ut *cadere*, apud Plautum. *Libera eris actutum si crebro cades.*

FATALE PRETIVM] Form. 30.

FATIGATIO] Boior. Tit. 12. cap. 2. Formul. 123. Eo sensu *Fatigare* apud Gregor. PP. Registr. lib. 7. cap. 67. & 68. *Volumus ut vestra quoq; fraternitas (si ei laboriosum non est) ad eandem civitatem fatigare se debeat.* Lib. 12. cap. 27. *ad nos fatigatus est.* cap. 30. *quod se hic fatigavit.*

FEGANGI] Al. *Fingandi.* Ms. *Fengangi.* Long. 1. Tit. 25. L. 2. 33. 48. 59. Tit. 36. L. 3. Gloss. vet. *Fengangi furtum manifestum.*

FELIX EXPEDITIO] Long. 3. Tit. 9. l. 9 *Felicissimæ expeditiones.* Cassiod. lib. 5. Var. 36. Sic *Felicia castra.* L. 3. C. Theod. De testim. ex trib. & protect. *Felicia signa.* L. 4. Cod. Th. de desertorib. *Felix embola.* Theodos. Novell. 15. *Felix stolium.* Petr. de vineis lib. 2. Epist. 31.

FELTRVM] Boior. Tit. 2. cap. 6. § 1. *capistrum, frenum, feltrum.* Balbus in Catholico. *Filtrum dicitur, quia ex filis, id est pilis animalium fiat, unde feltratus.* Regula B. Benedicti p. 129. *Chlamides sive de rascia, sive de panno, sive de feltro.* Heithonus Armen. Histor. Oriental. cap. 16. *Extendentes quoddam filtrum nigerrimum super terram, desuper sedere fecerunt Changium.* Et mox. *De filtro nemo debeat admirari, quonium forte pulchriorem pannum non habebant.* Charta vetus investituræ sub Carolo Magno in Germanicis Goldast. Tom. 2. n. 58. *Auro & argento solid.* LXX. *& cavallos* V. *cum saumis, & tufiis, & filtris, cum stradura sua ad nostrum iter ad Romam ambulandum.* Specul. Saxon. lib. 3. Artic. 89. Sadel/edder Vilt/ edder Thom.

FERAMVS RVBEVS] Alman. Tit. 99. §. 4. id est, fera rubea. Germ. Rotwilt. Gall. *beste fauve.* FERAMVS NIGER. Alman. Tit. 99. §. 5. German. Schwartzwilt. Gall. *beste noire.*

FERIA SECVNDA] Boior. Tit. 6. cap. 2. §. 4.

FERITA] Long. 1. Tit. 2. L. 1. Tit. 6. L. 3. 4. Tit. 7. L. 15. Tit. 8 L. 2. 24. 25. 26. Tit. 9. L. 23. 25. Tit. 15. L. 1. Tit. 16. L. 3. 4. Tit. 17. L. 3. 4. Tit. 24. L. 3. Long. 2. Tit. 11. L. 4. Tit. 21. l. 4. *Ferita* vulnus sive percussio Ital. Hisp. *herida* Vid. quæ ad Paul. Warnefr. Hist. Longob. notata sunt.

FERQVIDVS] Long. 1. Tit. 19. L. 2. 16. 20. Tit. 23. L. 3. 7. Long. 2. Tit. 15. *Reddat ferquidum, id est similem.* Retinent in parte vocem Germani. Quit enim debiti est liberatio. Quitung evacuatoria charta sive apocha. Quitiren, quod nunc barbare *quietare* dicunt.

FERRAMENTVM DE MOLINO] Sal. Tit. 24. §. 2.

FERRVM MANV LAPSVM] Sax. Tit. 13. §. 3. *Securis manum fugiens.* Deuteronomii cap. 19. *Telum manu fugiens.* LL. XII. Tabb. *SI QVIS HOMINEM LIBERVM dolo sciens morti duit, parricida esto. Ast si telum manu fugit, pro capite & natis eius in concione arietem subicito.* B. Augustin. de libero arbit. lib. 1. cap. 4. *Cui forte invito atq; imprudenti telum manu fugit, non mihi videtur peccare cum hominem occidit.*

FERRO VINCIRI] Longob. 2. Tit. 13. L. 5.

FESTVCAM IN LAISVM IACTARE] Sal. Tit. 48. *Festucam accipere.* Sal. Titul. 52. §. 2. *cum festuca fidem facere.* Rip. Tit. 30. §. 1. *per festucam.* Form. 153. *per festucam & andelangum.* Form. 18. 55. 57. 58. 75. 82. 127. 152. *per festucam commendare.* Form. 115. *per festucam lesowerpisse vel condonasse.* Form. 43. *per festucam werpire.* Form. 121. *per festucam omne partitum.* Form. 67. *per festucam pars contra pari suo se exinde exitum fecerunt.* Form. 69. Vid. infr. TRADITIO.

FEVDA QVATERNATA] Neap. 1. Tit. 37. 48. Tit. 52. 85. *quæ in quaternionibus doanæ nostræ inveniuntur inscripta.* Neap. 1. Tit. 39. 41. *in quaternionibus doanæ annotata.* Neap. 3. Tit. 22.

FEVDA MAGNA] Neap. 1. Tit. 41.

FEVDA IN CAPITE TENERE] Neap. 1. Tit. 44. Neap. 3. Tit. 21. 24.

FIAT] Long. 1. Tit. 18. &c. Sic alibi sæpe in hisce legibus *ἀντὶ τοῦ sit.*

FIDEIVSSOR] Long. 1. Tit. 30. L. 3. 4. Long. 2. Tit. 21. L. 9. 10. 12. &c.

PER FIDEIVSSORES AD PALATIVM VENIRE] Cap. 3. Tit. 34. Cap. 5. Tit. 43. 147. Cap. 7. Tit. 360. *Per fideiussores missus ad palatium.* Add. Lud. 4. Tit. 71. 75. 76. 78. 85. Capit. Pipini Tit. 3. *fideiussores tollere.* Form. 6. 7. *per fideiussores ad præsentiam Regis venire.* Form. 112. 158. *tultis fideiussoribus.* Form. 113. *per fideiussores positos.* Formul. 176. Gregor. Turon. Histor. lib. 8. cap. 12. 43. Lib. 9. cap. 8. De gloria confess. cap. 70.

FIDEIVSSORI INVESTITVRAM FACERE] Long. 2. Tit 18. L. 7.

FIDEIVSSORES RESTITVERE] Cap. 4. Tit. 19.

FIDELIS REGIS] Long. 2. Tit. 26 Tit. 51. L. 14. Tit. 52. L. 1. Cap. 2. Tit. 17 Cap. 4. Tit. 34. Cap. 6. Tit. 96. Add. Lud. 4. Tit 76. *Fidelitas Regi facienda.* Cap. 3. Tit. 88. *Fidelitatis sacarmentum.* Form. 40. *Iurare pro fide Regia.* Wis. 2. Tit. 1. L. 34. Feudor. lib. 2. Tit. 4. 5. 7. Fulbertus Carnot. Episcopus Epist. 85. *Fidelitatem dicimus iusiurandum, quod à vasallo præstatur domino.* Sic Alexandro M. fides à iurantibus facta. Curt. lib. 4. Sic Iustiniano Imp. & Theodoræ eius uxori iuramentum præstatur. Novella Iust. IX. Anonymus Historicus in Pipino. Anno DCCLVII. *Fidelitatem tam ipsi Regi Pipino, quam filiis eius Carolo & Carlomanno iureiurando super corpus S. Dionysij promisit.* Ivo Epist. 88. *Nullus qui fidelitatem fecerit Regi, præsumet illud dare consilium, quod sit contra fidelitatem suam, & regni minuat maiestatem. Cum his enim quæ fidelitas continet, præcipue observandum est VTILE ET HONESTVM.* Reges autem à quibus fidelitatem acceperunt, ijs mutuam fidem præstent. Cap. Kar. Reg. Tit. 3. Iurat nimirum populus Principi, & populo Princeps. Casiod. Var. lib. 8. Epist. 3. 4. &c. Fidelitatis Formula extat in Memorabilibus Capitulis, quæ dedit Karol. Rex missis suis An. DCCCLIII. mense Iunio. *Ego ill. Karolo Hludovici & Iudithæ filio, ab ista die inante fidelis ero secundum meum savirum, sicut Francus homo per rectum esse debet suo Regi. Sic me Deus adiuvet & istæ reliquiæ.* At in placito generali apud Gundulfi villam, An. DCCCLXXIIII. Indict. III. V. Id. Septemb. hæc fuit professio Episcoporum. *Quantum sciero & potuero, adiuvante Domino, consilio & auxilio secundum meum ministerium fidelis vobis adiutor ero, ut regnum quod vobis Deus donavit vel donaverit, ad ipsius voluntatem & S. Ecclesiæ ac debitum regium honorem vestrum, & vestræ, fideliumque vestrorum salvationem, habere & obtinere & continere possitis.* Sacramentum vero laicorum istud. *Quantum sciero & potuero, adiuvante Domino, auxilio & consilio fidelis vobis adiutor ero, ut regnum quod habetis, ad Dei voluntatem, & S. Ecclesiæ & vestrum honorem, atque ad vestrorum salvationem continere possitis, & quod DEVS vobis concesserit, acquirere, & contra omnes homines defendere valeatis.* Aliud Iuramentum fidelitatis post Frid. Imp. constitutionem de pace Constant. extat.

FIDEM ALTRI FACERE] Sal. Tit. 52. Gloss. *Qui wadium alteri dat, & postea persolvere spreverit, De fide facta.* Vid. Basil. edit. quam cum hac confer, Tit. 59. *Nec de ulla lege fidem facere noluerit.*

IN FIDVCIÆ NEXV POSITVM] Long. 2. Tit. 15. L. 3. Glossar. *Fiducia,* πεποίθησις, ὑποθήκη, ἐνέχυρον. *Fiduciat,* ὑποτίθεται. *Fiduciatus,* ὑποτιθέμενος. Tertullian. de Idololat. cap. 23. *Pecuniam de Ethnicis mutuantes sub pignoribus fiduciati, iurati cavent.* Ambrosius Episcopus de Tobia cap. 12. *Nummus datur & fœnus appellatur. Sors dicitur, caput vocatur. Æs alienum scribitur, multorum hoc capitum immane prodigium, numerosam exactionem efficit. Syngrapham nuncupat, chirographum nominat, hypothecas flagitat, pignus usurpat, fiducias vocat, obligationem asserit, usuras prædicat, centesimas laudat.* Chrysost. περὶ ἐλεημοσύνης, p. 340. ἀντὶ ἀσφαλείας, ἢ ὑποθήκης, ἢ ἐνεχύρων, ἢ ἐγγύης. Vid. Barn. Brisson. de verbor. signif. lib. 6.

FILII ECCLESIÆ] Id est, *presbyteri.* Long. 3. Tit. 1. L. 41.

FILIASTER] Cap. 5. Tit. 5. FILIASTRA. Long. 2. Tit. 8. L. 1. Cap. 5. Tit. 5. 17. 101. *Privignam, id est filiastram.*

Gloss.

Gloss. *Filiaster, privignus, qui ante natus est. Filiaster* πρόγονος. Gloss. Latino-Theotis. *Filiaster* Stiefsun. Pœnitentiale Rom. lib. 3. cap. 9. *Si quis viduam uxorem duxerit, & postea cum filiastra fornicatus fuerit.* Burchard. Decret. lib. 19. p. 277. Inscriptio vet. p. 681.

D. M.

EPITTNXANO FILIASTRO
M. ANTONIVS HER
MEROS B. M. F.

FILIÆ NON POSSVNT FAIDAM LEVARE] Long. 1. Tit. 9. Tit. 9. L. 18. Id est, bello gerendo faciendove idoneæ non sunt, & cum armis se defendere nequeunt. Boior. Tit. 1. c. 13. §. 2. Vid. Cuiac. de Feud. lib. 1. Tit. 1. p. 23.

FILTORTÆ] Sal. Tit. 49. Gloss. *De filtortis, de intertiatis rebus.*

FIRMITAS] *Firmitatem facere de rebus suis.* Alm. Tit. 1. 2. *Firmitas venditionis.* Boior. Tit. 15. cap. 9. §. 1. Cap. 11. §. 1. cap. 5. Tit. 210. *Firmitatem habere de parte Dominica.* Long. 3. Tit. 8. L. 2. Cap. 4. Tit. 37. *Firmitas est charta privilegij vel emunitatis signaculo firmata.* Vid. Ratpert. in casibus monast. S. Galli. cap. 3.

FIRSTFALLI] Boior. Tit. 9. §. 2. *Si quis desertaverit, aut culmen eiecerit, aut incendio tradiderit, quod Firstfalli dicunt.* Tit. 9. c. 4. §. 5. Glos. Latino-Theotis. *Culmen* First. Gloss. Latino-Anglo-Sax. *Laquear* Fyrst. Fall *ruina* Germ. Ergo *Firstfalli* est culminis ruina. *Culmen quod incendio cecidit.* Boior. Tit. 1. L. 6. §. 2.

FIRSTSVL] Boior. Tit. 9. cap. 6. §. 2. *Columnam in qua culmen sustentatur.* Sul *columna.* unde Hirmensul, *Colossus, altissima Herminij columna,* apud Rer. Germanic. scriptores. & Glos. Lat. Theotis.

FISCI IVRA] Wis. 2. Tit. 1. L. 7. Wis. 8. Tit. 4. L. 24. Cap. 5. Tit. 230. 232. Cap. 6. Tit. 99. 101. Cap. 7. Tit. 375. Add. Lud. 3. Tit. 47. *Fisci dominium.* l. 7. C. Theod. de Iud. & cœlic. Cassiod. lib. 4. Var. 14. *Casas eius appositis titulis, fisci nostri iuribus vindicatis.* L. 3. C. Th. de vi publ. *cetera fisci iuribus vidicentur.* Sic enim leg. *non iuribus*, ut alibi quoq; & in constitutionib. Imperialibus locis plurimis erratum.

FISCI PATRONVS] Neap. 1. Tit. 52. *advocatus fisci.*

FISCALINVS] Cap. L. Sal. cap. 12. Longob. 1. Tit. 9. L. 30. 34. Long. 2. Tit. 32. L. 6. Cap. 3. Tit. 36. *Fiscalini Regij. Fiscalinæ Regiæ.* Cap. 3. Tit. 16. *Fiscalinæ uxores.* Cap. L. Sal. cap. 3. §. 7. *FISCALIS.* Rip. Rip. 59. *Fiscales homines servientes.* Formul. 90. *Ex familia Dominica,* &c. Aimoin. lib. 3. cap. 56. *Fiscalinorum multos à parentibus segregatos,* &c. Gregor. Turon. Histor. lib 6. cap. 45. *Familias multas de domibus fiscalibus.* Infr. SERVVS.

FISCALES RES QVODAMMODO RES PRIVATÆ IMP. CENSENTVR] Neap. 1. Tit. 84.

FISTVLA] Fris. add. Tit. 3. §. 45. *sanies per fistulas decurrens.*

FLAGELLA PVBLICE EXTENSVS ACCIPERE] Wisig. 2. Tit. 1. L. 7. 11. 17. 18. 20. 23. 25. Tit. 2. L. 7. 10. Tit. 4. L. 3. 6. Wis. 3. Tit. 3. L. 1. 4. 8. 9. 12. 16. 17. Wis. 4. Tit. 5. L. 1. Wis. 5. Tit. 4. L. 11. 22. Wis. 6. Tit. 3. L. 1. 5. 6. Tit. 4. L. 8. Burg. Tit. 4. §. 6. Boior. Tit. 11. cap. 4. *super scamnum tensus.* Sal. Tit. 42. Vid. Comment. ad Feudorum lib. 2. Titul. 27. §. 8. Illud etiam hic porro notandum, non arbitrio carnificis, sed sententia iudicis plures pauciores ve percussiones & ictus condemnatis inflictos, quod etiam ex sacra scriptura constat. Sic in L. Sal. Tit. 13. *Centum viginti ictus accipiat.* In L. Boior. *Gamactas XL. accipiat. & rumpatur dorsum eius L. gamactis.* Harmenop. διὰ δώδεκα ἀπλήκτων σωφρονιζέσθω. Item. διὰ κ. μαγκλαβίων σωφρονιζέσθω, quod idem est. Gloss. μαγκλάβια ἀπλῆκτα. & alibi non raro.

FLAGELLENTVR INTER SE ET CAPILLOS SVOS VICISSIM DETVNDANT] Long. 1. Tit. 17. L. 11.

FLEBOTOMVM] Wis. 11. Tit. 1. L. 6. Gregor. PP. Dialog. lib. 1. cap. 4. *Medicinale ferramentum, id est, phlebotomum.* Gloss. Lat. *Flebotomum ferrum, quo sanguis minuitur.* Gloss. Lat-Theotis. *Flebotomum* Blodsachs.

FLEBOTOMARE] Wis. 11. Tit. 1. L. 1. Glossarium : φλεβοτομῶ, *Sanguino.* φλεβοτομοῦμαι *sanguinor.* FLEBOTOMIA. Paul. Warnefr. Histor. Long. 5. cap. 33. *Grimoaldus cum nono die post phlebotomiam in suo palatio constitutus, accepto arcu colum-*

bam sagitta percutere nisus esset, eius brachij vena dirupta est.

FLEHVM] Fris. Tit. 14. *Fli.* Tit. 1. §. 9. *Inter Flehum ac Sincfalam fl. Inter Laubachi ac Flehum.* Sic in iisdem LL. non *Cisfli*, sed divisim *cis Fli* legendum arbitror. Plin. lib. 4. cap. 15. *Sternuntur inter Helium ac Flevum: ita vero appellantur ostia, in quæ effusus Rhenus ab septentrione in lacus, ab occidente in amnem Mosam se spargit.* quæ verba corrupte apud Aimoin. leguntur præfat. lib. 1.

FOCVLARE] Long. 1. Tit. 19. l. 2. Neap. 1. Tit. 100. Locus ubi focus constituitur.

FOCVS] Alm. Tit. 65. §. 5. *Si manum transpunxerit, ita ut focus non intret ad coquendum venas, vel sanguinem stagnandum. Vt focus non intret, id est ut sine igne sanguis stagnetur.* Boior. Tit. 3. cap. 4. Vegetius Mulomed. lib. 1. cap. 28. *de ratione foci atq; cauterij.*

FOCVM AVT TECTVM HOSPITI NEGARE] Burg. Tit. 38. §. 1. 9. *Mansionem & focum, panem & aquam largiri.* Formul. 97. Infr. *Tectum.*

FODRVM] Long. 3. Tit. 8. L. 4. Aimoin. lib. 5. cap. 3. & auctor vitæ Ludovici Imp. *Inhibuit à plebeis ulterius annonas militares, quas vulgo foderum vocant, dari.* Constitut. Conradi Imp. *Fodrum de castellis, quod nostri antecessores habuerunt, habere volumus.* Imp. Fridericus de pace Constant. *Fodrum consuetum & regale, quæ solent & debent præstabunt.* Petr. de Vineis lib. 2. Epist. 29. *Viarum asperitas fodri confluentem interdicat.*

FOEMINA ECCLESIASTICA] Rip. Tit. 14. Cap. 4. add. 3. §. 5.

FOEMINA FISCALIS] Cap. 4. add. 3. §. 5. *Fœmina Regia.* Rip. Tit. 14.

FOEMINÆ SE CVM ARMIS DEFENDERE NEQVEVNT] Boior. Tit. 3. cap. 13. §. 2. *faidam levare nequeunt.* Long. 1. Tit. 9. L. 18. *FOEMINA SI PVGNARE VOLVERIT, ob parentes occisos, simplicem comp. accipit.* Boior. Tit. 3. cap. 13. §. 3.

FOEMINA IN MVNDIO FILIORVM] Long. 2. Tit. 37. l. 4. Infr. *MVNDIVM.*

FOENILE] Sal. Tit. 18. §. 3. Boior. Tit. 1. cap. 14. Gloss. *Fœnile, locus ubi fœnum ponunt.* Χορτοθήκιον *fœnile, fenisecium.* Glos. Latino-Theotisc. *Fœnile* Heustadel. Gall. *fenil.*

FOLLICVLVS TESTICVLORVM] Angl. Tit. 5. §. 16. *folliculus testium.* Fris. Tit. 22. Dithmar. lib. 8. p. 105. *per follem testiculi clavo affigitur.*

AD FONTANAS ADORARE] Long. 2. Tit. 38. L. 1. Cap. 1. Tit. 64. *Arboribus petris vel fontibus, ubi aliqui stulti luminaria, vel alias observationes faciunt.* Cap. 7. Tit. 236. Concil. Antisiod. cap. 3. p. 95. *Non liceat compensas in domibus propriis, nec vigilias in festivitate sanctorum facere, nec inter sentes aut arbores sacrivas vel ad fontes vota exolvere.* Burchard. Decret. lib. 10. c. 32. ex concil. Agath. cap. 5.

FONTANA] Ital. *Fontana.* Petrarch. *una fontana a piè d' un faggio.* Gall. *une fontaine.*

FONTES CONSECRATI] Long. 3. Tit. 1. L. 47. *Baptisterium.*

FORAS MIXTOS] Cap. L. Sal. cap. 1. §. 12. Long. 2. Tit. 32. L. 6. Gloss. interlin. *Foras mixtos, id est extra conservos.*

FORATICA] Form. 11. *Nullus quislibet de iudiciaria potestate vestra vel missus noster ullum teloneum, nec ullas venditas, nec rotaticas, nec foraticas, nec pulveraticas exactare præsumatis.* In præcepto Dagob. de mercato S. Dionys. *Theloneos, vel navigios, portaticos, pontaticos, rivaticos, rotaticos, themonaticos, cespitaticos, pulveraticos, foraticos, missaticos, laudaticos, saumaticos, salvaticos omnes, & ex omnibus quidquid ad partem nostram vel fisco publico, de ipso mercato ex ipso mercimonio exactari potuerat.* Videtur idem esse tributum, quod *transitorium* vel *tractorium* vocatur, in LL. Long. Galli utramq; vocem retinent, & *Traicte foraine* vocant.

FORBANNVM] Cap. 3. Tit. 50. *in forbanno mittere.* Long. 1. Tit. 25. L. 63. Gall. *forbannissement.*

FORBANNITVS] Sal. Tit. 51. §. 3. Rip. Tit. 87. Long. 1. Tit. 25. L. 62. 63. Long. 3. Tit. 1. L. 5. Cap. 3. Tit. 49. 50. Cap. 5. Tit. 131. Neap. 1. Tit. 50. L. 2. Tit. 71. Lib. 2. Tit. 3. In constitut. Karoli Mag. *De theloneis, qui iam ante forbanniti fuerant, nemo tollat.* Et alibi. *Quicunq; abhinc inante latronem receperit, maxime autem illum, qui forbannitus fuerit.* Petr. de Vineis lib. 5. Ep. 107. *propter eius contumaciam, auctoritate officij nostri, forbannimus eundem in persona & rebus.* Idem lib. 5. Epist. 111. lib. 2. Ep. 55. Germ. vorbannen. Gall. *Forbannir.*

FORBAT-

FORBATTVDO] Rip. Tit. 77. Decret. Child. Reg. cap. 4. Formul. 160. Supr. *Battudo.*

FORCAPIVM] Cap. 4. Tit. 36.

FORDANNO] Form. 150. Germ. Vordammen.

FORDRO] Rip. Tit. 33. §. 4. *Fordronem suum nescire.* Vorderman Germ.

FORENSIS PRESBYTER] Cap. L. Boior. §. 8. Cap. 5. Tit. 222. *Forenses presbyteri* dicuntur, qui non sunt ex eadem diœcesi vel monasterio. Ratpertus de casib. S. Galli cap. 5. *Episcopus adsumens quendam presbyterum forensem - obtulit eum ad nostrum monasterium, ut Abbatem illum constitueret, ne si de monachis eisdem aliquem ordinasset, res ab eo aliquatenus cedere videretur*, &c. Iohan. Diacon. lib. 3. de vita Gregorij Mag. cap. 11. *Cardinales violenter in parœcijs ordinatos forensibus, in pristinum cardinem Gregorius revocabat. Quapropter Iohanni Episcopo Syracus. scribens, ait. Quorundam ad nos relatione pervenit, Cosmam qui ex monacho*, &c. *à decessore tuo Maximiano in Ecclesia Syracusana subdiaconus factus, atq; à te postea in possessione, quæ Iuliana vocatur, presbyter dicitur ordinatus.* Petrus Vrbevetanus. *Multitudo presbyterorum & diaconorum forensium ad urbem concurrentium causam dedit, ut urbani presbyteri & diaconi ab eis distinguerentur, nomine Cardinalis.* FORAS PRESBYTERI. Cap. 5. Tit. 95. Can. 45. Synod. Moguntin.

FORESNI] Fris. Tit. 2.

FORESTVM] Long. 1. Tit. 21. l. 7. FORESTES. Long. 3. Tit. 35. Cap. 4. Tit. 42. 65. add. 3. §. 3. 6. In pragmatica Childeb. *Has omnes piscationes, quæ sunt & fieri possunt in utraq; parte fluminis, sicut nos tenemus, & nostra forestis est, tradidimus ad ipsum locum.* Dithmarus Episcopus lib. 3. p. 27. *De moneta & foresto inter Salam & Mildam fluvios.* Ital. *Foresta.* Gall. *Foreste.*

FORESTAGIA] Neap. 1. Tit. 59.

FORESTARII] Neap. 1. Tit. 76. Neap. 3. Tit. 38. Aimoin. lib. 5. cap. 47. p. 360. *Tempore Roberti Regis, Theobaldus cognomine Filans stupas, forestarius eius, firmavit montem Lethericum.* Petrus Blesens. in vita S. Philiberti. *Caballos quos habuerat, reliquit ad pascua; quos Regius forestarius dum adspexit*, &c. Germ. Forstmeister.

FORFACTVM] Rip. Tit. 77. *Forisfactum.* Neap. 1. Tit. 42. Gall. *Forfaict.*

FORFACTÆ RES] Long. 3. Tit. 33. *Forisfacere.* Ivo Epist. 162.

FORIVDICATVS] Neap. 1. Tit. 54. Lib. 2. Tit. 3. 6. Gall. *Fortuger.*

FORMATÆ] Add. Lud. 4. Tit. 98. Form. 184. *Formatas litteras*, ad imitationem litterarum formalium, quarum Suetonius in Domitiano meminit, quibus Impp. Rom. utebantur, à sanctissimis Patrib. Concilii Nicæni inventas esse, vero per quam simile est. *Formatæ* autem dicuntur, quoniam certa in illis forma adservatur, unde & Græci τετυπωμένας vocant. Earum tria genera, εἰρηνικὰς, συστατικὰς, ἀπολυτικὰς, *Pacificæ commendatitiæ, dimissoriæ*: quarum creberrima mentio in veterum Patrum libris, pleniorque descriptio apud Matth. Blastaram Hieromonachum. Burch. Decret. lib. 2. c. 227. Ivon. Decret. capp. 434. 435. Gratian. Distinct. 73. Papiam & Gerard. Rodolfum Commentario de litteris Canonicis.

FORNICARIA] Long. 1. Tit. 16. L. 2. Gloss. *Fornicaria*, πόρνη, ἀπὸ καμάρας ἢ ἱστεῶνος.

FORTIA] Boior. Tit. 2. cap. 10. Tit. 11. cap. 5. *Fortiam facere.* Rip. Tit. 3. Long. 3. Tit. 12. L. 5. Form. 112. 113. 173. Itali, Hispani, Galli, in suo diomate imitantur.

FORTIORES COMITES] Cap. 5. Titul. 136.

FORTVNA] Sal. Tit. 48. Tit. 52. §. 2. *supra fortuna sua.* Gall. *a ses perilz & fortunes.*

FOSSA MORTVI] Long. 1. Tit. 9. L. 15. *tumba.* Gall. *la fosse. Super fossam mortui appendatur servus qui morth fecerit.* Long. 1. Tit. 36. L. 1. Bonifacius Epist. ad Ethobaldum. *Super fossam sepultæ corruptorem suspendunt.*

FOSSATVM] Wis. 8. Tit. 4. L. 25. Long. 1. Tit. 19. L. 11. Tit. 27. L. 4. 9. Glossar. τάφρος, *fossa, sepes, fossatum.* L. 3. §. 4. ff. de re milit. L. 1. C. Theod. de terris limit. Marcell. Empir. cap. 8. *in fossatis sepium requires.* Collectio antiq. Decret. lib. 3. Tit. 36. p. 57. *sive quædam fossata, seu expeditiones, seu alia qualibet sibi arbitrentur agenda.* Metell. de Quirin. p. 106.

—— per arbores traiectas
Transit tamen fossatas.

Græci recentiores vocem suam quoq; fecerunt, & φοσσάτον vallum vocant, intra quod milites degunt.

Foveas Fecerit, vt Feras in Eisdem Foveis Comprehendat] Wis. 8. Tit. 4. L. 23. Exodi c. 21. L. 28. 29. ff. ad Leg. Aquil. L. 55. ff. de acquir. rer. dom. Longus in Pastoral.

Fossinagar] Long. 3. Tit. 4. L. 1. *arvus campus, quod est fossinagar.*

Fractvra Ossivm] Boior. Tit. 5. §. 4.

Francvs] Rip. Titul. 36. §. 1. Form. 166. 169. *apud homines bene francos Salicos.* Formul. 164. *Francæ personæ.* Form. 106. Privileg. Eccles. Mindens. *Homines ipsius Ecclesiæ francos, liberos, & Ecclesiasticos. Francus homo liber.* Siffrid. Presbyt. Chronicor. lib. 1. p. 288. *Cum Valentinianus Imp. quosdam populos, qui Alani dicuntur, vincere non posset, fecit edictum, ut qui eos vincerent, decem annos à tributo liberi essent. Vnde Teutonici huius gloriæ cupidi, illos strenue delent, & inde Franci appellati sunt.* Germani & Galli etiam nunc *Franc* liberum vocant.

Francorvm Compositio] Rip. Tit. 18. §. 3. Tit. 19. §. 3.

Francorvm Ivdicivm] Cap. Kar. lib. 3. cap. 47.

Frea] Long. 1. Tit. 2. l. 4. Long. 2. Tit. 2. L. 4. Tit. 11. L. 4. Gloss. Papiæ. *Frea, id est mundo.* Frea uxoris wodani nomen, apud Paul. Warnefr. de Long. lib. 1. cap. 8.

Fredvm] Sal. Tit. 14. §. 5. Tit. 26. §. 9. Tit. 52. §. 2. Tit. 54. §. 2. Tit. 56. §. 8. Cap. L. Sal. cap. 1. §. 9. Decret. Chlot. cap. 9. 12. Alm. Tit. 3. 4. 5. 31. 32. 36. &c. Boior. Tit. 1. cap. 6. 7. 10. &c. Tit. 8. cap. 13. §. 2. Tit. 12. cap. 3. Rip. Tit. 46. §. 1. Tit. 70. §. 1. Tit. 89. Sax. Tit. 4. §. 7. Angl. Tit. 7. §. 2. 3. 5. 8. Fris. Tit. 3. 7. 8. 16. 17. Add. Tit. 10. Long. 1. Tit. 30. L. 13. Long. 2. Tit. 22. L. 2. Cap. 3. Tit 30. 51. L. 11. 13. Tit. 85. Cap. 4. Tit. 14. Cap. 5. Tit. 185. Add. Lud. 4. Tit. 83. Form. 6. 7. 45. Gloss. vett. LL. Longob. *Freda, bannum. Fredum regalis compositio pacis.* Greg. Turon. de virtutib. B. Martini lib. 4. cap. 26. *Affirmavit Rex quosdam ex his qui absoluti fuerant ad se venisse, compositionemque fisco debitam, quam illi Fredum vocant, à se indultam.*

Frenarii] Neap. 3. Tit. 26. *Frenorum factores, χαλινοποιοί.*

Fresvm faciens Foemina] Angl. Tit. 5. §. 20. Forsan à *frendere* deductum, quod est *frangere.* Varro de re rustic. lib. 2. cap. 4. *unde faba fresa, id est fracta, divisa, molita.*

Frilazin] Boior. Tit. 1. Tit. 7. cap. 10. *per manum liberi dimissi.* Nithard. Histor. Francor. lib. 4. pag. 478. & 479. *Gens* (Saxonum) *omnis in tribus ordinibus divisa consistit. Sunt enim inter illos qui Edhlingi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lazzi illorum lingua dicuntur: Latina vero lingua hoc sunt nobiles, ingenui, atq; serviles.* Gloss. Latino-Theotisc. *Libertini* Frilaza. In vet. carmine Germ. Eigen Leute lasse ich fry.

Friscingæ] Cap. 4. Tit. 73. Charta vet. in Alman. Gold. Tom. 2. num. 12. *Duas maltras de frumento, & duas friskingas.* Ibid. Charta num. 41. 42. 49. 59. 61. 67. 69. Charta vet. in Traditionib. Fuld. Lib. 2. num. 6. *Mihi per singulos annos aut unum sagum, aut Frisgung, vel aliquid consolationis detur.* Can. 13. Synod. Ticin. Episcopi diœces. Rhemor. & Rothomag. ad Hludowic. Regem. *Qui illorum peccora, vel friscinkas, vel quæcunq; illorum sunt, non prædentur.* Hincmar. Clero & plebi Tornacens. *Exigendo denarios aut verres seu friskingas.* In vet. duplomate, *friscingas ovinas.* Gloss. Latino-Theotis. *Friskinga* Früssing. Circumacolæ Rheni porcos vocant Frischling, qui non dum ad iustum incrementum pervenerunt; Tolosates, *Fresingues.*

Frvctvs Avferre] Add. Lud. 2. Tit. 18.

Frvmentvm Paratvm] Cap. 1. Titul. 132.

Fvga Lapsvs] Rip. Tit. 30. §. 2. Tit. 72. §. 2. Long. 1. Tit. 9. L. 22. Tit. 36. L. 5. Longob. 3. Tit. 12. L. 1. Cap. 3. Tit. 26. Annal. Fuldens. Anno 801. *Fuga lapsus in fidem Hludovici Regis venniens.* Gregor. Turon. lib. 6. cap. 45. *Fuga dilapsi abierunt.* Lib. 7. cap. 15. *per fugam dilapsus veni nunciare dominæ, quæ gesta sunt.* Aimoin. lib. 4. cap. 53.

Fvgientem Detondere] Wis. 9. Tit. 1. L. 5. *tondere servum fugientem.*

FVGITIVO PANEM DARE] Burg. Tit.6. §. 9. 10. Infr. *Panem*.

FVLBORAN] Long. 2. Tit. 14. L. 2. *Filium legitimum, quod fulboren.* Germ. Echt vnd wolgeboren.

FVLFREAL] Long. 1. Tit. 25. L.6. Tit. 32. L. 5. Long. 2. Tit. 12. L. 1. Tit. 14. L.17. Tit. 34. Gloss. *Fulfrea, sive ingenua, sive libera.* Germ. Ful frey.

FVMO ET PERCVSSIONIBVS TERNIS] Boior. Tit. 21. cap. 8. Fumo nempe & tinnitu apes aut fugantur aut revocantur. Fumi in hunc usum mentio in L. 27. §. 5. & 12. ff. ad L. Aquil. apud Schol. Apollon. lib. 2. §. 7. Columell. & alios rei agrariæ scriptores. De tinnitu Claudianus lib. III. Cos. Honorij.

— qualis Cybeleia quassans
Hyblæus procul æra senex revocare fugaces
Tinnitu conatur apes, quæ sponte relictis
Desciverè favis.

FVNCTIO] Wis. 5. Tit. 4. L. 19. Form. 5. Gloss. *Functio* λιτεργία, πλέσμα. *Functionum* λιτεργιῶν, εἰσφορῶν. Glossar. vett. Egesipp. p. 48. *Functio, exolutio tributorum.*

FVNDICARIVS] Neap. 1. Tit. 84. 87.

FVNDICVS] Neap. 1. Tit. 87. *Fundicus salis, ferri, azarij.* Leo Marsican. lib. 3. cap. 57. *Fundicum cum pertinentijs.* Petrus Diacon. in continuatione Chron. Cass. cap. 10. *Fundicum in Amalfi.* Ital. *Fundaco.*

FVRCA PVTEI] Long. 1. Tit. 9. L. 24. Trabes arrectaria cui Tolleno innititur.

DE FVRCA HOMINEM DIMITTERE] Sal. Tit. 69. §. 4. *Si quis hominem de bargo vel de furca, sine voluntate iudicis, dimiserit.*

FVRCIS SVSPENSVS] Neap. 3. Titul. 36.

FVRSWIROTOS] Boior. Tit. 17. cap. 2. *Iniuste territorium meum alteri firmasti, id est, furswirotos.* Furswerten Germ. *peierare.*

FVRTVM ET DILATVRA] Rip. Titul. 33. §. 2. ut supr. *Damnum & dilatura.*

FVRTIVVM] Boior. Titul. 18. cap. 1. 7. §. 2. Titul. 20. cap. 1. *Res furtiva.*

FVRTIVVM VESTIMENTVM INDVERE] Longob. 1. Tit. 14 L. 5. inusitatum vestimentum induere, ne cognoscatur.

FVSTARE] Alm. Tit. 12. 13. 14. Long. 1. Tit. 17. L. 5. *Decalvare & fustare per vicos vicinantes. Fustigari publice.* Wis. 3. Tit. 2. L. 2. Neap. 3. Tit. 36. L. 3. Martyrol. vetus in B. Sebastiano. *Iussit eum Diocletianus in hippodromo palatij duci, & tamdiu fustigari, quamdiu spiritum exhalaret.* Beda in Martyrolog. 13. Kal. Febr. & Prid. Kal. Maij. *Vis occidere, vis fustigare. Fustari sive fustigari* utrumque veteribus usitatum. Glossar. ξυλοκοπῶ, τὸ τύπῳ ξύλῳ, *defusto, fustigo.* Item. *Defustat* ξυλοκοπεῖ. *Fustigatus* βακλισθεὶς. *Fustis* ῥαβδὸς, βάκλον. ut in Concil. Calched. στρατιῶται μετὰ βάκλων καὶ ξιφῶν ἐπέστησαν, καὶ τὰ βάκλα καὶ τὰ ξίφη ἐφοβήθημεν. ὅπε ξίφη καὶ βάκλα, τοῖα συνόδος. Suidas & Schol. Aristop. vocant βάκλα, quæ alij τύμπανα. unde *baculare*, id est baculis percutere. Spec. Sax. lib. 1. Art. 68. 70.

FVSTVARIVM SVPPLICIVM] Edict. Theod. cap. 4. Burg. Tit. 70. L. Vnic. Cod. Theod. de ædific. public. *Fustuario supplicio subditos, manuum quoque amissione plectendos.* Cassiod. Variar. 11. Epist. 11. *Per singulos excessus sex solid. mulctam à se noverit exigendam, & fustuario posse subiacere supplicio.* Fustigatio valde apud veteres usitata punitio. L. 13. ff. de iureiurand. L. 4. ff. de incend. ruin. naufr. L. unic. ff. de via & si quid. L. 7. 10. ff. de pœnis. Sic Paulus Apostol. τρὶς ἐρραβδίσθη. 2. ad Corinth. 11. ℣. 25. Actor. 16. ℣. 22. Et in Specul. Sax. lib. 3. Tit. 16. *Quando iudici preco, pro eo quod ipsum in suo iure neglexit, mulctam præstat, tunc mensuram Regis dat pro mulcta, quæ in triginta duobus virgæ quercinæ cubitum bipartitum continentis verberibus noscitur comprehensa.*

CVM SCVTO ET FVSTE SE DEFENDERE] Long. 1. Tit. 25. L. 76. *cum fustibus & scutis pugnare.* Longob. 2. Tit. 55. L. 29. Sup. DVELLVM.

FVSTES ALNINOS SVPER CAPVT FRANGERE] Sal. Tit. 36. An inde fustis fractio in funere Regum Franciæ. Et *Rompre le fust ou festu avec quelqu' un.* Sicut contra moribus Gallor. *livrement*

de fust. In vet. instrumento. *Vnde eiusmodi auctoramentum prius ibidem in Capitulo quodam fuste, ut moris est, fecit, & postea eundem fustem super altare posuit.* Et alibi. *Ex quo molendino dum super altare donationem quodam fuste ut moris est faceret.* Item. *Postea hoc maius monasterium in capitulo nostro quodam fuste, qui apud nos nomine eius inscripto in testimonium servatur, præsente domino Abbate Alberto fecit guerpitionem.* Ita hunc locum V. Cl. Franc. Pithæus interpretatur.

AD FVSVM A LANCEA] Angl. Tit. 6. §. 8. Germ. Von der Schwert seite auff die Spilseite. Gall. *Tomber de lance en quenouïlle.* Infr. *Hereditas.*

G.

GABELLA] Neap. 1. Tit. 59. Gall. *la gabelle.*

GABELLOTI] Neap. 1. Tit. 59. 76.

GAIVM REGIS] Long. 1. Tit. 25. L. 37. 38. *de sylva alterius tulerit, excepto de gaio Regis.* Gloss. vett. *Gaio vel gagio, sylva densissima.* In LL. Boior. Tit. 21. §. 6. legendum forsan. *De luco vel quocunque gaio vietum reciderit.*

GAMACTÆ] Boior. Tit. 2. cap. 6. *Gamactas, id est percussiones*: sic ἄμακτα Græcis.

GAMALES] Long. 2. Tit. 55. l. 7. *de gamalibus, id est confabulatis. Fabula* in hisce legibus quid sit, supr. ostendimus. *Gamales* ergo filij erunt legitimo matrimonio fabulaq; composita nati: opponunturq; naturalibus. Germanis Gemal coniugem notat.

GAMVRDRIT] Boior. Tit. 18. cap. 2. §. 3. German. Gemordet. Infr. *Murdrido.*

GANSHAPICH] Boior. Tit. 20. cap. 1. *Acceptor qui* Ganshapich *dicitur: id est, qui anseres mordet.* Plin. lib. 10. cap. 22. ait, veteres Germanos anseres Ganzas vocasse: quod verum est, atque etiam nunc sic appellant. In Glossario legitur, *Ganta* χηναλώπηξ. forte emendandum *Gansa. Chenalopecum* meminit Plin. lib. 10. cap. 22. Aelian. lib. 5. cap. 30.

GAPHANS] Long. 2. Tit. 21. L. 3. *Gaphans, id est coheres proximior.* Glossæ vett. *Gafandus, heres.*

GARATHINGI] Al. *Gargathingi.* Long. 2. Tit. 7. L. 15. 16. *Garathingi, id est, secundum qualitatem personæ.* Long. 1. Tit. 9. L. 3. Long. 2. Tit. 1. L. 8. *Garathinx, id est libertatis donatio.* Long. 2. Tit 14. L. 11. Tit. 15. L. 1. 3. Tit. 17. L. 1. Tit. 34. L. 1. Tit. 35. Gloss. *Garathinx, donatio universitatis.* Aliæ Gloss. *Garathinx fecerit, id est, donatum quid fecerit extra hostem.* Papias. *Garathinx, donum.* Infr. *Thinx.*

GARDINGVS] Wis. 2. Tit. 1. l. 1. Wis. 9. Tit. 2. L. 8. 9. Wis. 12. Tit. 1. L. 3. Forum Iudicum Hisp. reddidit. *Todo ome, que sea duc, o conde, o ricome, o Godo, o Romano:* non satis explicite, neque ipsi Hispani nunc recte vocem intelligunt. Concil. Toletan. XIII. cap. 2. *De accusatis sacerdotibus seu etiam optimatibus palatij atq; Gardingis.* Ibid. *In publica sacerdotum, seniorum, atq; etiam Gardingorum discussione.* Et alibi in eadem Collectione. Victor Tunnens. p 38. *Guntimer & Gebamundum gardingos Regis fratres perimit.*

GARIOLA] Alm. 99. §. 19.

GARVM] Form. 35. Glossar. Γάρον *liquamen.*

GASACHIVS] Sal. Tit. 52. §. 2. Tit. 52. §. 2. Tit. 53. §. 1. *Adversarium, causatorem.* Germanis Gegensacher.

GASINDII] Long. 1. Tit. 9. L. 21. Tit. 18 L. 2. Long. 2. Tit. 14. L. 17. Tit. 52 L. 1. 14. Form. 36. 87. 61. 126. Gloss. vett. *Gasindium, servitium. Gasindio Regis, serviente vel camerario. Gasindijs, iudicibus.* Papias. *Gasindius, honor sub iudice, & Gaisinda, coheres.* Germ. Gesinde.

GASTALDIVS REGIS] *Gastaldius vel actor Regis, curtem Regiam habens ad gubernandam. Gastaldij curtes Regias providentes.* Gloss. *Gastaldius, Comes.* Long. 1. Tit. 12. L. 2. Tit 14. L. 3. 5. Tit. 25. l. 20. Tit. 30. L. 10. Tit. 31. L. 1. Tit. 34. L. 1. Long. 2. Tit. 9. L. 2. Tit. 17. L. 1. 2. Long. 2. Tit. 35. L. 8. Tit. 52. L. 14. Paul. Warnefr. Histor. Long. 5. Tit. 29. *Alzeconem mutato dignitatis nomine de duce Gastaldium vocitari præcepit. Gastaldius civitatis.* Charta vet. in Alman. Gold. n. 90. Duplom. Chonrad apud Sigon. de regno Ital. lib. 8. p. 198. Germ. Gasthalt.

GAVDIIS DATIS] Neap. 2. Tit. 18.

GEBVL-

GEBVLSKINI] Boior. Tit. 3. c. 1. §. 4. *Si in capite testa appareat, quod gebulskini vocant.*

SECVNDVM GENEALOGIAM] Id est, *ut parentes*. Boior. Tit. 1. cap. 9. Tit. 2. cap. 4. 20. Tit. 7. cap. 14. Tit. 14. cap. 8.

GENECIVM PRIVS. GENECIVM ALIVD] Alm. Tit. 80. Long. 2. Tit. 37. L. 6. Papias. *Genecium, textrinum, quod ibi conventus fœminarum ad opus lanificij faciendum conveniant.* Glossar. γυναικεῖον *muliebrium.* Gloss. Latino-Theotisc. *Genecеum* geneſtunc.

GENECIARIA ANCILLA] Alm. Titul. 80.

GENECEO DABANTVR MOECHÆ SANCTIMONIALES] Long. 2. Tit. 37. l. 6.

GENERATIO] Cap. 6. Tit. 80. Ex Epist. Gregor. ad Bonifac. Mogunt. Zacharias Pipino maiori dom. *Dicimus ut dum usq; sese generatio cognoverit, iuxta ritum & normam Christianitatis, & religionis Romanorum non copulentur coniugijs.*

GENEROSITAS] Long. 1. Tit. 9. L. 4. *Genealogia vel prosapia.*

GENTES PAGANÆ] Fris. Tit. 17. §. 5. *gentiles quos vulgo paganos appellant.* L. 46. C. Theod. de hæreticis.

GENVCVLVM] Alm. Tit. 65. §. 31. 32. Tit. 31. Boior. Tit. 7. c. 4. Rip. Tit. 56. §. 3. Fris. Tit. 22. §. 60. Long. 2. Tit. 14. L. 1. Vetus Schol. ad hunc loc. *Geniculum ponitur hic pro generatione: & duæ generatæ personæ faciunt generationem, sive geniculum, verbo Francorum, qui hoc modo dicunt, hic est mun cusin de ter genudu.* Feudor. Lib. 1. Tit. 1. §. 4. *ad septimum geniculum.*

SVPER GENVCVLVM LEVARE] Long. 1. Tit. 25. L. 9. Sic in LL. Numæ Pompilij. *SI HOMINEM FVLMINIS OCCISIT IM SVPRA GENVA NE TOLLITO.* Glossar. *Genucula* γόνατα. Gloss. Ms. *Genuculum, diminutivum à genu.* Gregor. Turon. Histor. lib. 2. cap. 37. *percussus in geniculo claudicabat.*

GERONTOCOMIVM] Cap. 2. Tit. 29. Iulian. Novell. 7. Locus venerabilis in quo pauperes & propter senectutem solam infirmi homines curantur.

GESTA MVNICIPALIA] Edict. Theod. cap. 52. 64. 80. Form. 13. 63. 64. 65. 176. 180. *Municipalibus gestis iudicia suprema componere.* L. 151. Cod. Th. de decurionibus. Collat. Carthag. prima c. 108. Gregor. Mag. Lib. 7. Epist. 6. Novell. Valent. Tit. 4. de testamentis. Glossar. Latino-Theotisc. *Municipale gestum,* Gebürliche dinge.

GILDONIA] Long. 1. Tit. 17. l. 7. Cap. 5. Tit. 129. *Confratriæ* Hincmaro. Gloss. vett. *Gildonia conspiratio, adunatio.* Papias. *Geldonia, adunatio.* Vicani atque agricolæ in Germania Gilde vocant convivia publica, quæ collatitia stipe quotannis semel iterumque celebrare solent. Non ergo à Gildone, de quo Claudianus & Orosius, nomen accepit.

GILLONARII] Wis. 2. Tit. 4. L. 4. Forum Iud. Hisp. *los que mandan los rapaces.* *Gillonarij* sunt, qui gillonum curam gerunt. *Gillo* sive *gello* vasis genus est, quod alias *baucalis* dicebatur. Veteres Gloss. *Baucalem, gellonem. Gillo* βαυκάλιον. Alibi; *ποδόνιπτρον aquale, gello.* Cassianus Institut. lib. 4. cap. 16. *Si quis gillonem fictilem, quem baucalem nuncupant, casu aliquo fregerit, &c.*

GISILES] Long. 2. Tit. 15. L. 1. Tit. 34. L. 1. Gloss. vett. & Papias. *Gisil, testis.* Germani Gisiles *obsides* vocant. Gloss. Latino-Theotisc. *Obses* Kisal.

GLANDIFERA SYLVA] Wis. 8. Tit. 3. L. 1. Tit. 4. L. 27. Burg. Tit. 23. §. 4. *Glandifera possessio.* Curius Fortunat. *Roborosa possessio.* alij.

GLEBA] Wis. 5. Tit. 4. L. 19. Gloss. *Gleba,* βῶλος γῆς. Ponitur pro ipso agro. Cod. Theod. locis plurimis. *Glebæ servi.* Neap. 3. Tit. 3.

GLORIA PATRI APVD OMNES CANTETVR] Cap. 1. Tit. 70. Cassianus apud Massiliam presbyt. institutionum lib. 2. cap. 8. *Illud autem quod in hac provincia vidimus, ut uno cantante in clausula Psalmi omnes adstantes concinant cum clamore: GLORIA PATRI ET FILIO ET SPIRITVI SANCTO, nusquam per orientem audivimus: sed cum silentio omnium, ab eo qui cantat, finito psalmo orationem succedere.* Chronicon Reichersp. Anno CCCLXVIII. *Damasus PP. clarus habetur. Hic constituit CREDO IN VNVM DEVM ad Missam cantari, & in fine cuiusq; psalmi*

Gloria Patri cantari primus invenit & constituit.

Gothia] Burg.add.2.§.3.Gothia duplex, una Daciæ provincia, altera Narbonensis. Isidor. Orig.lib.14.cap.4. *Dacia, ubi & Gothia.* Et inter Episcopos qui Nicenę Synodo subscripserunt, mentio sit Theophyli Gothiæ Episc. in provincia Daciæ. Vid. Cod. Canon. p. 20. Gothiæ, de qua in hisce Legib. quæ est provincia Galliæ Narbonensis, mentio apud Hermannum Contract. Ann.732. & in divisione regni inter filios Karoli. *Provinciam, ac Septimaniam, vel Gothiam.* In præcepto divisionis inter filios Ludowici. *Totam Provinciam, & totam Gothiam.* Eius situm denotat Theodulfus in lib. contra iudices, pag. 26.

Post Arausinas terras, & Avenica rura
Tangimus, & fines quos tenuere Getæ.

Gradale] Alm. Tit. 16. cap. 1. Tit. 80. Chronicon Reichersp. Anno CCCCXXIIII. *A B. Gregorio PP. primo introitus, gradualia, offertoria, communiones cum modulatione ad Missam, in Ecclesia Romana cantari cœperunt.* Amalarius de ordine antiphon. Hrabanus de institut. cleric. Lib. 1. cap. 33.

Grandines Immittere] Add. Lud. 2. Tit. 18. Agobardus Episcopus contra opinionem de grandine, pag. 138. *In his regionibus penè omnes homines nobiles & ignobiles, urbani & rustici, senes & iuvenes putant grandines & tonitrua hominum libitu posse fieri: dicunt enim mox ut audierint tonitrua, & viderint fulgura, Aura levatitia est. Interrogati vero quid sit aura levatitia, alij cum verecundia, parum remordente conscientia, alij autem confidenter (ut imperitorum moris esse solet) confirmant, incantationibus hominum, qui dicuntur tempestarij, esse levatam, & ideo dici Levatitiam auram.* Wisig. lib. 6. Tit. 2. L. 3. Burchardus Decret. Lib. x. cap. 25. Lib. xix. p. 270. Pœnitent. Rom. Tit. 6. cap. 3. & 20. Beda de remedijs peccat. cap. 7.

Granarium] Burg. Tit... Boior. Tit 9. cap. 2. §. 3. L. 12. § 1. ff. de instruct. & instrum. Glossar. *Granarium σιτοβόλιον.* Gall. *Greniers.*

Granateriæ] Neap. 1. Tit. 48. *Granarium.*

Granea] Alman. Tit. 81. §. 2. 5. Add. Lud. 4. Tit. 83. *Granica.* Boior. Tit. 1. cap. 14. §. 5. Formul. 175. Gall. *Grange.*

Grano] Fris. Tit. 22. § 17. Add. Fris. Tit. 3. §. 17. *Granonem ictu percussam.*

Graphia] Add. Lud. 3. Tit. 73. *scriptura.*

Graphio] Sal. Tit. 34. §. 5. Tit. 47. §. 2. Tit. 52. §. 2. Tit. 53. 54. Rip. Tit. 51. 53. 84. 88. Cap. 5. Tit. 2. Formul. 125. Appendix Gregor. Turon. lib. 11. p. 29. *Grafioni commendetur.* pag. 74. *cum Ducibus & Grafionibus.* Gloss. Latino-Theotisc. *Præses Gravo.* Vetus duploma. *Iudicem fiscalem, quem Grafionem appellant.* Suggerius de possessione monasterij B. Dionysij. *Ab oppressione exactorum regiorum, quos dicunt grafiones, multo labore multisq; placitis emancipaveram.* LL. Edoardi Reg. à Guil. Bastardo confirmatæ, c. 35. *De hundredis, de burgis, etiam de villis Greve vocetur. — Teutonici etiam & Frisones, & Flandrenses Consules suos Mergreve, quasi maiores dominos vocare solent.* Inde Germ. Marchgraffe, marchæ præses vel Comes. Landgraffe Provincię præses, apud Sifrid. Presbyt. in Chronic. Gogreve pagi præses, &c.

Gravia] Form. 21. 170. Comitatus, Graffschafft.

Gravosus] Wis. 9. Tit. 1. L. 9.

Grua] Sal. Tit. 7. §. 6. Long. 1. Tit. 19. L. 14. *Grus.* Alm. Tit. 99.

Guarnimentum] Neap. 1. Tit. 36 Gall. *Garniment.*

Guerra] Id est, *bellum.* Neap. 1. Tit. 8. L. 1. 2. Tit. 37.

Guiffare] Long. 1. Tit. 27. L. 8. Infr. *Wiffa.*

Gundebada Lex] Long. 2. Tit. 55. L. 22. *Gundebodingi.* Cap. 1. Tit. 63. *Gunthadingi.* Can. 33. Synod. Aquisgran. contra Felicem & Elipand. Hincmar. pro Lothario de Thietberga. *Tamen si Christiani sunt, sciant se nec Romanis in die iudicij, nec Salicis, nec Gundobadis, sed divinis & Apostolicis legibus iudicandos.* Agobardus Episcopus ad Ludovicum Imp. adversus legem Gundebaldi, & impia certamina, quæ per eam gerebantur. *Cum forte contigit, ut omnes sint veraciter Christiani, nemo alterius testimonium spernat,*

eum se bonis locutionibus ædificat, si subito contigerit alicui ex ipsis disceptatio in iudiciis, nullum poterit habere testem de suis carissimis sociis, eo quod non recipiatur testimonium alicuius super Gundebaldum. Ibidem. *Quæ vilitas est, propter Gundebaldam legem, cuius auctor extitit homo hæreticus & fidei Catholicæ vehementer inimicus, cuius legis homines sunt perpauci, ut non possit super illum testificari alter etiam bonus Christianus, &c. Si autem placeret Domino nostro sapientissimo Imp. ut eos transferret ad legem Francorum, & nobiliores ipsi efficerentur, & hac regio ab squaloribus miseriarum sublevaretur. Horum enim causa contigit, ut lacessantur ad certamen & pugnam pro vilissimis rebus quibus contingunt homicidia.* Gregor. Turon. Histor. lib. 2. cap. 33. Gall. *La loy Gombette.*

H.

HÆRESEOS CRIMEN VETERIBVS LEGIBVS INTER PVBLICA CRIMINA] Neap. 1. Tit. 1. L. 4. C. de hæretic. & manich. Atque ut hæresis, sic & paganismus publicum crimen. L. 8. C. de pagan. & sacrif.

HÆRETICI INCONSVTILEM TVNICAM DISSVERE CONANTVR] Neap. 1. Tit. 1. Christi tunica unitatis Ecclesiæ symbolum: itaq; lacerant illam, qui Christi nomen in Pauli & Cephæ appellationes secant. σχίζοντες τὸν χιτῶνα τὸν ἄῤῥηκτον, καὶ πρὸς Παῦλον καὶ Κηφᾶν τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου καταμερίζοντες. Gregor. Niss. Episcop. Epistola ad Eustath. Ambros. & Basil. p. 24.

HAISTERAHANDI] Alm. Tit. 10. armata manu, vel, ut ibidem additur, *armatus contra legem.* Frider. Imp. Feudor. Lib. 2. Tit. 27. *Zitter-hand, id est, calida manu:* ubi vid. Cuiacium.

HALLVS] Sal. Tit. 43. §. 3. 5. Rip. Tit. 69. Glossar. vet. *Hallis, siccis ramis.* Inde Gall. *Halle de Mars;* & quæ à Philippo Aug. Lutetiæ ædificatæ sunt *les halles.* Rigord. Quam tamen appellationem à Germanico Halle, id est aula, ut veteres Glossæ interpretantur, desumptam puto.

HAMALLVS] Sal. Tit. 49. *Qui mallatus est in iudicium.*

HANTELOD] Decret. Tasil. §. 15. *manus immissionem, quod hantelod dicitur.*

HAPICHVNT] Boior. Tit. 19. c. 1. § 6. Supr. *Canis acceptoricius.*

HARIRAIDA] Rip. Tit. 64. *Si quis hominem in domo propria cum harraida interfecerit.*

HARNISCARAM SVSTINERE] Long. 3. Tit. 1. L. 43. Cap. 5. Tit. 43. Karolus in Capitulis quæ Suessionis constituta sunt, Anno 853. *Sciant quia & bannum nostrum component, & simul cum excommunicatione Ecclesiastica, nostram Harmiscaram durissimam sustinebunt.* HARNISCARAM etiam invenio in Capitulis, quæ idem Karolus constituit anno 856. *Vt iubeamus ipsos depredatores, per eandem viam cum misso nostro redire, & illa omnia quæ mala egerunt legaliter emendare, & talem HARNISCARAM, sicut nobis visum fuerit, aut iudicium, sicut cum fidelibus nostris consideravimus, sustinere.* Et in Capitulis quæ Pistis constituta sunt, Anno 869. *Episcopi provideant, quem honorem presbyteri pro Ecclesiis suis senioribus retribuere debent, & senioribus presbyterorum hoc sufficiat, & amplius per ingeniosas machinationes à presbyteris non exigant vel exquirant, nisi sicut in eisdem Capitulis avi nostri constitutum, ne Deum offendant, & nostram offensam incurrant, ac post debitam emendationem dignam Harniscaram à nobis dispositam sustineant*

HARPATOR] Ang. Tit. 5. § 20. *Qui harpatorem, qui cum circulo harpare potest, in manum percusserit, &c.* Num harpatorem intelligit, qui harpa ludit? *Harpa* musicum instrumentum est. Gloss. *Chelis* Harpha. Venantius lib. 7. carm. 8.

Romanusq; lyra plaudat tibi, Barbarus harpa,
Græcus Achilliaca, Crotta Britanna canat.

Otfridus Euangel. lib. 5. cap. 23. p. 566.
Lira ioh fidula,
Ioh managfaltu svegala,
Harpha ioh rotta.

HASLA] Rip. Tit. 67. §. 5. *ad staplum Regis in circulo & in hasla, hoc est in ramo.* Forte ut Galli dicunt, *iuges soubs l'orme.*

HEIMZVHT] Boior. Tit. 3. cap. 8. §. 2. *per vim iniuste cinxerit, quod Heimzuht vocant.* Germ. Heimzuch, expeditio hostilis.

HELMVM CVM DIRECTO] Rip. Tit. 36. §. 11. Quid *Helmum cum directo*

vocet, non magis scio, quam quid *Scutum cum scogilo* aut *cunicula*, de quo Infr. *Helmum* vox Germanica est, Latine *Conus*. Glossæ Mss. ad librum Bedæ de miraculis Gutberti. *Cono, id est helme*. Gloss. Latino-Theotis. *Cassis* Helm. Heldenbuch.

Schilt vnd swert mit ehren,
Helm, Halsberg, si da nam, &c.

Inde Itali suum *Ielmo*, & Galli *Heaume* derivarunt.

HERBÆ ALVMINIS] Neap. 1. Titul. 84.

HERBAM ALTERIVS TEMPORE DEFENSIONIS TOLLERE] Long. 3. Tit. 4. L. 3. Sup. *Defensionis temp.*

HERBAS DARE VNDE QVIS MORIATVR] Sal. Tit. 21. & de septem septen. §. 4. *Herbas maleficas temperare*. Form. 174. *Herbarum venena*. Gregor. Turon. lib. 2. cap. 9. & cap. 36. lib. 4. de miracul. S. Mart. *Ligamina herbarum atq; incantationum verba proferebant*. Vnde Gall. *enherber*. Poëta vet.

Souz gist le frais serpent en herbe,
Fuyez enfens car il enherbe.

HERBAS QVÆ AD MALEFICIA PERTINENT, SVPER SE HABERE] Long. 2. Tit. 55. L. 11. Burchard. Decret. lib. 19. p. 278.

PER HERBAM ET TERRAM] Form. 153. 154. Infr. *TRADITIO*.

HEREBRVGIVS] Sal. Tit. 67. An inde Gall. *Hurebez*?

HEREDITAS AD FVSVM A LANCEA] Angl. Tit. 6. §. 8. Gall. *Hoir de quenouille*. Supr. *FVSVS*.

INFANS SI APERIRE OCVLOS POTVERIT, ET VIDERE CVLMEN DOMVS, ET QVATVOR PARIETES, ET POSTEA DEFVNCTVS FVERIT, HEREDITAS EIVS AD PARENTEM SVPERSTITEM PERTINET] Alm. Tit. 92. Legib. Wisig. ad infantis hereditatem non aliter pater materve admittuntur, nisi decem dies postquam editus, supervixerit baptizatusq; fuerit. Wis. 4. Tit. 2. l. 18.

HEREDITAGIA] Neap. 3. Tit. 8. 10. 15.

HEREDITARIA CHARTA] Form. 62.

HERIBANNVS] Id est, *mulcta non ambulantis in hostem*. Cap. L. Sal. cap. 3. §. 12. Long. 1. Tit. 14. L. 13. 14. Long. 3. Tit. 6. Capitulare lib. 3. Tit. 14. 18. 35. 67. *plenum heribannum, id est LX. solid.* Tit. 68. Cap. 4. Tit. 70. *heribannum rewadient*. Cap. 4. Tit. 72. Add. 2. §. 28. 35. Greg. Turon. lib. 5. cap. 26. *Chilpericus Rex de pauperibus & iunioribus Ecclesiæ vel basilicæ bannos iussit exigi, pro eo quod in exercitu non ambulassent: non enim erat consuetudo ut hi ullam exolverent functionem*. Privil. Eccles. Mindens. 2. 5. *bannum sive heribannum exigere*. Here Francico, Alamannico, Anglico idiomate castra sive exercitum significat: inde *Heristelli* locus castrorum. Aimoin. lib. 4. cap. 8. Regino. lib. 2. Herold fecialis.

HERIBERGARE] Cap. 3. Tit. 68. In admonitione Karoli Pistis. *Mandamus, ut sicut nec in nostro palatio, ita nec in isto heribergo, aliquis alius sine nostra iussione manere præsumat, nec illud aliquis destruat*. German. Herbergen olim proprie exercitum, nunc quemlibet viantem tecto recipere notat: unde Gall. *Herberger*. Ital. *Albergo* hospitium.

HERISLIZ] Long. 1. Tit. 14. l. 15. 17. Cap. 3. Tit. 70. Cap. 4. Add. 2. §. 29. *Absq; licentia & permissione Principis de hoste reversus, quod factum Franci Herisliz dicunt*. Glossar. vet. *Heriliz, depositio armorum*. Her exercitus, ut iam dictum est, Lassen deserere: unde Gall. *Laisser, delaisser*. Theodulph. *Et quomodo Domnum Pipinum Regem in exercitu derelinquens, & ibi quod Theotisca lingua Herisliz dicitur, visi sunt iudicasse eundem Tassilonem ad mortem*. Porro in quibusdam exemplaribus, Tit. 70. lib. 3. Capitularis ita legitur. *Si quis contumax adeo aut superbus extiterit, ut dimisso exercitu absque iussu & licentia Regis domum revertatur, quod nos Teudisca lingua dicimus Eriliz fecerit, ipse ut reus maiestatis vitæ periculum incurrat, & res eius fisco socientur*.

HERIREITA] Boior. Tit. 3. cap. 8. §. 1. *Hariraida*. Rip. Tit. 64. *Si quis liberum hostili manu cinxerit, quod Herireita dicunt*. Her exercitus, reita equitatura.

HERNIA] Alm. Tit. 65. §. 37. *Si aliquis alij herniam excusserit*. Gloss. Κήλη *hirnea*. Κηλήτης *hirniosus*. HERNIOSVM ANIMAL. Boior. Tit. 15. cap. 9. §. 2.

HERPEX] Sal. Tit. 36. §. 2. Alm. Tit. 96. Servius in Wirgil. 1. Georg. - vimine-

-vimineas trahit crates. *Ad agrorum sc. exaquationem, quam rustici hirpicem vocant.* Inde *hirpicare*. Servius, p. 557. *Herpica*, Egida. *Herpicarius egedere*. Gloss. Latino-Theotisc.

HERTHAMON] Fris. Tit. 22. §. 48. *Si pracordia, id est herthamon gladio tetigerit.* Vera videtur lectio, *Pracordia (id est* Hertawond) *glad. tetig.* Germ. Herte *cor*, wund *vulnus*.

HIMILZORVN] Boior. Tit. 7. cap. 4. *Indumenta super genucula levarit, quod himilzorun vocant.*

HOLOGRAPHA SCRIPTVRA] Wis. 2. Tit. 5. L. 16. Respons. Papiani Tit. 45. Novell. Valent. Tit. 4. Isidorus Orig. lib. 5. cap. 24. *Holographum testamentum est manu autoris totum conscriptum atq; subscriptum: unde & nomen accepit. Graci enim ὅλω totam, γραφὴν litteram dicunt.*

HOMAGIVM] Neap. 1. Tit. 32. 36. *Hominium.* Helmold. lib. 2. cap. 9. Gall. *homage*.

HOMICIDA MEDIETATEM DE OMNIBVS REBVS EXCEPTO LECTO DARE DEBET] Long. 1. Tit. 9. L. 22.

HOMO] Wis. 9. Tit. 1. L. 18. Tit. 2. L. 6. Long. 3. Tit. 3. L. 8. Tit. 4. L. 5. Cap. 5. Tit. 46. Cap. 7. Tit. 103. *Homines*, in hisce libris intelliguntur, qui sunt servilis conditionis, ut & Germ. Man, & Græcis interdum ἄνθρωπος. Iohan. PP. VIII. Anselmo Episcopo Epist. 299. *Quidam sceleratus Longobardus nomine N. homo widonis marchionis.* Sic & in L. fin. C. ut nullus ex vican. *De suo iure vel per se, vel per homines suos non crediderit actitandum.* L. 4. C. de dignit. Vid. Cuiac. Feudor. lib. 1. & quæ ad Paul. Warnefr. notata, de gestis Long. lib. 4. cap. 3.

HOMINES CASATI] Cap. 3. Tit. 80. Cap. 5. Tit. 136. Sup. *casatus*.

HOMO CHARTVLARIVS] Long. 2. Tit. 34. L. 11. Cap. 6. Tit. 208. *per chartam manumissus.*

HOMO COMMENDATVS] Rip. Tit. 72. 73. *qui se in manum alterius commendavit.* Sup. *Commendare*.

HOMO DENARIALIS] Long. 2. Tit. 34. L. 11. Cap. 6. Tit. 208. *iactante denario manumissus.* Sup. DENARIALIS.

HOMO ECCLESIASTICVS] Rip. Tit. 14. Cap. 5. Tit. 151. *Qui servitium Ecclesiæ debet.*

HOMO EXERCITALIS] Long. 1. Tit. 9. L. 21.

HOMO FISCALINVS] Cap. 5. Tit. 151. *Homines fiscalini regij.* Cap. 5. Tit. 151.

HOMO FRANCVS] Rip. Tit. 22.

HOMO INGENVVS IN OBSEQVIO ALTERIVS] Rip. Tit. 31. §. 1. LIBERI HOMINES, QVI, IVSTIS LEGIBVS DESERVIVNT. Boior. Tit. 6. cap. 3. §. 1.

HOMINES MINORES] Long. 1. Tit. 14. L. 7. *Homo* MINIMVS. Long. 1. Tit. 9. L. 21. Infr. *Mediocris*.

HOMO NOBILIS] Longob. 2. Tit. 4. L. 2.

HOMINES PERTINENTES] Long. 1. Tit. 16. L. 5. Longob. 2. Tit. 18. L. 3. Tit. 32. L. 5. 9. Leo Marsican. lib. 3. c. 43. *familias hominũ ad ipsum locum pertinentes.*

HOMO PRIMVS] Long. 1. Tit. 9. L. 21.

HOMO REGIVS] Rip. Tit. 9. Tit. 10. §. 22.

HOMO RIPVARIVS] Rip. Tit. 7. Tit. 10. §. 22. *de provincia Ripuariorum.*

HOMINEM DE RAMO DIMITTERE] Sal. Tit. 96. Tacitus de morib. German. *Preditores & transfugas arboribus suspendunt.*

HOMINEM VIVVM INTRINSECVS COMEDERE] Long. 1. Tit. 11. L. 9. *Christianis mentibus nullatenus est credendum, nec possibile est, ut hominem mulier vivum intrinsecus comedat.* Infr. STRIA.

HONORES] Long. 2. Tit. 53. L. 2. *In honoribus alicuius habitare.*

HORÆ XXIIII. DIEI] Longob. 1. Tit. 19. L. 3. Tit. 21. L. 7. Macrob. Satur. 1. cap. 21. *Apud eosdem* (Ægyptios) *Apollo qui est Sol, Horus vocatur: ex quo & horæ* XXIIII. *quibus dies noxq; conficitur, nomen acceperunt.* Cur autem dies in XXIIII. non plures vel pauciores horas sit partitus, Marcus Victorinus notat in Ciceron. de inventione lib. 1. p. 309. *Horarum XII. hac esse origo memoratur. Quodam tempore Trismegistus cum esset in Ægypto, sacrum quoddam animal Serapidi dicatum, cum in toto die duodecies urinam fecisset pari semper interposito tempore, per duodecim horas diem dimensum esse coniecit, & exinde hic horarum numerus custoditur. Deinde alij dicunt, ex quadratura cæli, qua secundum musicam rationem in duodecim partes dicitur esse divisa, horas duodecim esse nominatas. Aquam enim*

per totum diem exceperunt, tenuissima caverna defluentem, & hanc maiores nostri in duodecim partes diviserunt: ex his partibus, horis numerum imposuerunt. Animal quod Victorinus indicat, in Hieroglyphicis Ori Apollinis Cynocephalum esse legimus, lib. I. cap.16. ἐν ταῖς δυσὶ ἰσημερίαις τοῦ ἐνιαυτοῦ δωδεκάκις τῆς ἡμέρας καθ' ἑκάστην ὥραν οὐρεῖ (κυνοκέφαλος): τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ταῖς δυσὶ νυξὶ ποιεῖ. *Duobus anni aequinoctijs duodecies in die per singulas nimirum horas urinam reddit* (Cynocephalus): *idemq́ & noctu facit.* Aliter Photius ex Isidori Philos. vita, Biblioth. p.557. τὰς δώδεκα ὥρας ἢ αἴλουρος διακρίνει, νύκτας καὶ ἡμέρας οὐροῦσα καθ' ἑκάστην, ἀεὶ δίκην ὀργάνου τινὸς ὡρογνωμονοῦσα.

HORA SEXTA] Burg. Tit. 8. §. 4. Id est, *duodecima hora.*

HORÆ CANONICÆ] Cap.6. Tit.168. Flaccus Alcuinus Epist.XVI. *Si unius, iuxta Apostolum, multum valet deprecatio iusti: quanto magis & totius sanctissimæ congregationis in Christo, quorum quotidie canonicis horis pacificæ unanimitatis postulationes cælum penetrare credendum est etiam, & singularius pervenire non dubitandum est.* Walafrid. Strab. de reb. Eccles. cap.25.

HORGRIFT] Boior. Tit. 7. cap.3. *Propter libidinem manum iniecerit, quod Baiuvarij* Horgrifft *vocant.* Hore *meretrix,* grifft *tactio.* Germ.

HOSPITALIA SCOTORVM] Cap. Kar. Reg. Tit. 13. Infr. *Scotorum.*

HOSPITALITATEM DEDERIT] Sal. Tit.57. Plutarch. in Cicer. παρέξει στέγην.

HOSTIS] Exercitus; inde Gall. *L'host.* Wis. 9. Tit. 2. L. 3. 4. 5. &c. Sal. Tit. 32. §. 6. Tit. 66. Tit.28. Cap. L. Sal. c. 1. §.6. Boior. Tit. 2. cap. 4. Rip. Tit.63. 65. Sax. Tit. 5. §. 1. Longob. 1. Tit. 14. Long. 2. Tit. 18. L. 5. Long. 3. Tit. 9. L. 3. 4. 8. Capit. 3. Tit. 67. 70. 71. Cap. 4. Tit. 59. 70. Add. 2. §.35. Cap. 6. Tit. 285. Cap. 7. Tit. 91. 103. Form. 10. Baldricus Histor. Hieros. *Hanc gentiles habent consuetudinem, ut si quando vadunt in hostem, vel causa necessitatis suæ complendæ, vel supercilio iactantiæ, opes copiosas secum devehant. In hoste homicidium facere.* Burchard. Decret. lib. 19. cap. 5. Sic *in hostem pergere,* & *hostem facere.* Feudorum lib. 2. Tit. 4. ubi vide quæ à viris doctis notata.

HOSTICI EXCEPTIO] Neap. 2. Tit. 20. *ne in exercitum quis eat.*

HOVAWART] Boior. 19. cap. 1 §. 9. *Canis qui curtem domini sui custodit.* Hova sive Hof *curtis, aula;* Wart *custos.* Inde *Wardia* sive *Guardia, custodia.* Specul. Sax. lib. 3. artic. 51. Den Hoffwarden/ als den hundt den men het Schaprode. *Canis custodiens curiam, seu canis fundi, sicut & is qui ovile sequitur.* Sup. CANIS.

HRANNE] Sal. Tit. 2. Gall. *Ran.* unde Campanis solens locutio, *Mettre les porcs en rhan;* ut pinguiores fiant.

HREFWVNT] Alm. Tit. 65. §. 25. Boior. Tit. 1. cap. 6. §. 2. Tit. 3. cap. 1. §. 6. Tit. 4. §. 5. Tit. 5. §. 5. Tit. 9. cap. 1. 4. *Si interiora membra vulnerata fuerint, quod hrefwunt dicunt.* Href vel Hreve venter, prisca lingua Germ. Otfridus Euangel. lib. 1. cap. 4. p. 34.

Fon reve thera muater,
Cap. 5. *Ist ein thin gesibba*
Reves umberenta.
Cap. 6. *Ist furista alles wibes,*
Was ino reves thines.

Inde Hrefwunt, *ventris vulnus.* In LL. Alfredi Regis cap. 20. p. 43. Gif mon bith on hrif gewunded/ gesylle him mon xxx. scilling. *Si quis in alvo vulnus acceperit, xxx. sol. comp.* Aliud *Rib,* vel ut nunc Germani pronunciamus Ribbe, id est costa. In iisdem Alfredi LL. Gif mon othrum rib forslea/ binnan gehalre hyde. *Si quis alteri costam fregerit, cute illæsa,* &c.

HROPANT] Boior. Tit. 3. cap. 1. §. 8. *per vim implexaverit, & non ligaverit, quod hropant dicunt.* Germ. Band ligamen significat: quid *Hro* sit, non liquet.

HVMANITATEM DARE] Wis. 9. Tit. 1. L. 4. 5. 6. *Humanitatem ministrare.* Form. 35. *Humanitas,* id est, cibus potusque humanitati sufficiens, ut inquit Varro. L. 7. C. Theod. de custod. reor. *Iudices omnibus dominicis diebus productos reos custodia carcerali videant, interrogent, ne his humanitas clausis per corruptos carcerum custodes negetur.* Anianus ita vertit. *Omnibus dominicis diebus iudices sub fida custodia de carceribus reos educant, ut eis à Christianis vel à sacerdotibus substantia vel alimonia præbeatur.* L. 9. C. de susceptorib. Ambrosius de Tobia cap. 14. *Humanitates indicant*

indicant, quæ alieno periculo constant. Tu bibis, & alius diffluit lacrumis. Tu epularis, & alios cibo tuo strangulas. Cassiodor. lib. 7. Epist. 83. *Humanitatem subter annexam, vel ad equos definitum, illius gentis legatis, sine aliqua tarditate præstabitis.* Martyrolog. vet. in passione Pantaleontis, 5. Kal. Aug. *Audivi enim quia circuis eos, quos torqueo, qui non colunt deos meos, & ipsos curas: & non solum hoc, etiam humanitatem eis præstas.* Simili modo apud Suetonium *comitas* pro ipsis ciborum deliciis, in Ottone cap. 3. *Ad avertendas suspiciones, cœnam utriq; exquisitissimæ comitatis dedit.*

I.

IACENTES COLVMNÆ] Boior. Tit. 11. cap. 6. *Iacentia bona*, Id est caduca. L. 4. §. 17. ff. de fideic. lib.

IACENTIVÆ ARBORES] Burg. Titul. 28.

IACTIVVS] Form. 159. *Iectivus.* Formul. 165. 167. 169. *Iectiva pars.* Form. 157.

IACTVS DE SECVRI SAIGA VALENTE] Boior. Tit. 16. cap. 1. §. 2. Vt in iure Rom. Tit. de nov. oper. nunciat. l. 5. §. 10. *per manum id est lapilli iactum prohibere.* L. 1. §. 6. ff. Quod vi vel clam. *Iactu vel minimi lapilli prohibitus facere.* L. 20. ff. eod.

IDOLOTHYTA] Cap. 5. Tit. 68. Add. Lud. 4. Tit. 54. escæ immolatitiæ.

IDONIARE] Rip. Tit. 67. Long. 2. Tit. 35. L. 4. Cap. 3. Tit. 64. Cap. 4. Tit. 29. *Idoneum se reddere.* Long. 1. Tit. 19. L. 27. *Idoneum semetipsum facere.* Cap. 3. Tit. 89. *Immunem se facere à crimine, quo quis impetitur cum idoneis hominibus.* Gregor. Turonens. Histor. lib. 9. capp. 13. 16.

AD IGNEM MANVM MITTERE] Rip. Tit. 30. §. 1. *ad ignem representare.* Ibid. *ad ignem se excusare.* Rip. Tit. 31. §. 5. Guibertus Historic. Hierosolym. lib. 5. *Si de his quæ dicta sunt ambigitis, ego in huius nomine veritatis cuicunq; volueritis me examini vel iudicio, seu ignis, seu præcipitij plena fide submittam.* Dithmarus Episcopus lib. 2. p. 18. *Interrogatus à Rege, si ignito voluisset dicta ferro comprobare, paratum se ad hoc esse hilari respondit animo, crastinaq; die ferrum ingentis ponderis benedictum ad locum à Rege determinatum portavit, manumq; securam imperterritus elevavit.* Multis contra hunc ritum Agobardus Episcop. pag. 297. Vid. supr. FERRI IGNITI.

IEIVNIVM QVATVOR TEMPORIBVS ANNI] Cap. 5. Tit. 85. Add. Lud. 4. Tit. 42. Synod. Mogunt. Can. 34. *Gregor. primus, officium quod dicitur Martij, primæ quadragesimali adscripsit.* Microlog. cap. 24. & 25. *Gregorius PP. septimus Apostolicæ sedi præsidens constituit, ut æstivale ieiunium infra octavam Pentecostes annuatim celebretur. Quod quidem sapientioribus reverentia sedis Apostolicæ facile persuasit. Simplicioribus autem nonnulla dubitatio super huius statuti promulgatione remansit. Nam non parum à consuetudine eorum discrepat, quam à quibusdam scriptis non ideo authenticis mutuaverunt: id est à Mogontiacensi concilio tempore Henrici II. Imp. facto. Hoc enim hanc regulam ieiunij quatuor temporum præstitit, ut hebdomada prima, quarta feria Martij, in secunda Iunij, in tertia Septembris omni anno ieiunetur. Præterea & hoc adtendunt, quod in quibusdam Sacramentarijs inveniunt, quod in primo Sabbato Martij, in secundo Iunij, in tertio Septembris ieiunare debeamus.* Et cap. 27. *Ieiunium hyemale iuxta traditionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ semper in tertia hebdomada de Adventu Domini debet celebrari.* Synod. Salegunstad. can. 2.

IEIVNIVM XL. DIES ANTE NATIVITATEM DOMINI, ET POST PENTECOSTEN XL. DIES] Cap. 6. Tit. 184. Amalar. lib. 1. cap. 36. & lib. 4. cap. 37. Officialis. *Nos observamus tres quadragesimas, id est, ante Pascha Domini, circaq; festivitatem Sancti Iohannis, & ante Nativitatem Domini, sic à piis mentibus frequentatum apud nos.* Burchard. lib. 19. cap. 5. ex Synod. Triburiens.

IEIVNIVM XXX. DIERVM] Wis. 2. Tit. 1. L. 18. Sæpius pœnæ loco ieiunium indictum, ut in Pœnitent. videmus.

IMAGINARIO IVRE] Form. 28. &c.

IMMVNITAS] Long. 1. Tit. 9. l. 30. 36. Long. 2. Tit. 39. L. 3. 4. Long. 3. Tit. 1. L. 21. 25. 26. Tit. 9. L. 3. Cap. 3. Tit. 26. Cap. 4. Tit. 13. 51. 52. Cap. 5. Tit. 13. 148. 187. Gloss. *Immunitas* ἀπλεία ἀλειτουργησία. Supr. EMVNITAS.

IMPALARE] Burg. Tit. 23. §. 2. *Impalare animal in sepem.* Rip. Tit. 70. §. 3. 4. *Impalare se.* Long. 1. Tit. 19. L. 10. Gloss. vet. & Papias. *Impalare, impugnare.*

IMPANS] Long. 2. Tit. 34. L. 1. *per impans, id est in votum Regis dimitti.* L. 3. 6. 8. *in manum Regis.* Papias. *Impans, in manu Regis servus dimissus, extraneus est.*

IMPEIORARE] Fris. add. Tit. 11.

IMPINGERE] Sal. Tit. 33. §. 1. Tit. 43. §. 10. Boior. Tit. 5. §. 17. *de ripa impingere.* Boior. Tit. 18. cap. 2. §. 2. *impingere in aquam.* Fris. add. Tit. 3. §. 41. *Impingere alium ut cadat.* Long. 1. Tit. 6. L. 5. Tit. 16. L. 3.

IMPOTI] Sal. Tit. 29. §. 8.

INANTEA] Long. 1. Tit. 25. l. 12. Greg. Turon. de mirac. lib. 1. cap. 33. *altare ut erat integrum inantea.*

INAVRES] Ang. Tit. 6. §. 6. *Inaures*, quia in aures pertusas insertæ. Græcis ἐνώτια vel ἐλλόβια, διὰ τὸ ἐν τοῖς λοβοῖς τῶν ὤτων εἶναι. Magni Etymol. Clemens Alex. Pædag. lib. 2. c. 13. p. 91. τὰ δὲ ὦτα αὐταῖς παρὰ φύσιν μὴ τιτράσθω εἰς ἀπάρτησιν ἐλλοβίων καὶ πλάστρων. Plastra etiam Aristoph. laudat in Thesmophor. apud Clement. eod. cap. διόπας διὰ λίθον, πλάστρα, μολόχιον, ὅρμους, πέδας. Plautus Pœnul. *Annulatæ aures.* planè ut Germ. Orringe. Gloss. Latino-Theotisc. Papias. *Inaures ab aurium foraminibus dictæ, quibus pretiosa lapidum genera dependent.* Plinius Proœmio Hist. lib. 12. *Ad hoc excogitata sunt aurium vulnera, nimirum quia parum est, collo crinibusque gestari, nisi infoderentur etiam corpori.* Hieronym. in vita Marcellæ. *Auribus perforatis rubri maris pretiosissima grana suspendere.* Iulian. apud Hieronym. *Suspendere ex auribus patrimonia.* ad imitationem L. Senecæ de vita beata, cap. 17. *Quare uxor tua locupletis domus censum auribus gerit?* Prudentius Hamartig.

Auribus aut gravidis virides suspendere baccas.

Alcimus Avitus de virginitate ad sororem, cap. 2.

Nec tibi transfossis fixerunt auribus aurum.
Quæ compensarent pendentes vulnera baccæ.
Dum pretiosa gravant sed saxea pondera malas.

INBREVIARE] Cap. Karoli Reg. Tit. 6. In Cap. apud civitatem Suession. Ann. DCCCLIII. *Thesaurum ac vestimenta seu libros diligenter inbrevient, & breves nobis reportent. Inbrevient etiam quid unusquisque Ecclesiarum prælatus, quando prælationem Ecclesiæ suscepit ibidem invenerit.* Nithard. Histor. lib. 4. *industriâ inbreviatum esset.* & post pauca. *mitterentque pariter per universum imperium & inbreviaretur.*

INCESTIVVM] Cap. 5. Tit. 158.

INCLAMATVS] Edict. Theod. cap. 5. 145. In iudicium vocatus. Infr. RECLAMARE.

INCLINARE IN SERVITIVM] Rip. Tit. 57. § 1. Servituti asserere.

INCLVDERE] Sal. Tit. 10. Greg. Turon. lib. 3. *Hac nocte cum equos ad claudendum adduxeris.*

INCORRECTOR] Cap. 5. Tit. 179

INCRIMINARI] Sal. Tit. 2. §. 7. 8. Infr. *inculpari.*

INCROCARI] Sal. Tit. 69. Inde Gall. *Pendre au croc.*

INCVLPARI] Sal. Tit. 42. §. 7. *Inculpatus.* Rip. Tit. 31. §. 1. 2. Supr. *Incriminari.*

INDEBITARE] Add. Lud. 4. Tit. 93. Gall. *Endebter.*

INDICARE ALIQVID DIRIPIENDVM] Cap. 3. Tit. 136.

INDICATORES FVRTI] Long. 1. Tit. 25. L. 4. qui malis artibus furto res ablatas indicare norunt.

INDICVLO AD PLACITVM VENIRE] Cap. 3. Tit. 58. In iuramento Bonifacij. *Hunc etiam indiculum sacramenti, ego Bonifacius exiguus Episcopus manu propria scripsi.* Bonifacius Pipino. *Veniens ad nos cum indiculo vestro, rogans ut ei iustitiam faceremus.*

INDICTIO] Wis. 12. Tit. 1. L. 2. *tributorum indictiones.* Novella Maiorani Tit. IIII. *In præteritis indictionibus, usque ad præsentem undecimam.* Sic *indictiones temporariæ indictæ.* L. 28. ff. de usu & usufr. *Indictionis onus.* L. unic. Cod. de magist. sacror. scrin.

INDICTIO] Long. 2. Tit. 21. L. 13.

INFANC] Boior. Tit. 3. cap. 1. Tit. 4. §. 3. Tit. 5. §. 3. *Si manum injiceret, quod infanc dicunt.*

INFANS DE SERVO MASSARIO] Long. 1. Tit. 11. L. 8.

INFERENDA] Add. Lud. 4. Tit. 83. *Tributum quod inferenda vocatur.* *Inlatio* Aimoin. lib. 4. cap 26. Fredegarius scholasticus, sive continuator Gregor. c. 74. In duplomate Karoli Magni. *Nullus iudex publicus, nec ad causas audiendum, nec ad infrandas, nec freda exigendum.* Inde INFERENDALES VACCÆ, quæ ideo *inferendales* dicebantur, quod singulis inferrentur annis. Aimoinus lib. 4. c. 26. In Chronico monasterij Besuens. & in gestis Dagoberti. *Super hac vero centum vaccas inferendales, quæ ei de ducatu Cenomanico annis singulis solvebantur.*

INFERIOR PERSONA] Burg. Tit. 26. §. 3.

INFIDELIS IN PRINCIPEM] Long. 1. Tit. 34. L. 2. *pro infideli teneri.* Long. 1. Tit. 34. L. 3.

INFIDVCIARE] Long. 2. Tit. 29. l. 2. Gloss. vet. *Infiduciare, pignori dare, obligare.*

INFISCARI] Alm. Tit. 25. 26.

INFRA] Wis. 3. Tit. 2. L. 1. 3. Tit. 3. L. 7. &c. ἀντὶ τοῦ *intra.* ut Itali *fra un anno.*

INGENIVM] Wis. lib. 3. Tit. 6. l. 2. Long. 1. Tit. 25. §. 64. Tit. 32. §. 4. Cap. 11. Tit. 31. Cap. 7. Tit. 214. Greg. Turon. Histor lib. 6. cap. 22. *Quod sæpius hic ingenia quæreret, qualiter eum ab Episcopatu deijceret.* Pœnitentiale Rom. Tit. 7. c. 30. *Si quis quemcumque hominem quolibet ingenio captivaverit,* &c. Hincmarus Epist. 5. *Nemo sic Ecclesias per diversa ingenia oppresserit atque despoliaverit.* Quomodo fere Tacitus Annal. lib. 16. *ambigenti Neroni quonam modo noctium suarum ingenia notescerent.* Et *ingenium* pro ipsa machina. In Epist. Comitis de S. Paulo ad ducem Brabantiæ in annalibus Gotefredi monachi. *Nos quoque nostra faceremus ingenia erigi.*

INGENIVM MALVM] Sal. Tit. 36. §. 4. Cap. L. Sal. cap. 1 §. 4. Capitul. 3. Tit. 27. *Malo ingenio vindicare.* Charta vet. in Alm. Gold. Tom. 2. num. 25. Gall. *par mal engin.*

INGENVA RIPVARIA] Rip. Tit. 58. §. 11.

INHONORARE] Decret. Tassil. §. 17. *Inhonorificare.* Alm. Tit. 5.

INITIARE MESSEM] Boior. Tit. 12. cap. 8. *Messes alterius initiare maleficis artibus.* LL. XII. Tabb. *Neu alienam segetem pellexeris.* Servius in Eclog. 8. Augustin. de civitat. Dei lib. 8. cap. 19.

INIVRIA OMNIA] Boior. Tit. 3. cap. 14. §. 2.

INNOTESCERE] Long. 1. Tit. 25 L. 17. *notum facere.*

INNVPTVS] Cap. 6. Tit. 206. Gloss. *Innuptus* ἄγαμος.

INQVIETARE] Alm. Tit. 29.

INQVIRERE] Long. 1. Tit. 25. l. 55. *Inquisitus.* Long. 1. Tit. 25. l. 50.

INSCRIPTIO] Burg. Tit. 77. *Inscriptionis vinculum.* Cap. 7. Tit. 338. *Inscriptio de sumptibus litis.* Form. 117. 118. *Inscribere servum.* Burg. Tit. 7. Vid. Tit. C. de Accusationibus & inscriptionibus. L. 2. C. de exhib. reis. *Solenni lege se vinxerit, & pœnam reciproci stilo trepidante recaverit.*

INSCRIPTIONIS TITVLO ALIQVID CONCEDERE] Long. 1. Tit. 34. L. 2.

INSCRIPTIONES PRO FEBRIBVS] Cap. 6. Tit. 72. velut Abracadabra: de quo Serennus Sammon.

Inscribes chartæ quod dicitur Abracadabra.

Vid. quæ ad Ammian Marcell. notata lib. XIX.

INSERVIRE] Cap. L. Sal. cap. 1. §. 7. Boior. Tit. 6. cap. 3. Rip. Tit. 57. §. 3. Long. 2. Tit. 34. L. 10. Cap. 3. Tit 28. in servitutem trahere.

INSTITVTE] Wis. 9. Tit. 2. L. 9.

INTEGRA RESTITVTIO] Cap. 7. Titul. 210.

INTELLIGERE SECVNDVM LEGEM SE DEFENDERE] Sal. Tit. 37. §. 8. Tit. 38. Gall. *s'entendre defendre selon la loy.* Moribus Leodiensib. *S'il se trait & recourt a la loy.*

INTENTIO] Litigium sive actio. Long. 2. Tit. 21. L. 12. Gloss. *Intentio* ἔνστασις. *Intentionem habere.* Long. 1. Tit. 17. L. 4. *Intentio contra curtem.* Longob. 2. Tit. 14 L. 2.

INTERLOCVTORIA SENTENTIA] Neap. 1. Tit. 34. 44. 100.

INTERPREMIVM] Sax. Tit. 2. §. 1. Gloss. *Interpretium* παράλλαγον.

INTERTIARE] Sal. Tit. 49. Decret. Child. §. 3. Rip. Tit. 33. Tit. 72. *Intertiata res.* Rip. Tit. 33. Cap. 3. Tit. 46. Cap. 6. Tit. 209. *Intertiatus.* Rip. Tit. 47.

in LL. Edoardi Reg. *Si quispiam aliquid intertiet super aliquem, & intertiatus non potuerit warantum suum habere, erit foris factura sua.* Gall. *Chose entiercée.* LL. Aurelian. Municip. Artic. 379. Gloss. ἐνεχύτης, *sequester.*

INTERVENTORES] Cap. 7. Tit. 89. Can. 41. Synod. Carth. 7. August Epist. 163. & cap. 16. de unico baptism. contra Petilian.

INTIMARE] Wis. 2. Tit. 1. L. 25. *Intimare causam suam.* Long. 2. Tit. 21. L. 7. Glossar. *Intimare* γνωρίζω, ἐμφανίζω, φανερόω. *Intimat* παρέχεται. Arnob. advers. gent. lib. 5. *unde est vobis cognitum, unde intimatum?* L. *Sancimus.* C. de pœnis. *Iudicibus intimetur.* Cassiodor. Var. 1. Ep. 2. *sermone vobis commisimus intimanda.* Sæpissime in collat. Karthag. & alibi.

INTRANEA] Sal. Tit. 19. §. 5. Gloss. *Interanea* ἔντερα. *Intestina, interanea, exta,* ἔγκατα. Plinius lib. 20. cap. 20. *Pellit animalia interaneorum.* Solinus. *Eiectis interaneis mortem diu differant.* In edicto Turci Aproniani Præf. *Reliqua caro cum pelle & interaneis proficiat venditori.* Zeno Veronens. ad Neophyt. Orat. 1. *Fluvialis piscis interanea diligenter accurat.* Greg. Turon. de miracul. S. Mart. lib. 4. *doloris malum in illis intraniorum flexuosis recessibus bacchabatur.* Burchard. Decret. lib. 19. ex Pœnitent. Theodori. *Intralia proijciantur, cetera caro manducetur.* Gall. *Entrailles.*

INTRICARE] Long. 1. Tit. 19. l. 13. Tit. 20. L. 3. 5. *Intricare peculium.* L. 1. §. 5. ff. de servo corrup. Glossar. vet. *Instricatum, vulneratum.*

INVESTITVRA] Wis. 2. Tit. 3. L. 27. Long. 1. Tit. 25. L. 78. Tit. 27. L. 12. Long. 2. Tit. 18. L. 7. Tit. 52. L. 17. Cap. 5. Tit. 3. Infr. *Vestitura.*

INVITARE ALIVM] Boior. Tit. 17. cap. 1. §. 1. Long. 1. Tit. 27. L. 18. *Provocare.*

INVITATORIVS PSALMVS] Add. Lud. 1. Tit. 66. *Venite exultemus Domino.* Ex editione Romana. *Invitatorium.* Alcuinus de divin. off. Tit. de cœn. Dom.

INVOLARE] Wis. 7. Tit. 2. L. 10. 11. 21. Wis. 8. Tit. 3. L. 14. Tit. 4. L. 11. Burg. Add. 1. Tit. 4. §. 1. Tit. 7. §. 1. Tit. 101. Alm. Tit. 70. 71. 75. 78. 99. Boior. Tit. 2. cap. 13. Isidor. Orig. lib. 17. cap. 7. Servius ad Virgil. Georg. 2. — *gravibusq́ volemus.* — *Vola est medietas palmæ vel pedis, unde & involare dicimus, quod est proprie intra volam tenere.* Gloss. *Involat* κλέπτει. Vetus epitomator Iuris Rom. *Involare est furari.* Hinc Gall. *Voleurs, fures, prædones.* Callistrat. in L. 6. ff. de incend. ruin. naufr. *Vela conscinduntur, aut anchoræ involantur de mare.* Catullus ad Thallum carm. 25. *Remitte pallium mihi meum quid involasti.* Hygin. Fab. 125. *Cum Vlysses condormiret, socij involarunt pecus.* Idem Fabula 201. *Cum Sisyphi pecus assidue involaret.* & paulo post. — *cum solito more involasset, & Sisyphus ad eum venisset, pecora sua ex ungulis deprehendit, quæ ille involaverat.* Auctor vitæ B. Philiberti. *Crucem monasterij involatam asportasset in furto.* Ekkehardus in casib. monasterij S. Galli, cap. 10. p. 85. *Si laicus laicum, ut idipsum iuridicialiter proloquar, involaverit, coram Comite meo lege mulctetur.*

INWADIARE] Long. 1. Tit. 14. l. 9. 18. Guilhelm. Neubrig. de reb. Angl. lib. 3. cap. 23. Burchardus in casibus monasterij S. Galli cap. 11. *Possessiones pro centum nonaginta marcis, & centum libris denariorum inwadiavit, vel etiam infeodavit.* Cap. 12. *ducentis marcis invadiatas redemit.* Gall. *Engager.*

IOSVM] Ms. *iussu.* Alm. Tit. 45. *Pausare arma sua iosum. Iosum* id est deorsum. Eccehardus de casib. monasterij S. Galli. cap. 4. *aut sursum aut iusum, aut ante vel retro.* Hispan. *metter de yuso.*

IVDÆIS MANCIPIA NE SERVIANT VEL ADHÆREANT CHRISTIANA] Wis. 10. Tit. 3. l. 12. L. unic. C. Ne Christian. mancip. L. 56. C. de Epis. & cler. Novell. 144. c. 2. Concil. Tolet. 3. cap. 14. Greg. Mag. PP. lib. 2. Ep. 37. 76. Lib. 5. Epist. 31. Vid. Agobard. p. 95. 96. & 183. &c.

IVDEX] Wis. 3. Tit. 4. L. 17. 18. Tit. 6. L. 1. Wis. 5. Tit. 4. L. 19. Long. 1. Tit. 25. L. 50. 58. Long. 2. Tit. 4. L. 2. Tit. 24. Tit. 41. L. 1. 2.

IVDEX CIVITATIS] Long. 2. Tit. 21. L. 13. *Iudex Comitis.* Cap. 5. Tit. 132. *Iudex deputatus.* Burg. Præf. & add. 1. Tit. 3. §. 1. *Iudex fiscalis.* Rip. Tit. 32. §. 3. Tit. 51. *Iudex loci.* Burg. Tit. 50. §. 1. *Iudex publicus.* Long. 2. Tit. 21. l. 30. *Iudex redemptus.* Edict. Th. cap. 2. id est, pecunia corruptus. Petron.

Atq́ eques in causa qui sedet empta probat.

IVDI-

IVDICARE DE REBVS SVIS] Disponere res suas. Wis. 4. Tit. 5. L. 3. Long. 2. Tit. 14. L. 17. Tit. 18. L. 4. Tit. 29. L. 1. *Iudicare usumfructum*. Long. 2. Tit. 4. L. 4.

IVDICATIO] Edict. Theod. cap. 140. *Iudicium*.

IVDICIARIA] Long. 1. Tit. 14. L. 8. Tit. 25. L. 50. Long. 2. Tit. 4. L. 3. Tit. 52. L. 14. Long. 3. Tit. 1. L. 38. *Infra suam iudiciariam vel terminum*. Gloss. vet. *Iudiciaria, iurisdictio*. German. Gerichtszwanck.

IVDICIVM AQVÆ, &c.] Magna fuit veterum, non dicam religio, sed inconsulta superstitio, qua desciscentes à vero iudiciorum ordine, rem sanctissimam, abusu fecere pessimam. Purgationem vulgarem vocaverunt. C. 2. q. 5. c. 7. Decret. Greg. lib. 5. Tit. 35. (Canonica enim erat, quæ per sacramentales fiebat. Decret. Gregor. lib. 5. Tit. 33.) Itaquo nulla etiam frequentior aut certior habita fuit, quam quæ per crucem, duellum, aquam frigidam aut calidam, ferrum ignitum, vomeresque candentes fiebat. C. 2. q. 5. c. 20. Aimoin. lib. 5. cap. 34. *Ludowicus, Ludowici Reg. filius decem homines cum aqua calida, & x. cum ferro calido, & x. cum aqua frigida, ad iudicium misit coram eis, qui cum illo erant, petentibus omnibus, ut Deus illo iudicio declararet, si per ius & æquum ille habere deberet portionem de regno.* De quibus sigillatim suo loco diximus. Verosimile autem est morem hunc à Iudæis ad Christianos transmigrasse: aquæ enim amaræ ad purgationem zelotypiæ mentio Num. 5. Sed & apud paganos simile quid obseruatum. Eustathius lib. 7. & 11. de amoribus Ismenij ait, Artecomij & Daphnopoli fontem fuisse, in quem si virgo intraret, aqua pellucida maneret; si quæ vero depudicata, & cui vitium additum esset, turbida cōtinuo redderetur. Similis fons prope Ephesum memoratur, Stygis nomine vocatus, de quo mira narrat Achilles Tatius de amorib. Clitoph. lib. VIII. p. 206. ὅταν τις αἰτίαν ἔχῃ ἀφροδισίων, εἰς τὴν πηγὴν εἰσβᾶσα ἀπολούεται. ἡ δὲ ἐστὶν ὀλίγη, καὶ μέχρι κνήμης μέσης. ἡ δὲ κρίσις. ἐγγράψας τὸν ὅρκον γραμματείῳ μηρίνθῳ δεδεμένον περιεθήκατο τῇ δέρῃ. κἂν μὲν ἀψευδῆ τὸν ὅρκον, μένει κατὰ χώραν ἡ πηγή. ἂν δὲ ψεύδηται, τὸ ὕδωρ ὀργίζεται καὶ ἀναβαίνει μέχρι τῆς δέρης, καὶ τὸ γραμματεῖον ἐκάλυψεν. *Cum violatæ aliqua pudicitiæ arguitur, cum in fontem descendere compellitur, cuius unda vix medias tibias attingit. Iudicium autem fieri hoc pacto consuevit. Quæ delata est, falso se insimulari iurat, iusiurandumque in tabella descriptum collo suo alligatum sustinens, in fontem descendit; ac si verum iusiurandum iuraverit, aqua omnino immota manet; sin minus, intumescit, atque ad collum usque se adtollens tabellam contigit, &c.* Consentanea sunt quæ de Palicis scribit Stephanus. Ἔστι δὲ καὶ ὅρκος ἅγιος αὐτόθι. ὅσα γὰρ ὀμνύει τις εἰς πινάκιον γράψας βάλλει αὐτὸ εἰς τὸ ὕδωρ. ἐὰν μὲν οὖν εὐορκῇ, ἐπιπολάζει, ἐὰν δὲ μὴ εὐορκῇ, τὸ μὲν πινάκιον ἀφανίζεται, αὐτὸς δὲ πίμπραται. *Est vero & iusiurandum sacrum ibidem. Quæcunque enim quis iuraverit, in tabellam scribit atque in aquam abijcit. Si vere iuraverit, tabella supernatat: sin peieraverit, illa quidem evanescit, ipse autem periurus uritur.* Mentionem faciunt eiusdem fontis Aristotel. in lib. de admirand. auditionib. Diodor. Sicul. Biblioth. lib. 2. & alterius cuiusdam plane consimilis potentiæ apud Tyanam Philostrat. de vita Apoll. lib. 1. Sic aqua tingebant oculos iuratores in Sardinia. Solinus de Sardiniis. Plin. lib. 31. cap. 2. Sed & aliæ probationum species erant. Tucca virgo Vestalis incesti criminis accusata, aquam cribro gestavit. Dionys. Halicarn. lib. 2. Plin. lib. 28. c. 2. Val. Max. lib. 7. cap. 1. Claudia violatæ pudicitiæ suspecta navem cingulo traxit. Livius lib. 29. Ovid. Fastor. lib. 4. Tertullian. Apolog. Minut. Felix Octavio. Lact. lib. 2. c. 7. Et *Brigida virgo in Scotia, cum lignum altaris in testimonium virginitatis tetigisset, viride factum fuit.* Beda in Martyrol. Kal. Febr. B. Bricius Episc. Turonens. cum falso criminis accusaretur, *ad satisfaciendum populo, prunas ardentes in byrrum suum posuit, & ad se stringens, usque ad sepulchrum B. Martini, una cum populorum turbis accedit. Proiectisque ante sepulchrum prunis, vestimentum eius inustum apparuit.* Gregor. Turon. Histor. lib. 2. cap. 1. Quale & illud est, quod de Montano Episc. Tolet. Ildefonsus Episcop. in præfat. de viris Eccles. memorat. *Montanus sedis eiusdem beatissimus præsul, ut à se coniugalis conversationis infamiam*

propulsaret, tamdiu adsumptis veste candentes narratur tenuisse carbones, donec Domino consecrans oblationem totius per semetipsum compleret Missæ celebritatem. Sed horrendum dictu est, etiam manducatione Eucharistiæ probationes olim factas (unde & in Germanico idiomate usus loquendi remansit) & quidem ipsis sanctis Synodalibus decretis permissas. Concil. Wormat. cap. 10. Burchard. lib. 11. cap. 66. C. 2. q. 5. cap. 23. Adamus Bremens. Histor. Eccles. cap. 31. *Quo Concilio* (Moguntinensi) *quidam Spirensis Episcop. Sibico cui adulterij crimen intendebatur, examinatione sacrificij purgatus.* Lambertus Schafnab. p. 250. *Si te innocentem nosti, & existimationem tuam ab æmulis tuis per calumniam falsis criminationibus impeti, libera compendiose & Ecclesiam Dei scandalo, & te ipsum longe concertationis ambiguo, & sume hanc residuam partem Dominici coporis, ut comprobata Deo teste innocentia tua, obstruatur omne os adversum te iniqua gerentium.* Regino Anno DCCCCXLI. *Publica se examinatione, perceptione corporis & sanguis Domini, coram populo in Ecclesia purgavit.* Sed vere tremendi carminis lex est, quam Lothario Imp. Adrianus PP. proposuit, uti videre est apud eundem Reginonē, ritum hunc & quibus solemnibus imprecationibus peractus sit, exerte indicantem, Chronicorum lib. 2. Anno DCCCLXIX. Huc etiam pertinent probationes Leonis PP. Damasi, Xixti, Symmachi, &c. de quibus infr. agemus. Alium examinis modum, nostro etiamnunc seculo sæpe malo modo usitatum, Acro designat in Horat. Epod. ad ill. vers. *Vtq; sacerdotis fugitivus liba recuso. Cum in servis* (inquit) *suspicio furti habetur, ducunt ad sacerdotem, qui crustum panis carmine infectum dat singulis. Quod cum ederint, manifestum furti reum asserit.* Tale quid etiam cum Ætite lapide operari solebant, cui miram virtutem furta deprehendendi inesse, scribit Dioscorid. lib. 5. c. 161. eius verba hæc sunt. Ἔστι δὲ κλεπτέλεγχος, εἰ ἐπιθείη τις εἰς τὸν προσφερόμενον ἄρτον. ὁ γὰρ κλέψας οὐκ ἂν δυνηθείη καταπιεῖν τὰ μασσηθέντα. Φασὶ δὲ ὅτι καὶ συνεψόμενος ὁ ἀετίτης τοῖς ἐδέσμασι, κλεπτέλεγχος γίνεται. οὐ γὰρ δυνήσεται ὁ κλέψας καταπιεῖν τὰ συνεψόμενα αὐτῷ. *Furem quoq; deprehendit, si quis in pane conditum offerat: fur enim commanducata devorare minime poterit. Quin & si cum edulijs coquatur, furem prodere & coarguere dicitur: quippe fur, quæ cum eo decocta fuerint, haudquaquam glutire poterit.* Consimilis est probatio, quam Dithmarus Episcop. refert, Histor. lib. 7. p. 111. *Camerarius cum pileum quendam furtive subtractum cælare voluisset, diligenterq; à pio seniore rogatus, nil profiteretur, cultellum super mensa positum, & ex animo benedictum sumere conatus, quasi ignitum celeriter proiecit, reumq; se nimis esse coram profitetur.* Formulas benedictionum hisce probationibus adhibitarum, quarum mentio in Decret. Gregor. lib. 3. Tit. 5. cap. 9. viri docti passim divulgarunt, sed & nos quoque in hoc codice ex veteribus libris aliquantas edidimus: nonnullas autem scientes omisimus, quæ revera in Deum blasphemæ nimis videbantur. In præsentiarum ergo ex Æthelstani Regis Anglorum legibus saltim adtexere lubet, quæ de hoc purgationis ritu cap. 32. leguntur. *BE THON THE ORDALES WEDDIGAT. Gif hwa ordales weddige, thonne cume he trim nihtum to thæm messe preoste, the hit halgian scyle, and fede hine sylfne mid hlafe, and sealte, and watere, and wyrtum, oer he to gân scyle, and gestande his mæssan thara threora dage ylce and geoffrige to, and ga to husle thy dæge the he tò thara ordale gan scyle, and swirige thone ath, that he se mid folcrihte unscyldig thære tyhthlan, ær the he to thæm ordale gâ. And gif hyt sy water, that he geduse threo healf elne on thæm rape. Gif hid sy isen, syn threo nihte ær mon tha hand on do, and ofga ylc man his tyhtan mid fore ath, swa we ær cwædon, and beo thæra ylc fæstende on ægthere hand the thær sy begodes bebode, and thas bisceopes, and ne beo thær on naw thre healfa ma manna thonne XII. Gif thonne se gethyhtleda man maran weord sy thonne XII. sum, thonne sy that ordale forode buton hi him fram gân wille.* Quæ verba sic vertit interpres. *DE IIS QVI SENTENTIAM SVBITVRI SVNT. Qui se sententia examinandum obtulerit, triduo quam id sit adgressurus, sacerdotem (ut is sacra de more pergat) adito: atq; interim pane, sale, aqua, & holeribus tantummodo vescitor, missæ præterea illis ipsis diebus interesto, munusq; suum offerto. Sub ipso autem, qui est sententiam subiturus die, panem eucharisticum sumito, ac iureiurando se illius, de quo appellatur, sceleris purum, minimeq; conscium*

conscium iurato. Tum si aqua gelida facienda est quæstio, ad sesquiulnam funis in aquam mergitor. Sin ferro fiat candenti, per cõtinuum triduum obsignanda non resignetur manus. Accusator autem (quemadmodum de accusato antea à nobis dictum est) iureiurando interposito criminationem prosequitor. Vterq; etiam iussu Dei ac sacerdotis ieiunato, nec pluribus quam duodecim alteruter stipatus advenito. Quin si accusatus pluribus comitatus accesserit, perinde sit, ni illi discedant, atq; si is in iudicio cecidisset. Etiam in Constitutionibus Regni Hisp. plurimis in locis mentio fit huius moris: propriissime tamen huc pertinent, quæ in foro de Baeza Regis Alfonsi leguntur. sunt autem hæc. *El fierro que por iusticia fazer, fuere fecho, aya quotro pies asi altos, que la que a salvar se oviere la mano, pueda meter de yuso. Aya en longo un palmo, y en ancho dos dedos: è quandol tomare, lievel ocho pies, è pongal suavemient en tierra. Mas antel bendiga el Missa cantano, è despues el y el juez calienten el fierro, è mientra el fierro calentare, ningun ome non este cerca del fuego, que por aventura faga algun mal fecho: e la quel fierro oviere a tomar, primero confiesse muy bien, è despues sea escodrinnada, que non tenga algun fecho escondido, e de si lave las manos anto todos, & las manos alimpiadas, prenda el fierro. Mas antes fagan oracion que Dios demuestre la verdad: e despues quel fierro oviere levado, luegol cubra el juez la mano con cera, e sobre la cera pongal estopa, o lino, e despues a tengela con un panno, o lievela el iuez a su casa, e a cabo de tres dias cate la mano, e si fuere quemada, que menna.* Alias formulas huius superstitionis vide apud Aventin. Hist. lib. 4. Iuret. in Notis ad Epistolas Ivon. Iacob. Cuiacium & Fr. Hotoman. in Commentar. ad libros Feudor.

IVDICIVM CONSCRIPTVM] Rip. Tit 59. §. 7. mulcta quæ in instrumentis addi solet.

ITERARE IVDICIVM] Cap. 6. Tit. 64. *Retractare.* L. 1. C. Theod. de Episc. iud. Cuius retractationis remedium exponitur L. ult. C. de tempor. appell. Novell. 82. Sever. Sulpit. lib. 2. sacr. histor. *Nocentem pronunciavit, redegitq; in custodiam, donec ad Principem referret. Gestis ad palatium delatis, censuit Imp. Priscillianum sociosq; eius capitis damnari oportere: Ceterum Ithacius videns, quam invidiosum sibi apud Episcopos foret, si accusator etiam postremis,* &c. *Etenim iterari iudicium necesse erat.* Videatur Epistola Karoli Calvi Imp. ad Iohannem summum PP. edita cum Hincmari Rhem. Archiepisc. Epistolis, & Add. 4. Tit. 14. 15. simul quæ Hadrianus PP. ad eundem Karolum & Hincmarum scripsit, eiusdem Karoli Imp. & Hincmari ad Hadrian. PP. Epistolæ, de causa Hincmari Laudunensis Episcopi apud Baronium.

AD IVDICIVM MITTERE] Long. 3. Tit. 23. Gloss. *Ad iudicium, ad pugnam*

IVDÆI CHRISTIANA MANCIPIA NON HABEANT] Wis. lib. 12. Tit. 12. Cap. 6. Tit. 318. Greg. Brunichildæ Reginæ Francor. *Omnino præterea admirati sumus, cur & in regno nostro Iudæos Christiana mancipia habere permittitis.* Idem Theodorico & Theodeberto Regib. Francor. Vid. Novell. 144. Agobard. Episcopum Lugdun. p. 95. 183. & seqq.

IVGALIS] Form. 21. 49. 50. 118. L. 3. §. 1. L. 5. §. 1. C. de advocat. divers. iud. Cassiod. Var. 5. Epist. 24.

IVGVM TRANSPASSARE] Alm. Tit. 82. §. 7.

IVMENTVM] Wis. 8. Tit. 4. L. 5. 7. Alm. Tit. 72. Long. 1. Tit. 20. l. 6. Gloss. vet. *Iumentum, equa.* Gall. *une iument.*

IVNCTORIVS BOS] Long. 1. Tit. 25. L. 33. sub iugum missus. *Taurus qui iunctus nunquam fuit,* Sal. Tit. 3. §. 8. *Iunctoria vacca.* Long. 2. Tit. 21. L. 6.

IVNIORES] Cap. 1. Tit. 167. Cap. 3. Tit. 63. Cap. 5. Tit. 141. Form. 6. 10. 12. 177. Gloss. vet. *Iuniores, id est, iudices.*

IVNIORES COMITVM] Long. 2. Tit. 51. L. 9. Long. 3. Tit. 5. L. 2. Tit. 12. L. 1.

IVNIORES ECCLESIÆ] Cap. 5. Tit. 121. Cap. 6. Tit. 154. Charta vetus Alman. Goldast. Tom. 3. p. 67. *In domo hospitum suscipiar, & usq; ad finem vitæ meæ ibi victum & vestitum habeam, sicut primus illorum iuniorum.* Canon. 8. Synod. Matiscon. Can. 10. Syn. Parisiens. Can. 10. Synod. ad Theodon. villam. Greg. Turon. Hist. lib. 5. cap. 26. Vadianus *Iuniores* dictos putat delectos quosdam ad pauperum & peregrinorum famulatum fratres laicos, ut eo ministerio exerciti aptiores ad disciplinam monasticam fierent.

IVNIOR COQVI] Alm. Tit. 79. §. 5.

IVNIOR PASTORIS] Alm. Tit. 79. §. 1.

IVRARE CVM XII. NOMINATIS] Alm. Tit. 89. *Cum XII. advocatis.* Alm. Tit. 89. *cum nominatis quinq.* Alm. Tit. 56. §. 1. *Manu VI. iurare.* Fris. Tit. 6. *manu VII. iurare. XII. manu, sua XIII.* Form. 119. Feud. lib. 2. Tit. 27. §. 3. *Sibimet septimus.* Specul. Sax. lib. 3. Artic. 28. 32. *Iurare LXXII. manu.* Herman. Contract. p. 560. inde *Coniuratores* vel *sacramentales*, *qui iurabant, quod ipse crederent alterum verum dixisse.* Decret. Greg. Tit. 33. c. 5.

IVRARE PER PECTVS] Alm. Tit. 56. §. 2. manum pectori imponendo. Apud Petronium iuraturus oculos tangit. *Tetigit puer oculos, conceptissimisq; iuravit verbis, sibi ab Ascylto nullam vim factam.*

IVRARE SACRAMENTA IN ARMA SVA] Alm. Tit. 89. *Iurare dextra armata.* Rip. Tit. 66. *manu armata.* Sax. Tit. 1. §. 8. *ad arma sacrata.* Long. 2. Tit. 55. l. 5. 10. *adprehensa manu iudicis (vel armis) sicut mos est apud omnes XII. manu, sua XIII. dextratus vel coniuratus.* Form. 119.

IVRARE LITI SVI MANV] Sax. Tit. 1. § 8.

IVRARE IN VESTIMENTO] Fris. Tit 3. §. 4. *in vestimento sacramentum facere.* Infr. *Sagum.*

IVRARE AD SANCTA EVANGELIA] Long. 2. Tit. 55. L. 5. Supr. *Euangelia.*

IVRARE SVPER CAPELLA DOMINI MARTINI, VBI RELIQVA SACRAMENTA PERCVRRVNT] Formul. 157. Ad B. Petri sacratissimum corpus sacramenta præbere. C. 2. q. 5. cap. 6.

IVRARE PER CREATVRAS] Add. Lud. 4. Tit. 47. Augustin. lib. 1. de sermone Domini in monte. *Dominus docet, nihil esse tam vile in creaturis Dei, ut per hoc quisq; periurandum arbitretur.* Burchard. Decret. lib. 19. p. 267. *Si per cœlum, aut per terram, sive per Solem vel per Lunam, aut per aliam aliquam creaturam* (iurasti) *XV. dies in pane & aqua pœniteas.* Quo etiam pertinet horrendi iurisiurandi formula, *per capillum Dei, aut per caput eius*, de qua ibidem Burchardus agit, cuiusq; mentio in Novell. Iustin. 77.

IVRARE PER VITAM REGIS] Long. 3. Tit. 24. ET FILIORVM EIVS. Cap. 3. Tit. 42. Cassiodor. Variar. 8. Imp. Arcad. & Honor. lib. 41. Cod. de Transaction. *Salutem Principum confirmationem initarum iuraverint esse pactionum.* L. 2. C. de reb. creditis. *Et si per Principis venerationem quodam calore fuerit peieratum.* Notabile iuramentum est, quod Marcellinus V. Cl. præstitit, cum in causa Donatistarum iudex sedere deberet, uti id in Collatione Karth. prima, cap. 5. scriptum extat. *Sive cum alio sive solus in hoc negotio iudicaturus interero, nihil aliud me, nisi quod allegationes partium examinata potuerint demonstrare, & quod veri invenerit fides, per admirabile mysterium Trinitatis, per incarnationis Dominicæ Sacramentum, per salutem supra memoratorum Principum, me esse iudicatarum promitto.* Sic PER CAPVT VEL GENIVM PRINCIPIS iurare. L. 13. ff. de iureiurand. Tertul. Apolog. Minut. Felix Octav. Sueton. in Iul. Cæs. cap. 85. Balsam. in Canon. 30. Syn. Calched.

IVRAMENTI FORMVLA] Alm. Tit. 6. §. 7. Form. 110. 160.

IVRATORES] Sal. Tit. 55. Pact. Child. §. 2. §. 8. Alman. Tit. 6. § 5. Rip. Tit. 31. §. 5. Long. 1. Tit. 17. L. 1. Long. 2. Tit. 41. L. 7. Tit. 55. L. 30. Cap. 8. Tit. 64. Form. 168. Plaut. Pœnul. *Vos iuratores estis, quæso operam date.* Seneca. *Quis unquam ab Historico iuratores exegit.* Nortmannis *Iureurs.* Infr. *Sacramentales.*

IVS MOMENTI] Edict. Theod. c. 76.

IVS PRECARIVM] Wis. 2. Tit. 1. L. 7. &c. Infr. *Precario.*

IVSTITIAM FACERE] Alm. Tit. 48. Long. 1. Tit. 9. L. 28. Form. 36. Paul. Warnefr. Histor. Long. lib. 6. cap. 35. *Qualem iustitiam singuli iudices populo suo facerent.* Annal. Caroli Mag. *Ob iustitias faciendas missi.* Anonym. in Hludovico. *Lotharius cum secundum patris iussionem in Italia iustitias facert.* Et postea. *Brixia Comitem secum assumeret, & inchoatas iustitias perficere curaret.*

IVSTITIARIVS] Neap. 1. Tit. 8. L. 1. Tit. 14. L. 16. Tit. 17. *Iustitiarij Regionum.* Neap. 1. Tit. 51. 94.

K.

KANEO] Boior. Tit. 21. §. 6. *De minutis sylvis vel quocunq; kaneio.* Ms. *Kneio.* German. Knepe salicetum vocant. Sed veriorem lectionem arbitror, *de minutis sylvis vel quocunq; gaio.* Vid. supr. in GAIO.

KYRIE

KYRIE ELEISON OMNES CANENDO DECANTENT] Cap.6. Tit.202. Can.3.Syn.Vasens. habitæ Decio V.Cl. Cos. Gregor.Mag.Epist.63.lib.7. *Kyrie eleison autem neq; diximus, neq; dicimus sicut à Græcis dicitur. Quia in Græcis simul omnes dicunt. Apud nos autem à clericis dicitur, à populo respondetur, & totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur.* Quæ precum formula & Paganis in ore fuit, si vera est vulgata editio Arriani cap.7. lib.2. νῦν δὲ (inquit) τρέμοντες τὸ ὀρνιθάριον κρατοῦμεν, καὶ τὸν θεὸν ἐπικαλούμενοι δεόμεθα αὐτοῦ· Κύριε ἐλέησον, ἐπίτρεψόν μοι ἐξελθεῖν. Videantur Epistolæ Basilii 63. & Augustini 178.

KYRIE ELEISON IN DEDUCENDO CADAVERE] Cap.6. Tit. 194. Can. 3. Synod. Arelat. Infr. *Sepultura.*

L.

LABOR] Sal.Tit.10. *Labores fructuum.* Boior. Tit.16. cap.1. §. 2. *Laborem suum vindicare.* Long.1. Tit.14. L. 3. *Laborem suum facere.* Long.1. Tit.17. L.4. *Labor.* Long. 2. Tit. 23. Greg. Turon. Hist. lib.7. cap.22. *Dum esset in libertate, equi ac pecora per segetes pauperum vineasq; dimittebantur. Quod si expellebantur ab his, quorum avertebant laborem, statim à suis arcebantur.*

LABORARE] Long.1. Tit.1.l.6. Form.49.86.91. *Laborare terram alterius.* Long.1.Tit.9.L.22. *Laboratum.* Long.3. Tit. 4. L. 5. *Laboratus.* Neap.3. Tit.38. L. 4. Gregor. Toron. de gloria confess. cap. 82. *Cumq; alterum vas apium vellet auferre, ait sacerdos, sufficiat nunc fili istud, alterum vero ei qui ipsum laboravit, reserva.* Charta vet. in Alm. Gold. Tom.2. n.60. *quid ego ipse postea adquisivi vel laboravi.*

LAC AUFERRE] Add. Lud. 2. Titul. 18.

LACINAM VIÆ ALICUI FACERE] Sal. Tit.33. Tit. 15. §. 5. *Alicui viam suam obstare.* L.1. hic & Tit. 82. *viam contradicere.* Rip. Tit. 82. Alm. 66. Longob. *wegorint. Lacinia* vox apud Sex. Iul. Frontin. de colonijs aliquotiens legitur: pag.3. *in lacineis & strigis.* pag.6. *in laciniis limitibus intercisivis.* pag.8. *in lacineis vel in soluto remansit.* pag.11. *cetera in lacinijs sunt præcisa post demortuos milites.* Glossar. *Lacinia* ἀπόσπασμα.

LACINA FESTUCÆ] Rip. Tit. 71.

LACTURIUS] Form.77. *Ovium capita tanta, sodis capita tanta, lacturios condignos ac lectos tantos,* &c. *Lacturios* quos proprie interpretemur, non satis clare liquet: tamen porcellos sive nefrendes intelligi puto, nondum ablactatos. ut in L. Sal. Tit.2. §.1. *Si quis porcellum lactantem furaverit,* &c. *Succuli* vocantur in Speculo Sax. lib. 2. Art.48. lib.3. Art.51. *Succuli cum capriolis adhuc non ablactatis.* Dat verken vnd dat zickelin binnen synem soge. Glossarium: γαλακτοπώλης *Lactarius.* nempe aliam significationem huic voci adtribuit, & huc non pertinentem.

LAISCUM] Long.1.Tit.19.L.8.

LAISUS] Sal. Tit.48. Gloss. *in laisum, in sinum.* Marculf. de Lesowerpo per manum Regis. *Villas nuncupatas ill. sitas in pago ill. sua spontanea voluntate nobis per festucam visus est laiso werpisse vel condonasse.* Inde Gall. *Tendre le giron.*

LAISOWERPUM] Form. 43. *Laisowerpire.* Form.43. *per festucam lesowerpisse vel condonasse.* Sal. Tit. 48. *per festucam in laisum iactare. Guerpire* vel *werpire* Germ. est *werpen.* ut infr. ostendimus.

LANAM CARPERE] Cap.1. Tit.80. Gall. *Carder.* Plautus Menæchm. *Inter ancillas sedere iubeas, lanam carpere.* Sic legitur in omnibus exemplarib. non *lanam carere.* Sicut apud Varronem, *Vt careat spurcitia,* sive περὶ τὸ κάρφη. Gloss. *Carpit,* ξαίνει, ἐξαπτίζει, δρέπτει, σπαράσσει. Aliud Gloss. ξάνσις *carptus.*

LANCEA] Wis. lib. 9. Tit.2. L. 9. Burg. Tit.18. §.2. Rip. Tit. 36. §. 11. *Scutum cum lancea.* Long. 1. Tit. 37. L. 2. Long.2. Tit.48. L.1. Charta vet. in Alm. Gold. n. 15. *Caballis domalibus cum cetero troppo, caballis cunctis, auro argentoq; scuta cum lanceis, vestibus, & omnibus utensilibus.* Tertullian. de Baptism. p.410. *Cum vulneratur, aqua de latere prorumpit, scit lancea militis.* Gloss. *Lancia* λόγχη. Gall. *Lanze,* uti & Germ. & Lantzknecht *lanciarius* λογχοφόρος.

LAQUEOS FERIS PRÆTENDERIT] Wis.8. Tit. 4. l.23. & l.29. ff. ad L. Aquil. L.55. ff. de acquir. rer. dom. Papin. Stat. lib.2. Syl. Leo mansuetus.

Occidis altarum vastator docte ferarum,
Non grege Massyllo, curvaq; indagine clausus.

Non formidato supra venabula saltu
Incitus, aut cæco foveæ deceptus hiatu.
Prudentius in Hamartig.
Ars olli captare feras, animalia bruta
Irretire plagis, retinacula deniq; cæcis
Indeprensa locis erranti opponere prædæ.

LARGICA] Long. 1. Tit. 6. L. 6. *coxa supra genuculum, hoc est largica.*

EX LATERE MISSVS] Form. 39. *Misso nostro, quem ex latere illuc direximus.* Gregor. Turon. Histor. lib. 5. cap. 28. *Rex dirigens de latere suo personas, immensis damnis populum adflixit.* Vita Ludowici Pij. *Per universas regni partes fideles ac creditarios à latere suo misit.* Inde *Legatus à latere PP.*

LATRO] Decret. Child. & Chlot. §. 2. &c. Cap. 4. Tit. 63. Cap. 5. Tit. 124. 126. 135. 139. Gall. *Larron.* LATRO FORBANNITVS. Cap. 3. Tit. 49. 50. Supr. *Forbannitus.*

LAVBACHI] Frison. Tit. 1. §. 2. Fluvii nomen.

LAVNEGILD] Long. 2. Tit. 1. l. 6. Tit. 15. Tit. 18. Long. 2. Tit. 35. L. 6. Tit. 36. L. 2. Gloss. *Launechild, sine sollemnitate testium.*

LECTIONARIVS] Cap. 1. Tit. 109. Sigebert. Gembl. Ann. DCCCVII. Amelarius 3. Officialis. Micrologus de Eccles. observ. cap. 25.

LECTOR] Boior. Tit. 1. cap. 8. Cap. 5. Tit. 184. Cap. 6. Tit. 126. Cap. 7. Tit. 27. Add. Lud. 1. Tit. 62. Isidorus Iunior. *Ad Lectorem pertinet lectiones pronuntiare, & ea quæ Prophetæ pronuntiaverunt, populis prædicare.* Vid. Hraban. Maur. de instit. cleric. Lib. 1. cap. 11. Lib. 2. cap. 52.

IN LECTVLO MORI] Long. 1. Tit. 9. L. 23.

LEGATARIVS REGIS] Rip. Tit. 65. §. 3. Form. 36. Privil. Eccl. Reichers. Ann. MCLIIII. *in manum legatarij Regingeri — nobilis viri.* &c. In Annalib. Caroli Mag. *Saxones Transalbiani occasionem nacti legatos Regis, qui ad eos ob iustitias faciendas missi erant, comprehensos interficiunt.*

LEITIHVND] *Canis ductor.* Boior. Tit. 19. c. 1. §. 1. Alm. Tit. 82. Sup. *Canis.*

LENTICVLARIA] Sal. Tit. 29. §. 13. Cellarium ubi lenticulæ recōduntur.

LEONINA CONSTITVTIO] Cap. 2. Tit. 29. Constitutionem intelligit, quæ in Cod. Iustinian. extat. L. 14. de SS. Eccl.

LEPORARIVS VELTRIS] Sal. Tit. 6 §. 2. *Leporalis.* Alm. Tit. 82. Guilelm. Neubrig. de reb. Anglic. lib. 1. cap. 28. *Ex canum genere, quos leporarios vocant.* Gall. *levriers.*

LEPOREM ALIVM CLAMARE] Sal. Tit. 32. §. 4. Sidon. Apoll. Lib. 7. Epist. 5. *Cum sint in prætorijs leones, in castris lepores.* Eusebius in Chonicis. *Conificius Poeta à militibus destitutus interijt, quos sæpe fugientes GALEATOS LEPORES appellarat.* Sic etiam *Ericus Kanuti Regis Danorum frater, propter fugam continuam* Hasen voeth, *id est pes leporis, fuit appellatus.* Helmold. lib. 2. cap. 52.

LEPROSVS] Long. 2. Tit. 18. l. 1. Tit. 55. L. 4. De coniugio leprosi vid. Collect. antiq. Decret. 1. lib. 4. Tit. 8.

LETANIA MAIOR DIEBVS TRIBVS] Cap. 5. Tit. 85. Can. 33. Syn. Mogunt. *Rogationes* Sidonio lib. 5. Epist. 4. & lib. 7. Epist. 1. *Sive tres dies Rogationum, qui celebrantur ante ascensionem Domini, iuxta morem Gallicanæ Ecclesiæ,* ut habetur in ordine Romano, in quo *minor Litania* dicitur, auctore Mamerco Viennensi Episc. de quibus extat Homilia Alcimi Ecdicij Aviti, &c. In vita B. Audemari. *Sub festum Dominicæ ascensionis, cum more recepto triduanæ fiunt Rogationes, & sacrosanctæ crucis vexilla, totius Ecclesiæ proles, devoto pectore sequitur.*

LETANIA MAIOR MORE ROMANO] Cap. 6. Tit. 74. Can. 10. Synod. Aquisgr. *De Litania quoque maiore, atq; de rogationibus ventilatum est: sed communi consensu ab omnibus electum atq; decretum, iuxta morem Romanum VII. Kal. Maij illam celebrationem secundum consuetudinem nostræ Ecclesiæ omittendam.* Ordo Roman. *Romana consuetudo unum diem, id est VII. Kal. Maij interponit, quem vocat Litaniam maiorem, non in ieiunio,* &c. *Hanc autem legimus statutam à S. Gregorio.* Iussit autem fieri in eodem die Litaniam septenam, *quæ septiformis* dicitur Paulo Diaco. Hist. Long. lib. 3. cap. 23. Eadem refert Amalarius lib. 4. Officialis cap. 24. 25. Walafr. Strabo de rebus Eccles. cap. 28. Alcuinus de divin. offic. cap. de Litania maiore.

LETA-

Letaniam Evertere] Cap.6. Tit.127. *Letanias Facere.* Cap.7. Titul. 103.

Levare] Id est, rapere. Wis.3. Tit.3. L.4. Wis.6. Tit.4. L.2. *unde cupli satisfactione quæ levavit, cogatur exolvere.* Greg. Turon. lib.6. cap.45. *Hospitiola pauperum spoliabant, vineas devastabant, ita ut incisis caudicibus cum uvis auferrent, levantes pecora, vel quidquid invenire potuissent.* Idem lib. 7. cap. 4. *missorium illud aureum, quod nuper fecerat, thesaurarij levaverunt.* Gall. *enlever.*

Levare Seditionem] Boior. Tit.2. cap.3. Long.1. Tit.18. §.1. Leo Marsicanus Episcop. Chronic. Casin. lib.2.cap.97 *Seditiones, quas dicunt Levas.* Gall. *Lever des soldats*, exercitum conscribere.

Levdes] Wis. 4. Tit. 5. L. 5. *inter leudes quicunq; nec regijs beneficijs aliquid fuerit consequutus.* Burg. Add. 1. Tit.14. §.2. *Leudis si hoc præsumserit facere.* Decret. Child. §. 2. *convenit una cum leudis nostis.* Gregor. Turon. Histor. Lib. 3. cap. 23. *à leodibus suis defensatus est, & in regno stabilitus.* Lib. 8. cap. 9. *alicuius ex leudibus nostris sit filius.* Lib. 9. cap. 20. *Convenit, ut secundum pactiones inter domnum Guntchramnum, & bonæ memoriæ domnum Sigibertum initas, leudes illi, qui domno Guntchramno post transitum domni Chlotarij sacramenta primitus præbuerunt: & si postea convincuntur se in parte alia tradidisse, de locis ubi commanere videntur, convenit ut debeant removeri.* Et paulo post. *Similiter convenit, ut nullus alterius leudes, nec sollicitet, nec venientes excipiat.* Aimoinus lib. 2. cap. 91. *Leudi Theodoricum hortari cæperunt.* Lib. 3. cap. 80. *Fuit autem Guntrannus in bonitate præcipuus - præbens leudis suis benevolum, gentibus externis pacatum.* Lib. 4. cap. 53. *Fines regni illius leudibus suis probatissimis viris & illustribus, ad resistendum contra gentes rebelles in fide disposuit. Leudes* dixerunt, quos alij *homines*, sive *servientes*: estq; vox pura puta Germanica; nam & hodie Leute *homines* significat.

Levdem Solvere] Sal. Tit. 37. §. 8. Long. 2. Tit. 22. L. 1. Form. 122. 123. 125. *Si qui præcipitatus est, mortuus fuerit, tota leude sua componatur.* Sal. Tit. 43. §. 11. *Medietate leudi comp.* Sal. Tit. 43. §. 12. *redemptio usq; ad leudem sic permaneat.* Sal. Tit.55. §.6. *Si leudem alter alteri imputaverit.* Ibid. §. 7. *Vltio proximi, id est solutio leudis.* Angl. Tit.6. §.5. *partem leudis comp.* Fris. Tit.2. §. 1. 2. &c. *Leudem suam Regi comp.* Fris. Tit.5. §.2. *Leudem occisi persolvere.* Fris. Tit. 14. §. 4. *Compositio fiat de ipso homicidio cui legibus leudum pertinuit.* Long.1. Tit.9. l.28. *Leudum interfecti & insuper bannum Regis solvere.* Ibid. L.35. *Leudem ponere.* Form.124. *Leodem contra legem burisset.* Form. 125. In Capitulis Caroli Mag. in Sylvatico editis. *Si latro ibi occisus fuerit, qui eum occiderit, leudem inde non solvit, et nullus illi inde faidam portare præsumat.* Glos. vet. *Leudum, compositio, sive widrigilt.*

Levdesamivm] Form.39. Arbitror munus aut servitium sic vocari, quod leudis Domino debet, *ut litimoniũ*, quod litus.

Levga] Boior. Tit. 1. cap.14. Ammian. Marcell. de Gallis lib 15. *Non millenis passibus, sed leugis itinera metiuntur.* Lib. 16. *Quarta leuga signabatur & decima*, ad quæ loca vide quæ a me notata. In donatione Ludov. Imp. Einhardo concessa. *Inter campum & sylvam leugæ duæ, id est rasta una. Leugam* in Itinerario Antonini reperimus, retinentq; nomen Galli & Hispani: *Rastæ* vox apud Hieronym. extat, Adamum Bremens. Histor. Eccles. lib. 1. & alios eius ævi scriptores. unde in Rithmis Theotiscis non semel legimus, wol einer raste breit.

Levita] Capit. 5. Tit. 34. Cap. 6. Tit. 41. 242. *Levitica dignitas.* Sidon. Apollin. lib. 5. Epistol. 1. Vid. Isidor. Origin. lib. 7. cap. 12. Concil. Tol. 2. cap. 1. Carthag. 3. cap. 4. Agathens. cap. 16. 17. Arelat. 3. cap. 1. Worm. c. 69. Maximus Episc. Taurin. Homil. 1 de S. Laurent. *cui castitas animi Leviticum ministerium dedit.* Idem Homil. 2. *cum sanctissimo Laurentij archidiaconij ministerio Romana floreret Ecclesia.* Prudent. de Laurent. Archilevita.

> *Hic primus e septem viris,*
> *Qui stant ad aram proximi,*
> *Levita sublimis gradu,*
> *Et ceteris præstantior.*

Lex Francorvm] Long. 1. T. 14. l. 13. 14.

Lex Gvndebada] Long. 2. Tit. 55. l. 22.

Lex Longobard. Impia] Lõg. 1. t. 9. l. 23

Leges Paribiles] Neap. 2. T. 31. Cuiac. Feudor. lib. 1. *leges paribiles* dici putat, quæ in Gall. Neust. consuet. *Loyx apparissantz.*

LEX RIPVARIA] Rip. Tit. 30. §. 1. Tit. 31. §. 4.

LEGE REGIA CONDENDÆ LEGIS ET IMPERIVM IN ROMANVM PRINCIPEM QVIRITES TRANSTVLERE] Neap. 1. Tit. 30. Ammian. Marcell. lib. 14. p. 12. *Vrbs venerabilis post superbos efferatarum gentium cervices oppressas, latasq; leges, fundamenta libertatis & retinacula sempiterna, velut frugi parens, & prudens, & dives, Cæsaribus tanquam liberis suis regenda patrimonij iura permisit.* Ad quem locum quæ notavimus vid.

LEX THEODOSII] Burg. Add. 1. Vid. Respon. Papiani.

LEGE BARBARA VEL ROMANA VIVERE] Burg. Tit. 60. §. 1. *Barbarus qui lege Salica vivit.* Sal. Tit. 43. §. 1. Tit. 49. *Lege Longobardorum vivere.* Long. 2. Tit. 9. L. 1. *Lege quali populus vivere velit, interrogetur.* Long. 2. Tit. 57. *Lege eadem vivere.* Cap. 4. Tit. 19. *Secundum legem propriam condemnari.* Rip. Tit. 31. *per legem se educrre.* Sal. Tit. 59. *Cum legis beneficio restituere.* Rip. Tit. 67. §. 4. 5. De hac electione vivendi vid. quæ in Prolegomenis notata.

LIBELLVS] *Libellus de re præstita.* Long. 2. Tit. 35. l. 1. *Libellum facere.* Long. 3. Tit. 8. l. 4. *Libellus rectus.* Long. 3. Tit. 8. l. 4. Gloss. Nom. λίβελλος, ἔκδοσις. Aliæ Glossæ: ἔκδοσις *locatio*, ἐκδόσιμον *locatitium.*

LIBELLARII ANTIQVI VEL ALII NOVITER FACTI] Long. 2. Tit. 44. l. 2. Glossæ vet. *Libellarij, glebæ adscripti.* LIBELLARIO NOMINE IN TERRA ALIENA RESIDERE. Long. 1. Tit. 9. L. 21. *Libellario titulo* Cassiod. lib. 5. Var. 7. *Iure colonario,* γεωργικῷ δικαίῳ. L. 24. Cod. de Sacros. Eccles. *Libellarium* dicitur, quod libello, id est, scriptura interveniente contractus certo pretio, sub certa illatione annua, certaque lege perabatur. Explicite hæc Iustin. Novell. VII. in Præfat. cap. 1. & in sententia Cosmæ magistri ad Novell. Romani Senioris: in Basilicis lib. 3. Tit. 1. Harmenop. lib. 1. Tit. 16. Greg. Mag. PP. Lib. 9. Epist. 14. *Præcipimus, ut ad tres siliquas aureas factis libellis ei vineolam ipsam locare debeas.* Leo Marsican. Histor. Cassin. lib. 1. cap. 50. *Abbas concessit Ageltrudæ Augustæ Lamberti Regis matri libellario iure, diebus tantum vitæ suæ, cellas duas huius monasterij cum omnibus rebus suis: unam in loco qui dicitur Laude, alteram in Persiceta. Quarum gratia singulis annis mittebat illi eadem Augusta census nomine argenti lib. III. Libellum etiam fecit Gotfrido Marsicano de S. Gregorio in Serviliano, cum servis & ancillis, & omnibus omnino rebus ac pertinentijs eius in eodem comitatu Marsorum, pro quo suscipiebat annuum censum, tritici modios XV. & vini totidem mensuras, & pisces centum in mense Octobr.* Idem lib. eod. cap. 36. Lib. 2. cap. 20. Feud. lib. 1. Tit. 5. §. 1. *Si libellario nomine amplius medietate in feudum dederit.* Ibidem lib. 2. Tit. Tit. 9. §. 1.

LIBELLARII] Long. 3. Tit. 5. *Libellenses.* Neap. 1. Tit. 38. L. 2. qui libellos conscribunt.

LIBERI HOMINES QVI IVSTIS LEGIBVS DESERVIVNT] Boior. Tit. 6. cap. 3. §. 1. *Homo ingenuus in obsequio alterius.* Rip. Tit. 31. §. 1. Etiam Lege Attica & Rom. addictus fœneratori serviebat. Dionys. Halicarn. lib. 6. p. 361. 402. Calpur. declam. 24. Tertull. de patient. c. 4. *Nos non de hominibus modo servituti subnixis, vel quolibet alio iure debitoribus obsequij, verum etiam de pecudibus, etiam de bestijs obedientiam exprimimus.* Qui tamen locus emendandus videtur hoc modo, *non servitutis sub nexu.* Sic Impp. Honor. & Theod. L. 4. C. de libert. & eor. lib. *ad servitutis nexum reducentur.*

LIBER AD ECCLESIAM DIMISSVS] Alm. Tit. 17. *Libertatem per thinx aut circa altare nancisci.* Long. 1. Tit. 32. L. 5. *Libertatem per chartam accipiens.* Alman. Tit. 17. Cap. 3. Tit. 28. Inf. *manumissus.*

LIBERTATIS PRÆCEPTVM] Long. 1. Tit. 32. L. 2. *Instrumentum libertatis.*

LIBERTARE] Wis. 12. Tit. 2. l. 14. Burg. Tit. 87. *Libertate donare.*

LIBERTATICVM] Form. 99. *Libertinitatis obsequium.* Form. 88. *Libertinium* Calpur. Declam. 14. *Ego postulo tenue libertinium, quod vix sufficit istius funeri.* Apud Romanos libertus patrono donum, munus, operas debebat. L. 20. §. 2. ff. de acquirend. vel omit. hered. & toto Tit. ff. de Operis libertor. Infr. *Patronatus.*

LIBRA AVRI] Wis. 2. Tit. 1. L. 25. 33. Long. 1. Tit. 5. L. 2.

LIBRI CIVITATVM] Long. 3. Tit. 1. L. 48.

LIDA] Sal. Tit. 14. §. 15. Alman. Tit. 95. *Lidemonium*. Form. 72. Infr. *Litus & Litimonium*.

LIDERE] Boior. Tit. 21. §. 9. id est allidere, & humo infligere: ut Val. Max. loquitur lib. 9.

LIDISCARTI] Boior. Tit. 3. cap. 1. §. 21. *Aurem maculaverit, ut inde turpis appareat, quod Lidiscarti vocant.* Germ. Lid *membrum*, Schart *fissura*, unde & Or scardi, *auris abscissio*. Alman. Tit. 60. & *Aranscart, Spicarum abscissio*. Boior. Tit. 12. cap. 8.

LIDOLAIP] Long. 2. Tit. 15. l. 2. id est, *in die obitus*. Germ. Laib *corpus*, Lido quid sit, non liquet.

LIDUWAGI] Fris. Tit. 22. §. 35. Add. Fris. Tit. 3. §. 32. *In superioris articuli iunctura ita percussus fuerit, ut humor ex vulnere decurrat, quod liduwagi dicunt.* Germ. Lidt membrum vel articulus: humor autem de quo hic agitur Ledewater vocatur. Anglo-Saxonice Lithseawe. Sic enim verba LL. Alfredi Regis intelligenda arbitror, cap. 40. Gif mon eaxle bith gewundod that that lithseawe utflote. *Si quis in humero vulneratus fuerit, ut humor inde decurrat*, &c.

LIGAMINA ANIMALIUM VEL CABALLORUM] Wis. 8. Tit. 4. L. 1.

LIGATURÆ] Sal. Tit. 21. §. 3. *Si quis alteri aliquod maleficium superiactatus fuerit, sive cum ligaturis in quolibet loco miserit.* Ligaturæ inter artes vetitas; puta ne quis Venereo in actu bona sua vendere possit. Galli dicunt: *Nouer les esguillettes.* Clemens III. Verulano Episcopo in collect. antiq. decret. Lib. 4. Tit. 16. cap. 4. *Cum lator præsentium quandam fæminam iam elapso quinquennio sibi matrimonio copulasset, & secum per tres menses in eodem lecto dormisset, maleficio suo creditur impeditus, quod cognoscere illam nequivit.* Et passim in iuris Canon. libris, de frigidis & maleficiatis habetur. Sic apud Zos. lib. 5. legimus, Serenam matrem per veneficam effecisse, ne filius eius Honorius Aug. cum Maria coniuge τὰ τοῦ γάμου προσήκοντα facere potuerit. Polyæni illud apud Petroninm huc pertinet: *Regina noli sugillare miserias, veneficio contactus sum.* Et Ovidij versus Amor. lib. 3. Eleg. 6.

Num mea Thessalico languent devota veneno
Corpora? num misero carmen & herba nocet?
Sagaq. Phœnicea defixit nomina cera?
Et medium tenues in iecur urget acus?

LIGATURÆ] Cap. 6. Tit. 72. *Ligaturæ quas imprudentes pro febribus aut alijs pestibus adiuvare putant.* Add. Lud. 3. Tit. 60. *Ligaturæ ossium aut herbarum.* Marcell. Empir. cap. 32. *Surculum in fascia habeto ligatum in spartho.* Tertullian. advers. Gnostic. de Scorpij veneno, cap. 1. *In remedijs naturalia plurimum, aliquid & magia circumligat, medicina cum ferro & poculo occurrit.* Gregor. Turon. de mirac. lib. 2. cap. 45. *Incantationes immurmurat, sortes iactat, ligaturas collo suspendit.* Et de miraculis S. Martini cap. 26. Augustin. lib. 2. de doctrina Christ. cap. 20. 29. apud Burchard. Decret. lib. 10. cap. 44. *Ad hæc omnia supradicta pertinent & ligaturæ execrabilium remediorum, quæ ars medicorum commendat, seu in præcantationibus, seu in characteribus, vel in quibuscunq. rebus suspendendis atq. ligandis: in quibus omnibus ars dæmonum est*, &c. Quæ verba etiam extant apud Hhraban. Epist. ad Bonosum. Nec saltim herbas, aut ossa cariosa, verum etiam ex ramentis cathenarum D. Petri, aurea clavi inclusis, phylacteria conficiebantur, quibus collo suspensis, amuleti loco utebantur. Gregor. Mag. lib. 5. Epist. 6. ad Childeb. Reg. Francor. *Claves præterea S. Petri, in quibus de vinculis cathenarum eius inclusum est, excellentiæ vestræ direximus, quæ collo vestro suspensæ, à malis vos omnibus tueantur.* Quem locum etiam Garf. Loaisa notavit, ad Concil. Tolet. 14. pag. 653. Sic etiam numismata antiqua morbis curandis collo vel alij corporis parti appendebant. Iohan. Chrysost. ad Antiochenos Orat. 2. τί ἂν τις εἴποι περὶ τῶν ἐπῳδαῖς καὶ περιάπτοις κεχρημένων, καὶ νομίσματα χαλκᾶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος ταῖς κεφαλαῖς καὶ τοῖς ποσὶ περιδεσμούντων. αὗται αἱ ἐλπίδες ἡμῶν, εἰπέ μοι, ἵνα μετὰ σταυρὸν καὶ θάνατον δεσποτικὸν εἰς Ἕλληνος βασιλέως εἰκόνα τὰς ἐλπίδας τῆς σωτηρίας ἔχωμεν. *Quid vero, diceret aliquis de his, qui carminibus & ligaturis utuntur, & de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numismata capiti vel pedibus! Dic mihi hæ ne sunt expectationes nostræ? ut post crucem & mortem Dominicam, in gentilis*

Regis imagine spem salutis habeamus? Sed vere Tatianus adversus Græcos, p. 203. Τῶν ῥιζῶν αἱ ποικιλίαι, νεύρων τε καὶ ὀστέων παράληψις, οὐκ αὐταὶ καθ' ἑαυτὰς δραστικαί τινες εἰσὶ, στοιχείωσις δ' ἐστὶ τῆς τῶν δαιμόνων μοχθηρίας, οἱ πρὸς ἕκαστον αὐτῶν ἃς ἰσχύει ὡρίκασιν. *Varia radices, & nervorum & ossium adhibitio, non sua natura aliquid efficiunt, sed tanquam elementaris institutio sunt improbitatis dæmonum, qui ad quid singula valere debeant, præscripserunt.* Vid. quæ notata sunt ad Amm. Marcell. lib. 19.

LIGNA IACENTIVA] Burg. Tit. 28. §. 1. 3.

LIGNAMEN] Long. 1. Tit. 25. l. 28. Infr. *Materiamen.*

LIGNARIVM] Long. 1. Tit. 25. L. 26. Glossar. *Lignarium* ξυλοθήκη. *Cella lignaria, lignarium,* ξυλόβολον, ἤγουν ξυλοθήκη.

CVM CADAVER HVMO IMMISSVM FVERIT ET LIGNVM INSVPER POSITVM] Boior. Tit. 18. Ritus sepulturæ quem alibi vix inveneris, ut nec illum de quo Paul. Warnefr. Histor. Long. lib. 5. cap. 34. *Si quis in aliquam partem, aut in bello, aut quomodocunq; extinctus fuisset, consanguinei eius intra sepulchra sua perticam figebant, in cuius summitate columbam ex ligno factam ponebant, quæ illuc versa esset, ubi illorum dilectus obisset,* &c.

CAPITVLA QVÆ DOMINVS HLOTARIVS ADDIDIT AD LIMINA B. PETRI] Long. 3. Tit. 11. Moris antiquitus fuit, leges tabulis vel lapidibus insculptas in porticibus Ecclesiarum proponere. Iustinian. Imp. Novell. 8 & 82. in Edicto ad Episcopos & Patriarchas scripto. Cassiodor. Var. lib. 9. Epist. 16. Feudor. lib. 1. Tit. 19. Proponi vero non tantum ibi solebant, sed & populo præsente publice in Ecclesia prælegi (ut videmus in LL. Wisig. lib. 12. lege ultima) atq; ita mox post descriptæ in æde sacra cum reliquis vasis sacris recondi. ut Iustinian. loco superiori ostendit, & in Epilogo Novellæ 9. Quemadmodum & alia acta in archiis templorum deponebantur. L. 30. C. de Episcop. audient. Scribebantur vero in codicibus chartophylacij, ut in constitutione Alexij Comnenij Imp. & Balsamonis commentarijs ad Synod. VI. in Trullo, can. 37. habetur.

LIMINA B. PETRI] Longob. 3. Tit. 11. In quibusdam exemplaribus subiungitur, *Limina B. Petri Apostoli, iuxta civitatem Romanam, tempore B. Eugenij PP.* Vnde conijcere possumus, D. Petri Ecclesiam tunc temporis extra muros Vrbis fuisse: id quod etiam in veteri Tab. geographica apparet.

LIMITARE] Sal. Tit. 60. *Liminare.* Boior. Tit. 10. cap. 2. §. 3. Form.

LINGVAM CAPVLARE] Cap. 7. Tit. 277. LL. Canuti Regis Anglo-Sax. capp. 15. 19. lingua abscinditur, qui crimen alteri falso imputavit. Hincmarus Remens. contra Hincmar. Laudunens. *Delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur.*

LINO INCISO, RECOGNITIS SIGILLIS, VT ROMANÆ LEGIS DECREVIT AVTORITAS] Form. 71. 72. Paulus Sentent. lib. 4. Tit. 6. *Tabulæ testamenti aperiuntur hoc modo, ut testes, vel maxima pars eorum adhibeantur, qui signaverint testamentum: ita ut agnitis signis rupto lino aperiatur & recitetur: atque ita describendi exempli fiat potestas.* L. 4. & seq. ff. Testam. quemad. aper. Mos autem Romanus lino tabulas obsignandi, antiquus admodum fuit: nam & Plautus eius meminit in Bachidib. Act. 4. Scen. 4. Pseud. Act. 1. Scen. 1. & ex eo Ausonius Ep. 23. *Signavi autem, non ut Plautus ait, per ceram & linum litterasq; interpretes,* &c. In litteris familiaribus uniuscuiusque arbitrio concessum erat, quo modo obsigillare illas vellet: In contractibus autem publicis sive privatis, linum & cera omnino requirebantur. Paulus Sentent. lib. 5. Tit. 25. *Amplissimus ordo decrevit, eas Tabulas, quæ publici vel privati contractus scripturam continent, adhibitis testibus ita signari, ut in summa marginis ad mediam partem perforatæ, triplici lino constringantur, atq; impositum supra linum ceræ signa imprimantur, ut exteriores scripturæ fidem interiori servent: aliter tabulæ prolatæ nihil momenti habent.* Id vero Senatus decreto temporibus Neronianis statutum fuisse, Suetonius refert in Nerone, cap. 17. *Adversus falsarios tunc primum repertum, ne tabulæ nisi pertusæ, ac ter lino per foramina traiecto obsignarentur.* Quamvis & loco lini, linteo quo testamenti tabulæ involveren-

volvebantur, signa quoque recte imprimerentur. L. 22. §. 7. ff. Qui testam. fac. Quod etiam ex Collatione Karthag. secunda constat cap. 53. ubi hæc leguntur. *MARCELLINVS VIR CLARISSIMVS TRIBVNVS ET NOTARIVS dixit. Susceptæ tabulæ ab Ecclesiasticis Notariis recitentur. Cumq; intra sabanum volumen schedæ membranarum pro parte descriptum, & codices tabularum pariter obsignati, iudiciarijs offerrentur aspectibus, Marcellinus vir clarissimus Tribunus & Notarius dixit. Custodes edicant, utrum signa cognoverint. Leo Episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit. Agnosco sigillum meum. MARCELLINVS vir Clariss. Tribunus & Notarius dixit. Quoniam ab utraq; parte impressionem signorum agnitam constat, ea quæ præcepi à Notarijs relegantur. PETILIANVS Episcopus dixit. Sic solent testamenta, non gesta reserari.* Quod enim Vlpianus *linteum*, id autor Collationis *sabanum* vocat, neq; aliter in Gloss. interpretatur. Σάβανον, *sabanum, lentium.* Marcellin. Emp. cap. 5. *crasso sabano diligenter siccabis.* Vegetius Mulomed. lib. 3. cap. 47. Apicius de re culin. lib. 6. cap. 2. 8. Qua voce etiam Germani usi. Gloss. Latino-Theotisc. Saban *linteum.* Otfrid. Euangel. lib. 4. cap. 11.

Nam er einan saban thar,
Vmbigurta sich in war.

Et mox post.

Druthin selbo thaz biwarb,
Mit themo sabane ouh gisuarb.

LITERÆ CITATORIÆ] Neap. 1. Titul. 95.

LITERÆ COMMENDATITIÆ] Long. 3. Tit. 2. L. 2. Cap. 1. Tit. 1. L. 3. Cap. 6. Tit. 130. 142. Add. Lud. 3. Tit. 49. Concil. Antioch. cap. 7. *sine pacificis, id est, commendatitijs:* Græcè ἄνευ εἰρηνικῶν. Supr. *Epistola.*

LITERÆ ECCLESIASTICÆ, ID EST COMMVNICATORIÆ] Add. Lud 4. Tit. 20. Concil. Eliberit. cap. 25. Concil. Arelat. 1. cap. 9. B. Hilarius in fragmentis Synod. p. 36. *Alienum esse à consortio literarum Ecclesiasticarum.* Apud eundem pag. 77. *Literæ Dominicæ* videtur appellari. *Communicatoriæ litteræ* ideo dabantur, ut fidelis qui eas habebat, cum plebe aliena communicare posset.

LITERÆ SECVRITATIS] Form. 122. 123. &c. Neap. 2. Tit. 4.

LITERÆ TESTIMONIALES] Neap. 1. Tit. 77. Neap. 3. Tit. 34. L. 3.

LITHOSTROTVM] Cap. 5. Tit. 201. Isidor. *Strata, ipsa est & delapidata. id est, lapidibus strata.* Non autem, ut apud Plinium, elaborata arte picturæ aut emblemate vermiculata, id est, parvulis crustis ac tessellulis musivario opere tinctis

LITVS] Sal. Tit. 14. §. 6. *Lidus.* Sal. Tit. 28. Tit. 37. §. 5. Tit. 44. §. 4. Tit. 52. §. 1. Recap. L. Sal. §. 27. 30. Pactum Child. § 8. Rip. Tit. 36. §. 5. Tit. 62. Sax. Tit. 1. §. 8. Tit. 2. §. 3. 4. 5. Tit. 19. Tit. 11. §. 1. Frison. Tit. 1. 2. &c. Tit. 9. 11. &c. Form. 62. *Litus Regius.* Sax. Tit. 18. Longob. lib. 3. Titul. 20. *Aldiones vel Aldiæ ea lege vivunt in Italia in servitute dominorum, qua fiscalini vel liti vivunt in Francia.* Synod. Bavar. *Homo Regis, id est fiscalinus, vel Ecclesiasticus, vel lidus interfectus.* Albertus Stadens. *Plures autem se eis dediderunt proprios, & qui ab eis vivere sunt permissi, litones sunt ab eodem vocabulo nuncupati. Inde Litones in provincia Saxonum sunt exorti.* Privileg. Eccles. Mindens. *Homines ipsius Ecclesiæ Francos, liberos & Ecclesiasticos, litones, malman, vel servos cuiuslibet conditionis.* Otto Rex in Charta libertatis Ripersholt. *Quædam nostri iuris mancipia, litam videlicet Thietsaiden dictam, cum filijs eius & filiabus tradidimus.* Tradition. Fuldens. lib. 2. num 255. *Liten unam, servos duos.* Lib. 1. num. 103. *Lidum quendam in villicationem pertinentem.* Privileg. libertatis ab Ottone Imp. Adaldagi Episcopi supplicatione, monasteriis concessæ. *Si vero aliquis ex libertate voluerit iamundling vel litus fieri, aut etiam colonus ad monasteria supradicta, cum consensu coheredum suorum non prohibeatur,* &c. Et alibi aliquotiens in privilegijs Bremensib. p. 149. 151. 153. 155. Ex quib. locis apparet genus hominum deditìtium fuisse, sive quod ingenuitatem suam pretio mancipatat, velut etiam ex aliis veteribus chartis constat.

LITVS SI PROPRIA PECVNIA SE A DOMINO REDEMERIT] Fris. Tit. 11. Insr. *Redemptionale.*

LITIMONIVM] Form. 88. *Servitium, vel litimonium, vel patronatus obsequium.* Form. 95. 99.

LIVORARE] Formul. III. 158. Id est, ita percutere ut caro livida reddatur.

LOCA MARIS] Longob. I. Tit. 25. L. 73.

LOCA VENERABILIA, QVÆ AD DEFENSIONEM PALATII ESSE NOSCVNTVR] Long. 2. Tit. 55. L. 18.

LOCO POSITVS] Long. 1. Tit. 25. L. 73. *Loci servator, qui missus est Comitis.* Ibidem. Græcis τοποτηρητής. Iulian. Novell. 124. 125. Vid. quæ ad Paul. Warnefrid. notata. Hist. Long. lib. 6. cap. 3.

LOCARIVM] Form. 143. Aimoin. lib. 5. cap. 41. *Hugo Abbas quibusdam socijs secum assumptis profectus Carolum adijt, pro petitione partis regni, quam frater suus Ludovicus in locarium acceperat, ut sicut ipse Carolus olim promiserat, Carlomanno restitueret.*

LOCATA] Rip. Tit. 76.

LOCVSTARVM VASTATIO ASSIDVA] Wis. 2. Tit. 2. L. 11. In Africa vastationem hanc locustarum frequentem esse, indicio est. Plin. lib. 11. cap. 29. qui eas Italiam quoq; ex Africa coortas infestare ait. Neronis temporibus in Syria *exorta vis locustarum ambederat quidquid herbidum aut frondosum.* Tacit. Annal. 15. Et Chlotario in Gallia regnante *duæ acies locustarum apparuerunt, quæ per Arvernum atq; Lemovicinum transeuntes, ut ferunt, Romaniacum campum venerunt, in quo prælio magno inter se acto maximè sunt conlisæ.* Gregor. Turon. Histor. lib. 4. cap. 20. Vnde merito inter calamitates segetum cum bruchis, sturnis, & graculis, etiam locustarũ edax pernicies numeratur. L. 18. C. de locat. & cond. Ad hanc locustarum vastationem (ut hoc obiter dicam) respexit sapiens ille apud Plutarch. in Convivio, cum ait, *Nihil discriminis esse inter colonum, qui loco tritici locustas comportare velit & aves, atq; tyrannum qui mancipiis quam ingenuis viris præesse malit:* γεωργοῦ γὰρ ἀκρίδας καὶ ὄρνιθας, ἀντὶ πυρῶν καὶ κριθῶν συγκομίζειν ἐθέλοντος, οὐδὲν διαφέρει τύραννος, ἀνδραπόδων μᾶλλον ἄρχειν ἢ ἀνδρῶν βουλόμενος. Memini enim a viro quodam clarissimo male hunc Plutarchi locum intellectum.

LVMINARIA ECCLESIÆ] Wis. 12. Tit. 1. L. 3. Long. 3. Tit. 3. L. 3. Cap. 5. Tit. 71. 229. Cap. 6. Tit. 191. *Luminaria oratorij.* Form. 5. 12. 94.

LVMINARIA ARBORIBVS FACERE] Cap. 1. Tit. 64. Can. 8. Synod. Nannet. Canon. 23. Synod. Arelat. 2. Can. 5. Syn. Agathens. apud Burchard. Episcop. Decretor. lib. 10. cap. 32.

LVSA DIABOLI] Capitul. 6. Titul. 193.

IN LVTO NECETVR] Burg. Tit. 34. §. 1. Supplicium populis Germaniæ iam ab antiquo usitatum. Tacitus de moribus German. *Distinctio pœnarum ex delicto. Proditores & transfugas arboribus suspendunt: ignavos, & imbelles, & corpore infames, cœno & palude, iniecta insuper crate, mergunt.* Itaque nunc quoq; corpore infames hac pœna interdum puniuntur, præsertim si in propria pignora sævierunt. Leg. Capitalium Imp. Caroli V. Titul. 131.

M.

MACHOLVS] Sal. Tit. 18. §. 2. Gloss. *Maholum, horreum sine tecto.* Gall. *Machau.*

MACVLARE] *Maculare palpebras,* Alm. Tit. 61. *Maculare labia.* Alm. Tit. 63. Boior. Titul. 3. cap. 1. §. 23. *Maculare aurem.* Boior. Tit. 3. cap. 1. §. 21. *vulnerare.*

MAGISTER] Long. 3. Tit. 28. *Id est, dominus.*

MAGISTER COMACINVS] Long. 1. Tit. 9. L. 9. 10. Gloss. *Commacinus, à loco sic dictus.* Is esse videtur, qui Græcis ἐργολάβος. L. unic. C. de monop. L. 12. C. de ædif. privat.

MAGISTER FVNDICARIVS] Neap. 1. Tit. 84. 87.

MAGISTRI IVSTITIARII] Neap. 1. Tit. 9. 14. 16. 36. 94.

MAGISTRI MECHANICARVM ARTIVM] Neap. 3. Tit. 36.

MAGISTER PORCARIVS, ARMENTARIVS] Long. 1. Tit. 11. L. 7.

MAGISTER QVÆSTORVM] Neap 1. Titul. 36. 58.

MAGISTER SERVORVM] Cap 4. Titul. 32.

MAIALIS SACRIFVS] Sal. Tit. 2. §. 14. Glossar. *Sacrisus, qui est defensor aliorum porcorum.* *Porci sacres* Varroni & Festo dicuntur, qui sunt ad sacrificium idonei.

MAIALIS VOTIVVS] Sal. Tit. 2. §. 14. Gregor. Turon. de mirac. lib. 2. cap. 3. *Quæ sit mansuetudo pecorum in hac basilica votivorum, qualiter vituli petulantes, calcitrantes equi, grunnientes sues, ut limen sanctum ingressi sunt, conquiescunt.* Idem. *De his vero quæ votiva sunt, nulli penitus quippiam subtrahere licet.*

MAIORES PERSONÆ] Burg. Tit. 38. §. 4. Long. 1. Tit. 9. L. 21. Sic etiam *mediocrium personarum* mentio fit in hisce legibus. Infr. *Mediocris.*

MAIOR DOMVS] Burg. Prol. & Add. 1. §. 13. Rip. Tit. 88. Inde Ital. *Maiordomo.* Vid. quæ ad Paul. Warnefr. Histor. Long. notata.

MAIOR IN LOCO] Wis. 9. Tit. 1. L. 6. *MAIORES VILLARVM.* Cap. 5. Tit. 107. Μείζονες Balsam. Can. 10. Syn. 7. In quem sic Zonar. ἡ τῶν λεγομένων δὲ μειζοτέρων φροντὶς ἣν ὁ κανὼν οὗτος λέγει ἐστὶν, ἡ ἐν τοῖς ἀρχοντικοῖς λεγομένη κουρατωρεία. *Maior regiæ villæ.* In vita B. Goaris. Hincmarus. *Villarum regiarum maiores.* Gall. *Maires.*

MALA HEREDA] Burg. Tit. 86.

MALA SORTE PRISERE] Decret. Chlot. §. 7.

MALA TRACTATIO] Long. 2. Tit. 11. L. 4. Quinctilianus declamatione 383. *Quæ virum malæ tractationis damnaverit, duplam dotem recipiat.* Seneca Controvers. lib. 3. *Accusatur ab uxore malæ tractationis.* Chirius Fortunat. Rhetor. lib. 1. *Vult filius accusare patrem dementiæ, uxor malæ tractationis.* Quibus in locis quid sit *mala tractatio*, ex hac Longobardorum lege iam scimus; atq; apposite ad rem Tertullian. de pudicit. cap. 13. *Carnis interitum in officium pœnitentiæ interpretantur, quod videatur ieiuniis & sordibus, & incuria omni, & dedita opera malæ tractationis, carnem exterminando satis Deo facere.* Idem de pœnit. cap. 12. Arnob. advers. gentes lib. 4.

MALE ALIQVEM TRACTARE] Long. 1. Tit. 6. L. 1. 2.

MALLVS] Tract. L. Sal. & in Prol. Sal. Tit. 1. 41. §. 2. Tit. 46. §. 1. Tit. 48. Tit. 59. Tit. 60. Decret. Child. §. 6. Pact. Child. §. 2. 5. Cap. L. Sal. cap. 1. §. 8. 15. Cap. Lud. §. 4. Alm. Tit. 36. Cap. Kar. L. Boior. cap. 1. Rip. Tit. 32. &c. Rip. Tit. 58. Long. 2. Tit. 33. Tit. 42. L. 1. Tit. 43. L. 1. Tit. 46. 48. 55. L. 26. Cap. 3. Tit. 22. 45. 57. Capit. 4. Tit. 28. 29. Cap. 5. Tit. 14. Cap. 7. Tit. 96. Capit. Pipini Tit. 6. Form. 125. 173. 174. 182. Glossæ vett. *Mallum, generale maius iudicium.* Capit. 6. Tit. 23. 29. *Maius placitum sive de maioribus causis ubi quem præsentem adesse oportuit.* In Capit. quæ facta sunt Suession. Anno 853. *Comes convenientem locum consideret, & inveniat, ubi stationem ad mallum tenendum constituat. Quia nefas est ibi reos puniri, ubi respectu divinæ reverentiæ misericordiam consequuntur.* In præcepto remissionis sive concessionis, quod fecit Ludovicus Imp. Hispanis. *Ipsi pro maioribus causis, sicut sunt homicidia, raptus, incendia, deprædationes, membrorum amputationes, furta, latrocinia, alienarum rerum invasiones, & undecunq; à vicino suo aut criminaliter fuerint accusati, & ad placitum venire iussi, ad Comitis sui mallum omnimodis venire non recusent. Ceteras vero minores causas,* &c. In donatione Vdalrici Laureshamens. Abb. *à tribus principalibus mallis, qui vulgo Vngebodending vocantur, quibus ad curtim Luitershusem annuatim manniebantur.* In admonitione Karoli Pistis. *Vt conlimitanei & vicini Comites in una die mallum non teneant, maxime propter Francos homines & advocatos, qui ad utrumq; mallum non possunt occurrere.* Vet. Chronic. *Accusatus est ibi coram Imperatore Ceadragus dux Abodritorum, qui infidelis erat Francis, & quia vocatus ad mallum Imperatoris, contempsit venire per semetipsum, sed legatos ei miserat.* &c. Quod ita refert Aimoin. lib. 4. cap. 3 *Accusatus est in eodem placito Ceadragus, quod se erga partem Francorum parum fideliter ageret, & ad Imperatoris præsentiam iamdiu venire dissimulasset.* Flodoard. ex Epist. Hincmari. *Quia de presbytero & Ecclesia ad Episcopum & Synodum definitio pertineat, non ad mallum vel civilium iudicum dispositionem.* Charta vet. in Alm. Gold. n. 8. & 11. *In mallo publico coram Comite.* Germ. Mallstat, locus malli sive iudicij.

Mallare] Sal. Tit. 18. Tit. 52. Tit. 54 §. 1. Alm. Tit. 36. Tit. 94 Boior. Tit. 1. cap. 11. §. 2. Tit. 12. cap. 2. §. 1. Rip. Tit. 58. §. 19. Long. 2. Tit. 50. Form. 173. 178. 181. *Mallari*. Alm. Tit. 42. Gloss. vett. *Mallare, in iudicium vocare. Mallatio publica.* Charta vet. n. 27. in Alm. Gold.

Mallobergium] Sal. Tit. 56. § 4. Id est, plebs quæ ad unum mallum cõvenire solet. Tacitus de morib. Germ. *Eliguntur in iisdem conciliis & principes, qui iura per pagos vicosq; reddunt. Centeni singulis ex plebe Comites, consilium simul & auctoritas, adsunt.*

Malo Ordine] Long. 1. Tit. 23. L. 7. Form. 81. *in malo res habere*. Long. 1. Tit. 25. L. 76. Vt apud Plautum .... *Argentum de malo habere.*

Mamillam Strinxerit] Sal. Tit. 22. § 4. LL. Alfredi Reg. c. 11. & 18. Pœnitent. Rom. lib. 3. cap. 20. *Mamillas obtrectare.* cap. 27. *Obtrectare puellæ aut mulieris pectus.* Burchard. Decret. lib. 19. pag. 275. 302. *Mammas stringere.* Saxo Gram. lib. 2. p. 17. Plautus Bacchid. *Manus ferat ad papillas, labra à labris nusquam auferat, &c.* Plautus Asinar. *Si papillam pertactavit - suavium si sumpsit.*

Mancus] Alman. Tit. 65. Lupus Servatus in vita Wigberti cap. 23. *Manci exoptabilem manuum nacti sunt usum.* Aimoin. lib. 5. cap. 50. *mancos & pugnos in pugnis referentes.* Gloss. *Mancus κυλλός.* Gloss. Latin-Theotis. *Mancus* Einhender.

Mancare Aliquem] Alman. Tit. 12. 13. 14. Rip. Tit. 68. §. 6. *κυλλοποιῶν.* Testamentum Karol. Mag. p. 287. *occidere aut membris mancare aut excæcare.* Greg. Turon. Hist. lib. 7. c. 15. *spoliatosq; ac demancatos reliquit.*

Mancipia Ecclesiarum] Long. 2. Tit. 12. L. 11.

Mancipia Palatii] Long. 2. Tit. 12. L. 11.

Mancipium Tertium] Burg. Tit. 39. § 4. *Mancipiorum tertia.* Burg. Tit. 54. §. 1. Vid. Burg. Tit. 57.

Mandatarius] Wis. 2. Tit. 2. l. 4. 9.

Mandatum] Add. 1. Tit. 24. Ordo Rom. Can. 20. Synod. Aquisg. *In cœna Domini pedes fratrum post Mandatum abbas lavet & osculetur.* Canon. 22. *Vt Mandatum, si tempus cœnæ est, tam fratrum quam etiam peregrinorum, post cœnam fiat.* In statutis congregationis Casalis Benedicti non editis Titulus est, *De Mandato sive Ablutione Pedum, quæ fiebat cantante choro, Mandatum novum do vobis.*

Mandualis] Sal. Tit. 54. §. 3. Long. 1. Tit. 16. L. 5. 7. 8. Tit. 17. L. 4. Gloss. vet. *Cancellum, qui desuper tumulum stat.* Gregor. Turon. de gloria confess. *Iussit tumulum cancello vallari, ac palliolis nitentibus obvelari.* Lib. 4. de mirac. S. Martini. *Accessi ad tumulum sancti, ac per lignum cancelli linguam expeditus erexi.* Fortunat. in vita B. Hilarij. *Ceram illam exculte ante tremendi sepulchri cancellos exponit.*

Manducare Et Bibere Super Mortuorum Tumulos] Capit. 6. Tit. 194. Burchard. Decret. lib. 10. c. 39. ex Concil. Bracar. 2. cap. 69. *Non liceat Christianis prandia ad defunctorum sepulchra deferre, & sacrificare mortuis.* Ivo Decret. part. 11. cap. 63.

Mangones] Capit. 1. Tit. 79. Gall. *Gueux.*

Mannire] Sal. Tit. 1. Tit. 47. §. 2. Tit. 51. §. 1. Tit. 59. Cap. L. Sal. cap. 3. §. 10. Rip. Tit. 32. Tit. 33. Tit. 50. Long. 2. Tit. 43. Form. 159. *Manniri*. Cap. 3. Tit. 45. Cap. 4. Tit. 25. *Mannitus Ad Placita.* Cap. 1. Tit. 121. Gloss. vett. *Mannitus vocatus tribus testibus præsentibus.* Iustiniano *monere* sive *commonere*. Germ. Manen. Gall. *Semondre.*

Mannitæ] Sal. Tit. 52. §. 2. *per tres mannitas*, id est trinundino. *Mannitiones*. Cap. L. Sal. Lud. cap. 6. *Admonitiones*. Sal. Tit. 54. Cap. 4. Tit. 52. *Mannina*. Hincmarus ad Episcop. Franciæ cap. 15. *Comites & Vicarij plurima placita constituant, & si ibi non venerint, compositionem eius exsolvere faciant. Et quia prius per manninas veniebant, excogitaverunt quidam, ut per bannos venirent ad placita, quasi propterea melius esset, ne ipsas manninas alterutrum solverent.* Gall. *Semonces ou adiournements.*

Manopera] Cap. 5. Tit. 151. *manuale servitium.* In admonit. Karoli Pistis. *Vt coloni tam fiscales quam Ecclesiastici, &c. non denegent carropera & manopera ex antiqua consuetudine.* Et. *De manopere in scuria battere nolunt.* Inde Gall. *Maneuvre*; Germ. Handtdienst.

MANSIO] Burg. Tit. 38. §. 3. 5. Long. 3. Tit. 4. L. 2. 4. 5. Cap. 2. Tit. 16. Cap. 3. Tit. 39. *Mansionem vetare.* Cap. 6. Titul. 82. *Mansionem & focum, panem & aquam largiri.* Form. 33. Græci στέγην παρέχειν. Greg. Turon. lib. 3. cap. 15. *ingressus mansionem*, &c.

MANSIONATICI] Cap. 2. Tit. 17. *Hospitum susceptiones.* Aimoin. lib. 5. c. 10. *Expensæ ad hospitum susceptiones.* Idem lib. 5 cap. 17. *Ad causas audiendas, vel freda, aut tributa, aut telonea exigenda, aut mansionaticos vel paratas faciendas*, &c. Hincmar. Clero Tornac. *Nec mansionaticos suis amicis, aut suis hominibus à presbyteris parari.* Marculf. *Non ad mansionaticos vel repastos exigendum, non ad ministeria describendum.* Alibi. *Non pro pasto exactando, non pro mansionatico requirendo.* Duploma Ottonis Imp. apud Baronium Tom. 11. p. 6.

MANSVS] Long. 3. Tit. 1. L. 46. *Mansus cum* XII. *bunuariis de terra arabili.* Cap. 1. Tit. 91. Cap. 2. Tit. 5. Cap. 4. add. 3. Tit. 2. Cap. 5. Tit. 45. 151. Form. 18. 19. 20. 127. 172. *Mansus servilis, indominicatus.* Form. 79. *Mansus circumcinctus cum arboribus.* Form. 70. Proprie huc pertinent, quæ Aimoin. scribit Histor. lib. 5. cap. 10. *Volens etiam* (Imp. Carolus) *unamquamq; Ecclesiam habere proprios sumptus, ne per huiuscemodi inopiam cultus negligerentur divini, inseruit prædicto edicto, ut super singulas Ecclesias mansus tribueretur unus, cum pensatione legitima & servo atq; ancilla.* Synod. Wormac. cap. 50. Collect. 1. antiq. decretal. lib. 3. Tit. 34. Syn. Meld. Can. 63. In admonitione Karoli Pistis. *Vt quoniam quibusdam in locis coloni tam fiscales, quam de casis Dei, suas hereditates, id est, mansa quæ tenent, non solum suis paribus, sed & clericis vendunt, & tantummodo cellam retinent, & hac occasione sic destructæ sunt villæ, ut non solum census debitus inde non possit exigi, sed etiam quæ terræ de singulis mansis fuerunt, non possunt cognosci. Constituimus ut præcipiatur à nostris ministerialibus, & à ministris, ut hoc nullo modo de cetero fiat, ne villæ destructæ atq; confusæ fiant. Et quidquid de singulis mansis sine licentia dominorum vel magistrorum, per quoscunq; venditum est, recipiatur. Et iuxta qualitatem vel quantitatem terræ vel vinearum, ad singulos mansos pertinentium, postquam restaurati fuerint, ab unoquoq; manso census ad partem Dominicam exigatur.* Duploma Henrici Imp. apud Lazium. *Vnum regalem mansum cum omnibus suis pertinentiis, & utriusq; sexus mancipiis, terris cultis & incultis, areis, ædificiis, pratis, pascuis, molendinis, aquis, aquarumq; decursibus, piscationibus, sylvis, venationibus, saginationibus, cum omni utilitate quæ aut scribi aut nominari potest, in proprium tradiderunt.* Chronicon. Reichersp. An. MCXXXV. *Werenherus fratrem habuerat nomine Aribonem, cum quo ita divisit hereditatem.* XXX. *mansos in loco qui dicitur Radilaha sitos iuxta fluvium Traham obtineret Aribo, & alios* XXX. *mansos in Chrowat sitos obtineret Werenherus: quos etiam libera traditione dedit præfatæ Ecclesiæ* (Reichers.) *Sed postea prædicti Aribonis filius Albuinus, cum haberet illos* XXX. *mansos in Radilaha, visus est insuper occupare patrui sui Werenheri hereditatem, videlicet alios* XXX. *mansos in Chrowat, voluitq; ipsum etiam fundum, in quo nunc Ecclesia sancti Michaelis est fundata, vivente adhuc Werenhero patruo suo, sed ultimum iam spiritum trahente, invadere, &c.* Papias. *Mansus dictus à manendo, quod integrum sit* XII. *iugeribus.* Gloss. Latino-Theotisc. *Mansus, houba vel hizaz.* Spec. Saxon. lib. 1. Artic. 34. *Dimietas mansi;* eine halve huve. Lib. 3. cap. 46. 61. Sic in Privileg. Reichersp. Ann. MCLXI. *Nos ex parte vestra & fratrum Reicherspergensium competentem recompensationem, videlicet houbam unam in Enital, & piscationem quandam in villa quæ dicitur Chrowat accepimus.* Charta vet. inter Traditiones Fuld. lib. 1. n. 32. *unam arialem, & unam houbam, & unum ambitum, quem nos bifang appellamus.* Lib. 2. n. 12. *una arialis & una hoba, quod est* XXX. *iuga araturia.* Item lib. 1. charta 22. 25. 30. &c. & in Alm. Gold. chart. 18. 21. 25. 27. 28. &c. Hoba etiam nunc Germanis in usu est. *Mansum* autem Burgundiones *Meix*, Normanni *Mois*, al. *Mas* vocant.

MANSELLVS] Form. 61. Id est, *exiguus mansus.*

MANSVARII] Formul. 102. Aimoin. lib. 5. cap. 35. *De mansis indominicatis solid. unus, de unoquoq; manso ingenuo* IIII. *denar. de censu dominico. &* IIII. *de facultate mansuarii: de manso vero servili duo denarii de censu dominico, & duo de facultate mansuarii.* *Mansuarii* sunt, villici qui mansum ad colendum habent, ut *Bunna-*

riarÿ, qui bunuarium agri, ut supra notavimus, *Curtarÿ* qui curtem, *Hobarÿ* qui hobam tenent, in Privileg. Laureshemens. Gall. *Mansionier*.

MANVMISSIO SECVNDVM LEGEM B. M. CONSTANTINI LEGIS] Form. 98. Extat de ijs, qui in Ecclesia manumittuntur, Constantini Imp. constitutio, in Cod. Theod. lib. 4. Tit. 8. Cod. Iustin. lib. 1. Tit. 13. Cuius etiam Sozomenus meminit Hist. Eccles. lib. 1. cap. 9. περὶ τὴν κτῆσιν τῆς ἀμείνονος ἐλευθερίας, τὴν πολιτείαν ῥωμαίων καλοῦσι τρεῖς ἔθετο νόμους, ψηφισάμενος πάντως τοὺς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐλευθερωθέντας ὑπὸ μάρτυσι τοῖς ἱερεῦσι, πολιτείας ῥωμαϊκῆς τυγχάνειν. Cassiodor. Histor. Trip. lib. 1 cap. 9. *Circa dationem melioris libertatis, quam civilitatem Romanam vocant, tres posuit leges, decernens omnes in Ecclesia manumissos sub testimonio sacerdotum per hanc ordinationem Romana civitate frui.* Nicephor lib. 7. cap. 46. Ceterum si verum hoc, Constantinum huius auctorem beneficij, omnino quod in Institutionib. Gaij legitur, Cives Romanos esse, qui IN ECCLESIA manumittuntur, inserta est ab aliena manu: longo enim tempore ante Constantinum Imp. Gajus I. C. vixit.

MANVMISSVS IN ECCLESIA] Decret. Tassil. cap. 10. 12. Rip. Tit. 58. Capit. Karol. cap. 6. 7. L. 1. C. Comm. de manum. *Circa altare libertatem nancisci*. Long. 1. Tit. 32. L. 5. *Manumitti per manum sacerdotis circa altare liberum*. Long. 2. Tit. 18. L. 3. Tit. 34.

MANVMISSIONVM QVATVOR GENERA] Long. 2. Tit. 34. L. 1. Quibus etiam addi potest ritus manumissionis, de quo Paulus Warnefr. Long. Histor. lib. 1. cap. 13. *Longobardi plures à servili iugo ereptos ad libertatis statum perducunt: utque rata eorum haberi posset libertas, sanciunt more solito per sagittam, immurmurantes nihilominus, ob rei firmitatem, quadam patria verba.*

MANVMISSVS IN MANV REGIS] Long. 2. Tit. 35. L. 8.

MANVMISSVS PER CHARTAM] Decret. Tass. cap. 11. 12. Cap. Kar. cap. 7. Greg. PP. lib. 1. Ep. 53. Sup. *Chartularius*.

PER DENARIVM MANVMISSVS] Sal. Tit. 28. Rip. Tit. 57. Supr. *Denarialis*.

MANVMITTENDVM IN QVARTA MANV TRADERE] Long. 2. Tit. 34. l. 9.

PER MANVM EROGATORIS SERVOS SVOS LIBEROS FIERI IVBERE] Long. 2. Tit. 20. L. 5.

PER THINX LIBERTATEM NANCISCI] Long. 1. Tit. 32. L. 5.

MANVMISSO VIAS QVATVOR DARE] Long. 2. Tit. 34 L. 1. *Viam discedendi habere*. Burg. Tit. 57. *Portas apertas conscribere*. Rip. Tit. 61. §. 1. Form. 96. &c. Plautus Menech. Act. 5. Se. 7. *Liber esto, atque ABITO QVO VOLES.* Idem in Sticho. *In hunc diem te nihil moror ABI QVO LVBET.* Infr. *Portas*.

MANVMITTERE HAC CONDITIONE, VT QVOTANNIS REDDITVM LOCIS RELIGIOSIS FACIAT] Long. 2. Tit. 18. L. 3. Leo Marsican. Chron. Casin. lib. 1. cap. 11. *Servos suos & ancillas omnes prius per chartulam libertate donavit, atque ita demum liberos cum curtibus proprijs, ac ceteris quæ possidere videbantur, in ius monasterij potestatemque redegit, ea scilicet lege, ut singuli eorum quatuor per mensem operas, ubi necesse fuerit, monasterio impendant: res suas atque substantias nulli omnino, nec inter se vendere aut donare præsumant, resque illorum qui sine liberis defuncti essent, in ditione monasterij devenirent. Pueros tamen eorum sive puellas alicui ad serviendum tradere, utpote liberos, monachis licere noluit.* MVNVMITTERE SERVVM HAC LEGE, *ut manumissor sibi dum advixerit, servitium eius retineat, post obitum autem liber sit.* Long. 2. Tit. 34. L. 9. illi sunt liberti, qui vitam discedendi quo voluerint non habent. Burg. Titul. 57.

MANVMISSI LEGIBVS DOMINORVM SVORVM VIVERE DEBENT] Long. 2. Tit. 34. L. 2.

MANVMISSIONIS SCRIPTVRA] Burg. Tit. 87. §. 2. *Charta manumissionis* supr. & Gregor. PP. lib. 5. Epist. 112. In tabulis enim conscribebatur modus & conditio libertatis. Greg. Cedrenus lib. . . . p. 140. ἐστὶ δὲ καὶ σανὶς φιλυρίνη ἐφ' ἧς τὰ ῥήματα τῆς ἐλευθερίας ὧδε γέγραπται. Eæ tabulæ, INSTRVMENTA STATVS vocantur. L. 8. ff. Quod metus caus. INSTRVMENTVM MANVMISSIONIS. L. 25. C. de liber. caus. Iulian. Novell. 83. συμβόλαιον, ἐν ᾧ τῆς ἐλευθερίας πέπτωκεν.

Novell.

Novell. 90. cap. 6. Instrumentis enim & argumentis ingenuitas probanda. L. 2. C. de testib. Itaque ea patronus manumissis præstare omnino cogitur. L. 26. C. de liber. caus. Ad has manumissionis tabulas respexit Epiphanius in oratione εἰς τὸν ἐνταφιασμὸν τοῦ Χριστοῦ, p. 31. ἐδεξάμην κάλαμον, ἵνα ὑπογράψω ἐλευθερίαν τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων. *calamum sumsi ut instrumento manumissionis generis humani subscriberem.*

MANVMISSVS VEL LIBERTVS, QVI DOMINO SVO SOL. XII. NON DEDERIT, VT HABEAT LICENTIAM, SICVT EST CONSVETVDINIS, QVO VOLVERIT DISCEDENDI] Burg. Tit. 57. Hi ergo æquiperari possunt libertis Latinis Iunianis. Gaius Institut. Tit. 1. de libertat. servor.

MANVMISSIONVM DIVERSÆ FORMVLÆ] Marculf. Form. 89. 90. 91. &c. Concil. Tolet. 1. Concil. Rhem. cap. 1. apud Burchard. Decretor. lib. 2. cap. 26. 30. Ivon. part. 3. cap. 97. Charta vet. in Alm. Gold. Tom. 2. n. 7.

MANVS MORTVA] Long. 3. Tit. 10. L. 3. Cap. 5. Tit. 47. In admonitione Karoli apud Pistas. *Vt de iniustis commutationibus, quæ ad casas Dei factæ sunt, sine regia auctoritate missi nostri inquirant. Et si mortua manus vel præceptum regium super eis interiacet, describantur diligenter, qualiter factæ sunt.* In duplomate Philippi Reg. Anno MCXCV. *Neq; nos neq; alius super hominem de communia, mortuam manum clamabimus.* Inde Gall. *Heritages & gens de main morte.* Fit & in Catalogo Leodiens. Episcop. mentio legis quæ *MANVS MORTVA* dicebatur, abrogatæ circa annum MCXXII. Cui opponitur *MANVS FIRMA* in veteri instrumento. *Notum sit, quod firmam manum, quam dedit nobis Otbertus moriens apud Vindocinum.* Et in eodem polypticho. *Vnam manum firmam terræ censivæ, hoc est terram unius carrucæ, cum tribus arpentis pratorum.* Inde Gall. *Ferme, Fermier.*

MANV FIRMATIONIS] Cap. 6. Titul. 217.

MANVS VESTITA] Boior. Tit. 17. L. 2. Charta vet. apud Gold. Alman. Tom. 2. n. 58. Infr. *Vestitura.*

MANVM IN CALDARIA MITTERE] Long. 1. Tit. 33. L. 3. Sup. *Caldaria.* *MANVM AD IGNEM MITTERE.* Rip. Tit. 30. §. 1. *ad vomeres vel ferrum ignitum.*

MANVM SVPER CAPSAM PONERE] Alm. Tit. 6. *super altare.* Infr. Tit. 7. §. 2. Iurare super capsam in qua martyrum reliquiæ, vel novi fœderis libri. Greg. Turon. lib. 3. p. 126. Aimoin. lib. 4. cap. 45. *dolose ac fallaciter super vacuas capsas iurantes.*

MANVM SVAM REDIMERE] Sal. Tit. 55. §. 1.

MANVM STRINGERE] Sal. Tit. 22. Rip. Tit. 41. Inter notas lascivi amoris, & in Venerem proclivis, hæc manuum tactio est: ut & illud quod ibidem additur, *manum super cubitum mittere.* Vid. quæ ad Terentij Heautontimor. Act. 3. Scen. 3. notavimus.

MANV PROPRIA SINGVLA SE IDONEVM FACERE] Cap. 3. Tit. 88. *Manu sua.* Feud. lib. 1. Tit. 27. Conradi Ratispon. Episcopus. *Ille qui pro eo habetur, sola manu se poterit expurgare.* *MANV SEXTA IVRARE.* Fris. Tit. 6. *MANV SEPTIMA IVRARE.* Feudor. lib. 2. Tit. 27. § 3. Arnulph. Episc. Lexoviens. Epistola 8. *Abbati est à nobis adiudicata purgatio septimâ quidem manu, trium scilicet Abbatum, & trium monachorum sacerdotum, notæ opinionis & nominis, quorum iuramentis vulneratæ famæ necessarium posset remedium comparare.* Ivo Carnot. Epist. 231. *Secundum quod fama crebrescit, quinta manu mulieris vel septima purgationem eius accipiatis.* In vita B. Goaris. *Cum alijs XII. firmavit.* Sic *Vta Regina adulterij crimine cum quibusdam viris infamata, LXXII. Principum iuramento Ratisbonæ in conventu est absoluta.* Herman. Contr. An. DCCLXCIX. Fit & alias sæpe mentio purgationis, sicut tunc loquebantur, quæ fiebat manu tertia, quarta, quinta, sexta, septima, duodecima, &c. Supr. *Iurare.*

MANVS ABSCISSIO] Wis. 8. Tit. 5. L. 1. Burg. Tit. 6. §. 11. Tit. 26. §. 4. Tit. 55. §. 3. Add. 1. Tit. 15. Cap.

Hlud. ad L. Sal. §. 1. Boior. Tit. 1. L. 6. §. 1. Tit. 2. L. 6. Long. 1. Tit. 9. L. 38. Tit. 26. L. 6. Tit. 28. L. 1. 2. Tit. 37. L. 2. Neap. 1. Tit. 12. Cap. 4. Tit. 23. Nempe in furto castrensi hæc pœna usitata, ut & in LL. militarib. Iustiniani Imp. §. 37. Apud Q. Curtium mentio quoque fit abscisionis & adustionis manus lib. 3. Seneca lib. 8. Controverſ. 2. *Sacrilego pracidantur manus.* Lib. 9. Contr. 4. *Qui patrem pulsaverit, manus ei pracidantur.* Vid. Novell. 30. cap. 8. Novell. 42. cap. 1. Novell. 134. cap. 13. Feudor. lib. 2. Tit. 27. 55. LL. Canuti Regis. Cap. 27.

MANVALE PECVS] Alm. Tit. 99. Manualia pecora vocantur, quæ ad manum venire consueverunt. Varro de re rust. lib. 2. cap. 7. Græcis χειροήθη.

MARACH] Alman. Tit. 69. §. 2. Tit. 70. §. 2. *Si talem equum involaverit, quem Alemanni marach dicunt.* Boior. Tit. 13. cap. 10. *Si equus est, quam marach dicimus.* Interdum etiam Marck dixerunt, vel Mer, quo nomine nunc equam fœminam appellamus. Gloſſ. Latino Anglo-Saxon. *Equus* Hors, *Equa* Mæra. N. Von Eranenberg. Do trug in syn schon Marck. Inde Marchfall, *de equo depositio.* Boior. Tit. 3. cap. 3. Merworphin *ab equo deiectio.* Marhais, Mariscalk. Retinent etiam Galli Armorici vocem, à Germanis sive Celtis sumptam; nam & Celtæ, ut Pausanias in Phocicis p. 335. notat, μάρκαν *equum* vocarunt.

MARCHA] Alm. Tit. 47. Boior. Tit. 12. cap. 9. Rip. Tit. 60. §. 5. Tit. 75. Long. 2. Tit. 30. L. 2. Cap. 2. Tit. 13. Cap. 3. Tit. 74. Cap. 4. Tit. 4. Cap. 5. Tit. 132. *Terminus.* Alm. Tit. 46. *Fines vel marca.* Vita Karoli Mag. pag. 254. *Marca Baioaria.* Annal. Francor. Pith. p. 12. *Fines vel marchas Baioariorum dispo-suit.* Aimoin. lib. 4. cap. 109. *Simili modo de marcha Hispanica constitutum, & hoc illius limitis præfectis imperatum est.* Annal. Fuldenſ. editionis Freh. p. 27. *Expulit Duces, quibus custodia commissa erat Pannonici limitis & Curantani, atq; per suos marcam ordinavit,* &c. In veteri scripto Ludovici Imp. sæpe fit marcarum mentio. — *à Comitibus marcæ Britannicæ,* & DCCCXXVIII. *ad motus Hispanicæ marcæ componendos,* & DCCCXVIII. *Marca inter IIII. Comites divisa est.* Rutpertus presbyter in precaria de Witiriswilare. *In marcha seu villa duas hobas cum toto ædificio,* &c. Privil. Brem. p. 179. *In orientali plaga palus supradicta terminum habet marcham Holsatorum, in australi marcham Romersflet,* &c. Vid. chartas vett. in Almann. Goldaſt. n. 17. 64. 65. Inde Germanis in usu Feldmarck, id est marca sive limes territoriorum vel agrorum.

MARCHFALLI] Boior. Tit. 3. c. 3. ab equo depositio. Fall *casus.*

MARCHIO] Long. 1. Tit. 9. l. 39. Long. 2. Tit. 8. l. 14. Long. 3. Tit. 8. l. 4. Aimoin. lib. 5. cap. 2. *relictis marchionibus, qui fines regni tuentes, omnes si forte ingruerent, hostium arcerent incursus.* Anonymus in Hludov. p. 264. *Saxoniæ Comites simul cum marchionibus. Marchensis,* in Annalib. Fuldenſ. Μαρχίσιος Niceph. Gregor. p. 108. Gloſſ. Latino-Theotiſc. *Marchio,* Marcgrave.

MARCHZAN] Alm. Tit. 63. Boior. Tit. 3. cap. 1. §. 24 Tit. 5. §. 13. *Marchzan* recte dentes terminales interpretari possumus: id est, qui caninos à maxillaribus dentibus separant, quosque nunc Germani Scheidelzanen appellant.

MARESCALCVS] Neap. 2. Tit. 20. *per marescalcum nostrum, vel per alium qui exercitui de mandato nostro pro tempore præerit.* Gall. *Mareschal.* MARISCALCVS. Alm. Tit. 79. *Mariscalcus qui super XII. caballos est.* Gloſſ. Latino-Theotiſc. *Cavallarius* Marischalc.

MARITIMA] Cap. 4. Tit. 5.

MASCA] Long. 1. Tit. 11. L. 9. *strigam quæ dicitur masca.* Long. 2. Tit. 11. L. 3. De *striga* infr. *Mascam* Delphinates & desub Alpibus populi etiam nunc veneficam vocant.

MASCVLORVM CONCVBITORES, LEX ROM. IGNE CREMARI IVBET] Cap. Add. Lud. 4. Tit. 102. *Spectante populo flammis ultricibus expiari.* L. 6. 7. C. Theod. ad L. Iul. de adult. Rufin. Collat. LL. Mosaic. Tit. 5.

MASSARIVS] Long. 1. Tit. 8. L. 29. Tit. 11. L. 3. 5. Long. 2. Tit. 32. L. 3. *Massa* apud Amm. & Caſsiod. σύγκλησις Græc. inde *Massarij* manentes in massa, id est villici. Italis *Massaro, ciò e chi ha cura della ville.* MASSARIÆ BESTIÆ. Neap. 1. Tit. 84. ad massam, id est villam pertinentes.

MATE-

MATERIA] Sal. Tit. 8. §. 4. Tit. 29. §. 27. 28. *Materiamen.* Boior. Tit. 11. cap. 7. Rip. Tit. 78. *Lignamen.* Long. 1. Tit. 25. L. 26. Gall. *Marien.* Glossar. *Materia ξυλεία.* Inde *Materiaria negotiatio.* Festus.

MATRICVLA] Cap. 7. Tit. 167. Add. Lud. 4. Tit. 99. L. 5. C. de præf. urb. L. 1. 13. C. de advoc. div. iudic.

MATRICVLARII] Formul. 138. Hincmar. Epist. 7. cap. 35. Greg. Turon. Histor. lib. 7. cap. 29. *Nonnulli matriculariorum & reliquorum pauperum pro scelere commisso tectum cellulæ conantur evertere.* Aimoin. lib. 4. cap. 33. *Prædia innumera fratribus Deo famulantibus sive matricularijs Ecclesiæ contulit.* Adam. Bremens. Histor. Ecclesiast. cap. 5. *Ecclesiæ Dei matricularius.* Glossar. Latino-Theotisc. *Matricularius* Tuomphaffo. Galli *Marguilliers* videntur nominare.

MATRIMONIARE] Longob. 2. Tit. 1. L. 8.

MATRINA] Long. 2. Tit. 8. L. 1. 3. Tit. 14. L. 12. *Novercam suam, id est, matrinam.* Capit. 5. Titul. 7. *Matrina de fonte aut confirmatione.* Aimoin. Histor. lib. 5. cap. 57. Walafr. Strab. cap. 16. *Inventum est, ut patrini & matrinæ adhibeantur, suscepturi parvulos de lavacro.* Ordo Rom. de divinis officijs, apud Hittorp. p. 67. *Procedant ad Ecclesiam qui baptizandi sunt, cum patrinis & matrinis.* Et post pauca. *Matrinæ eorum, quæ ipsos suscepturæ sunt.* Et alibi sæpe in Pontificali Rom. Gall. *Maraine.*

MAVRICIACENSIS PVGNA] Burg. Tit. 17. In campis Mauriacis, qui & Cathalaunici vocantur, habita; qua Attila fusus fugatusque fuit. Iornandes de reb. Goth. pag. 118. & ex eo Freculph. lib. 5. cap. 14. *Campania Catalaunensis* apud Aimoin. lib. 4. cap. 1. p. 153.

MEA CVLPA] Add. Lud. 1. Titul. 13.

MEDELLA] Alm. Tit. 96.

MEDIETATEM IN AVRO VALENTE PECVNIAM] Alman. Tit. 69. §. 1. & chartæ vett.

AD MEDIETATEM LABORANS] Cap. 1. Tit. 163. Gall. *Metayer.*

MEDIOCRIS PERSONA] Wis. 9. Tit. 2. L. 8. Wis. 12. Tit. 2. L. 15. Burg. Tit. 2. §. 2. Tit. 26. §. 2. Cap. 5. Tit. 136. *Mediocris Bvrgvndio.* Burg. add. 1. Tit. 14. *Medivs Alamannvs.* Alm. Tit. 68. §. 4. Nimirum hic erat status hominum, ut alij nobiles vel primi, alij mediocres, alij minores vel minimi dicerentur. Supr. *Homo.* Paulus Warnefr. Histor. Longob. lib. 6. cap. 40. *nobilium & mediocrium ad se concurrentium pater effectus.* L. 4. C. Theod. de desertorib. *mediocris loci ingenuus.* Tertullian. ad uxorem lib. 2. cap. 8. *de ignobilibus & mediocribus.* Iohan. Monach. de vita Gaufred. lib. 1. pag. 20. *dives, mediocris, vel pauper.*

MEDIOCRES COMITES] Cap. 5. Titul. 136.

MELARIVM] Sal. Tit. 29. §. 8. 10. Locus pomis recondendis. Italis *Mela* pomum est.

MELIORARE FILIVM SVVM] Long. 2. Tit. 20. L. 3. 4. aliquid filio donare, quod præcipuum habeat.

MELIORES] Long. 1. Tit. 19. L. 27.

MEMBRANVM] Long. 1. Tit. 29. l. 1.

MEMENTO DOMINE] Addit. Lud. 2. Tit. 7.

MENSVRA AMBVLAVIT] Long. 2. Tit. 35. L. 7. *Mensura tracta est.* Long. 2. Tit. 35. L. 7.

MENTIENDO VADVNT] Cap. 3. Tit. 59. Cap. 4. Add. 2. §. 14.

MENTIOSVS] Alm. Tit. 41. Gloss. *Mentio* ψεῦσμα. inde *Mentiosus* ψευδολόγος. Mendax.

MENTONALIS SEPES] Rip. Tit. 72. quæ ad mentum usque hominis staturæ mediocris pertingit.

MERCADA] Form. 11. 161. *Mercatus.* Long. 2. Tit. 28. L. 2. Long. 3. Tit. 18. *Mercatum constituere.* Privileg. Eccles. Brem. p. 150. 156. *construendi mercatum in loco Bremum nuncupato.* Chronicon Laurishaim. Anno DCCCCXLVIII. *mercationes publicas fieri concessit.* Idem Anno DCCCCLXX. *Rex publicum mercatum in villa Wezzenloch & in Steine cum omni reditu ex thelonei lucris & alijs utensilibus ad S. Nazarium donavit.*

PROPTER MERCEDEM ANIMÆ] Long.2.Tit.9. L.1. Form.7.8. &c.

MERENTES] Wis.9. Tit.2.L.4. Id est, Milites.

MERITVM] Form.45. *Villa cum omni merito & termino suo*, &c. Form.60. *Cum omni iure & merito.*

MERWORPHIN] Long.1.Tit.36. L.4. Gloss. *Merworphin, aliquem de caballo proiecerit.* Germ. Mer *equa*, werphen, *deijcere.* Supr. *Marach.*

MESSES CVLTÆ] Burg.23. §.4.

MESSEM SVPER BANNVM DOMINICVM RAPERE] Long.1. Tit.14. L.11. Gloss. *Super bannum, super hoc quod concessum est.*

META] Long.1. Tit.50. L.3.4. Long.2. Tit.1.Tit.2.L.2.5.Tit.4.l.2.4. Tit.14.L.11. *Pretium quod donatur, quando sponsam maritus sponsat.* Gloss. vett. *Meta pecunia, donatio sponsalitia.*

METHIVM] Long.2. Tit.4. L.3. Tit.8. L.8. Tit.14.L.15. Glossar. *Sponsalitia vel nuptialis donatio.*

METROPOLITANI PRIMATES] Cap.7. Tit.341.

MILES SIMPLEX] Neap.1. Tit.9. Tit.10.Lib.2.Tit.3.

MILITEM FACERE] Neap.3.Tit.19.

MILITANTES] Burg. Præfat. Id est, Executores litis.

MILITIÆ ECCLESIASTICÆ MANCIPARI] Long.3. Tit.9. L.7. *Religioni nomen dare.*

MILITIAM DE BONIS PATRIS PETERE MINOR FRATER A FRATRE MAIORI POTEST] Neap.3.Tit.19.

MILLENARIVS] Wis.2. Tit.1.l.26. *Millenarius provinciæ Piceni & Samnij.* Cassiodor.lib.5. Var.26. *Sunt qui mille præsunt militibus, quos nos millenarios appellamus.* Isidor. Orig. lib.9. cap.3.

MILVS] Alm. Tit.61. *Visus foras exierit & milus.*

MINARE] Sal.Tit.10.§.9. Decret. Childeb. §.6. Alm.Tit.74. Rip.Tit.70. §.5. *Minare ad parcum.* Rip.Tit.82. Angl. Tit.17. Long.1.Tit.23. Long.2.Tit.21. L.25. Paul. Diacon. *Agere modo significat ante se pellere, id est minare.* Vetus interpres Actor. cap.18. *Minavit eos à tribunali.* ἀπήλασεν αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ βήματος. Gregor. PP. Dialog. lib.1. cap.2. *Flagellum quod tenebat, diripientibus obtulit, dicens; Tollite ut habeatis, qualiter hoc iumentum minare valeatis.*

MINISTER ALTARIS] Boior. Tit.1. cap.8. §.2.

MINISTER REIPVBLICÆ] Long.1. Tit.25. L.81. *Ministri publici.* Long.2. Tit.21. L.30.

MINISTERIALIS] Burg.Tit.10. Long.1. Tit.6. L.4. Tit.8. L.1.2.3. Tit.11.L.2. Long.3. Tit.1. L.38.Cap.4. Tit.69. Papian. Respons. Tit.3. *Ministerialis Comitis.* Long.3. Tit.7.l.1. Cap.4.Tit.30. opponitur homini libero. *Ministerialis Ecclesiæ.* Longob.1. Tit.34. L.1. *Ministerialis Expeditionalis.* Burg. Tit.10. *Ministerialis Reipvblicæ.* Longob.1. Tit.34 L.2. Hincmar. *Plebeis quoq; quibusdam personis, villarum scilicet ministerialibus, pro rebus ministeriorum suorum nonnunquam scribens, qualiter res sibi commissas tractare deberent.* In duplom. Karoli Mag. apud Bruschium. *Nullum de militari familia damnet*, &c. *qui militares vel alio nomine ministeriales, optimo iure perfruantur.* Aimoinus lib.2.cap.20. *Libertis, ministerialibus, præter illos quos nos ingenuos esse præcipimus.* Privil. Brem. p.176. *Ab omni tam nobilium, quam ministerialium, seu ruricolarum appellatione liberam factam.* Deinde subscribunt *nobiles Egilmarus Com. Gerbertus Com. ministeriales Liuderus advocatus, Hathebertus*, &c. Ita & infr. p.179. Annal. Steronis Ann. MCCXXVII. *Principum etiam ac Comitum & ministerialium tantam multitudinem sibi adtraxit Ecclesia, ut si ei perseveranter & fideliter adhæsissent, poterat pro suæ voluntatis arbitrio triumphasse.* Item Ann. MCCXXXII. *Episcopus Ekkebertus Babenbergensis à ministeriali Ducis Karinthiæ per totam quadragesimam in captivitate tenetur.* Anno MCCLVII. *ministerialium & vasallorum auxilium. — Ministeriales & vasallos per privationem feudorum quæ tenent ab Ecclesia coartando.* Chronicon Laurish. p.91. *ministerialium ac fidelium consilio.* Feudor. lib.2. Tit.27.§.8. Germ. Dienstmänner. Spec.Sax.lib.1.Artic.16. *Si Pater vel mater in ministerialium consistit conditione, eum vel eos erit proles secutura.* Is de vader edder moder Denstman, &c. Privileg. Ludovici Bavari Imp. Eccles. Mind. concess. Wir frygen ock Burcherde Crüssen, der ein denstman was des Stiffts Minden, &c.

MINISTE-

MINISTERIVM] Sal. Tit. 12. Long 1. Tit. 9. L. 34. Cap. 4. Tit. 27. 67. 65. 72. Cap. 5. Tit. 114. 133. *Provincia quam Comes administrat.* Flodoard. *Plebeis quoque quibusdam personis, villarum scilicet ministerialibus, pro rebus ministeriorum suorum nonnunquam scribens, qualiter res sibi commissas tractare deberent.*

MINISTERIA DIVINA] Cap. 6. Tit. 127. *Ministeria sacra.* Cap. 6. Tit. 198.

MINOR] Wisi. 12. Tit. 1. L. 2. *Minor persona.* Burg. 2. §. 2. Alm. Tit. 39. §. 2. Boior. Tit. 2. cap. 3. §. 3. Tit. 6. cap. 1. §. 3. Capit. 5. Tit. 136. *Minores homines.* Boior. Tit. 2. c. 4. §. 4. *MINIMVS HOMO.* Long. 1. Tit. 9. L. 21.

MINVATVS] Long. 1. Tit. 20. L. 5.

MINVTA PECORA] Boior. Tit. 8. cap. 11. §. 3. *Minuta peculia.* Long. 2. Tit. 32. L. 3.

MISSA S. ANDREÆ] Cap. 2. Tit. 20. *S. Martini.* Cap. 2. Tit. 18. *S. Iohannis.* Cap. 5. Tit. 136. Sic appellari solebat dies festus eiusdem sancti. Anonymus. *Imperator circa missam S. Martini Aquisgrani ad hyemandum venit.* Aimoin. lib. 4. cap. 116. *Circa festum S. Martini.* Et cap. ult. *Festivitas B. Andreæ* Anonym. *Missa* dicitur.

MISSAM ORDINE ROMANO CVM SANDALIIS CELEBRARE] Cap. 5. Tit. 219. Libri Hymnorum B. Hilarij Pictaviens. Episc. & alterius mysteriorũ meminit Hieronym. & Hymni GLORIA IN EXCELSIS DEO, ab eo aucti & consumati. Alcuinus de divin. off. Missarum à Sidonio Apollin. compositarum Greg. Turon. Histor. lib. 2. cap. 22. qui de cursibus Ecclesiast. librum unum condidit, quod de se ipse testatur, lib. 10. Hist. sub finem. Sed & B. Walericum cursum tam monasterialem quam Gallicanum, magno studio indesinenter celebrasse, qui contemporaneus vitam illius scripsit apud Surium testatur. Meminit & *Psalterij Gallicani* Honorius in prolog. enarrationis Psalmor. Walafrid. Strabo cap. 25. de reb. Ecclesiast. & Radulfus de Breda sive de Rivo, proposit. 8. de Can. observ. quod à Gallis non solum Romani, sed & Hispani tandem sub Gregorio VII. acceperunt, de quo Rodericus Toletan. Archiepisc. lib. 6. hist. Hispan. cap. 26. conqueritur. Sigebert. in Einardo. *Abbreviavit & ipse Gallicanum Psalterium, quo nos Galli utimur.* Mussæum Masiliensis Ecclesię presbyterum excerpsisse de sanctis scripturis lectiones totius anni, festivis diebus aptas, responsoria, & psalmorum Capitula lectionibus congruentia, Gennadius, & Nothgerum Sequentias scripsisse Honorius refert. Sed & de Claudiano Vienn. Sidonius.

Hic sollemnibus annuis paravit
Quæ quo tempore lecta convenirent.

Sigebert. testatur Karol. Imp. de scripturis Catholicorũ patrum, lectiones unicuiq; festivitati cõvenientes per circulum anni in Ecclesia legendas, compilari fecisse in duob. voluminib. qui Vsuardum Sanctorum festivitates & Martyrologia colligere iussit, quæ in Ecclesiis recitantur, sicut idem Vsuard. scribit. Videatur de Alcuino, Microlog. cap. 60. & de ordine Antiphonarii Amalarius, & Fasciculus temporum in Stephano 3. In Epist. Karoli Cal. Imp. ad clerum Ravennatem. *Nam & usq; ad tempora abavi nostri Pipini Gallicana Ecclesia aliter quam Romana vel Mediolanens. Ecclesia divina officia celebrant, sicut vidimus & audivimus ab eis, qui ex partibus Toletanæ Ecclesiæ ad nos venientes, secundum morem ipsius Ecclesiæ coram nobis sacra officia celebrarunt. Celebrata sunt etiam coram nobis sacra Missarum officia more Hierosolymitano, auctore Basilio. Sed nos sequendam ducimus Romanam Ecclesiam in Missarum celebratione.* Walafrid. Strabo. cap. de ord. Missæ. De exord. & increm. rer. Ecclesiast. *Et Galliarum Ecclesiæ suis orationibus utebantur, quæ adhuc à multis habentur.* Idem cap. 25. *Et quia Gallicana Ecclesia viris non minus peritißimis instructa, sacrorum officiorum instrumenta habebat non minima, ex eis aliqua Romanorum officiis immixta dicuntur.* Auct. Microlog. cap. 11. *Composita autem oblatione in altari, dicit sacerdos hanc orationem iuxta Gallicanum ordinem, VENI SANCTIFICATOR, &c. Romanus tamen ordo nullam orationem instituit post offerendam, ante Secretam.* Berno Augiens. de quibusdam reb. ad Missam pertinentib. cap. 2. *Ad hæc potest aliquis dicere, tunc temporis Gallos & Hispanos in Missarum suarum celebratione, nondum habuisse usum Romanæ Ecclesiæ, quod & nos non negamus. Testatur hoc Abbas Hilduinus, vir in divina lege apprime eruditus, in ea Epistola, quam ad Ludovicum Imp. direxit, pro passione sanctorum Martyrum Dionysij & socio-*

rum eius, ubi inter alia quæ suæ narrationi videbantur congrua, hac adiecit. Cui adstipulari videntur antiquißimi & nimia vetustate penè consumpti Missales libri, continentes Missæ ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ fidei usus in hac occidentali plaga est habitus, usque quo tenorem, quo nunc utitur, Romanum suscepit. In nostri quoq; monasterij archivo habetur Missalis longe aliter ordinatus, quam Romanæ Ecclesiæ habeat usus. Et quod his omnibus maius est, cum una sit fides, cum super Missarum celebratione, Galliarum Ecclesia à Romana discordent Augustino requirente Gregorius respondit. Novit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua meminit se esse nutritam. Sed mihi placet, ut sive in Romana Ecclesia, sive Galliarum, sive in qualibet invenisti quod plus omnipotenti Deo poßit placere, sollicite eligas. Non videtur ergo (addit Radulphus de Rivo propositione 4.) *Beati Gregorij fuisse consilium, ut involuntarie per privilegium ad unam arctaremur Ecclesiam secularem in horis canonicis observandis.* Guilelmus Durandus lib. 5. Rationalis divin. officior. cap. 2. *Legitur in vita beati Eugenij, quod dum adhuc officium Ambrosianum magis quam Gregorianum ab Ecclesia servaretur, Adrianus Papa concilium convocavit, ubi statutum est, quod Gregorianum deberet universaliter observari, ad quod Karolus Imp. omnes clericos minis & supplicijs per diversas provincias cogebat.* Andreas Colossensis Episcopus pro Latinis agens, sessione 7. Synd. Ferrar. *Maximo*, inquit, *in Gallia & in Hispanijs schismate imminente, cum iam Ex Filioq. paßim celebraretur, Romano Pontifici fuit necesse, in multorum Occidentalium ampla dignitatis, magnique concilij Patrum conventu, additio Ex Filioqve Symbolum illustrare.* Quod confirmat Ratio, quæ habita est de Symbolo fidei in secretario B. Petri Apostoli, inter domnũ Leonem sanctissimum Papam urbis Romæ, & Bernariũ atque Iesse Episcopos, seu Adalhardum abbatem, missos domni Karoli Imp. edita à Baronio. Alcuinus Paulino Patriarchæ. *Sæpius domno Regi suasi, ut Symbolum Catholicæ fidei planißimis sensibus, & sermonibus luculentißimis, in unam cõgereretur chartulam, & per singulas Episcopalium regiminum parochias omnibus daretur presbyteris legendum, memoriaq; commendandum, quatenus licet lingua diversa loqueretur, una tamen fides ubique resonaret.* Vrbanus Reversus canonicus & præcentor Senonensis, doctor Theologus, in Historia de vitis Pontificum Senonens. *Anno 1512. post pugnam ad Ravennam, cum icto fœdere cum Maximiliano & Venetis contra Regem Ludovicum XII. Iulius Papa II. instituisset, ut in Italia contra Gallos ad pulsum Angelicæ salutationis Deiparæ, cum eadem salutatione recitarentur tres breves orationes, quas ipse dictaverat ad virginem Mariam, Rex Ludovicus à Pontificibus regni sui obtinuit, ut quotidie ad elevationem Corporis Christi in Ecclesiis Cathedralibus, collegiatis & conventualibus, inter Missarum sollemnia ille versiculus decantaretur,*

O Salvtris Hostia
Qvæ Coeli Pandis Ostivm,
Bella Premvnt Hostilia,
Da Robvr, Fer Avxilivm.

Ad cuius finem loco illorum verborum, Fer Avxilivm, *cantatores regij adiunxerunt,* Serva Lilivm.

Parasceve et Sabbato Sancto Missas Debere Celebrari] Cap. 7. Tit. 328. Walafrid. Strabo de reb. Ecclesiast. cap. 22. *Et relatio maiorum est, ita primis temporibus Missas fieri solitas, sicut modo in Parasceve Paschæ (in quo die apud Romanos Missa non aguntur) communicationem facere solemus, id est præmissa oratione Dominica: & sicut ipse Dominus noster præcepit, commemoratione paßionis eius adhibita, eos corpori Dominico communicasse & sanguini, quos ratio permittebat.* Synod. Cabill. 2. Cap. 47. Theodulph. ad compresbyt. cap. 41.

Missarivm] Cap. 1. Tit. 109. *Missale.*

Missvs] Alm. Tit. 21. 30. 36. Long. 2 Tit. 29. Cap. 1. Tit. 122. Cap. 2. Tit. 18. Cap. 4. Tit. 30. 32. 44. 66. &c. *Missi cõmonitorij* Long 2. Tit. 53. l. 2. *Missus dominicalis.* Long. 1. Tit. 12. l. 3. Long. 2. Tit. 16. 18. Cap. 2. Tit. 11. 26. Cap. 3. Tit. 38. Flodoar. in Histor. Remens. *Tilpinum sequitur Wlfarius, qui ab Imperatore præfato Mag. Karolo missus dominicus ad recta iudicia determinanda fuerat ante Episcopatum constitutus super totam Campaniã, &c.* Walafr. Strabo de exord. & increm. rerum Ecclesi. cap. ult. Form. 182. *Missi discurrentes.* Form. 7. 10. 11. 38. 177. Aimoin. lib. 5. cap 1. *Ad partem fisci nostri missi sui discurrentes dissolvere debeant.* Missi Fiscalini. Long. 2. Tit. 52.

MISSI COMITVM] Cap. 2. Tit. 24. *Vicarij, Loci servatores.*

MISSVS SANCTI PETRI BONIFACIVS] Cap. 5. Tit. 2. *Karolus maior domus, Apostolicis in Christo patribus, Episcop. Ducibus, Comitibus, Vicarijs, Domesticis, & omnibus amicis nostris. Cognoscatis qualiter Apostolicus vir in Christo frater Bonifacius Episcopus, Missus sancti Petri ad nos venit, & nobis suggessit, quod sub nostro mundeburde, vel defensione eum recipere debeamus: quod ita nos gratanti animo fecisse cognoscite. Proinde nos taliter visi fuimus ei cartã manu nostra roboratam dare, ut ubicunq; ambulare videtur, cum nostro amore, vel sub nostro mundeburde & defensione quietus & conservatus esse debeat, in ea ratione ut iustitiam reddat, & similiter iustitiam accipiat. Et si aliqua causatio vel necessitas ei evenerit, quæ per legem definiri non potuerit, usq; ante nos quietus vel conservatus esse debeat, tam ipse quam qui per ipsum sperare videntur: ut ei nullus ullam contrarietatem vel damnationem adversus eum facere debeat. Et ut certius credatur, manu propria subterfirmavimus, & de annulo nostro subtersignavimus.* Sic vet. Cod.

MISSATICVM] Long. 1. Tit. 12. L. 3. Long. 2. Tit. 52. L. 20. Capit. 3. Tit. 17. 64. 80. 84. 87. Cap. 4. Tit. 68. Cap. 4. Add. 2. §. 2. Cap. Karol. Reg. Titul. 16.

MITA] Boior. Tit. 9. cap. 2. §. 4. Ms. *Medam.* Guibertus Histor. Hierosolym. lib. 2. *Cum plurimorum annorum segetes triticeas, ut in ea terra moris est, in modum turrium per agros stabilitas cernerent, quas nos metas vulgariter vocare solemus,* &c. Gregor. Turonens. Histor. lib. 4. cap. 41. *Acceptisq; clavibus, metas annonæ, quæ aderant, elidit.* Flodoardus in Chronico, p. 144. *Ecclesiam S. Macræ, duabus etiam segetum metis, quæ parietibus pœnè ipsius adhærebant, exustis, accendere nequiverunt.*

MITIO] Form. 36. 37. 123.

MITHRIDRI] Fris. Tit. 22. §. 50. *Membrana quæ iecur & splen pendent.*

MITTITVR CRIMEN] Long. 1. Tit. 9. L. 23.

MODERAMEN INCVLPATÆ TVTELÆ] Neap. 1. Tit. 8. L. 1.

MOLINVM] Wis. 8. Tit. 4. L. 30. Sal. Tit. 24. Alm. Tit. 83. Boior. Tit. 8. c. 2. Long. 1. Tit. 19. l. 4. 5. Tit. 27. Gall. *Moulin.*

MOLINARIVS] Sal. Tit. 11. §. 5.

MOLITA ARMA] Neap. 1. Tit. 9. 41. Id est, famiata arma. Gall. *Armes moulues.*

MONACHVS QVI SVB REGVLA CONVERSATVS EST] Alm. Tit. 15. Monachus regularis.

MONASTERIVM POENITENTIÆ] Add. Lud. 3. Tit. 8. Monasteria non tantum devotionis ac religionis habitacula, sed malorum quoq; ergastula: in quæ, sub durioris vitæ disciplina secius perperamque patratorum pœnam ut luerent, delinquentes detrudebantur. Novel. 123. cap. 11. Novell. 124. cap. 10. Long. 2. Tit. 37. Itaque & *loca pænitentiæ* recte vocata fuerunt. Nam & μετάνοιαν appellavit Iustinianus Imp. monasterium, in quod miserabiles personæ, quæ publice se prostituentes corpore quæstum quæsierant, cum prioris eas vitæ pœniteret, recludebantur. Procopius de ædificiis Iustiniani lib. 1. Ad cuius exemplum multis in locis claustra fœminarum pœnitentium nunc fundata.

MONASTERIA QVÆ IN MVNDIO PALATII] Long. 3. Tit. 1. L. 19. Otto Rex in charta libertatis Ripesholt inter Prileg. Brem. *Monasterium in nostram tutelam suscepimus atq; mundeburdium.* Chronicon Laurishaimens. p. 59. *Monasterium cum omnibus illuc pertinentibus in manus & mundeburdem gloriosi Regis Karoli tradidit.*

LAICI QVI MONASTERIA HABENT PROPTER ALIQVAM NECESSITATEM] Cap. 5. Tit. 51. Abbi comites Gerberto. Videnda Epistola Bofacii ad Zachariam PP. in Capitulis quæ miserunt Episcopi provinciarum Rhemensis & Rothomagensis Hludovico Regi, Ann. DCCCLVIII. *Monasteria etiam religiosa atq; præcipua canonicorum & monachorum, atq; sanctimonialium habitacula, quæ ab antiquo tempore parentes vestri sub religioso habitu constituerunt, ac frater Dominus noster, innuente partim fragilitate, partim aliorum callida suggestione, etiam & nimia necessitate, quia dicebant petitores, nisi eis illa sacra loca donaret, ab eo deficerent, & ipse aliquando per fratrem vestrum regno destitutus, ab eis penderet, talibus (sicut scitis) personis commisit, debito privilegio restituite.* Can. 10. Synod. Meldens.

MONASTERIALES SIVE SECVLARES MALE CONCEPTAS SOBOLES, QVAS IN PECCATIS GENVERVNT, MAXIMA EX PARTE OCCIDVNT, &c.] Add. Lud. 4. Tit. 102. Memorabile est, quod Hludovicus Episcopus Augusteus scribit, in Epistola de cleri cœlibatu. *Gregorius cum die quadam in vivarium suum propter pisces misisset, & allata inde plus quam sex millia infantium capita videret, intima mox ductus pœnitentia ingemuit*, &c.

MONETA] Cap. L. Sal. Tit. 3. §. 11. Cap. 3. Tit. 13. Locus ubi pecunia cuditur. Vid. quæ ad Ammian. notata.

MONETA VALENTINIANI, GENAFENSIS, GOTHIVS, ARDARICANVS] Burg. add. 2. §. 6.

MONETA NOVA] Fris. Tit. 1. §. 9. Fris. add. Tit. 3. §. 78. Monetæ Frisicæ mentio in Privileg. Bremens. pag. 159. *Quadraginta libræ argenti Frisicæ monetæ levioris.*

MONETAM PENSANTEM QVI ACCIPERE NOLVERIT] Burg. add. 2. §. 7. Vid. L. 1. C. de vet. numism. potest. Novell. Leon. 52.

MONETARE] Capit. Leg. Sal. Tit. 3. §. 11.

MONETARIVS] Cap. 4. add. 2. §. 12.

MONILIA] Angl. Tit. 6. §. 6. Gloss. *Monile ὅρμος γυναικεῖος. περιτραχήλιον monile, hic falarus, collare.* Prudent. Psychom.

— discissa trahuntur
Serta venustatis, colliq; ac verticis aurum
Solvitur, & gemmas discordia dissona turbat.

MONITIONEM FACERE] Long. 1. Tit. 14. L. 8. Supr. *Mannire.*

MONOMACHIA] Neap. 2. Tit. 33. *Monomachiam, quæ duellum vulgariter dicitur.* Paul. Warnefr. de Longob. lib. 4. cap. 49. Gundiberga *cum de crimine adulterij apud virum accusata fuisset, proprius eius servus Carellus nomine, à Rege expetijt, ut cum eo, qui Reginæ crimen ingesserat, pro castitate suæ dominæ monomachia dimicaret. Qui dum cum criminatore illo singulare certamen inisset, eum cuncto populo astante superavit: Regina vero post hoc factum ad dignitatem pristinam redijt.* Iohan. Saresberiens. Epist. 122. *Archiepiscopum dicebat extinctum veneno, sibi per Archidiaconum in mensa Domini propinato, promittens constanter, se hoc ferri candentis, aut aquæ ferventis, aut monomachia, aut alio iudicio probaturum.*

MORBI ARTE MAGICA ET INCANTATIONIBVS NON CVRANDI] Add. Lud. 3. Tit. 60. Magnam in magicis susurraminibus vim remediorum veteres posuere. Marcell. ex magistro officior. Theodos. de medicina.

Gramine seu malis ægro præstare medelam,
Carmine seu potius: namq; est res certa saluti
Carmen, ab occultis tribuens miracula verbis.

Amm. Marcellin. lib. 16. *Incantamentum ad leniendum adhibuisset dolorem.* Ad quem locum vide quæ notata.

MORDRIDO] Boior. Tit. 18. cap. 2. *MORDRITVM.* Rip. Tit. 15. *MORTAVDO.* Alm. Tit. 49. 76. Long. 1. Tit. 9. L. 15. Tit. 36. L. 1. *MORTVDO.* Form. 160. Ivo part. 9. cap. 70. ex concilio Aurelian. *Qui sponte per fraudem & avaritiam hominem innoxium occiderit, quod mortridum vocant.* Pœnitent. Rom. lib. 3. cap. 8. ex concilio Magontinens. *Per fraudem & avaritiam hominem innoxium occidunt, quod morchidum vocant.* Ita edidit Ant. Augustinus vir doctiss. in quo sane lapsus est, dum ab hominis cæde dictam vocem putat: legendum enim *morthidum vocant.* *MORDRVM.* Saxon. Tit. 2. §. 6. *MORTH.* Fris. Tit. 20. Guilelm. Bastard. *De periurio, aut murdro, furto aut homicidio.* LL. Edoardi Reg. à Guil. confirmatæ, cap. 15. *LEX MVRDRORVM. Si quispiam murdratus alicubi reperiebatur, quærebatur apud villam ubi inveniebatur interfector illius.* Cap. 16. *DE INVENTIONE MVRDRI. Murdra quidem inventa fuerunt & constituta in diebus Canuti Reg.* Cap. 19. *Murdrator vel traditor.* Sensum autem magis legis, quam vocem interpretantur veteres Glossæ, quæ sic habent: Morth, *iniuria liberæ mulieris, quæ est in mundio Regis.* Germ. Morth *latrocinium.* inde *MORTAVDIRE.* Alm. Tit. 76. id est lacrocinari. Germ. Morden.

MORGENGEBA] Burg. Tit. 42. §. 2. Alm. Tit. 56. Rip. Tit. 37. §. 2. Long. 1. Tit. 9. L. 12. Long. 2. Tit. 1. 4. 8. Tit. 4. L. 1. 4. Tit. 12. L. 1. Tit. 14. L. 15. LL. Canuti Reg. cap. 71. Morgangife. Spec. Sax. lib. 1. Art. 20. Papias. *Morgingabb, id est, quarta pars in lege Longobardorum*

dorum. Glossar. vett. Morgin *Germanicè significat mane*, & Gab, *donatio*, unde dicitur Morgengab *donatio facta mane quando eam ducit*. In pactione Guntheranni & Childeberti Regum, & Brunichildæ Reginæ apud Gregor. Turon. lib. 9. c. 20. *Tam in dote, quam in morganagiba, hoc est, matutinali dote*. Huiusmodi donatio iure feudali fieri non potest. Feudor. lib. 2. Tit. 8. §. 2.

MORIOC] Long. 1. Tit. 6. L. 6. *brachium super cubitum, hoc est morioc*.

MORTIBUS HUMANIS VIDEMUR GRATULARI, SI COMPENDIUM EXINDE STUDEMUS QUOLIBET MODO FACERE] Cap. Karol. Reg. Tit. 20. Gregor. Mag.

MORTUOS IN ECCLESIA NULLUS SEPELIAT] Cap. 1. Tit. 169. Theodulphus Aurelianens. Episcopus ad fratres compresbyteros. *Antiquus in his regionibus in Ecclesia sepeliendorum mortuorum usus fuit, ut plerumq; loca divino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hostias præparata, cœmiteria sive polyandria facta sint. Vnde volumus ut ab hac re deinceps abstineatur, ut nemo in Ecclesia sepeliatur*. Concil. Bracar. 1. Can. 18. *Placuit ut corpora defunctorum, nullo modo in basilica sanctorum sepeliantur, sed si necesse est deforis circa muros basilicæ, usq; adeo non abhorret*. Sic apud Optatum Milevitan. lib. 3. de circumcellionum mortuis corporibus. *Ex quorum numero cum aliqui in basilicis sepeliri cœpissent, Clarius presbyter in loco Subbulensi ab Episcopo suo coactus est, ut insepultam faceret sepulturam. Vnde proditum est mandatum fuisse fieri quod factum est, quando nec sepultura in domo Dei exhiberi concessa est*. Idem lib. 6. *Ad hoc basilicas invadere voluistis, ut vobis solis cœmiteria vindicetis, non permittentes sepeliri corpora Catholica*. Synod. Meldens. cap. 9. Synod. Tribur. cap. 17. Synod. Mogunt. cap. 42. excipiuntur Episcopi, Abbates, & digni presbyteri. Vnde *Constantinum Magnum ipsius filius honore magno censuit haberi, si pro foribus piscatoris paternum corpus collocaret*. Ioh. Chrysost. Homil. 66. p. 364. Attamen apud Iulianum Episcop. Toletan. lib. 1. Prognost. cap. 19. 20. videmus, fideles quoscunq; in Ecclesiis sepeliri solitos, & quidē apud memorias martyrum, ut ipse inquit. Adeo paulatim eviluit, quod bono modo constitutum fuit, cum ne intra muros quidem civitatum mortuos sepelire concessum esset: L. 2. C. de Sacros. Eccles. Quod postea Leo Imp. novella sua constitut. 53. mutavit. Vid. Decret. Ivonis part. 2. Tit. de sepulturis.

MORTUORUM ORNAMENTA VEL VESTIMENTA] Wis. 11. Tit. 2. L. 1. Sal. Tit. 57. Boior. Tit. 8. cap. 4. Vestitum sepeliebant cum ornamentis. Gregor. Turon. Histor. lib. 8. cap. 21. *Sepulta est cum grandibus ornamentis & multo auro*. paulo post. *Detexerunt sepulchrum, tollentes & auferentes omnia ornamenta corporis defuncti, quæ reperire potuerunt*. Idem alibi. *Exinde vestitus atq; ablutus in Ecclesiam defertur*. Et. *Adfuit quædam matrona, quæ ablutam dignis vestijt vestimentis*. Pœnitent. Rom. Tit. 4. cap. 8. *infringeres sepulchrum & tolleres vestimenta eius*. Vid. quæ ad Amm. Marcellin. notata, lib. 16.

MORTITIA] Neap. 1. Tit. 84.

MORTUUM SUPER MORTUUM PONERE] Cap. 6. Tit. 195.

MOVITA] Form. 119 120. *In sua orta contentione, vel in sua movita*, &c. id est, proprio motu aut malitia. Gall. *mauvaistie*.

MUCCUS] Alm. Tit. 62. Rip. Tit. 70. *Muccus nasi*. Plautus Mostel. Veget. Mul. lib. 2. *Muccinium*, quo nasum emungimus. Arnob. advers. gent. *Muccidus homo*, cui muccus è naribus fluit. Plautus Epidico. MUCCARE. Rip. Tit. 5. *Si nasum excusserit, ut muccare non possit*.

MUFFULÆ] Add. Lud. 1. Tit. 22. 79. Gall. *Mouffles*. Germ. Muffe.

MULCTAM QUÆ IN CHARTA SCRIPTA EST COMP.] Long. 2. Tit. 34. L. 10. 12. Cap. 3. Tit. 43. Eiusmodi mulctam contractibus additam, etiam in monumentis invenimus Rom. Inscriptio vetus pag. 765. 809.

QVI EXTERVM INDVCERE VOLVERIT. POENÆ NOMINE INFERAT ARCÆ PONTIFICVM HS. L. M. N.

Alia inscriptio pag. 801.

NEQVE. VLLI. LIQVEBIT. LOCATIONIS. CAVSA. IN. ANNIS. CENTVM. QVANDOQ. TRANSVENDERE. QVOD. SI. QVI. ADVERSVS. IT. FECERINT. EORVM. BONA. PERTINERE. DEBEBVNT. AD. REMPVBLICAM. BRVNDISINORVM.

MVLTA] *Id est, mulctam.* Cap. Kar. Reg. Tit. 20. Form. 17. &c. Sic sæpe in Mss. LL. Ripuar.

MVLIER QVÆ IN ALTERIVS MVNDIO EST] Long. I. Tit. 16. l. 2. 7. Infr. *Mundium.*

MVNDEBVRDE] Cap. L. Baior. §. 9. Rip. Tit. 35. §. 3. Tit. 8. §. 12. 13. Cap. 6. Tit. 223. *Sub mundeburde vel defensione.* Form. 37. 38. 86. *Mundeburden vel defensionem eligere.* Form. 88. *Patrocinium vel defensionem.* Form. 91. 95. 103. 196. Papias. *Mundeburda Regum vel Principum sunt præcepta.* Gloss. vett. in Bedam de vita Gutberti. — *vox alma patroni. Patroni* Mundboran. Donatio Ottonis I. apud Wagnerum de Thuring. *Romano subiecimus mundeburdio.* Antiquit. Fuldens. lib. 2. Charta 39. *Sub vestro dominio vestroq; auxilio & defensione seu mundeburde omni tempore secura consistat.* In annunciatione Caroli Reg. ad Ludovicum fratrem. *Filiam nostram Iudith viduam secundum leges divinas & mundanas sub tuitione Ecclesiastica & regio mundeburde constitutam, Balduinus sibi furatus est in uxorem.* Chronic. Laurishaim. p. 59. *Monasterium cum omnibus illuc pertinentibus in manus & mundeburdem gloriosi Regis, Caroli tradidit,* &c. Burchard. Decretor. lib. 19. p. 268. *Rapuisti uxorem tuam, & vi sine voluntate mulieris vel parentum, in quorum mundiburdio tenebatur, illam abduxisti.* Anglo-Saxonic. Mundbyrd. in LL. Alfredi Reg. cap. 5. In Fœdere Alfredi, Eduardi & Gutrunni Reg. Anglo-Sax. cap 12. For mæg and for mundboran. *ante cognatos & patronos.* Gall. *Manburnie.* Froissard. Vol. I. cap. 155. *Fussent en garde baille, tutele, cure, manburnie.*

MVNDIVM] Alm. Tit. 51. §. 2. *Ad priorem maritum mundio pertineat.* Tit. 54. §. 2. *mortua fuerit, antequam illi mundium apud patrem adquirat.* MVNDIVM *de libera.* Long. I. Tit. 2. L. 8. MVNDIVM *facere.* Long. I. Tit. 30. L. I. Long. 2. Tit. I. L. 6. Tit. 2. L. I. Tit. 7. L. I. Tit. 12. L. I. 7. MVNDIVM *dare.* Long. 2. Tit. I. L. 5. Tit. 37. MVNDIVM *suscipere.* Long. I. Tit. 9. L. 12. Long. 2. Tit. 12. L. 9. MVNDIVM *tantum suscipere, de rebus alijs nihil.* Long. 2. Tit. 14. L. 24. MVNDIVM *in potestate habere.* Long. I. Tit. 30. L. I. Long. 2. Tit. I. L. I. Tit. 6. L. I. Tit. 11. l. 2. MVNDIVM *habere.* Long. I. Tit. I. L. I. 4. MVNDIVM *amittere.* Long. 2. Tit. 13. L. I. *Parentes ad quos* MVNDIVM *pertinet.* Longobard. I. Tit. 9. L. 13. Tit. 16. L. I. Tit. 30. L. 3. Long. 2. Tit. I. L. 4. Tit. 55. L. 2. MVNDIVM *pater aut frater liberaverit.* Long. 2. Tit. 14. L. 15. *Pro mundio sororum tollant naturales filij tertiam partem,* &c. Long. 2. Tit. 14. L. 8. 9. MVNDIVM *puellæ parentibus mortuis ad curtem redit.* Long. 2. Tit. 21. L. 11. MVNDIVM *ancillæ manumissæ in charta libertatis adscriptū.* Long. 2. Tit. 34. L. 4. *In alterius* MVNDIO *esse.* Long. I. Tit. 16. L. 2. MVNDIATA *uxor.* Long. 2. Tit. 12. L. 9. *Sine* MVNDIO. Long 2. Tit. 10. L. I. *In suæ potestatis arbitrio, id est sine mundio vivere.* German. Mündig, id est sui iuris, neq; tutoris sub potestate constitutus. Vormünder tutor vel curator.

MVNDVALDVS] Long. I. Tit 30. L. 11. Tit. 33. L. 3. Long. 2. Tit. 2. L. 4. Tit. 6. L. I. Tit. 8. L. 2. Tit. 37. L. I. Neap. 2. Tit. 38. L. 2. A *mundio* derivatur: velut Mundeburde, *tuitio*, Munthere *patronus* in Glossar. Latino-Theotisc. Walt *potestas* Germ. hinc & Italis in usu, *Il mundualdo.*

MVNICIPALIBVS GESTIS ALLIGARE] Form. 13. Sup. *Gesta.*

MVNIMEN] Long. 2. Tit. 35. l. 6. 9. id est, charta, qua se munire ac defendere quis possit.

MVRENÆ] Angl. Tit. 6. §. 6. Gloss. Latino-Theotisc. *Murenulæ, catenulæ teretes.* Hieronym. de laudibus Asellæ. *Aurum colli sui, quod quidem murenulam vulgus vocat, quod scilicet metallo in virgulas lentescente quadam ordinis flexuosi cathena contexitur, absque parentibus vendidit, &c.* Gregor. Mag. PP. in cantica canticor. cap. 2. *Murena piscis est, qui captus vertit se in circulum, ad cuius exemplar fit inauris, quæ murenula dicitur. — murenulis monilia collo ligantur.* Moyses lib. 4. cap. 31. *Periscelides, & armillas, annulos & dextralia, ac murenulas.* Interpretes LXX. reddidere χλιδῶνα, καὶ ψέλλιον, καὶ δακτύλιον, καὶ περιδέξιον, καὶ ἐμπλόκιον. Willeramus Abb. in Cantic. Canticor. p. 13.

Auri murenas argento vermiculatas
Nos tibi nectemus. —

Murenas vertit Goltchetenon in Lamprethe wise. Athanasius Biblioth. apud Baron.

Baron. Tom. 10. Anno 843. *Murenas prasinas, murenam eriphilem.* In carmine de Carolo Mag. apud Canis. Antiq. Lect. Tom. 6. male legitur *Murmarum* vel *murinularum*, ἀντὶ τοῦ *murenarum*, vel *murenularum*.

MVTVLI] Rip. Tit. 60. §. 4. Non magis quid mutuli hic sint intelligo, quam quid hoc ipso in loco *Butina*, & *Bottones*, vel *Botontini* apud agrimensores: nam quod Servius in fine Æneid. 1. *Mutulos capita trabium* interpretatur, quæ *proceres* nominantur, id ad architecturam proprie pertinet, quomodo etiam à Vitruvio usurpatur.

N.

NAPINA] Sal. Tit. 29. §. 13. Gloss. *Napus* βουνιάς. Inde *Napina*, locus ubi napi reconduntur.

NASCENDO ESSE] Longob. 2. Titul. 21. L. 9.

NASSA] Long. 1. Tit. 25. L. 36. Plautus Milite gloriof. Scen. *Satin.* — *ex ista nassa ego hodie escam petam.* Gloss. *Nassa*, κύρτος ἁλιευτικός.

NASTAID] Alm. Tit. 56. §. 2. *Liceat illi mulieri iurare per pectus suum, & dicat. Quod maritus meus mihi dedit in potestate, & ego possidere debeo: hoc dicunt Alamanni nastaid.* Germ. Aid *iuramentum*, sed quid Nast, non liquet.

NASI ABSCISSIO] Wis. 12. Tit. 3. L. 3. *Nasus à presso abscissus.* Alm. Tit. 62. §. 3. *Nasus scapelletur.* Long. 1. Tit. 25. L. 61. Cap. Karoli ad L. Sal. Tit. 3. § 7. Cap. 5. Tit. 135. Pœnæ huius etiam mentio in LL. Canuti Reg. Anglo-Saxon. cap. 27. 50. Novell. 134. cap. 13. Novell. Leon. 32. 34. Alia exempla ex Theophil. Simocatta, Zonara, Niceta, adducere longum nimis foret.

NATALIS S. REMIGII] Cap. 2. Tit. 35. Eusebius Emiss. sive potius Eucherius Episcop. Lugd. Homilia de S. Genesio. *Beatorum martyrum passiones, natales vocamus dies, quando eos martyrij vita & gloria fides dum ingerit morti, genuit æternitati, & perpetua gaudia brevi dolore parturijt. Merito plane dicendo natales dies, per quos illi, qui nati fuerant in hanc fragilitatis humanæ miseriam, subito renascuntur in gloriam, vitæ perennis initium de mortis fine sumentes.* Hrabanus Maurus de instit. cler. lib. 2. cap. 43. *Dicuntur quædam festivitates Natalitia, & merito. Quomodo enim consuete nasci dicitur, cum quis de utero matris procedens hanc in lucem egreditur; ita rectissime potest natus dici, qui a vinculis carnis solutus, ad lucem sublimatur æternam. Et inde mos obtinuit Ecclesiasticis, ut dies beatorum martyrum sive confessorum Christi, quibus de seculo transierunt, NATALES vocitemus, eorumq; solemnia non funebria sed Natalitia dicantur.* Eadem Albinus in Iohan.

NATIO] Long. 1. Tit. 9. L. 16. Id est, genealogia. NATIVITAS. Long. 1. Tit. 16. L. 2. *secundum nobilitatem.* L. 3. ibidem. *Nativitas*, id est genealogia, ut alibi.

NATVRALES LIBEROS, SECVNDVM LEGEM ROMANAM, ANTE CVRIAM PVBLICAM IN LEGITIMA TOTIVS HEREDITATIS INSTITVERE HEREDES] Form. 64. *Curiæ oblatione naturalis filius in solidum heres scribi potest.* L. 3. Cod. de natur. lib.

NAVFRAGARE] Wis. 8. Tit. 3. L. 12. Formul. 175. *Naufragare res suas.* Long. 2. Tit. 29. L. 6. Tit. 32. L. 5. *in naufragium imponere.* Form. 19. 20. 29. 30. 175. *Naufragus.* Long. 1. Tit. 25. L. 60. *Naufragi homines.* Long. 2. Tit. 55. L. 17.

DE NAVFRAGIIS QVÆ CVRIÆ NOSTRÆ DEBENTVR] Neap. 1. Tit. 58. L. 1. Naufragorum miserrima fortuna. L. 3. §. 8. ff. de incend. ruin. naufr. Itaque res naufragæ semper prioris domini manent. L. 13. ff. de acquirend. vel omit. L. 21. ff. eod. L. 7. ff. pro derelicto. & toto Tit. ff. de incend. ruin. naufr. L. 1. C. de naufrag. Atque sic quidem iure Rom. Lege vero Rhodia antiqua, ut puto, naufragorum bona ad publicanos pertinebant. Chirius Fortunatian. Rhetor. lib. 1. Sorianus & Sopater in Apthonium p. 107. Νόμος τὰ ναυάγια τῶν τελωνῶν εἶναι. L. 9. ff. ad L. Rhod. de iactu. Ναυφράγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, διηρπάγημεν ὑπὸ τῶν δημοσίων. Hoc ius ad territorii quoque dominos translatum. Pont. Paulinus Epist. ad Macar. *Ne patiaris invidia diaboli per hominem improbum Secundiniano vel iam ereptum negari, quod illi de naufragio redonavit DEVS. Procurator Christiani viri fratris nostri Posthumiani esse di-*

citur, qui eam navim in Brutiorum littore, quo possessio Senatoris alluitur, allapsam, avarior mari, & sin e myoparone pyraticam in terra agens occupavit, & captam vacuefecit. Et quidem adeo invaluit, ut non res tantum, sed homines quoque ipsi ex naufragio servati, fisci commodis adscripti, in servitutem abducerentur. Cuius rei exemplum habemus apud Albertum Abb. Stadens. pag. 153. *Friderici avia & mater de Anglia navigantes in comitatu Stadensi naufragium passæ sunt, & secundum prisci iuris rigorem tam homines, quam res, regiæ ditioni sunt mancipati.* Et post pauca. *Quæsivit in sententia, an licitè posset vindicare sibi mancipium suum* (nempe quod iure naufragij possidebat) *ubicunq; reperiret. Et cum lata esset sententia quod posset, dedit magnam alapam Olrico.* Per alapam enim dominus servum sibi vindicabat. Specul. Saxon. lib. 3. Artic. 32. Sequitur in Alberto *avia & mater sub prætextu naufragij, servituti sunt addictæ.* Quod ipsum ipsissimis verbis in Historia Bremensi legitur. Humaniores qui fuere, diras huiusmodi consuetudines paulatim edictis severioribus abolere conati sunt: quæ partim in Cod. Tit. de naufragijs extant, partim etiam apud Historicos aliosque scriptores leguntur. Guilelm. Neubrig. Histor. Angl. lib. 4. cap. 26. p. 372. de Henrico Rege Angl. *Antiquam inhumanam circa naufragos consuetudinem in ipsis regni sui initijs eximia pietate correxit: atque huiusmodi hominibus ab æquoreo discrimine liberatis, humanitatis officium exhiberi præcipiens, graves in eos pœnas sanxit, qui forte illis in aliquo molesti esse, vel de rebus eorum quippiam usurpare præsumerent.* Hildebertus Episcopus Cenoman. Epist. 65. ad Honorium PP. *In diem præfati conventus* (Synodi Nannetensis) *huiusmodi consuetudo in terra Comitis* (Britannorum) *extiterat, ut decedente marito vel uxore, universa decedentis mobilia in proprietatem potestatis transirent. Præterea quidquid evadebat ex naufragijs totum sibi fiscus lege vindicabat patria, passosq; naufragium miserabilius violentia Principis spoliabat, quam maris rapina, quam procella. Vtramq; autem exactionem sub oculis totius concilij Comes in nostra manu deposuit, postulans in eos excommunicationis gladium extendi, quicunq; aliquando vel manumissa petere, vel manumissionis plenitudinem imminuere attemptarent.* Decretum hoc Honorius PP. plenius confirmavit, hæc insuper addens, ibid. Epist. 67. *Iniquum censemus esse, ut quem divina clementia magnitudo à sævientis pelagi voracitate exemit, hominum sæva rapacitas audeat spoliare. Piorum namq; Impp. emanavit auctoritas, ut etiam earum rerum, quæ in tempestate maris levādæ navis eijciuntur, non amittatur dominium. Non enim eas quis eo animo abijcit, quod habere nolit, sed quod periculum effugere possit. Et qui res ipsas lucrandi animo abstulerit, furtum committit.* Inde quoque iure Canonico excommunicati, qui naufragos spoliant. Text. in C. Excommunicationi. Extr. de rapt. Huc pertinent constitutiones Impp. Frid. C. de Furtis. Caroli V. Rer. criminal. cap. 219. Christierni Regis Daniæ in Apologet. P. Parvi contra Ioh. Magnum. cap. 30. Vid. Gail. Observat. lib. 1. cap. 15. Georg. Remum. in Nemesi Karul. cap. 218.

NECARI IN LVTO] Burg. Tit. 34. §. 1. Supr. *In Luto.*

AD NECESSITATEM CORPORIS SVI SEDERE] Long. 1. Tit. 16. L. 5. ad onus naturæ reddendum.

NEGLECTVM NON FIAT] Alm. Tit. 36. §. 3.

NEGOTIVM FACERE] Cap. 5. Tit. 210.

NEPOTES VNA CVM PATRVIS IN AVI BONA SVCCEDVNT] Long. 2. Tit. 14. L. 18. Convenit omnino cum iure Romano. Novell. 118. cap. 1. Instit. Iustin. lib. 3. Tit. 1. de hered. ab intest. § 6 & ibid. Theophyl. In dubium postea res iterum vocata: sed quam Imp. Otto Henrici fil. prudenti consilio terminavit. Witichind. Annal. lib. 2. pag. 18. *De legum quoq; varietate facta est contentio, fueruntq; qui dicerent, quod filij filiorum non deberent computari inter filios, hereditatemq; legitime cum filijs sortiri, si forte patres eorum obissent avis superstitibus. Vnde exijt edictum à Rege* (Ottone Henrici Imp. fil.) *ut universalis populi conventio fieret apud villam, quæ dicitur Stela, factumq;, ut causa inter arbitros iudicaretur, debere examinari. Rex autem meliori consilio usus, voluit viros nobiles ac senes populi honeste tractari, & magis rem inter gladiatores discerni iussit. Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant inter filios, & firmatum est ut æqualiter cum patruis hereditatem dividerent pacto sempiterno.*

NESCI-

NESCIENTIA] Wis.12.Tit.1.l.3.

NEVSTRIA] Long.1.Tit.25.l.73. In divisione regnorum inter filios Carol. *Pippino adscripsimus Austriam, Nuistriam, Thuringiam,*&c. Annales incerti autoris, editore Pithaeo. p.5. *Pipinus Gryphoni in partibus Neustriae XII. comitatus dedit.* Guibertus Histor. Hieros. in Praefat. lib.1. *Quae olim Neustria modo Normannia appellatur, & quae Austria nunc Lotharingia, prae aliquibus accidentijs nuncupatur.* Supr. AVSTRIA.

NISI] ἀντὶ τοῦ *Sed.* Long.1.Tit.9. L.9.Tit.36.L.5.6.Long 2.Tit.8.l.4.5. Tit.10. L.1.Tit.14. L.17. Tit. 15. L.2. Tit.21. L.28. Tit.26. Neap.3. Tit.30. Form.13. &c.

NOBILIS HOMO] Longob. 2. Tit.4. L.2.

NOCTES] Form. 172. 176. *Infra IX. noctes.* Sal. Tit.26. *Super IX. noctes. Noctes XL.* Sal. Tit.49. Rip.Tit.15. L.9. §.6. Form.119. *Noctes XLII.* Long. 1. Tit. 25. L.23. Form.160. 166. 169. Cap.3. Tit. 45. Caesar. *Galli se omnes ab Dite patre prognatos praedicant, idq; ab Druidibus proditum dicunt. Ob eam causam spatia omnis temporis non numero dierum sed noctiu finiunt,*&c. Tacitus de moribus Germ. *Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant, sic constituunt, sic condicunt, ut nox ducere diem videatur.* Inde veteribus pragmaticis Gall. *Comparoir dedans les nuictz,* & similia. Sic etiam in Spec.Sax. noctes putantur Lib.1. Art.2.67. &c. & in LL. Inae Reg. cap.2. binnam thrytigum nihta, *infra triginta noctes.* Quamvis & dies numeratos sciamus. Form.110.

NOCTVRNALE] Cap.1. Tit. 80.

NODFYRS] Cap.5. Tit. 2. *Sacrilegos ignes, quos Nodfyrs vocant.* Male in alijs libris legitur *Nefratres ignes.* In tomis Conciliorum, vitâ B. Bonifacij, & Burchardo: *Sive illos sacrilegos ignes, quos Nedfri vocant.* Rusticani homines in multis Germaniae locis, festo S.Iohannis, palo ex sepe extracto funem circumligant, illumque hac illac ducunt donec ignem concipiat; quem stipula aliisque aridioribus lignis aggestis curate fovent, ac cineres collectos super olera spargunt, hoc medio erucas abigi posse inani superstitione credentes. Eum ergo ignem Nodfeur, quasi necessarium ignem, vocant.

NOFFO] Sal. Tit. 17. §. 3. *In noffo aut in petra.* NAVFO. Sal. Tit.57. §. 4. Gloss. *Naufo, sarcofago ligneo.* Gall. *Nau.* Gregor. Turon. de glor. confess. *Sancta corpora pallis ac naufis exornata.* Sic vett. Codd.

NOMINATI SACRAMENTALES] Alm. Tit. 53. *Cum XII. nominatis iurare.* Alm. Tit. 89.

NOMINVM RECITATIO] Cap.1. Tit.54. Innocent. Epist. regulari ad Decentium Eugubin. Alcuinus de divinis officiis. *Cum dicitur* MEMENTO DOMINE *famulorum famularumq; tuarum, & sic deinde subiungitur,* ET OMNIVM CIRCVMSTANTIVM, *manifestum est, quod quasi quidam locus sit, ubi aliquibus specialiter nominatis, etiam ceterorum qui assistunt, in Ecclesia commemoratio adiungatur. In quo loco aut liberum est sacerdoti, quos desideraverit, peculiariter nominare, & nominatim Deo commendare, aut certe illud, ab antiquis est observatum, ut ibi offerentium nomina recitarentur. Prius ergo oblationes sunt commendandae, ac tum eorum nomina sunt dicenda, &c.* Vid. Micrologus cap. 23.

INFANTEM ANTEQVAM NOMEN HABEAT INFRA VIIII. NOCTES OCCIDERIT] Sal. Tit. 26. §. 5. Pueris ergo nono die nomina imposuerunt, sicut & Romani. Festus in voce *Lustrici.* Inde vir & uxor inter se solidum capere poterant, si duos trimos, vel si tres post nonum diem amisissent. Vlpian. lib. Regul. Alij septimo; quidam decimo. Aristot. Harpocrat. Scholiast. Aristoph. Suidas.

NONAE] Long 3. Tit. 3. *Nonae & decimae.* Cap.1. Tit. 95. 163. Cap.2. Tit.21. Cap.4. Tit.4. 49. Cap.5. Tit. 92. 127. 145. 147. Cap.Kar. Reg. Tit.18. Can. 42. Syn. Mogunt. Can. 46. Syn. Turonens. *Nonas ac decimas, quas qui res Ecclesiasticas tenent, solvere rectoribus Ecclesiarum ordinati sunt, ad luminaria & stipendia clericorum, multis in locis abstractas esse videmus.* Can. 62 Synod. Meldens. Karol. Cal. Comitibus Abbat. &c. *Iubemus ut quisquis, &c. venerabilis Archiepiscop. aliquid habere dignoscitur, &c. nonam & decimam in missorum praesentia nostrorum, misso Ecclesiae sanctae Mariae, vel sancti Remigij rewadiet, & annis singulis ad eandem Ecclesiam persolvere studeat.*

Quicunq; vero contra hanc præceptionem facere præsumpserit, sciat secundum digna memoriæ avi & genitoris nostri Capitula se emendaturum, & ipsas easdem res amissurum. Atque hoc est quod Additione ultima dicitur. *Qui negligit censum, perdat agrum.*

NONNANÆ] Cap. 1. Tit. 17. *Nonna.* Cap 5. Tit. 2.3. *Nonnanes.* Cap. 5. Tit. 78. Cap. 7. Tit. 316. Tradition. Fuldens. lib. 2. n. 38. p 509. *Reliquias, quas Einhildis abbatissa donavit, & tradidit illis nonnanis,* &c. Hieronym. ad Eustoch. *Quia maritorum experta dominatum, viduitatis præferunt libertatem, castæ vocantur & nonnæ.* Xiphilinus in Domitiano. πολλάκις ἢ καὶ τοὺς ἀγῶνας νύκτωρ ἐποίει, καὶ ἐστὶν ὅτε καὶ νόννας καὶ γυναῖκας συνέβαλε. Floildæ visione, p. 206. *Vidit se esse in quodam amœno loco, velumq; nigrum se super caput habere, de quo cum requisisset, audivit quod fieri nonna deberet.* Moschop περὶ σχεδ. p. 93. Νόννα κύριον. Gall. *Nonnains.* Anglo-Sax. *Nunna.* LL. Alfredi Reg. cap. 18. Edmundi Reg. cap. 4.

NONNI] Add. Lud. 1. Tit. 54. Can. 18. Synod. Aquisgr. Anno 816. ex qua, & ex altera eodem anno habita, quæ in hac ipsa additione prima habentur, sumpta sunt. *Vt qui præponuntur, Nonni vocentur, hoc est, paterna reverentia.* Regula B. Benedicti. *Priores iuniores suos, Fratres nominent. Iuniores autem priores suos, Nonnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia.* Arnob. in Psalm. 105. *Si ille qui sanctus vocatur & nonnius sic agit, ego quis & quotus sum, ut non agam?* Idem in Psal. 140. *Adulantes nobis invicem in præsenti positi, sanctos nos vocamus & nonnos.*

NORMA ANCILLARVM] Form. 21. 22.

NOSOCOMIVM] Cap. 2. Tit. 29. Iulian. Novell. 7. & 111. *Vbi ægrotantes de plateis colliguntur νοσοκομεῖον Græcè dicitur, in quo consumpta languoribus atq; inediis miserorum membra foventur.* Isidor. Origin. cap. 3. ex Hieronym. ad Oceanum de Fabiola.

NOTÆ] Cap. 1. Tit. 72. *Psalmos, notas, cantus, compotum, grammaticam, per singula monasteria vel Episcopia discant.* Incertum *Notas* ne hic literarum intelligat, an vero σημεῖα illa, quibus Musici utebantur. Nam & musici certas quasdam notas habebant, longe diversas ab illis, quæ nunc frequentantur; ut ex Theone, Pappo, Aristoxene, Ptolemæo, Alypio, Gaudentio, aliisque eius artis scriptoribus, quos nos in Italiæ bibliothecis Mss. vidimus, constat. De notis autem litterarum abunde ad Valerium Probum diximus.

NOTARII IVDICIVM] Burg. Præf. *Notarij actorum.* Neap. 1. Tit. 48. 49. 59. 92. Notarii in iudicio acta excipiebant. Eorum sæpe mentio fit in Collat. Carthag. & Cod. Theod. Sed & in omni actu publico hi adhibebantur. Concil. Tolet. IIII. cap. 4. p. 333. *Ingrediantur quoq; & notarij, quos ad recitandum vel excipiendum ordo requirit.* Item Concil. Tolet. III. *Pronuntiante notario clara voce recensitus est.* In actis Concil. Calched. Ἰωάννης πρεσβύτερος καὶ πρῶτος νοταρίων ἀνέγνω θεῖον γράμμα. Et post. καὶ ἦλθον οἱ νοτάριοι τοῦ εὐλαβεστάτου διοσκόρου, καὶ ἀπήλειψαν αὐτῶν τὰς δέλτους. Sic inter Ecclesiastic. ordines notarij recensentur, qui cõfirmationum aliarumq; actuum instrumenta conficiebant. Greg. PP. lib. 4. Ep. 44. *Notarij regionarij, qui martyrum natalitia scribebant.* In libro de Rom. PP. de Clemente. *Hic fecit septem regiones dividi notarijs fidelibus Ecclesiæ, qui gesta martyrum sollicite & curiose unusquisq; per regionem suam perquirerent.* Beda in Martyrol. 9. Kal. Decemb.

NOTNVNFTI] Fris. Tit. 8. Gloss. Latino-Theotisc. *Violentia* Notnunft. Specul. Sax. lib. 3. Art. 1. Alle levende ding/ dat in der notnunft was/ dat schal men hoveden. *Omnia huic reatui (violentiæ) præsentia animalia, ut decollentur.* Lib. 1. Art. 43. Notnunfftige klage. *Violentiarum actione.*

NOVIGILDVS] Burg. Tit. 8. §. 2. Tit. 9. Tit. 19. §. 11. Tit. 45. Tit. 76. §. 2. Alman. Tit. 7. §. 1. Tit. 72. 76. 99. *Novigeldos solvere, id est, novem capita.* Boior. Tit. 1. cap. 3. §. 1. Tit. 2. cap. 13. Tit. 8. cap. 1. Germ. Gelden *mulctam componere* significat: inde *werigeldum* mulcta. *Trigeldo vel novigildo solvere,* id est tres vel novem weregeldos solvere. ut in LL. Frison. Tit. 20. Forgylden *mulctari.* LL. Alfr. Reg.

NVDI CVM FERRO] Cap. 1. Tit. 79.

NVDVS AD PALVM VAPVLET] Long. 3. Tit. 7. L. 1. Cap. 4. Tit. 30.

NVMERARIVS] Wis. 2. Tit. 26. Wis. 12. Tit. 1. L. 2. *Numerarius vel defensor*

fensor. Forum.iud. *los mirinos & los mayor domos*. Novell. Maior. 6. *Apparitores atque numerarij*. & alibi in eod. Cod. Isidor. Orig. lib. 9. cap. 4. *Numerarij vocati sunt, qui publicum nummum ærarijs inferunt, hoc est, quod pecuniam regiam ex tributis, & portorijs, & vectigalibus partam, in æraria inferebant*. Ad Numerarios extat Epistola Arthemij Episc. Tarracon. Concil. Hisp. pag. 250. De Numerariis præterea vid. Cod. lib. 10. Tit. 72. L. 13. Lib. 12. Tit. 50. Novell. 147. capp. 1. 2. Concil. Tolet. 13. & 16. & quæ Garsias Loaisa notat ad Concil. Tolet. 9. p. 469.

NVPTIÆ EX AVTORITATE MAGISTRATVS] Wis. 3. Tit. 1. L. 1. Auctoritate Principis confirmatæ. Cassiodor. Var. 7. Epist. 40.

NVPTIALE PRETIVM] Burg. Tit. 52. L. 61. Arra nuptialis.

NVPTIALIS BENEDICTIO SACERDOTIS] Wis. 12. Tit. 3. L. 8. Long. 1. Tit. 30. L. 15. Cap. 7. Tit. 363. Concil. Valentinum cap. 101. *Sponsus & sponsa cum benedicendi sunt à sacerdote, à parentibus vel paranymphis in Ecclesia sacerdoti offerantur*, &c. Burchard. Decret. lib. 9. cap. 5. Novell. 74. cap. 3. Novell. Leon. 74. 89. 98. 109. Novell. Alexij Comn. cap. 3. Theophyl. Simoc. lib. 1.

NVSCÆ] Angl. Tit. 6. §. 6. Gloss. Latino-Theotis. *Fibula, nusca*. Item. *Lunula, nusculi*.

NVTRIMEN ANIMALIVM] Cap. 4. Tit. 40. Cap. 5. Tit. 46. Synod. Aquisgr. Can. 122. *Loca ei congrua adtribuat, in quibus nutrimina fiant*. In Capitul. Episcop. Rhem. & Rothom. provinc. *Faciant nutrimina congrua & necessaria*. Alexand. PP. Privileg. Laurishaim. *Novalium vestrorum quæ proprijs manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus omnino à vobis decimas vel primitias exigere præsumat*. Supr. *Caput cum nutrimine*.

NVX CASTANEA] Longob. 1. Tit. 19. L. 8.

O.

OBEROS] Long. 1. Tit. 24. L. 5. 6. Long. 1. Tit. 36. L. 4. *Oberos, id est, curtis ruptura*. Legendum autumo, *Hoberis*. *Hobe* vel *Hove*, sive ut nunc pronunciatur Hoff / Germanis est, quod *Curtis* Gall. Inde Hovawart canis curtem custodiens. Boior. Tit. 19. cap. 1. § 9. Spec. Saxon. lib. 3. Art. 51. Ris vel Risse fissura est sive ruptura. Nisi sic interpretetur, tum vero quid vox significet, non satis liquet.

OBLATA] Cap. 1. Tit. 48. Cap. 5. Tit. 22. *Oblationes*. Cap. 6. Tit. 84. *Oblationes defunctorum*. Cap. 7. Tit. 199. Iso de miracul. Othmar. cap. 3. *Panis rotulæ, quæ vulgo oblatæ dicuntur*. Synod. Gangr. Can. 7. 8. Καρποφορίαι, αἱ συνήθως ταῖς ἐκκλησίαις προσαγόμεναι. ut Zonaras Monach. scribit.

OBLIGATORES] Qui ligaturas faciunt. Cap. 1. Tit. 64. Cap. 6. Tit. 72. Augustin. 2. de doctr. Christ. Sermone in natali Martyrum Protasij & Gervasij. Synod. Rothomag. Can. 4. Synod. Remens. Can. 42. *Non ligaturas ossium vel herbarum cuiquam mortalium adhibitas prodesse, sed hæc esse laqueos & insidias antiqui hostis*.

OBMALLARE] Sal. Tit. 37. § 8. Form. 9. *In vicem auctorum causas ipsius licentiam habeat adsumendi vel obmallandi*. Form. 115. 178. *causas suas in vice ipsius, tam in pago quam in palatio nostro admallandum vel prosequendum recipere*.

OBNOXIATIO] Burg. Tit. 47. § 2. Form. 51. 135. 136. 137. *Obligatio qua se homo liber in servitium alteri tradit*. Long. 2. Tit. 33. L. 2. *Obnoxia*, pignori obligata. L. 1. C. de precario. L. 6. C. quæ res pign. *Obnoxiatio*, oppignoratio.

OBREPTIO] Neap. 1. Tit. 96. l. 3.

OBSCARIONES] Long 2. Tit. 55. L. 19. *Per sacramentum obscarionum*. Gloss. *Obscariones, carcerum custodes*. Chronicon Sangall. de Carolo Mag. lib. 2. p. 376. *Dixit nominatus, non revera Episcopus, ad ostiarium vel scarionem suum, cuius dignitatis aut ministerij viri apud antiquos Rom. ædilitiorum nomine censebantur*. Forsan sic quoque intelligendum, quod in veteri martyrologio legitur, in vita S. Victoris. *Amputatum est caput eius ab scurrone*. Et paulo post. *Fecit eas incendi ante se ab scurrone*.

OCCASIONES] Cap. 4. Tit. 47. In præcepto Chlodovei Erchenbaldo duci. *Nec ullas redhibitiones vel illicitas occasiones requirendas*. In duplom. Hloth. & Ludov.

Nec ob ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, nostris & futuris temporibus ingredi audeant. Aimoin. lib. 5. cap. 17.

OCTOGILT] Long. 1. Tit. 18. L. 1. Tit. 19. L. 6. 13. Tit. 23. L. 7. Tit. 25. L. 12. Tit. 36. L. 3. Tit. 25. L. 44. &c. Long. 2. Tit. 21. Tit. 25. *Octogilt* ita dictum, ut *Novigild.* Supr. OCTOGILD *duplum.* Long. 1. Tit. 34. L. 1.

OECONOMVS] Cap. 2. Tit. 29. Cap. Kar. Reg. Tit. 15. L. 3. C. Theod. De his qui ad Eccles. conf. L. 25. C. de Sacros. Eccles.

OCVLORVM EFFOSSIO] Wis. 2. Tit. 1. L. 7. *Omnem visionem oculorum extinguere.* Wis. 6. Tit. 3. L. 7. Boior. Tit. 1. cap. 1. §. 1. Tit. 3. c. 15. §. 1. Long. 1. Tit. 25. L. 68. Capit. 5. Tit. 135. Novell. Leon. 92. LL. Canuti Reg. Anglo-Sax. cap. 27. LL. Guilel. Bastard. *Interdico ne quis occidatur vel suspendatur pro aliqua culpa: sed eruantur oculi, & abscindantur testiculi, vel pedes vel manus, ita quod truncus vivus permaneat in signum proditionis & nequitiæ suæ.*

OFFICIVM IVDICII] Edict. Theod. cap. 4. 10. 55. *Officium iudicis.* L. 6. C. de sent. & interlocut. locisque aliis innumeris in utroque Cod.

OFFICIVM DOANÆ DE SECRETIS] Neap. 1. Tit. 58.

OFFICIALES] Cap. 2. Tit. 29. *Officiales Reip.* Neap. 1. Tit. 35. L. fin. C. de Episc. aud. Authent. ad L. 19. Cod. eod. Apul. Mil. 1. *Iubet officialem suum pisces inscendere.*

OLEI SACRATI VNCTIO] Cap. 6. Tit. 105. *Oleum benedictum.* Cap. 6. Tit. 175. *Oleum benedictionis.* Add. Lud. 3. Tit. 39. *Oleum infirmorum.* Cap. 6. Tit. 176. Vid. quæ notata sunt ad Tertull. De præscript. adversus hæret. cap. 41.

OLICA] Form. 62. 69. L. 7. Cod. Theod. de bon. proscript. *Vineis, olivis, aratorijs, pascuis.* Legendum *olicis*, aut certe *olivetis*; ut in Gloss. *Olivetum* ἐλαιών.

OLONA] Long. 3. Tit. 1. L. 46. *Inter Adduam & Olonam.* Constit. Frid. de pace Constantiæ.

OPVS COMITIS] Long. 1. Tit. 2. L. 10. *Opus Regis.* Long. 1. Tit. 2. L. 10.

OPERA CARRALIA] Cap. 1. Tit. 8.

OPERATRICARE] Alm. Tit. 96.

OPERAS DARE] Long. 1. Tit. 25. L. 53. *Operas reddere.* Long. 1. Tit. 25. L. 55. *Operas requirere.* Ibidem. *Operas suas diurnas nocturnasque locare.* Capit. 7. Titul. 254.

OPERARI TRES DIES IN DOMINICO] Boior. Tit. 1. cap. 13. Charta manumissionis in Alm. Gold. Tom. 2. p. 35. *Annis singulis censum inde persolvant, qualicunque pretio potuerint, sol. 1. insuper & IIII. dies in messe aut ad fœnum colligendum perficiant.*

QVÆRERE OPINIONEM FACERE DOMINO] Boior. Tit. 2. cap. 7. §. 1. Gall. *Chercher de faire reputation a son seigneur.*

OPTIMATES] Burg. Prol. Rip. Tit. 88 *Optimates nobiles.* Burg. Tit. 2. §. 2. Burg. add. 1. Tit. 14.

ORACVLVM] Wis. 2. Tit. 1. L. 30. *Serenitatis nostræ oraculo confirmetur.* Wis. 12. Tit. 3. L. 1. *Nostris oraculis confirmamus.* Formul. 7. *antelato nostræ serenitatis oraculo.* Novell. Maior. Tit. 7. *Sine cælesti oraculo.* L. 9. C. Theod. de iurisdict. *auxilium nostri poscat oraculi.* L. 5. Cod. Th. de denunt. vel edit. *Statuta oraculi.* L. 5. C. Theod. de aquæduct. Iornand. de reb. Get. *Donatio sacro oraculo confirmata.* Concil. Tolet. 16. pag. 693. SS. Patres de Egicano Rege: *sui oris dulcifluis exhortans oraculis ait.* Ab hac forma loquendi etiam *Numinis* titulum sibi adtribuebant Impp. L. 10. C. Theod. de divers. rescript. &c. Consequenter etiam *Altaria.* L. 8. C. Th. de Suariis. Novell. Valent. 4. Hinc & *Cælestis indulgentia.* L. 4. C. Theod. de calcis coctor. *Cælestia statuta.* L. 3. Cod. Theod. de stud. liber.

ORACVLA] Long. 3. Tit. 1. L. 17. id est, oratoria. Cap. 5. Tit. 230. Paul. Warnefr. de Longob. lib. 4. cap. 48. *Oraculum S. Michaëlis archangeli in monte Gargano situm* Cap. 50. *Condidit apud Ticinum oraculum Domini Salvatoris.*

ORATORIVM] Cap. 6. Tit. 101. 127. Formul. 5.

ORARIA] Cap. 5. Tit. 81. Synod. Mogunt. Can. 28. *Stola.* Cap. 5. Tit. 169. Alcuinus de instit. cleric. lib. 1. cap. 19. Alcuin. de divin. off. Ivo Carno. Concil. Tolet. 4. cap. 28. Concil. Remens. p. 100. Germa. C. P. de reb. Eccl. p. 150. Anastas. Sinait. Antiq. Lect. Canis. Tom. 3. p. 120.

Papias.

Papias. *Orarium stola sacerdotalis, operculum capitis.* Suid. Προσώπε τὸ σκμάγλον. Rufino est ὀθόνη. Nam quod Euseb. Eccles. Histor. lib. 8. Μὴ δὲ ὡς ἐν τοῖς θεάτροις χαλασάσει τᾶις ὀθόναις; Rufinus ita vertit: *Ab auditoribus vero non favorem neque plausum sperare solum, sed theatri more oraria moveri sibi expectabant.* Vnde assequemur quis sit Orariorum usus apud Vopiscum in Aureliano. *Ipsumq́ue* (inquit) *primum donasse oraria Pop. Rom. quibus uteretur populus ad favorem.* Walafridus Strabo de reb. Eccles. cap. 10. *Primi ordinis in Ecclesia utuntur orariis, quia ad ipsos pertinet docendi officium.* In Pontificali Rom. sub Stephano, de degradatione Constantini in Basilica S. Salvatoris. *Constantinus in medium adductus, lectis sacratissimis canonibus ita depositus est. Accedens Maurianus subdiaconus orarium de eius collo abstulit, & ante pedes eius proiecit, & compagos ipsius abscidit.* Qui locus singularis est, & pertinet valde ad C. *Pervenit.* Distinct. 93. qui etiam in Romana recognitione malè habet. De Orariis benè Oecumen. iu Acta Apostolor. cap. 19. Σουδάρια καὶ σιμικίνθια λινοειδῆ εἰσιν ἀμφότερα, πλὴν τὰ μὲν σουδάρια, ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιβάλλεται, τὰ δὲ σιμικίνθια ἐν ταῖς χερσὶ κατέχουσιν, οἱ μὴ δυνάμενοι ὠράρια φορεῖν. οἷοι εἰσὶν οἱ φοροῦντες ὑπατικὰς στολὰς ἢ γοῦφια, πρὸς τὸ ἀπομάττειν τὰς ὑγρότητας τοῦ προσώπου, οἷον ἱδρῶτας, πτύελον, δάκρυον, καὶ τὰ λοιπά. *Sudaria & semicinctia, linea sunt utraque: sed sudaria quidem capiti imponuntur; semicinctia vero in manibus tenent, qui non possunt oraria gestare: quales sunt qui gestant consulares stolas, sive gufia, ut abstergant humores faciei, velut sudores, salivam, lachrymas, & reliqua.* Eadem fere Theophylactus. Hieronymus ad Nepotian. *Sudarium & orarium.* Et adversus Rufin. *ut ad sudaria tua & semicincta dæmones rugiant.* Etymologicum Magni. Φώσων, σινδών. Φωσώνιον, λινοῦπ ἤτι σινδόνιον &c. λέγεται δὲ οὕτω καὶ ὁ παρὰ Ῥωμαίοις καλεῖται ὠράριον. Beda in Martyrol. VIII. Idus Febr. *Protulit orarium suum, & vocato ad se quodam puerulo annorum sex, misit Theophilo.* Et post. *Is accipiens (orarium) & gratias agens, quod petitionem eius implevisset, cæpit sibi faciem tergere. Oraria* quibus faciem extergemus, etiam *Faciales* dixerunt. Gyrillus in Gloss. Σιμικίνθια, σουδάρια, φακεώλια, ζωνάρια, φακεώλια faciales, ut in Glossar. Latino-Græco. Δὸς τὸ προσωπίδιον, *Da facialem.* Nicodemus in gestis Christi. *Cursor videns eum, adoravit illum, & facialem quem tenebat in manu sua, expandit ante eum in terra.* Martyrolog. vet. in vita Timothei. *Vt cognosci nequirent facialibus velantes facies.* In Acmetis quoque Onirocritico cap. 226. Titulus est περὶ φακεωλίων, *id est, de facialibus.* Malè ergo locum Glossarii accepit Scholiast. Onosandri, ut ex his quæ diximus, constat.

ORIGINARIVS] Edict. Th. 43. 56. 63. 65. 67. 97. 142. Quæ loca ostendunt, quales nam Originarii. Burg. Tit. 7. *Originarius, id est, colonus.* Ibid. Burg. Tit. 17. 21. §. 1. *Originaria ancilla.* Edict. Theod. cap. 21. 48. 63. 66. 67. *Originali conditione obligati.* Cap. 7. Tit. 34. *Originale mancipium.* Cap. 7. Tit. 136. Theganus de gestis Ludovici Imp. c. 44. *Hebo Rhemensis Episcopus, qui erat ex originalium servorum stirpe.* Hinc in L.L. Wis. lib. 4. Tit. 5. l. 7. *nec tamen absolutæ libertatis licentia patiuntur, in eo quod illi Ecclesiæ, de qua originem ducunt, per obsequium illigantur.* Vid. Tit. Cod. de Municip. & originariis. Item, Tit. de agricol. & censitis. Novell. Valentiniani Tit. 12. pag. 564. Gloss. Isidori. *Originarius, vernaculus.* De Vernaculis Ecclesiæ habemus in Traditionibus Fuldens. lib. 2. num. 25. Inscript. vet. pag. MCLXVII. n. 8.

ECCLESIÆ SEMPER FVERAM VERNACVLVS ALMÆ,
LITERVLAS EX QVO PRIMÆVO TEMPORE SVMPSI.

ORIGINARII] Neap. 1. Tit. 49. ex eo loco oriundi cives.

ORPHANOTROPHIVM] Cap. 2. Tit. 29. L. *Omnia.* C. de Episcop. & Cleric. Novell. Iuliani 7. & 11. *Sanctum orphanotrophium.* Novell. Iuliani 11. cap. 2.

ORSCARDI] Alm. Tit. 60. *Si medietatem auris absciderit, quod Alamanni Orschard dicunt.* German. Or auris; Scard, fragmen sive fissura. Sup. *Lidiscarti.*

OSTATVS DE VIA] Alm. Tit. 98. Ms. *Hostatus. Obstare de via.* Rip. Tit. 80. German. Hurten / Gall. Hurter / allidere, impingere, aut vi deturbare vocant.

OSTFALAI] Sax. Tit. 8. Tit. 9. 19. Auctor vitæ Ludovici Pii, pag. 346. *Ad Nusciam venit, Rhenum ibi transiit. Patri concur-*

concurrere accelerabat, sed antequam ad eum venirent, nuntio obviavit paterno, in loco cuius vocabulum est Ostfalaa. Widekind. Monach. Lib. I. *A tribus principibus totius gentis ducatus administratur, certis terminis exercitus congregandi potestate contentis, quos suis legib. ac vocabulis novimus signatos, in Ostfalos scilicet, Angarios atq; Westfalos.* Annales de gestis Caroli Magn.

Westfalos vocitant in parte manentes
Occidua, quorum non longe terminus amne
A Rheno distat. Regionem Solis ad ortum
Inhabitant Osterlingi, quos nomine quidam
Ostfalos alio vocitant, confinia quorum
Infestant coniuncta suis gens perfida Slavi.
Inter prædictos media regione morantur
Angarii, populus Saxonum tertius &c.

OSTIARIVS] Boior. Tit. I. cap. 8. Cap. I. Tit. 139. Cap. 5. Tit. 184. Isidorus iunior. *Ad ostiarium pertinent claves Ecclesiæ, ut claudat & aperiat templum Dei, & omnia quæ sunt intus extraque custodiat, fideles recipiat, excommunicatos & infideles proijciat.* Alcuin. de divinis offic. Hrabanus Maurus de instit. cler. lib. I. cap. 12.

OS FRACTVM SVPER PVBLICA VIA LATA XXIIII. PEDES, SVPER SCVTO SI SONAVERIT] Alam. Tit. 59. §. 4. *Os super viã in scuto iactum sonans.* Rip. Tit. 68. §. I. *Os iactum in scutum trans publicam viam, ut sonitus eius audiri possit.* Frison. Tit. 22. §. 70. Add. Fris. Tit. 3. §. 24. *Ossum super scutum sonans.* Long. I. Tit. 7. l. 3.

OSCVLVM PACIS] Long. I. Tit. 9. l. 38. *Osculum dare.* Cap. 6. Tit. 92.

PER OSTIVM ET PER ANATICVLA] Form. 154. *Per ostium & per portas.* Form. 155. Ritus sunt & velut symbola in traditionibus observata, de quibus infr. in *Traditio.*

P.

PACIS ADSERTORES] Wis. 2. Tit. 16. *Pacis adsertores sunt, qui sola facienda pacis intentione regali sola destinantur auctoritate.* Wis. 2. Tit. I. l. 26. Forũ iud. Hisp. lib. 2. Tit. I. l. 15. *mandaderos de paz.*

PAGALIA] Form. 121. Ital. *Pagamento.*

PAGANIÆ] Cap. 5. Tit. 2. id est spurcitiæ gentilitatis. Bonifacius ad Zachariam PP. *Sicut affirmant se vidisse annis præteritis in Romana urbe, & iuxta Ecclesiam S. Petri, die & nocte, quando Kalendæ Ianuarii intrant, paganorum consuetudine choros ducere per plateas, & acclamationes, & cantiones facere sacrilegas, & nullum de domo sua vel ignem, vel ferramentum, vel aliquid commodi vicino suo præstare velle. Dicunt quoque se vidisse ibi mulieres pagano ritu phylacteria & ligaturas in brachiis & cruribus ligatas habere, & publice venales aliis offerre.*

PAGVS] Burg. Tit. 49. §. 4. Tit. 89. Sal. Tit. I. Tit. 43. Cap. L. Sal. cap. I. §. II. Long. 2. Tit. 28. l. 4. Tit. 51. l. 2. 3. 5. Capit. 3. Tit. 10. 24. 32. 78. Cap. 6. Tit. 99. 100. 306. Form. 181. &c. Pagus hisce locis, ut iam à viris eruditis edocti sumus, non vicum aut villam, sed ditionem & provinciam significat, in qua tot pluresve civitates aut villæ. Velut in Saxonia, in pago Frisazi villæ sunt 23. Apud Aimoin. lib. 4. Herman. Contract. An. 823. Et apud eundem, in pago Nitensi villa Ascodunum. In Traditionib. Fuldens. lib. I. cap. 4. In pago Salagewe, villa Tulba. In pago Weringewe, villa Muotwinesheim. Ibid. capp. 8. 113. Pagi autem in comitatibus sive provinciis collocantur. Parochiæ enim sive diœcesi Bremensi decem pagi subiecti fuere, in duas provincias redacti, quibus LXX. mansi adnexi. Adam. Brem. lib. I. cap. 10. Et pagus Libetogowe est in comitatu Bernardi Comitis: pagus Entergow, in comitatu Bernardi ducis. ut ex privileg. Eccles. Mindens. constat. Sic in Frisiæ comitatu recensentur septem pagi, qui tenuerunt Ecclesias circiter quinquaginta. Vet. Scholiast. Adami Brem. lib. I. c. 10. Et hi quidem pagi, ut in veteribus Mss. Glossariis legimus, lingua Saxonica *Scyre* vocati fuerunt: unde *Warwickscyre, Nicolscyre, Leycesterscyre*, &c. appellationem invenerunt.

PAGVS CÆNOMANICVS] Cap. 5. Tit. 151. Aimoin. lib. 5. cap. 15. *Lotarius à Cabillono iter suscepit ad Augustidunum: indeq; Aurelianam pervenit ad urbem. Deinde in pagum Cenomannicum, in villam cuius vocabulum est Maluatis, devenit.* Auctor Miraculorum S. Mauri. cap. 13. *De pago Cænomanico.* Guilelm. Neuburgens. lib. 5. c. 9. *In pago Cenomannensi accidisse fertur. quod eundem Regem non frustra territum sua propensius salutis admonuit.*

PAGVS CARNOTENSIS] Form. 79. *pagus Carnotensis.* Aimoin. lib. 3. cap. 32.

Apud

Apud Carnotinum pagum de effracto pane sanguis effluxit. Appendix Greg. Turon. lib.9. cap. 20.

Pagvs Ripvarivs] Rip. Tit.31. §. 3. Aimoin. lib. 5. cap. 25. *Ludovicus pergens Flamerecheim, in pagum Ribuarium venit &c.* Frodoard. Anno DCCCCXXIII. *Rotbertus in regnum Lotharienſe proficiſcitur, locuturus cum Heinrico, qui ei obviam venit in pagum Ribuariarium, ſuper fluvium Ruram.* Inf. *Ripuarius.*

Pagvs Wastinensis] Form.22.

Pagenses] Long.1.Tit.14.l.17. Long.2.Tit.18.l. 7. Tit.34. l. 12. Tit.51. l.7. Tit. 52. l. 14. Long. 3. Tit. 1. l.29. Cap. 3. Tit. 43. 73. Cap. 4. Tit. 11. 19. Cap.4. add.3.§ 10.79.Form.4.39.104. 107.124.Agobard. Epiſcop. Lugd. pag. 129. *Habeo unum clericionem, quem mihi nutrivi de ſervis meis propriis, aut beneficialibus, ſive pagenſibus.*

Palatina Officia] Id eſt, dignitates imperii aulicæ. Wiſ. 2.Tit.4. l. 4. Wiſ. 2. Tit. 1. l. 6. Wiſ. 9. Tit. 2. l. 9. Wiſ.12.Tit.2.l.14. L.38. C. Theod. de decurion. l. 41. Cod. Th. de oper. pub. aliiſque locis innumeris.

Palla] Boior. Tit. 1. cap. 8. §.3. *Pallæ corporales.* Cap.7.Tit. 334. Gloſſar. *Palla* ἔνδυμα, πέπλος. *Palla* μίτρα, πέπλος, περιπέτασμα. Gloſſar. Latino-Theotiſc. *Palla, ſacitergium,* Fezeetragela.

Pallio Svblimari] Cap. 6. Tit. 79. *Pallii genio inſigniri.* Hincmar. Epiſt. 6. cap. 5. Albuinus Alcvin. de divinis officiis. Amelarius lib. 2. Official. cap. 23. Raban. Inſtit. Cler. lib. 1. cap. 23. Flodoard. Hiſtor. Metrop. Rhem. 3. cap. 8. Albert. Stadenſ. Chron. Bonifacius Zachariæ PP. *De eo quod iam præterito tempore de Archiepiſcopis, & de palliis à Romana Eccleſia petendis, iuxta promiſſa Francorum ſanctitati veſtræ notum feci, indulgentiam Apoſtolicæ ſedis flagito. Quia quod promiſerunt, tardantes non impleverunt, & ventilatur, & quid inde perficere voluerint, ignoratur.* Synod. Matiſcon. 1. Can. 6. *Ut Archiepiſcopus ſine pallio Miſſas non præſumat.* Hincmarus Rhem. Archiepiſc. Nicolao PP. *Pro cuius uſu apud ſedem Apoſtolicam nil petii, niſi ſicut deceſſores ac prædeceſſores mei, eo uti in Epiſcopi ordinatione ſolebant: non enim uſum pallii eſſe meæ dignitatis puto, ſed genii ſedis metropolis eſſe cognoſco: dicente magno Leone Papa. Quoniam etſi diverſa nonnunquam ſunt merita præſulum, tamen iura permanent ſedium: & cum multi ſint ſancti Epiſcopi, qui eodem pallio non utuntur, non neſcio, quia ſi ſine virtutibus, quas exponente B. Gregorio pallium ſignat, pallio utor, & ſi excellentiorem ceteris Rhemorum provinciæ ſedibus Metropolitarum ſedem pallij uſus demonſtrat in oculis hominum, non tamen maiorem me facit in oculis Domini.* Petrus Damianns de divinis officiis. *Treverenſi Eccleſiæ Maternus à B. Petro Apoſtolo miſſus, hereditatem pallij ſuis ſucceſſoribus dereliquit.* Chronicon Frodoard. pag. 119. *Seulfo Archiepiſcopo Archiepiſcopalis inſula, quæ pallium nominatur, ab Iohanne PP. tranſmittitur.* Lambert. Schafnab. pag. 76. *Pallium & alia quædam Archiepiſcopatus inſignia ab ſede Apoſtolica pro benedictione perciperet.* De pallio porro videnda quæ in Pontificali Rom. uberius narrantur.

Palvs Vitis] Long.1.Tit.25.l.34. ſupr. *Amminicula.*

Palo Transpvnctvs] Alm. Tit. 99.§. 24.

Ad Palvm Vapvlare] Long. 3. Tit.7. l.1.Cap. 4. Tit. 30.

Pampa] Cap. 7. Tit. 314. Sicæ genus eſt in Germania uſitatæ, Pampe etiamnunc vocamus.

Pancereæ] Neap. 1. Tit. 9. Germ. Panzere.

Panes Civiles] Cap. 2. Tit. 29. Add. Lud. 3. Tit. 30. Novell. 7. l. 7. C. de ſacroſ. Eccleſ. L. 31. C. De iure dot. l. 3. C. de quadrien. præſcript. Gr. πολιτικὴ σίτησις. *Annona civilis.* L. 14. C. de ſacroſ. Eccleſ. L. unic. §. 7. C. de rei uxor. act. *Annona in pane cocto.* L. 1. C. de frumento Urb. CP. *Panis fiſcalis, id eſt, de populi annona.* L. unic. C. Th. de pretio. pan. Oſtienſ. Scholiaſt. Perſii Satyr. 3. *Panis gradilis.* Schol. Iuvenal. Satyr. 7. ad ill. verſ.

Summula ne pereat, quâ vilis teſſera venit
Frumenti &c.

Vid. Tit. Cod. Theod. De Annona Civica et Pane Gradili. qui cur *gradilis* dictus ſit, ex Aurelio Caſsiod. percipere poſſumus, lib. 9. Var. 5. Erant etiam *Panes Palatini* in Gloſs. Nomico. Παλατῖνοι, εἶδος ἄρτων, οὓς ἐφιλοτιμήσατο τῷ δήμῳ Κωνσταντῖνος ὁ μέγας, οἷα ἐκ τοῦ παλατίου χορηγούμενοι.

PANIS ET AQVÆ REFECTIO] Wiſ. 2. Tit. 1. l. 18. Ita carceris ſqualor ad caſtigandos vexandoſq; ſiti ac fame incluſos habetur: contra L. 8. ff. de pœnis. Nunc autem moribus quoque Germanicis hæc pœna recepta: quam ſane Eccleſiaſticâ diſciplinâ ſæpius adhibitam in Pœnitent. vet. & Burchard. Decret. lib. 19. videmus.

PANEM AVT HOSPITALITATEM DARE] Sal. Tit. 57. §. 5. *Panem aut hoſpitium dare.* Sal. Tit. 59. *PANEM FVGITIVO DARE.* Burg. Tit. 6. *Humanitatem dare.* Wiſ. 9. Tit. 1. L. 4. 5. 6. LL. Politicis Canuti Reg. cap. 12. *Lôc hwa thône flyman fede, othe feormige, gylde fif pund tham cyning, buton he hine geladige, tath he hine fleame wyſde. Si quis fugitivo ſubminiſtraverit cibum, ſive eum in tectum receperit ſuum, pendito Regi eo nomine, (niſi imprudentiæ excuſationem adtulerit) libras quinque.* Iure Romano, quicunque fugitivum ſervum in domum vel in agrũ, inſcio domino à quo fugerat, ſuſcepiſſet, eum cum alio pari, vel xx. ſol. reddere tenebatur: ex conſtitutione Imp. Conſtantini l. 4. C. de ſervis fugit. Quin & exulem quemcunque tecto & cibo iuvare lege veteri non licebat. Seneca lib. 6. controverſ. 2.

PANEM QVICVNQVE EI DEDERIT, QVI EXTRA SERMONEM REGIS EST] Sal. Tit. 59. Cæſar de bello Gall. lib. 6. *Sacrificiis interdicunt. Hæc pœna eſt apud eos graviſſima. Quibus ita interdictum eſt, ij numero impiorum ac ſceleratorum habentur, ab iis omnes decedunt, aditum eorum, ſermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque his petentibus ius redditur, neque honos ullus communicatur.*

PANT] Friſ. add. Tit. 9. §. 2. *Servum alterius per vim ſuſtulit, quod pant dicunt.*

PARAGIVM] Neap. 3. Tit. 23.

PARAFREDVS] Boior. Tit. 1. cap. 14. Form. 35. *Paravreda* Cap. 2. Tit. 16. Cap. 4. add. 3. §. 10. Form. 5. Aimoin. lib. 5. cap. 10. in edicto Hludovici Imp. pag. 281. *Neque paravredos aut expenſas ad hoſpitum ſuſceptiones recipiant.* Hincmarus Clero & plebi Tornacenſ. *Aut ad iter aliquod paraveredos.* In duplomate Karoli Magni, quod Sigon. lib. 4. de regno Ital. refert, ſcriptum fuiſſe videtur, *Per ſingula territoria habitantes vel diſcurrentes, manſionaticos & paraveredos accipiunt.* In admonitione Karoli apud Piſtas. *Vt pagenſes Franci, qui caballos habent, vel habere poſſunt, cum ſuis Comitibus in hoſtem pergant, & nullus per violentiam talibus Francus res ſuas aut caballos tollat, ut hoſtem facere, & debitos paraveredos, ſecundum antiquam conſuetudinem nobis exolvere non poſſint.* In Capitulis Epiſcoporum Anno DCCCLVIII. menſe Novemb. in Cariſiaco palatio. *Iudices, &c. faciant nutrimina congrua & neceſſaria, cuſtodiant ſylvas, paſtionem defendant, excolant prata, unde habeant pabula. Quatenus non ſit vobis neceſſe per quaſcunque occaſiones circuire loca Epiſcoporum, Abbatum, Abbatiſſarum vel Comitum, & maiores quam ratio poſtulat, paratas exquirere, & pauperes Eccleſiaſticos, & fidelium veſtrorum manſuarios in carricaturis & paraveredis exigendis gravare: quin potius habeatis unde ſufficienter & honeſte cum domeſtica curte veſtra poſſitis vivere, & legationes recipere*, &c. *Palefredus* Wilelm. Tyrio belli ſacri lib. 13. cap. 27. *Miſerat prædicto nobili viro per quendam familiarem ſuum, palefredum albiſſimum argento ferratum, freno & cæteris argenteis faleris redimitum, exameto coopertum albiſſimo, ut in omnibus candor niveus conſonaret.* Gloſſ. Latino-Theot. *Paredrus: vilis equus*, Parefret. Gallis *Palefroy*. Reda quidem Gallicum nomen eſt. Quinctil. lib. 1. cap. 9. Et Eperodicas bonos equorum domitores vocaſſe Gallos, notat Plinius lib. 3. cap. 17.

PARANYMPHVS] Long. 1. Tit. 16. l. 8. Cap. 7. Tit. 363. Burchard. Decret. lib. 9. cap. 6. ex Concil. Valentin. cap. 101. *Sponſus & ſponſa cum benedicendi ſunt à ſacerdote, à parentibus vel paranymphis in Eccleſia ſacerdoti offeruntur.* Ivo Epiſt. 88. *huius conſilii paranymphus eſtis.* Burchard. Decret. lib. 9. c. 7. ex decreto Sotheris PP. cap. 5. Gloſs. vet. *Auſpex pronubus* παράνυμφος. Item. *Pronuba*, ἡ παράνυμφος. Gloſſ. Latino Theotiſc. *Paranymphus* Pruteboto. alibi. *Paranymphis, prumulis*, id vero quid ſit, non video.

PARATA] Form. 6. *Manſiones aut paratas.* Form. 7. *manſiones vel paradas requirendas.* Privileg. Eccleſ. Mindenſ. apud Piſtor. Alm. Tom. 3. *manſiones vel paradas faciendas, aut fideiuſſores tollendos.* Privileg. Lauriſhaim. p. 60. *manſiones aut paratas facien-*

faciendum. Praeceptum remissionis, quod fecit Ludovicus Imp. Hispan. pag. 428. *Missis nostris aut filij nostri, quos pro rerum utilitate illas in partes miserimus, aut legatis qui de partibus Hispaniæ ad nos transmissi fuerint, paratas faciant, & ad subvectionem eorum veredas donent.* Aimoin. lib. 5. ca. 17. *ad causas audiendas, vel freda aut tributa aut telonea exigenda, ad mansionaticos vel paratas faciendas, &c.* Germ. Herberge vnd andere bereidtschafft. nec enim de navigij genere, cuius apud Ausonium mentio, hic ullo modo intelligendum.

PARCH] Boior. Tit. 9. cap. 2. *Granarium quod Parch appellant.* Forsan idem quod supr. *Mita* dicitur. Germ. Bargk.

PARCVM. Rip. Tit. 82. §. 2. *Ad parcum minare.* Angl. Tit. 7. §. 1. Gall. *mener dedans le parc.* LL. Edoardi Regis cap. 7. *De bosco, de prato, & aquis, & molendinis, parcis, vivarijs.*

PARENTES] Wis. 7. Tit. 3. L. 3. 6. Wis. 2. Tit. 1. L. 6. Tit. 4. L. 5. Wis. 3. Tit. 1. L. 2. 3. 5. 8. Wis. 6. Tit. 5. L. 14. Burg. Tit. 35. §. 3. Tit. 36. §. 1. Sal. Tit. 17. §. 2. Alm. Tit. 12. 16. 40. 46. 55. 68. Boior. Tit. 1. cap. 8. 11. &c. Rip. Tit. 85. Saxon. Tit. 6. Long. 1. Tit. 3. L. 6. Tit. 10. L. 1. Long. 2. Tit. 1. L. 4. Tit. 29. L. 4. *Parentes & propinqui.* B. Hieronym. advers. Rufin. lib. 2. pag. 212. *Forte parentes militari vulgariq́ sermone cognatos & affines nominat.* Agobard. Episcop. p. 199. *Parentes vel amicos plurimos.* Gregor. Turon. Hist. lib. 5. cap. 5. *Dum iter ageret, innocentem hominem evaginato gladio interemit. Cuius parentes condolentes propinqui exitum, commota seditione extractis gladijs eum in frustra concidunt.* Feud. lib. 2. Tit. 34. *cum XII. sacramentalibus, cum VI. parentibus.* Quo significatu locis innumeris reperitur, quæ longum esset annotare. Vid. Andr. Tiraquel. Comment. de utroque retract. §. 1. Gloss. 8. Isac. Casaubon. Comment. in Capitolin. pag. 134.

PARENTELA] Burg. Tit. 85. §. 1. Sal. Tit. 46. 63. Long. 1. Tit. 8. L. 13. Long. 2. Tit. 14. L. 1. Auctor vitæ Philiberti. *Mater prudentissima, orta nobili parentela.* Gall. *Parentage.*

PARES] Id est, vir & uxor. Rip. Tit. 49. Form. 48. 50. Tertull. exhortatione ad castit. cap. 5. *Cum hominem figurasset, eique parem necessariam prospexisset, &c.* Inscriptio vet. pag. 176. num. 5.

AVR. AGRIPPINVS. ET
AVR. VICTORINA
COMPAR. EIVS DE PATRIMONIO
SVO DOMVM ÆTER.
V. S. P.

Alia inscriptio. pag. 1051. n. 1.

VIXIT ANVS XLII. ET
CVM CONP. FECIT ANNOS XX.

Alia pag. 1062. n. 2.

D. M.
DVLCISSIMO COMPARI CONTRA
VOTVM POSVIT BENEMERENTI.

PARES] Alm. Tit. 93. *Pares in pugna.* Cap. 3. Tit. 71. 72. *Parem suum dimittere.* Form. 126. Gall. *Pers & compagnons.* In Capitul. quæ misit Carolus Rex ad Francos & Aquitanos, qui ab eo desciverant, Anno DCCCLVI. *Sic sumus omnes per illius voluntatem & consensum confirmati Episcopi atq; Abbates cum laicis, & laici cum viris Ecclesiasticis, ut nullus suum parem dimittat, ut contra legem suam, & rectam rationem & iustum iudicium, etiamsi voluerit (quod absit) Rex noster alicui facere non possit.* Ibidem. *Et si aliqui sunt, qui homines non habent, si volunt in suis alodibus consistere, aut cum alijs eorum paribus vel amicis faciant.* Ibidem. *Et si aliquis de nobis in quocunq; ordine, contra istum pactum incontra illum fecerit, si talis est, ut ille eum inde admonere valeat, ut emendet, faciat. Et si talis est causa, ut illum inde familiariter non debeat admonere, ante suos pares illum in rectam rationem mittat, & ille qui debitum pactum & rectam legem, & debitam seniori reverentiam non vult exhibere, & observare, iustum iustitiæ iudicium sustineat.* Et in admonitione Karoli apud Pistas. *Vt quoniam in quibusdam locis coloni tam fiscales, quam de casis Dei suas hereditates, id est mansa, quæ tenent, non solum suis paribus, sed & clericis canonicis, ac villanis presbyteris, & alijs quibuscunq; vendunt.*

PARES REGIS] Form. 38. Gall. *Les pairs du Roy.* De his vid. Matt. Paris in vita Henrici 3. Franc. Hotoman. Franco Gall. cap. 14. Petr. Pithæus lib. 1. des Comtes: Tilietus memor. lib. 2. &c.

PARIVM IVDICIVM] Long. 3. Tit. 8. L. 4. Fulbert. Epist. 8. De hoc iudicio plene tractant libri Feudales.

PARES CONGREGARE] Alm. Tit.45. §.2. Id est, parentes.

PARICLA EPISTOLA] Form.141.

PARIES] Frif. add. Tit.3. §.64. *Si unum parietem transpunxerit, &c.* Si vera est scriptura, pars corporis sic videtur appellari.

PAROCHIA] Alman. Tit. 11. 13. Boior. Tit. 1. cap.10. Long.2. Tit 8. l.9. Tit. 37. L.5. Tit.53. Long. 3. Tit.1. L.4. 8.23. Tit. 3. L. 3. Capit.1. Tit.10. Cap.5. Tit. 152. 182. Cap. 6. Tit. 57. 81. 86. Cap.7. Tit. 192.

PAROCHIANVS] Cap.1. Tit.153.

PAROPSIDES] Neap.3. Tit. 36.

EAM PARTEM PERGAT QVAM MALVERIT] Long. 2. Tit. 34. L. 1. Form.91.96.98.99.101. Concil. Tolet.1. p.57. apud Burch. Decret. lib.2. c.26.30. Ivon. part.3. cap.97. Charta vet. in Alm. Goldast. Tom. 2. n.7. Plautus Menech. Act.5. Scen. 7.

Liber esto, atq; abito quo voles.

Idem in Sticho.

In hunc diem te nihil moror, abi quo lubet.

Vid. Supr. *Manumissio.* & Infr. *Portas apertas.*

PARTICIPIVM] Wis. 12. Tit. 3. L.15. Gloss. vett. *Μετοχὴ participium.* Petr. Blesens. Epist. 28. *Quodam compassionis participio molestantur.*

PASCVARIVM] Census qui pro pascuis solvitur. Wis. lib. 8. Tit.5. L. 5. Boior. Tit.1. cap.14. Form.61. *pascuarium aut agrarium.*

PASSAGIA] Neap.1. Tit.59. *Passagium* tributi genus, quod à viantibus exigitur, Germ. Wechgelt. *Passagium* enim iter etiamnunc Itali vocant. Arnoldus Abbas in supplemento Helmold. *Seque iuramento obstrinxit, quod exire nobiscum debeat regale vexillum, & in passagio Martij nobiscum ad servitium Domini proficisci.* Ibidem. *Ad partes Ægypti proximo passagio transmeare.* PASSAGERII. Neap.1. Tit.76. Id est, passagiorum sive viarum inspectores, passagiumq; exigentes.

PASTOR ECCLESIÆ] Alm. Tit.12. 19. 20. Tradit. Fuldens. lib. 1. cap. 84. *Hrabanus Abbas monachorum turbæ pius præest pastor.* Cap.153. *Abbas Sigehardi pius est pastor Dominici gregis, &c.*

PASTOR IVMENTORVM] Alm. Titul. 74.

PASTORIVM] Boior. Tit. 2. cap.6. *Pastorium, capistrum, frenum.* Long.1. Tit. 25. L. 35. *Pastorium de caballo.*

PASTVS] Burg. add. 2. §. 8. *Pastum requirere. Pastus caballorum.* Formul. 5. *Animalia à pastibus areere.* L.2. C. Theod. de pascuis. *Deducere equos ad pastum.* Greg. Turon. Histor. lib.3. cap.15. *Animalium militarium pastus.* L. 3. C. Theod. eod. Tit. *Pastus primipili.* L. 11. C. Th. de cohortalib. princip. L.18. C. Theod. de extraord. sive sord. munerib.

PATARENI] Neap.1. Tit.1.2. Matt. Paris in Historia maiore in Henrico III. Anno MCCXXXVI. *Circa dies illos invaluit hæretica pravitas eorum, qui vulgariter dicuntur Patareni & Bugares, in partibus Transalpinis, de quorum erroribus malo tacere, quam loqui, adeo quod fidei puritatem in finibus Franciæ & Flandriæ ausi sunt perturbando violare.* Ivo Narbonens. Epistola ad Girardrum Burdegalens. Archiepiscop. apud Matt. Paris. *Patarenis in civitate Cumea commorantibus conquerendo narravi, qualiter pro fide eorum præcipitatis in me sententiis exulabam. Hoc illi audito gavisi sunt, & me felicem censuerunt, eo quod persecutionem propter iustitiam tolerassem.* Mentio præterea horum Patarenorum in Concilio Lateran. sub Alex. III. cap.27. Constitutione Friderici II. de statutis & consuet. cap.5. unde sumpta est Authent. *Gazaros,* &c. C. de Hæret. & Manich. Et C. Excommunicamus 15. Extra de Hæreticis.

PATENA] Boior. Tit. 1. cap. 3. Gregor. Turon. lib. 3. *Sexaginta calices, quindecim patenas, viginti Euangeliorum capsas.* Genus est vasis in sacris usitatissimi, alias *patina* vocati. Vid. Panvinium in Explicatione vocum Eccles.

PATRINI] Cap. 6. Tit.179. Gall. *Parains:* ut *Matrinæ, marainis; Filioli, filieulx.* Fragment. Karoli Mag. sive Amalerius de ritib. Eccles. p. 52. *Patrini vero illorum (parvulorum) prævidere debent, ut cum ad intelligibilem ætatem pervenerint, fide & moribus instruantur.*

PATRITIVS] Rip. Tit.50. Form.12. *Patritiatus dignitas.* Form. 32. Vid. quæ ad Paul. Warnefr. notata, Histor. Long. lib. 2. cap. 3.

IN PA-

In Patrocinio Alicvivs Esse] Wiſ. 8. Tit. 1. L. 3. 4. Burg. add. 2. §. 2. id eſt, in mundeburde. Sup.

Patrocinia Sanctorvm] Cap. 5. Tit. 2. Form. 40. id eſt, reliquiæ ſanctorum. Guibertus Hiſtor. Hieroſolym. lib. 5.

Patronvs Ad Spiritvs S. Donvm Percipiendvm] Add. Lud. 2. Tit. 1. *Patroni* hoc loco vocantur, qui alibi *Patrini*: & *Sponſores*, apud Tertull. de Baptiſm. cap. 18.

Patronvs Aldii vel Aldiæ] Long. 1. Tit. 8. L. 31.

Patronatvs Obseqvivm] Form. 86. 98. Iure Romano libertus patrono donum, munus, operas, debebat. Digeſt. lib. 38. Tit. 1. Cod. lib. 6. Tit. 3.

Pavsare Arma Sva] Alm. Tit. 45. §. 2. id eſt, deponere. *Pavsare Die Dominico.* Boior. Tit. 6. cap. 2. §. 4. id eſt quieſcere. Sic *corpus mortuum pauſare* dicitur, in vet. Inſcript.

Pavere Messem] Longob. 1. Tit. 14. L. 11. Tit. 18. L. 2. Cap. 3. Tit. 66. Pomp. Feſtus. *Paveri frumenta dicebant antiqui, quæ de vagina non bene exibant. Frumenta vel legumina exprimere.* L. 14. §. 3. ff. de aliment. *Frumentum excutere.* L. 7. §. ff. de adq. rer. dom.

Pecora] Long. 2. Tit. 21. L. 8. Id eſt, Oves, ut Ital. *la pecore.* Sic Tacitus initio Annal. 13. *Pecudem auream* dixit, ut Diogenes πρόβατον χρυσόμαλλον. Plutarch. in Apopthegm.

Pecvlivm] Wiſ. 10. Tit. 1. l. 18. *Peculiare.* Ibid. & Formul. 25. Gloſſar. Nomic. Πεκούλιον, ὡσανεὶ μικρὸν οὐσίδιον. Gloſſ. Latino-Græc. προικουσία, προίκλησις, ἴδιον, σφέτερον, οὐσία δούλου.

Pecvlivm] Long. 1. Tit. 23. l. 1. Id eſt, pecus vel animal.

Pecvnia] Id eſt, peculium. Long. 2. Tit. 8. L. 2. Capit. 5. Tit. 2. Tit. 195. Cap. 6. Titul. 11.

Pecvs Alatvs] Alm. Tit. 99.

Pecvs Manvalis] Alm. Tit. 99.

Pedica] Burg. Tit. 72. Long. 1. Gloſſar. *Pedical.* παγίς, σκεδοπέδη. *Pedica animalium.* Wiſ. 8. Tit. 4. L. 1. *Pedica caballi.* Wiſ. 8. Tit. 4. L. 1. Burg. Tit. 4. §. 6. *Pedica Ad Capiendas Feras.* Burg. Tit. 72. Angl. Tit. 18. L. 25. 29. ff. ad L. Aquil. L. 55. ff. de adquirend. rer. dom.

Peditvras Accipere] Boior. Tit. 1. cap. 14.

Pedvles] Add. Lud. 1. Tit. 22. *Indumenta pedum.* Tit. 55. Regula B. Benedicti. In Canone Theodor. *Dat ei baculum & pedules.* In vita B. Nicetij Lugdunenſ. *Aptatis pedulibus pedes operui.* Ordo Roman. apud Hittorp. p. 99. *calceari pedulibus.* Gloſſar. Nomicum. Πεδούλια, ποδῶν καλύμματα, πέδα γὰρ ὁ πούς: τινὲς δὲ τὰ δερμάτια ἡρμήνευσαν.

Pellicia] Add. Lud. Tit. 22. Chronicon. Sangall. lib. 2. p. 422. *Karolus habebat pellicium berbicinum.* Ekkehardus in caſib. monaſterij S. Gall. cap. 1. *Pellicium tuum ſi volueris tibi optime repretiabor.* Gloſſ. Anglo-Sax. *Pellicia* Pilce.

Pendvtvs] Rip. Tit. 79. Ital. *Pendudo.* Gall. *Pendu.*

Pensare] Wiſ. 7. Tit. 6. L. 5. Burg. add. 2. §. 7. Gloſſ. Nomic. Πένσω, ζυθμίζω. Gall. *peſer.* Gregor. Turonenſ. Hiſtor. lib. 6. cap. 33. *Species rimatur argentum penſat. Penſans denarius.* Cap. L. Sal. cap. 3. §. 11. Long. 3. Tit. 28. Cap. 4. Tit. 32. *Penſans & probus ſolidus.* Form. 28.

Pensiles Ancillæ] Long. 2. Tit. 9. L. 2. Gloſſ. vett. *Penſiles ancillæ, quæ penſum faciunt.*

Perfectorivm Sacramentvm] Friſ. Tit. 14. §. 2.

Perivrare] Sal. Tit. 50. §. 2. 3.

Perivrivm In Altari, Sev Sanctorvm Reliqviis, vel in Evangelio] Cap. 1. Tit. 63. *Poſitis ſuper altare manibus.* Gregor. Turon. Hiſtor. lib. 3. cap. 14. De Gloria martyr. Lib. 1. cap. 20. *Tactis ſanctorum corporibus vel capſis.* Aimoin. *ſive ſacroſanctis Euangelijs.* Raban. Maur. ad Reginbald. & alibi ſæpe.

Personam Amittere] Neap. 1. Tit. 50. l. 2. Perſonæ ſignificatio non una eſt. Iure Romano liberis tantum ſuæque poteſtatis hominibus adtribuebatur: ſervi enim ſicut caput non habere dicebantur, ita nec perſonam. Quamvis ſummi etiam Iuriſconſulti, ſervis perſonam adtribui putent; quorum errorem convincit Paſchaſius Diacon. Rom. lib. 2. de Spiritu S. cap. 4. *Apud nos homines filius*

familias iuxta patrem, vel servus iuxta dominum, personæ propria locum non habet. Cassiodor. lib. 6. Var. 8. *Quid enim facerent inter servos iura publica, qui personam legibus non habebant?* Vnde in Paschasio mox sequitur, *Persona res iuris est, substantia res naturæ.* Itaq; etiam qui pœnæ servi fiebant, personam amittebant. Institut. lib. 1. Tit. 16. & ibidem Theophilus.

PERTICÆ TRANSVERSARIÆ DE SEPE] Long. 1. Tit. 25. L. 30.

PES ROS TANGIT] Alm. Tit. 65. §. 31. Boior. Tit. 3. cap. 12. Tit. 4. §. 10. Inf. Landragil.

AD PEDES REGIS CONQVIRERE] Alm. Tit. 35. §. 3. adorando Regem, id est, ad pedes eius se prosternendo. Germ. durch einen Fußfall.

PETIA DE TERRA ARABILI] Formul. 53.

PETRVNCVLI] Burg. add. 1. Tit. 10. Supr. CANIS.

PHYLACTERIA] Neap. 2. Tit 45. Cap. 5. Tit. 2. Cap. 6. Tit 72. Cap. 7. Tit. 94. Add. Lud. 2. Tit. 18. Hieronymus in Matth. cap. 23. *Pittaciola illa decalogi, phylacteria vocabant, quod quicunq; habuisset ea, quasi ob custodiam & munimentum sui haberet,* &c. *Hoc apud nos superstitiosæ mulierculæ in parvulis Euangelijs, & in crucis lingno, & istiusmodi rebus, quæ habent quidem Zelum Dei, sed non iuxta scientiam, usq; hodie factitant.* B. Augustinus in Ms. Sermone de martyribus & phylacterijs. *Solet fieri fratres, ut etiam ad aliquem ægrotantem veniat persecutor, ex parte diaboli, & dicat. Si illum præcantatorem adhibuisses, iam sanus esses. Si characteres illos tibi voluisses appendere, iam poteras sanitatem accipere,* &c. *Venit forte alius qui dicat, mitte ad illum divinum, transmitte ad illum cingulum, aut fasciam tuam, & adspiciat,* &c. *Dicit & alius. Ille bene novit suffumigare, nam cuiq; hoc fecit, statim melius habuit;* &c. In Decretis Gelasij PP. 1. *Phylacteria omnia omnia, quæ non angelorum (ut illi confingunt) sed dæmonum magis arte conscripta, sint apocrypha.* Vid. Ioh. Chrysostom. in Pauli ad Corinth. cap. 4. p. 432. Concil. Toletan. 17. cap. 21. Harmenopuli Epitomen Canon. Sect. 5. Titul. 3. Theod. Balsamonem PP. Antioch. in Synod. 6. in Trull. Can. 61.

PICEA ARBOR] Wis. 8. Tit. 2. L. 2.

PICTACIA] Edict. Theod. cap. 126. Glossar. Πιττάκιον *Pittacium, brevis.*

PINNA] Alm. Tit 59. Editio Germ. *Prima.* Ms. *Penna.*

PIRARIVM] Sal. Tit. 29. §. 8. 10. Locus piris reponendis.

PISARIA] Sal. Tit. 29. §. 13. Locus pisis reponendis.

PISCARIA] Long. 1. Tit. 25. L. 36. Neap. 1. Tit. 84. *Piscatoria.* Cap. 5. Tit. 148. Tradition. Fuldens. lib. 1. cap. 19. *Duas areas, & unam piscatoriam.* Cap. 63. *In villa vocata Wintgraba duas areas, & unam piscatoriam, in ipsa villa inter duas areas iuxta flumen.*

PISTORIA] Boior. Tit. 9. cap. 3. §. 2.

PLACERE] Rip. Tit. 67. §. 3. Id est, placitum implere.

PLACITVM] Wis. 12. Tit. 3. l. 11. 20.

PLACITVM] Wis. 5. Tit. 7. L. 9. Wis. 2. Tit. 1. L. 11. 27. Tit. 2. L. 4. Tit. 3. L. 4 Sal. Tit. 42. Tit 47. Cap. L. Sal. 1. §. 17. cap. 3. §. 5. Alm. Tit. 36. Rip. Tit. 30. §. 2. Gall. *Plaidz.* Can. 16. Synod. Arelat. 4. *Causationes disceptationesque.* Can. 35. Synod. Turon. 3. *pro quolibet placito vel iudicio.* Witikind. Saxon. lib. 2. p. 18. *ad placitum iuxta iussum venire dignati sunt.* Anonymus in Carolo. *Placito generali secundum consuetudinem Aquisgrani habito,* &c. Idem in Ludovico. *Ad Ingelheim venit, ibique per aliquot dies placitum habuit.* Fulbert. Episc. Carnot. Epist. 80. *Ex consensu suo constituit mihi placitum, quando & ubi hoc perfici posset. Sed instante termino cum ad hoc peragendum paratus essem, mandavit mihi ne me fatigarem ad condictum placitum veniendo.* — Et postea. *Nec sibi competere dicebat, ut me ad tale iudicium exhiberet sine conventu parium suorum.* Epistola Ms. in Vet. Cod. bibliothecæ S. Germani Lutetiæ. *W. Dei gratia Pictaviens. Episcopus reverendo Abbati S. Germani de Prato, S. Pluribus impeditus negotijs præsenti die dominica placito vestro minime possum interesse. Ea propter vobis mando, ut usq; in proximum diem Martis propter hoc placitum expectetis. Quod si nolueritis, illud placitum teneatis. Vale.* Charta vetus in Alm. Goldast. n. 85. *placitum in pago.* Ibid. n. 93. *placito habito,* &c. PLACITVS. Rip. Tit. 30. §. 2. *Placitus dies.* Form. 142.

PLACITA

PLACITA TRIA GENERALIA IN ANNO] Long. 2. Tit. 21. l. 30. Long. 2. Tit. 42. l. 3. *Placita IIII. generalia in anno.* Cap. 4. Tit. 57. *Placitum singulis Kal.* Boior. Tit. 2. cap. 15. At duo tantum generalia placita quotannis in regno Francorum habita, Hincmarus scribit Epist. 3. *Placitum suum per per triduum ut lex habet custodire.* Form. 158. 159.

PLACITARE] Alm. Tit. 55. Sax. Tit. 2. §. 7. Cap. 4. Tit. 39. LL. Edoardi Reg. cap. 5. *Coactus non placitabit.* Gall. *Plaider.*

PLAGA] Boior. Tit. 3. cap. 1. §. 5. Gall. *Playe.*

PLAGA CVRRIT] Sal. Tit. 19. §. 6. Gall. *la playe court.*

PLAGARE] Sal. Tit. 16. 19. Alm. Tit. 12. 14. 65. 71. Boior. Tit. 1. cap. 10. Tit. 3. cap. 14. Long. 1. Tit. 21. l. 1. &c. PLAGARI. Alm. Tit. 18. Augustin. de civit. Dei. lib. 21. cap. 11. *Lacessivit Dominum vel plagavit.* Vetus Scholiast. Iuvenal. *Mars cum plagatus est à Diomede.*

PLAGIVM] Edict. Theod. cap. 81.

PLAGIARE] Wis. 7. Tit. 3. l. 2. 34. id est, plagium committere. Edict. Theod. cap. 78. Sal. Tit. 41. §. 2. *per circumventionem de servitio domini abstrahere.* Ibid.

PLAGIATOR] Wis. 7. Tit. 4. l. 3. Sal. Tit. 41. §. 2. Isidor. Orig. lib. 10. *Plagiator ἀπὸ τοῦ πλαγίου, id est obliquo, quod non certa via gradiatur, sed pelliciendo dolis. Plagiarius ἀνδραποδιστής. Plagiata, τὰ περὶ τοῦ ἀνδραποδιστοῦ ἀφαιρεθέντα.* Gloss. Nomic.

PLATEARII] Neap. 1. Tit. 76. Platearum observatores, atque inde plateaticum exigentes.

PLATEATICA] Neap. 1. Tit. 59. Tributum viarum publicarum nomine impositum. Privileg. Eccles. Mindens. num. 28. *Novas etiam exactiones & tallias imponitis in stratis publicis liberis & plateis, quas in praiudicium thelonei,* Stratengelt/Wechgelt/*&* Brüggengelt *nominatis.*

PLOVM] Long. 1. Tit. 19. l. 6. *Si quis ploum aut aratrum alienum iniquo animo scapellaverit.* Glossar. *Ploum, quod habet duas rotas.* Verba Plinii huc pertinent lib. 18. cap. 18. *Vomerum plura genera— Tertium in solo facili, nec totum porrectum dentali, sed exigua cuspide, in rostro latior. Hæc quarto generi, sed exacutior in mucronem fastigata, eodemq́; gladio scindens solum, & acie laterum radices herbarum secans, non pridem inventum in Rhetia. Galliæ vero duas addiderunt rotulas, quod genus vocant Plammorati.* Latini voces Germanicas, quia durior aliquantum eorum auribus sonus, mire corruperunt: idem hic quoque accidisse verosimile. Itaq; Seb. Francus in Historia sua pag. 372. *ἀντὶ τοῦ plammorati* legendum putavit, Pflug mit rad: quam tamen emendationem pro vera non asseruerim. Et sane proximius ad Plinii scripturam accederet, si quis Plovmrad reponendum censeret: certe tale aliquid fuisse, linguæ Germanicæ intelligentes facile agnoscunt.

PLVSLAIB] Long. 1. Tit. 8. l. 24. *Pluslaib, id est ferita.* Long. 1. Tit. 9. l. 3. *Pluslaib, id est, spolia de mortuo tulerit.* German. Bloß nudum, Leib corpus.

PLVVIVM] Cap. 2. Tit. 15. Gall. *Plevine.* Leo Marsican. lib. 2. cap. 79. *quinque pluvialibus optimis—donans.* Lib. 3. cap. 19. *Pluviale diarodinum magnum.* cap. 30. *Purpurea pluvialia duo.* Lib. 2. cap. 99. *Pluviale diasprum, cum aurophrygio.* Cap. 103. *pluvialia VI.*

POENAM FIRMARE] Long. 1. Tit. 1. l. 11. *Pœnam obligatam componere.* Long. 3. Tit. 10. l. 1.

POENITENTIAM PVBLICAM AGERE] Long. 1. Tit. 9. l. 29. 35.

POENITENTIA IN PANE ET AQVA] Cap. 5. Tit. 2. Cap. 7. Tit. 36. Vid. Burchard. Decret. lib. 19. & libellos pœnitentiales ab Anton. Augustino editos.

POENITENTIALES LIBRI] Lud. add. 3. Tit. 35. Synod. Gabill. Can. 38. Synod. Turon. can. 33. Synod. Paris. Can. 32. *Vtentes scilicet quibusdam codicillis contra canonicam auctoritatem scriptis, quos Pœnitentiales vocant. Vt unusquisque Episcoporum in sua parochia eosdem erroneos codicillos diligenter perquirat, & inventos igni tradat.*

POLEDRVS] Sal. Tit. 40. Alm. Tit. 73. *Pulletrum.* Wis. 8. Tit. 4. l. 5. Spec. Sax. lib. 2. c. 48. lib. 3. cap. 51. *Iuvenis equus.* Gloss. Latino- Theotisc. *Poledrus* Folo. *Pultrinus* Fuli. Ital. *Poledro*

POLYPTYCHA PVPLICA] Wis. 12. Tit. 2. lib. 13. *In polyptycho publico censitus.* Form. 31. Cassiod. Lib. 5. Var. 14. & 39. L. 2. C. Theod. de decussor. *Accepta securita-*

ritates & regesta polypticis. & statim post. *inserta securitates ratiociniis publicis.* Anianus ita reddidit. *Si securitates ratiociniis publicis, vel in polypticis exactorum continentur.* L. 13. C. Theod. de indulg. debit. *Charta publica.* Legendum autem ubiq; *Polytycha*, ut apud Lucian. in Erotico, πολύπτυχοι δέλτοι: quomodo etiam δίπτυχα dicta.

PONDEROSVS] Long 1. Tit. 8. l. 31. Tit. 16. l. 4. Glossar. Latino-Theotisc. *Ponderosus, cui humor viscerum in virilia labitur, id est* Holohter. Moyses Levit. cap. 20. *Nec accedat ad ministerium Dei, si fuerit ponderosus.* Arnob. lib. 7. PONDEROSITAS. Wis. 6. Tit. 4. l. 3.

PONTES QVI PER BANNVM FIERI SOLEBANT] Cap. 4. Tit. 60.

PONTIVM RESTAVRATIO] Cap. ... Tit. 24. Lud. Add. 4. Tit. 82. Sangallensis quidam monachus de gestis Caroli Mag. *Fuit consuetudo in illis temporibus, ut ubicunque aliquod opus ex Imperiali præcepto faciendum esset, siquidem pontes, vel naves, aut traiecti, sive purgatio, seu stramentum, vel impletio cœnosorum itinerum, ea Comes per vicarios & officiales suos exequerentur, in minoribus dumtaxat laboribus. A maioribus autem & maxime noviter instruendis nullus ducum vel comitum, nullus Episcoporum vel Abbatum excusaretur aliquo modo. Cuius rei testes adhuc sunt arcæ pontis Magontiacensis. Si vero essent Ecclesiæ ad ius regium proprie pertinentes, laquearibus vel muralibus adornandæ picturis, id à vicinis Episcopis aut Abbatibus curabatur. Quod si nova fuissent instituenda, omnes Episcopi, Duces, & Comites, Abbates etiam vel quicunque regalibus Ecclesiis præsidentes, cum universis, qui publica consecuti sunt beneficia, à fundamentis usque ad culmen instantissimo labore perduxerunt.* Aimoin. lib. 5. cap. 14.

PONTICVLVS] Sal. Tit. 57. Galli Provinciales & Hispan. *los Pontillos.*

PONTATICVM] Form. 12. Gall. *Pontage.* Aimoin. lib. 5. cap. 1. *Teloneus exigatur nec de navale, nec de carrale, neque de saumis, neque de externa evectione, nec rotatico, nec pontatico, nec pulveratico, nec saltuatico* &c. *Pontaticum* est vectigal, quod in transitu pontis datur. L. *cum plures.* §. penult. ff. Locati. Seneca ad Serenum in Sapient. non cadere iniur. lib. 2. c. 14.

PONTIFEX] Wis. 3. Tit. 4. l. 18. Tit. 5. l. 5. Wis. 4. Tit. 5. l. 6. Wis. 12. Tit. 1. l. 3. Tit. 3 l. 26. Boior. Tit. 1. cap. 11. §. 1. Long. 3. Tit. 1. l. 18. Tit. 32. cap. 5. Tit. 112. 168. 174. Cap. 7. Tit. 59. 85. 86. 198. 328. Cap. Kar. Reg. Tit. 20. Form. 1. 5. &c. Form. 12. 124. Concil. Cæsaraug. 3. cap. 4. *si ipsi liberti infra anni spatium supervenienti suo Pontifici chartulas libertatis suæ præsentare neglexerint,* &c. *Cathedrales Episcopi.* Synod. Agath. Can. 35. Gelasius ad Episcopum Lucaniæ. *Nec sibi meminerit ulla ratione concedi, sine summo Pontifice subdiaconum vel acolythum ius habere faciendi.* Sidon. Apoll. lib. 7. Ep. 5. *Summi antistites.* Synod. Aurel. 1. Can. 3. Flac. Alcuin. Epist. 8.

PONTIFICALIS DIGNITAS] Form. 4.

PONTIFICE DEFVNCTO DEPRÆDATIONES NE FIANT] Long. 3. Tit. 11. l. 2. Concil. Calched. Can. 22. Concil. Ilerd. cap. 16. & 12. q. 2. *Non liceat,* &c.

PONTIFICIVM] Id est, potestas. Burg. Tit. 19. §. 6. Tit. 40. § 1. Form. 22. 23. 27. 29. 67. L. 2. C. Theod. de Apostat. *Sub adipiscendæ pontificio hereditatis.* L. 1. C. Th. de bonis mater. *fruendi pontificium.* &c. Petr. Chrysolog. Homil. 5. *duos filios habuit conditoris pontificio, non necessitate generantis.* Vid. quæ ad Q. Aur. Symmach. lib. 7. Epist. 27. à Scholiaste eius copiosè notata.

PORCARIVS SERVVS] Burg. Tit. 10. Sal. Tit. 2. Tit. 11. Long. 1. Tit. 8. l. 29. 30. Tit. 11. l. 7. *Porcarius inferior.* Long. 1. Tit. 11. l. 6. Hincmarus Epist. 7. *De matricularis bubulcos & porcarios faciant.* Glossar. *Porcarius* χοιροβοσκός. Columellæ *Porculator*, præfat. lib. 1.

PORCARITIA] Alm. Tit. 81. §. 3. aliis *Porcinarium* ὑοφορβεῖον.

PORCELLVS LACTANS] Sal. Tit. 2. Hæc est scriptura omnium codd. Grammaticis quidem *Lactans est, quæ lac præbet; lactens, cui præbetur.* Isidor. Hisp. Different. lib. ex Servio Georg. 1. Sed hæc tam anixè in hisce legibus non sunt observata. Isidor. Orig. lib. 20. cap. 16. *Nefrendes dicti adhuc lactantes porculi, quod nondum aliquid frendant, id est, comminuant dentibus.* PORCELLVS ANNICVLVS TERTVSSIS. Sal. Tit. 2.

PORCA DVCTRIX] Boior. Tit. 12. c. 4. §. 2.

PORTÆ

PORTÆ ECCLESIÆ RELIQVIIS SANCTORVM CONSECRATÆ] Long. 1. Tit. 9. l. 30. 34. Cap. 4. Tit. 13.

PORTAS APERTAS CONSCRIBERE] Rip. Tit. 61. §. 1. Form. 88. 96. 101. Charta vetus Alm. Gold. Tom. 2. n. 7. *Eam pergat partem quamcunque volens canonice elegerit, habensque portas apertas.* LL. Guilelmi Bastard. *Si quis velit servum suum liberum facere, tradat eum vicecomiti per manum dextram in pleno comitatu, & quietum illum clamare debet à iugo servitutis suæ per manumissionem, & ostendat ei liberas portas & vias, & tradat illi libera arma, scilicet lanceam, & gladium, deinde liber homo efficitur.*

PORTITOR] Long. 1. Tit. 25. l. 16. Terent. Act. 1. Scen. 2. & ibid. Donatus.

PORTVNARIVS] Long. 1. Tit. 14. 15. 16. Neap. 1. Tit. 76. Qui portorium exigit.

POSSESSIO] Sal. Tit. 36. §. 4. *Possessio in bannum mittatur.* Long. 2. Tit. 43. l. 1. *In vicis vel possessionibus.* Cap. 5. Tit. 169.

POSSESSOR INGENVVS] Sal. Tit. 43. §. 7. Gregor. Turon. de mirac. S. Martini Cap. 23. *Erant enim ingenui, & possessionem propriam possident.* Sic *Conductor ingenuus.* supr. *Conductor.*

PRÆCEPTVM] Id est, instrumentum sive privilegium. Long. 3. Tit. 1. l. 40. Form. 7. *Præcepta iudicum.* Edict. Theod. cap. 73. *Præceptum Regis.* Sal. Tit. 15. Longob. 2. Tit. 34. l. 10. *Præcepta regalia.* Cap. Kar. Reg. Tit. 9. *Præceptum immunitatis.* Cap. 5. Tit. 148. *Præceptum libertatis.* Long. 1. Tit. 32. l. 5. *Præceptio emunitatis.* Form. 7. *Præceptio indulgentiæ regiæ.* Longob. 2. Tit. 17. l. 1. Gregor. Turon. Histor. lib. 8. cap. 20. Idem de miracul. B. Martini cap. 15. Aimoin. lib. 5. cap. 17. *Præceptum de confirmatione totius Abbatiæ de more Principum fecit.* Chronicon Angolesm. *Postulante Launo Episcopo fecit in monasterio Sancti Eparchij auctoritatem præcepti, de terris quæ ibi sine contentione erant. Quod præceptum Bartholomeus Cancellarius eius scripsit, & ipse Domnus Rex Karolus manu sua & de anulo firmavit.*

PRÆDAM VASTARE] Alm. Tit. 25.

PRÆDICATIONES] Long. 3. Tit. 1. l. 8. Homiliæ sive orationes. *Prædicator*, concionator. Agobardus pag. 96.

PRÆGNANS EQVA] Wis. 8. Tit. 4. l. 5. Long. 1. Tit. 19. l. 17. *Prægnum iumentum.* Alm. Tit. 72. 73. Sic *Ovis prægnans* Varro de Re rust. lib. 2. cap. 2. *Prægnans sus.* Idem Lib. 2. cap. 4.

PRÆPOSITVS] Gloss. Basilii Magn. Πραιπόσιτ☉, ἀξίωματ☉ εἶδ☉. Theophylact. Simocat. lib. 4. pag. 237. τὴν κορυφαιότατην, ὃν πραιπόσιτον ἔθιμον ῥωμαίοις ἀποκαλεῖν. Wis. 8. Tit. 1. l. 5. 9. Burg. Tit. 49. §. 1. Long. 1. Tit. 17. l. 10. Long. 1. Tit. 34. l. 1. Long. 2. Tit. 47. l. 1. Tit. 55. L. 18. Cap. 3. Tit. 56. Add. Lud. 4. Tit. 78. *PRÆPOSITVS CIVITATIS.* Wis. 5. Tit. 5. l. 3. *Præpositus hostis.* Wis. 9. Tit. 2. l. 3. *Præpositus loci.* Long. 2. Tit. 52. L. 14. *Præpositus monachorum.* Cap. 1. Tit. 116. *Præpositus monasterij.* Add. Lud. 1. Tit. 31. 32. *Præpositus xenodochiorum.* Long. 3. Tit. 10. l. 1.

PRÆSSALIÆ] Neap. 1. Tit. 8. l. 1. Petr. de Vineis. lib. 5. Epist. 48.

IN PRÆSENTI VENIRE] Boior. Tit. 12. cap. 2. §. 1. *In rem præsentem.* L. 8. §. fin. ff. fin. reg. Seneca de benef. lib. 4. Plin. Epist. lib. 10. *in re præsenti fui, & vidi tuam quoque statuam.*

PRÆSES CIVITATIS] Cap. 5. Tit. 234.

PRÆSIDIVM] Form. 69. *Præsidium utriusque sexus.* Form. 67. *De præsidio, drappas, fabricaturas.* Form. 75. *mobilibus & immobilibus, præsidiis, peculiis, pecoribus, vineis, &c.*

PRÆSTARE] Wis. 9. Tit. 2. l. 8. Gloss. *Præsto* παραχορηγῶ. *Præstat* παρέχεται. Remansit planissime vox in Italico idiomate. Gall. *prester.*

PRÆSTITVM] Wis. 9. Tit. 2. l. 8. *Præstita res.* Fris. add. Tit. 11. Long. 2. Tit. 35. l. 1. *Præstitum habere.* Long. 1. Tit. 20. l. 3. *In præstito suscipere.* Long. 1. Tit. 20. l. 6. *Præstitum præstare.* Long. 2. Tit. 14. l. 16. *Præstitum beneficium.* Cap. Karol. Reg. Tit. 9. Inde *PRÆSTARIA Charta*, qua res præstitò datur. Form. 20. 23. 26. Tradition. Fuld. lib. 1. cap. 23. *per præstariam possidere.* Cap. 75. *præstario habere.*

PRÆSTVS] Wis. 9. Tit. 2. l. 9. Wis. 2. Tit. 1. l. 11. Tit. 2. l. 9. Tit. 3. l. 4. Sal. Tit. 47. §. 2. Gloss. *Præstos habeat, id est, præsentes.* Inscriptio vet. Patavii.

AMICOS COLVI PATRONOS BONOS
OFFICIO PRÆSTVS FVI.

Ausonius in ludo septem sapientum.
Spondere qui nos, noxa quod præs est, vetat.

PRÆSVM-

PRÆSVMPTORES] Edict. Th. cap. 144. *Præsumptuosi*. Alm. 84. *PRÆSVMPTIO*. Boior. Tit. 3. cap. 10. *per præsumptionem occidere*. Boior. Tit. 1 cap. 5. 6.

PRÆTITVLARI] Cap. 5. Tit. 26. id est, ordinari. ibid.

PRAGMATICA SANCTIO] Cap. 2. Tit. 30. Neap. 1. Tit. 64. L. 10. C. de Sacrosf. Eccles. &c. Iulian. Novell. 7. cap. 2. Zonar. Synod. 6. in Trull. can. 38. διὰ πραγμάτων ἐγγράφων, ἃ καὶ δημοσίως τύπους ὀνόμασιν. ἀλλαχοῦ δὲ πραγματικοὺς αὐτοὺς καλεῖ, καὶ βασίλεια γράμματα. Glossar. vet. *Pragmatica est illa constitutio, quam constituit Imperator, habito prius tractatu cum principibus*.

PRATELLVM] Form. 61. ὑποκοριστικὸν à prato.

PRECARIO] Wis. 10. Tit. 1. l. 12. Long. 3. Tit. 8. l. 4. Tit. 10. l. 2. Cap. 5. Tit. 127. Cap. 6. Tit. 320. Lud. Add. 3. Tit. 22. Cap. Kar. Reg. Tit. 8. 9. Form. 150. *PRECATORIA*. Form. 27. *Sub PRECARIO & censu*. Cap. 5. Tit. 3. *Precarium renovare*. Ibid. Ex Synod. Liptin. in Capitul. quæ miserunt Episc. provinciarum Rhemensis & Rothomagens. à Carisiaco palatio Hludovico Regi. Anno 858. *Quia vero Karolus Princeps Pipini Regis pater, primus inter omnes Francorum Reges ac Principes, res Ecclesiarum ab eis separavit atque divisit* &c. *Quod cognoscens filius eius Pipinus, Synodum apud Liptinas congregari fecit*, &c. *Et quantumcunque de rebus Ecclesiasticis, quas pater suus abstulerat, potuit, Ecclesiis reddi procuravit. Et quoniam omnes res Ecclesiis, à quibus ablatæ erant, restituere propter concertationem, quam cum Waifario Aquitanorum principe habebat, non prævaluit, precarias fieri ab Episcopis exinde petiit, & nonas ac decimas ad restaurationes tectorum, & de unaquaque casata duodecim denarios ad Ecclesiam, unde res erant beneficiatæ, (sicut in libro Capitulorum Reg. habetur) dari constituit, usque dum ipsæ res ad Ecclesiam revenirent*. Synod. Mediol. can. 21. 22. Synod. Turon. cap 51. Synod. Rhem. can. 36. 37. Synod. Beluacens. can. 10. 11. 12. 13. Flodoard. *Recepit denique res diversas & villas Ecclesiæ, quas antecessor suus per precarias sive præstarias diversis contulerat personis*. Tradition. Fuldens. lib. 1. cap. 1. & 13. *Sub usu beneficio-per precariam excolere*. Specul. Sax. lib. 3. Art. 92. *Precariã terræ imponere*: Bede vp dat Lant settet. Inde *precariare*, id est, precario cõcedere. Annal. Witikind. pag. 42. *PRECARIÆ DE QVINQVENNIO IN QVINQVENNIVM RENOVENTVR*. Cap. Kar. Reg. Tit. 9. Form. 19. 20. 22. 27. 150. Vid. Iacob. Cuiacii Comment. Feudal. lib. 1. Tit. 5.

NVLLVS IN PRECIBVS ORATIONEM NISI AD PATREM DIRIGAT] Cap. ... Tit. ... Synod Carthag. can. 23. ex quo hoc capitulum sumptum est. *Nullus ad altare Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet; sed semper orationem ad patrem dirigat, nec qualibet oratione utatur nisi probata*. Vid. Microlog. cap. 5. & Alcuin. cap. de celebrat. Missæ, libello de divinis officiis.

PRESBYTER] Wis. 3. Tit. 4. l. 18. Isidor. Iunior. *Ad presbyterium pertinet, Sacramentum corporis & sanguinis Domini in altario Dei conficere, orationes dicere, & benedicere populum*. Hraban. Maur. de instit. cler. Lib. 1. cap. 6. *PRESBYTER CAPELLANVS*. Cap. 7. Tit. 91. *PRESBYTER PAROCHIANVS*. Alm. Tit. 13. *qui in parochia positus est ab Episcopo*. supr. Tit. 11. *PRESBYTER FORENSIS*. Cap. L. Boior. §. 8. sup. *Forensis*.

PRESBYTERI AB INCOGNITIS EPISCOPIS ORDINATI] Cap. 6. Tit. 51. Ex Epist. Gregor. PP. ad Bonifacium.

PRETIVM VXORIS] Burg. Tit. 34. §. 2. Tit. 36. §. 1.

PRIMATES] Cap. 7. Tit. 341. 360. *Primates diæceseos*. Cap. 7. Tit. 63. 111. 234.

PRIMATES PALATII NOSTRI] Wis. 3. Tit. 1. l. 5. Forum iud. Hisp. *Los Principes de nostra corte*.

PRINCIPES] Wis. 5. Tit. 7. l. 20. Long. 2. Tit. 39. l. 4. Cap. 3. Tit. 26. Moschop. περὶ σχεδ. πρίγκεψ, ἀξίωματος ὄνομα. Glossar. Nomic. πρίγκιψ, πρωτεύων. ὁ πρῶτος τῶν πολιτικῶν ταξεωτῶν. *Princeps terræ*. Long. 2. Tit. 29. l. 1. *Princeps loci*. Form. 107.

PRIORES LOCI] Wis. 9. Tit. 1. l. 8. Hisp. *el sennior daquella tierra*. *Priores sunt, qui alibi Principes vocantur*. *Priores numeri*. Novell. 117. c. 11. πρίορες τοῦ ἀριθμοῦ. Eclog. Basil. lib. 29. pag. 301. *Priores rapere*, Fulgent. in Mythol.

PRIORES VEL PARENTES] Wis. 5. Tit. 7. l. 11. *Prioris sui vel parentum factum*

ctum custodiat. Forum iud. Hisp. *Deve gardar lo que fizo so padre.*

PROCINCTVS] Cap.4. Tit.26.

PROCLAMARE] Id est, appellare. Long.1. Tit.9. l.26. Long.2. Tit.26. Neapol. 1. Tit. 41. Cap.6. Tit. 299. *Proclamatio.* Neap. 1. Tit. 94. inf. *Reclamare.*

PROCLAMAVERIT] Sal. Tit.39. In lege familiæ data à Burchardo Episcopo Wormac. *Si quis ex familia S. Petri ad sociam suam legitime venerit, quidquid in dotem dederit, & hoc ipsa annum & diem non proclamatum possidet, si vir prior moritur, uxor eius totam habeat dotem, usque ad finem vitæ suæ.* Feud. lib. 2. Tit. 27. §. 4.

PROCVRATOR PRO PARTE CVRIÆ] Neap. 1. Tit. 52. PROCVRATOR RERVM FISCALIVM. Neap. 1. Tit. 84.

PROCOLPVS] Rip. Tit. 77. Colpus Gall. *Coup.*

PROCVRATOR] Wis. 8. Tit.1. l.5.9. *Procurator fisci.* Wis. 12. Tit.1. l.2.

PRODEFACERE] Wis. 6. Tit. 4. l. 3. proficere.

PRODITOR] Long.1. Tit.25. l.4.40. *qui rem furtivã indicat.* L. unic. C. de mendic. valid. *Proditor studiosus & diligens dominiũ consequatur.* Vid. l.6. C. de delator.

PROFESSOR] Form. 63.64.

PROFLIGARE] Wis. 4. Tit.2. l. 16. Tit. 5. l. 7. *Profligatio.* Wis. 3. Tit.1. l.9. Wis. 4. Tit.2. l.16. *Profligata res.* Wis. 3. Tit. 2. l. 8. Concil. Tol. 5. cap. 6. *in rebus profligatis, & largitate principis acquisitis, nullam debeat habere iacturam.* Concil. Tolet. 6. cap. 15. *De rebus iuste profligatis, aut parentum dignitate procuratis,* &c. Concil. Tolet 8 pag. 444. *quæ qualiscunq; proventus ordine profligationis congesserat. Profligare triginta libras.* L.1. C. Theod. Ne quis in Palatin. *Profligare compendium ærarii.* L.11. C. de ann. & trib. *Sollennis profligatur exactio.* L. 4. C. de metallar. *Canonem profligare.* L. fin. C. de fund. patrim. Glossar. Ἀπαιτῶ βιαίως, *flagito, efflagito, profligo.* Ἀπαίτησις, *exactio, profligatio.* Item. *Profligant* ἀπαιτήσωσιν.

PROGRAMMA] Neap.2. Tit.5.17. Glos. πρόγραμμα *proscriptum. Programmate admoniti.* L. 6. C. de remiss. pignor.

PROPRINDERE] Cap. 5. Tit. 40. Form. 172. Invadere. Gall. *prendere.* PROPRISÆ RES. Cap. L. Boior. §.12. Rip. Tit. 75. Cap. 5. Tit. 140. Chartavte. in Alman. Gold. num. 99. *Hrothelmus proclamavit, eo quod incontra drictũ suum mansum ei tollutum fuisset, quod ei advenit à parte uxoris suæ simul & Flavino, & proprisum fuisset, & legibus suum esse deberet.* Aimoin. lib. 5. cap. 38. *purprisum habeat.*

PROSEQVVTOR] Wis. 2. Tit.1. l.18. *qui causã alterius nomine prosequitur.* Form. ....

PSALLENTIVM] Cap. 5. Tit. 220. Gregor. Turon. Histor. lib. 2. cap. 21. *Cum magno psallentio comitantibus clericis civibusque ad Ecclesiam suam revertebatur.* Idem lib. 3. cap 5. *Per multos dies in fletu & ieiuniis durans, veniam precabatur, psallentium assidue instituens.* Idem de gloria martyr. lib. 1. cap. 6. 51. 75. Epist. ad Damascen. Theodor. *Post vespertinum officium cum modulato psallentio refectorium ingrediuntur.* Anastasius Bibliothecar. in Hadriano. *Constituitq; per unamquamque hebdomadam quinta feria cum psallentio, ut à diaconia pauperes usq; ad balneum pergerent.*

PSALMVS INVITATORIVS] Add. 1. Tit. 66. *Venite exultemus Domino* &c. ex editione Rom.

PSEVDOGRAPHÆ NARRATIONES] Cap. 1. Tit. 78.

PTOCHIVM] Cap.7. Tit.2. Iulian. Novell. 48. cap. 2. Concil. Calchedon. Action. 11. *Vixi cum pauperibus, & ptochium feci, & in eo posui* LXX. *lectos, & omnes languentes & ulceratos hospitio accipiebam.* In eodem concil. cap. 8. Græc. πτωχεῖον. Procop. & Etymol. Mag.

PTOCHOTROPHIVM] Cap. 2. Tit. 29. πτωχοτροφεῖον. Iulian. Novell. 7. Cap. 1. Novell. III. c. 1. *Ptochodochium.* Concil. Chalced. cap. 8. Vid. Franc. Pithæi, I.C. doctiss. Glossar. in Novell.

PVBLICVS QVI IN LOCO EST] Long.1. Tit.17. l.5. Tit.25. l.58.60. Long. 2. Tit.55. l.16. Long.3. Tit.13. l.3. γενικὸς κριτής. Zonar. Gall. *Le general.* Vel etiam ὁ δήμιος.

PVER REGIS] Id est, minister vel servus. Sal. Tit. 14. §. 6. Greg. Turon. Hist. lib.3. Tit.5. *lorum sub collo positum ac sub mento ligatum trahentibus ad se invicem duobus pueris, suffocatus est.* Vid. quæ ad Paul. Warnef. de Lon. notata sunt lib. 8. ca. 8. *Puer Regius.* Rip. Tit.53. §.2. Cap.6. Tit. 319. PVERI QVI MVLCTAM PER PAGOS EXIGVNT. Burg. Tit. 49. §. 4. German. Wittischalck. inf.

PVGNA] Id est, duellum. *Per PVGNAM aut per sacramentum se defendere.* Long. 1. Tit. 25. l. 49. *per PVGNAM vincere.* Long. 1. Tit. 25. l. 51. *per PVGNAM fatigari.* Long. 2. Tit. 35. l. 5. *PVGNAM SVB VNO SCVTO dirimere.* Longob. 2. Tit. 55. l. 1. 2. 3. id est, ut unum tantummodo par componatur, ut loquitur Seneca. *PER PVGNAM MVLTI CAVSAM SVAM PERDIDERE IVSTO DEI IVDICIO.* Long. 1. Tit. 9. l. 23. Agobardus Episcop. ad Ludovic. Imp. contra usum duelli. *An forte sine telis & gladiis causarum motus æquitas superna non iudicat? cum sæpè ut cernimus pars aut iuste tenens, aut iusta deposcens laboret in præliis, & prævaleat iniquæ partis vel superior fortitudo, vel furtiva subreptio. Non autem ita (sic dixerim) quasi non eventus belli varius superni nutus sententiâ moveretur; sed contigit nonnunquam, ut cum ad conflictum sub invocatione divini iudicii cõvenitur, negotii de quo agitur sorte dilatatâ in partem victam, illa magis peccata quæ non recolit vindicentur, & pereat ei præsentis causæ meritum, pro debito peccatorum. Quid cum armatum latronem simplex viator incurrit, & sine ullius declaratione iudicii aut cedens nudatur, aut punitur resistens, donec & prædo ipse in alio conflictu, in quo bonam sibi causam iudicari optat, pro ista magis iudicatus intereat?* &c. Collect. antiq. decret. Lib. 5. Tit. 18. de purgat. vulg. *Cum quidam eos super furti crimine accusaret, cum eo præter consuetudinem coacti sunt inire duellum: in quo aliis peccatis suis præpedientibus ceciderunt* &c.

PVGNANDI LICENTIA] Burg. Tit. 45.

PVLEPRVST] Alm. Tit. 65. §. 7. Boior. Tit. 3. cap. 1. §. 4. *Si brachium fregerit, ita ut pellem non rumpat, quod Alemanni* Puleprust *dicunt.* Germ. Bule sive Beule/ tumor ex percussione: Prust fractura sive ruptura.

PVLESCHLAH] Alm. Tit. 59. Boior. Tit. 3. cap. 1. Tit 4. §. 1. *Si quis alium per iram percusserit, quod Alemanni* Puleschlach *dicunt.* Quid Bule iam diximus. Schlach Germ. percussio siue verberatio, unde & Durschlach in L. Freson.

PVLSARE] Id est, in ius vocare. Long. 1. Tit. 25. l. 14. Long. 1. Tit. 36. *Pulsare debitorem* Long. 2. Tit. 21. l. 13. 25. L. 15. C. de agric. & cens. L. fin. C. in quib. caus. col. L. fin. §. 3. C. de re milit. L. fin. C. de appar. præf. præt. *PVLSARI.* Wis. 2. Tit. 1. l. 11. Add. Lud. 4. Tit. 100. *Pulsari legibus.* Edict. Theod. c. 11. L. 42. C. Theod. De Episcop. Eccles. & cler. *Iudicem adierint aliquem lite pulsantes, vel ab alio ipsi pulsati* &c. L. 11. §. *Qui interrog.* ff. de interrog. in iur. fact. &c. Cassiod. lib. 1. Var. 8.

PVLSARI SECVNDVM REGVLAM] Cap. 1. Tit. 114. 115. *PVLSATORIVM.* Cap. 1. Tit. 73. Can. 6. Synod. Vernis habitæ. Cap. 18. Regulæ B. Benedicti.

PVLVERATICVM] Cap. 6. Tit. 219. Form. 12. In præcepto Dagoberti de mercato S. Dionysii. *Theloneos, vel navigios, portaticos, pontaticos, rivaticos, rotaticos, vultaticos, themonaticos, cespitaticos, pulveraticos, foraticos, mestaticos, laudaticos, saumaticos, salutaticos omnes, & ex omnibus quidquid ad partem nostram vel fisco publico de ipso mercato ex ipsa mercimonia exactari potuerat.* Aimoin. Histor. lib. 5. cap. 1. p. 264. Est etiam *Pulveraticum* donativi genus: quo quidem nomine binos solidos dari servis, qui se militię offerunt, Impp. iubent. in L. 16. C. Theod. De tironib. Et iudicum *pulveratica* abolita ex Novell. Leon. & Maior. lib. 4. Tit. 1. scimus: quod etiam Cuiacius Observat. lib. 4. notat. *PVLVERATICA.* Form. 11. Sic Fronto de Limitib. agror. pag. 41. *Tres aureos accipiat absq; sua pulveratica.*

PVLVIS MORTALIS] Cap. 4. Add. 2. §. 27.

PVRGATIO EXEMPLO LEONIS PAPÆ] Cap. v. Tit. XXXIIII. Monachus S. Eparchii Egolismensis in vita Karoli Magni. *Inter quæ vel maximum & difficilimum erat de discutiendis Papæ obiectis criminibus. Et dum nullus probator criminum esse potuit, domnus papa (Leo) coram omni populo in Basilica Beati Petri Euangelium portans ambonem conscendit, & inuocato sanctæ Trinitatis nomine, iureiurando ab obiectis criminibus se purgavit.* Monach. Sangalens. quidam in vita Karoli Magni. *Illic intemeratus pater Leo assumens Euangelium Domini nostri Iesu Christi, posuit super caput suum, & in conspectu Karoli eiusque militum, assistentibus etiam persecutoribus suis, in hac verba iuravit. Sic in die Magni iudicii sim particeps Euangelii, sicut*

ficut immunis sum criminis, falsò mihi ab istis obiecti. Ado Vienens. ætate, VI. Aimoin. lib. 4. cap. 58. Fuldenses Annales. Anastas. Biblioth. in Pelagio. *Qui Pelagius tenens Evangelia & crucem Domini super caput suum, in ambonem ascendens, satisfecit cũcto populo & plebi, quia nullum malum peregisset contra Vigilium.* Purgationis Damasi meminit Sigebert. & Anastas. Xisti III. & Symmachi. Idem Anast. Paschalis, Theganus de gestis Ludouic. Pii, & auctor anonymus in vita eiusdẽ Ludouic.

IN PVTEVM ABIICI] Sal. Tit. 43. Gregor. Tur. Histor. lib. 3. cap. 6. *Interfecto Sigismundo cum uxore & filiis apud Columnam Aurelianensis urbis vicum, in puteum iactari præcipiens, Burgundias petiit.* Vid. varias Lection. in Leg. Salicam.

Q.

QVADRVPEDIA] Angl. Tit. 17. §. 1. Tradition. Fuldens. lib. 1. cap. 11. *prata, pascua, ædificia, alia confinia, quidquid sit mobile & immobile, quadrupediarum septem mancipia cum omnibus rebus suis.* Lib. 2. Tit. 19. *ædificiis, pecuniis, quadrupediis, & quidquid sit.* &c.

QVÆSITORES] Boior. Tit. 15. cap. 11. §. 2. qui rem deperditam investigant & quærunt.

QVATERNIONES CVRIÆ] Neap. 3. Tit. 25. Tit. 36.

QVARTA] Cap. 5. Tit. 151. *minus quartæ optima de terra habet.*

QVINGENTENARIVS] Wis. 2. Tit. 2. Tit. 1. l. 26. Wis. 9. Tit. 2. l. 1. 4. *Qui militibus quingentis præerant.*

QVINQVENNALIS] Edict. Theod. cap. 52. 53.

DE QVINQVENNIO IN QVINQVENNIO PRECARIA RENOVATA] Cap. Kar. Reg. Tit. 9. Form. 19. 20. 22. 150. Supr. *Precaria.*

R.

RACHINBVRGII] Sal. Tit. 52. Tit. 59. Rip. 32. §. 2. Tit. 55. Cap. 5. Tit. 14. Cap. Pipin. Tit. 6. Form. 162. 165. 167. In vett. Gloss. Latino-Theotis. Racha *causa vel res* interpretatur: inde *Rachinburgii iudices*, ut Gloss. interlinearis habet. Formula Cautionis de infractoris. *Contigit quod cellarium vel spicarium vestrum infregi, & exinde annonam vel aliam raupam in solidos tant. furavi; dum & vos & advocatus vester exinde ante ill. Comitem interpellare fecistis, & ego hanc causam nullatenus potui denegare, sic ab ipsis Rachinburgiis iudicatum, ut per wadium meum eam contra vos hoc est componere vel satisfacere debeam* &c. *sed dum ipsos solidos minime habui, unde transsolvere debeam, sic mihi aptificavit, ut brachium in collum posui, & per comam capitis mei coram præsentibus hominibus tradere feci, in ea ratione, ut interim quo ad ipsos solidos reddere potuero, & servitium vestrum & opera, qualiacunq; vos vel iuniores vestri iniunxeritis, facere & adimplere debeam, & si exinde negligens vel iactivus apparavero, spondeo me contra vos, ut talem disciplinam supra dorsum meum facere iubeatis, quam super reliquos servos vestros.* Tradit. Fuld. lib. 2. num. 38. p. 509. *totum & ad integrum tradiderunt coram testibus & regenburgis.*

CVM RAMO COOPERIRE] Rip. Tit. 15.

HOMINEM DE RAMO DIMITTERE] Sal. Tit. 69. *De furca vel patibulo.* Tacitus de morib. Germ. *Proditores & transfugas arboribus suspendunt.*

RAMOS AD PASCENDOS BOVES] Wis. 8. Tit. 4. l. 27. Boves aliasque pecudes θαλλῷ, id est fronde virente ali, tritum est: unde etiam Hesychius θαλλὸν explicat βοὸς τροφήν. Varro de re rust. lib. 1. cap. 15. *frondem iucundissimam ministrat ovibus ac bubus.* Phædrus lib. 2. Fab. 39. *Frondes bubulcus adfert* &c. Ovidius Metamorp. lib. 2.

Quod pecori frondes, alimentaq; mitia fruges
Humano generi.

Beda in vita Gutberti.

Frondiferi quondam memoris dum scanderet alta,
Caderet ut pecori arboreo de pabula cono.

RAPTA INTRA XL. NOCTES, SECVNDVM LEGEM SALICAM RECLAMARE DEBET] Form. 88.

RAPTOR ET RAPTA SI CONSENSERINT, VITÆ PERICVLVM SECVNDVM LEG. ROM. INCVRRANT] Wis. 3. Tit. 3. l. 2. Edict. Th. Cap. 17. Form. 81. 83. 84. L. unic. C. de raptu virgin. seu viduar. Vid. quæ ad Ammian. lib. 15. notata.

RATIONALIS] Wis. 10. Tit. 2. l. 5. Neap. 1. Tit. 88. l. 1.

RATIO] Sal. Tit. 63. *de hereditate & de tota illorum se ratione tollat.* Sal. Tit. 1. §. 5. *Si infra pagum in sua ratione fuerit.* Gall. *Race.*

RATIONEM FACERE] Rip. Tit. 30. §. 2. Long. 1. Tit. 23. l. 6. *Rationem accipere.* Greg. Tur. Hist. lib. 7. cap. 47.

RAVBA] Alm. Tit. 49. Form. 111. 125. 157. 158. Glossar. Latino-Anglo-Sax. *Vestimentum vel indumentum,* Roeff. inde Gall. *Robbe* togam vocant. & *derobber* spoliare.

RECELLVLÆ] Burg. Tit. 14. §. 6. Id est, reculæ.

RECEPTA] Neap. 1. Tit. 49. Gall. *la Recepte:* contrarium *la Mise.*

RECLAMARE] Sal. Tit. 39. Long. 1. Tit. 18. l. 2. Long. 2. Tit. 10. l. 2. Tit. 41. l. 1. 2. 3. Tit. 52. l. 15. Long. 3. Tit. 25. 32. Neap. 1. Tit. 38. Tit. 50. l. 3. Cap. 2. Tit. 26. 34. Cap. 4. Tit. 68. Cap. 5. Tit. 15. Add. Lud. 4. Tit. 82. Cap. Pipin. Tit. 6. 7. Form. 175. Synod. Vernis habita Can. 9. *Quod si aliquis reclamaverit, quod iniuste sit excommunicatus.* In Codice quodam pervetusto. *N. Comes in placito devestivit N. de suo proprio alode, propter crimen incesti. Postquam autem N. Abbas & N. Comes missi Dominici in illas partes venissent ad iussionem Domini Imperatoris explendam, & iusta iudicia terminanda, reclamavit prædictus N, quod iniusto iudicio propriis rebus caruisset* &c. *Auditis testibus prædicti missi iudicaverunt.* &c. Charta vet. in Alm. Gold. Tom. 2. n. 95. *ad Domnum Hludovicum Regem reclamasset.* RECLAMATIO. Long. 2. Tit. 26. Cap. 4. add. 3. §. 11. Cap. 5. Tit. 34. 151. 223. Form. 125. RECLAMATORES. Long. 2. Tit. 52. l. 23. Hinc Gallis *Reclamer* & *Reclain.*

RECOLLIGERE] Long. 2. Tit. 15. l. 3. 5. *Recolligere filiam.* Long. 2. Tit. 12. l. 1. *Recolligere pignus.* Long. 2. Tit. 21. l. 24. 25. 26. Charta vetus in Alm. Gold. Tom. 2. n. 42. *arare duos iochos in anno, & recollegere, & intus ducere.* Ibid. Chart. n. 61. *ad messem vel pratum colligendum.*

RECTORES ECCLESIÆ] Long. 3. Tit. 1. l. 42. Tit. 10. l. 4. Cap. 3. Tit. 23. 75. Cap. 4. Tit. 40. *Rector monasterii.* Form. 18. 21.

RECTOR PROVINCIÆ] Wis. 12. Tit. 1. L. 2. 4. Cod. Th. de off. rect. prov. L. 3. 11. C. 4. Th. de offic. iud. omn. L. 2. C. Th. de iurisd. &c.

REDDITVM LOCIS RELIGIOSIS FACERE] Long. 2. Tit. 18. l. 3.

REDEBERE] Form. 173. 174. ἀνταποδοῦναι.

REDEMTIONALE] Form. 99. Charta redemptionalis, quæ datur cũ quis semet ex servitute sua pecunia redimit. Fris. Tit. 11. Cap. 7. Tit. 207. Apud Burgundiones domino suo solid. XII. servus si dedisset licentiã habeat, quo vellet discedendi. Burgund. Tit. 57. Quæ nimirum pecunia aut de servi peculio erat, idque sciente domino, aut aliunde mutuata. Si enim servus de peculio suo se redemisset, & hoc dominus eius forte ignorasse de domini potestate non exibat. Cap. 5. Tit. 207. Quod planissime cum moribus Romanis quadrat: quibus cum domino servus de libertate certâ pecuniâ poterat pacisci. L. 8. §. 5. ff. de pecul. leg. Plaut. Persa.

> *Ancilla mea, quæ hodie fuit, sua nunc est, argento vicit.*

Idem Rudente.

> *—— dandum huic argentum est probum,*
> *Id ego continuo huic dabo, adeo me ut hic emittat manu.*

Et in Trinummo.

> *Vult fieri liber, verum quod det non habet.*

Iohan. Chrisost. de virginitate pag. 41. τέλος (de servo loquitur) μὲν γὰρ ἔξεστιν πολλάκις καὶ παντελοῦς ἐλευθερίας τυχεῖν, ἢ δυνηθέντα ποτὲ εὐπορήσας ἀργυρίου καταθεῖναι τὴν τιμὴν τῷ δεσπότῃ. Quin etiam invito domino, cui ex noxali causa deditus erat servus, ad libertatem quæsita pecunia auxilio præsidis poterat proclamare. Institut. Tit. de noxal. act. §. 3.

REDEMPTVS TESTIS] Pecunia corruptus. Cap. 5. Tit. 247.

REDHIBITIO] Id est, mulcta. Burg. Tit. 49. §. 3. Glossar. *Redibitio* ἀνταπόδοσις. *Redhibitio rerum mobilium.* Long. 2. Tit. 52. l. 10.

REFECTORIVM] Add. Lud. 1. Tit. 68. Cap. Karl. Reg. Tit. 16.

REFEREN-

REFERENDARIVS] Form. 109. Aimoin. Histor. lib. 4. cap. 41. *Referendarius ideo est dictus, quod ad eum universæ publicæ deferrentur conscriptiones, ipseq; eas anulo Regis, sive ab eo sigillo sibi commisso muniret seu firmaret.* Vid. Gloss. Fr. Pithæi in Novell. Iuliani.

REFFARE MESSEM] Sal. Tit. 29. §. 6. Gloss. Anglo-Sax. *Raptor.* Reofere. *Messor* Rifstere. Et hodie Germanis Reuffen, evellere est.

REFORMARE] Id est, restituere, Wis. 7. Tit. 3. l. 4. Wis. 8. Tit. 3. l. 13. Tit. 4. l. 15. Wis. 9. Tit. 1. l. 1. 9. &c. Tit. 3. l. 4. Wis. 11. Tit. 3. l. 4. Burg. Tit. 29. §. 1. Tit. 41. §. 1. Tit. 49. §. 2. Tit. 77. §. 1. 3. Add. 1. Tit. 18. Boior. Tit. 11. cap. 3. Rip. Tit. 66. Cap. 5. Tit. 204. Cap. 6. Tit. 151. Add. Lud. 4. Tit. 60.

REFRAGARE] Form. 6. &c. *Refragari vel falsare.* Rip. Tit. 59. §. 2. *Refragatio.* Cap. Kar. Reg. Tit. 20. Form. 7. Privileg. Reichersp. Anno MCLV. *Nulla debeant à vobis refragatione turbari.* Gloss. *Refragatur,* ἐναντιοῦται. *Refragantes,* ἀποψηφίζοντες.

REFVTARE] Long. 3. Tit. 27. l. 1. Tit. 28. Cap. 3. Tit. 10. Gloss. Lat. *Refuto, recuso.* Item *Refutat, repudiat, respuit.* Ammian. lib. 17. *Refutare pacem,* ad quem locum vid. quæ notata.

REGALIA] Long. 3. Tit. 1. l. 30. Neap. 1. Tit. 7. Apud Brunon. Histor. belli Sax. p. 141. *Tanta profligatio regalium, ut posthac Reges nostrarum partium rapinis potius, quam regalibus sustentandi sint,* &c.

REGIA SERVITVS] Burg. Tit. 35. §. 3. Tit. 36.

REGVLA CANONICA] Cap. 6. Tit. 222. *Regula monastica.* Ibid.

REGVLARES] Qui sub regula vivunt. Longob. 3. Tit. 1. l. 8. Cap. 5. Tit. 181. *Regularis institutio.* Cap. 5. Tit. 142.

REICVLA] Cap. 7. Tit. 192. Chronicon S. Galli, de gestis Karoli Magni. *Quod reicula sancti Galli non ex regalibus donariis, sed ex privatorum traditiunculis collecta.*

REIPVS] Sal. Tit. 46. Gloss. *Reipus, de sponsalitiis viduarum. Pretium emptionis viduæ matrimonij causa.* L. Saxon. Tit. 41.

RELATORES] Cap. 2. Tit. 26.

RELEVIVM] Neap. 3. Tit. 22. Gall. *Relief:* quod pro diversitate regionum ac consuetudinum variè censetur.

RELIQVIAS AB ECCLESIA AVFERRE] Long. 3. Tit. 1. l. 44. auferri quidem possunt, non tamen dividendi. L. 3. C. de SS. Eccles.

IN RELIQVIIS IVRARE] Fris. Tit. 3. 10. 12. Chronic. Laurisham. pag. 75. *super sacras reliquias hoc iurare debebit.* Sup. *Ivrare.*

RELIQVATORES] Edict. Theodor. Cap. 144. *Reliquatores vectigalium.* L. 9. §. 2. ff. de publican. Vid. quæ ad Amm. lib. 16. notata.

REMALLARE] Form. 124. *Remallatio.* Form. 125. Supr. *Mallare.*

REMEDIVM E SEPVLCHRIS MORTVORVM] Wis. 11. Tit. 2. l. 2. Vid. quæ ad Ammian. lib. 19. notata.

REPLICARI AD PALATIVM] Long. 2. Tit. 9. l. 3. *in servitutem regiam adtrahi.*

REPLICARE AD SERVITIVM] Long. 2. Tit. 12. l. 2. Tit. 18. l. 3.

REPRESSALIÆ] Neap. 1. Tit. 8. l. 1. Et in Annalibus Eberhardi, pag. 311. laudatur Gregorij PP. decretalis de impignorationibus seu repressaliis. Sup. *Pressaliæ.*

RESIDERE IN TERRA DOMINICA] Cap. 5. Tit. 150.

RES SVPERFVSÆ] Burg. Tit. 53. id est *contraria fatorum decreta.* ibid.

RERVM AMBITIO] id est, *divitiarum cumulus.* Wis. 12. Tit. 2. l. 14.

RES IN BANNVM MISSÆ] Cap. L. Sal. Lud. Imp. §. 4. 5.

RES INTROMISSÆ] Long. 2. Tit. 21. l. 20.

RES QVÆ NECESSITATE COMPELLENTE A NONNVLLIS ECCLESIIS ABLATÆ SVNT] Cap. 1. Tit. 110. Vid. vita Bonifacii, & Lib. 5. Tit. 3. infr. Nec verosimile videtur quod de Eucherio Aurelianens. Episc. fabulantur quidam, quasi viderit animam Caroli Martelli apud inferos cruciari: cum Eucherium relegatum notet Sigebertus Anno DCCXXIII. obiisse vero VI. exitus sui anno, qui contemporaneus vitam illius scripsit apud Surium, vel ut Molanus exarchivis monasterij Trudonens. Anno DCCXXVII. Atq; ita Eucherio Karolus Martellus diu superstes vixerit, quem obijsse Anno Dn. DCCXLI. omnes antiquiores historici tradunt.

RESOLIDARE VVLNVS] Long. 1. Tit. 7. l. 8.

RESPECTVALIS TRADITIO] Form. 55.

RESPONDERE PRO ALIO] Cap. 3. Tit. 44. Gall. *Respondre pour quelqun.* RESPONSVM DARE. Wis. 4. Tit. 2. l. 15. Wis. 5. Tit. 4. l. 18. Gall. *Donner ung respondant.* ἀντιφωνητὴν δοῦναι. in Eclog. Basilic. Vid. Tit. C. de constit. pecun. Chronic. Laurish. p. 77. *responsales pro se regi direxit, vixq; paucorum dierum inducias obtinuit.* Iohan. Salesb. Epist. 7. *Sufficientes excusatores vel responsales misit.* IN RESPONSVM INTROIRE. Form. 117. Gall. *respondre en iugement.*

RETORTA] Sal. Tit. 36. Rip. Tit. 43. Tit. 72. §. 1. 3 5. Leo Marsican. Chron. Casin. lib. 2. cap. 62. *Duo nigerrimi spiritus retortas ex agrestibus vitibus facientes, eumq;* (Pandulphum) *per guttur ligantes, in ipsa lacus profunda miserunt.* Turpinus in vita Caroli Magni capp. 22. 26. *quatuor palis in terra fixis, cum quatuor retortis fortiter nexum* &c. TORTA. Neap. 3. Tit. 38. l. 4. Ital. *Ritorte.*

RETRVSI] Wis. 6. Tit. 2. l. 3.

REWADIARE] Id est, relaxare. Cap. 4. Tit. 58. 70. Cap. 4. Add. 2. §. 8. 28. *Bannum rewadiare. Heribannum rewadiatum.* Cap. 4. Tit. 70. Cap. 5. Tit. 43. Add. Lud. 4. Tit. 71.

REVESTIRE] Wis. 12. Tit. 1. l. 3. Tit. 3. l. 27. *Revestitus ante altare.* Alm. Tit. 14.

REX] Wis. 5. Tit. 4. l. 19. Wis. 2. Tit. 2. l. 7. Wis. 3. Tit. 4. l. 17. Long. 2. Tit. 39. l. 4. Cap. 3. Tit. 26. REX FRANCORVM. Sax. Tit. 3. §. 1. Constantinus Manasses.

> Ῥῆγας σὺν σφῶν κατάρχοντας οἶδασι
> Φράγγοι λέγειν.

RHEDO] Angl. Tit. 7. §. 3. *Ornamenta muliebria, quod dicunt rhedo.* Glossar. vet. Latino-Theotisc. Scafraida *toreuma* interpretaturi & Haußgeradt / mobilia sive ornamenta domus, etiamnunc Germ. vocant.

ALLATA EPISTOLA B. GREGORII A RICOLPHO MOGVNTIACENSI] Cap. 7. Tit. 205. Hincmarus Rhemens. adversus Hincmarum Laudun. Episcop. de sententiis ex Graecis & Latinis Canonibus atque Synodis, decretisq; Pontificum collectis, & Engelramno Metensium Episcopo datis, quando pro sui negotii causa agebatur. *De illis sententiis plena est terra ista, sicut & de libro collectarum Epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus Episcopus in huiusmodi, sicut in capitulis Regis curiosus, obtinuit, & istas regiones de illo repleri fecit.* Vnde *quidam Episcoporum* (ait Nicolaus PP. ad Archiepiscop. & Episcop. Galliæ) *scripserunt, haud illa decretalia priscorum Pontificum in toto Codicis Canonum corpore contineri descripta.* Cuius Codicis sive collectionis, quæ & CORPVS CANONVM dicitur, Distinct. 9. & 20. auctor fuit Dionysius Exiguus, non autem Isidorus Mercator, Epistolarum Pontificiarum à B. Clemente usque ad Gregorium primum collector. Idem Hincmar. Epist. 7.

RIPVARIVS PAGVS] Rip. Tit. 31. §. 3. *Ripuaria provincia.* Ibid. §. 5. & Tit. 88. Guntherus Ligur. lib. 1.

> *Saxones & quorum Ripuaria nomine tellus*
> *Westfaliaq; urbes* —

Idem lib. 6.

> *Ripuaria Cæsar in arva*
> *Tendit, & extremo Rheni percurrere fines.*

Anonymi annal. rer. gestar. Karoli Magni, Anno DCCLXXXII. *Cum iis copiis quas audita Saxonum defectione raptim in Ripuaria congregare potuit.* Chronicon Ms. *Bellum in Ripuaria inter Ludovicum & Karolum committitur.* Wippo de vita Conradi Salici pag. 430. *Rex de Ribuariis ad Saxoniam venit,* &c. Ripuariorum situm etsi curate satis inquisivit Herm. Comes Nuenarii in Galliæ Belg. Commentar. certum tamen est, id quod ex fide veterum Historicorum colligere potuimus, Ripuariam regionem ad Ruram fluvium, (à quo Ruræmunda civitas nomen accepit) qui inter Mosam & Rhenum medius currit, fuisse. Clare hoc indicat Frodoardus in Chron. An. DCCCCXXIII. dum inquit: *Rotbertus in regnum Roibariense proficiscitur, locuturus cum Heinrico, qui ei obviam venit in pagum Ribuarium super fluvium Ruram, ubi se invicem paverunt,* &c. Regino Abb. Anno DCCCLXX. *Cum à partibus Orientis veniens Ribuariorum terminos intrasset, in quandam regiam villam nomine Flamersheim ad hospitium divertit.*

vertit. Idem Anno DCCCLXXXI. *Duo Reges Nortmannorum Godefridus & Sigefridus cum inæstimabili multitudine peditum & equitũ consederunt in loco qui dicitur Haslow iuxta Mosam: & primo quidem impetu finitima loca depopulantes, Leodium civitatem, Traiectum castrum, Tungrensem urbem incendio cremant. Secunda incursione Ribuariorum finibus effusi cædibus ac incendiis omnia devastant. Coloniam Agrippinam, Bonnam civitates cum adiacentibus castellis, scilicet Tulpiacum, Vilipiacum, & Nuis, igne comburunt.* Idem Anno DCCCLXXXXI. *Ribuariorum fines intrantes Coloniam tenderent.* Eodem anno. *Nortmanni, qui ad naves remanserant Mosam transeuntes* RIBVARIORVM PAGVM *ingressi, & secundum crudelitatem sibi ingenitam cuncta devorantes pervenerunt usque Bonnam.* Wippo in vita Conradi Salici. *Rex Chonradus primum per regionem Ribuariorum usque ad locum qui dicitur Aquisgrani palatium pervenit.* Hugo Abbas, qui contemporaneus fuit D. Bernardo in libro Ms. de miraculis B. Mariæ. *Commanens in Ripuaria ultra Axonam fluvium, qui præterlabitur urbem Suessoniam.* Ex quibus locis satis colligi situs provinciæ potest: quam in quinq; comitatus divisam fuisse, ex Aimoino, ni fallor, probabitur, ubi regni divisionem inter Carolum & Ludovicum recenset, Histor. lib. 5. cap. 25. Ceterum à ripis fluviorum, iuxta quos habitarunt, ut quidam volunt, Ripuarios dictos, non ausim asseverare; sic enim rectius *Ripariij* vocarentur (ut in Glossar. *Riparius* ὀχθοφύλαξ) non autem *Ripuarij*, vel *Ribuarij*: quemadmodum indifferenter scriptum hoc nomen apud veteres reperimus.

RIPVARIVS HOMO] Rip. Tit. 7. cap. 10. §. 22. Tit. 36. §. 1.

RIPVARIA LEX] Rip. Tit. 30. §. 1. Tit. 31. §. 4.

RIGA] Form. 6. *Nullas functiones aut reditus terræ, vel pascuarium, aut agrarium, aut carropera, aut quodcunq; dici potest — non debeatis, nisi tantum si ita vult, riga.*

ROCCVS] Add. Lud. 1. Tit. 22. Chronic. Sangall. de vita Caroli Magn. lib. 2. *Karolus habebat pellicium berbicinum, non multum amplioris pretii, quam erat roccus ille S. Martini.* Ekkehardus in casib. Monasterii S. Gall. cap. 10. *Roccos videlicet & camisias, caligas & calceos.* Cap. 14. *Capitium capiti imponens, brachialeq; rocci subter caput revolvens.* Cap. 15. *Monachicis indutos roccis.* Ibidem. *Sponte sua roccum exuit.* Vocem hanc corruptam arbitror in l. 3. C. Th. de habitu quo uti. *Intra urbem Romanam nemo vel ragis, vel tzancis utatur.* Legendum enim: *nemo vel ruchis vel tzangis utatur.* De *tzangis* infra notabimus. *Ruchum* autem Græci ῥοῦχον vocant. Codinus de officiis C.P. τὸ κόκκινον ἱμάτιον ἤγουν τὸ ῥοῦχον. Gloss. Latino-Theotis. *Rochus* Roch. Sed & *Rachana*, non absimilis soni vox, vestimenti genus est apud Gregor. PP. lib. 9. Epist. ult. Lib. 12. Epist. 26. Anastas. Biblioth. de vit. PP.

RODATICVM] Cap. 6. Tit. 219. Form. 12. *Rotaticum.* Form. 11. Aimoin. lib. 5. cap. 11. *Teloneus exigatur nec de navale, nec de carrale, neque de saumis, neque de extranea evectione, nec rotatico, nec pontatico,* &c. Et paulò post. *Neque teloneum, aut rotaticum, seu vultaticum,* &c. Ivo Decret. lib. 16. cap. 306. *Vt nullus præsumat teloneum rodaticum vel pulveraticum recipere.* Gall. *Rodage.* Tit. 10. Leg. Municip. S. Severi. Tit. 21. Aquens. *Droict de rouage.*

ROMANA ECCLESIA CAPVT OMNIVM ECCLESIARVM] Neap. 1. Tit. 1. Roma caput τῆς οἰκουμένης. L. 7. 8. C. De summa Trinit. Novel. Iustin. 131. At L. 24. C. De sacro-sanct. Eccles. Constantinopolitana Ecclesia caput aliarum omniũ vocatur. Sed facile hanc contradictionẽ diiudicabunt, qui τῆς οἰκουμένης significationẽ recte intelligunt. Cur autem Roma caput Ecclesiarum dicta, & cur Constantinopolis post eam πρεσβεῖα illa habeat, explicite in Calchedon. Concil. cap. 28. tractatur. Πανταχοῦ τοῖς τῶν ἁγίων πατέρων ὅροις ἑπόμενοι, τὰ αὐτὰ καὶ ἡμεῖς ὁρίζομεν τε καὶ ψηφιζόμεθα περὶ τῶν πρεσβείων τῆς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας τῆς αὐτῆς Κωνσταντινουπόλεως, νέας ῥώμης. καὶ γὰρ τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας ῥώμης διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα, καὶ τῷ αὐτῷ σκόπῳ κινούμενοι οἱ ἑκατὸν πεντήκοντα θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι, τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν τῷ τῆς νέας ῥώμης ἁγιωτάτῳ θρόνῳ. εὐλόγως κρίναντες, τὴν βασιλείᾳ καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν, καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβείων τῇ πρεσβυτέρᾳ βασιλίδι ῥώμῃ, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκείνην μεγαλύνεσθαι πράγμασι, δευτέραν μετ᾽ ἐκείνην ὑπάρχουσαν. *Vbique leges sanctorum patrum nostrorum*

nostrorum sequentes, eadem & nos definimus ac statuimus de dignitate & amplitudine sanctissima huius Ecclesia Constantinopolis, nova Roma. Etenim sedi antiquioris Roma, quia tum civitas illa regnabat, patres nostri merito primum honoris gradum tribuerunt. Atque eadem consideratione moti CL. Deo amantissimi Episcopi, parem honoris gradum tribuerunt nova Roma sedi sanctissima, meritò decernentes, ut ea civitas, qua tantum honorem adepta est, ut & sedes esset imperij, & senatum haberet, & parem dignitatis gradum obtineret, atque antiqua sedes Imperii Roma obtinet, etiam in Ecclesiasticis negotiis parem atque illa honorem ac dignitatem obtineat, quum post illam secunda sit.

VT IVDICATO EPISCOPO LICEAT, SI NECESSE FVERIT LIBERE EPISCOPVM ADIRE ROM.] Cap.6. Tit. 64.198. Add. Lud. 4. Tit. 14. Gregor. Turon. Histor. lib.5. cap.20. *At illi* (Salonius & Sagittarius Episc.) *cum adhuc propitium sibi regem esse noscerent, ad eum accedunt, implorantes se iniuste remotos, sibique tribui licentiam, ut ad Papam urbis Rom. accedere debeant. Rex vero annuens petitionibus eorum, datis Epistolis eos abire permisit.* Hincmarus Hadriano universalis Ecclesiæ PP. *De eo quod pusillitati mea vestra rescripsit sublimitas, ut eundem Hincmarum & alios tres Episcopos, omnium Episcoporum regni domni Karoli vicem ferentes ad Synodum Romam mitterem, vestra sciat autoritas, quia nec prædictum Hincmarum, nec etiam quemlibet Episcoporum diœceseos Rhemorum, minime autem aliarum provinciarum Episcopos, nisi domnus Rex illis praceperit Romam vel in aliquam partem mea commendatione mittendi habeo potestatem, nec ipse ego ultra fines sui regni absque illius scientia progredi valeo.* Idem Hincmarus Nicolao summæ sedis Apostolicæ & universali PP. *Nesciens quia nos Metropolitani in istis regionibus non habemus potestatem, ut sine consensu vel iussione regis, aut nos ipsi ire, aut coëpiscopos nostros quoquã longius possimus dirigere.* Flodoard. in Wulfario. *Eundi denique Romam causa orationis ad S. Petrum licentiam ab Imp. se accepisse in quadam sua designat epistola.*

ROMANVS, BARBARVS] Burg. Tit.10.

ROMANVS POSSESSOR] Sal. Tit.43. §. 7. supr. *Conductor ingenuus* Et: *Possessor ingenuus.* ROMANVS TRIBVTARIVS. Ibidem. Gloss. *Romanus tributarius & Stopharius vocatur, qui censum Regi solvit.* Nec enim Franci ingenui pendebant tributum. Gregor. Tur. lib.7. cap.16.

RONCALIA] Long. 3. Tit.9.l.9. Vid. Cuiac. Feudor. lib. 1. Tit. 20. Lib. 4. Tit. 36.

RVBEVS FERAMVS] Alm. Tit. 99. id est, rubea fera. Gall. *beste fauve.* Germ. Gelb wildt.

RVBRICÆ EX DICTIS TESTIVM PVBLICATORVM] Neap.2. Tit.45.

RVGA SVMMA FRONTIS] Fris. Tit.22.

RVMPATVR DORSVS EIVS C. PERCVSSIONIBVS] Boior. Tit. 6. cap. 2. §. 2. Sic *rumpere servum flagris.* L. 15. §. 39. ff. de iniuriis.

RVODA] Sax. Tit.2. §. 1. *Qui nobilem occiderit* DCCCCXL. *sol. comp. Ruoda quod dicitur apud Saxones* CXX. *sol.* Ruod veteri lingua Sax. crucem significat. Gloss. *Crux vel staurus* rod. Symbolum Apost. lingua Sax. on rode ahangen: id est, cruci affixus. Atque inde forsan Ruogstab, accusatio capitis. Apud Otfridum Evangel. lib. 4. cap.20. Willeram. in Cantic. Canticor.

RVSTICANI] Long.1. Tit 17.l.2. Genus hominum infidum, & ad seditiones promptum: nam & sub imperio Rom. interdum rebellasse Historiæ narrant. Hieronym. Olymp.266. Eutropius lib. 9. cap. 16. Quinimo anni haut adeò multi sunt, quod in Germania turbas rusticani non exiguas dederunt.

S.

SABVLVM] Fris. add. Tit. 12. Gloss. Latin. *Sabulum, levissimum genus terra.* Hieronym. in vita Paulæ. *Sabulum capiti superiacebat plorans ac eiulans.* Curtius lib. 4. & Plinius, Columella, Vitruvius, Palladius, locis innumeris. Gall. *Sablon.*

SACELLVM DOMINI REGIS] Cap.1. Tit.9. Capitul. Ripini Tit.3. 4. *Sacellum* ταμεῖον, ærarium, à sacello sive sacculo, id est βαλλαντίῳ. Nam quod Mauricius Imp. in Tacticis cap. 9. dixit, λαμβάνειν ὑπὲρ μισθοῦ ἀπὸ τοῦ σακελλίου, id Leo Imp. ἀπὸ τοῦ ταμείου, in Tacticis Constit. 12. §. 52. Inde *Sacellarius*, id est Quæstor sive ὁ ταμίας, qui ab eadẽ origine Germ. Seckelmeister vocatur. Greg. Mag. PP. Lib. 4.

Epist. 78. *Sicut in Ravenna partibus Dominorum pietas apud primum exercitum Italiæ sacellarium habet, qui causis supervenientibus quotidianas expensas faciat: ita & in hac urbe in causis talibus eorum sacellarius ego sum.* Hincmarus Episcopus Rhem. Epist. 3. cap. 17.

SACERDOTALIS DECRETI SENTENTIA DE POENA SODOMITARVM] Wis. 3. Tit. 5. l. 7. Qualis extat in Concil. Tolet. XVI. cap. 3. nisi quod in Regis nomine atq; annorum æra variet. Quæ autem ex iure Rom. contra nefandum hoc delictum in medium adferri possent, iam ubertim à Commentat. Fori Iudicum Hispan. ad hanc ipsam legem congesta sunt.

SACIRE] Boior. Tit. 17. l. 2. *Sociare*: ibidem mox post. Form. 29. 30. 150. *ad proprium sacire.* Inde Gall. *Saisir.*

SACRAMENTARIVM] Cap. 5. Tit. 52. Cap. 7. Tit. 127. 305. Ordo Rom. ex editione Cassandri, cap. 5. 12. &c.

SACRAMENTI FORMVLA] Marculf. Form. 110. 120. *SACRAMENTVM FIDELITATIS.* Long. Tit. 34. l. 3. *SACRAMENTVM PRO GILDONIA.* Cap. 5. Tit. 129. *SACRAMENTVM PERFECTORIVM.* Fris. Tit. 14. §. 2. *SACRAMENTVM RVPTVM.* Long. 2. Tit. 55. l. 7. 14. *SACRAMENTVM per loca sanctorum vel super pignora.* Form. 39. 40. id est, super martyrum relliquias. *SACRAMENTA ad Evangelia præbere.* Longob. 1. Tit. 25. l. 18. *SACRAMENTA CORPORALIA.* Neap. 1. Tit. 44. 59. *Tactis corporaliter sacro-sanctis Evangeliis in publico corporalia subeant testamenta. IN SACRAMENTVM mittere.* Longob. 1. Tit. 33. l. 2. 3. *PER SACRAMENTVM se defendere.* Long. 1. Tit. 25. l. 49. *Cum SACRAMENTO aut per campionem adulterium purgare.* Long. 1. Tit. 32. l. 2. *Cum SACRAMENTO manu propria singula se idoneum facere.* Cap. 3. Tit. 39 *SACRAMENTA cum aliis XI. præbere.* Burg. Tit. 52. *SACRAMENTVM duodecima manu præbere.* Burg. Tit. 8. §. 1. *Cum XII. coniuratoribus legitimis per SACRAMENTVM affirmare.* Cap. 4. Tit. 13.

SACRAMENTALIS] Alm. Tit. 6. 36. 53. 89 Boior. Tit. 1. cap. 3. Tit. 16. cap. 5. &c. Frison. Tit. 1. §. 2. Tit. 3. &c. Long. 2. Tit. 35. l. 4. Tit. 55. *SACRAMENTALES advocati.* Alm. Tit. 35. *Cum XXII. ADVOCATIS iurare.* Alm. Tit. 89. *SACRAMENTALES nominati.* Alm. Tit. 53. Boior. Tit. 1. cap. 6. §. 2. Tit. 7. cap. 15. *SACRAMENTALES proximiores qui nascendo sunt.* Long. 2. Tit. 21. Feud. lib. 1. Tit. 4. §. 2. *Dabitur ei defensio cum XII. sacramentalibus.* Eodem lib. Tit. 10. lib. 2. Tit. 34. Supr. *Coniuratores ET Iuratores.*

SACRIVVS PORCVS] Sal. Tit. 3. Id est, qui defensor est aliorum porcorum. *Porci sacres* Varroni & Festo dicuntur, ad sacrificium idonei. Porca Cereri fiebat. Fest. Hominesq; ceriti & insani porca se piabant. Plaut. Menechm.

SAGIBARO] Sal. Tit. 56. §. 2. 3. 4. Al. *Sachbarones.* Gloss. *Sagibarones dicuntur quasi senatores.* Gall. *hommes de loy on de causes.* Artic. 85. Consuet. Hanno. Senatorum urbis Avernæ meminit Gregor. Turon. de glor. confess. Lib. 2. capp. 5. 42. 65. 106. & Histor. lib. 2. & 10.

SAGITTARI] Burg. Tit. 46.

SAGVM] Cap. 5. Tit. 2. *Diaconi non sagis laicorum more, sed casulis utantur.* Can. 5. Synod. Matiscon. Anonymus quidam S. Galli Monachus. in vita Karoli Magni, ex Werimberto. *Erat antiquorum ornatus vel paratura Francorum, calciamenta forinsecus aurata, corrigiis tricubitalibus insignita, fasciolæ crurales vermiculatæ, & subtus eas tibialia & coxalia linea, quamvis ex eodem colore, tamen artificiosissimo opere variata. Super quæ & fasciolas, in crucis modum intrinsecus & extrinsecus, ante & retro, longissimæ illæ corrigiæ tendebantur. Deinde camisia glizzina, post hæc balthew spata colligatus. Quæ spata primo vagina fagea, secundo corio qualicumque, tertiò linteamine candidissimo cera lucidissima roborato ita cingebatur, ut per medium cruciculis eminentibus, ad peremptionem gentilium auraretur. Vltimus habitus eorum erat pallium canum, vel saphyrinum, quadrangulum, duplex, sic formatum ut cum imponeretur humeris, ante & retro pedes tangeret, de lateribus vero vix genua contegeret. Tum baculus de arbore Malo, nodis paribus admirabilis, rigidus & terribilis cuspide manuali ex auro vel argento, cum celaturis insignibus præfixo, portabatur in dextra. Quo habitu lentus ego cum in Franciam nonnunquam venirem, vidi caput Francorum in monasterio S. Galli, duosque flores auricomos ex eius femoribus progressos: quorum qui prior egressus est proceritatem illius adæquabat, posterior autem paulatim excrescens, verticem stipitis sui summa gloria decoravit,*

coravit, & transcendendo contexit. Sed ut est mos humani ingenii, cum inter Gallos Franci militantes, virgatis eos sagulis lucere conspicerent, novitate gaudentes antiquam consuetudinem dimiserunt, & eos imitari cœperunt. Quod interim rigidissimus Imp. idcirco non prohibuit, quia bellicis rebus aptior ille videretur habitus. Sed cum Frisones hac licentia abutentes adverteret, & brevissima illa palliola, sicut prius maxima vendere comperisset, præcepit, ut nullus ab eis nisi grandia latissimaq; illa longissima pallia consuetudinario pretio coëmeret. Adiiciens, quid prosunt illa picttaciola? In lecto non illis possumus cooperiri, caballicans contra ventos & pluvias nequeo defendi, ad necessaria naturæ secedens tibiarum gelatione deficio.

SAGVM TENENS IVRARE] Fris. Tit. 14. *in vestimento sacramentum facere.* Fris. Tit. 3.

SAIGA] Quarta pars tremissis, id est, denarii tres. Alm. Tit. 6. §. 2. 3. 5. 6. 99. Boior. Tit. 1. cap. 3. §. 1. Tit. 4. §. 2. Tit. 8. cap. 2. §. 3. 4. Tit. 11. cap. 6. Tit. 13. cap. 9. 10. Tit. 16. cap. 1. Charta vet. in Alm. Gold. Tom. 2. num. 60. *Friscinga saiga valente.* Donatio in Alm. Gold. Tom. 3. pag. 58. *Censumq; inde solvam annis singulis unam saigam, in quocunque pretio potuerim.*

SAIO] Wis. 2. Tit. 1. l. 17. 25. Tit. 2. l. 4. 10. Wis. 5. Tit. 3. l. 2. Wis. 6. Tit. 1. l. 6. Wis. 10. Tit. 2. l. 5. Gloss. vet. *Saio, penator, tortor.* Isidor. Origin. lib. 10. *Saio ab exigendo dictus.* Saionum crebra mentio apud Cassiodor. Lib. 2. Var. 13. 20. Lib. 3. Var. 20. Lib. 4. Var. 14. 27. 32. 34. 47. Lib. 5. Var. 5. 10. 19. 20. 26. Lib. 8. Var. 27. Lib. 9. Var. 18. apud quem etiam horum officium graphicè describitur Lib. 12. Var. 3. *Contra nullum alium erigaris, nisi qui legibus parere despexerit. Ad forum trahe, qui iusta non recipit: sub continentia irascere, sub maturitate distringe. Timeri te amplius volumus, quam probari, quia maximè illud vigori tuo reputabitur, si nullius præsumptione peccetur. Cogitetur pra omnibus pecuniæ fidelis exactio. Sit tuum commodum contemptus alienus. Coactus faciat, qui iusta sponte complere neglexerit. Causis tantum te delegatis impende*, &c. Forum Iudicum Hisp. Lib. 2. Tit. 1. l. 16. *Nin constringa por si, nin por su sayon, fueres si fuere juez demandado del Rey, o de voluntad de las partes*, &c. Hispanis etiam nunc in usu est, *el Sayo*, quo nomine spiculatorem sive carnificem vocant.

SALA] Alm. Tit. 81. *Domum eius incendat, seu salam.* Long. 1. Tit. 11. l. 4. *Bubulcus de sala.* Long. 1. Tit. 11. l. 7. *de sala propria exire.* Sall videtur antiquitus Germ. domum significasse: unde Salisuchen. Decret. Tassil. §. 14. id est domi scrutinium facere, remq; furtivam inquirere: ut per lancem & licium apud Rom. Nunc paululum à generali hac significatione deflexit vox, & pro parte tantummodo domus, puta quam cænaculum vocamus, usurpatur.

SAL BENEDICTVM CATECHVMENIS VEL POENITENTIBVS PRO COMMVNIONE] Cap. VII. Tit. CXC. Can. 5. Synod. Carth. 3. Isidor. 2. divin. offic. cap. 20. Alcuinus cap. de Sabbatho sancto Pasch. lib. de divin. offic. Augustin. lib. 2. de peccat. merit. cap. 26. *Nam & Catechumenos secundum quendam modum suum per signum Christi, & orationem manus impositionis puto sanctificari, & quod accipiunt, quamvis non sit Christi corpus, sanctum est tamen, & sanctius quam cibi quibus alimur.* Can. LXV. de consecrat. distinct. 4. *Sal calestis sapientiæ.*

SALICÆ LEGIS] Francorum, quos consuetudo Salios vocitavit, sicut Amm. Marcell. scribit, lib. 17. Claudian. in Stilicon. panegyr. 1.

— Rhenumq; minacem
Cornibus infractis adeo mitescere cogis,
Vt Salius iam rura colat.

Fortasse à saliendo nomine hoc illis imposito. Sidon. Apoll.

Tibi vincitur illic
Cursu Herulus, Chunnus iaculis, Francusq; natatu,
Sauromata clypeo, Salius pede, falce Gelonus.

Gens Salica, in Chron. de Guelphis. editionis Canisii p. 182. *Vxorem duxit de gente Salica, de castro Glibberg.* Et in prologo harum legum. *Gens Francorum inclyta fortis in armis, audax, velox, & aspera.* Inde *Salicus Francus* Cap. L. Sal. Lud. Imp. §. 3. Decret. Child. §. 14. Cap. 4. Tit. 75. Lex Salica simpliciter dicitur, Synod. Cabillon. & Rhemens. eiusq; mentio Feudor. lib. 2. Tit. 29. Videantur Ado, Einardus, Otho Frising. Sigebertus, Abbas Vrspergens. Trithemius & Nicol. Vigner. libell.

libel. cui titulus est *Traicté de lestat & origine des anciens Francois.*

SALICA TERRA] Sal. Tit. 62. §. 6. Apud Armenios legem fuisse scribit Iustinianus Imp. in Edict. 3. qua soli masculi ad parentum hereditatem succedebant, fœminæ vero excluderentur. Consimilem hanc legem dixerimus de terra Salica, ad quam fæminis cunctis exclusis, soli masculi admittuntur: unde etiam de lancea ad fusum (ut hæ leges loquuntur) regnum Francorum nunquam transit. Mentio autem terræ Salicæ in donatione Caroli Magni Ecclesiæ Tigurinæ. *Atq; insuper in Honica duos mansos & dimidium, præter Salicam terram, de nostra propria manu in suam manum ut iustum est percepit.* Charta vet. in Alm. Gold. Tom. 2. n. 28. *Statuimus inter nos, ut venerabili Abbati & fratribus prædicti monasterii decimam in subnotatis locis, sicut illius temporis in illorum erat vestitura, concederemus: hoc est in Mechingen simul cum Salica terra, & hobis: & in Goldahun de Salica terra, simul cum illa hoba, quæ illi adiacet, cuius decima tunc in mea vestitura erat.* &c. Alia charta num. 74. *Tam marchis, quam ædificiis (excepta domo Salica) curtilibus, terris, pratis, vineis, sylvis, aquis, aquarumque decursibus, cultis & incultis, omnia ex integro pro remedio animæ suæ nobis tradidit in ea ratione, ut nos easdem res statim habeamus, & ex illis faciamus quidquid voluerimus: & ille à nobis accipiat in beneficium in tempus vitæ suæ, quod habemus in Maiugai, excepta Salica terra, nisi IIII. iugera ex ipsa* &c. In veteri Gloss. Latino Theotis. quo Florentiæ in Biblioth. Ducis Hetrusc. usus sum, interpretatur *Terra Salica*, Selilant. Nimirum illa est terra, quæ hostibus devictis Regi militibusq; Saliis assignata fuit. Vnde & *decima Salica in* descriptione hubarum ad curiam Furde pertinentium, apud Marq. Freherum virum doct. in Originib. Palat. Nam agri ex hoste capti partim in publico, vel principi, partim veteri possessori relinquebantur, partim militibus & veteranis in præmia assignabantur. Procop. 1. de bello Wandalico. *Gizerichus deinde si quid inter Afros boni fuerat, aut agri, aut rerum aliarum, omne inter filios divisit Honorichum & Genzonem, nam Theodatus omnibus iunior iam decesserat sine liberis. Ceteros item agros optimos Africæ, à dominis ereptos VVandalis distribuit, qui adhuc hodie κλῆροιβανδίλων vocantur.* Male interpres Latinus. Vnde in edicto Hunnerici apud Victorem Episc. Vticens. lib. 3. *Sortes Vandilorum.* Et lib. 10. L. Wis. tit. 2. *Sortes Gothicæ & Romanæ.*

SALLIRE] Boior. Tit. 13. cap. 2. Sup. *Assallire.*

SALTARIVS] Long. 1. Tit. 25. l. 50. 73. *Decanus aut saltarius, qui in loco ordinatus fuerit* &c. in al. Cod. *Saltuarius* legitur. Long. 2. Tit. 38. l. 2.

SALTVATICVM] Form. 12. Tributi huius mentio in præcepto Dagoberti de mercato S. Dionysii. *Theloneos vel navigios, portaticos, pontaticos, rivaticos, rotaticos, vultaticos, themonaticos, cespitaticos, pulveraticos, foraticos, mestaticos, laudaticos, saumaticos, saltuaticos omnes & ex omnibus, quidquid ad partem nostram vel fisco publico de ipso mercato ex ipsa mercimonia exactari potuerat.* Aimoin. lib. 5. cap. 1. *Teloneus exigatur nec de navale, nec de carrale, neq; de saumis, neq; de extranea evectione, nec rotatico, nec pontatico, nec pulveratico, nec saltuatico, nec cespitatico.* & mox post. *Neq; teloneum, aut rotaticum, seu vultaticum, cepsasticum, ripaticum vel saltuaticum cuiquam accipere liceat.*

SALVATICÆ AVES] Boior. Tit. 20. cap. 1. §. 6. aves feræ. Itali in suo idiomate retinent.

SANCTORVM PATROCINIA PORTARE] Cap. 5. Tit. 2. In exercitu martyrum reliquiæ circumlatæ, in auxilium contra hostes. Guibert. Histor. Hierosf. quo etiam pertinet, quod de Cappa B. Martini Walafrid. Strabo scribit.

SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS] Cap. 1. Tit. 70. Apostolic. Constitut. lib. 9. cap. 12. καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἅμα εἰπάτω, ΑΓΙΟΣ, ΑΓΙΟΣ, ΑΓΙΟΣ, κύριος Σαβαώθ. Nicephor. lib. 18. cap. 51. *Ter sanctum carmen, ut apparet & mihi videtur, iam inde ab Apostolis, etiam ante Theodosii iunioris, & Procli patriarchæ tempora, per manus Ecclesiæ Christi traditū est.* Chronicon Reichersp. Anno CXXIX. *Sixtus PP. coronatur. Primus hic constituit ut sacrata ministeria non tractarentur nisi à sacris ministris: & præcepit, ut intra actionem sacrificii SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS decantetur.* Vt videatur falli Damascenus de orthodoxa fide lib. 3. cap. 10.

INCERTÆ SANCTORVM MEMORIÆ ET FALSA NOMINA MARTYRVM] Cap. I. Tit. XLII. Canone 50. Synod. Africanæ.

SANCTI NOVITER INVENTI SINE AVCTORITATE] Append. I. Tit. X. Can. 51. Synod. Mogunt. Can. 43. Syn. Franconofurd. *Vt nulli novi sancti colantur, aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur. Sed hi soli in Ecclesia venerandi sunt, qui ex auctoritate passionum, aut vitæ merito electi sunt.* Sever. Sulpit. in vit. B. Mart. *Erat haud longe ab opido proximus monasterii locus, quem falsa opinio consepultis martyribus sacraverat*, &c. *Sed Martinus non temere adhibens incertis fidem, ab his qui maiores natu erant presbyteris vel clericis, flagitabat sibi nomen martyris, vel tempora passionis ostendi: grandi se scrupulo permoveri, quod nihil certi constans sibi maiorum memoria tradidisset.* Optat. Milevitan. lib. I. *Quæ ante spiritalem cibum & potum, os nescio cuius martyris, si tamen martyris, libare dicebatur: & cum præponeret calici salutari os nescio cuius hominis mortui, & si martyris, sed needum vindicati, correpta cum confusione irata discessit.* Nam fiebat dedicatio ossium martyris. Hieronym. ad Iulian. *Quod in quadragesimo die dormitionis earum lugubrem vestem mutaveris, & dedicatio ossium martyris, candida tibi vestimenta reddiderit.*

SANDALIA] Cap. V. Tit. CCXIX. In carta Karoli Magni. *De calceamentis secundum Romanum usum.* Hraban. I. de Instit. cleric. cap. 22. Amelar. 2. Officialis cap. 25. Albin. Alcuin. de Divinis officiis. Ordo Roman. 99.

SANGVINARE] Sax. Tit. 3. Glossar. Αἱμάσσω, *Cruento, sanguino.*

SANGVINEM DIMITTERE] Fris. add. Tit. 3. § 43.

SARCOPHAGVS] Wis. II. Tit. 2. l. 2. Sal. Tit. 17. §. 3. Isidor. Orig. lib. 8. cap. 11. *Arca in qua mortuus ponetur, sarcophagum vocant.* Inscript. vetus pag. 810. n. 10.

... INDVXI IN SARCOPHAGVM IN QVEM DVM RECEPTVM FVERIT CORPVS MEVM NVLLI VNQVAM LICEAT ACCEDERE.

In alia inscriptione pag. 543. num. 3.

LETHÆOQ. IACES CONDITA SARCOPHAGO.

SARACENI HISPANIAM, PROVINCIAM, BVRGVNDIAM VASTARVNT] Cap. add. 4. Tit. 102. Ado Viennens. pag. 201. *Sarraceni penè totam Aquitaniam vastantes, & late alias provincias igne ferroq. superantes, Burgundiam dirissima infestatione deprædantur, penè omnia flammis exurentes, monasteria quoque ac loca sacra fœdantes, innumerum populum abigunt, atque in Hispanias transponunt.* Aimoin. lib. 4. c. 52. 57. Annal. Francor. Anno DCCXXV. &c.

SARTA TECTA] Add. Lud. 4. Tit. 60. Cap. Kar. Reg. Tit. 18. Festus Pomp. *Opera publica quæ locantur, ut integra præstentur, sarta tecta vocantur: etenim sarcire est integrum facere.* Vid. Barn. Brisson. de verb. sign. lib. 17.

SAVMA] Al. *Soma.* al. *sauma.* Long. I. Tit. 14. l. 7. Cap. Pipin. Tit. 4. Glossar. vett. *Clitellæ, sarcina, sella, soma.* Isidor. Orig. lib. XX. cap. 16. *Sagma, quæ corrupte vulgo sauma, à stratu sagorum vocatur: unde & caballus sagmarius, mula sagmaria.* Gloss. Latino-Theotis. *Sagma, feltrū, vel* Stoul-soum. *Sauma* Soum. *Saumarius* Soumari. Vegetius de mulo-medicina lib. 2. cap. 59. *sub sellis aut sagmis solo tergo præstat officium.* Liutprand. Histor. *Sellæ & sagmata.* Aimoinus lib. 5. cap. I. *Nec de saumis, nec de carragine.* Eodem lib. cap. 34. *Omnes autem saugmas, & ea quæ mercatores portabant, exercitus Ludowici accepit.* Petr. de Vineis, lib. 3. Epist. 24. Lib. 5. Epist. 91. Gall. *Sommes ou charges.*

SAVMARIVS] Form. 12. *Equi saumis onerati* Aimoin. lib. 5. cap. 7. *Erant sine saumariis.* Martyrologium Ms. in passione B. Vitalis. *Cum reverteretur.* (Valeria coniux Vitalis) *ad urbem Mediolanensium, idola transiens sylvanos sacrificantes incurrit: qui cum eam deponentes de saumario hortarentur secum epulari, illa dicebat: Christiana sum, non mihi licet de sylvanis vestris sacrificiis manducare.* Leo Marsic. lib. 3. cap. 84. *Onustos fœno saumarios minare.* Dithmarus Chron. lib. 3. pag. 33. *Cum sagmariis plurimis quasi pecunia sarcinatis.* Annal. Godefridi Monachi, pag. 257. *Hactenus vehiculis necessaria deportabant, ex hoc iam summariis usi sunt.* Ibidem pag. 261. *Manoch Rex Africæ XXV. summarios auro & lapide pretioso multisq. donis oneratos Imper. mittit.* In veteri Chronico Anno MCCXXXIII. *hyemem asperam fuisse, adeo ut in medi-*

in mediterraneo mari institores Venetiani cum oneratis summariis per glaciem transirent. Radulph. Ardens Homil. 18. post Trinit. *Præmittunt in quadrigis & summariis multam & pretiosam suppellectilem.* *Equus sagmarius* apud Lamprid. in Heliogab. Veget. de mulom. & alib. τζαγμάριος ἵππος recentioribus Græc.

SAXA VENERARI] Cap. 7. Tit. 236. Burch. Decret. lib. 10. cap. 32. ex concilio Agath. cap. 5. LL. Politicis Canuti Reg. cap. 5. *Adorationem gentilem planissime vetamus. Gentilis est autem adoratio, sive quis idola (puta gentium divos) Solem, Lunam, ignem, profluentem, fontes, saxa, cuiusq; generis arbores, lignave coluerit: &c.*

SCABINI] Al. *Scabinei.* Cap. L. Sal. cap. 3. §. 5. Cap. L. Sal. cap. 1. §. 10. 17. Long. 1. Tit. 35. l. 1. 2. Long. 2. Tit. 16. Tit. 21. l. 30. Tit. 40. 42. 47. 52. &c. Tit. 55. l. 37. Tit. 59. Cap. 2. Tit. 28. Cap. 3. Tit. 7. 31. Cap. 4. Tit. 5. Cap. 6. Tit. 207. Add. Lud. 4. Tit. 73. 75. Form. 124. 169. Hincmar. Epist. 4. c. 14. *Ne contra Capitulum Domini Imp. Karoli, ut nemo ad mallum vel ad placitum cogeretur venire, nisi scabini, & qui causam suam quarit, & cui quaritur.* Charta vet. Alm. Gold. Tom. 2. n. 99. *Interrogavit ipse Comes illos Scabinios, quid illi de hac causa iudicare voluissent. &c.* Tradition. Fuld. lib. 1. n. 99. *Pracipiente comite & scabinis iudicantibus. &c.* In chartulario Besuensis Monasterii. *Notum fiat posteris, quod ante illustrem virum Hildegarium Comitem, seu Iudices quos Scabineos vocant, & quamplures personas qui cum eo adearant in Montaniaco villa in mallo publico ad multorum causas audiendas, & rectas iustitias terminandas, ibi veniens Betio Episcopus & advocatus suus Burgoardus, novem legitimos testes ibi præsentavit, quorum nomina hac sunt.* Et alibi. *Ante illustrem virum Hildegarium Comitem, seu iudices, quos scabineos vocant. Tunc ipsi scabinei unanimiter iudicarunt.* Gloss. *Scabini auditores comitum.* Gloss. Latino-Theotisc. *Iudex* Sceppeno. Qua notione passim à Germanis usurpatur: atq; inde quoq; Gallorum *Eschevins* deducuntur.

SCHACHO] Long. 2. Tit. 55. l. 37. *De furto aut schacho.* Germanis Schach latrocinium: Schacher sive Schachman latro, apud Otfridum. Euang. lib. 4. cap. 22. 27. 31. Heroum German. lib. 2.

> Zu hant sie do vffspringen
> Die starcken Schachman/ &c.

Inde Schachspil/ludus schachorum, id est latrunculorum, Gall. *Le ieu des esches.*

SCALA] Boior. Tit. 3. l. 6. Gloss. Latino-Theotisc. *Patera* Scala. Paul. Warnefr. Histor. Long. lib. 1. Cap. 27. *Alboin Cunimundum occidit, caputq; illius sublatum ad bibendum ex eo poculum fecit: quod genus poculi apud eos Schala dicitur, lingua vero Latina patera vocitatur.* Isidor. Orig. lib. 20. cap. 5. *Calices & calathi & & scalæ poculorum genera. &c.*

SCAMERA] Long. 1. Tit. 1. l. 4. Tit. 9. l. 16. Glossar. *Scamera, explorator.* Consimilis vox apud Iornand. de reb. Get. Eugippiũ in vita Severini; Menandrum lib. de legationib. sed quæ diversa ab hac esse videtur.

SCANDALVM] Long. 1. Tit. 8. l. 29. 30. Tit. 17. l. 4. 6. Cap. 3. Tit. 89. *Scandalum committere.* Boior. Tit. 2. cap. 4. Long. 1. Tit. 16. l. 6. *in scandalum concurrere.* Long. 1. Tit. 16. l. 3. *scandalum facere.* Long. 1. Tit. 25. l. 22. Cap. 5. Tit. 148. Gregor. Turon. Histor. lib. 3. cap. 16. *Theodoricus & Childebertus fœdus inierunt. — multi tunc filii senatorum in hac obsidione dati sunt; sed orto iterum inter Reges scandalo, ad servitium publicum sunt addicti.* Nithard. Histor. lib. 4. *Ne forte quoddam scandalum inter homines illorum qualibet ex causa oriretur.*

SCAPELLARE] Long. 1. Tit. 19. Tit. 25. l. 67. Gloss. *Scapellat* καλαχίζ, καλαχνίζ. Aliæ glossæ. *Scapellare, incidere, frangere.* Gall. *Schapeler.*

SCARA] Cap. 3. Tit. 68. Hincmar. Epist. 5. *Bellatorum acies, quas vulgari sermone scaras vocamus.* Aimoin. lib. 4. c. 26. *Collegit e Franciæ bellatoribus scaram, quam nos turmam vel cuneum appellare possumus.* Idem lib. 5. cap. 27. *Ordinatis scaris, qui eundem Carlomannum cum suis complicibus à regno pellerent.* Cap. 42. *scara Normannorum plenum exercitum præveniens.* Regino lib. 2. *misit occulte unam scaram de electis viris.* Idem. *misit quatuor scaras in Saxoniam, qui tres pugnas cum Saxonibus inierunt, & Deo auxiliante victores extiterunt; quarta*

vero scara non habuit pugnam. Ado Viennens. *Quatuor scaras in Saxoniam dirigit.* Auctor vitæ Caroli Magn. *Carolus una cum Francis castrametatus est ad easdem clusas, misitq; scaram suam per montana.* Ibidem p. 243. *misit scaram Franciscam in Saxoniam.* p. 246. *coniungentes ad scaram Francorũ &c.* Germanica vox est Schara. Otfrid. Evangel. lib. 4. cap. 16.

Skara filu breita
Ioh sie thara leita.

Inde Zeltscara, *turma castrensis*, apud Willeram & Italor. *Schiera.* Gall. *Esquiere.*

SCASTLEGI] Id est, armorum depositio. Add. Lud. 4. Tit. 81. Germ. Leggen *deponere* significat: quid Scast/ non liquet.

SCEDVLA] Cap. 1. Tit. 86. In præfatione reformationis Ludovici Pii Imp. *Libellus.*

SCEFFILA] Sax. Tit. 19. Mensuræ genus est apud Germanos usitatæ: quale & Hemmethe, apud Helmold. lib. 1. Cap. 92. & *Maldre* sive *multare* Feudor. lib. 2. Tit. 27. Abb. Vrsperg. *Multare avena.* Charta vet. in Alm. Gold. 12. *duas maltras de frumento.* num. 69. 83. *maldram de chernone.*

SCEMATIO CORPORIS] Long. 2. Tit. 55. l. 16. Id est, ut hæ leges loquuntur, diffiguratio corporis. Lamprid. in Heliogab. *Vultum præterea eodem quo Venus pingitur, schemate figurabat, corpore toto expolitus.* Sic *monachicum schema*, id est habitus manachalis. Novell. 5. cap. 4. l. 3. §. 4. C. de summa Trinit. *Schemate atq; nomine sacerdotis exutum.* In vita S. Eufraxiæ. *Si nos diligis, esto nobiscum in nostro schemate.*

SCHOLÆ] Cap. 1. Tit. LXXII. Addit. II. Tit. V. Can. 12. Synod. Parisiens. Can. 9. Synod. Nannetens. Can. 1. Synod. Valentinæ. Can. 3. Syn. Cabillon. 2. Lupus ad Einardum. *Si quidem vestra memoria per famosissimum Imperatorem Carolum literæ ceptæ revocari aliquantulum quidem extulere caput.* In priuilegio quod idem Carolus Magnus dedit Ecclesiæ Osnaburgen. apud Crantz. *In eodem loco Græcas & Latinas scholas in perpetuum manere ordinavimus.* Angelom. Cantic. Canticorum. Sed & ei qui scholas regebat, beneficium olim deputatum fuisse per omnes fere Ecclesias maiores Gallicanas, & suo tempore dignosci scribit Alexander. 3. Rhemensi Archiepisc. Collect. 2. Canon.

SCINDALA] Burg. Tit. 73. Long. 1. Tit. 25. l. 27. Papian. Respon. Tit. 29. *Si quis caballis ossum aut scandulam ligaverit.* Isidor. Orig. 19. cap. 19. *Asseres ab asse dicti, quia soli ponuntur, neq; coniuncti: Scindulæ, eo quod scindātur, id est dividantur.* Gloss. Latino-Theotisc. *Axis* Pret *vel* Schindala. *Laterculum* Ziegil *vel* Schindula. Aimmoin. lib. 5. cap. 34. *Ovum, ac pullum, vel etiam scindulam scripto sub uno comprehendit.* Adamus Brem. lib. 1. cap. 45. *Mirabilis orta tempestas à semicremis Ecclesiarum tectis scindulas elevavit.* Aldhelm. *flammantibus scandulis succensum.* Vid. Vitruv. de Architect. lib. 2. cap. 1. Plin. lib. 16. cap. 10. Columell. alii.

SCOFPH] Boior. Tit. 9. cap. 2. §. 2. *Scuria non septa absq; parietibus.*

SCOGILVM] Rip. 3. Tit. 36. §. 11. *Spatam cum scogilo.* Ms. *soilo.*

SCOPAR] Boior. Tit. 9. cap. 2. §. 5. *De minore (scuria) quod scopar appellant.*

SCORTICATVS] Cap. 5. Tit. 2. Cap. 7. Tit. 316. *Flagellatus & scorticatus.* Gall. *Escorché.* Burchardus in lege quam dedit familiæ: *Constituimus ut ei tollantur corium & capilli.* Canutus Rex in Politicis LL. cap. 27. *Effodiantur oculi, præcidatur nasus, amputentur auriculæ, summũ abscindatur labrum, aut deniq; capillus cum pelle detrahatur.* Feudor. lib. 2. Tit. 27. §. 8. *forcipe excorietur & tondeatur.*

SCOTI QVI SE EPISCOPOS DICVNT] Cap. Add. Lud. 3. Tit. 38. Synod. Cabillon. 2. cap. 43.

SCOTORVM HOSPITALIA] In Capitulis excerptis à Karolo Hludouici Imp. filio. XII. Can. 14. Syn. Meldens. In capitulis quæ miserunt Episcopi provinc. Rhemens. & Rothomag. Hludovico regi, Anno 858. *Hospitalia peregrinorum, sicut sunt Scotorum, ac quæ tempore antecessorum regum constructa & constituta fuerunt, ut ad hoc, ad quod deputata sunt, teneantur.*

SCRAMA] Wis. 9. Tit. 2. l. 9. *Spathis, scramis, lanceis, sagittisq; instructos.* *Scrama* ergo teli genus, unde & vox *scramasaxus*, si vera lectio est, composita, apud Gregor. Turon. Histor. lib. 4. cap. 51. *Duo pueri cum cultris validis, quos vulgo scramasaxos vocant, infecti veneno, maleficiati à Fredegunde*

gunde regina, cum aliam causam se gerere simularent, utraque ei latera feriunt. Sed scribendum forsan: quos vulgo scramas vocant. German. enim Sax, scrama sive culter est: unde Schersax novacula, in Glossar. Latino-Theotisc. Nec aliunde Saxones, quam à saxis, id est, oblongis cultris appellatos, Witikindus Annal. lib. 1. aliiq; rerum Germ. scriptores affirmant: à scrama autem Gallicum *Escrimer* derivatum est.

SCREONA] Sal. Tit. 14. §. 1. *de casa vel de screona*. Sal. Tit. 29. §. 35. *Screona quæ sine clave est*. Sal. Tit. 29. §. 31. *Screona quæ clavem habet*. Sax. Tit. 4. §. 4. Fres. addit. Tit. 1. §. 2. In quibusdam codd. *Screuna* legitur: sicut *leodes, leudes; beodum, beudum*. Rusticis Campanis etiam hodie *Escrenes* dicuntur cameræ illæ demersæ in humum, multo insuper fimo oneratæ, in quibus hyeme puellæ simul convenientes, pervigilant sæpe ad mediam usque noctem.

SCRINIVM] Burg. Tit. 29. §. 3. *Effractores omnes, qui aut domos aut scrinia expoliant*. Mss. Codd. *screunias expol.* al. *Sceunias*. Quid *Screuna* iam diximus. *Sceunia* esset Scheune Germ. SCRINIA IMPERATORIS. Edict. Theod. cap. 10. χαρτοφυλάκια. Horat. lib. 2. Epist. 1. *Chartas & scrinia posco*. Porphyr. *Scrinium capsas dicit, in quibus scripta reponuntur*. Vnde SCRINIARIVS. L. 15. C. Theod. de num. act. Græc. κλειδοφύλαξ τῶν σκεμνίων. Martyrolog. Ms. in vita Lucii & Callinici. Glossar. Nomicum. Σκεμνιάριοι, καμπσοφόροι, τοῦτ᾽ ἐστὶ χαρτουλάριοι. Vid. Gloss. Franc. Pithæi, in Novell. Iuliani.

SCRIPPA] Cap. Pipin. Tit. 4.

PER SCRIPTVRAM RES SVAS AD VSVM FRVCTVM DARE] Long. 2. Tit. 14. l. 28. Id est, iure libellario.

CONTRA SCRIPTVRAM PROPRIAM VENIENS LEGE ROM. INFAMIS EST] Form. 68. Collat. Cartag. p. 117. *Contra proprios nemo venire potest consensus*.

SCROFA DVCARIA] Sal. Tit. 2. §. 13. Id est, *Ductrix aliarum scrofarum*, Glossar.

SCRVTINIVM MORE ROM. VT AGATVR] Cap. 5. Tit. 220. Synod. Mogunt. Can. 4. ad Carol. Magn. *Sacramenta itaque baptismatis volumus, ut sicut sancta vestra fuit admonitio, ita concorditer atque uniformiter in singulis parochiis secundum Roman. ordinem inter nos celebrentur iugiter atque conserventur, id est scrutinium ad ordinem baptismatis*. Can. 3. Synod. Mogunt. sub Hrabano.

SCVLCA] Long. 1. Tit. 14. l. 6. *Si quis in exercitum ambulare contemserit, aut in sculcam*. Glossar. *Sculca, id est, cavalcata*. Theophylactus Simoc. Lib. 6. pag. 314. τῆς Ἀβαρικῆς κατημέλησεν, ἣν σκοῦλκαν συνηθὲς τῇ πατρίῳ φωνῇ ῥωμαίοις ἀποκαλεῖν. Leo in Tacticis. ἄρχοντα τῆς σκοῦλκας ἄγρυπνον καὶ φρόνιμον ἐπιλέγου. Et post pauca. τὰς δὲ σκοῦλκας ἢ βίγλας ἐν τοῖς ἀναγκαίοις καιροῖς μὴ πίστευε. Vrbicius in Tacticis, lib. 4. cap. 2. &c.

SCVLDAIS] Al. *Sculdasius*. Long. 1. Tit. 2. l. 2. Tit. 12. l. 2. 7. Tit. 17. l. 10. Tit. 25. l. 50. 73. Long. 2. Tit. 9. l. 2. Tit. 21. L. 7. Tit. 31. l. 1. Tit. 35. l. 3. Tit. 40. Tit. 41. l. 1. 2. 4. Tit. 52. l. 14. Long. 3. Tit. 12. l. 5. Leo Marsic. lib. 1. cap. 6. *Quidam sculdais Beneventanus, Saracenus nomine*. Otto Imp. in duplom. apud Baron. Tom. 9. pag. 5. *Nullus marchio, Comes, aut vicecomes, Sculdasius, vel quilibet ex iudiciaria potestate*. Paul. Warnefr. Histor. Long. 6. cap. 24. *Rector loci quem Schulthais nominant*. Papias. *Sculdais, rector, lingua barbara Longobardorum*. Gloss. vett. *Sculdasius, pedaneus iudex*. SCVLTETVS, Burmester. Spec. Sax. Lib. 1. Art. 2. 13. Lib. 2. Art. 13. &c. Conrad. de fabaria in casib. S. Galli cap. 17. Vox in Germ. iam olim usitata. Otfridus Evangel. lib. 3. cap. 3. p. 222.

In quam ein sculdheizo,
Bi nothurfti heizo.
Bat er sin Wort gimeinti,
Er sinan scalk heilti.

Idem lib. 4. cap. 34. pag. 456.

Ther selbo Schuldheizo
Irquamer filu heizo, &c.

SCVRIA] Sal. Tit. 18. §. 3. Alman. Tit. 81. §. 2. 5. Tit. 97. Boior. Tit. 2. cap. 4. Tit. 9. cap. 2. Hincmarus Rhemens. adversus Hincmarum Laudun. *Insuper & scuriam ipsius interclusit, & annonam de terris dominicatis collectam, sine licentia ipsius presbyteri in eam misit*. Glossar. Latino-Theotisc. *Scuria, ubi manipuli vel fœnum roponitur*, Scura. Inde Gallicum *Escurie*.

SCVTARII] Neap. 3. Tit. 36. Iul. Firmic. Astron. lib. 3. cap. 14. *Faciet scutarios, vel Impp. protectores*, Glossar. Ἀσπιδοποιὸς *scutarius*. Gloss. Latino-Theotisc. *Scutarius* Schiltare.

SCVTVM ANCEPS] Cap. 3. Tit. 89.

SCVTIS ET FVSTE IN CAMPO DECERTARE] Cap. L. Sal. Lud. Imp. §. 1. Long. 1. Tit. 25. l. 76. Capit. 4. Tit. 23. 29. *Sub* SCVTO *rem suam amittere.* Long. 1. Tit. 9. l. 23. *Sub uno* SCVTO *pugnam dirimere:* solus nempe contra solum pugnando. Long. 2. Tit. 55. l. 1. 2. 3.

SVB SCVTO POTESTATIS SE SVBDERE] Long. 3. Tit. 15.

SCVTVM CVM LANCEA] Long. 1. Tit. 37. l. 2. Long. 2. Tit. 48. l. 1. Tacitus de morib. Germ. *Scutum cum framea gladioq;* Gregor. Turon. Histor. lib. 3. c. 15. *ingressus mansionem domini sui, apprehendit scutum eius ac frameam.* Aimoin. lib. 2. c. 11. Chart. Gold. n. 15.

SCVTVM SVVM PROIICERE] Sal. 32. §. 5. Arma amisisse apud strenuiores gentes non ignominiosum saltim, sed & sæverè punitum semper fuit. Iustinian. Imp. in LL. Militar. §. 26. ἐὰν στρατιώτης ἐν καιρῷ πολέμου ῥίψῃ τὰ ὅπλα αὐτοῦ, κελεύομεν αὐτὸν τιμωρεῖσθαι ὡς ἑαυτὸν γυμνώσαντα, τοὺς δὲ ἐχθροὺς ὁπλήσαντα. *Militem qui in pugna arma abiecerit, iubemus puniri, tanquam qui semetipsum denudavit, hostes autem armavit.* L. 2. ff. de postlim. revers. Et Græcorum legibus milites arma amittentes capite plectebantur. Sopater in Hermog. Rhet. pag. 332. τὸν ῥίψαντα θανάτῳ ζημιοῦσθαι. quam contumeliam adeo abhorruerunt matres cordatiores, ut pignora sua hac valedictione in bellum dimitterent, ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶν. Vnde & Epaminondas ille dux inclytus, etsi lethaliter saucius, sollicitior tamen de scuto quam de vita fuit. Val. Max. lib. 3. Iustin. lib. 6. Amm. Marcell. lib. 25. Itaque & Germani nostri hac laude postremi nulli esse voluerunt: de quibus sic scribit Tacitus in lib. de morib. German. *Scutum reliquisse præcipuum flagitium, nec aut sacris adesse, aut conciliū inire ignominioso fas, multiq; superstites bellorum infamiā laqueo finierunt.*

SECALE] Sax. Tit. 19. SIGELE. Cap. 1. Tit. 132. Gall. *Segle.* Gloss. Latino-Theotisc. *Sigala*, Roggo. In quibusdam chartis *bladum hibernagium* dicitur: inde *Secalonia.*

SECARE] Wis. 8. Tit. 3. l. 12. SECARE *pratum.* Sal. Tit. 29. §. 2. Charta vetus in Alm. Gold. Tom. 2. n. 69. *In omni zelga iornale unum arare, & tres dies à secare, & tres amadare.* Glossar. Latino-Theotisc. *Feniseca* Madare.

SECARE] Wis. 8. Tit. 4. l. 4. Id est, castrare, ut τέμνειν Gr. unde τόμιος *maialis.*

SECRETA COELESTIA] Cap. 5. Tit. 157. Cap. 6. Tit. 115. 170.

SECRETVS ET QVÆSTOR] Neap. 1. Tit. 55.

SECVRITAS] Wis. 4. Tit. 3. l. 4. Edict. Theod. c. 144. L. 2. C. Th. de discussorib.

SECVVS] Long. 1. Tit. 6. l. 6.

SELAVE] Sal. Tit. 57. §. 3. Germ. Seule *Columella* Boior. Tit. 7. Sul. inde Hermensul *Mercurii columna.*

SELLARII] Neap. 3. Tit. 36. Qui sellas equorum faciunt.

SEMETIPSVM IDONEVM FACERE] Id est, exidoneare. Cap. 3. Tit. 89. Supr. *exadoneare.*

SEMISSES] Burg. Tit. 5. §. 1. Tit. 6. §. 1.

SEMISPATHIVM] Burg. Tit. 37. al. *Semispata.* ut Veget. lib. 2. Papias. *Semispathium, gladius est à spatha longitudine dictus.* Glossar. Latino-Theotisc. *Semispathium* Sahs.

SEMITA CONVICINALIS] Boior. Tit. 9. cap. 15. Infr. *Via convicinalis.*

SENIOR] Wis. 9. Tit. 2. l. 9. Cap. L. Sal. cap. 2. §. 3. Long. 3. Tit. 4. l. 5. Tit. 8. l. 4. Cap. 1. Tit. 167. Cap. 2. Tit. 15. Cap. 3. Tit. 8. Cap. 4. Add. 2. §. 35. Cap. 5. Tit. 15. 151. 171. Form. 5. 126. In Capitulis, quæ misit Carolus ad Francos & Aquitanos An. DCCCCLVI. *Et mandat vobis noster Senior, quia si aliquis de vobis talis est, cui suus Senioratus non placet,* &c. Burchard. Decr. lib. 19. p. 264. *Occidisti tu liber servum senioris tui, qui nihil in te peccavit, sed iussu senioris tui* &c. Gall. *Seigneur.*

SENIOR GENTIS] Wis. 3. Tit. 1. l. 4. Forum Iud. *Los mayores de la gente Goda.* SENIORES *loci.* Wis. 8. Tit. 5. l. 6. *Seniores palatii.* Wis. 2. Tit. 1. l. 2.

SENISCALCVS] Alm. Tit. 79. §. 3. Id est, armenti custos. *Son* enim, sive *Senneste*, & *Sente*, armenta vocantur in LL. Ripuar. & Anglior. Sic *Marscalcus*, id est, equorum custos, sive servus. Vtraq; vox honestiorem significationem postea nacta: & *Senescalcus* Regiæ mensæ præpositus dictus

dictus fuit. Sic enim Aimoinus & Sigbertus Gemb. Antulphum vocant, quem Senascalci officio functum Theodulphus scribit; Regino Principem coquorum appellavit. In vita Karoli Magni p. 248. *Misit exercitum in Britannia, una cum misso suo Andulfo Sinescaleo.* Form. 109. *Domesticis ill. Senescalcis ill.* &c. Hincmar. Eps. Epist. 3. cap. 23. Iocularis huius vocis interpretatio apud Forcatulum. Vid. Les memoires du Tillet lib. 2. Froissart lib. 4. cap. 86.

SEPEM ALIENAM APERVERIT] Sal. Tit. 10. Gregor. Turon. de virt. S. Martini. *Primo die Paschæ iussus est à domino suo ut agrum circuiret, inventoq; aditu, unde pecora intraibant, dum eum claudere conatur, excæcatus est.*

SEPOSITIO] Wis. 5. Tit. 4. l. 12. 13. Id est, oppigneratio: Forum Hisp. *Empeno. Si furen empenados, pierda lo que dio sobrellos.*

SEPTA] Id est, domus. Angl. Tit. 10. §. 7. *Septa monasterii.* Cap. 5. Tit. 177. Ivo Epist. 10. *Septa altaris.* Cap. 5. Tit. 219.

A SEPTEM IN SEPTEM NOCTES] Alm. Tit. 36.

SEPVLTVRA MORTVORVM IN ECCLESIA] Cap. 5. Tit. 48. Supr. *Mortui.*

PRO SEPVLTVRÆ LOCO PRETIVM NON PETENDVM] Cap. Kar. Reg. Tit. 21. *Sepultura gratis concedenda, neq; muneris quidquam pro ea accipiendum: ne qui terra sumus, terram vendere videamur, & de humanis mortibus gratulari.* 13. q. 2. c. *Quæsta est nobis.* cum seqq. Concil. Vasens. cap. ult. p. 339. Concil. Triburiens. cap. 16. pag. 150. Decretum Eugenii PP. ex Concil. Remens. cap. 10. p. 125.

AD SEPVLTVRAM CVM PSALMIS DVCI] Add. Lud. 4. Tit. 58. Hieronym. Epistol. ad Oceanum, de Fabiola. *Nec dum spiritum exhalaverat, nec dum debitam Christo reddiderat animam: & iam fama volans tanti prænuncia luctus, totius urbis populum ad exequias congregabat. Sonabant psalmi, & aurata tecta templorum reboans in sublime quatiebat alleluia.* Iohan. Chrysost. de SS. Bernice & Prosdoce. p. 634. παρὰ μὲν τὴν ἀρχὴν ἐπὶ τοῖς νεκροῖς κοπετοί τινες ἐγίγνοντο καὶ θρῆνοι, νῦν δὲ ψαλμοὶ καὶ ὑμνῳδίαι. ἔκλαυσαν γοῦν τὸν Ἰακὼβ τεσσαράκοντα ἡμέρας. ἔκλαυσαν καὶ τὸν Μωϋσῆν ἑτέρας τοσαύτας οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ ἐκόψαντο, ἐπειδὴ θάνατος, τότε ὁ θάνατος ἦν· νυνὶ δὲ οὐχ οὕτως· ἀλλὰ ὑμνῳδίαι καὶ εὐχαὶ καὶ ψαλμοί, δηλοῦν ἁπάντων, ὅτι ἡδονὴν ἔχει τὸ πρᾶγμα. οἱ γὰρ ψαλμοὶ εὐθυμίας σύμβολον· εὐθυμεῖ γάρ τις φησὶν ἐν ὑμῖν ψαλλέτω. ἐπεὶ οὖν εὐθυμίας ἐσμὲν πεπληρωμένοι, διὰ τοῦτο ψάλλομεν ἐπὶ τοῖς νεκροῖς ψαλμοὺς, θαρρεῖν ὑπὲρ τῆς τελευτῆς παρακελευόμενοι. *Principio quidem super mortuos planctus & lamentationes fiebant: nunc autem psalmi & cantus hymnorum. Fleverunt igitur Iacob* XL. *diebus. fleverunt & Moysem totidem alii Iudæi & planxerunt, quoniam mors tum temporis mors erat: iam vero non ita, sed hymni sunt, preces, & psalmi, quæ omnia voluptatem in ea re esse declarant. Psalmi enim tranquilli & hilaris animi signum sunt: Æquo enim est animo, quis in vobis psallat. Quoniam igitur lætitia affluimus, idcirco psalmos super mortuos psallimus, quo nos cohortantur, ut mortem non timeamus.* Hoc ipsum idem vir disertissimus alibi quoq; in suis Homiliis testatur.

SEQVENTRIANA VACCA] Alm. Tit. 75.

SERAM VIRGINITATIS APERIRE] Neap. 1. Tit. 21.

EXTRA SERMONEM REGIS DIIVDICARE] Id est, extra mundeburdem. Sal. Tit. 59. *Sub sermone tuitionis recipere. Sub sermone & mundeburde.* Form. 37. *In sermone permanere.* Form. 8. infr. *VERBVM.*

SERVIENTES] Cap. 3. Tit. 19. Form. 6. *servitores.* Add. Lud. 1. Tit. 28. Gregorius PP. VII. apud Ivonem Epist. 81. *Servos, ancillas, seu mancipia, nec non & rusticos, & servientes* &c.

SERVIENTES] Neap. 1. Tit. 89. Sic vocare videtur, quos alii *Sarzientos*, vel *Sariantos*. Epist. Balduini Flandr. apud Arnold. *Baronibus, militibus, sarziantis, omniq; populo Christiano.* Vnde Gall. *Sergens*, id est lictores.

SERVVS ARATOR] Burg. Tit. 10. *Servus argentarius.* Burg. Tit. 21. §. 2. *Servus aurifex.* Burg. Tit. 21. §. 2. *Servus berbicarius.* Alm. Tit. 98. *Servus beneficiarius.* Long. 1. Tit. 9. l. 30. 34. Cap. 4. Tit. 13. *Servus bubulcus de sala.* Long. 1. Tit. 11. l. 4. *Servus caprarius.* Long. 1. Tit. 1. l. 7. *Servus carpentarius.* Sal. Tit. 11. §. 5. *Servus casatus* Cap. 5. Tit. 136. in Testamento Caroli Mag. *servorum, qui iam casati sunt, nec non & mancipiis casatis.* Supr. *Casatus.*

Servi Comitum. Cap. 4. Tit. 32. *Servus delitiosus apud dominum*. Boior. Tit. 3. cap. 15. §. 1. *Servus denarialis*. Rip. 62. §. 2. *per denarium manumissus*. Sal. Tit. 28. *Servi dominici*. Wis. 9. Tit. 2. l. 2. 5. *Servus Ecclesiasticus*. Long. 1. Tit. 9. l. 30. 34. Tit. 25. l. 71. Long. 3. Tit. 28. Cap. 4. Tit. 13. 32. *Servus Ecclesiæ*. Decret. Childeb. §. 13. Decret. Chlot. §. 5. Alm. Tit. 5. Cap. 5. Tit. 120. *in servitium se Ecclesiæ pro debito dare*. Long. 2. Tit. 39. l. 6. *Servus exercitalis*. Long. 1. Tit. 36. l. 4. *Servus faber*. Sal. Tit. 11 §. 5. *Servus faber ærarius*. Burg. Tit. 21. §. 2. *Servus ferrarius*. Burg. Tit. 21. §. 2. *Servus fiscalis*. Wis. 9. Tit. 2. l. 9. *Fiscalinus*. Decret. Child. §. 13. Alm. Tit. 19. Boior. Tit. 6. cap. 1. §. 3. Long. 1. Tit. 9. l. 30. l. 34. Cap. 4. Tit. 13. *Servus fisci*. Decret. Chlot. §. 8. Ivo Epist. 172. *Crebris persuasionibus publicis & privatis precibus, multa mora, multa lima adhoc Carnotensium clericorũ corda Deo donante inflexιmus, quatinus apud paternitatem vestram fideliter intercedant, ut conditionarios de familia Carnotensis Comitis, qui de legitimo coniugio nati fuerint, & Regios fiscalinos, pro quibus similis perturbatio fieri posset, de privilegio quod eidem Ecclesiæ fecistis, de non admittendis conditionariis, excipiatis & in eundem statum, in quo erant ante privilegium, redire iubeatis*. Aimoin. lib. 3. cap. 42. *Servus glebæ*. Neapol. 3. Tit. 3. *Servus idoneus*. Wis. 6. Tit. 4. l. 7. *Servus ministerialis*. Recap. L. Sal. §. 11. 15. Long. 1. Tit. 6. l. 4. Tit. 8. *Servus ministerialis, doctus, probatus, secundus*. Longob. 1. Tit. 11. l. 2. *Servus massarius*. Longob. 1. Tit. 8. l. 29. Tit. 11. l. 8. *Servus molinarius*. Sal. Tit. 11. §. 5. *Servus porcarius*. Burg. Tit. 10. Sal. Tit. 11. §. 5. Alm. Tit. 98. §. 2. Long. 1. Tit. 8. l. 29. 30. Tit. 11. l. 7. *Servus Regis*. Burg. Tit. 1. §. 1. 5. Alm. Tit. 8. Long. 1. Tit. 25. l. 71. Long. 1. Tit. 36. *Servus regius*. Wis. 3. Tit. 2. l. 3. *Servitus regia*. Burgund. Tit. 35. §. 3. Tit. 36. Vita Ludovici Pii. pag. 361. *Statuit etiam, quod secundum morem Christianorum, filiis filiorumq; filiis & filiabus, nec non & servis ancillisq; regalibus, sed & in commune omnibus pauperibus distribueretur*. *Servus rusticanus* Long. 1. Tit. 6. l. 4. Tit. 8. l. 17. 24. *Servus rusticanus qui sub massario est*. Long. 1. Tit. 11. l. 3. 5. *Servus saltarius*. Long. 1. Tit. 14. l. 7. *Servus sartor*. Burg. Tit. 21. §. 2. *Servus stotarius*. Alm. Tit. 98. *Servus sutor*. Burg. Tit. 21. §. 2. *Servus tributarius*. Rip. Tit. 60. *Servus vaccarius* Alm. Tit. 98. *Servus vagans*. Wis. 9. Tit. 1. l. 16. Resp. Papiani Tit. 74. *Servi vassallorum Imp.* Long. 3. Tit. 28. Cap. 4. Tit. 32. *Servus venator*. Sal. Tit. 11. §. 5.

SERVVS AVT ALDIVS] Long. 1. Tit. 25. l. 58. 59.

SERVVS TREDECIM PALMARVM CVM POLLICE] Alm. Tit. 8. Vid. Chart. vett. Alman. Gold. Tom. 3. n. 3. & Notas ad L. Alm.

SERVVS XV. SOL. VALENS] Sal. Tit. 11. §. 5. Iure Rom. xx. aurei commune servorum æstimium. L. 31. ff. de minorib. L. 1. C. de com. serv. man. Iure Burgundico, XII. sol. Burg. Tit. 57. Gregor. Turon. Histor. lib. 3. cap. 15. Agobardus pag. 95. innuit, XX. vel XXX. sol. servi pretium esse. *Ego quidem talem teneo rationem, Omnem profecto hominem creaturam Dei esse, & in unoquoq; homine quamvis servo, maiorem portionem habere Dominum Deum, qui in utero creavit, ad lucem huius vitæ produxit, concessam vitam custodivit, sanitatem servavit, quam illum qui viginti aut triginta solidis datis, fruitur corporis eius servitio*.

SERVI AD SACROS ORDINES ANTEQVAM PROMOVEANTVR, MANVMITTI DEBENT] Form. 97. Charta vet. in Alm. Gold. Tom. 2. num. 7. Aimoin. lib. 5. cap. 10. *Considerans etiam piissimus Imperator* (Carolus) *non debere Christi ministros obnoxios esse humanæ servituti; sed & multorum avaritiam abuti ministerio Ecclesiastico ad proprium quæstum: statuit ut quicunq; ex servili conditione conciliante scientia & morum probitate ad ministerium asciscerentur altaris, primum manumittantur à propriis dominis, vel privatis vel Ecclesiasticis, & tunc demum gradibus initiantur altaris*.

SERVVS DE PECVLO SVO REDEMPTVS] Cap. 5. Tit. 207. Vid. Supr. *Redemptionale*.

IN SERVITIVM SE TRADERE] Cap. 4. Tit. 14. pro wadio putà, ut infr. *IN SERVITVTEM se alteri obnoxiare*. Form. 157.

SEVCIS DOCTVS] Boior. Tit. 19. cap. 1. §. 2. *SEVCIS qui in ligamine vestigium tenet*. Boior. Tit. 19. cap. 1. §. 3. Gloss. vet. *Suses, magni canes*. Sup. *Canis*.

SEXTARIVM] Cap. 4. Add. 2. §. 21. Gloss. *Sextarium* ξέστης. Gall. *Sistier*. Iohann.

hann. Monach. de vita Gaufredi ducis, cap. 30. *Frumenti sextaria.*

SIBI ALTERVM] Long. 1. Tit. 23. *Sibi tertia sub æstimatione.* Long. 1. Tit. 19. l. 2. *SIBI quartus.* Frison. Tit. 2. §. 5. *SIBI septimus.* Rip. Tit. 33. §. 2. Tit. 58. §. 5. Tit. 66. *SIBI septima manu fidem facere.* Rip. Tit. 33. §. 4. *SIBI nonun.* Long. 1. Tit. 25. Long. 2. Tit. 21. Tit. 28. *SIBI duodecimus.* Fris. Tit. 1. §. 9. *SIBI duodecima manu.* Fris. Tit. 14. *Metseptimus.* Spec. Sax. Lib. 3. Art. 28. 32. &c.

SICLA DE CERVISA] Alm. Tit. 22. Chart. vet. in Alm. Gold. n. 42. *Triginta seglas cervisæ.* num. 49. *annis singulis de cervisa siglas XV. & unam maldram de pane.* num. 59. *Cervisa siglas XXX. panes XL.* n. 67. *triginta siclas cervisæ, & quartana panis.* n. 69. *annis singulis censum exinde solvat, hoc est, XV. siclas de cervisa, & maldram de chernone, & friskingam tremisse valentem.*

SIDERATA MANVS] Long. 1. Tit. 7. l. 12. *Sideratum.* Long. 1. Tit. 8. l. 25. Marcell. Empir. cap. 14. *facit ad linguam sideratam, quod genus morbi paralysin Græci vocant.* Fl. Veget. rei veterinar. lib. 2. cap. 39. *De siderato. Iumentum si fuerit sideratum his agnoscitur signis.* Et *maxilla siderata.* ibid.

SIGELE] Cap. 1. Tit. 132. sup. *Secale.*

SIGILLI VEL EPISTOLÆ AMMONITIONE VENIRE COMPELLAT] Wis. 2. Tit. 1. l. 18. *SIGILLVM negare.* Wis. 2. Tit. 1. l. 19. *SIGILLVM comitis vel iudicis aut Episcopi negligere.* Alm. Tit. 23. §. 4. 5. Tit. 28. §. 1. 2. &c. *SIGILLO ad palatium venire.* Long. 2. Tit. 55. l. 20. Cap. 3. Tit. 58. *SIGNVM principis.* Decret. Tassil. §. 17. *SIGNVM Ducis contemnere.* Boior. Tit. 2. cap. 14. Signum vel Sigillũ, pro ipsis litteris sigillatis. Petrus Sicul. De hæres. Man. pag. 50. πάντα διαστρέψας ὁ Θυμόθεος, καὶ καθ' ἕκαστον ἀναθεματίσας, ὡς ἀναίτιος κακοῦ ἐνομόθη, καὶ λαβὼν παρὰ τοῦ βασιλέως σιγίλλιον, ἦλθε πάλιν εἰς Ἐπίσπαριν. *Omnia pervertens & anathema in singulos proferens, pro innocẽte habitus est Timotheus, acceptoque à rege sigillo, Epissparim reversus est.* Constantin. Imp. de Imperii administrat. cap. 49. Ἐποίησε καὶ σιγίλλιον Λέων ὁ ἀείμνηστος καὶ ἀοίδιμος βασιλεὺς, λεπτομερῶς περιέχων τί ποτε ὀφείλουσι παρέχειν οἱ αὐτοὶ ἐναπογραφόμενοι τῷ μητροπολίτῃ. *Dedit etiam sigillum Leo semper memorandus & laudandus Imp. singulatim complectens, quid hi adscriptitii Metropolitano præstare deberent,* &c. Vid. sup. *Annulus.*

SIGILLA ET EPISTOLAS COMPREHENDERE] Long. 3. Tit. 3.

SIGNA DE CORIO SERVARE] Long. 1. Tit. 23. l. 1.

SIGNVM IN FRONTE VEL IN FACIE PONERE] Long. 1. Tit. 25. l. 54. Constantinus Imp. ne facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis est cœlestis figurata, stigmatibus maculetur, edixit. L. 17. C. de pœnis.

SIGNA] Cap. 6. Tit. 168. Einhardus de translatione beatorum Marcellini & Petri. lib. 3. cap. 15. *Turricula qua signa basilicæ continebat, ab eis conspici potuisset.* In ordine Dunstani Dorobernens. Archiepisc. *Benedictio ad signum Ecclesiæ, id est, tintinnum.* Gregor. Turon. Histor. 2. cap. 23. *Signum ad matutinas.* Leo Marsican. lib. 3. cap. 42. *Signum quo fratrum obitus significari solet, insonuit.* Fragm. Garol. Magn. de ritib. Eccles. pag. 77. Wal. Strab. de reb. Eccles. cap. 5. Amalarius Fortun. Officil. lib. 3. Gall. *Seins.* Inde *Tocsein,* & proverbium. *Il n' en faict pas les seins sonner.*

SIGNATA ARBOR] Sal. Tit. 29. In duplomate Ludovici 2. apud Lazium. *Ex parte Austri usque ad medium montis Slavonum Colmiza dicti, ubi duabus arboribus signa certa posita sunt.* Donatio Cancronis in Chronic. Laurish. pag. 57. *—donatumque in perpetuum esse volumus, & promptissima voluntate confirmamus, hoc est, terram & sylvam, quæ est in illa marcha de Birstat, seu in ipso fine: de illo rubero, qui est de Ecclesia sancti Nazarii ad partem meridianam, inter partem S. Petri, per Agilofum & suos consortes pro signo incisa, & inde ad partem orientalem, usque ad fluvium certum Wisgoz, ubi marcha de Basinsheim coniungit:* &c. *quidquid infra illam incisionem arborum seu lachum sive divisionem, usque ad marcham de Basinsheim,* &c.

SIGNATA SYLVA] Long. 1. Tit. 25. l. 37. 38. quæ signa & theclaturas habet.

SIGNATI QVI MENTIENDO VADVNT] Cap. 4. Add. §. 14.

SIGNATOR TESTAMENTI] Wis. 2. Tit. 5. l. 12.

SILIQVA] Wis. 5. Tit. 5. l. 7. 8. Long. 1. Tit. 23. l. 2. Tit. 25. l. 2. Iulian. Novel. 33. 53. 115. Priscian. lib. de ponde-

rib. & menſ. *Siliquæ tres obolum faciunt: duo autem oboli ſcrupulum: tria ſcrupula drachmam: ita duodeviginti ſiliquæ in drachma, ſic quatuor drachmæ in tribus denarijs, hoc eſt duæ & ſeptuaginta ſiliquæ.* Arthemius Epiſcop. Tarrac. in Concil. Hiſp. p. 250. *Pro uno modio canonico ad populum exigere debeatis, hoc eſt ſiliquas VIII. & pro laboribus veſtris ſiliquam unam: & pro inevitabilibus damnis vel interpretio ſpecierum ſiliquas IIII. quæ faciunt in uno ſiliquas XIIII.* Forum iud. Hiſp. lib. 8. Tit. 5. l. 7. *quaternas ſiliquas* interpretatur, *la quarta parte d' un ſoldo.*

SINAIDA] Long. 1. Tit. 26. l. 5. 6. Gloſſ. *Sinaida, via.* Tradition. Fuldenſ. lib. 2. n. 8. *Hæc eſt terminatio Eccleſiæ in Creynfeld, à Muoresbrinck, ſurſum verſus ad Berholdes ſneida &c. inde per Berholtes ſneida & ſic deorſum in Fuldere ſtrazin.* Alia charta. l. eod. n. 39. *Surſum uſq; ad Bertholdes ſneida, & inde ad fontem S. Bonifacij. &c.*

SINCFALA] Friſ. Tit. 1. §. 9. &c.

SINGVLARES PERSONÆ] Long. 2. Tit. 44. l. 2. *Singulus.* Long. 2. Tit. 55. l. 10.

SKELLA] Sal. Tit. 29. §. 3. Germ. Schelle tintinabulum: Aquitanis *Eſquil.* Durand. de divinis offic. lib. 1. cap. 4. *Nota ſex eſſe genera tintinnabulorũ, quibus in Eccleſia pulſatur: ſquilla, cymbalum, &c. Squilla pulſatur in triclinio, id eſt, refectorio.* Aimoin. lib. 3. cap. 82.

SLVSA] Sal. Tit. 24. §. 3. Germ. Schluſe. Gall. *Eſcluſe.* Sup. CLVSÆ.

SMELIDO] Freſ. add. Tit. 3. §. 35. *Ex ipſa percuſſione decreverit à ſua groſſitudine, quod Smelido dicunt.* Small Germ. gracile.

SMELO.] Friſ. add. Tit. 3. §. 56. *hoc eſt, unius ſpannæ longitudo.*

SOCIARE SIBI] Boior. Tit. 17. §. 2.

SODIS] Form. 77. *Ovium capita tant. ſodis capita tant.*

SOGA] Long. 1. Tit. 25. l. 33. Gloſſ. *Soga, funis.*

SOLATIVM] Long. 1. Tit. 9. l. 2. 10. Long. 1. Tit. 14. l. 2. Long. 3. Tit. 12. l. 1. Hoc ſenſu in L. 3. §. 4. C. de diſcuſſorib. *Sibi in ſingulas libras ſex ſolidos pro ſolatio retineat.* L. 4. C. de advocat. diverſ. iud. L. 5. C. de ſilentiar. L. 16. C. de erog. mil. ann. *Solatium publicum.* &c. Iulian. Novell. 124. *Solatii titulo.* & alibi in iiſdem Novell. Græcè ὑπὲρ ἀννονῶν, καὶ καπίτων, ἢ λοιπῆς παραψυχῆς. Paul. Warnefr. de Long. lib. 6. SOLATIARE. Long. 1. Tit. 14. l. 3. 5.

SOLEM CVLCARE] Sal. Tit. 39. Tit. 52. §. 1. Tit. 54. 59. 60. *Solem collocare.* Sal. Tit. 42. §. 9. 10. 14. Tit. 52. §. 2. *Sol culcatus.* Sal. Tit. 52. §. 2 Germ. Bedagen. Gall. *Adiourner, ou donner iour.* Nam ſol occaſus ſuprema tempeſtas erat. Gregor. Turon. Hiſtor. lib. 7. cap. 23. *Iniurioſus tamen ad placitum in conſpectu Regis Childeberti advenit, & per triduum uſq; ad occaſum ſolis obſervavit. Sed cum hic veniſſet, neq; de hac cauſa ab ullo interpellatus fuiſſet, ad propria rediit.* Specul. Sax. lib. 3. Art. 40.

SOLIDVS AVRI] Wiſ. 2. Tit. 1. l. 25. Wiſ. 4. Tit. 4. l. 3. Wiſ. 9. Tit. 3. l. 3. Edict. Theod. cap. 150. Burg. præf. & Tit. 2. §. 2. 5. Sal. Tit. 2. Freſ. Tit. 3. §. 4. Long. 1. Tit. 9. l. 29. add. Tit. 3. Add. Lud. 4. Tit. 1. Vita Ludovici Pii. p. 362. *ſingulis annis ſeptem millia ſolidorum auri arcæ publicæ inferret.* Vid. Specul. Sax. lib. 3. Art. 45. SOLIDVS AVRO ADPRETIATVS. Boior. Tit. 1. cap. 4. & 6. §. 2. Cap. 10. §. 2. Tit. 3. cap. 14. §. 3. SOLIDVS FRANCVS. Form. 82. SOLIDVS SAXONICVS. Saxon. Tit. 2. §. 2. Tit. 18. SOLIDVS VALENS. Form. 99. 127. 131. Aureus nummus apud Gallos etiam ante tempora Francorũ, SOLIDVS dicebatur, ut ex Novell. Maioran. videmus Lib. 4. Tit. 1. *Nullus ſolidum integri ponderis calumnioſa adprobationis obtentu recuſet exactor, excepto eo Gallico, cuius aurum minore æſtimatione taxatur.* Et quidem de pretio ſolidi Romani extat Edictum Theod. & Valent. Impp. in Novell. Theodoſ. Tit. 25. Sed Francici ſolidi ſive Germanici taxatio non una ubique, aut ſemper eadem fuit. Vnde SOLIDVS, id eſt tres tremiſſes. Boior. Tit. 8. cap. 2. §. 4. Sax. Tit. 18. & in L. Sal. *Si quis fœminam gravidam occiderit, duorum millium octoginta rum denariorum, qui faciunt ſol.* DCC. *culp. iud.* Item. *Si quis puellam ingenuam infra annos antequã infantes poſſit habere occiderit,* DCCC. *denar. qui faciunt ſol.* CC. *culp. iudicetur.* Sic enim ſi quis rationẽ inibit, quilibet ſolid. quatuor denarios habebit. Alibi SOLIDVS XII. denariis adpretiatur. Cap. 5. Tit. 3. *Solidus*, id eſt *XL. denarii.* Cap. 4. Tit. 75. Quo maxime pertinent, quæ Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſ. ſcribit in libro de vita & actib. B. Remigii. *In teſtamento à B. Remigio condito Le-*

Ecor adtendat, quia solidorum quantitas numero XL. *denariorum computatur, sicut tunc solidi habebantur, & in Francorũ lege Salica continetur. Et generaliter in solutione usque ad tempora Karoli perduravit, velut in eius Capitulis continetur.* Pipinus Rex hoc immutavit Can. 41. Synod. Rhem. *Vt dominus Imp. secundum statutum B. M. Pipini misericordiam faciat, ne solidi, qui in lege habentur, per* XL. *denarios discurrant, quoniam propter eos multa periuria, multaq; falsa testimonia reperiuntur.* Quod tamen omnino non placuit Karolo Magn. Cap. lib. 3. Tit. 30. Sed tandem Ludovicus Pius constituit, Cap. 3. Tit. 75. *Vt omnis solutio atque compositio, quæ in lege Salica continebetur, inter Francos per* XII. *denarios sol. componatur, excepto ubi contentio intra Saxones & Frisones exorta fuerit.* Inde mulctæ quædam municipalibus aliquot Franciæ legibus, & ἀσδέκλιμα sive laudimia, in singulas libras XL. denariis taxantur.

SOLIDI CCC. PRETIVM QVO VXOR EMEBATVR] Sax. Tit. 6. Tit. 7. §. 3. Tit. 10. *Solido & denario sponsare, secundum legem Salicam.* Form. 75. Vid. quæ ad L. Sal. Tit. 46. notata.

SOLIDOS PRO DORSO SVO DARE] Sal. 42. §. 2. Supr. *Corium & dorsum redimere.*

TERTIO DIMIDIO SOLIDO CVLP.] Rip. Tit. 24. *quinto dimidio sol. culp.* Rip. Tit. 20. *Octavo semisolido mulctari.* Rip. Tit. 34. §. 3. *Octavo dimidio sol.* Rip. Tit. 58. §. 9. *Quartus dimidius nummus.* Spec. Sax. Lib. 2. Artic. 26.

SOLLICITARE FOEMINAM] Cap. 6. Tit. 99. *Sollicitatores alienarum nuptiarum.* L. 1. ff. de extrad. crim. *Sollicitare ad nuptias.* L. 5. C. de donat. ante nupt. Cassiod. Lib. 9. Var. 18. Petron. Arbit.

Et qui sollicitat nuptas, ad præmia peccat.

SOLSATIRE] Form. 158.

SOMARII] Neap. 3. Tit. 38. Arnold. Abb. in continuatione Helmold. lib. 7. cap. 17. *quinquaginta millia marcarum, quæ in somariis ferebant quinquaginta dextrarii.* Supr. SAVMA.

SOMNIATORES] Cap. 6. Tit. 210. Somniorum interpretes. Plautus.

Aut somniator est, aut sector zonarius.

SON] Angl. Tit. 7. §. 2. *Scrofa sex cum verre, quod dicunt* SON.

SONARE] Long. 2. Tit. 52. l. 2. Gloss. vett. *Sonare, inquirere.* Gallis Delphinat. *Sonare* est vocare.

SONESTI] Rip. Tit. 18. id est, *duodecim equa cum admissario.*

SONITVS] Add. Lud. 1. Tit. 41. Id est peditus, crepitusq; ventris.

SONIA] Form. 159. infr. *Sunia.*

SONOPAIR] Long. 1. Tit. 25. l. 47. Verres, sive dux gregis aut ducator.

SORS] Wis. 8. Tit. 5. l. 5. Burg. Tit. 6. §. 1. Tit. 14. §. 5. Tit. 20. §. 2. Tit. 47. §. 3. Tit. 54. Add. 2. §. 2. Rip. Tit. 60. § 5. *Sors*, id est, heredium vel territorium, quod sortibus ductis obvenit, ut in vet. versione Psalmor. *Ceciderunt mihi sortes in præclaris.* Sex. Iul. Frontin. de Coloniis. *Agrum eius ex occupatione milites veterani tenuerunt in sortem.* Gregor. Turonens. Histor. 4. cap. 49. *Nisi permiseris per tuam sortem hunc fluvium transire.* Inde *Consortes*, de quibus supr. SORTES GOTICÆ. Wis. 10. Tit. 2. l. 1. *Sortes Wandilorum.* Victor Vticens. de persec. Vand. lib. 3. κλῆροι βανδίλων. Procop. Wandal lib. 1.

SORTES STARE DEBENT] Long. 2. Tit. 29. l. 1. *Sortes stantes adæquentur.* Longob. 2. Tit. 35. l. 7.

AD SORTEM PONI] Pactum Child. §. 5. *Ad sortẽ ambulare.* Ibid. §. 8. *Ad sortem venire.* Decret. Chlot. §. 8. *Ad ignem seu ad sortem se excusare.* Rip. Tit. 31. §. 5. Quæ ratio harum sortium, & quomodo totum hoc negotium peractum explicite habetur. Fris. Tit. 14. Quo etiã, pertinere videntur, quæ statuta sunt in Concil. Antissiod. cap. 4. *Non licet ad sortilegos vel auguria respicere, nec ad characteres, quos vocant sanctorum, vel quos de* LIGNO *aut de* PANE *faciunt, adspicere*, &c. Concil. Aurel. cap. 32. Lateranens. 3. sub Leone. Hrab. Maur. Pœnitent. cap. 23. ex concil. Agathens.

SPADARE] Sal. Tit. 40. §. 13. Id est, castrare. Eugraph. in Terent. Eunuch. Act. 5. Scen. 4. Concil. apud Theodonis villam. *Si quis presbyterum calumniatus fuerit, & spadaverit.* Et alio capite. *Si quis presbyterum male tractaverit, & spadaverit.* Anton. Augustin. Episcopus Ilerd. vir doctissimus, Emendation. Grat. Dialog. 11. lib. 2. corrigendum putat, *Spathaverit*: male. neque melior interpretatio quam subiungit. Vera lectio est, quam nos exhibuimus, non *spassaverit*, ut vulgo

corrupte ediderunt. *Spadatus Caballus.* Sal. Tit. 40. §. 3. Id est, *castratus.* Equorum plurimi ideo castrantur, ut ad labores habiliores fiant, nec fœminarum usu exagitati cunctentur, aut in subsidiis ferocientes prodant hinnitu densiore vectores. Varro de re rustic. lib. 2. cap. 7. Ammian. Marcellin.

Spangæ] Boior. Tit. 9. cap. 8. *Trabes exteriores, quas spangas vocamus, eo quod ordinem continent parietum.*

Spania] Cap. 7. Tit. 103. Id est, Hispania. *Glossar.* Σπανία *Hispania.*

Spannum] Fris. Tit. 22. §. 65. 66. *Spanna.* Fris. add. Tit. 3. §. 56. Spithama, Spanne/ Germ.

Sparvarius] Sal. Tit. 7. §. 4. Boior. Tit. 20. cap. 1. §. 4. Fridericus Imp. Lib. 2. de arte venandi, cap. 29. *Sparverii sunt minores aliis avibus de rapina, quibus frequentius utuntur homines, & quia secundum formam membrorum, & maneriem plumagii assimilantur austuribus, licet sint alterius speciei, tamen illi qui appropinquant formæ membrorum convenienti & pulchro plumagio austurum sunt laudabiliores: habent tamen maculas per transversum, & si aliquis invenitur, qui maculas caudæ habeat, ut dictum est de austuribus, pulchrior iudicatur.* German. Sparwer. Gall. *Esparvier.*

Spatha] Wis. 9. Tit. 2. l. 9. Burg. Tit. 37. Alman. Tit. 84. Long. 1. Tit. 29. l. 16. Cap. 4. Tit. 21. Constantin. Imp. ἐχέτωσαν δὲ καὶ σπαθία κρεμάμενα εἰς τοὺς ὤμους αὐτῶν. Glossar. Σπάθη, τὸ ξίφος, *Spathula.* Cyrillus in Gloss. Ms. ὁλοσίδηρος λόγχη, ἡ σπάθη. Isidor. Etymolog. lib. 18. cap. 6. Germ. Speth. Ital. *Espada.*

Spatha cum scogilo] Rip. Tit. 36. §. 11. *Spatha absque scogilo.* Ibid. *Spatha cum conucula.* Rip. Tit. 58. §. 18.

Spatha tracta se idoneare] Alman. Tit. 44. *Spatha tracta defendere.* Alm. Tit. 89. *Spatha tracta ad portam in poste posita.* Rip. Tit. 32. §. 4.

Spatha et Accipiter in comp. Wirigild non veniunt] Long. 1. Tit. 9. l. 33. Supr. *Accipiter.*

Spatharius] Burg. Tit. 52. §. 1. Alm. Tit. 79. Gloss. Σπαθόφορος *gladiarius.*

Species] Wis. 5. Tit. 5. l. 3. Form. 42. *Species* vocantur τὰ ἐνδύματα. Gregor. Turon. lib. 10. cap. 2. *direptam speciem:* & alibi in eadem scriptore, Vide quæ ad Ammian. lib. 14. notata. *Species Fiscales.* Edict. Theod. 149.

Spicarium] Sal. Tit. 18. §. 2. Alm. Tit. 81. §. 5. Ekkehardus in casib. B. Galli, cap. ult. pag. 104. *Pura de spelta dederat grana, & quod amplius erat, spicarium illo novum, quia sic homo erat, solis feris & beluis, avibusq; domesticis & domesticatis condi fecit.* Glossar. *Spicarium, horreum cum tecto.* Glossar. Latino-Theotisc. *Granarium spicarium.* Ibidem. *Granarium* Spicharé.

Spicas manibus evellere] Long. 1. Tit. 19. l. 23. Hoc quidem lege Mosaica concessum fuit. Deuter. cap. 22.

Spido] Fris. add. Tit. 3. §. 34. *Cicatrix depressa, & non reliqua carne æqua.*

Spiritales Filii] Cap. 2. Tit. 39. Baptismate putà vel confirmatione.

Spolia Colli] Ang. Tit. 6. §. 6.

Spurhunt] Boior. Tit. 19. §. 3. *Seucem qui in ligamine vestigium tenet, quem* Spurhunt *dicunt.* Germ. Spurhunt canis est, quem *odorisequum* vocavit Plautus in Capteiv. Sup. Canis.

Stabularii] Wis. 2. Tit. 4. l. 4. *stabulariorum, gillonariorum præpositi,* Forum iud. Hisp. *Que son sobre los que mandan los rapazes, que guardan las bestias.*

Stabulare] Boior. Tit. 1. cap. 14.

Stabulum] Edict. Theod. cap. 119. Hospitium, ut in Glossar. *Stabulum* πανδοχεῖον. Plura vid. apud Brisson. de verb. signif. lib. 17.

Stadium] Wis. 8. Tit. 4. l. 4. *quadrupedem qui ad stadium fortasse servatur.* Forum iudicum Hispan. *Quien castra cavallo ayeno, o otra animalia que por ventura ten so senor en garda,* &c. Haud explicite satis: & quod in veterib. lib. legitur, *qui ad stallum fortasse servatur,* longe diversum sensum habet. Vid. inf. *Stotarius*

Stafsaken] Decret. Tass. §. 7.

Stagnare Sanguinem] Alman. Tit. 65. §. 6. Boior. Tit. 3. cap. 1. Iustin. Histor. Lib. 37. *Stagnare se remediis adversus venena.* In Glossar. *Stagnare* interpretatur ferruminare, σωμένιν. qua significatione Palladius utitur lib. de architect. *Locum quem stagnare velis, perunges antea oleo.*

Stallaria] Long. 1. Tit. 19. l. 26. Gloss. *Stellaria, salicetum vel cotretum.*

Stantaria Sepes] Long 1. Tit. 25. l. 30.

Staplum

STAPLVM REGIS] Rip. Tit. 33. §.1. Tit. 67. §. 5. Tit. 75. German. Im Stapel sitzen/ vnd öffentlich Gericht halten.

STATVA] Sal. Tit. 29. §. 32. al. *Stava*. Germ. Staf.

DE STATV SVO, ID EST, DE LIBERTATE VEL DE HEREDITATE] Cap. 4. Tit. 25. 74. Ado Vienn. *Baptizatis Saxonibus, & ingenuitate & alode fidei firmitas roborata.* Regino. *Sacramenta secundum consuetudinem dederunt, ut perderent ingenuitatem & omnem hereditatem, nisi conservarent Christianitatem.* Hincmarus Hadriano PP. *Vt pro libertate & hereditate nostra usque ad mortem certare debeamus.*

STIPVLAS DEXTRIS IN MANIBVS TENENTES, EASQVE PROPRIIS E MANIBVS EIICIENTES] Cap. 6. Tit. 285. Vid. Sal. Tit. 48. Isidor. *Veteres quando sibi aliquid promittebant, stipulam tenentes frangebant, quam iterum iungentes, sponsiones suas agnoscebant.* Non dissimiliter in veteri formula excommunicationis. *Debent XII. sacerdotes Episcopum circumstare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in conclusione excommunicationis proiicere debent in terram, & pedibus conculcare.*

STIPVLATIONE SVBNIXA] Form. 13. &c. Liemarus Episcop. in privilegiis Brem. pag. 169. *Ex lege Saxonum donationem eius ore laudavit, & digito confirmavit.*

STOLIZAZ] Long. 1. Tit. 19. l. 5. Gloss. *Stolizaz, id est, missus Regis.* Aliæ gloss. *Ab stolizaz, ab eo qui panem ministrat.* *Stolisaz* videtur dictus, quod loco Regis in iudicio præsideat, sacraque vice iudicet. Germ. Stol sella: Satz, sessio.

STOTARIVS] Id est, admissarius. Alm. Tit. 98. §. 3. In conventione pacis inter Elsatiæ proceres & civitates. *Equi autem admissarii, quod vulgariter Stuot vocatur, & vineæ & segetes sub hac pacis conditione perpetuo permaneant.* Germ. Stuetenpferdt. Glossar. Latino-Theotisc. *Equaritia* Stuot. Gall. *Estallon*, equus qui ad stallum servatur. Wis. 8. Tit. 4. l. 4. sic enim vett. libri habent. Inde Stodtheof, equorum admissariorum abigeus: in Legibus Alfredi Reg. Anglo. Sax. cap. 9.

STRATA] Long. 3. Tit. 1. l. 21. Procopius pag. 46. Στράτα ἡ ἐστρωμένη ὁδὸς τῇ Λατίνων καλεῖται φωνῇ. Gloss. *Strata* λεωφόρος. Isidor. Orig. lib. 15. cap. 16. L. 4. C. de privil. dom. aug. *Pontium stratarumque opera.* Iuvencus lib. 2.

En ego mitto meum stratas aptare ministrum
Ante tuos vultus.

STRATIOTICI] Neap. 1. Tit. 69. l. 2. *Milites sive castellani.* Plaut. Milite.

STRIA] Sal. Tit. 67. Recap. L. Sal. §. 25. *STRIA HOMINEM SI COMEDERIT.* Sal. Tit. 67. §. 3. *Stria* sive *Striga*, malefica. Gloss. *Striga* λαιστρυγὼν καὶ γυνὴ φαρμακίς. Strigas autem hominum intestina exedere, pagana fuit opinio. Plautus Pseudol. *Strigibus vivis, convivis intestina quæ exedant.* Ovid. Fastor. lib. 6.

Sunt avidæ volucres, non quæ Phineia mensis
Guttura fraudabant: sed genus inde trahũt,
Grãde caput, stantes oculi, rostra apta rapinis,
Canities pennis, unguibus hamus inest.
Nocte volant, puerosq; petũt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactentia viscera rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.
Est illis strigibus nomen, & reliq.

Quod sane Christianis mentibus non est credendum, nec possibile est, ut hominem mulier intrinsecus possit comedere. Long. 1. Tit. 11. l. 9.

STRIGA QVÆ DICITVR MASCA] Long. 1. Tit. 11. l. 9. Tit. 16. l. 2. Long. 2. Tit. 11. l. 3. *Genichiales* Hincmaro; *Genoches* Bituricensib.

STRIOPORTIVS] Sal. Tit. 67.

AD STRVDEM LEGITIMAM ADMALLARE] Rip. Tit. 32. §. 3. Tit. 51. *STRVDEM legitimam auferre.* Rip. Tit. 32. §. 3. *STRVDEM contradicere.* Ripuar. Tit. 32. §. 3.

STRVMENTVM] Form. 5. 72. 107. 108. 178. 179. Iulian. Novell. 124. cap. 8. Tertull. ad uxorem lib. 1. cap. 7. *Nobis continentia ad strumentum æternitatis demonstrata.* Ambros. Epist. ad Rom. *Vasa quæ strumento sint culinarum.* Pœnitent. Rom. Tit. 6. cap. 4. Burchard. Decret. lib. 10. cap. 12. ex dictis Ambros. *Septima Luna strumenta confici non debent &c.* *Strumentum* ἀντὶ τοῦ *instrumentum*, ut *Spania*, pro *Hispania*, *Spalense concilium*, pro *Hispalensi.*

STVBA] Alm. Tit. 81. §. 3. Concil. Vienn. pag. 620. *Prohibemus insuper, ne stubas & balnea seu tabernas Christianorum frequentent.* Abbas Stadens. pag. 217. *de balneo exiens in aquam prosiliit, & in stubam pisces domino reportavit.* Dithmarus

Episcopus Mersb. lib. 7. pag. 91. *Crebro à suis penè desperatus, in stuba vix recreabatur.* Et apud Palladium de Architectura titulus est DE BALNEIS ET STVFIS. *Stuba* etiam *caminata* dicta fuit. Dithmar. lib. 2. pag. 22. & alibi locis sex. Ecchardus in casib. monasteri S. Galli cap. 1. 10. &c. apud quem *pyrale* quoq; vocatur, Cap. 3. 10. 11. ab aliis *hypocaustum*. L. 16. ff. mandati. L. 55. ff. de leg. 3. Ambros. Hexam. lib. 6. cap. 8. *De hyeme forsitan quereris, quia nulla tibi hypocausta anhelantibus ignibus vaporentur.* Germ. Stube: Gall. *Estuses.*

STVPPARE] Alm. Tit. 59. Germ. Stoppen obturare.

SVBBATTERE] Sal. Tit. 2. Recap. L. Sal. §. 9. Gloss. *Subbattit, porcellos in ventre matris occidit.* Supr. *Battere.*

SVBDIACONVS] Wis. 2. Tit. 1. l. 18. Wis. 3. Tit. 4. l. 18. Sal. Tit. 58. Boior. Tit. 1. c. 8. §. 1. Cap. 5. Tit. 183. Isidorus. *Ad subdiaconum pertinet calicem & patenam ad altarium Christi deferre, & Levitis tradere, eisq; administrare: urceolum quoq; & aquimanile & manutergium tenere, & Episcopo & Presbyteris & Levitis pro lavandis ante altarium manibus aquam præbere.* Hraban. Maurus de instit. clericor. cap. 8.

SVBMANICATA] Long. 1. Tit. 16. l. 7. Gloss. *Submanicatam, ligatam manicis propriis.*

SVBRIGERE] Wis. 8. Tit. 4. l. 29. *Flumina maiora, per qua mesoces aut alii pisces maritimi subriguntur.* Forum Iud. Hisp. *Los grandes rios, por que vienen los salmones o otro pescado de mar.*

SVBSTANTIA] Id est, alimentum. Wis. 8. Tit. 5. l. 7. *quantum in substantia ipsius caballi expendisse iuraverit.* Forum Iudic. *Quanto iurar el que la gardò que dependio en el cavallo, &c.*

SVBSTANTIA] Long. 1. Tit. 9. l. 23. *Omnem suam substantiam amittat.* Tit. 25. l. 60. *dissipauit substantiam suam. Substantia* πιεσία. In vet. Testamento apud Scævolam, L. 17. ff. de dol. mali & met. — *Hostes qui mihi fere omnem substantiam abstulerunt.* L. unic. C. Ne sine iussu princip. L. 4. 7. C. de dignitatib. Aliud SISTANTIA, *id est pactum obligatorium.* Gloss. vett.

SVBTALARES] Add. Lud. 1. Tit. 22.

SVBTILIATVM] Id est, subtile redditum, λεπτυνθέν. Ang. Tit. 5. §. 19.

SVDES] Sal. Tit. 2. Tit. 18 §. 3. *De sude, id est porcorum stabulo.* Gall. *Seu.* Liber de arithmeticis proportionibus, sive is Gerberti sit, sive alterius. *Paterfamilias stabilivit curtem novam quadrangulam, in qua posuit scrofam, qua peperit porcellos septem in media sude.*

SVDES FERIS PONERE] Wis. 8. Tit. 4. l. 22. Forum Iud. Hisp. *Poner armadias por mater ciervo o dalguna animalia. Ferrata sudes.* Virg. Æneid. Lib. 5.

SVFFECTVS] Wis. 5. Tit. 7. lib. 20. Forum Iudicum Hispan. Lib. 5. Tit. 7. l. 17. *El servitio.* Novell. Theodosii 38. *Omnia per suffectum tam personalia quam patrimonii onera cogatur agnoscere.* Novell. Valentinian. 12. *Suffectos pro se dare.* & paulò post: *vicarium pro se dare.*

SVFFRAGANEVS] Cap. 1. Tit. 8.

SVFFVSVM] Form. 35. Germani paleas minutim scindunt, unaque cum avena mixtas atque suffusas equis suis edendas præbent. Tale quid etiam hic denotari videtur.

SVNNIA] Form. 158. 159. 168. SVNNIS. Sal. Tit. 1. Tit. 47. §. 2. Tit. 49. Tit. 51. 52. Rip. Tit. 32. §. 1. Long. 2. Tit. 43. l. 1. Long. 3. Tit. 13. L. 3. Cap. 3. Tit. 45. Glossæ vett. *Sunnis, impeditio; Sonnis, impedimentum.* Leg. Sal. Tit. 19. §. 6. edition. German. *Si in mallum vocatus fuerit, & is qui vocatus est, non venit, si eum aut infirmitas, aut ambascia Dominica detinuerit, vel forte aliquem de proximis mortuum inter domum suam habuerit, per istas sunnis se potest homo excusare, alias de vita comp.* EXONIA Hincmaro in Epistol. ad Carol. Reg. *Quo mittens ad dominationem vestram excusationem impossibilitatis sua illuc veniendi, requisita est, quam patriotica lingua nominamus* EXONIA, *quia venire nequiverit, quod hactenus est inauditum.* German. Saumnus. Gall. *Essoine ou empeschement.* Consuet. Hannot. & alibi.

SVPEREXACTIONES] Neap. 1. Tit. 67.

SVPERIACTARE MALEFICIVM] Sal. Tit. 21. §. 3. Id est, ut Plautus loquitur, *intrahere alicui maleficium.*

SVPERIVRATVS] Rip. Tit. 79.

SVPER SCAMNVM TENSVS] Sal. Tit. 42. §. 1. *Ad malam mansionem extensus.* L. 7. ff. depos. Euseb. τὰς ἐν τῷ ξύλῳ διατάσεις τῶν ποδῶν. Gregor. Turon. Histor. lib. 5. cap. 49.

SVPERVENTVS] Burg. Tit. 29. §. 1. Burg. Add. 2. §. 10. Sal. Tit. 15. Glossar. ἐπιξελθω *Superventum facio.* Gregor. Turon. Historiar. lib. 8. Cap. 40. *Furta, superventa, pervasiones.* SVPERVENTORES. Burg. Tit. 29. *de superventoribus & effractoribus.*

SVPPELLECTILIA] Boior. Tit. 9. cap. 1. §. 2. Decret. Tassil. §. 3.

SVPPLICIA] Id est, quæstiones. Sal. Tit. 42. §. 11.

SVRSVM CORDA] Cap. 5. Tit. 93. Liturgia B. Iacob. p. 21. ἄνω σχῶμεν τὸν νοῦν καὶ τὰς καρδίας. Liturgia B. Basilii pag. 53. B. Chrysost. p. 95. ἄνω σχῶμεν τὰς καρδίας. Alcuin. de divin. offic.

SVSCEPTORES] Edict. Theod. cap. 126. 149. *Susceptores fiscalium titulorum.* Edict. Theod. cap. 144. Horum sæpe mentio fit in Cod. Theod. SVSCEPTÆ SPECIES] Edict. Theod. Cap. 149. L. 7. Cod. Theod. De suscep. præp. & arc. &c.

SVVARTZVVILD] Boior. Tit. 19. Cap. 1. §. 7. Gall. *Beste noires. Feramus niger.* Alm. Tit. 98. cui contrariæ feræ rubeæ. Supr.

SVVEIZCHOLI] Boior. Tit. 13. cap. 11. *Si (equum) contra legem minaverit, quod sweizcholi dicunt.*

SVVIRO] Boior. Tit. 15. cap. 11. §. 2. *Si firmare promiserit emptori, id est swuro.* Sweren iurato confirmare Germ.

SYLVA DEFENSATA] Long. 1. Tit. 23. l. 7. Sic *pratum defensum* Wis. lib. 8. Germ. Befriediget. Supr. *Defensio.*

SYLVA SIGNATA] Sup. *Signata.*

BEATI SYLVESTRI CANON] Cap. 1. Tit. 139. Hincmarus Rhemens. Epist. 7. *In libro vero qui titulatur Gestorum Pontificum legimus, constituisse B. Sylvestrum, ut nullus laicus clerico crimen audeat inferre. Cetera autem quæ subsequuntur, ut supra posuimus, in regesto ipsius eum constituisse non legimus. Quapropter credendum non est, eundem sanctum virum talia constituisse.* Vt videatur Hincmaro Canoniste suppositititius.

SYNDICVS] Neap. 2. Tit. 2. id est procurator, ut lemna sive titulus indicat. Sic in L. 42. Cod. Theod. De Episcop. Eccles. & cler. *In communi totius corporis causa syndico ordinato,* &c. Iulian. Novell. 69.

SYRICO STVPPARE] Alm. Tit. 59. *cum medicamento aut syrico stuppaverit.* λαμπάδιον Græci vocabant quo vulnera obligabant. Suid.

SYRVPVS] Neap. 3. Tit. 34. l. 4.

T.

TABELLIO] Cap. 2. Tit. 29. Glossar. *Tabellio* ἀγόραιος, νομικός. L. 3. Cod. Theod. de decurionib. Iulian. Novell. 7. cap. 1. & 44. cap. 2. Vbi vide Gloss. Pithæi.

TABERNA] Cap. 1. Tit. 14. Synod. Laodic. can. 24. Synod. Carthag. can. 40. καπηλεῖον. Gall. *Taverne.* TABERNARIVS. Neap. 3. Tit. 36. Glossar. *Tabernarius,* ἐργαστηριάρχης, κάπηλος.

TABVLÆ IN PRÆSENTIA IVDICIS PERFORENTVR] Rip. Tit. 58. §. 1. Tit. 59.

TABVLARII] Edict. Theod. cap. 126. Rip. Tit. 58. *Ex Tabulario.* Rip. Tit. 53. §. 2. Sæpe in utroq; Cod. Theod. & Iustin.

TALARE] Id est tollere vel auferre. Alm. Tit. 34. Rip. Tit. 64.

TALLIA] Long. 3. Tit. 1. l. 48. Concil. Lateran. sub Innocent. 3. cap. 46. *Talliis seu collectis & exactionibus aggravare. Tallia* nomen invenit a taliando id est incidendo, quoniam de bonis inlatio hæc velut abscinditur & taliatur. *Talia* enim in veteri Gloss. interpretatur κόρμος, χίζα. Sic apud Varron. de re rustic. lib. 1. cap. 4. unde rei agrariæ auctores *taliaturam* dixerunt scissuram, & *intertaliare* dividere Nonius in voce Talea.

TALIOLA] Long. 1. Tit. 21. ὑποκοριστικὸν esse videtur a *Talia.*

TANGANO] Sal. Tit. 60. §. 1. Rip. Tit. 30. §. 1. Tit. 55. Tit. 58. §. 19. 20. Tit. 59. §. 5. Gloss. *Tangano, adiuro, interpello.*

TARENVS] Genus nummi Neap. 1. Tit. 73. Tit. 90. l. 2. Neap. 3. Tit. 34. l. 3. Leo Marsican. Historiar. Cassin. lib. 1. cap. 58. lib. 3. cap. 44. *Veniebat canis iecur tarenis decem.* Cap. 57. *Tareni Africani.*

TAVDRAGIL] Alm. Tit. 65. §. 31. *Plagatus ita ut claudus permaneat, & pes eius ros tangit, quod Alamanni Taudragil dicunt.* Boior. Tit. 3. cap. 12. Tit. 5. §. 17.

TAVRVS QVI IVNCTVS NON EST] Sal. Tit. 3. §. 8. qui iugum non portavit. *Bos ivnctorivs*, qui sub iugum missus fuit. Long. 1. Tit. 25. l. 33.

TAVRVS TRESPELLIVS] Sal. Tit. 3. §. 7. Editio Germ. *Trebellio*, id est de tribus villis. Gall. *de trois clochers*, sicut loquuntur Consuetudinarii. *Clocca*, Belle, *Cloccarium vel lucar* Bellhuß. in vet. Gloss. Latino-Saxon. Sic *Trimarchisia* apud Pausan. quod singuli equites Galli constarent ex tribus.

TAXARE] Wis. 6. Tit. 5. l. 20. Burg. Tit. 23. Solinus de Thracibus. *Licentia taxationis admissa non moribus nubunt, sed præmiis*. Idem. — *nullis posse taxationibus æstimari*. Vlpian. l. 6. ff. Vt leg. & fid. nom. satisd. L. 9. C. de excus. mumer.

TAXILLORVM LVSORES] Neap. 1. Tit. 50. l. 1.

TAXVS] Neap. 3. Tit. 4.

TECTVM AVT FOCVM HOSPITI NEGARE] Burg. Tit. 38. §. 1. 9. Sic *Tectum præstare*. L. 1. §. 19. ff. de ventre in poss. *Agro tectoq; suscipere*. L. 5. C. Theod. de desertor. & occult. Inscriptio vet. Barcinon.

IN TERMIS PVBLIC.
POPVLO PRÆBERI ET TECTA PRAESTARI EA CONDITIONE VOLO.

Plutarch. στέγην παρέχειν. Ceterum hospitalitas hæc insignis Germanorum, qua mortalium quemquam tecto arcere nefas habebant. Cæsar. lib. 6. Tacitus de moribus Germ. Pomp. Mela lib. 3. cap. 3. Diodor. Sicul. lib. 5. Athenæus lib. 4. Atque de Slavis memorabile est, quod Helmoldus narrat Chron. lib. 1. cap. 83. *Si quis vero quod rarissimum est, peregrinum hospitio removisse deprehensus fuerit, huius domum vel facultates incendio consumere licitum est, atq; in id omnium vota pariter conspirant: illum inglorium, illum vilem, & ab omnibus exibilandum ducentes, qui hospiti panem negare non timuisset.* Quam laudem Celtis in commune tribuit Nicolaus Damascen. apud Stobæum Serm. 145.

POST ANGELICVM HYMNVM TE IGITVR INCHOENT SACERDOTES] Cap. 6. Tit. 170. Auctor Micrologi cap. 10. *Erectus autem Presbyter populum hortatur ad adorandum, & ipse post finitam secretam præfationem orditur in Canonem, in qua supernorum civium ordines merito connumerantur* &c. *Vnde & Angelicus hymnus, id est* SANCTVS SANCTVS SANCTVS *subsequitur, quem B. Sixtus PP. in ordine octavus constituit, ut ante sacrificium diceretur.* Et cap. 23. *Canon iuxta Rom. auctoritatem est iste*, TE IGITVR *clementissime pater &c.* Fragmenta Caroli Mag. de ritib. vet. Eccles. pag. 100.

TELONARIVS] Wis. 11. Tit. 3. l. 2. Form. 12. L. 3. Cod. Theod. De indulg. reliq. - *Conductores diversorum portuum ac vectigalium, publicani etiam ac telonarii.*

TELONEVM] Form. 11. *Teloneum de eo quod homines ad dorsum portant.* Form. 12. *De navali vel de carrali evectione.* Ibidem. *Telonei canon.* Aurel. Cassiod. lib. 5. Var. 39. Gregor. Turon. de mirac. Lib. 1. Cap. 32. *Teloneum publicum redditur.* Beda Comment. in Marcum Cap. XI. *Publicanum de teloneo vocatum. Teloneum curam dispensationemq; vectigalium dicit; τέλος enim Græce, Latine vectigal nominatur.* Gloss. vett. *Teloneum, quasi omnium littorum fiscalis conductio.* Hesych. τέλος τὸ καταβαλλόμενον τοῖς τελώναις. & τελώνης, ὁ τὰ τέλη ὠνούμενος. Moschop. THOLONEVM. Cap. L. Sal. cap. 1. §. 18. Long. 3. Tit. 1. l. 31. Cap. 2. Tit. 19. Cap. 3. Tit. 12. 54. Cap. 4. Tit. 31. Germ. Zolle. Gall. *Tonlieu.*

TEMPESTARII] Wis. 6. Tit. 2. l. 3. Cap. 1. Tit. 64. *Tempestatum immissores.* Add. Lud. 2. Tit. 18. Zonar. in Antonin. Philos. pag. 207. Αἰγύπτιός μάγος τὸν ἑρμῆν δηπικαλεσάμενος, καὶ γοητείαις δὲ τισὶ τὸν ὑετὸν δυνηθέντος ἐπαγαγεῖν. Burchard. Decret. lib. 10. cap. 28. Pœnitent. Rom. Sup. GRANDINES.

AD TEMPVS] Cap. 2. Tit. 18. 27. id est maturius.

TENI] Fris. Tit. 14. *Tali de virga præcisa, quos tenos vocant.* Et alibi: *Faciat suam sortem id est, tenum.* Ibidem. Antiquus in sortibus ducendis mos, ex virgis præcisis vaticinari: idq; passim apud paganos usitatum. Scholiast. Nicand. in Theriacis ad illum

illum vers. καὶ μυελκὴς λάζοιο νέον.] Μάγοι ἢ Σκύθαι μυελκίνῳ μαντεύονται ξύλῳ. καὶ γὰρ ἐν πολλοῖς τοῖς ῥάβδοις μαντεύονται. Sed propius ad rem quæ Adamus Brem. narrat, Histor. Eccles. cap. 6. *Auspicia & sortes quam maxime observabant. Sortium consuetudo simplex erat: virgam frugiferæ arbori decisam in surculos amputabant, eosq; notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargebant. Mox si publica fuit consultatio, sacerdos populi; si privata, ipse paterfamilias precatus Deos, cælumq; suspiciens ter singulos tulit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatus est.* Sic nempe a paganis ad Christianos superstitio hæc transmigravit. Vid. quæ ad Amminn. lib. 31. de Scytarum divinatione notata.

TENIMENTVM] Neap. I. Tit. 65.

TENSVRÆ] Burg. Tit. 46.

TENTVS IN FVRTO] Long. I. Tit. 25. l. 2. 3. 7. in furto deprehensus.

THEOTONIS VILLA] Cap... Tit... Nithardus Histor. Francor. lib. 4. pag. 483. *Distat Wormatia Mettis leucas plus minus LXX. Teotonis autem villa plus minus VIII.*

TERRA CENSVALIS] Cap. 4. Tit. 39.

SVPER TERRAM ALTERIVS RESIDERE] Long. 2. Tit. 44. l. 4. *In re alterius consistere.* Burg. Tit. 79. §. I. *In terra dominica residere.* Long. 2. Tit. 51. l. 15. Cap. 5. Tit. 150. *Terram Ecclesiasticam colendam suscipere.* Long. 2. Tit. 44. lib. 2.

TERTIA ROMANORVM] Wis. 10. Tit. I. l. 8. 16.

TERTIÆ] Burg. Tit. 79. §. I. *Tertiam ab aliquo accipere.* Burg. Tit. 57. *Tertiarum* mentio apud Cassiodor. Lib. I. Var. 19. Lib. 2. Var. 16. 17. De *binorum & ternorum titulis* idem Cassiodor. lib. 3. Epist. 8. lib. 7. Form. 21. 22. At quæ in vett. Concil. *Tertia rerum Ecclesiasticarum* sit, Garzias Loaisa explicavit in Notis ad Concilium Tarraconens.

TERTIA MANCIPIORVM] Burg. Tit. 54. §. I. Vid. Tit. 57. Ibidem.

TERTIA CONLABORATIONIS] Cap. 4. Tit. 9. Rip. Tit. 2. *Tertiam de bonis, quæ stante coniugio adquisita sunt, uxor defuncto marito habet.* Form. 71. Gesta Dagoberti. *Tertiam tamen partem de omnibus quæ Dagobertus Rex adquisierat, postquam Nantkildis regina regnare cæperat, eidem reservavit.* Appendix Gregor. Turon. cap. 85. Aimoin. lib. 4. cap. 36. Synod. Meldens. Can. 5.

TERTIARIAM RECIPERE] Neap. I. Tit. 69.

TERTVSSVS PORCELLVS] Sal. Tit. 2. Gloss. *Tertussus, qui domi nutritur.* Germ. Der zu hauß &c.

TESTA IN CAPITE] Boior. Tit. 3. Cap. I. *In capite testa appareat.* Boior. Tit. 4. §. 3. *Testa transcapulata.* Alm. Tit. 59. §. 6. *Testa,* id est calvaria. Ausonius Epigram. 71. de Achilla qui dissecuit calvariam.

Abiecta in triviis inhumati glabra iacebat
Testa hominis, nudum iam cute calvitium.

Inde Gall. *la Teste.*

TESTAMENTVM] Id est, testimonium Form. 100. 101. TESTAMENTVM. id est, instrumentum. Rip. Tit. 59. §. I. 8. Form. 101.

TESTARE] Boior. Tit. 16. cap. 3. *Testificare.* Boior. Tit. 16. cap. 3. *Testimoniare.* Cap. L. Sal. cap. I. §. II.

TESTIS PER AVREM TRACTVS] Boior. Tit. 15. cap. 2. Tit. 16. cap. 2. §. I. cap. 3. 5. Supr. *Aures.*

TESTONES] Burg. Add. Tit. II.

TEVDISCA LINGVA] Long. I. Tit. 14. l. 15. Wa[illegible]rid. Strab. de reb. Eccles. cap. 7. *Dicam secundum nostram barbariem, quæ est Theotisca.* Ibidem. *a Latinis Theotisci multa* (sc. verba acceperunt) *& in communi locutione. — Theotisci proprias habent voces.* Schol. Horat. *Theotisca lingua Vrpora, dicitur scobs.* &c. Constitutio Ludovici Imper. de pace Confluent. §. 19. *Carolus Romana lingua pronunciavit, & maxima parte Lingua Theotisca recapitulavit.* §. 21. *Dominus Hlotharius lingua Theotisca in supra annunciatis Capitulis se consentire dixit.* Lingua Theotisca, est lingua Germanica: Teudische Sprache.

TEXAGA] Sal. Tit. II. §. 4. Alm. Tit. 99. §. 25. Rip. Tit. 63. §. 2. Form. 137. Glossar. *In texaga, intra tecta.*

THEADA] Sal. Tit. 48. *ante theada vel tunginum.*

THECLATVRA] Long. I. Tit. 26.

l. 3. 4. 5. 6. Signatura. Sup. *Signata arbor*. THINX] Long. 2. Tit. 8. l. 6. Tit. 14. L. 13. Tit. 15. L. 2. 3. Tit. 20. L. 1. *Per Thinx aut circa altare libertatem nancisci*. Long. 1. Tit. 32. l. 5. Gloss. *Per Thinx, id est, per donationem*. *THINGARE*. Long. 2. Tit. 1. l. 8. *Liberam thingare, quod est widerboren*. Long. 2. Tit. 14. l. 4. 5. 12. 13. 25. Tit. 15. l. 1. 2. Tit. 15. l. 1. Tit. 34. l. 1. 3. 8. 9. Long. 3. Tit. 15. Gloss. *Thingare, manumittere absolute, vel donare*. *THINGATVS*. Long. 2. Tit. 32. l. 5. *Thingatio*. Long 2. Tit. 15. l. 5.

THIVBDA] Fris. Tit. 3. Id est, furtum. LL. Inæ Regis Anglo-Sax. cap. 47. Theofte furtum. LL. Æthelstani Reg. cap. 11. 17. Theofe. Otfrido lib. 4. cap. 7. & Willeramo Thiob. Germ. Dieb.

THOLONEVM] Cap. L. Sal. cap. 1. §. 18. &c. Sup. *Teloneum*.

THREVS] Long. 2. Tit. 14. l. 6. *de filio naturali generatus*. Papias: *Treus, libertus*. Gloss. vett. *Threus, id est tertius*.

THYVPHADVS] Wis. 2. Tit. 1. l. 15. 23. 26. Wis. 4. Tit. 5. l. 6. Wis. 9. Tit. 2. l. 1. 8. *THYVPHADIA*. Wis. 9. Tit. 2. L. 1. 3. 4. 5. 6. 9.

TINTINNABVLA IVMENTI] Wis. 7. Tit. 2. L. 11. *Tintinnum bovis aut caballi*. Burg. Tit. 4. §. 5. Long. 1. Tit. 25. l. 31. *Tintinnum de porcina: de pecoribus*. Sal. Tit. 29. Aimon. Histor. lib. 3. cap. 81. *Mos quippe antiquus inoleverat Francis, & maxime Austrasiis, ut pascentibus equis tintinnabula imponerent, quo si forte longius in pascendo aberrassent, eorum sonitu dignosci possent*. Horum tintinnabulorum, quorum & nostra ætate in hanc rem usus est, meminit Sidonius Appollin. lib. 2. Epist. 2. Ado Vienn. in Chronic. Iustinian. Imp. in LL. Georgicis, Tit. 4. §. 2. ἐὰν τις κώδωνα ἐκ βοὸς, ἢ προβάτου, ἢ ἐξ ἄλλου οἱουδήποτε ζώου κλέψῃ. Pontius Paulin. in natali Felicis 3. pag. 56.

— ut præsepia vidit
Nuda boum, & nullos dare tintinnabula pulsus,
Excussa ut cervice boum crepitare solebant,
Mollibus aut lentis cava linguis æra ferire
Armentum, reduces dum gutture ruminat escas.

Clementianus Fortunat.

Tintinnum rapit alter inops, magis improbus ille
Qui iumentorum colla tenere solet.

Hæc ipsa tintinnabula frenis interdum & falaris addere quidam solebant, quos id propter κωδωνοφαλαροπώλους, id est, κώδωνας ἐν τοῖς φαλάροις καὶ χαλινοῖς τῶν ἵππων ἔχοντας, vocat Aristophanes in Batrachom. Phædrus Lib. 2. Fab. 38.

Clarumq; collo iactans tintinnabulum.

TITVLI POPVLARES] Decret. Tasil. præf.

TITVLVM AMITTERE] Cap. 7. Tit... *Titulati*. Cap. 7. Tit. 188.

TITVLOS ALIENÆ REI VEL SVÆ ADFIGERE] Edict. Theod. cap. 45. 46 47. Ponebantur tituli singulis quibusque domibus, aut prædiis, ut cuius essent, & ad quos pertinerent, sciri posset, testante B. August. Psal. 21. *Vbi potens aliquis invenerit titulos suos, nonne iure rem sibi vindicat? & dicit, non poneret titulos meos, nisi res mea esset*. Idem Psalm. 55. & Tractatu VII. in Epist. B. Iohann. Petrus Chrysolog. Serm. 154. *Dominum prædiorum limitibus affixi tituli proloquuntur*. Cassiodor. Var. lib. 4. Epist. 14. *Si quis iussa nostra agresti spiritu resupinatus abiecerit, casas eius applicitis titulis fisci nostri iuribus vindicabis*. Idem lib. 9. Var. 18. Gregor. Mag. PP. lib. 4. Epist. 77. Eodem lib. Epist. 44. *Consuetudo nova in Ecclesia hac & valide reprehensibilis erupit, ut cum rectores eius patrimonii urbana vel rustica prædia iuri illius competere posse suspicantur, fiscali more titulos imprimant*. Et paulo post. *Proinde præsenti decreto constituo, ut si quis Ecclesiasticorum unquam titulos ponere, sive in rustico, sive in urbano prædio sua sponte præsumpserit, anathema sit*. Horum Titulorum frequens mentio in iure Romano L. 3. C. de bonis vacant. L. fin. §. 5. C. de delator. Novell. 28. Cap. 5. Novell. 29. c. 4. Novell. 30. cap. 8. Iulian. Novell. 21. Cap. 23. Novell. 22. Cap. 5. Huc porro pertinent LL. quæ in Cod. leguntur. *De his qui potent. nom. titulos prædiis affig.*

& Lib. 2. Tit. 16. *Vt nemo privatus titulos prædiis suis vel alienis imponat, vel vela regia suspendat.* Nam & vela, quæ Ambros. Episcopus lib. 5. Epist. 33. *cortinas regias* appellat, domibus in hunc usum appendebant. Ambrosii verba hæc sunt, *Dum hæc tracto, suggestum est mihi cortinas regias esse collectas.* paulo ante dixerat. *Illic nuntiatum est mihi comperto, quod ad Portianam basilicam de palatio decanos misissent, ut vela suspenderent.* Plane ut Agathias Historiar. lib. 5. pag. 142. Ἐπεὶ δὲ Ἀνατόλιος νεκρὸς ἐφέρετο, καὶ ἐπὶ τὴν ταφὴν ἀπεχώρει, τότε δὴ ἔνιοι τοῦ ὁμίλου διεθρύλλουν, ὡς ἄρα ἐνδικώτατα εἴη ἀνῃρημένος, ἄδικός τε ἐς τὰ μάλιστα γεγονώς, καὶ πολλοὺς ὅσους τῶν οἰκείων ἀφῃρημένος, ὅτι τε αἱ γραπταὶ σανίδες ἐκεῖναι, καὶ τὰ ῥάκη τὰ ὑπόπορφυρα ἐς τόδε αὐτῷ ἀπετελεύτησαν, ἃ δὴ πολλὰ τοῖς τῶν εὐδαιμόνων οἴκοις θαμὰ ἐπέβαλλε, τὴν ἐς βασιλέα εὔνοιαν προϊσχόμενος. *Quum autem Anatolii funus efferretur ad sepulturam, tum vero quidam è turba spargebant in vulgus, eum iustissime è medio sublatum, quippe qui iniustissimus fuisset, multosq; suorum amicorum spoliasset: quodq; illa scriptæ tabellæ, & subpurpurei panni hūc exitum habuissent, quos ille frequenter opulentiorum domibus imposuit, prætexens benevolentiam erga Imperatorem* &c. Σανίδες enim tabellæ sunt, titulis inscriptæ, quas prædiis aut domibus affigebant. Novell. 164. τοῖς ἀλλοτρίοις χωρίοις τε καὶ ἀγροῖς ἐπινεμόντων σανίδας τε βασιλικὰς, ἢ σήμαντρα ἐπιθέντων &c. Tiberi Imp. constitutio de divinis domibus. Harum tabularum etiam mentio in L. fin. §. *si ad ianuam.* ff. Quod vi vel clam. *Si ad ianuam meam tabulas fixeris, & ego refixero,* &c. ῥάκη τὰ ὑπόπορφυρα sunt vela purpurea, quæ Galli in re consimili *Brandons* vocant, deducta appellatione *à Brandeo* sive Latino sive Græco; utriusque enim nationis scriptores recentiores indifferenter pro suo utuntur. Landulph. Sagax. Histor. Miscell. lib. 16. Chronic. Sangall. lib. 2. Sigebert. Gembl. Anno CCCCXLI. *Brandeum altaris quo consecratum corpus domini involverat, particulatim dividebat.* Constant. Imp. de administr. Imp. cap. 6. βλαττία, πράνδεα, χαρέελα. Ab hisce ergo *Titulis,* denominatio *Titulorum,* quos Euaristum in urbe Rom. divisisse presbyteris, & Marcellum XXV. in eadem urbe constituisse Anastasius & Beda in Martyrlog. 17. Kal. Februar. scribunt, originem duxisse puto. Idem Anastas. in Sylvestro. *Hic fecit, in urbe Roma Ecclesiam in prædio cuiusdam presbyteri sui, qui cognominabatur Equitius, quem titulum Romanum constituit iuxta thermas Domitianas, qui usq; in hodiernum diem appellatur titulus Equitii.* Inde *Ius tituli* in Concil. Bracar. cap. 31. *Presbyteri qui in titulis consecrantur.* Cap. 5. Tit. 108. Feudor. lib. 1. Tit. 6. *Feudum dederit de rebus Ecclesiarum, quæ eis subiectæ sunt, & Tituli vocantur.* Vid. Synod. Rhemens. can. 20. Synod. Turon. 3. cap. 14. Synod. Meldens. can. 11. 52. Synod. apud Althem. can. 36.

Tollenum putei] Long. 1. Tit. 9. l. 24. Meliores Latinitatis scriptores *Tollenonem* dixerunt: Hispani *Ciconiam.* Isodor. Orig. lib. ult. cap. 16.

Toltum] Alm. Tit. 34. Id est sublatum.

Tonsurare] Cap. 5. Tit. 197. Canon. 7. Synod. Cabill. 2.

Tornare] Long. 1. Tit. 21. l. 6. *Tornare se de via.* Long. 1. Tit. 25. l. 45. Landulph. Sagax Histor. Miscell. lib. 17. *Vno animante onus subvertente, quidam domino animantis acclamat onus erigere, patria voce ducens: Torna, torna frater. Et Domnius quidem multas voces minime sentiebat: sed populi hoc audito hostes imminere existimantes in fugam conversi sunt, Torna, torna, maximis vocibus exclamantes.* Theoph. Simocatt. lib. 2. pag. 125. ἐπιχωρίῳ γλώττῃ εἰς τοὐπίσω τραπέσθαι ἄλλος ἄλλῳ προσέταττε ῬΕΤΟΡΝΑ μετὰ μεγίστου ταράχου φθεγγόμενοι. Vrbicius in Tact. cap. περὶ γυμνασίας. Κράζει ΤΟΡΝΑΜ ἕνα, καὶ ἀνθυποστρέφουσιν. Inde Galli Italique in suum quoq; idioma vocem derivarunt.

Tortam vel virgam de nemore incidere] Neap. 3. Tit. 38. l. 4. Sup. *Retorta.*

Totonderit puerum crinitum sine voluntate parentum] Sal. Tit. 26. §. 6. An respicit ad illum morem de quo Otto Frising. lib. 1. cap. 16. & annales vett. *Karolus* (inquiunt) *Francorum Princeps filium suum ad Liuthprandum misit, ut more fidelium Christianorum eius capillum primus adtonderet, & pater illi spiritualis existeret.* An ad clericatum? Gregor. Turon. Histor. lib. 3. cap. 19. *Et sibi propria*

manu capillos incidens clericus factus est. Idem lib. 4. cap. 4. Vid. LL. Burgund. Tit. 6. Marculf. Form. in præcepto de clericatu.

TOXICVM] Neap. 3. Tit. 41. *Toxicata sagitta.* Sal. Tit. 19. §. 1. Boior. Tit. 3. cap. 6. Regino Abb. Prum. An. 901. — *à quodam per fenestram cubiculi sagitta toxicata ictu graviter vulneratur.* Gregor. Turonens. Histor. lib. 2. *Sagittas tormentorum ritu effudere illitas herbarum venenis.*

TRACTA SPATHA SE IDONEARE] Alm. Tit. 44.

TRACTATVS CATHOLICI] Cap. 1. Tit. 78. Bonifacius Zachariæ PP. contra Clementem Scotum. *Alter autem hæreticus qui dicitur Clemens, contra Catholicam contendit Ecclesiam, abnegans scilicet & refutans canones sacros, tractatus & expositiones sanctorum patrum Hieronymi, Augustini, & Gregorii.*

TRACTORIA] Long. 3. Tit. 1. l. 38. Tit. 7. l. 1. Cap. 4. Tit. 30. *Tractoria quæ propter missos recipiendos dirigitur.* Cap. 4. Tit. 69. Cap. 7. Tit. 20. Form. 33. 34. 35. Eustathius CP. de præscriptionib. temp. τρακτωρίαι ἐλέγοντο αἱ κελεύσεις αἱ παρὰ τῶν ἐπάρχων προφάσει ζώων δρομικῶν γινόμεναι, ἃς καὶ κωμβίνας ἡ αὐτὴ γλῶσσα καλεῖ ῥωμαίων, τουτέστι συνθήματα. Quæ eadem fere in Gloss. Nomico leguntur. Lupus Abb. Epist. 63. *Antequam legationem adoriamur, Regi per me de his quæ videbuntur, suggerere statui, & tractorias accipere, & tum favente Dei gratia proficisci.* Agobardus ad Lodoic. Reg. de insolentia Iudæor. p. 58. *Venerunt & prædicti missi, habentes in manibus tractorium stipendialem, & Capitularia sanctionum* &c. Vid. Iacobi Cuiacii Comment. ad Lib. XII. Cod. Iustin. Tit. 51. De tractoria & stativis. Barnab. Brisson. de verb. signif. Lib. 18.

TRADITIO] Ne nuda sint & absq; ullo ritu rerum dominia transferantur, certis quibusdam sollennibus, velut symbolis adhibitis, peragi plerumq; solent. Itaq; claves traduntur cum mercium in horreis conditarum possessio assignatur. L. 74. ff. de contrah. empt. L. antep. ff. de acquir. possess. Alia traditionum genera in hisce legibus passim occurrunt: velut TRADITIO PER FESTVCAM. Sal. Tit. 48. Form. 155. &c. Charta Evindicationis in Chronico Laurishaim. ANNO 776. *per festucam ante nos exinde dixit exitum.* Inde *Exfestucare* Henrico IIII. Imp. Sigebert. & Ottoni Frising. & Formulariis Gallicis. *Bailler un festu, en signe de deguerpissement.* TRADITIO CVLMO SVBNIXA. Tradition. Fuld. lib. 1. numer. 10. 104. Lib. 2. numer. 16. 21. 42. 43. 44. TRADITIO BACVLIS MVTVIS FIRMATA. Dithmar. Eps. Chron. lib. 7. pag. 99. TRADITIO PER DVRPILVM ET FESTVCAM. Form. 155. PER PORTAS ET OSTIA. Form. 155. PER OSTIVM ET ANATICVLA DE IPSA CASA: *Per* HERBAM *vel* TERRAM *de ipso manso.* Form. 153. 154. *Per* OSTIVM *de ipsa casa, vel per* HERBAM & CESPITEM, *sicut lex est.* Form. 24. *Per* HERBAM ET VITEM. Form. 156. Sic per CHIROTHECAM traditio facta. Liemarus Episcopus de traditione Asbecke in privil. Brem. p. 169. *Traditiones omnes ex novo fecit, & eorum prædiorum quæ prius pro emendatione dederat, & eius prædii, quod in hoc chirographo pro pactione beneficii dedisse eum apud Alarbeke commemoravimus, ipse cum* CHIROTHECA *sicut mos est, tradens hæc omnia prædiola super crucem & reliquias nostras ex novo dedit.* Idem Liemarus de VII. mansis. in privilg. Brem. p. 168. *Aderat Comes F. advocatus Ecclesiæ, qui chirothecam traditionis sacris reliquiis impositam, ut mos est abstulit, & ab ipso Gerhardo digitorum extensione promissionem confirmationis accepit.* Sed & Rex in signum consensus CHIROTECAM mittere solebat. Spec. Sax. lib. 2. Artic. 26. Gallorum moribus usitatæ sunt traditiones PAR RAIN, ET PAR BASTON. Vnde *Metre la main au baston.* & *Livrement de fust & terre.* De aliis investituris, velut annuli, gladii, vexilli, hic multa adtexere, quia ab aliis explicitæ sunt, supervacuum puto.

TRAHERE FOEMINAM INGENVAM] Sal. Tit. 14. Form. 82. 85.

TRANICEM DE VITE INCIDERE] Long. 1. Tit. 19. l. 7.

IN TRANSACTVM HABERE] Long. 1. Tit. 25. l. 59.

TRANSFIGVRARE FACIEM] Long. 1. Tit. 14. l. 5.

TRANSITVRÆ] Cap. 4. Tit. 58. Vetus exemplar habet *Trasturas.* TRANSITORIVM *tributum* vocatur, LL. Long. lib. 1.

lib. 1. Tit. de exercitalib. Gall. *Droict de Traitte*, Et *Traitte foraine*. Supr. *Tributum*.

TRANSITVS] Id est, obitus vel mors. Burg. Tit. 42. §. 1. Tit. 53. Form. 19. Cassiod. lib. 8. Var. 8. *Quod vobis quidem mœrorem possit indicere, transitum gloriosæ memoriæ domini avi nostri cum dolore maximo nuntiamus.* Walafrid. Strabo de mirac. S. Galli. Cap. 31. *Primum signum post transitum eius.* Cap. 32. *Signa mortificationis post transitum deprehensa.*

TRANSPONERE] Long. 1. Tit. 25. Traiicere, uber Wasser setzen. Germ.

TRANSPVNCTVS] Alm. Tit. 65. §. 26. *Transpunctum membrum*. Ang. Tit. 5.

TRAVGVM AD TRANSEVNDVM] Rip. Tit. 43.

TREMACVLVM] Sal. Tit. 29. Norman. *Tremail*, genus piscatorii retis.

TREMISSIS] Wis. 7. Tit. 2. l. 11. Tit. 4. l. 4. Tit. 6. l. 5. Wis. 8. Tit. 3. l. 10. 12. 15. Tit. 4. l. 11. 26. 31. Wis. 9. Tit. 1. l. 9. 14. Burg. præfat. & Tit. 4. §. 3. Tit. 5. §. 3. Tit. 6. §. 1. Burg. Tit. 27. §. 1. Add. 1. Tit. 2. §. 3. Tit. 8. Alm. Tit. 75. 78. &c. Boior. Tit. 1. Cap. 3. 14. &c. Fris. Tit. 1. §. 9. Add. Tit. 3. Long. 1. Tit. 19. l. 8. TREMISSVS. Pact. Child. §. 6. Alm. Tit. 6. §. 3. Tit. 22. TREMISSIS id est quatuor denarii. Rip. Tit. 23. Capitolin. in Alexand. Severo. *Semisses aureorum formati sunt. Tunc etiam cum ad tertiam partem auri vectigal decidisset, tremisses; dicente Alexandro etiam quartarias futuras, quod minus non posset.* Paul. Warnefr. lib. 5. cap. 39.

TREMVM] Long. 1. Tit. 6. lib. 6. *Brachium subtus cubitum.*

TRESPELLIVS TAVRVS] Sal. Tit. 3. §. 7. Sup. *Taurus*.

TREVDIS] Alm. Tit. 99. *Cervus qui treudis habet.*

TREVGA] Long. 1. Tit. 9. l. 38. *intra treugam aut post datum osculum pacis.* Long. 2. Tit. 24. *Treugæ non sunt minus quam sol. CCC.* Ms. *Treuda.* uti & Gloss. vett. *Treuda, bannum.* Aliæ Gloss. Ms. *Treugas, gaudias.* Fulbert. Ep. 77. *Treugam polliceri.* Guil. Neubr. lib. 5. cap. 3. *Inducias quas treugas vocant.* Oliverius Scholast. in Epistola Historiæ belli sacri. *Saladinus unum de captivis nostris mittens de pace vel treuga nobiscum tractare cœpit.* Annales Steronis p. 251. 252. Fridericus Imperator de pace Constant. Extrav. de *Treuga & pace.* Italis *Trega.* Gallis *Tresue*, a Trew Germ.

TRIAEN] Sal. Tit. 40. §. 14. TRIANS *quod est, tertia pars solidi.* Sal. Tit. 37. §. 4. *Triantes.* Form. 143. Gregor. Turon. De vita S. Martini. *Vnum trientem mercedis intuitu detulit.* De gloria martyr. Lib. 2. cap. 19. *Quidam alteri trientem præstiterat.* Idem de gloria conf. *Invenies unum trientem, ipsum donans vinum dignum epulis pauperum comparabis.* Cap. 109. *De hoc triente vinum comparat.* Idem Hist. lib. 3. cap. 13.

TRIBATTERE] Sal. Tit. 40. §. 9. 14. Sup. *Battere*.

TRIBVNVS] Wisig. 11. Tit. 1. l. 2.

TRIBVTARIVS ROMANVS] Sal. Tit. 43. Recap. L. Sal. §. 14. Gloss. *Tributarius Romanus & Stepharius nominatur, qui censum Regi solvit.* Nec enim Franci ingenui pendebant Regi tributum. Gregor. Turon. Historiar. lib. 7. cap. 16. TRIBVTARIA CASA. Long. 1. Tit. 34. L. 1. TRIBVTARIVS SERVVS. Rip. 64. S. Theodor. de vita S. Magni. lib. 2. cap. 10. *tributarii regis* TRIBVTARIA TERRA. Long. 3. Tit. 8. l. 2. Cap. 4. Tit. 37.

TRIBVTVM TRANSITORIVM] Long. 1. Tit. 14. L. 16. Cap. 4. Tit. 59. Sup. *Transitura*.

TRIDVANÆ] Cap. 5. Tit. 136. Hrab. Maur. de inst. cler. lib. 2. cap. 26. *De origine biduanæ vel triduanæ* &c.

TRIGILDVM] Burg. Tit. 62. *Tripla compositio.* LL. Alfred. Reg. Anglo-Sax. cap. 40. In fœdere Alfredi & Guntranni Reg. Cap. 3. LL. Iutícar. lib. 2. cap. 97. 99. &c. Pari modo etiam *Tvvigield.* Ibid.

TRIPHVNT] Boior. Tit. 19. cap. 1. §. 2. *Si quis canem seucem, quem Triphunt vocant, furaverit.* Sup. *Canis*.

TRIPLA NOVIGILDI SOLVTIO] Burg. Tit. 76. §. 2. *ter novempliciter facta solutio Weregildi* Supr. *Novempliciter.*

TRISCABINA SEV INGENVITATIS CHARTA] Form. 88.

TRIVMNIVMGELDO SOLVAT, HOC EST TER NOVEM RESTITVAT] Boior. Tit. 1. cap. 3. *TRIVM NIVMGELDO COMP. Hoc est ter novem.* Boior. Tit. 2. cap. 13. Tit. 8. cap. 2. §. 1.

TRIVTIS] Rip. Tit. 42. §. 2. *Cervum domitum, vel cum triutis occiderit.* Alm. Tit. 99. *Cervus qui treudis habet.*

TROPPVM] Alm. Tit. 72. Charta vet. in Alm. Gold. Tom. 2. n. 15. *de caballis domalibus cum cetero troppo.* Gall. *Troupeau.*

TROTINGI] Long. 1. Tit. 16. l. 8. *Sponsi cum paranymphis aut trotingis.* Gloss. vett. *Trotingis id est ioculatoribus.* De ioculatoribus Burchardus & Ivo in Decretalib.

TRVSTE DOMINICA] Sal. Tit. 43. §. 4. Tit. 44. §. 2. Recap. L. Sal. §. 31. Decret. Chlot. §. 3. 12. *TRVSTE regalis.* Sal. Tit. 66. In *TRVSTE regis esse.* Rip. Tit. 11. *TRVSTE facienda.* Long. 3. Tit. 4. l. 2. *Trustem & fidelitatem coniurare.* Form. 47. Gloss. vett. in Leg. Long. *Truste facienda, id est caballicata.*

SVPER TVMVLOS MANDVCARE AVT BIBERE] Cap. 6. Tit. 694. Synod. Arelat. Can. 5. Synod. Bracar. Can. 70.

TVNGINVS] Sal. Tit. 46. 48. 63. Gloss. vett. *Tunginus, iudex qui post comitem est.* Sollensib. *Degan.* In priscis Anglo-Sax. LL. *Thegn.*

TVNICA PLVMBEA PVNIRI] Boior. Tit. 1. cap. 11. Alia erat tunica ex charta facta, pice inlita, in qua ignibus pænæ addicti ardere solebant. ut notat Scholiast. Iuvenal. ad illum vers. Satyr. 8.

Tunica punire molesta.

Etiam in Principum Germaniæ aulis tunica, quam Hispanicam vocant, ob levia quædam delicta puniri noxii solent.

TVNINVM] Boior. Tit. 1. cap. 14. §. 5. *Fœnile, granicam, vel tuninum.* al. *Tunninum.* videtur esse locus tunnis reponendis destinatus. Auctor vitæ Philiberti. *Rogans eum cellarium ingredi, & vas vinarium, quod tonna dicitur, benedicere.*

TVRBARE ALIQVEM] Boior. Tit. 5. §. 5.

TVTORES ESSE QVI NOLVERINT PARVVLORVM, SI FORTE LVCTVOSA CESSERIT HEREDITAS, IN EA IPSI VT HABEANTVR EXTRANEI, LEX ROM. CONSTRINGIT] Form. 74. L. 1. 3. ff. de legit. tutorib. L. 73. ff. de reg. iur.

PER TVRMAS ET PER HEBDOMADAS CONVENIRE] Cap. 7. Tit. 163. *Turmas facere de Episcopis.* Cap. 7. Tit. 360.

TZANGÆ] Cap. 7. Tit. 314. Synod. Aurel. 1. can. 22. *Monacho uti orario, & tzangas habere non liceat.* L. 2. C. Theod. De habitu quo uti oport. intr. urb. *Usum tzangarum atque bracharum intra urbem venerabilem nemini liceat usurpare.* L. 3. C. ibid. *Intra urbem Romam nemo ruchis vel tzangis utatur.* Gloss. κόθορνος, τὸ βασιλικὸν τζάγγιον. Idem. Τζάγγα, τὸ ὑπόδημα. Georg. Codinus. καὶ ἕτερον εἶδος ὑποδημάτων, ἃ καλοῦνται τζαγγία, ἔχοντα ἐκ πλαγίων κατὰ τὰς κνήμας καὶ ἐπὶ τῶν ταρσῶν ἀετοὺς διὰ λίθων καὶ μαργάρων. Scholiast. Horatii ad illum versum. — *Insanus nigris medium impedit crus Pellibus. Nigris pellibus id est tzangis.* inde *tzangarii* σκυτοτόμοι. Moschoputus περὶ σχεδ. Σκυτοτόμος παρὰ Ἀττικοῖς ὁ σκυτεύς, ἤγουν ὁ κοινῶς τζαγκάριος.

V.

VACCA MVLSA] Boior. Tit. 8. cap. 2. *VACCA OPTIMA* Alm. Tit. 75. *Vacca iunctoria.* Long. 2. Tit. 21. l. 6. *Vacca iugo domita.* Long. 2. Tit. 21. l. 7. *Vacca sequentriana.* Alm. Tit. 75. *Vacca videns & sana.* Rip. Tit. 36. §. 11.

VACCARITIA LEGITIMA VBI SVNT XII. VACCÆ] Alm. Tit. 75.

VALENS SOLIDVS] Form. 131. Sup. *Solidus.*

VALVASORES MAIORES] Long. 3. Tit. 8. l. 4. Vid. quæ Cuiacius notavit Feudor. lib. 1. Tit. 1. Hotoman. Feudor. lib. 3. cap. 3.

VASSALLI] Long. 3. Tit. 4. l. 5. Cap. 2. Tit. 24. Cap. 4. Tit. 32. Cap. 5. Tit. 147. *Vassalli CASATI.* Cap. 3. Tit. 74. 75. Supr. *Casati.* In adnuntiatione Karoli Pistis. *Vassalli nostri nobis & nostra coniugi famulantes.* VASSALLAGIVM. Neap. 2. Tit. 36. lib. 3. Tit. 3. 10.

VASSVS] Long. 1. Tit. 12 l. 3. Long. 2. Tit. 42. l. 1. Tit. 54. l. 1. Long. 3. Tit. 1.

Tit. 1. l. 38. Tit. 3. l. 4. Cap. 1. Tit. 4. 9. Cap. 2. Tit. 24. 28. Cap. 3. Tit. 82. Cap. 4. Tit. 40. Cap. 5. Tit. 133. Form. 7. 71. Gloss. vett. *Bassus custos populi. Vassi fideiussores.* Gallicũ est vocabulum. Greg. Turon. Hist. lib. 1. cap. 32. Odo in vita B. Gerardi. *Nec hoc patiebatur, ut quilibet senior beneficium a suo vasso, pro qualibet animi commotione posset auferre.* Theodulph. & auctor vitæ Caroli M. *Tassilo venit per semet ipsum, tradens se manibus domini Regis in vassaticum, & reddens ducatum sibi commissum.* Regino. *Tradens se manibus eius ad servitium, reddens Ducatum a Pipino Rege sibi commissum.*

VASSI COMITVM] Long. 3. Tit. 12. l. 1. Cap. 3. Tit. 51. *Vassi dominici.* Long. 3. Tit. 4. l. 5. Cap. 3. Tit. 74. Cap. 4. Tit. 69. Walafrid. Strab. de rebus Eccles. *Capellani minores ita sunt, sicut hi quos vassos dominicos Gallica consuetudine nominamus.* In Capitulis quæ Episcopi Rhemor. diocœseos atque Rothomagensis miserunt Ludovico Regi. *Quando anima vestra de corpore exierit &c. Et sine solatio & comitatu drudorum atq; vassorum nuda ac desolata exibit. Vassi ducis vel Comitis.* Alm. Tit. 36. 79. *Vassi Episcoporum.* Cap. 4. Tit. 70. *Vassus Imperatoris.* Cap. 3. Tit. 64. *Vassi ad marcham custodiendam constituti.* Cap. 4. Tit. 4. *Vassus Regis.* Boior. Tit. 2. cap. 15. §. 1. Aimon. lib. 5. cap. 36. *Regni primores ac vassi regii.*

VECORIN] Long. 1. Tit. 36. l. 4. Gloss. vett. *Vecorim, antesteterit in via.* Papias. *Vecorin, viam antestare.* Germ. Wegeren.

VECTIGALIVM MAGISTER] Cap. 6. Tit. 122.

VECTIS] Angl. Tit. 5. §. 7. *Si libero* (testiculos excusserit) *centum sol. comp. vel iuret, ut superius. Si vectem, similiter.*

PRO VEGETANDO COMMERCIO] Wis. 11. Tit. 3. l. 4. Forum iud. Hisp. *Si dalgun mercador dultra portos tomar dalgun servo de nostro regno, q̃ le lieve sus merchandias &c.*

VEGETVM] Boior. Tit. 21. §. 6. 7.

VEGIVS] Burg. Tit. 16 Add. 1. Tit. 8. *VEGIATVRA.* Burg. Tit. 16. Ms. *Veratura.* Vegit sunt, quos Latini divinos aut vates vocant, German. Wickers. In Fœdere Alfredi, Edoardi, & Gutrunni Reg. Cap. 11. *Bywicum, wiglerum, manswerum. De vatibus, ariolatoribus, peierantibus.* & forsan alterum est ab altero deductum.

VELAMEN RELIGIONIS] Long. 1. Tit. 6. l. 1. *VELVM.* Cap. 5. Tit. 16. Tit. 113. *Mulier si velum in caput suum miserit. VELATA fœmina.* Cap. 6. Tit. 309. 310.

VELTRIS CANIS] Boior. Tit. 19. cap. 1. §. 5. *VELTRIS LEPORARIVS.* Sal. Tit. 6. §. 2. *Leporalis.* Alm. Tit. 82. *VELTRIS PORCARIVS.* Sal. Tit. 6. §. 2. Supr. *Canis.*

VENDITÆ] Form. 11.

VENDITORES CANDELARVM] Neap. 3. Tit. 36. Sup. *Candelarii.*

VERBVM IN ECCLESIA FACERE] Add. Lud. 4. Tit. 41. Sermonem ad populum habere.

IN VERBO REGIS ESSE] Sal. Tit. 14. §. 5. Rip. Tit. 35. Greg. Turon. Histor. lib. 9. cap. 19. *Brunichildis graviter accepisset, eo quod in eius verbo Sicharius positus, taliter fuerit interfectus.* Et alibi. *Praeceptionem tribui iussit, ut in verbo suo posita a nullo unquam parentum defuncti illius in aliquo molestiam pateretur.* Idem *in sermone Regis esse.* Supr. Videtur Græcos eodem modo λόγους dixisse Iustinian. Novella XVII. cap. VI. Ἀλλὰ μηδὲ τούτους τοὺς καλουμένους λόγους προχείρως διδόναι σπεύδειν.

PER VERBVM DOMNI REGIS TENERE] Cap. 5. Tit. 11.

VEREDARII] Cap. Kar. Reg. Tit. 17. L. 50. C. Theod. De mul. quæ ser. prop. iunx. *VEREDI.* Form. 35 Gloss. *Veredus,* πῶλος. Sæpe in Cod. Theod. & alibi.

VERRVS] Sal. Tit. 2. §. 12. *Verres* Alm. Tit. 99.

VERTVOLVM] Sal. Tit. 29. §. 32. Gall. Northman. *Verveil* est genus piscatorii: retis Latini meliores *Verriculum* dixerunt.

VESTIGIVM MINARE] Sal. Tit. 39. Gregor. Turon. de glor. confess. cap. 81. *Alterius hominis malitia furis boves abstulerat, qui adprehenso vestigio, & inter infusas aqua viarum tramites ad profundas luti voragines perdito.*

IN VESTIMEMTO SACRAMENTVM PRÆSTARE] Fris. Tit. 3. *Sagum tenens iurare.* Fris. Tit. 14.

VESTITVRA] Long. 1. Tit. 34. l. 3. Cap. 4. Tit. 34. 41. 45. Cap. 4. Add. 2.

Tit.7. Add.3. Tit.2.7. *Vestire*, confirmare est, & *Vestitura* feudi est confirmatio, testibus adhibitis facta: voce hac in re etiam temporibus Karoli Mag. usitata. ut mirum sit, virum multæ & variæ lectinis id negare ausum. Saltem meminisse potuit Canonis, quem ex Synodo Leptinensi Anno DCCXLII. ipse exscripsit, qui sic habet. *Ecclesia cum propria pecunia revestita sit*. & extat Cap.5. Tit.3.

VESTITVRÆ FIDEIVSSORES] Cap.4. Tit.19.

VESTIS BELLICA, ID EST LORICA] Angl. Tit. 6. §. 5.

VESTITA MANVS] Boior. Tit. 17. l. 2. Charta vet. in Alm. Gold. Tom. 2. num. 58. *Post meum vero discessum ipsæ res ad monasterium S. Galloni admelioratæ revertant, absq; ulla contradictione vel minuatione, manu vestita partibus meis vel heredum meorum*, &c.

VETARE] Id est, negare. Long.1. Tit.4.

VIA CONVICINALIS] Boior. Tit.9. Cap.14. Cap.5. Tit.202. *Via vicinalis*. Burg. Tit. 27. §. 3. L. 3. ff. de locis & itinerib. Vlpian. l. 2. §. 22. ff. Ne quid in loc. pub. *Vicinales sunt viæ, quæ in vicinis sunt, vel quæ in vicos ducunt.* αἱ ἐπὶ κώμας ἄγουσι. Theophil. Instit. lib. 4. Tit 3.

VIA VBI DVX EGREDITVR] Boior. Tit. 9. cap.13. *Via regia vel prætoria aut consularis, aut militaris*. L. 2. §. 22. ff. Ne quid in loco pub. Theophil. Instit. lib. 4. Tit.3. Pangyr. Flaviens. nomine Constant. Aug. dictus. *Vt militaris via sit confragosa, & alternis motibus ardua*. *VIA PVBLICA*. Burg. Tit. 27. §. 3. Vlpian. ibidem.

VIA PASTORALIS] Boior. Tit.9. Cap.14. Cap.5. Tit. 202.

VIAM ANTESTARE] Long.1. Tit.15. *Viam alicui obstare*. Sal. Tit. 33. *Viam alicui contradicere*. Alm. Tit. 65. Fres. add. Tit. 4.

VIÆ LACINA] Sal. Tit. 33. Rip. Tit. 80. Sup. *Lacina*.

VIAM DISCEDENDI HABERE] Burg. Tit. 75. *Vias quatuor manumisso dare*. Long. 2. Tit.34. l. 1. Supr. *Manumissio*.

VIATICVM] Cap.1. Tit.106. Cap.5. Tit. 54. 69. Cap. 6. Tit. 105. Cap. 7. Tit. 101. Synod. Arausiac. Can. 3. Ordo Rom. Cassandr. Cap.17. Amalar. official. 3. cap. 35. Syricius. *Quibus quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatici munere cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subveniri.*

VIATORES] Burg. add. 1. Tit. 8. Glossar. *Viator*, ὁδοίπορος, ἀμφοδάρχης, ὑπηρέτης.

VICARIVS] Wis. 4. Tit.5. l.6. Wis. 8. Tit. 1. l. 5. Wis. 9. Tit. 2. l. 8. Wis. 12. Tit. 1. l. 2. Cap. L. Sal. cap. 1. §. 20. cap 2. §. 5. Long. 1. Tit. 25. l. 78. Long. 2. Tit. 47. l. 1. Tit. 52. l. 7. Capitul.3. Tit.11. Cap.4. Tit. 44. 63. 64. Add. Lud. 4. Tit.83. Form. 7. 11. 162. 165. 172. 177. *VICARIVS COMITIS*. Wis. 2. Tit. 1. l. 23. 26. Wisig. 3. Tit. 6. l. 1. Forum. iudic. *El senor de la cibdat, o su vicario*. *Vicarii comitum*. Cap. 2. Tit. 28. *Vicarii per pagos constituti*. Walafr. Strab. de reb. Eccles. Greg. Turon. Hist. lib. 9. cap. 5. Charta Ludovici 8. Bituricensib. facta. *VIGERIVS*. *In unaquaq; vigeritia unus tantum vigerius habeatur*. Gall. *Viguiers*.

VICARIA ANCILLA] Long.2. Tit. 12. l.9.

VICARIA GANEGIACENSIS] Form. 79.

VICE COMES] Long. 2. Tit. 30. l. 2. *Vicomte*.

VICE DOMINVS] Cap. L. Sal. cap. 1. §. 2. c. 2. §. 5. Long. 2. Tit. 30. l. 2. Long. 2. Tit. 47. Cap. Kar. 2. 2. Tit. 28. Cap. 5. Tit. 120. 132. Karolus Calvus Hadriano summo PP. *Quia reges Francorum ex regio genere nati, non Episcoporum Vicedomini, sed terræ domini sumus computati*. Sigeb. Gemb. ANNO DXXXIX. Gregor. PP. *Volumus autem ut memoratus frater noster Paschasius & Vicedominum sibi ordinet, & Maiorem domus, quatenus possit vel hospitibus supervenientibus causis, quæ veniunt idoneus & paratus existere*. Synod. Rhemens. Can. 24. Gall. *Vidame*.

VICE IVDEX] Long. 2. Tit. 30. l. 2.

VICESSORES] Boior. Tit. 17. cap. 2. *Suscipiat wadium, & donet illum vicessoribus suis.*

VICINIVM] Alm. Tit. 45. §. 2. Long. 1. Tit.19. l. 5. Cap. 5. Tit. 203.

VICTVALIS NECESSITAS] Alm. Tit. 2. *VICTVALIA DE MARCHA*. Cap. 3. Tit. 74. Ambros. Hexam. lib. 5. cap. 21. *Invigilare quærendo victualia*. Fulbert. Epis. Epist 38

Epist. 38. *Domos eius & terras & fruges, & omnia victualia, insuper & in prabendas canonicas Ecclesia pervasit.* Petr. Blesens. Epist. 69. *Excusabilior esset fuga si deessent victualia, si arma deficerent.*

VILLA] Burg. Tit. 38. §. 4. Long. 1. Tit. 25. l. 78.

VILLANVS] Neap. 2. Tit. 32. Neap. 3. Tit. 39. l. 2.

VILLICVS] Wis. 6. Tit. 1. l. 1. Wis. 9. Tit. 1. l. 8. 9. Wis. 11. Tit. 1. l. 2. Cap. 6. Tit. 120.

VINCVLATVS] Wis. 9. Tit. 1. l. 2. Gregor. Mag. Lib. 3. Epist. 31. *collum manusq; illius ferro ligavit — in ciliciis vinculatus iacens* &c.

VINITOR] Sal. Tit. 11. Gloss. *Vinitor* ἀμπέλων. Greg. Turon. Histor. lib. 5. cap. 48. *a fiscalis vinitoris servo.* VINEÆ CVSTOS. Burg. Tit. 27. §. 9.

VINVM LYMPHATVM] Neap. 3. Tit. 36.

VIRGA] Long. 1. Tit. 7. l. 18. Scholiast. Horatii lib. 1. Satyr. 2. — *caudamq; salacem. Virgam virilis membri.* Burchard. Decret. lib. 19. p. 274. Pœnitent. Rom. Tit. 3. p. 32. Gall. *la verge.*

VIRGA SEPIS] Rip. Tit. 70. §. 4.

VIRIDIGARIA SYLVA] Form. 79. Gall. *verger.*

VIRTVS] Sal. Tit. 14. §. 13. Alm. Tit. 5. Long. 1. Tit. 17. l. 4. Virgil. — *dolus an virtus quis in hoste requirat.*

VISIO] Wis. 2. Tit. 1. l. 6. & in fine lib. XII. *In proposita quæstione tribus visionibus relatis* &c. L. 25. §. 15. ff. de hered. petit. & §. 14. in fine Tit. de confirm. digestor. L. 8. §. 2. ff. ad Velleian.

VISIO OCVLORVM] Wis. 6. Tit. 3. l. 7. Præfat. Concil. Tolet. XVI. pag. 692. *Nos & alterutra visionis contuitu solari permisit, & alterna pacis osculo confovendos statuit.*

VISORES] Form. 110. 119.

VITA POENÆ LOCO] Wis. 2. Tit. 1. l. 7. *Mors solatium & vita supplicium.* L. 5. C. ad L. Iul. Maiest.

VITALIA] Id est *victualia.* Form.... Arnulph. Episc. Epistol. 4. *Vtinam quod ad victualia pertinet, idem nobis usus & abstinentia praberetur.*

VITIA PRINCIPALIA OCTO] Add. Lud. 8. Tit. 29. Pœnitent. Rom. Tit. 9. Cap. 16. Burchard. Lib. 19. Cap. 6. Theodulp. ad presbyteros Aurelian. Cap. 31. Beda de remediis peccator. cap. 5. Cassian. lib. 5. de institut. cœnob. cap. 1. Collat. 5. cap. 2. 16.

VITRVM IN OCVLO] Alm. Tit. 61. Germ. Glaßaugen. *Plumbum in oculo.* Plin. lib. 25. cap. 13.

VIVERE REGVLARITER] Cap. 5. Tit. 79. *vivere canonice.* ibidem.

VMBRARII] Edict. Theod. c. 108. qui umbrarum scita requirunt. August. Confess. lib. 10. cap. 25. *Nec curo nosse transitus siderum, nec anima mea unquam responsa quæsivit umbrarum, omnia sacrilega sacramenta detestor.* Vid. eundem de Civitate Dei lib. 7. cap. ult.

VNCTIO OLEI SACRI] Cap. 6. Tit. 72. Tit. 105. Cap. 7. Tit. 103.

VNCIA] Fres. Add. Tit. 3. §. 58.

VNCIA AVRI] Wis. 3. Tit. 3. l. 12. Wis. 2. Tit. 1. l. 25. Boior. Tit. 1. cap. 2.

VNTHPRVT] Boior. Tit. 21. §. 10. *ad restituendum compellaverit, quod* vnthprut *vocant.* Ms. *Vnterprunt.*

VNVVANT] Boior. Tit. 3. cap. 2. 4. 6. Tit. 9. cap. 4.

AD NOVEM VOMERES IGNITOS EXAMINANDVS] Cap. L. Sal. c. 1. §. 5. Anglor. Tit. 14. Long. 1. Tit. 10. l. 3. Cap. 4. Add. 2. §. 3. Synod. Mogunt. Can. 1. 24. In actis Synod. Rhemens. de causa Arnulphi. *Meumq; vernaculum Episcopis tradam, qui per ignitos vomeres incedens, DEVM de te iudicare manifestis declaret indiciis.* Pœnitentiale Rom. Tit. 1. cap. 1. *Super XII. vomeres ferventes se expurget.* Helmold. lib. 1. cap. 84. *Inhibiti sunt Slavi de cetero iurare in arboribus, fontibus & lapidibus, sed offerrebant criminibus pulsatos sacerdoti ferro & vomeribus examinandos.* Regino Abb. An. DCCCLXXXVII. *Paucis interpositis diebus coniugem Richardem, sic enim Augusta vocabatur, pro eadem re in concionem vocat* (Imp. Carolus): *& mirum dictu publice protestatur, nunquam se cum ea carnali coitu miscuisse, cum plusquam decennio legitimi matrimonii fœderis consortio esset sociata. Illa econtra non solum ab eius, sed etiam ab omni virili commixtione se immunem esse profitetur, & de virginitatis integritate gloriatur, idq; se approbare Dei omnipotentis iudicio, si marito placeret, aut singulari certamine, aut IGNITORVM VOMERVM examine iudicialiter adfirmat.* In vita Imp. Henrici I.

apud Canis. Antiq. Lect. Tom. 6. *Stupentibus ac flentibus universis qui aderant, vomeres candentes nudo vestigio calcavit, & sine adustionis molestia transiit.* Qui mos itidem a paganis ad Christianos transmigravit: sic enim Nuncius apud Sophoclem in Antigone.

ἦμεν δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν
καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν
τὸ μήτι δρᾶσαι.

VOTIVVS MAIALIS] Sal. Tit. 2. l. 14. Supr. *Maialis.*

AD VOMITVM REDIRE] Wis. 12. Tit. 3. l. 14. 15. 27. Hieronym. Epist. 9. cap. 24. *Proverbium canis reversus est ad suum vomitum, sus lota est in volutabro luti.* S. Hilarius contra Constantem Imp. *Soli canes ad vomitum suum redeunt.* Vid. Prov. 16. vers. 12. & 2. Petri cap. 2. Novell. Leon. 8.

VRBS VENERABILIS] Edict. Theod. cap. 10. De Romanæ urbis elogiis, vid. quæ ad Ammian. notata.

VRTELLA] Decret. Tass. §. 9. LL. Æthelstani Reg. Anglo-Sax. cap. 23. *Be then the ordales weddigath. De iis qui iudicium subituri sunt.* LL. Canuti Reg. Cap. 27. *Anfeald, ordale.* Thryfaldig ordale. Germ. Vrdell.

VSVFRVCTVARIO IVRE] Burg. Tit. 78. *sub usu fructuario accipere.* Alm. Tit. 2. Cap. Caroli Reg. Tit. 9. *Usufructuario modo possidere.* Long. 2. Tit. 14. l. 28. Form. 43. *Usufructuario præstare.* Form. 19. 20. *Ad usumfructum possidere.* Form. 71. *Sub usu beneficii tenere.* Form. 22. 51. *Usufructuario ordine ad beneficium tenere.* Form. 27. *Usufructuario ordine possidere.* Form. 25. 43. 49. *Sub usufructu beneficio retinere.* Form. 14. 15. *Usufructuare.* Form. 29. Privileg. Eccles. Reichersp. Anno MCLIII. *Prædiorum viri sui usumfructuarium tenens.* Tradition. Fuldens. lib. 1. Cap. 1. *Sub usu beneficio per precariam excolere.* Ibidem. cap. 89. *Usufructuario tantum per beneficium habere.* Eodem lib. cap. 13. 93. 100. 137. Lib. 2. cap. 3. *Usufructuario possidere.* Ibidem cap. 6.

VSVRA QVID] Cap. 1. Tit. 125. Pœnitent. Rom Tit. 9. cap. 2. Burchard. Decret. lib. 2. cap. 126. Ivo Decret lib. 3. Tit. 13. cap. 6. Gratian. q. 3. cap. ult. Isidor. Orig. lib. 5. cap. 25.

VTILITATEM REGIS FACERE] Long. 1. Tit. 9. l. 16.

VVLPICVLAM ALTERVM CLAMARE] Sal. Tit. 32. Gregor. Turon. Histor. lib. 8. cap. 6. *Multas ei perfidias & periuria exprobravit, vocans eos sæpius Vulpes ingeniosas.* Liutprand. lib. 5. cap. 3. *Ad vulpem Sarlium transfuga ac desertor abisti.* Dithmarus lib. 7. pag. 89. *Monachus habitu, sed dolosa vulpes in actu.* Auctor vitæ B. Remigii. *Iussit nominari vulpeculam: quod cur ita nominari voluerit, qui fraudes & significationes ipsius animalis cognoscit, satis advertit.* Etiam Christus Dominus noster Herodem vulpem vocat. Lucæ 13.

VXOREM PER DENARIVM EMERE] Sal. Tit. 46. §. 1. Vid. notata ad L. Sal. & Supr. *Emptionis pretium.*

VXOREM FRATRIS SCELERATIS NVPTIIS SIBI IVNXERIT] ..... Greg. Turon. Histor. lib. 3. cap. 6.

VV.

VVACTA] Cap. 3. Tit. 68. In præcepto remissionis sive concessionis, quam fecit Ludovic. Imp. Hispanis. *Explorationes & excubias, quod usitato vocabulo wactas dicunt, facere non negligant.* In admonitione Karoli apud Pistas. *Et in civitate atq; marcha wactas faciant, ad defensionem patriæ.* Gall. Guet. Germ. Wacht. Otfridus Evang. lib. 4. cap. 37.

Thaz wir thia wachta irfallen
Mit anderemo willen

WADIVM] Cap. L. Sal. cap. 1 §. 8. Alm. Tit. 3. Tit. 36. Boior. Tit. 1. cap. 6. §. 3. Tit. 2. cap. 15. Tit. 16. cap. 2. Tit. 17. Cap. 2. Cap. 3. Tit. 29. 65. Form. 121. 124. *Per wadium in servitium Principis se tradere.* Long. 1. Tit. 14. l. 13. l. 19. *In wadium se ipso pro precio tradere.* Cap. 5. Tit. 132. *Wadia.* Long. 2. Tit. 21. l. 9. 10. 12. &c. Tit. 30. 33. 34. Tit. 50. 55. *In wadia se pro servo dare.* Long. 2. Tit. 30. l. 2. *wadias accipere.* Long. 3. Tit. 3. l. 10. id est fideiussores, ut Gloss. L. Sal. Tit. 52. *De eo qui fidem factam alteri reddere noluerit. Id est, qui wadium alteri dat, & postea persolvere spreverit.* Charta Goldasti. n. 90. *Post hoc testimonium dedit Odalhartus wadium, Folcrobo misso, ut esset paratus in præsentia Domini Imp. in placito generali iustitiam*

faciendi

faciendi. Folchardus & Adelsus eius fideiusseres sunt in mancosos mille. *Wadii*, Cap. 2. Tit. 38. Cap. 3. Tit. 29. *Wadios dare*. Form. 81. Synod. Cabill. 2. can. 18. Gesta Caroli Mag. *Perterriti Saxones omnes, ad locum ubi Lippia consurgit, venerunt ex omni parte, & domno Regi Karolo per Wadium manibus suis reddiderunt patriam.* In S.C. de monticulis Walliæ, cap. 3. *Be wadium: id est de wadio.* Gif wad genumen sy. *Si pignus sublatum*. Gall. *Gage*.

WADIARE] Long. 1. Tit. 2. l. 11. Long. 3. Tit. 1. l. 43. *Si aliquis in pratorio domini nostri archiepiscopi vadiaverit manifeste, iudex vel advocatus cum honestis viris, qui iudicio interfuerunt, secundum quod consuetudo omnium iudiciorum se habet, suum vadium poterit in iudicio, si necesse fuerit comprobare*. In statuto Archiepiscopi & capitul. Bremens. ANNO 1246. *Wadiari*. Long. 2. Tit. 21. l. 29. Cap. 4. Add. 2. §. 7. Inde *debitum rewadiatum*. Cap. 4. Tit. 58. Oddo in vita B. Gerardi. *Debitum wadii nequaquam debitori relaxare solitus erat.* Cap. 4. Tit. 70. *Heribannum rewadiatum. Invvadiare*. Guill. Neubrig. lib. 3. cap. 23. Gall. *Engager*.

WADIMONIA] Long. 2. Tit. 21. Gloss. vet. *Vadmonium, fideiussio, vel sponsio.*

WADRVS] Form. 18. 19. 20. 50. 58. 183. *Per meos wadros aut andelangos.*

WALAPAVZ] Long. Tit. 15. l. 5. *Walapauz est, dum quis alienum furtivum vestimentum induit, aut sibi caput latrocinandi animo, aut faciem transfiguravit.* Wala caput, Pautzen ornare, polire. Germ.

WALARAVPA] Boior. Tit. 18. cap. 3. §. 1. *De vestitu, quod wala raupa dicimus, si ipse abstulerit.* LL. Iuticar. lib. 3. cap. 24. Wala caput. Rauba vestis. Sup. in Rauba.

WALAWORF] Boior. Tit. 7. cap. 5. *Discriminalia eiecerit de capite, Walaworf dicunt.* Wala quid sit iam diximus. Worf deiectio est: quamvis in aliis codd. *Waltworf* legatur. Wult Germ. capitis tegumentum, quali Nubiani errones aut Mahumetani utuntur. Sichardus edidit *VVatwrst*: quod & ipsum Germanicum est. Wat enim aut wade vestimentum. Otfridus Evang. lib. 4. cap. 4. Willeram. in Cantico Canticor. cap. 4. ther stanf thinero wade is also wiroches stanck. Et gewaden vestire, apud eundem cap. 1.

WANCLVGA] Boior. Tit. 7. cap. 17. *Si quis liberam fœminam suaserit, quasi ad coniugem, & in via eam dimiserit, quod Baiuvarii VVancluga vocant.*

WANCSTODAL] Boior. 3. cap. 11. *De simulatis, quod wancstodal dicunt.* Wanck Germ. inde Wanckelmodig, animi dubia minimeq; stabilis sententia.

WANTI] Add. Lud. 1. Tit. 22. In vita B. Philiberti. *Manitia, qua nos peregrina lingua wantos vocamus.* Et post. *Sinum ostendens ubi ipsa manitia latebant.* Moschopul. περὶ χεδ. χειρόδωτος χιτὼν, κανῶς μανίκια. Gloss. Latino-Theotisc. *VVanti & manica*, Handschoha. Ital. *Guanti*.

WARANIO] Sal. Tit. 40. §. 2. 4. Recap. L. Sal. §. 18. 23. Forsan inde Gallicum *Harau*.

WADIA] Wis. 9. Tit. 2. l. 9. Cap. 3. Tit. 68. Gall. *Garde*. Saxon. Warte.

WARENGANGI] Long. 3. Tit. 15. Gloss. *Qui non morantur in loco*: id est, qui continuo huc illuc discurrunt. Germanicum est.

VVARENTEM] Long. 2. Tit. 28. l. 1. *VVarendator*. Specul. Sax. lib. 1. Art. 9. Lib. 3. Art. 3. id est auctor, qui evictionem præstare cogitur. Inde *VVarenda*. Spec. Sax. lib. 1. Art. 15. 46. 47. 63. Lib. 3. Art. 88. *VVarendatio*. Spec. Sax. lib. 1. Art. 9. *Warendator*. Spec. Sax. lib 1. Art. 9. Lib. 3. Art. 3. 83. LL. Guillel. Bastardi. *Sine fideiussore & waranto*. Germ. Were & Warschop. Gall. *Garent* & *Garentie*.

VVARGVS] Sal. Tit. 57. §. 5. Rip. Tit. 85. hoc est, deiectus & expulsus. Nimirum vagus & profugus super terram, ut habetur Genes. cap. 4. Sidon. Apoll. lib. 6. Epist. 3.

VVEHADING] Boior. Tit. 11. cap. 5. Decret. Tassil. §. 10. LL. Pop. §. 5.

VVERIGILDVM] Cap. L. Sal. cap. 1. §. 7. Decret. Child. Reg. §. 5. 6. 10. Alm. Tit. 4. 29. 34. Cap. 3. Tit. 28. Cap. 6. Tit. 98. 99. Cap. 7. Tit. 183. *VVerigeldum unum*. Alm. Tit. 45. *VVerigelda novem*. Alm. Tit. [illegible]. 49. *VVERIGILDVS*. Boior. Tit. 7. Cap. 1. §. 1. Cap. 2. §. 1. Boior. Tit. 15. cap. 5. Tit. 18. cap. 2. Rip. Tit. 36. §. 1. Tit. 46. §. 1. Tit. 63. Sax. Tit. 2. §. 7. Fris. Tit. 1. §. 9. Cap. 4. Tit. 13. 15. 18. 20. *VVIDRIGILD*. Long. 1. Tit. 1. l. 7. Tit. 3. l. 3. Tit. 5. l. 2. Tit. 7. l. 18. Tit. 9. l. 26. 29. &c. Tit. 25. l. 17. Tit. 29. Lib. 2.

Tit. 1. l. 11. Long. 2. Tit. 8. 26. 34. 37. 52. 55. Papias & Gloss. vett. *VVirgild, secundum quod appretiatum fuerit.* Pœnitentialei Rom. Tit. 4. cap. 17. *Pretium suum, id est wirigildum suum.* In LL. Inæ & Eduardi Reg. Angl. *Inveniat plegios tales, qui possunt reddere forisfacturam, id est were suum.* LL. Edoardi. Reg. cap. 12. *VVere suum, id est pretium sua redemptionis.* LL. Inæ Reg. cap. 33. Æthelstani Reg. cap. 25. Specul. Sax. lib. 1. Art. 8. *Emenda & verigeldus:* Syn buthe vnd syn weregeld. Specul. Sax. lib. 1. Art. 42. 53. 65. Lib. 2. Art. 5. 10. 21. Lib. 3. Art. 32. *Super quemcumq; actor werigeldum aut emendam acquirat, super eundem iudex mulctam si velit, obtinebit.* In primis autem, qui werigeldus cuilibet hominum debeatur & emenda, vid. Art. 45. lib. eod.

VVERINI] *Lex Anglorum & VVerinorum.* Non uno modo VVerini hi a veteribus scriptoribus appellantur. Plinius Histor. natur. lib. 4. cap. 14. *Genera Germanorum quinq; Vandali, quorum pars Burgundiones, Varrini, Carini, Guttones.* Tacitus de morib. Germ. *Angli & Varini, & Eudoses & Nuithones.* Cl. Ptolemeus lib. 3. cap. 5. *Avarinos* vocat. παρὰ μὲν τὸν οὐΐσ̀λον ποταμὸν ὑπὸ τοὺς οὐενέδας, γύθωνες, εἶτα φίννοι, εἶτα βούλανες. ὑφ᾽ οὓς φρουγουνδίωνες, εἶτα ἀβαρινοί, παρὰ τὴν κεφαλὴν τοῦ οὐΐσ̀λα ποταμοῦ. *Ad Vistulam fl. sub Venedis Gythones sunt, post Phinni, post Bulanes, sub quibus Phrugundiones, post AVARINI iuxta caput Vistulæ fl.* Cassiodorus *Guarnos*, ἀντὶ τοῦ *VVarnos* (ut alii *VVelphos, Guelphos*) Variar. lib. 3. Epist. 3. *HERVLORVM REGI, GVARNORVM REGI, THORINGORVM REGI, Theodoricus Rex.* Ex qua inscriptione videmus VVerinos & Thoringos populos fuisse diversos.

VVERPIRE] Form. 121. 155. Fulbert. Episcop. Carnot. Epistola. 34. *G. sæpe mittit ad me, licentiam ineundi connubii novi petens, illam se guerpisse, suamq; pecuniam recepisse, licet non vere, protestans.* Aimoin. lib. 5. cap. 48. *Conquirens Fulco de [illegible]tre suo super eo, quod ei parvam terræ partem dedisset, regem adiit, & fideliter compromisit, quod totum VVastinensse ei relinqueret, si bello sibi non noceret. — peracta expeditione VVastinense, sicut promiserat Regi vverpivit.* Vita Karoli M. pag. 224. *Multitudo Saxonum baptizata est, & secundum morem illorum omnem ingenuitatem & alodem manibus gurpiverũt.* LL. Æthelstani Reg. cap. 10. *BE VVEFA GEHVVYRFE. That nân man ne hvvyrfe nanes yrfes buton thas geresan gevvitnysse. DE VVERPISATIONE HEREDITATIS. Ne vir quisquam bona ulla alienet, absq; Comitis scientia.* Germ. werpen, tradere, iactare. Consuetudinbus Gall. *Guerpir. Heritages vendus & guerpis.*

VVESTPHALAI] Sax. Tit. 8. 9. 19. Supr. *Ostfalaa.*

VVIC] Boior. Tit. 21. §. 6. *De minutis sylvis, de vvic.* Ita editio Germ. alii cod. *De minutis sylvis, de luco:* quod interpretatio est, τοῦ *vvic.* Otfrid. Evang. lib. 4. cap. 16.

> *Ioh thie Evvarton resto*
> *Livvun filu Knehto*
> *Thie farira ouh ginuage*
> *Zi theme selben vvige.*

Idem lib. 4. cap. 18. Inde Germ. Wicgreue, ἀλσοφύλαξ, nam quid *Greve* supra ostendimus.

VVIDERBORAN] Long. 2. Tit. 1. l. 8. 9. *Liberam thingare & sic facere liberam, quod est vviderboran.* Germ. Widerboren renatus.

VVIFA] Boior. Tit. 9. cap. 12. *Signum quod propter defensionem ponitur, aut iter excindendum, vel pascendum, vel campum defendendum, & amplificandum, quod signum vvifam vocamus.* Long. 3. Tit. 3. l. 6. *Super ipsam vvifam sua authoritate introire.* Germ. Wip, signum est, quod rei venali affigitur, ut hedera vino. *VVIFARE.* id est signum apponere. Long. 1. Tit. 27. l. 8. *Terram alienam sine publico iusso guifaverit.* Long. 3. Tit. 3. l. 6. *Domus vel casa vvifentur.* Glossæ vett. ad illa verba rubricæ Cod. Vt nemo privat. &c. *VELA REGIA SVSPENDAT. —— quod vulgo Longobardice more guiphare dicitur, apud nos saisire, quod lingua vulgari Eyden.* De titulis autem prædiis affigendis, vid. sup. in voce *Titulus.*

VVILZ] Boior. Tit. 13. cap. 10. *Si mediocris fuerit* (equus) *quem VVilz vocant.*

VVINCHILSVL] Boior. Tit. 9. cap. 6. §. 2. *columna angularis.*

VVISARA] Fris. Tit. 1. §. 2. Fluvius Saxoniæ, *Visurgis* Paterculo & Tacito, οὐίσουργις Ptolemeo, βίσουργις Straboni: postea *VVisuracha, VVisura, VVirracha,* & *VVirra*, nunc autem Weser dictus. In Annalibus Karoli Mag. Anno DCCCLII. *In loco qui appellatur Nimia, super amnem, quem Cornelius Tacitus scriptor rerũ a Romanis in*

nis in ea gente gestarum Visurgim, moderni vero VVisuracha vocant. Adamus Brem. Histor. Eccles. lib. 1. c. 2. *Nobilissimi Saxoniæ fluvii sunt Albis, Sala, VVisura, qui & VVirraha nuncupatur.* Historia Bremens. Anno MCLXIII. *Orta est tempestas maxima, & maris abundantia, & involvit aqua omnes fines maritimos Fresiæ, Hadeleriæ, & omnem terram palustrem Albiæ & VVirræ.*

VITTEMON] Burg. Tit. 66. §. 1. 2. Tit. 69. Tit. 86. §. 2. Burg. add. 1. Tit. 14. Glossar. Latino-Theotisc. *Dos* Widimo. VVilleramus in Cantica Cantic. cap. 3. *Tho her himo selvemo mahelda mit themo vvithemo sines hilligen bluodes* &c. *Cum ipse sibi (Ecclesiā) sponsaret dote sancti sui sanguinis.* Weotomon in LL. Alfr. Reg. c. 22.

VVITTISCALCI] Burg. Tit. 76. *Pueri Regii qui iudicia exequuntur, & mulctam exigunt.* Glossar. vett. *Pœna* Wizi. *Pœnalis* Wizlich. *Punire* Wizen. Germ. Wedde. Angl-Sax. Wide, *mulcta*. LL. Inæ & Alfr. Reg. Quid Scalk supra diximus.

VVVLTAVA] Sax. Tit. 1. §. 5. *Si os fregerit, vel Vultavam fecerit corpus.* Fris. add. Tit. 3. §. 16. *Si ex percussione deformitas faciei illata fuerit, quæ de XII. pedū longitudine possit agnosci, quod Wulitivā dicunt.*

VVVLTWORF] Boior. Tit. 7. cap. 6. Sup. *VVALAVVORF.*

X.

XENIA AD INTROITVM DARE] Cap. 1. Titul. 146. Vetus admodum mos est, pro introitu militiæ xenia vel honoraria collegio dare. L. antepenult. §. fin. ff. de legat. 3. Vid. Cuiac. ad L. 7. C. de prox. sacror. scrin.

XENODOCHIVM] Long 1. Tit. 2. l. 9. Longob. 2. Tit. 15. l. 5. Tit. 52. Long. 3. Tit. 1. l. 9. 28. Tit. 10. l. 1. Cap. 2. Tit. 29. Cap. 6. Tit. 134. Form. 5. *Ex Græco in Latinum* ξενοδοχεῖον *peregrinorum susceptio nuncupatur.* Isid. orig. lib. 15. cap. 3.

Y.

YPOCISMA DE OCVLIS] VVis. 17. Tit. 1. l. 5. Ms. *ypecisin.* ὑπωπίασιν.

Z.

ZANA] Long. 1. Tit. 18. l. 2. *per singulas civitates mali homines, zanas, id est adunationes, contra iudicem suum agentes faciunt.* Quidam Cod. *Zavas* habent, ut & Papias, qui interpretatur *Zavas, id est rutas.* ut apud Arnold. Abb. in continuatione Helmoldi lib. 2. cap. 30. *Philippus Coloniensis contracto exercitu, secundam expeditionem instauravit, habens in comitatu suo illos, quorum secta Rote dicitur.* Gulielm. Neubrig. de reb. Anglic. lib. 2. cap. 27. *Stipendiarias copias, quas Rutas vocāt.* Lib. 5. cap. 15. *Stipendiariam militiam, quam Rutas vocant.*

ZAVÆ] VVis. 9. Tit. 2. l. 9. *partem aliquam zavis vel loricis munitam.* Forum Hispan. *armados de lorigas, e de purpuntos.* Gloss. *Zaba, lorica.* Suidas. ζάβα, τὸ λωρίκιον. Idem. ζαβαρεῖον ἐν ᾧ αἱ ζάβαι, αἵ εἰσιν ὅπλα πολεμικά, ἀπέκειντο. Leo in Tacticis cap. 6. τοὺς δὲ ἐπιλέκτους τῆς ἀκίας ἔχειν καὶ ζάβας ἤτοι λωρίκια. Vrbicus in Tactic. Cap. Πῶς δεῖ πεζοὺς εἰς δασεῖς τόπους τρέχειν. Μήτε ἁμάξαις κεχρῆσθαι, ἢ τέλεσι πολλῷ, ἢ ὅπλοις βαρέσιν, οἷον ζάβαις, ἢ κασσιδίοις, ἀλλὰ σκουταρίοις &c. Mauricius Imp. in Tacticis. καὶ σκέπειν ἐντεῦθεν τὰς ζάβας. Novell. Iustinian. Πε. τόξα καὶ βέλη, σπάθας τε καὶ ξίφη (ἅπερ καλεῖν εἰώθασι παραμήρια) καὶ τὰς λεγομένας ζάβας ἤτοι λωρίκια, καὶ κοντοὺς, καὶ τὰς καθ᾽ οἱονδήποτε τρόπον ἢ σχῆμα γινομένας λόγχας &c. Iulianus Antecessor sic vertit. *Arcus & tela, vel spathas vel gladios, quos parameria vocant, vel zabas sive loricas, vel contos aut lanceas, quocunq; modo si fiant.*

ZOVGENZVHT] Decret. Tass. §. 13. Zuht scrutiniū notat: quid Zougen non liquet.

ZVRB] Alm. Tit. 84. *Tollat de ipsa terra, quod Alamanni* Zurb *dicunt.* ita Mss. codd. quod rectum est. al. *Curfodi.* Ms. P. *Cursffo.* sed male. Gloss. Latino Theotisc. *Cespes, terra avulsa,* Zurba. In Germaniæ regionibus quibusdam, ad focum lignis parcentes, terrâ utuntur e locis paludosis effosâ: eam terram proprie Torff vocant, Galli *Tourbes.*

EXPLICITVM

ANNO CIↃIↃCXIII. KAL. MART.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM.

Accusatus

B.

Benedictionem

C.

Donatorum

E.

Ecclesia-

F.

Fœnum

G.

H.

I.

Ieiunium

Ingenuus

Inventarium

Iudex

L.

Liberti

M.

Meretricum

Missa

Mulier

N.

O.

P.

Pugna

Q.

R.

Res Re-

Si ad

T.

Treugarum

V.

Verberatus

VV.

FINIS.

SI LIVOR OBTRECTARE CVRAM VOLVERIT,
NON TAMEN ERIPIET LAVDIS CONSCIENTIAM.

CVLPÆ OPERARVM.

PAG.14.vers.31.ac si] Legendum ac sic.54.vers.21.universaque] universa quæ.116.vers.40.præsumserit] præsumserint.147.vers.24.ex hoc) hoc ex.211.vers.14.excellentiam] excellentia.v.24.honestatis] honestati.222.v.35.legis] legis.224.v.43.apparationis) apparitionis.226.ver.2.coniugum] coniugium.250.vers.44.& eandem] delend. &.257.vers.ult.temporibus comparetur] temporibus diversis comparetur.287.v.25.Sana] sanè.305.vers.31.inventum] inventus.319.vers.19 septem] sepem.355.vers.3.nullis] multis.vers.7.hoc anno] heribannum.401.vers.28.tellatur] tollantur.434.vers.33.in flumine] in flumen eiecerit, vel in talem locum, ut cadav.455.v.5.venet] venit.v.24.& cum] delend. &.459.vers.14.patrem] parem,463.v,42.iudicia] indicia.483.v.20.fuerint] fuerit.495.vers.7.minori compositiones] minoris compositionis.v.22.debis] te debes.501.v.32.si quid] Sicut.519.v.19 dericulum] deridiculum.523.v.2.vculni] oculum.526.v.5.noluerint] voluerint.v.36.componat] componant.530.v.31.quidem] quidam.534.v.21.& sic] ut sic.22.sunt] sint.23.autem satis] autem tunc satis.26.excedit] excellit.29.plerumque) plerosque 535.v.33.examinandũ) examinandus.543.v.15.solid.xxx.) sol.DCCCC 545.v.31.præsumserit) præsumserint.v,32.confirmaverit) confirmaverint.568.v.30.occidatur) occidantur.572.v.13.sed pœnam] delend. sed.v.23.pœnitentia] præsentia.577.v.20.promiserit) permiserit.582.v.11.præbeat) præbeant.v.38.indicati) iudicati.584.v.15.domina] domino.588.v.ult.vestra] vera.589.v.8.casu] casus.591.v.12.meta] metam.611.v.6.volueriant] noluerint.610.v.34.domitos) domitas.615.v.17.mutaverit] mutuaverit.628.v.36.tentaverit] id tentaverit.multam &c.637 v.38.scripta charta) scripta charta fuerint, ostendantur.642.v.12.quæ) qui.663.v.21.quod) quo.672.Karolus quartus) Tota lex delenda, quia in omnibus MSS. codd. desideratur 677.v.33.palatium) palum.714.v.39.incolas ærario nostro applicandis) augustalibus ærario nostro applicandis, incolas præd.717.v.11.debere censemus) debere. Nullas ab ipsis præterea sport. &c.719.v.3.robore) rubore.727.v.38.ipsis) ipsos.730.v.14.cetero obs.) cetero non obs.v.15.& per) delend. & 763.v.10.quæ) qui.777.v.19.seu) sed.820.v.19.ceciderit) occiderit.841.v.11.fiant psalmi) fiant ut psalm.847.v.3.ordinarie) ordinari.854.v.33.ut nulli) Vt nullus presbyter.939.v.ult.prævaricatione pœnitentiam) prævaricatione peccata vel pœnitentiam.961.v.17.conclusione) conlusione.969.v.22.proponat) proponant.996.v.39.despexerit) despexerint.v.40.arceatur) arceantur.1005.v.37.TE DEVM IGITVR) TE IGITVR non inchoetur.1019.v.17.nos) vos.1054.v.3.&) deleatur.1089.v.39.est) & 1110.v.29.ut quis) ut si quis 1117.v.13.se) sed.1121.v.21.præmio) prooemio.1139.v.21.subacti) subiecti.1164.v,22,iuventes) iuvenes.1165.v.36,omnes genu) omne genus.1218.v.42.tempore] corpore.1222.v.16] aliquis.1239.v.12.ambabus) ambas res.1284.v.5.nuncupato illo situm in pago ill.] situm in pago ill. nuncupato ill.1290.v.33.repetebas] repetebat.1347] v.47.ποτίξει] ποτίζει.ibid.ποτίξω] ποτίζω.1358.v.15.Cyrus) à Ciro.1363.v.41.dixi PP.esse.) dixi.PP.Leo.1389.v.9.Catul) Martial.lib.6.Epig.70.Ostendit digitum, sed impudicum. Et in Priap. Derides quoq; fur, & impudicũ ostendis digitum. 1449.v.49.Obstare de via) Obstare de, via. Rip. Tit.80. Gall. Oster, Germ. Hurten, allidere, imp.1490.v.31.leguntur,) leguntur. Concil. African. Cap.43. Excusationes suas in tractoria subscribant. Ibidem. Cap.57.

Reliquos errores Lector eruditus emendabit.

